COROLLARIA, SEV QVÆSTIONES THEOLOGICÆ DE TRINITATE, INCARNATIONE VERBI, & de Euchariſtia, &c.

EX PRINCIPIIS PHILOSOPHICIS INCOMPLEXIS, SEV Prædicamentis Subſtantiæ, Quantitatis, Vbi, & Ad aliquid; iuxta irrefragabilem doctrinam Philoſophicam, & Theologicam S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici.

AVCTORE FRANCISCO ALBERTINO CATANZARIENSI
Societatis IESV, *Philoſophiæ Sacræque Theologiæ publico Profeſſore.*

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum ROBERTVM BELLARMINVM S. R. E. Cardinalem.

Tomus Secundus.

Cum Indice quadruplici, primo Philoſophico quæſtionum ad Philoſophiam Ariſtotelis pertinentium, ſecundo Theologico quæſtionum ad ſummam S. Thomæ, tertio quæſtionum Philoſophicarum & Theologicarum ſecundùm ordinem contextus, quarto materierum omnium quæ in hoc ſecundo tomo tractantur, ſecundùm ordinem alphabeti.



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.
M. DCXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROBERTO BELLARMINO
S.R.E. ILLVSTRISSIMO ET REVEREN-DISSIMO CARDINALI,

FRANCISCVS ALBERTINVS E SOCIETATE IESV S. D.

ALTER induſtriæ meæ partus prodit in lucem, & in manus hominum ſub tuo nomine emittimus; nam cùm vſu, & conſuetudine ita comparatum ſit, vt quibus rebus principes viri delectentur, in iis ſtudium plerique ſuum probent; an non commodè fecerim, ſi quid eius generis ad te mittam, quo inſigniter oblectari te intellexerim? Verſaris ipſe continenter in litteris,& in earum ſtudia,quaſi in hortos amœniſsimos, non ſine maxima, & animi iucunditate, & nominis celebritate diuertis; & quamquam perpetua multiplicíque grauiſsimorum munerum procuratione diſtringeris:tamen in ipſa illa occupatione ita te litterarum tractatio delectat,vt & legas cum voluptate quæ alij ſcripta reliquerunt, & ſcribas ipſe quæ à poſteris cum admiratione perpetuò legantur. Semper aliquid noui parturit iſta ingenij tui fœta ſemper, nunquam effœta fœcunditas,vt miſſa faciamus vetera illa doctrinæ monumenta, quorum afflatu vel ipſæ Septentrionales plagæ incaluerunt. Quocirca hos laboris mei qualeſcumque fructus nec æquiùs alij debeam, nec alij libentiùs offeram,quàm tibi, à quo habet Societas noſtra memoriam nominis ſempiternam, Orbis verò terrarum exemplum Eccleſiæ vel ornandæ, vel tutandæ præclariſsimum. At quas tibi offero dicó-

Digitized by Google

que propoſitiones,Philoſophicæ eæ ſunt,ſed ita Philoſophicæ, vt qui ex iis deducuntur riuuli,cùm ad Theologiam ſpectent , in Oceanum benignitatis, ac fidei tuæ , à quo vno vel omnis Theologia ornari ſe potiſsimùm ſentit,libentiſsimè confluant. Eſt nimirum , Bellarmine Cardinalis , in medium expoſita iſta felicitas,ac ſapientia,quæ vulgari maior,atque humana videtur auguſtior ; vt qui ex eius ſibi lumine non aliquid ſibi lucis accendat; næ ille ſuæ gloriæ plus æquo inuidiſſe iudicandus ſit. Iſte proximus eſt ad immortalitatem acceſſus , ſuo patrocinio iuuare mortales,eóſque maximè, quos edendis , elucubrandiſque voluminibus ad benemerendum de poſteritate exemplo tuo pellexiſti. Confido igitur fore vt mea hæc qualis qualis ingenij monumenta extent multò meliora, & verò commendatiora, ſi ea contigerit clientelæ tuæ luce decorari , muniri præſidio , teſtimonio cohoneſtari.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ABSOLVTIS iam Candide lector, primo noſtro tomo difficultatum ambagibus, quæ ex complexis Philoſophiæ principiis ad Corollaria Theologica ſpectabant; alterum tomum Deo duce aggredimur, vbi incomplexa quidem principia Philoſophiæ, hoc eſt decem Prædicamenta, ſed Theologiæ difficultates continuatè magis magiſque inter ſe connexè tractantur. Verùm miraberis fortaſſe quid ſit, cùm hac tempeſtate poſt aliquos annos graues Doctores, luculenti itidem ex noſtris ſcriptores extiterint, qui poſt multos editos eruditiſſimos libros, nuper accuratiſſimè ita ſcripſerint de Sanctiſſima Trinitate, de Incarnatione, & de Euchariſtia, vt lectoris ingenium nihil amplius deſiderare poſſit, ego poſtremus prodierim, qui faſtidientibus fortaſſe auribus has meas quales quales commentationes ingeſſerim. Ego verò vt aliquid de meo hoc nouo in hiſce pertractandis conſilio dicam, fateor ab aliis ſcriptoribus, vel neotericis vel antiquis Theologiæ ſalebroſum iter ingenioſè ſatis æquatum; ſed noua quædam ratio me quoque ad ſcribendum hortata eſt, vt hæc Corollaria quaſi ſerta, atque nexus extruerem, quibus Philoſophiam cum Theologia deuincirem; Cùm enim noſtri ordinis leges iubeant illam quaſi pediſſequam ac ſatellitem huic famulari, & ad hanc dirigi, operæ pretium me facturum eſſe cenſui, ſi hanc viam, haud an ab aliis adhuc excogitatam, ad Diuinam ſapientiam ſternerem; Quòd ſi aliquãdo à doctiſſimis viris diſcrepare videar, nec illis derogo quicquam, nec mihi arrogo; datur enim hæc venia diſputanti. Et mihi certè noſtras opiniones tueri licebit, cùm eas antequam plures hac de re ederentur libri, multis annis publicè nec ſemel docuerim, atque ad veritatis cotem diſputationibus publicis ſæpius exacuerim.

Conatus ſum autem in his meis Theologicis Corollariis, quæ ex principiis Philoſophicis deducuntur, tam in Philoſophia, quàm in Theologia à D. Thomæ veſtigiis non diſcedere; Is enim ſeſe plurimùm profeciſſe perſuadere ſibi poterit, cui plurimùm eius doctrina placuerit, quæ tot támque præclaris non ſolùm ingeniis, ſed integris quoque Academiis ac Vniuerſitatibus, atque adeò Summis ipſis Pontificibus probata eſt. Hæc te, lector amice, admonitum initiò volui. Cæterùm quia humanum eſt in multis labi, ſi quid in hoc opere te fortaſſis offenderit, id ſcito libenter me non ſolùm, vt par eſt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, verùm etiam tuo, doctorúmque virorum iudicio, ac cenſuræ ſubmittere.

Digitized by Google

CLAVDIVS AQVAVIVA SOCIETATIS IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVM ſecundum Tomum P.Franciſci Albertini,De Principiis incomplexis ex Prędicamento Subſtantiæ, Relationis, & Quantitatis, cum ſuis Corollariis Theologicis, quatuor noſtræ Societatis Theologi,quibus id commiſimus, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fide has literas manu noſtra ſubſcriptas,& ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 4. Maij. 1612.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magiſter, & diuini verbi Prædicator, in Sancti Pauli Lugdunenſis Canonicus, atque in hac Lugdunenſi Diœceſi Librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus nos hunc *Secundum Tomum P. Franciſci Albertini*, *Societatis* IESV, *De Principiis incomplexis ex Prædicamento Subſtantiæ, Quantitatis, Vbi, & Ad aliquid, cum ſuis Corollariis Theologicis*, euoluiſſe; eúmque ſingulari mentis acumine,firmarum rationum pōdere,multiiuga eruditione, ac cum fide Catholica, Apoſtolica & Romana ex toto conſpiratione perſpicuum reperiſſe. Lugduni apud S. Paulum Non.Nouembris, 1615.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus,& Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Liber qui inſcribitur, *Corollaria, ſeu quæſtiones Theologicæ de Trinitate, Incarnatione Verbi, & de Euchariſtia*, &c. *ex Principiis Philoſophicis incomplexis, ſeu Prædicamentis Subſtantiæ, Quantitatis, Vbi, & Ad aliquid*, &c. *Auctore Franciſco Albertino Catanzarienſi Societatis Ieſu, Philoſophiæ, ſacræq́ Theologiæ publico Profeſſore*, &c. *Tomus Secundus*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni die 14. Nouembris. 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA PRIVILEGII A Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt,atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos,ac numerandos,excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inſcribitur, *Corollaria, ſeu quæſtiones Theologicæ de Trinitate, Incarnatione Verbi, & de Euchariſtia*, &c. *ex Principiis Philoſophicis incomplexis, ſeu Prædicamentis, Subſtantiæ Quantitatis, Vbi, & Ad aliquid*, &c. *Auctore Franciſco Albertino Catanzarienſi Societatis Ieſu, Philoſophiæ, ſacræq́ Theologiæ publico Profeſſore*, &c. *Tomus Secundus*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis eũdem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare,vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti Horatij Cardon. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis.Datum Pariſiis 24. Octobris 1614.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

PRIN

Digitized by Google

PRINCIPIA PHILOSOPHICA INCOMPLEXA, SEV QVATVOR PRÆDICAMENTA, QVÆ EXAMINANTVR IN HOC SECVNDO TOMO,

Ex quibus deducuntur quæſtiones Theologicæ, quæ in hoc eodem ſecundo tomo diſputantur.

PRIMVM PRINCIPIVM PHILOSOPHICVM incomplexum, ſeu Prædicamentum, DE SVBSTANTIA.

Sunt circa hoc Prædicamentum quatuor diſputationes Philoſophicæ.

Prima diſputatio de ente eſſentiæ, diuiſa in decem quæſtiones.
Secunda diſputatio de ente exiſtentiæ, diuiſa in ſex quæſtiones.
Tertia diſputatio de ente ſubſiſtentiæ ſeu de ſuppoſito, diuiſa in vndecim quæſtiones.
Quarta diſputatio de vnione ſubſtantiali diuiſa in nouem quæſtiones.
Ex quo Prædicamento Subſtantiæ deducemus per plures quæſtiones Theologicas, totam materiam de incarnatione Verbi.

SECVNDVM PRINCIPIVM PHILOSOPHICVM incomplexum, ſeu ſecundum Prædicamentum, DE QVANTITATE.

Sunt circa hoc Prædicamentum quatuor diſputationes Philoſophicæ.

Prima diſputatio de inhærentia, ſeu accidenti in communi, diuiſa in quatuor quæſtiones.
Secunda diſputatio de quantitate circa literam Ariſtotelis, diuiſa in quatuor quæſtiones.
Tertia diſputatio de eſſentia quantitatis ſub ratione extenſionis, diuiſa in ſeptem quæſtiones.
Quarta diſputatio de infinito quantitatiuo, diuiſa in octo quæſtiones.

TERTIVM PRINCIPIVM, SEV PRÆDICAMENTVM VBI.

Eſt circa hoc Prædicamentum vna diſputatio diuiſa in nouem quæſtiones.

Ex his duobus Prædicamentis Quantitatis & Vbi, deducemus per plures quæſtiones Theologicas

logicas totam materiam de ſanctiſſima Euchariſtia, & præterea de loco Angelorum, & de infinitate & immenſitate Dei.

QVARTVM PRINCIPIVM PHILOSOPHICVM incomplexum, ſeu Prædicamentum,

AD ALIQVID.

Sunt circa hoc Prædicamentum decem & octo quæſtiones Philoſophicæ.

Ex hoc Prædicamento deducemus per plures quæſtiones totam materiam de Trinitate, & præſertim de relationibus Diuinis.

Tomus autem tertius complectetur reliqua Prædicamenta, præſertim de Qualitate, & de Actione, ex quibus Deo dante deducemus præcipuè materiam de Gratia ſanctificante, & auxiliante.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PHILOSOPHICVS
AD PHILOSOPHIAM ARISTOTELIS.

AD LOGICAM,

Præter ea quæ habentur in primo tomo.

Ad Anteprædicamenta.

1. VTRVM *vniuerſale ſit tantùm per intellectum. ex prædicam. Subſtantiæ diſputat.* 1. *quæſt.* 10. *vbi agitur fusè de diſtinctione graduum.*
2. *Vtrùm analogia attributionis dicat conceptum obiectiuum communem ſaltem ſecundùm attributionem. ibid. quæſt.* 5. *vbi agitur de vniuocatione entis.*
3. *Vtrùm analogia proportionis dicat conceptum communem obiectiuum præciſum ab inferioribus ſecundùm rationem. ibid. quæſt.* 3.
4. *Vtrùm conceptus analogus poſſit eſſe præciſus à parte rei ab inferioribus. ibid. quæſt.* 5.
5. *Vtrùm conceptus formalis analogus ſit vnus & præciſus. ibid. quæſt.* 6.
6. *An circa minùs principalia analogata dari poſſit conceptus communis. ibid. quæſt.* 1.

Ad Prædicamentum Subſtantiæ.

1. *An Subſtantia bene diuidatur ab Ariſtotele in primam & ſecumdam. ex prædicamento Subſtantiæ diſputat.* 3. *quæſt.* 10.
2. *Vtrùm illud quod addit ſubſtantia ſupra naturam, ſit negatiuum, vel poſitiuum. ibid. quæſt.* 1.

Reliquæ quæſtiones de Subſtantia pertinent ad Metaphyſicam. Vide ibi.

Ad Prædicamenta Accidentium.

1. *Vtrùm de eſſentia Accidentis ſit actualis dependentia à ſubiecto. ex prædicamento Quantitatis diſput.* 1. *quæſt.* 1.
2. *Vtrùm actualis inhærentia diſtinguatur à parte rei ab accidenti realiter diſtincto. ibid. quæſt.* 2.
3. *An ſeparatio accidentis fiat per nouam actionem Dei. ibid. quæſt.* 3.
4. *An accidens dicat eſſentialiter aptitudinalem inhærentiam. ibid. quæſt.* 4.
5. *An accidens ſit vniuocum. ex prædicam. Subſtantiæ, diſput.* 1. *quæſt.* 7.

Ad Prædicamentum Quantitatis.

1. *Vtrùm quantitas conſideretur ab Ariſtotele in prædicamento Quantitatis ſecundùm rationem extenſionis, vel ſecundùm rationem menſuræ. ex prædicam. Quantitatis diſput.* 2. *quæſt.* 1.
2. *De diuiſionibus Quantitatis, & qualis ſit huiuſmodi diuiſio. ibid. quæſt.* 2.
3. *An rectè numerentur ab Ariſtotele in hoc prædicamento ſeptem ſpecies Quantitatis. ibid. quæſt.* 3.

De paſſionibus Quantitatis. ibid. quæſt. 4.

Reliquæ quæſtiones quæ ſunt circa Quantitatem ſub ratione extenſionis, & de infinito ſub eadem ratione, pertinent ad Phyſicam. Vide ibi.

Ad Prædicamentum Ad aliquid.

Vide in Prædicamento Relationis.

1. *Quid nomine Relationis prædicamentalis intelligatur, & an ſit realis.*
2. *Vtrùm relatio prædicamentalis ſit ſecundùm eſſe (Ad) realis, vel tantùm ſecundùm eſſe (In.)*
3. *Vtrùm relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe (Ad) dicat perfectionem realem.*
4. *Vtrùm relatio realis prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud.*
5. *In quibus differat relatio prædicamentalis, à tranſcendentali.*
6. *Vtrùm relatio prædicamentalis diſtinguatur à parte rei à ſuo fundamento.*
7. *An relatio poſſit per diuinam potentiam poni in alieno fundamento.*
8. *Vtrùm relationes terminentur ad abſolutum, vel ad correlatiuum.*
9. *Vtrùm in relationibus non mutuis relatiuum terminetur ad correlatiuum formaliter.*
10. *Vtrùm eadem numero relatio poſſit terminari ad plures terminos numero.*

Digitized by Google

11. *Vtrùm relatio ſuſcipiat magis & minus.*
12. *Quæ diſtinctio requiratur inter relationem & terminum relationis, diuiſa in duas dubitationes.*
13. *De fundamentis Relationum, & primò quid, & quotuplex ſit.*
14. *Vtrùm relatio fundet relationem ſicut fundant cætera prædicamenta abſoluta.*
15. *Vtrùm vnitas & numerus mathematicus fundet relationem realem.*
16. *Vtrùm entitas & numerus metaphyſicus fundet relationem realem.*
17. *Vtrùm ſecunda ratio fundandi quæ eſt actio & paſſio, fundent relationem realem.*
18. *Vtrùm menſura & menſurabile quod eſt tertium genus rationis fundandi, fundet relationem mutuam.*
19. *Vtrùm in Deo detur relatio prædicamentalis ad creaturas.* *ex prædicamento Relationis Coroll.1. & in prædicamento Relationis quæſt.1.*
20. *Vtrùm in Deo ſit ab æterno relatio tranſcendentalis ad creaturas.* *ibid. Coroll.2. & in prædicamento Relationis quæſt.1.*

Ad librum ſecundum priorum.

A commutata proportione quando tenet argumentum. *ex prædicamento Subſtantiæ diſput.1.q.1.n.17.*

Alia multa circa conſequentias habentur in primo tomo.

AD LIBROS PHYSICORVM,

Præter ea quæ habentur in primo tomo.

Ad ſecundum Phyſicorum.

De cauſalitate materiæ & formæ quæ eſt vnio.

1. *Quid ſit vnio in compoſito ſubſtantiali naturali.* *ex prædicamento ſubſtantiæ diſput.4. quæſt.1.*
2. *An poſſit cadere vnio in omni compoſito ſubſtantiali naturali.* *ibid. quæſt.2.*
3. *Vtrùm vnio diſtinguatur à parte rei ab extremis.* *ibid. quæſt.3.*
4. *Vtrùm in compoſito eſſentiali, vnio ſit vna vel multiplex.* *ibid. quæſt.4.*
5. *In quo extremo ſit hæc vnica vnio partium eſſentialium ad inuicem, an in materia an in forma. ibid. quæſt.5.*
6. *An in compoſito ſubſtantiali ex natura & ſubſiſtentia ſit vnica vnio.* *ibidem quæſt.6.*
7. *Vtrùm repugnet vnionem eſſe indiuiſibilem in compoſito ſiue eſſentiali ſiue ſubſtantiali.* *ibid. quæſt.7.*
8. *An repugnet vnionem extenſam ſubiectari in anima rationali quæ eſt ſpiritualis.* *ibid. quæſt.8.*
9. *Vtrùm de facto vnio in compoſito eſſentiali ſiue ſubſtantiali ſit diuiſibilis vel indiuiſibilis.* *ibid. q.9.*
10. *Vtrùm agens naturale debeat eſſe extenſum loco ad hoc vt agat.* *ex prædicam. Quantitatis Coroll.4.*
11. *Vtrùm agens poſſit agere in diſtans.* *ex prædicam. Quantit. Coroll. vltimo.*
12. *Vtrùm repugnet dari proceſſum in infinitum in cauſis efficientibus.* *ex prædicam. Ad aliquid Coroll. 13 dubit. 1. ad 1.*
13. *Vtrùm idem poſſit producere vel conſeruare ſeipſum.* *ibid ad 2.*
14. *Vtrùm efficiens poſſit pendere à ſuo effectu, & Vtrùm cauſæ in diuerſo genere poſſint eſſe ſibi inuicem cauſæ.* *ibidem ad 3.*

Ad quartum Phyſicorum.

1. *Quid ſit Locus, & an ſit idem quod Vbi.* *ex prædicam Vbi quæſt.1.*
2. *Quid ſit ſpatium imaginarium, & an detur à parte rei.* *ex prædicam. Vbi quæſt.2.*
3. *Vtrùm de facto detur vel dari poſſit naturaliter hoc ſpatium imaginarium nullo corpore repletum quod dici ſolet vacuum.* *ex prædicam. Vbi quæſt.3.*
4. *A quo mouentur elementa ad replendum vacuum.* *ex prædicam. Vbi quæſt.4.*
5. *Vtrùm Vbi ſit forma intrinſeca rei vbicatæ, vel potiùs denominatio extrinſeca à loco ambiente.* *ex prædicam. Vbi quæſt.5.*
6. *Vtrùm accidentia habeant diſtinctum Vbi à ſubiecto cui inhærent, & an idem dicendum de omnibus aliis quæ mouentur per accidens per connexionem cum alio, quod per ſe primariò mouetur.* *ex prædicamento Vbi quæſt.6.*
7. *Vtrùm Vbi diffinitiuum, per quod res ponitur tota in toto, & tota in qualibet parte, ſit aliquid intrinſecum in re locata, vel ſit ſola negatio extenſionis.* *ibidem quæſt.7.*
8. *Quotuplex ſit hoc vbi reale intrinſecum, per quod res locata conſtituitur tota in toto, & tota in qualibet parte.* *ibidem quæſt.8.*
9. *An Vbi prædicamentale rectè diuidatur in Vbi immenſum, definitiuum & circumſcriptiuum. ibid. q.9.*
10. *Vtrùm ſi punctum ſphærici trahatur, ſubiectet Vbi intrinſecum.* *ex prædicam. Vbi quæſt.6. num.11.*
11. *Vtrùm Vbi punctuale ſit indiuiſibile.* *ibidem quæſt.7. num.5.*
12. *Vtrùm Vbi per quod res ponitur tota in toto, & tota in qualibet parte, ſit indiuiſibile vel extenſum.* *in prædic. Quantit. Coroll.1. dubit.7. vbi agitur de vnione Corporis Chriſti.*

13. *Vtrùm*

Digitized by Google

13. *Vtrùm repugnet corpus habere duo Vbi, ſeu repugnet eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis.* *ex prædicamento Quantitatis 2. Coroll. dubit. 2.*
14. *Vtrùm corpus repugnet in vno loco eſſe circumſcriptiuè & in alio loco incircumſcriptiuè.* *ibid. dubit. 1.*
15. *Vtrùm prædicata quæ conueniunt corpori exiſtenti in vno loco, conuenire poſſint eidem corpori exiſtenti in alio loco.* *ibidem dubit. 3. & 4.*

Alia multa de Vacuo, & præterea de Tempore & duratione permanente quæ tractari ſolent in quarto Phyſic. habentur in primo tomo.

Ad ſextum Phyſicorum.

De Quantitate & Infinito.

1. *Vtrùm extenſio in ordine ad ſe, ſit alia ab extenſione in ordine ad locum.* *ex prædic. Quant. quæſt. 1.*
2. *Vtrùm quantitas ſit Accidens realiter diſtinctum à Subſtantia.* *ex prædic. Quantitatis quæſt. 2.*
3. *Vtrùm extenſio partium in ordine ad ſe, ſit propria quantitatis.* *ibidem quæſt. 3.*
4. *Vtrùm ſubſtantia materialis totam ſuam entitatem partium ſubſtantialium habeat ex ſe actu independenter à quantitate.* *ibidem quæſt. 4.*
5. *Vtrùm quantitas componatur ex indiuiſibilibus ſiue finitis ſiue infinitis.* *ibid. quæſt. 5.*
6. *Vtrùm in continuo ſint partes actu diſtinctæ à parte rei.* *ibidem quæſt. 6.*
7. *An in continuo dentur indiuiſibilia.* *ibidem quæſt. 7.*

De Infinito.

8. *Quid ſit infinitum, & quæ proprietates ipſius. ex prædicamento Quantitatis diſputat. 4. quæſt. 1. dubitatione 1.*
9. *In quo differat infinitum cathegorematicum ab infinito ſyncathegorematico.* *ibidem quæſt. 2.*
10. *Vtrùm detur ſeu naturaliter dari poſſit infinitum.* *ibidem quæſt. 3.*
11. *Vtrùm per potentiam Dei abſolutam dari poſſit magnitudo vel multitudo rerum corporearum infinita.* *ibidem quæſt. 4.*
12. *Vtrùm de potentia abſoluta Dei fieri poſſit multitudo cathegorematicè infinita rerum ſpiritualium. ibidem quæſt. 5.*
13. *Vtrùm qualitati repugnet intenſio infinita ex conceptu præciſo intenſionis infinitæ, ſicut repugnat quantitati extenſio infinita.* *ibidem quæſt. 6.*
14. *An poſſit in qualitate dari intenſio infinita adæquata ſpeciei; ita vt habeat omnes gradus poſſibiles, ſeu totam intenſionem cum multitudine indiuiduorum ſub illa ſpecie.* *ibidem.*
15. *An humiditati repugnet peculiari ratione extenſio infinita.* *ibidem.*
16. *An repugnet ſiccitatem eſſe infinitè intenſam.* *ibidem.*
17. *Vtrùm repugnet ſcientiam & alios habitus eſſe infinitè intenſos, præſertim gratiæ & lumen gloriæ. ibidem.*
18. *Vtrùm repugnet dari potentiam viſiuam & intellectiuam infinitè intenſas.* *ibidem.*
19. *Vtrùm repugnet mobili moueri motu ſucceſſiuo infinitè veloci.* *ibidem.*
20. *Vtrùm repugnet mobili moueri motu infinitè tardo.* *ibidem.*
21. *Vtrùm poſſint albedo & aliæ qualitates, quæ ſunt ſub tertia ſpecie Qualitatis, dari infinitè intenſæ. ibidem.*
22. *Vtrùm repugnet colorem medium vt eſt color rubeus, &c eſſe infinitè intenſum.* *ibidem.*
23. *Vtrùm poſſit dari figura infinitè rotunda.* *ibidem.*
24. *Vtrùm poſſit dari rectitudo infinita, & curuitas infinita.* *ibidem.*
25. *Vtrùm poſſit dari raritas infinita.* *ibidem.*
26. *Vtrùm poſſit dari denſitas infinita.* *ibidem.*
27. *An poſſit dari ſubſtantia creata infinita.* *ex prædicamento Quantitatis, diſputa. 4. quæſt. 7.*
28. *Vtrùm Deus videat omnia poſſibilia, & omnes cogitationes damnatorum, quæ futuræ ſunt per totam æternitatem.* *ibidem quæſt. 8.*

Ad primum De Generatione.

1. *Quæ requirantur ad conuerſionem ſubſtantialem. ex prædicamento Quantitatis, Corolla. 3. dubit. 1.*
2. *Quæ requirantur ad generationem viuentis.* *ex prædicamento Relationis Corolla. 14. dubita. 2.*

AD METAPHYSICAM.

De Analogia Entis.

1. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis quatenus ens eſt analogum attributionis, ſit vnus communis per intellectum ad omnia analogata.* *ex prædicamento Subſtantiæ diſputatione 1. quæſtione 4.*

2. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis completi ſit vnus & præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus entibus completis.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſputa. 1. quæſtione 5.

3. *Vtrùm conceptus entis latiſſimè ſumpti, vt abſtrahit à completo & incompleto, quatenus eſt analogus proportionis, ſit conceptus obiectiuus diſtinctè ſeu perfectè præciſus ſecundùm rationem.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 1. quæſt. 6.

4. *Vtrùm conceptus entis ſit vniuocus ad inferiora.* ex prædicamento ſubſt. diſp. 1. quæſt. 7.

5. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis ſit à parte rei diſtinctus à rationibus inferioribus.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſput. 1. quæſt. 8.

6. *Vtrùm formalis conceptus entis ſit vnus & præciſus.* ex prædicamento ſubſtantiæ, diſput. 1. quæſt. 9.

7. *Vtrùm gradus metaphyſici diſtinguantur inter ſe, & ab hæcceitate.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 1. quæſt. 10.

DE ENTE ET ESSENTIA.

1. *Vtrùm eſſe eſſentiæ creaturæ ab æterno ante exiſtentiam ſit ſecundùm eſſe eſſentiæ ad aliquod poſitiuum actuale reale.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 1. quæſt. 1.

2. *Vtrùm creatura dependeat à Deo quoad eſſe quidditatiuum, tanquam à cauſa exemplari.* ex prædic. ſubſt. diſput. 1. quæſt. 2.

3. *Vtrùm creatura ab æterno ſit in potentia obiectiua.* ex prædicamento ſubſt. diſput 1. quæſt. 3.

De Analogia Entis vide ſuprà.

De ente exiſtentiæ.

4. *Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſput. 2. quæſt. 1.

5. *Vtrùm inter eſſentiam & exiſtentiam ſit compoſitio à parte rei.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſput. 2. quæſt. 2.

6. *Vtrùm totum entitatiuum, ſiue exiſtentiale diſtinguatur tanquam tertia entitas à partibus ſimul vnitis quæ ſunt eſſentia & exiſtentia.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 2. quæſt. 3.

7. *Vtrùm exiſtentia componatur ex gradibus metaphyſicis ſicut eſſentia.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſput. 2. quæſt. 4.

8. *Vtrùm eſſentia poſſit exiſtere per Diuinam potentiam exiſtentia alterius.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 2. quæſt. 5.

9. *Vtrùm exiſtentia ſit accidens eſſentiæ.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 2. quæſt. 6.

De ente ſubſtantiali ſeu ſuppoſito.

10. *Vtrùm ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum ſupra naturam addat ſolùm negationem, vel rationem poſitiuam realem.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 1.

11. *Quæ ſit ratio formalis ſubſiſtentiæ, & quis eius effectus formalis.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 2.

12. *Vtrùm natura poſſit conſeruari per Diuinam potentiam ſine aliqua ſubſiſtentia, ſiue propria ſiue aliena.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 3.

13. *An ſubſiſtentia afficiat naturam iam exiſtentem, vel ſit prior in aliquo ſigno, quàm ipſa exiſtentia.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 4.

14. *An natura ſuppoſitata aliena ſubſiſtentia habeat appetitum ad propriam.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 5.

15. *Vtrùm in compoſito ſit vna ſimplex ſubſiſtentia, vel vna compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 6.

16. *Vtrùm ſuppoſitum ſeu ſubſiſtentia diſtinguatur à natura & quomodo.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 7.

17. *Vtrùm ſubſiſtentia intrinſecè conſtituat ſuppoſitum.* ex prædicamento ſubſtantiæ diſput. 3. quæſt. 8.

18. *Vtrùm ſubſiſtentia verè componat cum natura.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 9.

19. *Vtrùm ſubſiſtentia fluat à natura vbi agitur an actiones ſint ſuppoſitorum.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 10.

20. *An ſubſtantia bene diuidatur ab Ariſtotele in primam & ſecundam.* ex prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 11.

Finis Indicis Philoſophici ad Philoſophiam Ariſtotelis.

Digitized by Google

INDEX THEOLOGICVS
QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM AD SVMMAM SANCTI THOMÆ Aquinatis pertinentium.

AD PRIMAM PARTEM.

Ad ſeptimam quæſtionem de Infinitate Dei.

1. QVÆSTIO, *Vtrùm ex infinitate motus rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.* ex *prædicamento Quantitatis Coroll.6.*
2. *Vtrùm ex infinitate mobilis rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.* *ibidem.*
3. *Vtrùm ex velocitate motus infinita colligi poſſit virtus infinita cathegorematica in Deo.* *ibidem.*
4. *An ex perpetuitate motus tanquam ex effectu primo & per ſe probetur infinitudo intenſiua in Deo.* *ibidem.*
5. *Vtrùm ex creatione præciſè ſeu ex modo producendi ex nihilo argui poſſit infinitudo in Deo.* *ibid.*
6. *Quæſtio, in qua oſtenditur à poſteriori, ex creatione omnium poſſibilium concludi infinitatem intenſiuam cathegorematicam in Deo.* *ibid.*
7. *In qua oſtenditur bene concludi à priori, Deum eſſe infinitum cathegorematicè, ex eo quia eſt ſuum eſſe per eſſentiam.* *ibid.*

Ad octauam quæſtionem de exiſtentia Dei in rebus, ſeu immenſitate Dei.

1. *Vtrùm præſentia Dei in omnibus rebus demonſtrari poſſit lumine naturali, & quomodo. ex prædicamento Quantitatis & Vbi, 7. Corolla.*
2. *Vtrùm detur ſpatium imaginarium, & an ibi ſit Deus.* *ex prædicamento Vbi, quæſt. 2.*

Reliquæ de abſolutis & de viſione beatifica, de ſcientia Dei, de voluntate, &c. habentur in primo tomo.

Ad 27. quæſtionem de proceſſione ſiue origine Diuinarum perſonarum, & ad 41. quæſtionem de actionibus notionalibus.

1. *Vtrùm in Deo danda ſit potentia productiua. ex prædicamento Ad aliquid, Corolla. 11. in 1. dubit.*
2. *Quæ ſit iſta potentia productiua in Deo, vtrùm ſola eſſentia vel relatio producentis. ibid. dubit. 2.*
3. *Vtrùm eſſentia Diuina ſit potentia productiua vt natura eſt, vel vt eſt intellectus & voluntas. ibid. dubita. 3.*
4. *An præter relationes originis, danda ſit in Deo actio originis quæ ſit ratio proxima fundandi relationes.* *ex prædicamento Quantitatis Corolla. 12. in 1. dubit.*
5. *Quæ ſit iſta actio originis, an intellectio vel volitio, an aliqua alia præter iſtas.* *ibid. dubit. 2.*
6. *Vtrùm actio originis identificetur adæquatè cum perſona producta vel perſona producente. ibidem, dubit. 3.*
7. *Quæ habitudo principij ſignificetur in perſona producente & in ipſa eſſentia Diuina, cùm Filius dicitur procedere de ſubſtantia Patris.* *ibid. dubit. 4.*
8. *Vtrùm detur generatio in Diuinis, & quæ requirantur ad veram generationem. Coroll. 14. dub. 2. præſertim in prima difficultate.*

Ad 28. quæſtionem de Relationibus Diuinis.

1. *Vtrùm in Deo detur relatio prædicamentalis ad creaturas.* *ex prædicamento Ad aliquid Coroll. 1.*
2. *Vtrùm in Deo ſit aliqua relatio tranſcendentalis ab æterno ſiue potentiæ ſiue ſcientiæ, &c. ad creaturas poſſibiles.* *ibidem quæſt. 2.*
3. *Vtrùm verbum diuinum dicat relationem realem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles tanquam ad obiecta dicta à Patre.* *ibid.*
4. *Vtrùm in Deo ſint relationes reales originis, Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiua.* *ibid.*
5. *Vtrùm relationes originis in Diuinis dicant perfectionem realem.* *ibid.*
6. *Vtrùm præter quatuor relationes originis ſint ponendæ aliæ relationes reales in Deo.* *ibid.*

Digitized by Google

7. *Vtrùm relationes originis in Diuinis diſtinguantur inter ſe realiter, & ſint vnum cum eſſentia.* *ibid.*
8. *Vtrùm relationes Diuinæ habeant proprias exiſtentias relatiuas, vel exiſtant exiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ.* *ibidem.*
9. *Vtrùm præter tres ſubſiſtentias relatiuas detur vna ſubſiſtentia abſoluta. Vide in prædicamento Subſtantiæ Coroll. 11. de Incarnatione.*

Ad 39. & 40. quæſtionem de perſonis Diuinis.

1. *Vtrùm perſona diuina verè & propriè conſtituatur ex eſſentia & proprietate perſonali.* *ex prædicamento Ad aliquid Coroll. 10. dubit. 1.*

Ad trigeſimam tertiam quæſtionem de perſona Patris.

1. *Vtrùm Pater ſit improductus, ſeu ingenitus, & an eſſe ingenitum ſit proprietas notionalis Patris.* *ex prædicamento Ad aliquid. Coroll. 13. dubit. 1.*
2. *Vtrùm eſſe ingenitum ſeu innaſcibilitas, ſit proprietas fundata in paternitate.* *ibid. dubit. 2.*

Ad 34 & 35. quæſtionem de perſona Filij.

1. *Vtrùm Filius producatur ex cognitione omnium obiectorum.* *ex prædic. Ad aliquid. Coroll. 14. dub. 1.*
3. *Vtrùm ſolus Filius dicatur genitus.* *ibidem dubit. 2.*
3. *Vtrùm nomen imaginis competat ſoli Filio.* *ibidem dubit. 3.*

Ad 36. quæſtionem de perſona Spiritus ſancti.

1. *Vtrùm Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, & Vtrùm ex natura ſua poſtulet pluritatem perſonarum.* *Coroll. 15. dubit. 1.*
2. *Vtrùm ſi Spiritus ſanctus, ſeu tertia perſona quæ procedit per voluntatem, ſi non procederet à Filio ſeu ſecunda perſona quæ procedit per intellectum, diſtingueretur ab illa.* *ibid. dubit. 2.*

Ad 52. quæſtionem de loco Angelorum.

1. *An Angeli ſint in loco.* *ex prædicamento Quantitatis & Vbi Coroll. 1.*
2. *Vtrùm Angeli ſint diffinitiuè in loco.* *ibidem.*
3. *Quæ ſit ratio formalis exiſtentiæ ſeu præſentiæ localis in Angelo.* *ibidem.*
4. *An detur Vbi intrinſecum in Angelo.* *ibidem.*
5. *Vtrùm hoc Vbi angelicum ſit indiuiſibile vel extenſum.* *ibidem.*
6. *Vtrùm Angelus poſſit eſſe in minori loco diuiſibili quàm ſit adæquatus & maximus.* *ibidem.*
7. *Vtrùm Angelus poſſit ſe conſtituere in puncto tanquam in loco totali.* *ibidem.*
8. *Vtrùm poſſit contingere quòd Angelus ſit in loco maiori quàm ſit locus adæquatus.* *ibidem.*

Reliqua circa materiam de Angelis, & de cognitione Angelorum, & de motu; vide in primo tomo.

AD TERTIAM PARTEM SANCTI THOMÆ.

Ad primam quæſtionem de Conuenientia Incarnationis, vbi etiam agitur de poſſibilitate, & neceſſitate.

1. *Vtrùm incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ Diuinæ.* *ex prædic. Subſt. Coroll. 1. de incarnatione.*
2. *Vtrùm incarnatio Verbi repugnet ex parte vnionis.* *ibidem.*
3. *Vtrùm repugnet ex parte humanitatis.* *ibidem.*

Reliqua de neceſſitate incarnationis, Vtrùm ſcilicet ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus fuiſſet incarnatus, & de ſatisfactione Chriſti ex toto rigore iuſtitiæ per plures quæſtiones, vide in primo tomo.

4. *Vtrùm exiſtentia incarnationis poſſit cognoſci naturaliter.* *ex prædicam. Subſt. Coroll. 2.*
5. *Vtrùm poſſibilitas incarnationis poſſit cognoſci naturaliter.* *ibidem.*

Ad ſecundam quæſtionem tertiæ partis de modo vnionis Verbi incarnati quoad ipſam vnionem.

1. *Vtrùm ex natura Diuina, & humana conſtituatur vna tertia natura.* *ex prædic. Subſt. Coroll 3.*
2. *Vtrùm perſona Chriſti poſt incarnationem ſit propriè compoſita ex perſona Verbi & humanitate.* *ibid.*
3. *Vtrùm in Chriſto ſit verè & propriè compoſitio ex duabus naturis diuina & humana in eodem ſuppoſito.* *ibidem.*
4. *Vtrùm perſona Chriſti ſit ſubſtantialiter compoſita.* *ibidem.*
5. *Vtrùm vnio ſit terminus immediatè productus per incarnationem.* *ex prædicam. Subſt. Coroll. 4.*
6. *Vtrùm vnio ſit quid diſtinctum ab humanitate & Verbo.* *ibidem.*
7. *Vtrùm terminus formalis vltimatus incarnationis ſit humanitas.* *ibidem.*
8. *Quis nam ſit terminus à quo.* *ibidem.*

9. *Vtrùm*

Digitized by Google

9. *Vtrùm vnio hypoſtatica afficiat tantùm intrinſecè extremũ humanitatis.* ex prædic. Subſt. Coroll 5.
10. *Vtrùm vnio hypoſtatica ſit maxima vnionum.* ibid.

Ad tertiam quæſtionem de modo vnionis ex parte perſonæ aſſumentis.

1. *Vtrùm plures perſonæ diuinæ aſſumere poſſint eãdem numero humanitatẽ.* ex prædic. Subſt. Coroll. 6.
2. *Vtrùm ſit neceſſarium quòd aſſumente vna perſona Diuina humanitatem aſſumant reliquæ eandem.* ibidem.
3. *Vtrùm ſi plures perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, poſſint dici vnus homo, vel è conuerſo ſi vna perſona aſſumeret plures humanitates poſſit dici vnus homo.* ibid.
4. *Vtrùm perſona creata poſſit terminare alienam naturam per Diuinam potentiam.* ex prædicam. ſubſt. Coroll. 7.

Ad quartam quæſtionem de modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

1. *Vtrùm natura ſubſiſtens in propria perſonalitate poſſit aſſumi.* ex prædic. ſubſtantiæ Corolla. 8.
2. *Vtrùm accidens poſſit aſſumi hypoſtaticè à natura Diuina.* ibid.

Ad quintam & ſextam quæſtionem de modo aſſumptionis quantùm ad ordinem.

3. *Vtrùm corpus & anima naturæ humanæ in Chriſto fuerint aſſumpta per diuerſas partiales vniones.* ex prædicamento ſubſt. Coroll. 9.
4. *Vtrùm præter hanc aſſumptionem partium fuerit etiam aſſumptio totius humanitatis.* ibid.

Ad 17. quæſtionem de his quæ pertinent ad vnitatem Chriſti quantùm ad eſſe.

1. *Vtrùm per vnicam exiſtentiam abſolutam eſſentiæ potuiſſet exiſtere humanitas in Chriſto; & quid dicendum de facto.* ex prædicamento ſubſt. Coroll. 10.
2. *An detur ſubſiſtentia abſoluta in Deo: & an ſi daretur potuiſſet natura humana per illam terminari.* ex prædicamento ſubſt. Coroll. 11.

Alia quæ deſiderari poſſunt circa materiam de Incarnatione, vt de ſatisfactione Chriſti, de impeccabilitate, de libertate, & de prædeſtinatione eiuſdem, habentur in primo tomo.

AD EANDEM TERTIAM PARTEM.

De Sacramentis in communi vide in primo tomo.

DE SANCTISSIMA EVCHARISTIA.

Ad 75. quæſtionem de conuerſione panis & vini in Corpus & ſanguinem Chriſti.

1. *Vtrùm corpus Chriſti ſit realiter & ſubſtantialiter in Sacramento.* ex prædicam. Quantitatis & Vbi Corol. 1. dubit. 1.
2. *Quæ requirantur ad conuerſionem ſubſtantialem.* ex prædic. Quantit. & Vbi Coroll. 3. dub. 1.
3. *An conuerſio panis in corpus Chriſti, ſit ſubſtantialis vel accidentalis per ſolam actionem adductiuam.* ibid. Coroll. 3. dubit. 2.
4. *An per tranſubſtantiationem corpus Chriſti de nouo producatur aut conſeruetur ſecundùm eſſe ſubſtantiale ſub ſpeciebus Sacramentalibus.* ibid. Coroll. 3. dub. 3.
5. *Vtrùm ex ſola deſitione ſubſtantiæ panis conuerſio panis in Corpus Chriſti ſit ſubſtantialis, & dici poſſit tranſubſtantiatio.* ibid. Coroll. 3. dubit. 4.
6. *An noua ratio ſubſtantialis quæ ex vi verborum aduenit Corpori Chriſti, ſit aliqua realitas panis quæ remaneat ſimul cum corpore Chriſti & faciat vnum cum illo.* ibid. Coroll. 3. dubit. 5.
7. *Quæſtio in qua oſtenditur in quo formaliter conſiſtat conuerſio ſubſtantialis totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti.* ibid. Coroll. 3. dubit. 6.
8. *An deſitio panis ſit annihilatio.* ibidem Coroll. 3. dubit. 7.
9. *Quæ conſtituuntur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini.* ibid. Coroll. 3. dubit. 8.
10. *An corpus Chriſti quod venit ex vi verborum ſub accidentibus panis, ſit materia ſubſtantiæ Chriſti, an aliquod compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali.* ibid. Coroll. 3. dubitatione 8. *in* 1. *difficultate.*
11. *Quæ ſit illa forma ex qua componitur Corpus quod venit ex vi verborum.* ibid. Coroll. 3.
12. *Vtrùm ex vi verborum conſtituatur ſub Sacramento Corpus Chriſti organicum.* ibid. Coroll. 3.
13. *Vtrùm materia panis conuertatur in materiam Corporis Chriſti, & formâ panis in animam Chriſti, vt eſt forma Corporis, & vt dat eſſe corporeum.* ibid. Coroll. 3.
14. *Vtrùm ratio ſuppoſiti ſubſtantialis ſaltem ſecundùm rationem ſuppoſiti communem analogicè creato & increato ſit ex vi verborum in hoc Sacramento.* ibid. Coroll. 3.
15. *Vtrùm ea quæ ſunt in hoc Sacramento Euchariſtiæ fiant præſentia per eamdem indiuiſibilem actionem phyſicam.* ibid.

Ad

Digitized by Google

Ad 76. quæſtionem, de modo quo Corpus Chriſti exiſtit in hoc Sacramento.

1. *Vtrùm Corpus Chriſti in hoc Sacramento ſit quantum, & extenſum in ordine ad ſe.* ex prædicamento Quantitatis & Vbi Coroll. 1. dubit. 2.
2. *Vtrùm Corpus Chriſti ſit intimè præſens ſub ſpeciebus Sacramentalibus & cuilibet earum parti, ſeu totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte.* ibid. dubit. 3.
3. *Vtrùm in partibus diſcontinuis ſit totum Corpus Chriſti.* ibid. dubit. 4.
4. *Vtrùm in punctis & aliis indiuiſibilibus ſit totum Corpus Chriſti.* ibid. dubit. 5.
5. *Quæ ſit ratio conſtituendi Corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ.* ibid. dub. 6.
6. *Vtrùm hic modus per quem Corpus Chriſti eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, ſit indiuiſibilis, vel corporalis & extenſus.* ibid. dubit. 7.
7. *An hæc præſentia Corporis Chriſti cum ſpeciebus ſacramentalibus ſit Vbi locale, vel vnio ſimilis vnioni quam habet ſubiectum cum accidentibus.* ibidem dubit. 8.
8. *Vtrùm hæc vnio ſit in accidentibus, vel in Corpore Chriſti.* ibid. dubit. 9.
9. *Quæ denominationes ratione ſpecierum Sacramentalium Corpori Chriſti tribui debeant.* ibid. dub. 10.
10. *An hæc præſentia Sacramentalis quæ fit per vnionem Corporis Chriſti cum accidentibus ſit reductiuè ſaltem in prædicamento Vbi.* ibid. dubit. 11
11. *An per hanc præſentiam Sacramentalem conſtituatur Chriſtus definitiuè in hoſtia, ſicut Angelus in loco.* ibid. dubit. 12.
12. *An præter hanc vnionem Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus detur Vbi locale intrinſecum in Corpore Chriſti.* ibid. dubitat. 13.
13. *Vtrùm præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti dependeat à naturali eiuſdem in cœlo.* ibid. dubit. 14.

De replicatione Corporis Chriſti in pluribus locis ſuper eamdem quæſtionem 76.

14. *Vtrùm implicet Corpus Chriſti eſſe circumſcriptiuè in cœlo & incircumſcriptiuè in hoſtia, vel in duabus hoſtiis circumſcriptiuè & prædicamentaliter.* ex prædicamento Quantitatis & Vbi, Coroll. 2.
15. *Vtrùm repugnet Corpus Chriſti eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, & an de facto hoc aliquando contigerit in Corpore Chriſti.* ibid.
16. *Vtrùm prædicata quæ conueniunt corpori exiſtenti in vno loco, conuenire poſſint eidem corpori exiſtenti in alio loco, & quid dicendum de Corpore Chriſti exiſtenti in cœlo & in hoſtia.* ibid.
17. *Quæſtio, in qua reſoluuntur aliquot dubia ſeu quæſita quæ colliguntur ex dictis.* ibid.

De Actione & paſſione Corporis Chriſti prout eſt in Sacramento ſuper eamdem quæſtionem 76.

18. *Vtrùm Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, poſſit moueri localiter.* ex prædicamento Quantitatis & Vbi, Coroll. 4.
19. *Vtrùm Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, poſſit agere & pati actione & paſſione tranſeunti.* ibid.
20. *Vtrùm Chriſtus prout eſt in Sacramento, poſſit audire vel videre ſeipſum & circumſtantes.* ibidem.
21. *Vtrùm Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, poſſit videri ab oculo corporeo.* ibidem.

Finis Indicis Theologici ad Summam S. Thomæ Aquinatis.

Index verò tertius horum quatuor Principiorum Philoſophicorum incomplexorum, & Corollariorum Theologicorum iuxta ordinem quæſtionum quo tractantur in hoc Tomo:

Et Index quartus materierum tam Philoſophicarum, quàm Theologicarum, iuxta ordinem alphabeticum, habentur in fine huius ſecundi Tomi.

PRIMVM

Digitized by Google

PRIMVM PRINCIPIVM PHILOSOPHICVM INCOMPLEXVM SEV PRÆDICAMENTVM SVBSTANTIÆ.

Circa hoc Prædicamentum ſunt quatuor diſputationes examinandæ.

Prima *Diſputatio de ente eſſentiæ, diuiſa in decem quæſtiones.*
Secunda *Diſputatio de ente exiſtentiæ, diuiſa in ſex quæſtiones.*
Tertia *Diſputatio de ente ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſito, diuiſa in vndecim quæſtiones.*
Quarta *Diſputatio de vnione ſubſtantiali, in nouem quæſtiones.*

Ex quibus diſputationibus fusè priùs examinatis, deducemus poſtea per plures quæſtiones Theologicas totam ferè materiam de Incarnatione.

DISPVTATIO PRIMA DE ENTE eſſentiæ, diuiſa in decem quæſtiones.

I. *Vtrùm eſſentia creaturæ ab æterno, ante exiſtentiam ſit ſecundùm eſſe eſſentiæ aliquod poſitiuum actuale reale.*
II. *Vtrùm creatura dependeat à Deo, quoad eſſe quidditatiuum, tamquam à cauſa exemplari.*
III. *Vtrùm creatura ab æterno ſit in potentia obiectiua.*
IV. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis, vt ens eſt analogum attributionis, ſit vnus communis per intellectum ad omnia analogata.*
V. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis completi ſit vnus, & præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus entibus completis.*
VI. *Vtrùm conceptus entis latiſſimè ſumpti vt abſtrahit à completo & incompleto, vt eſt analogus proportionis, ſit conceptus obiectiuus diſtinctè ſeu perfectè præciſus ſecundùm rationem.*
VII. *Vtrùm conceptus entis ſit vniuocus ad inferiora.*
VIII. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis ſit à parte rei diſtinctus à rationibus inferioribus.*
IX. *Vtrùm conceptus formalis entis ſit vnus & præciſus.*
X. *De diſtinctione graduum eſſentiæ infra ens.*

PRIMA QVÆSTIO.

Vtrùm eſſentia creaturæ ab æterno, ante exiſtentiam ſit ſecundùm eſſe eſſentiæ aliquod poſitiuum reale actuale.

1. Nota primò.

VT videatur punctus difficultatis; Supponendum eſt primò tamquam certum ex parte creaturæ eſſe quamdam aptitudinem, ſeu potiùs non repugnantiam, vt in tali eſſe à Deo producatur propter connexionem ter- A minorum illius eſſentiæ; per hoc etiam diſtinguuntur eſſentiæ creaturarum à rebus fictitiis, & impoſſibilibus, vt ſunt Chimeræ; & in hoc ſenſu poteſt dici creaturas non exiſtentes habere ab æterno reales eſſentias. Vt enim bene aduertit Caiet. de Ent. & eſſent. cap. 4. q. 6. Ens reale dupliciter accipitur, vno modo vt diſtinguitur contra ens rationis fabricatum ab intellectu, cui repugnat exiſtentia; Caiet.

ſecundo modo vt diſtinguitur contra non exiſtens actu. Conceditur autem ab omnibus eſſentiam creaturæ eſſe ens reale ſecundo modo. Sed punctus difficultatis eſt an hoc eſſe reale habeant creaturæ per potentiam extrinſecam Creatoris, quatenus ſunt in ipſo tanquam in cauſa; an per potentiam intrinſecam in ipſis creaturis, ita vt eſſe eſſentiale creaturarum ab æterno non tantùm ſit potentiale in cauſa, ſed etiam actuale in ſe, in quo fundetur reſpectus paſſibilitatis ſiue ad potentiam actiuam Creatoris, ſi res eſt creabilis, ſiue etiam ad potentiam naturalem, ſi res eſt generabilis.

Punctus quæſtionis.

2\. *Nota ſecundo. Scotiſtæ.* Præterea notandum, ſolere agitari hanc quæſtionem à Scotiſtis in 1. diſt. 36. ſub hoc alio tit. An ſcil. creatura ab æterno ſit ens ratū. Hoc autem ens ratum dupliciter accipitur apud Scotum ibidem B quæſtione vnica; Vno modo pro omni eo, cui non repugnat verum eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ, & ſic Chimæra hoc modo non eſt ens ratum: Eſſe autem eſſentiæ creaturæ etiam ſi non ſit actuale ſecundùm eſſentiam, ſed potentiale in cauſa, poteſt dici hoc primo modo ens ratum ab æterno, quia non repugnat creaturæ eſſe eſſentiæ, quia habet illud ſaltem potentiale in cauſa. Secundo modo accipitur pro ente firmo, ſiue eſſentiæ actualis, ſiue exiſtentiæ; & de hoc ſecundo modo quæritur An creatura ſit ens ratum ab æterno, ſeu An creatura habeat eſſe actuale eſſentiæ ab æterno.

PRIMA SENTENTIA NEGATIVA C
CVM SVIS ARGVMENTIS.

3\. *Prima ſententia.* Prima ſententia aſſerit eſſentias rerum antequam producantur a Deo, nullum habere eſſe reale actuale nec eſſentiæ, nec exiſtentiæ, ſed eſſe omnino nihil quantùm ad eſſe actuale in ſe ipſis; concedunt tamen habere eſſe potentiale in cauſa.

Erueus. Soncinas. Capreolus. Suarius. Scotus. Hæc opinio eſt Eruci quodlib. 11. q. 1. & Soncin. 9. met. q. 4. Capreol. in 2. diſtinct. 1. q. 2. art. 3. loco ſupra citato, & Suar. in ſua meta. diſput. 31. ſect. 2. Eſt ex parte etiam Scoti in 1. diſtinct. 35. & 36. quæſt. vnica. qui quamuis teneat creaturam habere ab æterno eſſe actuale productum à Deo ſecundùm eſſe intelligibile, & diminutum, vt videbimus in ſecunda opinione, tenet tamen locis citatis cum hac pri- D ma opinione creaturam nihil eſſe reale actuale à parte rei extra intellectum diuinum.

Primum argumentum. Probatur autem hæc ſententia multis argumentis. Primò apud Scotum in 1. diſtinct. 36. q. vnica. Si lapis haberet verum eſſe reale actuale eſſentiæ ab æterno, non diceretur creari in tempore; quia illud dicitur creari, cuius nihil reale pertinens ad eſſe præceſſit; nam creari, eſt de nihilo ſeu aliquid fieri; Ergo ſi lapis fuit ab æterno ſecundùm ſuum eſſe reale actuale a parte rei, non dicetur de nouo creari; Et confirmatur, quia ipſum eſſe reale actuale eſſentiæ præceſſiſſet eſſe exiſtentiæ non ſolùm tamquam terminus à quo, ſed etiam tamquam quaſi potentia receptiua ipſius eſſe; non ergo diceretur eſſentia creari.

Secundum argumentū. Secundò ex eodem Doctore ibidem, quia Deus non poſſet annihilare creaturam, quia ſemper remaneret à parte rei eſſe actuale eſſentiæ.

Tertium argumentum. Tertiò probatur, quia nihil aliud à Deo eſt ens neceſſarium formaliter, vt patet ex principiis fidei, ſed talis eſſentia eſſet ens formaliter neceſſarium, ergo &c.

Quartum argumentū. Suarius. Quartò probat Suarius loco citato. Eſſentiæ rerum quæ ſunt ab æterno, non ſunt factæ à Deo; ſed A quicquid non eſt factum à Deo, vel eſt Deus, vel eſt nihil; cùm igitur eſſentiæ rerum ſecundùm ſuum proprium eſſe eſſentiale intrinſecum non ſint Deus, ſequitur quòd ſint nihil. Maior probatur dupliciter, 1. Quia huiuſmodi eſſentiæ ab æterno non ſunt factæ à Deo ex neceſſitate, neque ex libera voluntate; non ex neceſſitate, quia ſecundùm Paulum Deus omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; non ex libera voluntate, quia ſecundùm fidem cœpit Deus liberè operari in tempore. 2. Si eſſentiæ rerum factæ ſunt ab æterno, ex tunc fuiſſent exiſtentes, quia omnis effectio terminatur ad exiſtentiam. Minorem probat ex Sanctis Patribus ex Iuſtin. in expoſit. fidei, Cyrillo lib. 1. in Ioan. cap. 6. Auguſt. lib 1. de Trinit. cap. 6. *Iuſtinus. Cyrillus. Auguſtinus.*

Quintum argumentū. Quintò, Poſſet creatura quaſi gloriari, quòd ex ſe habeat aliquid, quod non habet à Deo, per participationem ab illo, haberet enim ex ſe totam entitatem rei, & ſolùm deeſſet illi modus exiſtendi, & quantùm ad hoc, ſolùm eſſet a Deo.

Sextum argumentum. Vuldenſis. Sextò, Vuldenſis l. 1. doctr. fid. antiq. cap. 8 ponit inter errores Vuiclef, dicere creaturas ab æterno habere aliquod eſſe reale diſtinctum ab eſſe Dei. Et confirmatur, quia vel hoc eſſe habet à Deo, vel non: ſi non, ergo eſt independens & conſequenter Deus: ſi ſic, ergo datur creatio ab æterno.

Septimum argumentū. Septimò, Eſſentia exiſtentiæ, quatenus eſt ratio formalis conſtitutiua rei extra cauſas ſuas, non poteſt habere eſſe actuale ab æterno, ergo nec aliæ eſſentiæ, quia militat eadem ratio. Antecedens probatur, tum quia in illo exiſtere in actu exercito, quod de nouo aduenit eſſentiæ ipſius exiſtentiæ, poſſet adhuc diſtingui ratio eſſentialis, & exiſtentialis in actu exercito, & ſic daretur proceſſus in infinitum; tum quia ſi exiſtentia exiſteret ab æterno, etiam eſſentia exiſteret ab æterno, quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ.

Octauum argumentū. Octauò, (& colligitur probatio ex eodem Scoto ibidem) Iſtæ eſſentiæ ſunt terminus cognitionis diuinæ: Si ergo per impoſſibile ponatur, quòd iſtæ deſtruantur, tunc ſequeretur, quòd mutaretur actus diuinus, quod quidem eſt abſurdum. Quòd ſi dicas hoc abſurdum ſequi ex impoſſibili poſito, contrà arguitur, quia ſaltem ſequitur, quòd ex illo impoſſibili in creatura dependeat eſſe abſolutum Dei, ſcilicet, eſſe immutabile, quod quidem videtur abſurdum, quia ſi abſolutum Dei dependeret ab impoſſibili poſito, ſequeretur quòd Deus exigeret ad ſuum eſſe poſſibilitatem creaturæ: quare dependeret à creatura. hoc autem argumētum non militat ſi creatura haberet eſſe tantùm potentiale in cauſa, quia tunc non poſſet concipi, quòd poſſit deſtrui non deſtructa cauſa, non enim haberet à parte rei aliud eſſe præter eſſe cauſæ quæ eſt ipſe Deus, ac proinde non exigeret Deus eſſe ipſius creaturæ ad eſſe ſuæ intellectionis.

SECVNDA SENTENTIA.

E 4\. *Secūda ſententia. Scotiſtæ. Lychet. Tatar. Scotus.* Secunda ſententia eſt Scotiſtarum, Lycheti, & Tatareti, & aliorum qui in 1. diſtinct. 35. 36. & 43. quæſtione vnica. conſentiunt cum prima opinione, non dari à parte rei eſſentias rerum ſecundùm eſſe actuale reale, ſed addunt creaturas produci per actum intellectus diuini ſecundùm quoddam eſſe intelligibile abſolutum intrinſecum ipſis creaturis. Quòd ſi quæras, quidnam eſt hoc abſolutum? Reſpondet Lychet. ex Scoto in 1. diſt. 43 eſſe ipſum eſſe quidditatiuum rei; quod quidem eſſe quidditatis

tis

Digitized by Google

tis non eſt eſſe actuale reale à parte rei, ſed tantùm eſt in intellectu diuino, & ab ipſo intellectu diuino productum;quòd enim albedo(inquit Scot.in 1.d.3. q. 11. ad intellectum primum) habeat neceſſariam connexionem cum colore, habet ab intellectu diuino, & hoc quidem habet à Deo in genere cauſæ efficientis,vt dicit idem Lychet.& Scot. in 1. diſt. 36. Hinc iſti Doctores inferunt tria ex doctrina Scoti: Primum,quòd hoc eſſe abſolutum ſit eſſe intelligibile,quia ante actum intellectus diuini nullo modo creatura habebat rationem obiecti intelligibilis, quia non erat quidditas producta, quæ eſt fundamentum intelligibilitatis.Secundum, quòd ſit ratio formalis poſſibilitatis in creatura ad exiſtendum. Tertium, quòd ſit eſſe ſecundùm quid, maius quidem ente rationis:minus verò ente reali, & ideo dicitur ens diminutum.

Lychet. Scotus.

5. PROBATVR hæc ſecunda ſententia primò, Deus per eſſentiam ſuam,vt ſpeciem,eſt in actu primo ſufficiens ad producendum quodcumque in eſſe cognito, ergo talia producta habent eſſe in ſeipſis. Quòd ſi cum Caiet. reſpondeas negando conſequentiam, quia nihil aliud per talem productionem fit,niſi denominatio extrinſeca,quod eſt eſſe cognitum, hoc enim ſufficit: adhuc inſtatur à Scotiſtis, quia quamuis per actum cognitionis terminatæ ad ipſum lapidem, producatur denominatio extrinſeca, tamen Deus in alio priori ſigno, intelligendo ſeipſum,vt exemplar analogicum creaturarum,producit lapidem in eſſe intelligibili; eſt enim eſſentia Dei intellecta,vt exemplar, prior omni intelligibili; Producitur ergo (inquit Scotus) creatura in aliquo priori ſigno in eſſe intelligibili, antequam actu intelligatur à Deo in ſeipſa.

Caiet.

Secundò,Si creaturæ ſecundùm eſſe intelligibile non producerentur à Deo ab æterno, ſequeretur, vel quòd Deus non cognoſceret creaturas ſecundùm eſſe creaturarum in propria natura, quia, vt probatum eſt in prima ſententia, non habent à parte rei aliquod eſſe actuale poſitiuum reale ſecundùm eſſe eſſentiæ; vel ſi cognoſcuntur in potentia cauſæ,non cognoſcuntur immediatè in ſeipſis,quod eſt abſurdum,tum quia (inquit Scotus) hæc cognitio non debet denegari Deo, quia Beati habent illam, cognoſcunt enim res non tantùm in Deo tanquam in cauſa, ſed etiam in proprio genere; tum quia eſſet cognitio abſtractiua, & non intuitiua, quia non terminaretur ad rem vt eſt in ſe ſaltem immediatè,ſicut terminari debet cognitio intuitiua, quæ fertur ad rem, vt eſt in ſe immediatè, & non per cauſam tanquam per medium priùs cognitum: at Deo non debet denegari cognitio intuitiua, quæ eſt perfectior.

Scotus.

6. CIRCA hanc ſecundam ſententiam dubium occurrit, An hæc ſentẽtia ſit Scoti.Suarius loco citato tenet quòd non; Et primò probat ex ipſo Scoto ex multis locis.Primus locus eſt in 1.diſt.35.§.ad iſta.ſecundus locus ex diſt.36.§.ad 2.tertius locus in 2.diſt. 1.quæſt.1.art.2.quartus in quodl.q.1.& 24. art.2.Secundò probat, quia ſecundùm Scotum hoc eſſe cognitum non fundat relationem realem, ſed rationis, & tamen ſi poneretur productũ ſecundùm eſſe reale, deberet ſecundùm doctinam Scoti fundare relationem realem,quia eſſet reale & menſurabile à cognitione diuina ſecundùm Scotum, menſurabile autem reale fundat relationem realem.

Dubitatur an hæc ſentẽtia ſit Scoti. Scotus. Suar.

7. Alij verò tam impugnantes Scotum, vt Caiet.1. part.quæſt.14.art.5. & Ocham in 1.diſt.43.quæſt.2. quam ipſi Scotiſtæ communiter ſequentes hanc ſententiam, vt videre licet apud Lychet. & Tatar. locis citatis, dicunt, quòd hæc ſententia eſt Scoti, & quidem hoc videtur verius; quod, vt magis pateat, perpendenda ſunt quædam loca ex Scoto.

Caiet. Ocham. Lychet. Tatar. Scotus.

Primus locus eſt in 1.diſt.35. vbi intendit probare Scotus Deum cognoſcere creaturas non ſolùm in ſeipſo tanquam in cauſa, ſed etiam in ſeipſis terminatiuè, & cognitione quaſi intuitiua.

AD hoc autem probandum conſtituit quædam ſigna ſeu inſtantia originis. In 1. inſtanti (inquit) 8.
intelligit eſſentiam ſuam ſub ratione merè abſoluta: in 2. inſtanti intellectus diuinus intelligens eſſentiam ſuam,vt exemplar creaturarum, producit lapidem in eſſe cognito, ſeu potiùs intelligibili: in 3.autem inſtanti,vt ex doctrina Scoti colligitur, intellectus diuinus actuatur eſſentia ſua tanquam ſpecie creaturarum, quia priùs producitur creatura in eſſe intelligibili, & poſtea in eſſe repræſentato,quia hoc ſecundum ſupponit primum; Quare non bene Caiet. 1.part. quæſt.14.art.5. exiſtimat intellectum diuinum ſecundùm Scotum eſſe prius actuatum eſſentia ſua tanquam ſpecie repræſentante creaturas, & poſtea illas producere in eſſe intelligibili: Et ratio huius erroris in Caiet. hæc fuit,quia exiſtimauit produci creaturas in eſſe cognito per actum intellectus diuini terminatum ad ipſas creaturas.

Caiet. Caiet.

Quare contra Caiet.dicendũ eſt quòd in 2.inſtanti Deus intelligẽs ſeipſum producit creaturas in eſſe quidditatiuo,& intelligibili; at verò poſtea in 3.inſtanti actuatur intellectus diuinus eſſentia diuina tanquam ſpecie creaturarum; in 4. autem inſtanti ſecundùm Scotum intelligit Deus lapidem;in 5.verò inſtanti ex hac intellectione, ſeu cognitione lapidis reſultat in lapide relatio intellecti ſui cogniti ad intellectionem diuinam; Sed nulla relatio eſt in intellectione diuina ad lapidem, quia intellectio diuina terminat relationem lapidis intellecti ad ſe ipſam, tanquam ad menſuram; hæc enim eſt differentia inter intellectionem diuinam, & humanam, quòd intellectio humana menſuratur a ſcibili,intellectio verò diuina eſt mẽſura,& ideo in humanis res cognita terminat relationem cognoſcẽtis ad ipſam: in 6. inſtanti intellectus diuinus poteſt comparare ſuam intellectionem ad quodcunque intelligibile, ad quod nos poſſumus comparare, & tunc comparando ſe ad lapidem intellectum, poteſt cauſare in ſe relationem rationis:& in 7. inſtanti poteſt quaſi reflecti ſuper ipſam relationem cauſatam in 6. inſtanti, & tunc illa relatio rationis cognoſcetur à Deo.

Scotus.

Secundus locus eſt diſt.36. & 43.vbi dicit, quòd 9.
productio, qua creatura producitur in eſſe intelligibili, non eſt tantùm productio relationis, quia relatio non producitur per ſe primò, ſed eſt productio alicuius abſoluti non in eſſe ſimpliciter,ſed ſecundũ quid, ſeu ſecundùm eſſe diminutum, quod quidem eſt fundamentum relationis ſcibilis ad ipſum intellectum diuinum & etiam poſſibilitatis ad exiſtendum.

Scotus.

Ad primam autem probationem Suarij,quam de- 10.
ſumit ex variis locis ipſius Scoti, reſpondetur,quòd illa loca non probant Scotum aliter ſentire; nam ad primum illum locum ex 1.diſt.32.§.ad iſta,quamuis dicat, quòd tale eſſe cognitum ſit in mente diuina, & nihil ſit in mentę diuina niſi incommutabile; ex quo videtur inferri in doctrina Scoti, quòd tale eſſe cognitum in mente diuina ſit ipſemet Deus,& non aliquod diſtinctum productum à Deo; tamen vt notat Lychet. eadem diſt. ſatis locus ille fuit explicatus à Scoto in 1.diſt.3. quæſt. 4. §. ad intellectum primum.vbi dicit Scotus,quòd intellectus

Suar. Scotus. Lychet. Scotus.

Digitized by Google

diuinus ſic dat eſſe albedini, & colori, vt color neceſſariò includatur in albedine, & dicat neceſſariam habitudinem ad albedinē, & hoc modo (inquit Scot.) dicendum eſt, quòd tale obiectum habet eſſe immutabile in intellectu diuino, & eſt neceſſarium, quia omne quod producitur de neceſſitate naturæ ſecundùm illud eſſe quod producitur, dicitur neceſſariū; quia igitur ab intellectu diuino ante omnē actum voluntatis producuntur omnia obiecta de neceſſitate in eſſe ſecundùm quid, quod eſt eſſe ſcibile, ſequitur, quòd talia obiecta ſint neceſſaria, & Scotus. immutabilia. Ecce quomodo Scotus hoc in loco magis confirmat opinionem ſuam.

Ad ſecundum locum, quem adducit idem Doctor ex Scoto in 1.diſt.36.§.ad 2. reſpondetur, ibi tantùm Scotum velle, quòd res ſemper fuit intellecta; non tamen fuit ſemper in aliquo eſſe reali à parte rei, ſed tantùm quòd ab æterno habuit eſſe intelligibile, & diminutum.

Ad tertium locum ex Scoto in 2.diſt.1.quæſt.1. ar.2. reſpondetur, quòd ibi Scotus tantùm vult probare, quòd Verbum non producatur à Patre vt creatura ſecundùm eſſe, quod habet in ſcientia Patris, quia Verbum (inquit) eſt productum antequam producantur creaturæ in eſſe intelligibili, & idem ferè dicit in quodl.q.14.art.2. ibi enim obiicit ſibi, Quòd ſi per intellectum diuinum producitur creatura in eſſe intelligibili, tunc illa actio præcederet omnem actionem voluntatis, ac proinde præcederet ſpirationem Spiritus ſancti. Reſpondet, quòd non ſequitur hoc, quia primus ordo eſt ad eſſentiam ſuam communicandam perſonis per intellectum, & voluntatem, quo ordine completo ſequitur pòſt ſecundus ordo communicando ſe creaturis, ſiue producendo illas ab æterno in eſſe diminuto, ſiue producendo in tempore in eſſe reali, vt infrà dicemus. Ecce igitur, quomodo Scotus non negat productionem creaturæ in eſſe intelligibili.

Ad quartum locum in quodl.quæſt.1.in §.3.ratio. vbi videtur dicere, quòd quidquid habet eſſe ſuum per operationem intellectus diuini, eſt tantùm Tatar. reſpectus rationis; reſpondetur, vt notat Tatar. ibi Scotum eo in loco comparare intellectum diuinum ad obiectum ad extra, & tunc dicit, quòd reſultat per hanc intellectionem comparatiuam tantùm reſpectus rationis; non autem loquitur de intellectione directa Dei, per quam creatura producitur in eſſe intelligibili abſoluto; & prætereà dico, quòd ex Scoto etiam in eo fundatur relatio rationis intelligibilis ad intellectum diuinum cognoſcentem, vt mox dicetur.

11. Lychet. AD ſecundam probationem reſpondetur ex Lychet.diſt.35. citata, quòd illa relatio fundata in illo eſſe abſoluto diminuto creaturarum eſt ſecundùm Scotum ſimpliciter rationis, quia fundamentum, quod eſt illud eſſe diminutum, non eſt eſſe reale exiſtens, quamuis etiam ab aliquibus Scotiſtis conceditur iuxta doctrinam Scoti illam relationem eſſe realem, non quia in ſe eſt realis exiſtens, ſed quatenus eſt inter extrema, quorum vnum actu exiſtit, ſcilicet, intellectio diuina, & aliud eſt aptum natum exiſtere, vt eſt creatura ſtans ſub illo eſſe diminuto.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

12. Prima concluſio. ESSENTIÆ creaturarum non ſunt omnino nihil ante exiſtentiam, neque habent eſſe ſolùm potentiale in cauſa, ſed ab æterno habent eſſe intrinſecum actuale abſolutum quidditatiuū ſeu eſſentiæ.

[Nota quòd tam in hac concluſione, quàm in ſequenti ſolùm intendimus cum Capreolo mox infrà citando, has concluſiones eſſe probabiles, non tamen negamus opinionem oppoſitam, quæ tenet eſſentias rerum nullum habere eſſe actuale ab æterno, ſed tantùm potentiale in cauſa, non eſſe ſatis probabilem.]

HÆC concluſio eſt Henrici in ſumma art. 2. Henricus. quæſt.25.& quodl.9. quæſt. 1. & 2. & quodl.11.q.3. & Ægid. in opuſculo de ente & eſſentia, in hac etiā Ægidius. conuenit Scot. cum ſuis, Scotus. quamuis vlteriùs addat hoc eſſe creaturarum ab æterno, non eſſe reale extra intellectum diuinum, ſed habere eſſe diminutū productum ab æterno à Deo in eſſe intelligibili, quod infrà in ſequenti concluſione impugnabimus: tenet tamen eſſentias creaturarum habere eſſe actuale quidditatiuum, ſeu eſſe eſſentiæ ab æterno, & hoc ſolùm intendimus in hac prima concluſione. Eſt etiam hæc S.Thom. ſententia S.Tho. in 1.diſt.33.q.1.art.1.ad 1. vbi diſtinguit triplex eſſe in creatura, eſſe eſſentiæ, eſſe exiſtētiæ, & eſſe veritatis propoſitionis; ex quibus verbis colligitur eſſe eſſentiæ dari diſtinctū ab eſſe exiſtētiæ, & ab eſſe obiectiuo, ſeu eſſe vero, de quo eſſe obiectiuo loquitur q.3. de potentia. Quòd autem S.Thom. S.Thom. in loco citato loquatur de eſſe eſſentiæ actuali abſoluto in ſe, & nō de eſſe eſſentiæ potētiali in cauſa; clariùs colligitur ex eodem S.Thoma quodl. 8. art. 1. vbi ait quòd triplex eſt conſideratio alicuius naturæ; Primò conſideratur ſecundùm eſſe, quod habet in ſingularibus, ſicut natura lapidis, in hoc, & in illo lapide: Alia ſecundùm ſuum eſſe intelligibile, ſicut natura lapidis, prout eſt intellectu: Tertia natura abſolutè, prout abſtrahit ab vtroque eſſe, & conſideratur ſecundùm ea tantùm, quæ per ſe competunt illi naturæ. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quòd S.Thom. det eſſe naturæ abſolutæ S.Thom. ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum actuale diſtinctum ab eſſe exiſtentiæ, & ab eſſe obiectiuo; nec obſtat idem S.Tho. 1.par. quæſt.9.art. 2. vbi habet creaturas eſſe poſſibiles per potentiam diuinam; hoc enim verum eſt, eſſentias ſcilicet reduci ad eſſe exiſtentiæ per diuinam potentiam, tanquam per efficientem, non tamen negat S.Thom. vt patet ex locis citatis, quòd non ſit potentia formalis intrinſeca ipſi creaturæ, per quam poteſt produci, quam non habet Chimæra. Eſt prætereà hæc concluſio Caiet. de ente, & eſſentia, cap. 5. q. 11 ad 1. Caiet. argumentum, & citat pro hac opinione Alpharabium, Alpharab. Auicen. Alber. & alios. Auicen. Alber. Capr. Hanc etiam ſententiam tenet probabilem Capr. in 2. diſtinct.1.q.2.art.3. ad 4. argumentum Aureoli contra quartam concluſionem: Nec nos aliud intendimus in hac noſtra concluſione vt dictum eſt. Eſt prætereà hæc concluſio conformior doctrinæ Thomiſticæ, nam exiſtentia ſecundùm Thomiſtas diſtinguitur realiter ab eſſentia, & componit cum illa, ex S.Thom. 2. contra Gent. cap.52. & de ente, & eſſentia cap. 5. Non poſſet autem exiſtentia diſtingui realiter ab eſſentia, & multò magis non poſſet componere cum illa, ſi non ſupponatur eſſentiam habere ſuum eſſe actuale eſſentiæ, nam, vt infrà oſtendemus, ſi eſſentia ſuum eſſe actuale eſſentiæ habet per exiſtentiam, tunc ſequeretur, quòd quatenus pars componens haberet totum eſſe, quod habet totum, quia vt pars includit eſſe exiſtentiæ, quia per eam formaliter fit actualis in eſſe eſſentiæ, totum autem compoſitum nihil prætereà aliud includit. 13. Prætereà eſt conformior doctrinæ Thomiſticæ, ſecundùm quam tenetur materiam exiſtere per eſſe formæ, & nunc exiſtere ſub

vno

Digitized by Google

vno eſſe formæ, nunc ſub alio; probabilius enim ſecundùm hanc doctrinam dicitur, quòd in aliquo priori ſigno præſupponitur materia ſecundùm eſſe actuale ſuæ eſſentiæ ipſi exiſtentiæ formæ.

14. Henricus. Solet hæc concluſio multis rationibus probari, ab Henrico, & aliis, ſed non omnes conuincunt, oportet igitur illas examinare.

PRIMA ratio Henrici, Si creatura, inquit, eſt nihil, tunc vnum nihil eſſet magis nihil, quàm aliud nihil; ſed hoc eſt abſurdum, ergo creatura non eſt nihil, ſed habet ſuum eſſe actuale eſſentiæ. Probat ſequelam Maioris, quia creaturæ non repugnat exiſtere, at Chimæræ repugnat exiſtere.

Prima ratio confutatur. Sed hæc ratio non conuincit, quia poteſt dici, quòd creatura nõ eſt purum nihil, ſicut eſt Chimæra, quia creatura ſecundùm aduerſarios, quamuis non habeat eſſe actuale ante exiſtentiam, habet tamen eſſe reale potentiale in cauſa, quod non habet Chimæra, & ideo nihil creaturæ non eſt comparandum cum nihilo Chimæræ: Cùm autem fit comparatio inter duo purè nihila, ſeu inter duas Chimæras, tunc verum eſt, quòd vnum nihil non eſt magis nihil, quàm aliud.

15. Capr. SECVNDA ratio aliorum apud Capr. ſuprà cit. Si lapis, inquiunt, ante ſui creationem nihil omnino erat, & poſt ſui creationem eſt aliquid, ergo purum nihil conuerſum eſt ſeu tranſmutatum in ens, nam ex nihilo factum eſt ens.

Confutatur ſecunda ratio. Ad hanc rationem ſolet communiter reſponderi, quòd ly, ex, per commentatorem 5. m. t. 29. vel importat habitudinem mutationis ſubiecti ad alium terminum, & tunc vnum tranſmutatur in alterum, ſicut patet cùm dicitur aliquid fieri ex materia prima, vel importat habitudinem durationis, ſaltem ſecundùm rationem prioris ad poſterius; hæc autem non requirit ſubiectum commune, ſed menſuram temporis realis, vel imaginarij, & tunc ly, ex, ſignificat idem, quod (poſt.)

16. Henricus. TERTIA ratio eiuſdem Henrici; Obiecti, inquit, ad potentiam, eſt proportio aliqua; ſed lapis ab æterno fuit obiectum intellectus diuini, ergo ab æterno habuit proportionem ad intellectum diuinum, ergo ab æterno habuit eſſe actuale; Patet, quia proportio eſt paſſio entis, non ens enim non poteſt proportionari.

Confutatur tertia ratio. Sed neque hæc ratio conuincit; poſſet enim reſponderi ab aduerſariis, ſufficere ad huiuſmodi proportionem, ſi obiectum cognoſcatur vt eſt, & ita ens rationis habet proportionem in intellectu, ſi cognoſcatur vt eſt obiectiuum in intellectu; creatura igitur poteſt habere proportionem in intellectu, ſi cognoſcatur ſecundùm eſſe quod habet à parte rei, ſcilicet eſſe potentiale in cauſa.

17. Henric. QVARTO probat ſubtiliùs idẽ Henric. quodl. 5. à commutata proportione, Sicut ſe habet, inquit, ens, & non ens, ita poſſibile, & impoſſibile, ergo à commutata proportione ſicut ſe habet ens ad poſſibile, ſic non ens ad impoſſibile; ſed omne ens eſt poſſibile, ergo non ens eſt ſimpliciter impoſſibile. Quòd autem argumentum à commutata proportione valeat probatur, quia eſt ſumptum ab Euclide (Euclides.) lib. 5. prop. 16. Si, inquit, quatuor quantitates proportionales fuerint, permutatim etiam proportionales erunt; ex. gr. ſicut ſe habet 8. ad 4. ita 6. ad 3. nam ſicut 8. ad 4. eſt proportio dupla, ſic 6. ad 3. ergo permutando, & comparando primum ad tertium, & ſecundum ad quartum valet, ſicut ſe habent 8. ad 6. ita 4. ad 3. ſed 8. ad 6. eſt proportio ſeſquitertia; patet, quia 8. continet 6. & tertiam partem, ſcilicet duo. Ergo 4. ad 3. erit proportio ſeſquitertia

A quia 4. continet 3. & tertiam partem ipſius, ſcilicet vnum. Præterea hoc modo argumentandi vſus eſt etiam Ariſt. in 2. Priorum, Si A. & B. ex gr. ſi homo (Ariſt.) & riſibile conuertuntur, & non homo, & non riſibile etiam conuertuntur, ſequitur permutatim; quòd ſi homo, & non homo, contradicunt, quòd etiam riſibile, & non riſibile contradicunt.

Sed neque hæc ratio conuincit, reſpondetur enim ex Scoto in 1. diſt. 36. quæſt. vnica, & ex Lychet. ibidem, quòd modus arguendi a commutata proportione tenet in terminis conuertibilibus, & hoc modo accepit Ariſt. loco citato, nunquam autem tenet in terminis, vbi vnus eſt ſuperior, & alius inferior, quia tunc debet comparari non primum ad tertium, & ſecundum ad quartum, ſed primum ad tertium, & quartũ ad ſecundum, ita vt quartum ponatur in 3. loco, ſecundum in 4. loco, ne committatur fallacia conſequentis, quia in affirmatiuis arguitur ab inferiori ad ſuperius, ex gr. (homo eſt, ergo animal eſt) in negatiuis autem arguitur è conuerſo à ſuperiori ad inferius, vt (non eſt animal, ergo non eſt homo) Fit igitur commutata proportio in terminis, in quibus vnus eſt ſuperior, & alius inferior, hoc modo; Sicut ſe habet homo ad non hominem, ſic animal ad non animal, ergo permutatim, ſicut ſe habet homo ad animal, ſic ſe habet non animal, quod erat in 4. loco, ad non homo, quod erat in 2. loco, ſic arguendo. Si Brunellus non eſt animal, Brunellus non eſt homo, non autem valet, ſi Brunellus non eſt homo, Brunellus non eſt animal; Applicando igitur ad propoſitum, inquit Scot. (Scot.) non valet, (Sicut ſe habet ens, & non ens, ita poſſibile & impoſſibile, ergo à commutata proportione Sicut ens ad poſſibile, ita non ens ad impoſſibile, ſed omne ens eſt poſſibile, ergo non ens eſt ſimpliciter impoſſibile) non valet, inquit, quia in hoc modo argumentandi committitur fallacia conſequentis, non eſt enim ſecundùm aduerſarios in terminis conuertibilibus, ſed in terminis, quorum vnus eſt ſuperior, & alius inferior, nam ſecundùm contrariã opinionem omne ens eſt poſſibile. non autem omne poſſibile eſt ens, nam poſſibile ſecundùm ſe extenditur ad non ens, quod eſt nihil reale, eſt tamen ens potentiale in cauſa ſecundùm Thomiſtas, quod tamen non eſt reale ens eſſentiæ, quare commutata proportio in his terminis, deberet ſic fieri, ſicut ſe habet ens, & non ens, ita poſſibile, & impoſſibile, ergo à commutata proportione, ſicut ens ad poſſibile, ita impoſſibile ad non ens, ita vt comparetur quartum ad ſecundũ, & non ſecundum ad quartum.

(Scotus. Lychet. Confutatur quarta ratio.)

Quare qui tenent eſſentiam rei non eſſe ens actuale, ſed potentiale, & conſequenter non ens; ſic arguunt, Omne ens eſt poſſibile: ergo omne impoſſibile eſt non ens, & non è conuerſo dicendo, ergo omne non ens eſt impoſſibile. Hæc igitur probatio à commutata proportione nihil facit contra aduerſarios.

QVINTO igitur probatur efficaciter à priori, & eſt ratio fundamentalis pro hac concluſione, quæ deſumitur à Scoto in 1. diſt. 36. quæſt. vnica. Quæro; quare lapis non habet repugnantiam ad exiſtendum, & Chimæra habet? Si dicas, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud: quod innuit Scotus in 1. diſt. 36. 18. (Quinta ratio & verior. Scotus.)

Contra hoc eſt primò, quid eſt hoc eſſe hoc, & illud eſſe illud, vel eſt ipſum ſuum eſſe actuale, vel potentiale in cauſa? Si dicas actuale, habetur intẽtum, ſi dicas, quod eſt eſſe potentiale in cauſa; Contrà ſecũdò replicatur, quare Chimæra non habet hoc eſſe potẽtiale in cauſa? non poteſt dici ex defectu cauſæ, quia ſupponitur infinita in cauſando; ergo propter 19.

Digitized by Google

aliquam repugnãtiam in ipſa Chimæra; Quòd ſi dicas hoc prouenire ex eo, quia lapis habet intrinſecã connexionem terminorum, non autem Chimæra; Contra replicatur tertiò, hæc connexio eſt vnio, debet igitur aſſignari res, cuius eſt vnio, in qua fundetur hic modus vnionis; Quòd ſi dicas, hunc modum fundari in eſſe potentiali cauſæ, Contrà replicatur quartò, quia daretur circulus; vlteriùs enim quæro, vt priùs, quare Chimæra non habet hoc eſſe potentiale in cauſa? oportet igitur dicere, quòd lapis eſt talis entitas actualis, cui per rationem intrinſecam non repugnat formaliter exiſtere.

20. *Scotus.* Quòd ſi dicas cum aliquibus apud Scotum loco citato, impoſſibilitatem Chimæræ eſſe ex ſe propter formalem repugnantiam, quam habet ad non exiſtendum, & non per reſpectum ad Deum vt cauſam: lapidem autem habere non repugnantiam, ſeu poſſibilitatem ad exiſtendum cauſalem per reſpectum ad Deum vt cauſam. Contrà (inquit Scotus) quia ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio erit cauſa negationis, vt patet 1. poſt. t. 30. ergo ſi per Aduerſarios potentia actiua, quæ eſt omnipotentia in Deo, eſſet præcisè ratio poſſibilitatis in creatura, ſequeretur quòd negatio potentiæ actiuæ ſeu impotentia in Deo eſſet cauſa negationis poſſibilitatis in Chimæra; quod eſt falſum, quia etiam, vt ipſi Aduerſarij dicunt, impoſſibilitas in Chimæra eſt propter formalem repugnantiam terminorum, ſiue partium, eſt enim Chimæra impoſſibilis, quia ex ratione formali Chimæræ repugnat ſimpliciter poſſe exiſtere, & non ex defectu potentiæ Dei, quaſi quòd impotentia Dei ſit radix impoſſibilitatis, quaſi non ſit Deus tantæ perfectionis, vt quantum eſt ex ſe, poſſet creare Chimæram, quod quidem eſt falſum, nam Deus in primo ſigno antequam concipiatur creatura quantùm eſt ex parte ſui, non repugnat participari, ſicut, (inquit Ariſt.) ignis quantùm eſt ex ſe, poteſt comburere infinita combuſtibilia, ſi infinita combuſtibilia dari poſſint: radix igitur impoſſibilitatis in Chimæra eſt, quia Chimæra non poteſt creari propter impoſſibilitatem terminorum. Bene igitur per regulam poſterioriſticam aſſignatam infertur, quòd prima ratio, & radix poſſibilitatis in creatura, non eſt potentia actiua efficientis, ſed ratio formalis intrinſeca ipſius creaturæ, ſicut, vt dictum eſt, ratio impoſſibilitatis in Chimæra, non oritur ex impotentia Dei, ſed quia Chimæra non habet capacitatem in ſe.

21. Dices, ſaltem prima ratio poſſibilitatis in creatura, etſi reduci non poſſit ad Deum tanquam cauſam efficientem, reducetur tamen ad ipſum tanquam cauſam exemplarem, quia cùm hæc cauſa exemplaris ſit cauſa formalis extrinſeca, eſt prior omni effectu poſſibili: Sed contrà quia adhuc poteſt militare idem argumentum factum, nam quæro quare lapis eſt exemplabilis & non Chimæra? non poteſt dici oriri ex defectu cauſæ exemplaris, quia eſt infinita ſimpliciter, ergo prima radix impoſſibilitatis oritur ex Chimæra, &c. quomodo autẽ creaturæ pendeant à Deo in genere cauſæ exemplaris, videbimus in ſequenti dubitatione.

22. *Sexta & efficax ratio Henricus.* Svper hac autem ratione fundamẽtali quæ eſt à priori, fundatur alia ſexta ratio à poſteriori, quæ colligitur ex Henrico loco cit. Hæc propoſitio, inquit, (homo eſt animal rationale) eſt propoſitio æternæ veritatis, ergo homo non ſecũdùm eſſe potentiale, ſed ſecũdùm ſuum eſſe actuale eſſentiæ ab æterno eſt animal rationale, non enim in propoſitione dicitur (homo poteſt eſſe animal) ſed (eſt animal.)

23. Ad hanc rationem variis modis conantur reA ſpondere Aduerſarij. Primò reſpondent aliqui negando illam propoſitionem, & alias huiuſmodi eſſe æternæ veritatis, ſed tunc incipiunt eſſe, inquiunt, veræ, cùm res fiunt, & veritatem amittunt, cùm deperduntur, ſicut enim eſſentia nihil eſt ante exiſtentiam, ſic veritas, quæ eſt paſſio eſſentiæ, nihil eſt ante eandem, & probant ex Ariſt. 1. Periherm. qui ex *Ariſt.* eo, quòd res eſt, vel non eſt, dicit propoſitionem eſſe veram, vel falſam. Sed contrà quia hæc reſponſio eſt contra communem ſcholaſticorum S. Thom. 1. *S. Thom.* part. quæſt. 2. art. 3. ad 3. & quæſt. 17. art. 2. ad 1. & Thomiſtarum hic, & Caiet. 1. poſter. cap. 9. Scoti, & *Thomiſt.* aliorum in 3. diſt. 21. Capreol. in 1. diſt. 8. quæſt. 1. *Caiet.* & Alberti in ſua Logica veteri, Auicen. ſuper cap. 8. *Scot.* *Capr.* prædicab. eſt etiam contra communem Patrum, vt *Alber.* B videre licet apud Anſel. in dialogo de veritate cap. *Auicen.* 14. & Aug. in lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. vbi *Anſel.* dicit, 3. & 4. eſſe ſeptem, perpetuò verum eſſe, etiam *Auguſt.* ſi nihil ſit quod numeretur; nec obſtat Ariſt. citatus, *Ariſt.* quia loquitur de propoſitione contingenti, at lib. 9. m. t. 7. & 11. vbi loquitur de propoſitionibus neceſſariis, dicit illas eſſe perpetuæ veritatis.

Secundò reſpondent alij, eſſentias quidem rerum habere cauſam efficientem, & de nouo fieri, connexionem autem prædicatorum eſſentialium non habere cauſam efficientem, ſed eſſe æternam. Sed contrà, tum quia ſi hæc connexio eſt realis, & æterna, ergo etiam eſſentia eſt æterna, nam vnio, ſeu connexio æterna ſupponit rem, cuius eſt vnio, eſſe realem, & æternam, vt ſuprà fusè argumentabamur C in quinta ratione. 24.

Tertiò reſpondent alij, huiuſmodi propoſitiones habere veritatem æternam obiectiuè in intellectu diuino; ſed contrà, quia obiectiuè etiam propoſitiones de impoſſibili ſunt veræ ab æterno, vt hæc propoſitio (Chimæra eſt ens confictum) At nos, vt notauit Alber. in ſua Logica veteri, loquimur de veritate, quæ eſt paſſio entis realis, & in hac conſiſtit *Albert.* proportio inter obiectũ reale, & potentiam cognoſcentẽ; cùm enim dicitur (homo eſt animal rationale) includitur in hac propoſitione prædicatũ entis, & ideo per hanc propoſitionem ſignificatur hominem habere talem eſſentiã, cui non repugnat eſſe, ſeu exiſtere animal rationale à parte rei extra ſuas cauſas; & de hac veritate ego quæro, quare à Deo illæ propoſitiones cognoſcuntur vt veræ iſto modo. Quòd ſi D dicas veritatem rerum poſſibilium fundari in eſſe potentiali, quod habent in cauſa, contrà inſtatur, vt argumentabamur ſuprà, quia Deus non cognoſcit hominem poſſe eſſe animal rationale, ſed eſſe animal rationale, ergo fundamentum huius veritatis debet eſſe ens actuale. 25.

Quartò reſpondet ſubtiliter Suarius, vt ſolet, diſp. 31. ſec. 2. & 12. num. 38. quòd neceſſitas propoſitionum neceſſariarum, non eſt neceſſitas abſoluta, ſed conditionata, ita vt propoſitio reducatur ad ſenſum hypotheticum, ſeu ex ſuppoſitione, ſeu conditionatum; quare cùm dicitur (homo eſt animal, facit hæc propoſitio hunc ſenſum conditionatum, ſeu ex ſuppoſitione, (ſi eſt, ſeu exiſtit homo, neceſſariò E eſt animal.) 26. *Suarius.*

Sed contrà, quia hæc conditionalis poteſt etiam competere rei ſecundùm prædicatum, cum quo non habet neceſſariam connexionem; ſed hoc eſt abſurdũ, quia inde ſequeretur, quòd talis propoſitio eſſet vera, etiam ſi extrema non exiſterent actu. Probatur Maior, nam hæc ſemper eſt vera, (ſi homo exiſtit, neceſſariò ſubſiſtit) ſumo autẽ ſubſiſtere latè ſiue ſubſiſtentia ſit propria, ſiue aliena, vt eſt humanitas Chriſti, vel ſaltem ſit aliquod proportionale, cuiuſmodi 27.

modi eſſet, ſi natura conſeruaretur à Deo per nouum influxum; ſuppono autem cum communi non poſſe creaturá exiſtere ſine aliquo iſtorum, & tamen ante creationem, hæc propoſitio erat falſa (homo ſubſiſtit, ſeu habet ſubſiſtentiam) ſicut erat vera iſta (homo eſt animal) & tamen ex vi præciſè conditionalis propoſitionis, ſeu compoſitæ, ſeu ex ſuppoſitione ita eſt neceſſaria hæc propoſitio (ſi homo eſt, homo ſubſiſtit) ſicut hæc (ſi homo eſt, animal eſt,) quia ex ſuppoſitione, ſicut cùm ſit homo, ſit etiam neceſſariò actualiter ſubſiſtens, ita cùm ſit homo, ſit neceſſariò actualiter animal, quia ſicut non poteſt fieri homo, ſine animali, ita non poteſt fieri homo ſine ſubſiſtentia. Notandum tamen eſt, hoc exemplum de ſubſiſtentia non eſſe ſimile alteri exemplo de exiſtentia, quo vtuntur aliqui ad idem probandum, nam aduerſarij in exemplo de exiſtētia poſſent ſubterfugere dicentes, quòd cùm dicitur, (homo eſt) eſt propoſitio contingens, quia non poteſt reduci ad ſenſum conditionatum, ſeu compoſitum, id eſt (ſi homo eſt, eſt exiſtens) nam illa propoſitio (homo eſt) abſolutè ſignificat exercitium exiſtendi, quia eſt propoſitio, vt loquuntur Logici, de ſecundo adiacente; at verò in exemplo noſtro, cùm dicitur (homo eſt ſubſiſtens) eſt propoſitio de tertio adiacente, & ideo reduci poteſt ad ſenſum conditionatum ſeu compoſitum, ſicut reducitur hæc (homo eſt animal) ſicut enim non poteſt fieri homo de ſecundo adiacente, quin ſit animal de tertio adiacente, ita non poteſt fieri homo de ſecundo adiacente, quin ſit ſubſiſtens de tertio adiacente. Quòd ſi dicas eſſe diſparem rationem, quia animal eſt prædicatum neceſſarium, ſubſiſtere verò contingens: contrà replicatur, hæc enim eſt petitio principij, quia de hoc quæritur, quare ex vi aſſignatæ reſponſionis, præciſè hæc eſt vera ab æterno, & neceſſaria (homo eſt animal) & hæc non (homo eſt ſubſiſtens) cùm vtraque ex ſuppoſitione ſit neceſſaria; quia ſicut non poteſt fieri homo ſine animali, ita non poteſt fieri homo ſine aliqua ſubſiſtentia, ſeu aliquo ſibi proportionali; quare dicendum eſt, vt bene aduertit Henricus, quòd ideo hæc propoſitio (homo eſt animal rationale) eſt propoſitio æternæ veritatis, quia eſſentia hominis habet ab æterno eſſe actuale intrinſecum quidditatiuum abſolutum. Henric.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

28. Secunda concluſio. HOc eſſe eſſentiæ, ſeu quidditatiuum abſolutum intrinſecum, quod, vt probatum eſt, habet creatura ante exiſtentiam, eſt à parte rei extra intellectum diuinum, contra Scotum, & Scotiſtas relatos in ſecunda ſententia, qui quidem, vt vidimus ſuprà, admittunt hoc eſſe quidditatiuum abſolutum, & intrinſecum in creatura ante exiſtentiam, negant tamen hoc eſſe eſſentiæ dari à parte rei extra intellectum diuinum, ſed dicunt eſſe in ipſo intellectu diuino, quatenus intellectus diuinus cognoſcens eſſentiam diuinam tanquam exemplar creaturarum, producit illas in eſſe quidditatiuo abſoluto & intelligibili, in quo fundatur ratio producibilitatis ad extra ſecundùm exiſtentiam.

29. Scotus. HÆc concluſio contra Scotum, multis argumentis ſolet probari, & quidem Scotus contra ſe ipſum multa argumenta facit, & ſoluit in 1. diſtinct. 36. quæſt. vnica, quæ omitto; habes enim apud ipſum, & nos ſuprà numero 6. in explicanda hac ſecunda ſententia Scoti tetigimus.

30. Prima ratio. Ocham. Caiet. Suar. PROBAT igitur primò contra Scotum Ocham in 1. diſtinct. 43. quæſt. 2. & Caietan. 1. p. quæſt. 11. art. 5. & Suar. in met. diſp. 31. ſect. 2. Creatura per hoc, quòd intelligitur à Deo, nihil formaliter recipit, ſed tantùm denominatur quadam extrinſeca denominatione; ergo creatura non producitur per talem actum diuinum: Conſequentia probatur à ſimili, ſicut obiectum intellectus creati non producitur per hoc, quòd intelligitur. Sed hęc ratio fusè refellitur à Lycheto in 1. diſt. 43. quęſt. 1. & breuiter ad antecedens dicitur, quòd aliud eſt dicere eſſe actu cognitum, & aliud eſt dicere eſſe cognoſcibile, & hoc ſecundo modo eſt denominatio intrinſeca ſecundùm Scotum, quia à diuino intellectu cognoſcente eſſentiam diuinam, vt exemplar creaturarum, producitur creatura ab æterno ſecundùm eſſe quidditatiuum abſolutum, in quo fundatur quòd creatura ſit, & denominetur intelligibilis. Et in ſequenti ſigno cognoſcit creaturas ſecundùm eſſe quidditatiuum, & ex hac ſecunda cognitione conceditur quòd reſultet denominatio extrinſeca creaturæ cognitæ, ſicut etiam reſultat in re cognita ab intellectu noſtro. Lychet.

31. Secunda ratio. Ocham. SECVNDO probat idem Ocham, Aut creatura, inquit, producitur in eſſe intelligibili ex eo præciſe, quia intelligitur, aut quia priùs non erat intelligibilis; non propter primum, quia tunc quilibet intelligens Deum produceret ipſum in eſſe intelligibili; non propter ſecundum, quia eſſentia diuina ante intellectionem ſuam non erat intelligibilis, & tamen eſſentia diuina non producitur à Deo ſecundùm eſſe abſolutum intelligibile. Sed hæc ſecunda ratio refellitur, quia dicunt Scotiſtæ, quòd creatura producitur in eſſe intelligibili à Deo propter ſecundum, quia ante intellectionem Dei, per quàm Deus ſe cognoſcit, vt exemplar creaturarū, non erat creatura intelligibilis, quia nullum habebat eſſe proprium intrinſecum eſſentiæ, nec in intellectu diuino, nec extra, & ideo poterat produci à Deo in eſſe intelligibili; Ad inſtantiam autem quæ affertur ab Ocham, quòd, ſcilicet, ſequeretur eſſentiam diuinam produci in eſſe intelligibili per intellectionem Dei, quia in priori ſigno non erat intelligibilis; reſpondetur, Ocham ſupponere falſum, eſſe enim intelligibile conuenit eſſentiæ diuinæ etiam circumſcripto omni actu intelligendi, quia conſequitur entitatem eſſentiæ, quæ præſupponitur actui intelligendi, ſicut à ſimili, ſi admitteret Scotus creaturam habere verum, & reale eſſe eſſentiæ ab æterno extra intellectum diuinum, conſequenter etiam diceret creaturam non produci à Deo ab æterno in eſſe intelligibili, quia intelligibilitas conueniret eſſentiæ creatæ quæ (vt ſupponitur) eſſet à parte rei ſecundùm eſſe quidditatiuum, quod eſt fundamentum intelligibilitatis, & poſſibilitatis. Ocham. Scotus.

32. Tertia ratio. TERTIO probat idem Ocham, Non producitur aliquid in eſſe intelligibili, niſi quia producitur aliquid priùs in eſſe reali, quod ſit fundamentum intelligibilitatis; ſed ſecundùm Scotum, non producitur creatura niſi in eſſe intelligibili, nec poteſt aſſignari quòd ſit hoc eſſe reale, in quo producitur creatura, ergo, &c. Sed hæc tertia ratio refellitur, dictum eſt enim, in doctrina Scoti, quòd creatura producitur ab æterno per intellectum diuinum ſecundùm quoddam ſuum eſſe abſolutum quidditatiuum, in quo fundatur ratio intelligibilitatis: dicitur autem illud eſſe quidditatiuum, eſſe diminutum, & non reale, quia non eſt aliquid extra intellectum diuinum, ſed eſt in ipſo intellectu diuino,

uino quod eſt ſecundùm Scotum fundamentum intelligibilitatis.

33. Quarta ratio. QVARTO probat idem, Accipio, inquit, primum inſtans naturæ, antequam, ſcilicet, creatura produceretur ab actu intellectus diuini in eſſe intelligibili, & quæro aut in illo inſtanti creatura eſt poſſibilis, aut non eſt poſſibilis; ſi eſt poſſibilis, ergo eſt poſſibilis antequam producatur in eſſe intelligibili, ſi non eſt poſſibilis, ergo ſibi repugnat eſſe. Sed hæc ratio refellitur negando vltimam conſequentiam; nam in illo priori ſigno, creatura negatiuè ſe habebat ad intelligibilitatem, & poſſibilitatem, & ideo falſum eſt in illo primo ſigno creaturam habere poſitiuè repugnantiā, ad intelligibilitatem, & poſſibilitatem.

34. Quinta ratio. Caietan. QVINTO probat Caiet. 1. part. quæſt. 14. art. 5. Lapis, inquit, priùs ponitur in eſſe repræſentato per eſſentiam diuinam vt ſpeciem intelligibilem, quàm in eſſe cognito per actum intellectionis, quia prior eſt repræſentatio, quàm cognitio, quia cauſa eſt prior effectu, ergo ſequitur, quòd lapis priùs habeat illud eſſe diminutum, quàm ſit cognitum à Deo, contra Scotum. Sed hæc ratio refellitur, quia non dicit Scotus, lapidem produci in eſſe cognito, ſed in eſſe intelligibili, ſeu cognoſcibili. (Scotus.) Concedit ergo Scotus ante actualem cognitionem Dei terminatam ad lapidem, habere lapidem eſſe intelligibile. Sed hoc eſſe intelligibile dicit produci à Deo per actum intellectus diuini, quo cognoſcit ſeipſum vt exemplar, & in ſequenti ſigno habere eſſe repræſentatum in eſſentia tanquam in ſpecie: (Caietan. Scotus.) Caiet. autem exiſtimauit, Scotum dicere priùs intellectum diuinum eſſe actuatum eſſentia ſua tanquam ſpecie repræſentante creaturas, & in ſequenti ſigno cognoſcere creaturas, & illas producere in eſſe cognito, & ideo ex hoc falſo præſuppoſito in doctrina Scoti bene argumentabatur cōtra ipſum dupliciter, & quòd ante hoc eſſe cognitum lapis habeat tale eſſe diminutum ex eo, quia priùs ponebatur in eſſe repræſentato per eſſentiam Dei tāquam per ſpeciem, & ſecundò quòd ratio cogniti ſit denominatio extrinſeca, & non intrinſeca per aliquod abſolutum productum, vt etiam falsò exiſtimauit cum Caiet. Suar. ſect. 2. (Caietan. Suar.) Sed ſuppoſita doctrina Scoti quòd lapis producitur ſecundùm eſſe ſuum quidditatiuum, & diminutum intelligibile, quod vocat eſſe diminutum, antequam actu à Deo cognoſcatur, & repræſentetur per ſpeciem, ceſſat vtrunque argumentum Caietani, (Caietan.) quia quantùm ad primum, negatur eſſe repræſentatum præcedere eſſe intelligibile; quantùm verò ad ſecundum, conceditur à Scoto, (Scotus.) vt dictum eſt, rationem cogniti eſſe denominationē extrinſecam, nec vnquam dixit per cognitionem Dei, vt præcisè terminatam ad lapidem produci eſſe abſolutum, & diminutum lapidis, vt explicauimus ſuprà referendo opinionem Scoti.

35. Sexta ratio. S. Thom. SEXTO probant alij recentiores Expoſitores ſuper 1. partem D. Thomæ quæſt. 14. art. 5. Non ex eo, inquiunt, quia Angelus cognoſcit rem poſſibilem, producit rem ſecundùm aliquod eſſe abſolutum intelligibile, ergo neque Deus. Sed hæc ratio facilè refellitur ex dictis ſuprà, tum quia Angelus inuenit rem primò productam eſſe à Deo ſecundùm eſſe abſolutum, & intelligibile, tum quia etiamſi non fuiſſet producta à Deo, non potuiſſet produci ab intellectu finito Angeli, quia requirit infinitatem in producente.

36. HIS igitur rationibus aliorum confutatis; ad probandam hanc ſecundam aſſertionem contra Scotum, demonſtrandum eſt à priori hanc productionem creaturæ ab æterno ſecundū n eſſe diminutum abſolutum, & intelligibile, inuentam à Scoto non poſſe dari; (Scotus.) Præſupponere enim debet neceſſariò eſſe quidditatiuum, & eſſentiale creaturæ à parte rei extra intellectum diuinum.

Septima, & efficax ratio. ARGVMENTOR itaque ſeptimò contra Scotum eo modo, quo ipſe argumentabatur (vt vidimus in prima concluſione) contra Henricū, qui dicebat creaturas ab æterno ante exiſtentiam actualem eſſe omnino nihil; Quæro enim à Scoto, cur Chimæræ repugnat produci ſecundùm eſſe quidditatiuum, & intelligibile à diuino intellectu cognoſcente ſe vt exemplar, & non repugnat lapidi; Non poteſt dici hoc prouenire ex defectu cauſæ, quia ſupponitur infinita, ergo dicendum eſt, quod aliquid eſſe quidditatiuum poſitiuum intrinſecum eſt in lapide, propter quod non repugnat produci, quod non eſt in Chimæra, hoc igitur intrinſecum abſolutum neceſſariò eſt ab æterno extra intellectum diuinum, cùm non producatur ab intellectu diuino in eſſe quidditatiuo, & intelligibili, vt probatū eſt: Quòd ſi dicas Chimærā habere impoſſibilitatem à ſe, lapidem autem habere poſſibilitatem à Deo, contrà, & argumentor contra ipſum eodem modo, quo ipſe arguebat contra Henricum, (Henr.) Hoc non poteſt dici, quia vbi negatio eſt cauſa negationis, affirmatio eſt cauſa affirmationis, vt dictum eſt ſuprà in prima concluſione, in qua fuſiùs proſequuti ſumus hoc argumentum.

37. Octaua ratio efficax. PROBATVR octauò, Quando Deus producit lapidem in eſſe intelligibili, aut intelligit illum producendo, aut non. Si dicas ſecundum, quòd producat non intelligendo, contra hoc eſt, quia ſequeretur quòd Deus produceret merè naturaliter, ſicut ignis; quod eſt inconueniens in agente independenti in eſſendo, & in cauſando qualis eſt Deus, vt docet Scotus in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. non autem eſt inconueniens, vt ibidem Scot. de agente dependenti, vt eſt Sol; quia dirigi poteſt in finem ab alio cognoſcente. Nec valet quod dicit Lychetus in 1. diſtinct. 36. hoc verum eſſe de productione ipſius eſſe ſimpliciter extra intellectum diuinum; non autem de productione entis diminuti, ſecundùm eſſe quidditatiuum & intelligibile; non, inquam, valet, quia militat eadem ratio vtrobique, ſiue enim ſit productio ipſius eſſe ſimpliciter, ſiue eſſe diminuti, illa productio à nullo dirigeretur in finem, quod quidem eſt inconueniens, vt dictum eſt.

Si verò dicas primum, quòd ſcilicet Deus intelligendo producat eſſe quidditatiuum & intelligibile lapidis; contra hoc eſt, quia ſequeretur quòd deberet priùs præintelligi eſſe quidditatiuum lapidis antequam producatur, fruſtra ergo produceretur ipſum eſſe quidditatiuum lapidis; Probatur ſequela, quia Deus ita producit intelligendo eſſe quidditatiuum & intelligibile lapidis, vt ſit ſecundùm Scotum cauſa efficiens illius; (Scotus.) ergo in priori ſigno antequam Deus producat, intelligit ipſum eſſe lapidis; Debet enim aliquid intelligere ad hoc vt ex intellectione ſequatur productio; ſicut Pater in Diuinis, quia intelligendo producit Verbum, ſupponitur, quòd in priori ſigno originis intelligat eſſentiam diuinam & ſuum eſſe, imò & ipſum eſſe quidditatiuum Filij, qui in poſteriori ſigno concipitur, accipere eſſe exiſtentiæ à Patre.

Sed ad hoc reſpondet adhuc idem Lychetus loco citato, concedendo quòd Deus producit eſſe quidditatiuum lapidis intelligendo, negat tamen debere præſupponi ad intellectionem eſſe quidditatiuum lapidis

pidis, quia eodem actu, quo producit, intelligit, ita vt illa intellectio ſimul in eodem inſtanti terminetur ad eſſe quidditatiuum lapidis, vt productum, & vt cognitum; ante autem hanc intellectionem lapis nullum habebat eſſe quidditatiuum & intelligibile.

Scotus. Sed contrà, quia, vt dictum eſt, ſi Deus producit, vt intelligens, ergo in priori ſigno ſupponitur intelligens, quia intellectio concurrit vt ratio efficiendi ſecundùm Scotum; in illo igitur priori ſigno aliquid intelligit Deus, antequam cauſet. Quæro igitur, quid intelligit in illo priori ſigno, vel ipſum lapidem, vel ſeipſum vt exemplar? ſi ipſum lapidem, ergo intelligeret lapidem antequam produceret lapidem in eſſe intelligibili, & quidditatiuo. Fruſtra ergo datur hæc productio propter cognitionem; ſi ſeipſum tantùm tanquam exemplar, ergo non producit lapidem cognoſcendo lapidem ſecundùm naturam intrinſecam ſuam, ergo non poteſt dirigere hanc ſuam actionem in aliquem finem; ergo producit ſicut ignis, & Sol, quod diximus eſſe inconueniens in Deo, qui eſt independens, & non poteſt dirigi in finem ab alio ſuperiori agente.

38. Nona ratio. Nono & vltimò confirmari poteſt hæc ſecunda concluſio exemplo vacui, in quo ſimile quid intuemur. Nam ſi Deus annihilet aërem medium inter duos parietes, tunc ſecundùm communiorem opinionem, non ſolùm in intermedio eſſet negatio corporis, ſed etiam diſtantia negatiua determinata tot palmorum, ita vt non poſſit illa capacitas per minorem quantitatem impleri; quare reſiſteret mobili corporeo, ſi moueretur per vacuum, non enim vbi eſt vna pars mobilis corporei, poſſet eſſe alia, quia daretur penetratio partium corporis, & idem dicendum eſſet de vacuo quod fuit ab æterno, quamuis enim ibi non fuiſſent termini, ſicut ſunt in caſu poſito; hoc tamen non obſtat, quia ratio terminorum eſt materialis, nam tanta diſtantia negatiua dicit præciſè reſpectum ad quantitatem præcedentem, quæ non fuit tanta ratione terminorum, ſed potiùs termini fuerunt ita extremaliter poſiti in tanta diſtantia, quia quantitas erat tanta, vt fuſiùs oſtendetur infrà in prædicamento Vbi. Hoc igitur vacuum, Fonſeca. vt probat Fonſeca, fuit Deo coæternum, & independens à Deo in genere cauſæ efficientis, & non eſt purum omnino nihil, quia dicit tantam, & tantam diſtantiam, & reſiſtit mobili, quamuis ſit omnino nihil in genere exiſtentialium; Ita ſimiliter dici poteſt de eſſe eſſentiæ, imò multò magis, vacuum enim illud reſiſtit mobili reali, eſſe verò eſſentiæ, nullam reſiſtentiam habet ad ens reale; remanet igitur probatum eſſentias creaturarum non ſolùm habere ab Erueus. æterno eſſe abſolutum eſſentiæ contra Erucum, & alios relatos in prima ſententia, ſed illud habere ab æterno à parte rei extra intellectum diuinum contra Scotus. Scotum & alios citatos in ſecunda ſententia.

RESPONDETVR AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ QVÆ SVNT *contra primam concluſionem.*

39. Reſponſio ad primum. Henric. AD primum reſpondetur cũ Henrico, ſufficere ad creationem, vt creatura ſit facta ex puro nihilo in genere exiſtentialium, non autem in genere eſſentialium, id eſt, ſecundùm exiſtentiam, non ſecundùm eſſentiam, nec eſſentia propriè dicenda eſt potentia ſubiectiua, ſeu receptiua exiſtentiæ, cùm non præſupponatur exiſtens, ſed potiùs habet rationem obiecti realis, quod exit in actum exiſtendi per ipſam exiſtentiam.

Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, ad annihilationem, ſcilicet, ſufficere ſi corrumpatur totum eſſe exiſtentiæ. 40. Ad ſecundũ.

Ad tertium reſpondetur concedendo eſſentiam eſſe ens formaliter neceſſarium, ſed differre à neceſſario Dei, tum quia illud eſt neceſſariò exiſtens, tum quia omnino independens; creatura verò ſecundùm eſſe exiſtentiæ ab æterno nihil eſt, & eſt contingens. Secundùm verò eſſe eſſentiæ eſt dependens ſaltem in genere cauſæ exemplaris à Deo, vt dicemus in ſequenti quæſtione. Ad tertium.

Ad quartum reſpondetur, quòd ſi antecedens intelligatur de eſſe eſſentiæ, verum eſt quod ibi dicitur, eſſentiam, ſcilicet, ſecundùm eſſe eſſentiæ non eſſe à Deo efficienter, & negatur conſequentia, nec talis eſſentia eſt Deus, quia dependet ſecundùm eſſe exiſtentiæ à Deo tanquam ab efficienti, & ſecundùm eſſe eſſentiæ dependet à Deo tanquam à cauſa exemplari; nec eſt nihil, quia ſecundum eſſe eſſentiæ eſt ens actuale ab æterno, vt probatum eſt. 41. Ad quartũ.

Ad quintum reſpondetur negando, quòd poſſet creatura gloriari quaſi haberet eſſe à ſe, quia, vt dictum eſt, adhuc dependet à Deo ſecundùm eſſe eſſentiæ in genere cauſæ exemplaris, & ſecundùm eſſe exiſtentiæ dependet in genere cauſæ efficientis. Ad quintũ.

Ad ſextum reſpondetur ex Capreolo diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 3. ad 4. Aureoli contra quartam concluſ. non eſſe dubitandum opinionem noſtram eſſe tutam, & probabilem; & bene, inquit, ad ſimile argumentum reſpondit Henrici, cùm dixit eſſentiam creaturæ habere duplex eſſe, ſcilicet, eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ, & quodlibet iſtorum, inquit, habet à Deo; ſed primum habet à Deo vt cauſa exemplari, Deus enim per ſuam intellectionem, qua intelligit ſeipſum vt exemplar, dat in genere cauſæ formalis extrinſecæ eſſe intelligibile, & quidditatiuum cuilibet eſſentiæ creatæ; ſecundum autem eſſe, quod eſt eſſe exiſtentiæ, dat vt eſt cauſa efficiens; vnde non ſequitur, quòd creatura habeat aliquod eſſe, & non ſit à Deo, ſed ſolùm quòd non dicitur creari quantùm ad primum, ſed quantùm ad ſecundum eſſe, & cùm eſſe eſſentiæ, ſit eſſe ſecundùm quid, non eſt per creationem, ſed ſufficit, quòd ſit per intellectionem diuinam in genere cauſæ formalis. Hæc ex Capreolo. 42. Ad ſextum. Capr. Aureol. Henric.

Ad argumentum igitur reſpondetur in forma, quòd eſſet error ſi poneretur aliquod eſſe exiſtentiæ ab æterno, vel eſſet error ponere eſſe eſſentiæ, & non dependenter à Deo ſaltem in genere cauſæ exemplaris.

Ad ſeptimum reſpondetur concedendo antecedens, quòd, ſcilicet, eſſentia exiſtentiæ non habet eſſe actuale ab æterno: negatur autem conſequentia, idem ſcilicet eſſe dicendum de aliis eſſentiis rerum, quia in exiſtentia ceſſat ratio, quam diximus ſuprà in prima concluſione, militare in aliis eſſentiis rerum; ratio enim illa erat, quòd eſſentia, verbi gratia, lapidis, ſupponere debet eſſe intrinſecum actuale tanquam rationem formalem, per quam non repugnat ipſam eſſentiam lapidis exiſtere, quæ ratio formalis non poteſt reperiri in Chimæra, & ideo repugnat Chimærã poſſe exiſtere; at verò non eſt neceſſe ſupponi hoc eſſe actuale intrinſecum tanquam rationem formalem in ipſa eſſentia exiſtentiæ, ſufficit enim, vt ſupponatur hoc eſſe intrinſecum actuale in ipſa eſſentia lapidis, per hanc enim rationem formalem intrinſecam in lapide, per quam non repugnat lapidem exiſtere, nec ipſa exiſtentia repugnabit, ſi enim repugnaret exiſtentia, repugnaret 43. Ad ſeptimũ.

ret ipſe lapis qui exiſtit per exiſtentiam, præſertim cùm exiſtentia ſit modus quidam, cuius natura conſiſtit in actuali exercitio exiſtendi, ita vt non poſſit ipſa exiſtere niſi actu modificando lapidem, faciendo illum exiſtere.

44. Ad octauū. Ad octauum reſpondetur, creaturas eſſe terminum ſecundarium cognitionis diuinæ, ac proinde intellectio diuina, quantùm ad ſuum eſſe abſolutum intrinſecum terminatur ad ipſum Deum tanquam obiectum primarium, extrinſecè verò tantùm terminatur ad creaturas; quare negatur conſequentia argumenti, quòd, ſcilicet, ſi per impoſſibile deſtrueretur eſſe eſſentiale actuale creaturæ, deſtrueretur entitas ipſius actus intelligendi in Deo; & ratio negationis eſt, quia adhuc illa terminaretur intrinſecè ad obiectum primarium, quod eſt ipſemet Deus. Quòd ſi dicas, ſaltem variaretur, quia Deus non intelligeret creaturas ſecundùm eſſe eſſentiale; reſpondetur, quòd neque variaretur, quia ſemper Deus intelligeret eo modo, quo eſt creatura; dato autem illo impoſſibili, quòd deſtruantur creaturæ ſecundùm eſſe eſſentiale, tunc in hoc caſu actus intelligendi diuinus fuiſſet ab æterno terminatus ad nihil creaturæ, prout eſt in iſto nunc, id eſt, pro iſto nunc cognoſceret non eſſe creaturam ſecundùm eſſe eſſentiale, ſicut dicitur de eſſe exiſtentiali.

AD ARGVMENTA SECVNDÆ SENTENTIÆ, QVÆ SVNT CONTRA *ſecundam concluſionem.*

45. Soluūtur argumenta ſecundæ opinionis. Ad primum. AD primum, Si quid probat argumentum, probat tantùm creaturas quò ad eſſe quidditatiuum, & intelligibile, dependere à Deo, tanquam ab exemplari, quatenus eſſentia Dei eſt, ſeu cognoſcitur, vt analogicè imitabilis à creatura, vt dicemus in ſequenti dubitatione, non autem quòd efficienter producatur ab intellectu diuino ſecundùm eſſe quidditatiuum & intelligibile, vt dicebat Scotus. Scotus.

46. Ad ſecundum. Ad ſecundum reſpondetur, argumentum non procedere contra ſententiam noſtram, in qua dicimus eſſentias rerum dari ab æterno à parte rei ſecundùm eſſe quidditatiuum reale, & actuale; ſi tamen argumentum habet aliquam vim, militat contra primam ſententiam, quæ tenet creaturam ab æterno eſſe nihil actuale, & tantùm habere eſſe potentiale in cauſa. Reſpondetur tamen ad argumentum in quacumque opinione, & pro reſponſione,

Nota primò pro ſolutione ſecundi argumenti. Duran. S. Thom. NOTANDVM primò, quòd illa propoſitio (Deus cognoſcit res, prout in ipſo ſunt) habet duplicem ſenſum ex Durando in 1. d. 36. q. 2. ad 2. & ex S. Thoma p. 1. q. 14. ar. 6. Primus ſenſus eſt, vt denominet diuinam cognitionem ex parte rei cognitæ. Secundus vt denominet ex parte cognoſcentis: Si primo modo, facit hunc ſenſum, Deus cognoſcit res ſecundùm eſſe, quod habent in ipſo Deo, & non ſecundùm eſſe, quod habent creaturæ in ſeipſis, & in hoc ſenſu eſt falſa propoſitio, quia Deus cognoſceret tantùm ens increatum. Si ſecundo modo, facit hunc ſenſum, Deus cognoſcit rem per ſimilitudinem in ipſo exiſtentem, quæ eſt idem cum ipſo, & in hoc ſenſu eſt vera propoſitio, ex hoc tamen non ſequitur Deum non cognoſcere rem in propria natura, falſum igitur aſſumitur in hoc ſecundo argumento, quòd Deus cognoſceret creaturas in ſeipſo primo modo, id eſt, ſecundùm eſſe increatum, quia etiam ſi creatura non haberet ab æterno niſi eſſe potentiale in cauſa, adhuc à Deo cognoſceretur actualiter ſecundùm illud eſſe eſſentiæ creatæ quod eſſet habitura, ſi produceretur.

SECVNDO notandum, quòd ad hoc, vt dicatur res cognoſci in ſeipſa, non ſufficit, vt cognoſcatur ſecundùm propriam naturam, quam habet in ſeipſa ſed requiritur prætereà, vt res repræſentetur immediatè, vel per propriam ſpeciem, vel per eſſentiam diuinam, tãquam per ſpeciem; ſi autem repræſentaretur per eſſentiam diuinam tanquam per obiectum priùs cognitum, diceretur quidem ſecundùm ſuam propriam naturam res cognoſci, ſed non in ſeipſum. 47. Notā ſecundò pro ſolutione eiusdem argumenti.

His poſitis reſpondetur ad argumētum in forma, quòd Deus cognoſcit creaturas, quia cognoſcit in ſe ipſo tanquam in cauſa priùs cognita; & cùm aſſumitur in argumento hoc dicere imperfectionem in Deo, negatur, imò hoc dicit ſummã perfectionē.

Ad primam autem probationem cùm dicitur, (quòd cùm hæc cognitio rei in ſeipſa concedatur Beato, nō debet denegari à Deo) Reſpondetur quòd ſi conceditur beato, conceditur ob ſui imperfectionem.

Ad ſecundam verò probationem cùm dicitur (quòd cognitio, quæ non terminatur ad rem, vt eſt in ſe, eſt abſtractiua, & non intuitiua, intuitiua autem eſt perfectior, non ergo eſt deneganda à Deo) Reſpondet Arimin. in 1. diſtinct. 36. quæſt. 1. quòd omnis cognitio Dei ſiue exiſtentium, ſiue poſſibilium, eſt intuitiua, quia fertur immediatè in rem ipſam, & non per aliud medium inter rem cognitam, & cognitionem, nam licèt videantur creaturæ mediante eſſentia diuina tanquam obiecto, vt quod, priùs cognito, tamen eſſentia diuina eſt eadem omnibus modis cum ipſa diuina cognitione, & ideo cùm nihil diſtinctum mediet inter creaturam cognitam, & diuinam cognitionem, dici poteſt quòd talis cognitio, quæ terminatur ad creaturam, ſit intuitiua. Sed hæc reſponſio eſt contra communem, tum quia creaturæ non videntur in ſeipſis, ſed in eſſentia, vt obiecto priùs cognito, hoc autem ſufficit ad tollendam immediatam cognitionem, quæ tunc eſt, quando non mediat aliud obiectum priùs cognitum, quidquid ſit, an illud obiectum diſtinguatur à cognitione, vel non, tùm quia ad hoc, vt cognitio ſit intuitiua, debet cognoſci etiam ſecundùm actum exiſtendi. 48. Arimin.

Secundò reſpondet Zumel in 1. p. quæſt. 14. quòd cognitio creaturarum poſſibilium eſt intuitiua, quia videntur in obiecto primario, quod eſt Deus, qui intuitiuè cognoſcitur, vt eſt: ſed contrà quia cognitio terminatur tantùm ad creaturas poſſibiles, & non exiſtentes, ergo non eſt intuitiua. 49. Zumel.

Reſpondetur igitur ad argumentum, quòd cognitio abſtractiua non dicit imperfectionem, quia per eam cognoſcitur res ſecundùm propriam naturam vt eſt, & quia non eſt exiſtens in aliqua differentia temporis, ideo cognoſcitur poſſibilis tantùm: an autem hæc cognitio dicatur abſtractiua, vel intuitiua, eſt quæſtio de nomine, dicendum tamen eſt cum communi non eſſe intuitiuam, quia non eſt viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ. 50.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm creatura dependeat à Deo quoad eſſe quidditatiuum tanquam à cauſa exemplari.

VIDIMVS in ſuperiori quæſtione creaturã habere eſſe eſſentiæ vt eſſentiæ actuale reale ab æterno independenter à Deo, tanquam 1.

Digitized by Google

quam à cauſa efficienti; nunc videndum eſt, an creatura quò ad eſſe eſſentiæ, dependeat ſaltem à Deo tanquam à cauſa exemplari.

Et videtur, quòd non; militat enim eadem ratio in cauſa exemplari, & efficienti; nam quæro, quare Deus, vt exemplar, eſt imitabilis, ſeu participabilis à lapide, & non à Chimæra. Non poteſt dici hoc prouenire ex defectu cauſæ exemplaris diuinæ, quia ſupponitur infinitè imitabilis. Oritur igitur impoſſibilitas intrinſecè ex Chimæra, ergo poſſibilitas in lapide etiam orietur ex ratione poſitiua intrinſeca ipſi lapidi, quam vocamus rationem realem actualem eſſentiæ. Probatur paritas de Chimæra, & lapide, quia ſicut negatio in Chimæra, quæ negatio eſt impoſſibilitas intrinſeca, eſt cauſa negationis, id eſt, repugnantiæ, ita affirmatio in lapide, erit cauſa affirmationis.

1. Pro explicatione notandum, hanc quæſtionem dependere ab illa alia quæſtione, quomodo Deus ſit cauſa exemplaris, de qua S.Thom. 1.p.q.44. ar. 3. & quæſt. 15. (S.Thom.) Prima ſententia, Deum eſſe cauſam exemplarem, quatenus eſt cauſa efficiens per Ideam. Hanc autem Ideam aliqui dicunt, eſſe conceptum obiectiuum, qui eſt eadem res facienda, vt præconcepta à Deo. Ita Ocham & Gabriel in 1. diſtinct. 35. q. 5. (Ocham. Gabr.) Alij verò dicunt Ideam eſſe conceptum formalem Dei, quo cognoſcit creaturas. Ita tenet Bonauentura in 1. diſtinct. 35. art. 1. q. 1. Suar. diſput. 25. ſec. 1. (Bonauent. Suar.)

3. Et iuxta hanc primam ſententiam tenentur authores huius ſententiæ dicere, quòd ſi creatura ſecundùm eſſe eſſentiæ, non dependet à Deo in genere cauſæ efficientis, nec dependeret à Deo in genere cauſæ exemplaris.

4. Secunda & verior ſententia eſt, quod in Deo cauſa exemplaris eſt ipſamet eſſentia diuina, vt imitabilis à creaturis, conceptus verò obiectiuus rei faciendæ potiùs ſe habet vt Idea, quàm vt cauſa exemplaris, ſicut in artifice creato, conceptus obiectiuus imaginis faciendæ, eſt idea: Cæſar verò, ad cuius imitationem fit imago, eſt ratio prototypa, & exemplaris: In Deo igitur, cauſa exemplaris eſt ſua eſſentia, vt analogicè, & inadæquatè imitabilis à creatura. Hanc videtur tenere Caiet. in 1. par. quæſt. 15. art. 2. Ferrarien. 1. contra Gen. cap. 54. Ægid. in 1. diſtinct. 36. Capr. in 2. diſtinct. 1. q. 2. art. 3. ad quartum argumentum Aureoli contra quartam concluſionem Vaſquez 1. par. diſput. 22. Hanc etiam ſententiam innuunt Patres, Dionyſius cap. 5. de diuinis nominibus. Auguſt. 11. de ciuit. cap. 29. & lib. 5. Geneſ. ad literam cap. 13. Ambroſius in hexameron cap. 1. & 2. cùm dicunt exemplaria in mente diuina, quæ aliquando appellant ideas, eſſe rationes ſubſtantificas, incommutabiles, & quid indiſtinctum à Deo; quibus verbis facilè innuunt eſſentiam diuinam, vt imitabilem à creaturis, eſſe cauſam exemplarem, hæc enim eſt indiſtincta à Deo, & ratio ſubſtantifica, & incommutabilis. (Caiet. Ferrarien. Ægid. Capr. Aureol. Vaſq. Dionyſ. Auguſt. Ambroſ.)

5. Quæres circa hanc ſententiam, an ad hoc, vt eſſentia ſit cauſa exemplaris, debeat eſſe cognita. Caietan. 1. par. q. 15. art. 2. dicit, eſſentiam diuinam quatenus cognitam hac ſola ratione fore ideam ſeu cauſam exemplarem, etiam ſi non eſſet formaliter, ſed ſolùm obiectiuè in ipſo Deo. Sed hoc falſum eſt, nam eſſentia Dei, etiam ſi non eſſet cognita, eſſet adhuc imitabilis, ſi igitur requiritur cognitio, ſolùm requiritur vt conditio complens rationem cauſæ exemplaris. (Caiet.)

6. Poſita igitur hac ſecunda ſententia tanquam veriori ſit.

Prima concluſio. Prima concluſio, Creatura quò ad eſſe eſſentiæ dependet à Deo tanquam à cauſa exemplari in genere cauſæ formalis extrinſecæ. Eſt Capreoli loco citato, & idem videtur dicere S. Thom. 1. p. q. 55. art. 3. (Capr. S.Thom.) dum dicit, eſſentiam diuinam magis imitari, ſeu participari ab angelo ſuperiori, quàm ab inferiori; Probatur, Sicut imago Cæſaris dependet à Cæſare in genere cauſæ formalis, & prototypæ ſeu exemplaris, ita vt, ſi non poſſet eſſe Cæſar, non poſſet eſſe imago, quæ repræſentat ipſum, non autem è conuerſo, ita philoſophandum eſt in creaturis, quòd ſecundùm ſuum eſſe eſſentiale ſunt imagines ipſius Dei, vt patet ex Gen. 1. & Patribus, & Scholaſticis ſuprà citatis, ita vt ſi per impoſſibile repugnaret eſſe Deum, repugnaret etiam eſſentiæ creaturarum; quia exemplatum, vt exemplatum, nihil aliud dicit, quàm eſſe repræſentatiuum ſui exẽplaris, quatenus in exemplato relucet perfectio exemplaris, & vt ſic dicit dependentiam analogam ad ſuum exemplar.

7. Secunda concluſio. Secunda concluſio. Eſſentiæ rerum ſecundùm eſſe quidditatiuum dependent aliquo modo à Deo, tanquam à cauſa efficienti, quia ſi Deus non eſſet cauſa efficiens, repugnaret exiſtentia creaturæ, ergo repugnaret etiam in eſſentia ordo eſſentialis ad ipſam exiſtentiam, & conſequenter repugnaret realitas ipſius eſſentiæ. Eſt tamen aduertendum, quòd adhuc eſt differentia inter dependentiam eſſentiæ creaturæ à Deo vt cauſa exemplari, & inter dependentiam ab eodem, vt à cauſa efficienti: nam quamuis ſi non eſſet Deus, vt cauſa efficiens, repugnaret eſſe eſſentiæ creaturæ, hæc tamen repugnantia non eſſet formalis intrinſeca, ita vt immediatè repugnaret ex principiis intrinſecis, ſeu ex incompoſſibilitate terminorum, ſicut repugnat Chimæra; at verò ſi repugnaret eſſe rationem prototypam, ſeu exemplarem Cæſaris, repugnaret ipſum eſſe imaginis Cæſaris ex principiis intrinſecis, & ex incompoſſibilitate terminorum, eſſe enim taliter repræſentatiuum, eſſet tunc quid chimæricum; ita etiam dicendum de eſſentiis rerum, ſi Deus non eſſet cauſa exemplaris.

8. Reſpõſio ad argumẽtum initiò factũ. Ad rationem dubitandi initio poſitam, Reſpondeo, quòd eſſentia diuina poteſt conſiderari in triplici ſigno, In primo ſigno conſideratur ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, quod eſt tantæ perfectionis infinitæ, vt non repugnet quantùm eſt ex ſe, exemplari ab alio extra ſe, & in hoc primo ſigno nõ ſupponit creaturas exemplabiles, Si enim per impoſſibile nullæ creaturæ eſſent exemplabiles, adhuc Deus haberet ſuam perfectionem infinitam abſolutam, quia alioquin ſequeretur quòd haberet illam dependentem à creaturis, quod eſt impoſſibile. Et in hoc primo ſigno dependent eſſentiæ creaturarum à Deo, nam ſi per impoſſibile non daretur illa perfectio infinita abſoluta in Deo, repugnarent ipſæ eſſentiæ creatæ: In ſecundo verò ſigno concipiuntur eſſentiæ creaturarum habere aliquam rationem poſitiuam, ratione cuius non repugnat illas exemplari, ſeu produci, quam rationem, quia non habet Chimæra, repugnat illam exemplari, ſeu produci. Quòd enim Chimæra nõ poſſit exemplari, vel produci, hoc non poteſt oriri ex defectu perfectionis diuinæ, quæ ſupponitur infinita, oritur igitur, vt dictum eſt ſuprà, quia Chimera non habet illam rationem poſitiuam, quam habent entia realia, in qua ratione poſitiua fundatur compoſſibilitas terminorum: In tertiò verò ſigno concipitur in Deo relatio, quæ eſt tantùm rationis ad creaturas exemplabiles vel producibiles, quæ relatio ſupponit iam in creaturis rationem illam poſitiuam, quæ erat in ſecundo ſigno; vnde fit, vt in primo ſigno contineat

neat Deus creaturas fundamentaliter quaſi remotè, in tertio verò ſigno, quaſi proximè, quia iam ſupponuntur habere rationem poſitiuam, per quam non repugnat eſſe exemplabiles, & producibiles.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm creatura ab æterno ſit in potentia obiectiua.

1. OMNES Doctores conueniunt, creaturam eſſe ab æterno in potentia obiectiua; ſed controuerſia eſt inter eos, quænam ſit iſta potentia obiectiua in creatura.

2. *Prima ſententia. Eru. Sonc. Suar.*

PRIMA ſententia eſt Eruei quodl. 11. quæſt 1.
B Soncin. quæſt.m. quæſt.4. Suar. in met. diſp. 31. & aliorum, quos ſuprà in prima quæſtione citauimus. Qui quoniam tenent eſſe eſſentiæ nihil eſſe ante creationem, ſed ſimul fieri eſſentiam, & exiſtentiam in tempore, conſequenter tenent eſſe eſſentiæ in potētia obiectiua, nihil aliud eſſe, quàm denominationē extrinſecā obiecti à potentia productiua.

Secūda ſententia verior. Henric. Ægid. Caiet.

VERIOR tamen ſententia eſt Henr. quodl. 1. quæſt. 1. & 9. & quodl. 9. quæſt. 1. & 2. & quodl. 11. quæſt. 3. & Ægid. in opuſcul. de ente, & eſſentia. Caiet. de ente, & eſſent. cap. 5. aſſerentium eſſe in potentia obiectiua dicere ab æterno obiectum poſſibile per denominationem intrinſecam ab ipſa po-
C tentia poſitiua, & reali, quæ eſt ab æterno in creatura, & fundatur in eſſe actuali, & reali creaturæ ab æterno, & de hac potentia loquitur Ariſt. 9. met. t. co. 2. 23. *(Ariſt.)* cùm ait actum, & potentiam diuidere ens, & talem potentiam, id eſt, ens eſſentiale, vt eſt potens ad exiſtendum, connotando negationem exiſtentiæ pertinere ad idem genus, & ad eandem ſpeciem, & ad idem indiuiduum, ad quod pertinet actus oppoſitus, id eſt, idem eſſe eſſentiæ, vt ſtat ſub affirmatione exiſtentiæ; ex. gr. Antichriſtus, qui nunc eſt in potentia obiectiua, erit ille idem, qui erit actu, cum hac differentia, quia vt eſt in potentia obiectiua, habet eſſe eſſentiæ actuale cum poſſibilitate ad exiſtendum connotando negationem exi-
D ſtentiæ, vt verò eſt in actu, habet eſſe ſimpliciter.

3. HÆC ſententia non indiget probatione, probatur enim illis iiſdem rationibus quibus probauimus in prima quæſtione eſſentias rerum habere eſſe eſſentiæ actuale poſitiuum ab æterno. Argumenta quæ fieri ſolent contra hanc ſententiam, ſunt eadem ferè, quæ retulimus, & ſoluimus in prima quæſtione citata. Quia verò Suar. & alij recentiores ponunt quædam alia argumenta, quæ videntur peculiariter militare contra hanc potentiam obiectiuam, quam diximus eſſe ab æterno poſitiuā, & realem, & intrinſecam ipſi eſſentiæ creaturę, ideo ſoluenda ſunt hîc.

4. *Argumenta in oppoſitum. Primū argumentum.*

OBIICIVNT igitur primò, Vel hæc potentia eſt producta, vel improducta; non ſecundum, quia tantùm competit creatori; non primum, quia vel ab
E æterno, & ex neceſſitate, & hoc repugnat articulis de æternitate & de libertate; vel liberè, & in tempore, ergo antequam produceretur, non erat hæc potentia obiectiua, non ergo fuit ab æterno ſecundùm eſſe reale poſitiuum, & intrinſecum.

Solutio. Reſpondetur, hæc potentia neque eſt producta, neque improducta; ſed abſtrahit, vt notauit Franc. de Maiyr. *(Franc. de Maiyr.)* ab eſſe producto, & improducto, quæ abſtractio intelligenda eſt non per indifferentiam, ſed per negationem vtriuſque extremi; eſſe enim productum vel improductum dicit eſſe exiſtentiæ. Quòd ſi adhuc inſtes, erit igitur hæc potentia ab æterno omnino independens, ſicut Deus. Reſpon-
A detur negando conſequentiam, quia eſſentia creaturæ dependet à Deo in genere cauſæ formalis exemplaris, vt probatum eſt in ſecunda quæſtione, & præterea Deus eſt independens etiam quò ad exiſtentiam, creatura autem dependet à Deo quò ad exiſtentiam, tanquam ab efficiente.

5. *Secundum argument.*

SECVNDO obiiciunt, Vel iſta potentia manet in re producta vel non: ſi non, ergo non eſt ratio realis poſitiua intrinſeca creaturæ; ſi ſic, iam non eſt potentia obiectiua tantùm, ſed etiam ſubiectiua; quod quidem eſt abſurdum, nam hinc ſequeretur res non fieri ex nihilo, ſed ex præſuppoſita potentia, tanquam ex ſubiecto vel materia.

Reſpondetur hanc potentiam includere duo. pri-
B mùm ſeipſam in recto tanquam quid reale, & intrinſecum connotando in obliquo relationem poſſibilitatis. Secundò includit, ſeu connotat negationem exiſtentiæ, quatenus nondum exiuit in actum exiſtentiæ; Primo modo manet in re producta, non autem ſecundo; & cùm inſtatur, ergo eſt potentia ſubiectiua; reſpondetur negando, ſed potiùs dicit obiectum reale, quod per exiſtentiam, tanquam per rationem formalem exit in actum exiſtendi, quod priùs erat tantùm in actu eſſendi, ſeu eſſentiæ. Fit igitur obiectum ex nihilo; quia quamuis detur hæc potentia obiectiua, non tamen eſt ſubiectum exiſtens receptiuum exiſtentiæ.

6. *Tertiū argumentum.*

TERTIO obiiciunt S. Thomam 1. p. quæſt. 9.
C art. 2. vbi inquit, Omnes creaturæ antequam eſſent, non erant poſſibiles eſſe per aliquam potentiam creatam, cùm nullum creatum ſit æternum, ſed per ſolam potentiam diuinam, in quantum Deus poteſt eas in eſſe producere.

Solutio. Reſpondetur non negare S. Thom. creaturas eſſe poſſibiles per potentiam realem paſſiuam intrinſecam ipſis ab æterno; Eſt autem realis non ſecundùm actum exiſtendi, ſed ſecundùm actum eſſendi, ſeu eſſentię. In hac autem potentia paſſiua fundatur poſſibilitas in ordine ad agens diuinum; negat autem S. Tho. creaturas ab æterno eſſe poſſibiles per aliquam potentiam actiuam creatam.

7. *Quartum argumentū.*

QVARTO obiiciunt, eſſe in potentia obiecti-
D ua, nihil aliud eſt, quàm poſſe obiici actioni alicuius potentiæ, non quidem ſibi ipſi, quia non poteſt fieri à ſe, ergo quatenus obiicitur potentiæ actiuæ alterius; ergo ab hac extrinſecè denominatur res poſſibilis, & non à potentia intrinſeca.

Solutio. Reſpondetur, non dicitur res poſſibilis à potentia obiectiua, quatenus obiicitur ſibi, vt bene arguitur, non enim à ſe fieri poteſt; negatur autem, quòd eſſe in potentia obiectiua dicat tantùm ordinem ad alterius potentiam actiuam, ſed primò, & formaliter dicit ordinem ad potentiam intrinſecam paſſiuam, per quam in poſteriori ſigno non repugnat poſſe obiici potentiæ agentis, cuiuſmodi non eſt Chimæra; potentia igitur obiectiua dicit ratio-
E nem intrinſecam, & abſolutam in creatura connotando relationem ad agens.

QVÆSTIO QVARTA.

De analogia entis, & primò,

Vtrùm conceptus obiectiuus entis, vt ens eſt analogum attributionis, ſit vnus communis per intellectum ad omnia analogata.

NOTANDVM primò, antequam deueniatur ad quæſtiones; quòd ens aliquando ſumitur pro eſſe exiſtentiæ ſiue actualis,

Ariſt. lis,ſiue aptitudinalis, & hoc modo ſumpſit Ariſtot. 1.phy. t.7.aliquando verò ſumitur pro eſſe eſſentiæ, & hoc modo ens, ab Ariſtot. diuiditur in decem prædicamenta, & vt ſic denominatur ab eſſentia ſecundùm S. Thom. de ent. & eſſent.cap.2. & in hac ſecunda acceptione nos hîc ſumimus ens.

Notandum ſecundò, quòd duplex poteſt eſſe conceptus præciſus entis,alter obiectiuus, alter formalis; Conceptus obiectiuus eſt ipſumnet obiectum, quod cognoſcitur, conceptus verò formalis eſt actus intellectus, quo repræſentatur obiectum, & de vtroque eſt agendum; Aliqui verò,quos ſequitur Suar. priùs agunt de conceptu formali, exiſtimant enim ex vnitate conceptus formalis colligi vnitatem conceptus obiectiui; Nos verò quia contrà exiſtimamus potiùs ex vnitate conceptus obiectiui colligi vnitatem conceptus formalis, vt infrà oſtendemus, ideo priùs agimus de conceptu obiectiuo; Quod autem dicitur de conceptu entis communi ſubſtantiæ, & accidenti,idem dicendum eſt de conceptu entis communi enti creato, & increato.

Suar.diſp. 2.m.

Notandum tertiò, ens dupliciter poſſe conſiderari; Primò ſecundùm analogiam attributionis,& tunc forma entis tantum intrinſecè eſt in ſubſtantia, & extrinſecè in accidenti, vel reſpectu entis increati, & creati, & eſt intrinſecè in ente increato,& extrinſecè in creatura, ſicut forma ſanitatis intrinſecè eſt in animali,& extrinſecè in pulſu, vel medicina. Secundò ſecundùm analogiam proportionis, ſeu proportionalitatis, & tunc forma entis eſt intrinſeca in vtroque analogato.

1. HIS notatis, Prima opinio tenet, quòd in illis analogatis, in quibus forma analoga eſt tantùm intrinſecè in vno analogato,& extrinſecè in alio,vt eſt eſſe ſanum reſpectu animalis, & medicinæ,non poteſt dari vnus conceptus communis fundatus in illa forma,in aliis verò analogatis, in quibus forma eſt intrinſeca, poteſt dari vnus conceptus communis formæ, vt eſt in ente reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, & entis increati, & creati. Hæc videtur eſſe ſententia Suarij in 2.diſp.met.ſect.1.num.14 quamuis oppoſitum videatur dicere diſp.28.ſect.3. nu.16. vbi ſolùm loquitur de ente increato,& creato.

Suar.

Caiet. SECVNDA opinio directè oppoſita, eſt Caietani in opuſc.de analogia nominum cap.2.qui negat omnino in ente dari aliquam rationem vnam, & communem conuenientiæ inter ſubſtantiam, & accidens, quia accidens, inquit, dicitur ens extrinſecè.

3. VNICA concluſio,media via eſt tenenda, quòd ens quatenus eſt analogum proportionis,dicat conceptum obiectiuum communem ſecundùm rationē ſubſtantiæ, & accidentis,vt infrà oſtendemus in quinta & ſexta quæſtione contra ſecundam opinionem, quatenus verò eſt analogum attributionis, de quo eſt controuerſia in hac quæſtione, non dicit aliquem conceptum obiectiuum neque diſtinctum, neque confuſum cum Caietano contra primam opinionem.

Probatur, quia quatenus ens eſt analogum attributionis, ratio entis reperitur tantùm intrinſecè in ſubſtantia, & extrinſecè in accidente, eſt enim ex Ariſt. 4.m. accidens entis ens, ſicut medicina dicitur ſana per denominationem extrinſecam à ſanitate quæ eſt intrinſecè in animali, & ſicut ſanum, vt dicit habitudinem in communi ſiue cauſę formalis, ſiue efficientis, ſiue ſigni, dicit aliquem ſaltem conceptum confuſum communem tam ad ſanum,quod eſt in animali, in quo dicit habitudinem cauſæ formalis, quàm ad ſanum, quod eſt in medicina, quod

A dicit habitudinem cauſæ efficientis, & ad ſanum, quod eſt in pulſu, quod dicit habitudinem ſigni, & tamen ſi ſanum ſumatur vt analogum attributionis, quia tunc dicit ipſam ſanitatem tanquam formam intrinſecam in animali à qua extrinſecè denominatur ſanum in medicina, & in pulſu, tunc ſecundum communem philoſophorum etiam fatēte ipſo Suario loco citato, vt ſic,ratio ſani ſecundùm analogiam attributionis non dicit aliquem conceptum communem conuenientiæ omnibus analogatis, quia ipſa ratio analoga, quæ eſt ſanitas,intrinſecè tantùm reperitur in animali, extrinſecè verò in medicina, & pulſu; non ergo poteſt eſſe vnus conceptus communis omnibus analogatis:Ita à pari ratio

B entis vt eſt analoga proportionis, quia intrinſecè reperitur in omnibus analogatis, poteſt habere vnum conceptum communem conuenientiæ ſiue confuſum,ſiue diſtinctum; at verò vt eſt ratio analoga attributionis, quia non dicit ens ſecundùm rationem communem conuenientiæ, ſed dicit tantùm ens ſubſtantiæ, quod intrinſecè reperitur tantùm in ſubſtantia,& extrinſecè in accidenti,per denominationem extrinſecam à ſubſtantia quatenus eſt entis ens,id eſt affectio ſubſtantiæ, ideo vt ſic nōn poteſt dicere vnum conceptum communem conuenientiæ ſiue diſtinctum,ſiue confuſum.

Secundò probatur eadem aſſertio, quia, cùm concipitur ens ſub ratione vna communi, debet 4.

C concipi ſub ratione conuenientiæ; cùm verò ens concipitur ſub ratione conuenientiæ, non concipitur cum dependentia vnius analogati ab alio, ſed abſtrahitur ab vtroque analogato.

Tertiò probatur, quia vel conceptus entis,vt eſt analogū attributionis,erit conceptus vtriuſque analogati; quatenus concipitur vnum dependere ab alio,& vt ſic nō erit vnus conceptus obiectiuus,ſed plures,vel erit vnus conceptus diſtinctus, & determinatus ſubſtantiæ, in quo implicitè repræſentatur accidens,& tunc quamuis ſit vnus conceptus diſtinctus, non tamen eſt vnus conceptus entis, vt ens ſub ratione conuenientiæ, ſed vnus conceptus ſubſtantiæ; Quòd ſi confuse repræſentetur accidens,

D tunc ſaltem conceptus obiectiui erunt duo, alter diſtinctus ſubſtantiæ, alter confuſus accidentis, Et confirmatur hæc ratio, quia ens, vt eſt analogum attributionis, neceſſariò in ſuo conceptu includit dependentiam vnius ab alio, neceſſariò autem ad conſtituendam dependentiam debent concurrere plures rationes obiectiuæ, quia neceſſariò concipiendum eſt vnum analogatum tanquam dependens, & alterum tanquam independens. Quare vnitas conceptus deſtruit rem, quæ concipi debet, nam res requirit pluralitatem naturarum, quarum vna ſit independens,& altera dependens.

POSSVNT tamen adhuc duo quæri.

Primò quæres, An ſaltem poſſit eſſe vnus conceptus formalis plurium analogatorum attributionis? 5. Primum quæſitum. Vide in quæſtione nona.

E Ad quod quæſitum communiter reſpondetur idem eſſe aſſerendum de conceptu formali, ac de obiectiuo;ſed vt infrà fuſiùs dicetur, dicendum eſt poſſe dari ſecundùm rem vnum conceptum formalem, quia poteſt Angelus vnico conceptu formali intelligere vtrumque analogatum propter connexionem, quam habent analogata in ratione analoga; ille autem conceptus formalis, qui eſt vnus ſecundùm rem; dicetur multiplex in ratione imaginis, ſeu repræſentatiui,quia per illum vnum conceptum formalem repræſentantur plures rationes obiectiuæ inter ſe differentes, quarum vna concipitur vt independens,& alia dependens.

b Secundò

Digitized by Google

6. Secundum quæſitum. Secundò quæres, An ſaltem circa minùs principalia analogata dari poſſit vnus conceptus communis; verbi gratia, Vtrùm ratio ſani poſſit abſtrahi à medicina, & pulſu, ita vt dicat vnum conceptum communem habitudinis in medicina, & pulſu ad ſanitatem animalis, quatenus pulſus habet habitudinem ſigni, medicina verò habitudinem cauſæ, & idem dicendum de accidentibus quatenus habent diuerſam habitudinem ad ſubſtantiam.

7. Ad quod quæſitum reſpondeo, & dico tertiò contra Caietanum de analog.nom.cap.5. poſſe dari vnum conceptum communem omnibus minùs principalibus analogatis. Ratio eſt, quia tam medicina, quàm pulſus conueniunt in ratione conuenientiæ habitudinis, quæ quidem vt ſic concipi poteſt ſine particularibus differentiis, neque hanc conuenientiam poteſt negare Caietanus, nam ipſe ca. 2. de analogia nominum, dicit, quòd omnia minùs principalia analogata attributionis poſſunt concipi vt vnum ad principale analogatum, quæ appellat analoga vnius ad alterum. Et quidem non poteſt Caiet. medicinam & pulſum accipere ſecundùm ſpeciales differentias, quia ſecundùm illas non ſunt vnum ſed plura: debet igitur accipere, ſub ratione communi habitudinis, quatenus eſt ratio communis, quæ reperitur in omnibus minùs principalibus

8. analogatis reſpectu principalis analogati. An autem iſte conceptus communis habitudinis ſit confuſus, vel diſtinctus, dubitatur inter recentiores, Quidam dicunt eſſe confuſum, quia ratio habitudinis in medicina non diſtinguitur à ratione talis habitudinis cauſæ, neque ratio habitudinis in pulſu diſtinguitur à tali habitudine ſigni; Sed ego exiſtimo eſſe conceptum diſtinctum ſecundùm rationem; quia conceptus habitudinis ſecũdùm rationem præſcindit ex natura ſua à tali, vel tali habitudine, quamuis inferiora, ſeu tales habitudines non præſcindant ex natura ſua ab habitudine. Diſtinctè igitur concipitur habitudo ſecundùm naturam ſuam non concipiendo inferiores habitudines. Sed in hoc non immoror, quia eadem eſt quæſtio ac de ente vt eſt analogum proportionis, de quo dicemus infrà in tertia quæſtione; ſufficit tamen modò contra Caiet. quòd habitudo dicat aliquem conceptum communem ſaltem confuſum. Neque obſtat quòd dicit Ca-

9. Caietan. ietan. quòd à parte rei ratio habitudinis in pulſu non diſtinguatur à tali habitudine ſigni, nec ratio habitudinis in medicina diſtinguitur à parte rei à tali habitudine cauſæ, ergo non datur vnus conceptus conuenientiæ; non obſtat, inquam, ſufficit enim vt ſit fundamentum conuenientiæ ad hoc vt intellectus poſſit concipere rationem vnam communem conuenientiæ habitudinis.

10. Qvod ſi obiicias ſecundò, hinc ſequi poſſe etiam abſtrahi vnum conceptum communem à principali analogato, & minùs principalibus, nam ſanum in communi quatenus dicit aliquam habitudinem ſiue cauſæ formalis vt eſt ſanitas in animali, ſiue cauſæ efficientis vt in medicina, ſiue ſigni vt in pulſu, dicitur ſecundùm conuenientiam habitudinis tam de principali analogato quod eſt animal, quàm de minùs principalibus.

Reſpondetur, quidquid ſit, an hæc ratio analoga ſani poſſit hoc modo abſtrahi, de quo paulò ſuprà dictũ eſt, dicendum tamen eſt, quòd etiam ſi abſtrahatur, tunc ratio illa analoga non eſt attributionis, ſed proportionis, ac propterea non eſt caſus quæſtionis, nos enim loquimur de analogis attributionis, ita vt forma analoga ſit tantùm intrinſecè in principali analogato cuiuſmodi non eſt ratio ſani in communi, ſed ſanitas quæ intrinſecè tantùm reperitur in animali, in reliquis verò analogatis reperitur per denominationem extrinſecam, dicitur enim pulſus ſanus, quia eſt ſignum ſanitatis, quæ eſt in animali, & medicina ſana, quia eſt cauſa ſanitatis in animali; at verò inter analogata minùs principalia non eſt hæc attributio, & dependentia.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm conceptus obiectiuus Entis completi, ſit vnus & præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus entibus completis.

Svpponendvm eſt primò, quid ſignificetur nomine Entis completi; non enim omnes conueniunt in ſignificatione huius nominis; Fonſeca enim lib. 5. 1.

Fonſeca. Met.cap.7.q.7.ſect. 1. diſtinguit ens completum in ſimpliciter, & ſecundùm quid. Ens completum ſimpliciter dicit eſſe illud, quod non poteſt eſſe pars entis per ſe, & huiuſmodi ſunt ſola indiuidua, vt hic homo, hæc albedo; ens verò completum ſecundùm quid, dicit eſſe illud quod prædicatur in prædicatione quid eſt, de ente completo ſimpliciter, & huiuſmodi ſunt genera & ſpecies, non autem differentiæ, quia prædicantur in quale quid.

Suarius verò diſp. 33. metaphyſ. ſect. 1. quamuis 2. Suar. impugnet Fonſecam, parum tamen, aut nihil ab eo differt; dicit enim genera & ſpecies non eſſe entia completa ſimpliciter, ſed appellari poſſe entia completa, quia confuſè dicunt totum per modum exiſtentis, quo modo differentia non poteſt dici ens completum, quia concipitur per modum formæ aduenientis; quamuis autem aliquando genera & ſpecies appellentur entia completa ſecundùm quid, non ideo, inquit, appellantur, quaſi illud (ſecundùm quid) tollat rationem entis completi; ſed quia non dicit eſſe perfectiſſimum, ſicut dicit indiuiduum, quod quia dicit diſtinctè & expreſsè totum ſubſtantiæ, ſeu accidentis complementum, appellari ſolet ens completum ſimpliciter; genera verò & ſpecies quia in confuſo dicunt totum complementum; nam rationem indiuidualem quæ requiritur ad exiſtendum, non dicunt diſtinctè & expreſsè, ſed in confuſo, quatenus concipiuntur per modum ſubſiſtentis ſeu exiſtentis; ideo appellari ſolent entia completa ſecundùm quid.

Sed quicquid ſit de iſtis modis loquendi, nomine entis completi nos intelligimus gradum completum entis, in quo negari quidem non poteſt, quòd confuſè ſaltem conueniant ſubſtantia completa & accidens completum, vt homo, & albedo, cuiuſmodi non ſunt differentiæ hominis & albedinis quæ ſunt entia incompleta.

Svpponendvm eſt ſecundò, ens completum, 3. vt eſt analogum attributionis ad ſubſtantiam completam, & accidens completum, non dicere aliquem conceptum communem obiectiuum, ne confuſè quidem (vt oſtenſum eſt in prima quæſtione) quia vt ſic neceſſariò eſſet concipiendum cum dependentia ſibi eſſentiali vnius analogati ab alio, atque adeò non poteſt eſſe vnus conceptus obiectiuus communis conuenientiæ, qui ſit abſtractus ab vtroque analogato, ſed erunt plures rationes obiectiuæ, ſicuti ſunt plura analogata.

Svpponendvm eſt tertiò, quòd ratio entis 4. completi, quicquid ſit de ſubſtantia & aliis generibus peculiari ratione à parte rei non eſt diſtincta à tali

tali ente completo, non enim homo per vnum gradum à parte rei eſt ens completum, & per alium tale ens completum; ſed per eundem eſt ens completum & tale ens; vt infrà oſtendemus in octaua quæſtione; Quare conceptus obiectiuus entis completi, vt eſt à parte rei, non eſt vnus & diſtinctus; ſed eſt confuſus cum taleitate differentiæ.

Punctus difficultatis. Difficultas igitur hic eſt de ente completo ſecundùm rationem, Vtrùm ſcilicet ratio entis completi abſtracta ab entibus inferioribus completis, vt ab homine, & ab albedine, ſit vnus conceptus obiectiuus communis diſtinctè præciſus ſecundùm rationem.

PRIMA SENTENTIA.

5. *Prima ſententia.* CIRCA quam difficultatem eſt prima ſententia, quæ aſſerit conceptum obiectiuum entis completi eſſe ſecundùm rationem vnum communem confuſum. Ita videntur tenere *Fonſ.* Fonſ. lib. 5. Met. cap. 7. q. 7. ſect. 1. *Suar.* Suar. diſp. 2. Metaph. ſect. 5. num. 15.

Primum argumentum. PROBATVR primò, ratione fundamentali quæ colligitur ex Fonſeca; Quia quilibet gradus completus cuiuſcumque naturæ, conſtituitur in eſſe entis completi per illum gradum, per quem conſtituitur in eſſe reali talis naturæ. Ex. gr. ſubſtantia fit ens completum per perſeitatem, & corpus fit ens completum per corporeum; conſtituitur enim corpus tanquam ens completum ex ſubſtantia tanquam ente incompleto, & corporeo, & ſic de reliquis gradibus vſque ad indiuidua; Quare ens completum in ſe confundit gradus inferiores; ratio enim entis completi completur & perficitur per vltimam differentiam conſtitutiuam illius gradus, qui exprimitur; non poteſt igitur ens completum diſtinctè concipi per intellectum tanquam vnus communis conceptus obiectiuus ſuperior perfectè præciſus à reliquis entibus completis: Includit enim in ſuo diſtincto conceptu omnes gradus talis naturæ realis vſque ad indiuiduum, quia per illos completur & perficitur in ratione entis completi; continet igitur gradus inferiores non ſub ſe; ſed in ſe; completur enim per illos.

6. *Secundum argumentū.* SECVNDO probatur, Si ens completum eſſet gradus ſuperior diſtinctè præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus; tunc ſequeretur quòd ens communiſſimè ſumptum diuideretur in ens completum, & in ens incompletum, cuiuſmodi eſt differentia, vt perſeitas, quæ contrahit illum gradum entis completi ſuperioris ad tale ens, ſcilicet, ad ſubſtantiam; Sed hoc dici non poteſt, quia ſequeretur illud abſurdum, quòd membrum diuidens eſſet totum diuiſum: nam quæro Vel illa differentia, vt perſeitas, quæ contrahit gradum ſuperiorem completum entis, eſt illud ens communiſſimè ſumptum, vel non; Si non, ergo eſt nihil, quod eſt falſum: Si ſic, ergo membrum diuidens, quod eſt differentia, eſſet totum diuiſum, quod eſt illud ens communiſſimè ſumptum. Et hoc quidem argumentum non militat contra aduerſarios, quia ſecundùm illos, differentia; vt perſeitas, idem includeret, quod ens completum; nam ens completum includeret ens, & perſeitatem; perſeitas autem includeret etiam ens, & ſeipſam; Quare tantùm diſtinguerentur penes diuerſum modum ſignificandi, quia ens completum ſignificatur per modum exiſtentis, ſeu ſubſiſtentis, & ideo confundit omnia inferiora vſque ad indiuidua; perſeitas verò ſignificatur per modum formæ aduenientis.

7. *Tertium argumentum.* TERTIO probatur à Suario loco cit. num. 15. Conceptus, inquit, entis completi communis decem prædicamentis prout in rectis lineis conſtituuntur, eſt impoſſibilis; nam incompletæ ſubſtantiæ ſiue phyſicæ, vt materia & forma, ſiue metaphyſicæ, vt rationalitas, non ponuntur in recta linea; & tamen ſunt perfectiores, quàm accidentia, quæ ponuntur in recta linea, habent enim aptitudinem ad per ſe ſubſiſtendum, quod eſt maxima perfectio; quare ens completum magis deberet eſſe commune ad ſubſtantias incompletas quàm ad accidentia, quæ ponuntur in recta linea.

8. *Quartum argumentū.* QVARTO probari poteſt eodem argumento, quod facit Suarius contra Scotiſtas loco citato, num. 13. Quia ſequeretur quòd ens completum eſſet vnum genus generaliſſimum ad omnia prædicamenta; haberet enim omnia requiſita ad veram rationem generis, quia eſſet quid ſuperius ad illa, & non eſſet analogum proportionis, quia ratione præſcinderet à differentiis realibus, quæ non ſunt entia completa, nec eſſet analogum attributionis; quia ſecundùm illam rationem præciſam conuenientiæ, non diceret dependentiam, ſed abſtraheret, eſſet igitur vt ſic vniuocum; *Cōfirmatio.* Et confirmatur, quia ſaltem de accidenti completo non poſſet negari, quòd non foret ſummum genus ad nouem prædicamenta; nulla enim intercedit analogia attributionis: quare ſaltem eſſent tantùm duo ſumma genera ſeu prædicamenta; alterum ſubſtantiæ, & alterum accidentis, contra Ariſtotelem & communem Peripateticorum.

SECVNDA SENTENTIA
VERIOR ET TENENDA.

9. *Secūda ſententia verior.* ENS completum dicere vnum conceptum obiectiuum communem ſuperiorem diſtinctè præciſum ſecundùm rationem. Hanc ſententiam debent admittere omnes illi, quos in ſequenti quæſtione citabimus, qui tenent ens communiſſimè ſumptum dicere conceptum obiectiuum diſtinctè præciſum ſecundùm rationem; nam rationes quæ probant de ente communiſſimè ſumpto, vt abſtrahente à completo & incompleto, multò magis probant de ente completo, quia illud imbibitur in rationibus inferioribus, hoc autem non, vnde ſumitur primum argumentum ad probandum hanc ſententiam.

10. *Primum argumentum pro hac noſtra ſententia.* ENS completum poteſt concipi ſecundùm rationem conuenientiæ ſecundùm totam eſſentiam entis completi vt abſtrahit à ſubſtantia & accidenti, & ita concipitur vt non imbibatur in rationibus inferioribus differentialibus, vt ſunt perſeitas, & inaleitas; ergo perfectè, & diſtinctè præſcindit à ſuis inferioribus. Antecedens probatur; quia omnia entia completa conueniunt in ratione entis completi, quatenus ens completum dicit rationem eſſentiæ perfectæ, cui conuenit completa exiſtentia: Differentiæ verò entis completi non ſunt huiuſmodi; quia ſunt partes ſeu gradus eſſentiæ completæ; quibus non conuenit completè exiſtere: Ratio igitur entis completi ſecundùm rationem entis completi non imbibitur in differentiis inferiorum entium. Conſequentia probatur; quia ideo aduerſarij dicunt ens communiſſimè ſumptum non poſſe diſtinctè præſcindere ſecundùm rationem ab inferioribus, quia in ipſis inferioribus, à quibus abſtrahitur, adhùc imbibitur; quia differentiæ entium adhùc ſunt entia, vt videbimus in ſequenti quæſtione. Vt igitur hæc ratio eſſet in ente completo,

Digitized by Google

non eſt dicendum, quòd ens completum non dicat conceptum perfectè præciſum ſaltem ſecundùm rationem.

11. Confirmatio. Et confirmatur; quia natura humana poteſt exiſtere à parte rei ſine ſubſiſtentia per diuinam potentiam, vt infra probabitur, & de facto quantitas, in ſanctiſſimo Sacramento exiſtit ſine inhærentia, Cur igitur non poteſt perfectè concipi natura ſecundùm aptitudinalem exiſtentiam completam in ratione exiſtentis; non conceptis differentiis quæ ſunt ſubſiſtentia, ſeu perſeitas, & inhærentia; hæ enim differentiæ ſunt extra rationem exiſtentiæ, vt exiſtentia eſt ſecundùm ſuam rationem formalem, quia ratio exiſtentiæ conſiſtit in faciendo rem extra cauſas ſuas ſiue actualiter, ſiue aptitudinaliter; perſeitas antem & inhærentia ſunt modi poſteriores conſequentes ipſam naturam exiſtentem.

12. Secundum argumentũ. Secvndo arguitur ad hominem, quia ſicut iſti Doctores dant Subſtantiam completam; ita etiam deberent dare Accidens completum; non enim obſtat ad hoc ratio Accidentis; quia genera Accidentis, vt Qualitas, Quantitas, &c. ſunt accidentia, & tamen ſunt completa, nec obſtat analogia attributionis; quia Accidens non eſt analogum ad nouem Prædicamenta; Quòd ſi detur Accidens completum, profectò erit genus ad nouem Prædicamenta, quod ipſi negant.

13. Tertium argumentum. Tertio probatur, Non poteſt aſſignari ratio cur ſubſtãtia completa præſcindat ſaltem ſecundùm rationem à gradibus inferioribus completis ſubſtantiæ vt à viuenti, ab animali, ab homine, &c. & non præſcindat ens completum ab entibus inferioribus completis, vt à ſubſtantia & accidenti, ab homine, & ab albedine, &c. nam ſicut ratio ſubſtantiæ dicit naturam in communi, cui competit per ſe ſubſiſtere; ita ratio entis completi dicit naturam ſeu eſſe eſſentiæ in communi, cui competit exiſtere extra cauſas ſuas, in qua ratione conueniunt ſubſtantia & accidens, homo, & albedo.

Neque valet ſi dicas primò quòd ens completum eſt analogum attributionis; non valet, inquam, quia quatenus conſideratur ſecundùm rationem conuenientiæ, abſtrahit à dependentia, & vt ſic non eſt analogum attributionis, quod eſſentialiter dicit dependentiam vnius ab altero, vt probatum eſt ſupra in quarta quæſtione.

Neque valet ſi dicas ſecundò, quòd ens completum compleatur & perficiatur per perſeitatem, quæ eſt differentia ſubſtantiæ; non valet, inquam, nam ſicut ſubſtantia habet ſuum complementum in ratione ſubſtantiæ, vt ſic præciſe, per rationem ſubſiſtendi; ita ens completum in ratione entis ſeu eſſentiæ, habet ſuum complementum in ratione eſſentiæ, quod explicatur per rationem exiſtendi, ſeu aptitudinalis exiſtentiæ; Eſſentia enim perfecta eſt illa, quæ perfectè exiſtit, ſeu poteſt exiſtere; nam gradus eſſentiæ, ſeu partes non dicuntur exiſtere niſi in toto; nec habent perfectam exiſtentiam in ratione exiſtentiæ; ſed potiùs phyſicè aut metaphyſicè per rationem ſaltem conſtituunt vnam totalem exiſtentiam eſſentiæ; ſicut exiſtentia materiæ, & formæ dicuntur concurrere phyſicè ad conſtituendum totum phyſicum, quod eſt homo, & animalitas, & rationalitas non dicuntur exiſtere perfecte in ſeipſis, ſed concurrunt ad conſtituendam vnam exiſtentiam totius metaphyſici.

14. Aliqui conuicti argumento dicunt tertiò, quòd non datur vnus conceptus præciſus ſecundùm rationem ſubſtantiæ completæ reſpectu omnium ſubſtantiarum completarum, vt dicunt recentiores, A quia militat, inquiunt, eadem ratio ac de ente completo, quia ſubſtantia completa etiam imbibitur in quolibet gradu ſubſtantiæ completæ, completur enim, & perficitur in ratione ſubſtantiæ completæ per vltimam differentiam conſtitutiuam illius gradus, qui exprimitur. ex. gr. Corpus, inquiunt, dicitur ſubſtantia completa, non quia habet gradum quendam ſubſtantiæ completæ ipſi immediatè communicatum; qui gradus ſubſtantiæ completæ tanquam ſuperior contrahatur per corporeum; ſed immediatè corpus conſtituitur ex ſubſtantia tanquam genere, & ex differentia corporei, ita, vt quatenus ſubſtantia ingreditur conſtitutionem Metaphyſicam gradus corporis, non ſe habeat vt ſubſtantia B completa; ſed tanquam pars incompleta, quæ ſimul cum differentia corporei conſtituit vnum gradum completum corporis. Quare per hanc vltimam differentiam corporei per quam conſtituitur gradus corporis, perficitur & completur ratio ſubſtantiæ completæ.

Sed hæc reſponſio non valet, quia ex hac reſponſione ſequeretur, quòd illa differentia, quæ de nouo aduenit conſtituens illum gradum, qui exprimitur, ſicuti eſt ex. gr. differentia corporeitatis, includeret totum id quod includit ſubſtantia completa, quæ ponitur in recta linea prædicamentali, quod à nullo neque ab ipſis aduerſariis admittitur. Confutatio.

Probatur ſequela, quia corporeum, quod eſt vlti- C ma differentia conſtituens gradum corporis eſt ens, & præterea per ſe ſubſiſtit, ergo eſt ſubſtantia completa. Antecedens eſt certum & ab omnibus admittitur; quia non eſt nihil, nec inhæret; Conſequentia probatur; quia ſubſtantia completa quæ ponitur in recta linea prædicamentali ſecundùm iſtos auctores nihil aliud includit niſi ens & perſeitatem, quòd enim ſubſtantia habeat rationem completi, non dicit ſecundùm aduerſarios aliquem conceptum præter ipſum conceptum perſeitatis, per quem perficitur & completur in ratione ſubſtantiæ, & hanc etiam perſeitatem dicit corporeum, neque dicit aliquem gradum entis completi, qui gradus tanquam ſuperior contrahatur per perſeitatem, ſicut nos dici- D mus in noſtra opinione; nam ſecundùm ipſos ens completum non dicit aliquem gradum ſuperiorem contrahibilem per ipſam perſeitatem, ſed dicitur ens completum quatenus perficitur & completur per ipſam perſeitatem; hoc autem modo etiam corporeum dicit ens completum, quia dicit ens; eſt enim extra nihil, ſicut ſubſtantia, & dicit perſeitatem, ergo dicit ens completum.

At verò ſecundùm opinionem noſtram ens completum eſt gradus perfectæ eſſentiæ, qui explicatur per exiſtentiam, ſeu per aptitudinalem exiſtentiam perfectam; qui gradus ſuperior abſtractus ab omnibus eſſentiis perfectis, in ratione eſſentiæ, ſeu exiſtentiæ, contrahitur poſtea per perſeitatem, & cor- E poreum ad ipſam ſubſtantiam & corpus. Perſeitas igitur & corporeitas quatenus concipiuntur vt differentiæ ſubſtantiæ, & corporis, non ſunt ens completum; ac propterea in opinione noſtra ſubſtantia completa includit gradum entis completi, quem non includit perſeitas & corporeitas. Quare ſi tollatur ratio huius entis completi ponendo quòd non ſit gradus diſtinctè præciſus; profectò confunditur linea prædicamentalis; nam differentiæ, quæ ponuntur à latere, idem includerent, ac genera & ſpecies, quæ ponuntur in recta linea.

Quartò dicunt alij, quòd genera & ſpecies ſignificantur per modum exiſtentis, ſeu ſubſiſtentis, & ideo confundunt omnia inferiora vſque ad indiui- 15.

Digitized by Google

dua; differentia verò ſignificatur per modum formæ aduenientis; Corpus enim dicit omnes gradus ſuperiores explicitè, & confundit inferiores; non ſic autem corporeum.

Confutatur. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, non quamuis corpus confundat omnes gradus inferiores, quia ſignificatur per modum ſubſiſtentis, quatenus tamen eſt gradus completus, dicit expreſsè, & eſſentialiter gradus ſuperiores, & in hoc differt eſſentialiter à differentia. Vnde ſi corpus ſumatur in abſtracto, differt à corporeo; ita etiam animalitas differt à ſenſitiuo, quia tam gradus corporis; quàm gradus animalis ſunt extra rationem differentiæ conſtitutiuæ, vt communiter dicunt Philoſophi, quod quidem non poteſt dici in opinione iſtorum, quia ſe- B queretur in opinione iſtorum, quòd differentia corporeitatis expreſsè, & eſſentialiter includeret omnem rationem, quam includit gradus corporis; nam includit ſeipſam & rationes ſuperiores, perſeitatem, ſcilicèt, & ens, eo modo quo includit gradus corporis, vt fusè probatum eſt paulò ſuperiùs in tertia reſponſione.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ

16. Reſponſio ad argumēta primæ ſententiæ. Ad primum. AD primū negatur gradum entis compl[eti], con- C ſtitui in eſſe entis completi per illum gradum, per quem conſtituitur in eſſe reali talis naturæ. Sed ens completum eſt gradus eſſentiæ perfectæ, qui explicatur per exiſtentiam actualem ſeu aptitudinalem perfectam, quæ competit ſoli eſſentiæ perfectæ, & non partibus vel gradibus ipſius; & hic gradus eſt gradus conuenientiæ, in quo conueniunt omnes ſubſtantiæ completæ, & accidentia completa quæ ponuntur in recta linea prædicamentali; & hic gradus conuenientiæ concipitur contrahi, tanquam ſuperior per differentias inferiores, vt fuſe probatum eſt ſuprà in prima & tertia ratione noſtræ ſententiæ.

17. Ad ſecundū. AD ſecundam reſpondetur, Argumentum militare contra Scotiſtas, qui dicunt ens communiſſimè D ſumptum, quod diuiditur per ens completum & incompletum, præſcindere à parte rei, non autem militat contra nos, quia, vt dicemus in ſequenti quæſtione, ens communiſſimè ſumptum, eſt præciſum tantùm ſecundùm rationem, atque adeò in opinione noſtra non eſt inconueniens dicere, quòd differentia, vt perſeitas, quæ eſt membrum diuidens, non ſit illud ens communiſſimè ſumptum, quod eſt diuiſum, quia illud ſecundùm rationem abſtrahit negatiuè per indifferentiam à completo & incompleto: at verò ens incompletum non abſtrahit, ſed poſitiuè eſt ens incompletum, non tamen hinc ſequetur, quòd ens incompletum ſit nihil, quia ſiſten- E do in opere intellectus, illud ens incompletum eſt ens contractum & limitatum; ſicut homo includit in ſe animal non abſtractè, ſed contractè: at verò à parte rei illud ens communiſſimè ſumptum non præſcindit ab ente completo, ſed confunditur; nam per eundem gradum, per quem perſeitas eſt perſeitas, eſt ens.

18. Ad tertium. AD tertium reſpondetur, quòd quamuis ſubſtantia imperfecta ſit magis ens, quàm accidens cōpletum, quia poteſt per ſe ſubſiſtere; in ratione tamen entis completi, vt ens completum eſt, accidens completum eſt magis ens, quàm ſubſtantia incompleta; quia accidens completum includit gradum ſuperiorem entis completi, quem non includit ſub- A ſtantia incompleta; & hinc eſt quod Ariſtoteles ſubſtantiam incompletam ponit à latere lineæ prædicamentalis; accidentia verò ponit in recta linea.

AD quartum, Argumentum militat contra Scotiſtas qui dant vniuocationem in ente, non autem 19. Ad quartū. contra nos, qui illam negamus, vt dicetur in ſeptima quæſtione, vbi examinabitur hæc materia; ad confirmationem de accidenti reſpondebitur ibidem.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm conceptus entis latiſſimè ſumpti, vt abſtrahit à completo, & incompleto, vt eſt analogus proportionis, ſit conceptus obiectiuus diſtinctè, ſeu perfectè præciſus ſecundùm rationem.

PRIMA ſententia negat dari vnum conceptum obiectiuum entis latiſſimè ſumpti, 1. Prima ſententia. Soncin. Erue. nec etiam confuſum ſecundùm rationem; Ita Soncin. 4. met. quæſt. 2. & Erueus quodlib. 2. quæſt. 7. qui admittunt quidem vnum conceptum formalem entis, ſed dicunt per illum repræſentari immediatè hoc diſiunctum (ſubſtantia, vel accidens;) ita etiam videtur ſentire Caiet. qui id vni- Caiet. C uerſaliter docet in omnibus analogis attributionis, vt vidimus in quæſtione quarta; quamuis ab aliis citetur in oppoſitum pro ſecunda ſententia in opuſculo de Analogia nominum cap. 4. & 6.

Solet pro hac ſententia citari Fonſ. ſed imme- Fonſ. ritò, eſt enim potiùs pro ſecunda ſententia, vt mox dicemus; Omitto argumenta pro hac ſententia, ſi quid enim probant, probant conceptum entis non eſſe diſtinctum, & præciſum, vt mox dicetur in ſecunda ſententia.

SECVNDA ſententia eſt Ferr. 1. contr. gent. c. 34. 2. Secūda ſententia. Ferr. qui admittit vnum conceptum communem entis ſecundùm rationem, negat tamen illum eſſe diſtinctum, ſeu præciſum; ſed dicit tantùm eſſe confuſum, quia implicitè in illo includuntur omnes rationes D inferiores entium; appellat autem hunc conceptum confuſum, conceptum quid nominis, quatenus audito nomine entis concipit intellectus inconfusè habitudinem ad eſſe; proprius autem, inquit, conceptus realis, qui eſt quid rei, non eſt vnus; ſed multiplex.

Huc etiam accedit Fonſeca 4. metaph. cap. 2. Fonſ. quæſt. 2. ſect. 3. vbi videtur admittere conceptum confuſum obiectiuum entis ſecundùm rationem quandam conuenientiæ; diſtinctè autem dicit in ſect. 7. repræſentari omnes rationes entis; Dat etiam Fonſeca præter conceptum entis confuſum, conceptum quendam medium, qui partim eſt confuſus, partim diſtinctus; & ſecundùm hunc conce- E ptum medium, inquit, poſſet dici eſſe vnum, quatenus determinatè repræſentat ſubſtantiam, cætera verò accidentia cum proportione quadam ad ſubſtantiam; non negat tamen quod ens ſecundùm conceptum confuſum dicat vnam rationem conuenientiæ communem omnibus decem prædicamentis; & hanc etiam ſecundam ſententiam tenent multi recentiores.

PROBATVR autem hæc ſententia, I. auctoritate Ariſtotelis 8. met. tex. 16. vbi ait, ſtatim vnum- 3. Argumenta pro hac ſecunda ſententia. Primum ex Ariſtotele. quodque eſt ens quoddam, & vnum quoddam, & ſic ſumma genera non addunt aliquid ſupra ens; & 4. met. tex. 3. dicit quod ens, & vnum ſunt idem, & vna natura; & 1. phyſ. tex. 3. improbat Parmenidem,

dem, qui [...]bat hunc ſyllogiſmum (Quidquid eſt præter ens, eſt non ens, ſed non ens eſt nihil, ergo quidquid eſt præter ens eſt nihil: ſed ens eſt vnum: ergo quidquid eſt præter vnum eſt nihil:) quæ quidem Parmenidis ratio eſſet bona, ſi daretur vnus conceptus entis obiectiuus præciſus, quia quidquid eſt præter illum vnum conceptum, eſt nihil.

Secundum, & eſt fundamentũ huius ſententiæ. II. probatur. Conceptus, in quo includuntur differentiæ, ſeu rationes inferiores, non poteſt eſſe vnus ſimpliciter, ſeu diſtinctus ſecundùm rationem: ſed differentiæ inuoluuntur in conceptu entis, quia non poſſunt præſcindere ab ente: ergo conceptus entis non poteſt eſſe vnus, & diſtinctus ſecundùm rationem: Minor patet: Maior probatur: quia illud quod inuoluitur in alio, non ſuperadditur B illi: ſed includitur in illo, ſicut rationale, quia inuoluitur in conceptu hominis, non dicitur ſupperaddi homini: ſed includi in homine: Sicut igitur non poteſt homo diſtinctè concipi ſine rationalitate: quia conciperetur ſine ſua eſſentia: poteſt tamen concipi confusè vt definitum, in cuius conceptu non repræſentatur explicitè definitio, quæ eſt animal rationale; ita etiam dicendum de ente; & hoc eſt fundamentum huius ſententiæ.

Tertium, & eſt alterum fundamentum huius ſecũdæ ſententiæ. III. Quomodo poteſt eſſe, vt ratio entis ſit præciſa ab inferioribus, & quod adhùc remaneat in inferioribus; cùm nihil ſit aliud præſcindi, quàm ſeparari per rationem; ſi ergo ratio entis iam eſt ſeparata per rationem; ergo rationes inferiorès non C poſſunt habere illam; & hoc eſt alterum fundamentum in hac ſecunda ſententia: & ab his duobus fundamentis dependent reliqua ferè omnia argumenta.

Quartum. IV. probatur. Tunc dicitur conceptus præciſus & diſtinctus ſecundùm rationem, quando in inferioribus, à quibus præſcinditur, aſſignari poſſunt duo conceptus inuicem diſtincti, alter rationis ſuperioris communis; alter differentiæ propriæ, vt patet in animali, & aliis rationibus ſuperioribus vniuocis, ſed in inferioribus ipſius entis non poſſunt aſſignari iſti duo conceptus inuicem diſtincti; nam conceptus differentiæ propriæ includit eſſentialiter rationem communem ſuperiorem entis; ergo, &c.

Quintum. V. Si ens præſcinderet à rationibus inferioribus, D ſequeretur dari proceſſum in infinitum: nam in ratione inferiori, à qua eſt præciſum ens, adhùc remanet ratio communis entis, & ratio propria, ergo poteſt adhùc præſcindi conceptus entis, & ſic in infinitum.

[Sext]um. VI. Vel rationes inferiores, à quibus præſcindit ens, ſunt entia vel non: non dicendum quod non; ſi ſic, ergo ens præſcindet à ſe ipſo.

[Sept]imum. VII. Si daretur ratio entis vna communis, ſequeretur, quòd nulla daretur diſtinctio entium: Probatur, quia rationes particularium entium non poſſunt eſſe diuerſæ ab hac ratione communi, quia alioquin non eſſent entia: ergo ſunt idem: ergo nulla daretur diſtinctio entium.

[Octau]um. VIII. Ratio præciſa entis includit rationem E formalem ſuam in quocumque reperitur: ſed ratio formalis entis reperitur in differentiis inferioribus entium facta quacumque præciſione: ergo ratio entis præciſa includit rationes inferiores in ſua ratione formali: ergo non poteſt diſtinctè præſcindere ſecundùm rationem ab illis.

Nonum. IX. Ens præciſum ſecundùm rationem prædicatur de inferioribus, iudicatur igitur ineſſe in inferioribus: hoc eſt enim prædicari, ergo includitur in illis: quomodo igitur poteſt eſſe præciſum ab illis ſi eſt incluſum in illis. Nec valet ſi dicas quòd animal eſt præciſum ab homine, & tamen prædicatur A de homine, vt incluſum in illo: non, inquam, valet, quia ita animal eſt incluſum in homine, vt non quicquid eſt in homine, ſit animal, nam rationale formaliter non eſt animal: at verò in inferioribus nihil eſt, quod non ſit ens: quare ipſum ens ſimul eſſet incluſum, & præciſum, & prædicaretur de ſe ipſo.

X. Si ens præſcinderet à rationibus inferioribus, ſequeretur, quòd rationes inferiores deberent concipi, vt modificantes rationem ſuperiorem; ſed hoc eſt impoſſibile: quia cùm includant ipſum ens, non poſſunt modificare, & conſtituere ens: ideo enim rationale modificat, & conſtituit hominem; quia ſuperadditur, & diſtinguitur formaliter ab animali. Decimum.

XI. Si ens præſcinderet: tunc ſumma genera non eſſent primò diuerſa: daretur enim aliquod commune ipſis ſummis generibus, contra Ariſtot. 10. Metaph. text. 15. & 12. Metaph. tex. 12. Et confirmatur, quia prædicamenta ſunt conceptus ſimpliciter ſimplices ſecundùm Ariſtotelem: at ſi ens eſſet præciſum, tunc conceptus ſubſtantiæ non eſſet vnus ſimpliciſſimus: quia conſtaret ex conceptu entis, qui cùm ſit præciſus: eſſet integer & ſimpliciſſimus, & ex conceptu perſeitatis. Vndecimũ.

XII. Si ratio entis præſcinderet, tunc illa ratio, vel eſſet abſoluta, vel reſpectiua; quia inter abſolutum [...]ſpectiuum non datur medium: nam reſpectiuum [...]ad aliud, abſolutum non eſt ad aliud: Non poteſt autem dici, quòd ratio illa entis ſit abſoluta: quia tunc non poſſet contrahi per reſpectiuum, nam alioquin illud contractum eſſet abſolutum & reſpectiuum ſimul: neque poteſt dici quòd ratio illa entis ſit reſpectiua; quia propter eandem rationem non poſſet contrahi ad abſolutum. Duodecimum.

XIII. Si ratio entis eſſet conceptus perfectè præciſus, ſequeretur quòd eſſet ratio vniuoca: nam in illa ratione præciſa entis non eſt dependentia, ſed tantùm eſt in rationibus inferioribus: ſicut ratio præciſa animalis, vt præciſa, eſt æqualis inferioribus, quamuis ab inferioribus inæqualiter participetur. Decimum tertium.

XIV. Si ratio entis præſcinderet, ſequeretur quòd ratio entis ſæpius repeteretur in definitione: ac propterea negat Ariſtoteles differentiam eſſe genus; quia bis idem repeteretur: Si enim rationale eſſet animal, valeret dicere (homo eſt animal, animal rationis, capax.) Eodem modo ſi ens præſcinderet à rationalitate, quia adhuc includeretur in rationalitate; rationalitas enim non poteſt præſcindere ab ente; ſequeretur quòd, cùm definitur rationalitas, bis repeteretur ens, nam diceretur, quòd rationalitas ſit ens, ens principium diſcurrendi. Decimum quartum.

XV. Si ens daretur præciſum, ſequeretur quòd ens eſſet prius natura ipſo Deo, quod eſt abſurdum. Sequela probatur, nam Ariſtoteles in poſtprædicamentis cap. de priori: prius natura dicit eſſe illud, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia: ſed ſi daretur ens præciſum, valeret dicere (eſt Deus, ergo ens:) non tamen (eſt ens, ergo Deus.) Decimum quintum.

PRIMA CONCLVSIO.

Certvm eſt, ens, vt eſt analogũ porportionis, habere vnum conceptum obiectiuum communem, ſaltem confuſum. In hac concluſione conueniunt omnes philoſophi præter Soncin. & Eru. ſuprà citatos, & eſt expreſſa Ariſtotelis qui dicit 5. Met. tex. 12. dari vnitatem analogicam: & 4. Met. tex. 7. dicit Metaphyſicum conſiderare ens in quantum 4. Prima concluſio.

Digitized by Google

tum ens: Illud autem ens quod conſiderat Metaphyſicus, eſt ens in communi, in quo conueniunt omnia entia particularia, quæ ſunt obiecta particularium ſcientiarum. A

Prima ratio. Probant autem hanc concluſionem primò aliqui graues recentiores, Quia vni conceptui formali, (inquiũt) debet reſpondere vnus adæquatus conceptus obiectiuus: ſed ſecundùm Soncinnatem & Erueum datur vnus conceptus formalis entis; ergo, ad hominem arguendo, debet dari vnus conceptus obiectiuus ſaltem confuſus. Refellitur hæc prima ratio. Sed hæc ratio non ſatis vrget contra aduerſarios, quia poſſent dicere, quòd eſt vnus conceptus formalis in ratione rei, multiplex tamen in ratione imaginis, ita vt per vnum conceptum formalem, repræſentetur totum hoc B diſiunctum, ſubſtantia vel accidens.

Sed inſtant recentiores non poſſe illud diſiunctum concipi ſub propriis rationibus differentialibus, quia ab intellectu humano ob ſui imperfectionem non poſſunt concipi plura vt plura niſi ſub ratione vnius. Reſpondetur poſſe ſaltem concipi ab intellectu humano plura vt plura, non quidem diſtinctè, ſed confuſè, concipiendo ſubſtantiam confuſè ſub ratione cuiuſdam entis ſubſtantis, & accidens ſub ratione inhærentis & aduenientis, non penetrando diſtinctè naturam ſubſtantiæ, & accidentis.

5. Secunda ratio refellitur. Secundò probant alij argumento Scoti, quod argumentum ſaltem, (inquiunt) probat conceptum C confuſum entis; Intellectus (inquiunt) certus de vno, & dubius de alio, præſcindit id, de quo eſt certus, ab eo, de quo eſt dubius; Sed intellectus eſt certus, quòd lumen eſt ens, & dubitat an ſit ſubſtantia vel accidens; ergo ab intellectu concipitur ens ſub ratione conuenientiæ ſaltem confuſè, non concipien-
6. do ſubſtantiam, & accidens. Sed neque hæc ratio vrget; nam poſſent dicere Soncinnas & Erueus, quòd id, de quo eſt certus intellectus eſt illud diſiunctum, quòd, ſcilicet, lumen eſt ſubſtantia, vel accidens; dubitat autem an ſit determinatè ſubſtantia; vel determinatè accidens.

7. Tertia ratio à priori. Tertiò probatur efficaciter, & communiter à priori, Omnia entia conueniunt in eo quòd habent D habitudinem ad eſſe, quatenus ſunt extra nihil, ſeu ſunt vel eſſe poſſunt extra ſuas cauſas; poteſt igitur ab intellectu concipi iſta habitudo ad eſſe; quæ eſt ratio conuenientiæ non conceptis rationibus inferioribus inter ſe differentibus; nulla enim poteſt aſſignari ratio, quare hoc fieri non poſſit, imò vt bene aduertit Suar. quòd cùm concipimus ens non concipere naturas inferiores.

8. Soluuntur argumenta contra hanc concluſionem. Argumenta quæ fieri ſolent contra hanc concluſionem vel probant ens, vt eſt analogum attributionis, non dicere aliquem conceptum communem confuſum; quod quidem verum eſſe oſtendimus in quarta quæſtione; quia cùm analogia attributionis dicat eſſentialiter dependentiam vnius E ab altero, non poteſt ens, vt analogum attributionis, concipi niſi conceptis analogatis: quorum vnum concipiatur, vt independens; alterum vt dependens; vnde ſequitur, quòd ſi ens concipiatur vt analogum attributionis; non poſſit concipi immediatè illud diſiunctum ſubſtantia vel accidens, vt dicebãt Sonc. Erue. Soncin. & Eru. quia illud diſiunctum æquè dicitur de vtroque. Alia verò argumenta quæ fieri ſolent, probant, ſi quid probant, ens, vt analogum proportionis, non dicere conceptum diſtinctum, non autem, non dicere conceptum ſaltem confuſum; Sed quod neque illud probent, oſtendemus infrà in reſponſione ad argumenta ſecundæ ſententiæ.

SECVNDA CONCLVSIO.

CONCEPTVS obiectiuus entis, vt ens eſt analogum proportionis, non ſolùm eſt vnus, & 9. Secunda cõcluſio de qua eſt controuerſia.
communis; ſed diſtinctus, & perfectè præciſus ſecũdùm rationem ab inferioribus; & de hoc eſt peculiaris controuerſia inter Philoſophos. Hanc tamen noſtram concluſionem inter Thomiſtas tenet Capreolus in 1. diſt. 2. quæſt. 1. Sotus in prædicamentis cap. 4. Iauellus 4. met. quæſt. 1. Suarius diſp. 2. met. ſect. 2. qui vt ſolet ſatis bene illam explicat, tenent etiam omnes Scotiſtæ cum Scoto in 1. diſt. 3. q. 1. & in 3. diſt. 8. q. 1. & in 2. diſt. 3. q. 3. quamuis Scotiſtæ plus dicant, quàm dicat Scotus, tenent enim præciſionem à parte rei, quam nos infrà impugnabimus in octaua quæſtione, Scotus autem 10. Metap. tex. 3. videtur tantùm ponere præciſionem ſecundùm prædicationem. Capr. Sotus. Iauel. Suar. Scotus. Scotus.

PROBANT primò aliqui graues recentiores, quia conceptu formali diſtincto correſpondere debet vnus conceptus obiectiuus diſtinctus: ſed conceptus formalis, quo concipitur ens, eſt diſtinctus ab aliis conceptibus; ergo debet illi correſpondere vnus conceptus obiectiuus entis diſtinctus. Prima ratio pro hac aſſertione.

Sed hæc ratio non ſatis vrget: nam poſſent dicere aduerſarij, quòd conceptus formalis entis ſit diſtinctus in ratione rei ab aliis conceptibus formalibus; ſit tamen confuſus in ratione imaginis, quatenus repræſentatur ens in confuſo; non enim id quod dicitur de repræſentatiuo in ratione rei, debet affirmari de repræſentatiuo in ratione imaginis; ſicut imago Crucifixi in ratione rei eſt quid emortuum; in ratione verò imaginis eſt quid viuum, repræſentat enim Crucifixum viuum. Refellitur hæc prima ratio.

SECVNDO probant communiter alij, quia in communi conceptu entis illud tantùm includitur, 10. Secunda ratio refellitur.
quod cognoſcitur; ſed in illo conceptu communi obiectiuo entis ita cognoſcitur communis ratio entis; vt nullo modo Subſtantia aut Accidens cognoſcatur; ergo ratio illa communis entis eſt præciſa à ratione propria Subſtantiæ & Accidentis, quæ non cognoſcitur ſimul cum illa ratione communi.

Sed neque hæc ratio vrget; quia poſſent dicere aduerſarij; quòd tunc dicitur conceptus obiectiuus diſtinctus & præciſus, quando in inferioribus, à quibus præſcinditur, poſſunt aſſignari duo conceptus obiectiui inuicem diſtincti, & hoc modo conceptus obiectiuus animalis, eſt conceptus obiectiuus diſtinctus & præciſus; quia in homine, & leone, à quibus præſcinditur, poſſunt aſſignari duo conceptus obiectiui diſtincti, alter animalis, & alter rationalis, vel irrationalis; rationale enim vel irrationale non eſt animal formaliter. Non ſic autem eſt in ente; non enim poſſunt in inferioribus aſſignari duo conceptus, alter entis, & alter talis entis; nam taleitas illa adhuc formaliter eſt ens: Quamuis igitur cùm cognoſcitur ens in communi, non cognoſcantur inferiora, non propterea argui poteſt, quòd ſit conceptus obiectiuus diſtinctus ſecundùm rationem; ſed confuſus, quia ab intellectu ob imperfectionem non cognoſcuntur omnia, quæ includuntur in illo conceptu.

TERTIO probant alij eodem fere argumento; 11.
Quotieſcunque, inquiunt, eſt vnus conceptus repræſentatiuus vnius eſſentiæ, & non repræſentatiuus alterius; talis conceptus eſt præciſus & diſtinctus ratione à conceptu repræſentatiuo alterius eſſentiæ, quamuis à parte rei vna eſſentia includat aliam; nam ſecundùm illos, qui non dant gradus diſtin- Tertia ratio refellitur.

ctos à parte rei;natura animalis non eſt diſtincta à natura rationalitatis; ſed eſt vna ſimplex entitas, & tamen non propterea negatur, quòd conceptus animalis non ſit diſtinctus & præciſus ſecundùm rationem à conceptu rationalitatis, & non alia ratione; niſi quia conceptus obiectiuus animalis eſt repræſentatiuus eſſentiæ animalis, & non rationalitatis; Ergo cùm conceptus obiectiuus entis ſit repræſentatiuus eſſentiæ entis, & non repræſentatiuus eſſentiæ perſeitatis, ſeu inaleitatis; eſt diſtinctus & vnus, præciſus ratione, etiamſi à parte rei perſeitas non præſcindat ab ente.

Sed neque hæc ratio vrget, nam poſſet dici quòd ſubſtantia & accidens implicitè repræſentantur in conceptu entis;quia cùm ſint entia,includuntur in ente; explicitè tamen repræſentantur in conceptu entis;quia cùm ſint entia,includuntur in ente; explicitè repræſentantur per conceptus diſtinctos, quod patet exemplo diffiniti & diffinitionis; nam diffinitum concipitur non concepta diffinitione, & tamen quia diffinitio includitur implicitè in conceptu diffiniti; non poteſt dici, quòd conceptus diffiniti ſit conceptus diſtinctus & præciſus ratione à conceptu diſtincto diffinitionis. Nec valet exemplum allatum de animali; quamuis enim ſit vnum identicè cum rationali; non tamen includitur formaliter in rationali;at verò ens non ſolùm eſt vnum identicè cum perſeitate, ſed includitur formaliter in ipſa perſeitate. Quare dicendū eſt,quòd illa ratio quæ communiter affertur, quòd quia ens concipitur ſine inferioribus,ideo eſt præciſum ab inferioribus; nō valet vniuerſaliter;nā poſſunt in illo cōceptu includi implicitè ea,quæ in tali cōceptu confundūtur.

12. *Quarta ratio verior, & à priori.*

QVARTO igitur probo efficaciter à priori,Intellectus concipit ens ſecundùm rationem conuenientiæ,quæ explicatur per habitudinem ad eſſe,vt probarum eſt in prima concluſione: Sed hæc ratio concepta entis ex natura ſua non includit inferiora in ſe,ſed ſub ſe, ſeu poteſtatiuè; quia ex natura ſua non dicit rationes inferiores; alioquin vbicumque reperiretur ratio entis, reperiretur ratio ſubſtantiæ, ergo conceptus ille obiectiuus entis, eſt diſtinctus, & præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus; concipitur enim ſecundùm totum id quod competit enti eſſentialiter; & ſecundùm totum id quod includit in ſe; concipitur igitur vt quid diſtinctum & præciſum ab inferioribus.

13. *Obiectio contra rationem allatam. Solutio.*

Quòd ſi dicas, ſubſtantia & accidens, ſeu perſeitas,& inaleitas non præſcindunt ab ente;ergo includuntur in ente; Reſpondetur quòd rationes inferiores includuntur in ente ex natura inferiorum, non autem quòd ens, vt ens,ex natura ſua includat inferiora; ſed ſecundùm rationem præſcindit ab illis;quia ratio illa entis,vt dicit rationem conuenientiæ ſecundùm habitudinem ad eſſe, non eſt neque ſubſtantia neque accidens.

14. Poteſt autem quod dictum eſt, oſtendi primò exemplo in diuinis, nam plures ex illis Doctoribus, qui tenent conceptum entis confuſum,tenent relationes diuinas formaliter in ſuo conceptu includere eſſentiam diuinam; quia ſunt quid increatum, & tamen eſſentia diuina ſecundùm rationem præciſam eſſentiæ, non includit formaliter relationes: tota enim perfectio eſſentialis eſſentiæ diuinæ communicata eſt Filio, & tamen non eſt communicata formaliter paternitas.

Secundò poteſt oſtendi exemplo de actu exiſtendi, quia non ſolùm ſecundùm rationem, ſed etiam à parte rei poteſt dari ſine ſuis modis actualibus ſubſiſtendi, vel inhærendi: poſſet enim à Deo conſeruari natura humana ſine vllo actu ſubſiſtendi, vt infrà oſtendemus in ſeptima quæſtione, & de facto quantitas in ſanctiſſimo Sacramento exiſtit ſine actu inhærendi: & tamen actus ſubſiſtendi, & actus inhærendi qui ſunt modi naturæ realis, non poſſunt dari ſine actu exiſtendi: ita ſimiliter ens, quod explicatur per habitudinem ad eſſe, poteſt ſaltem ſecundùm rationem quantùm eſt ex natura ſua, præſcindere ſecundùm ſuam eſſentiam à rationibus inferioribus perſeitatis,& inhærentiæ: quamuis rationes inferiores non poſſint præſcindere ab illa ratione entis, quæ eſt habitudo ad eſſe.

SED contra hanc ſecundam concluſionem,ſunt argumenta difficilia ſecundæ ſententiæ, præſertim ſecundum & tertium,quæ reddunt illam ſententiam probabilem. 15.

Notāda pro ſolutione argumentorum quæ ſunt contra hanc ſecundam cōcluſionem.

Pro ſolutione autem omnium ferè argumentorum notandum eſt, quòd rationes inferiores entis, licèt non præſcindant ab ente, ſunt tamen limitatiuæ entis: exprimunt enim aliquam rationem peculiarem entis, per quam illud ens in communi dicitur contrahi ad tale ens: ac propterea differunt formaliter ratio ſuperior entis, à tali ratione inferiori limitatiua,ſicut incluſum & includens, & ſicut inadæquatum ab adæquato; nam ratio ſuperior entis eſt incluſa: inferior verò eſt includens. Rurſus ratio ſuperior quamuis non ſit actualiter omnia entia in particulari adæquatè: dicitur tamen ens adæquatum ſecundùm prædicationem, quia formaliter prædicatur de omnibus entibus: ratio verò inferior eſt ens inadæquatum: quia exprimit aliquam rationem limitatam entis, cum qua non poteſt ſtare alia ratio entis:Dum enim ratio perſeitatis additur enti ſecundùm rationem, limitat, & contrahit ens, ne ſe extendat ad alia prædicamenta: quæ quidem limitatio explicatur per negationem:nam ſubſtantia in ſuo conceptu poſitiuo includit intrinſecè negationem accidentis.

Hinc ſequuntur tria: Primum,quòd ratio ſuperior entis præciſa ſecundùm rationem dicit perſeitatem, & inhærentiam negatiuè ſeu per indifferentiam:contracta verò,ſeu limitata ad perſeitatem ſeu ad inhærentiam dicit iſtos modos poſitiuè: nam rationi entis contractæ per perſeitatem repugnat ratio inhærentiæ,quæ quidem non repugnat enti abſtracto per rationem.

Secundò ſequitur, quòd iſtæ duæ propoſitiones ſint veræ (Perſeitas eſt formaliter entitas) & hæc alia (Conceptus perſeitatis, non eſt conceptus entitatis) quia in priori propoſitione ſignificatur quòd ratio perſeitatis quidditatiuè includat ens, quod eſt verum ; in ſecunda verò propoſitione ſignificatur,quòd aliquid includitur in conceptu perſeitatis,quod non includitur in conceptu entis, qui eſt ratio abſtracta, & illimitata: quia in conceptu perſeitatis includitur ipſa perſeitas, quæ formaliter non includitur in conceptu entis abſtracti per rationem, & illimitati; ratio enim inferior, quamuis ſit formaliter ens, non tamen includitur formaliter in ratione illa entis abſtracta per rationem; quia ratio illa ſuperior entis eſt illimitata, ratio verò inferior eſt limitata: & propterea dixi ſuprà rationem abſtractam ſuperiorem entis eſſe incluſam, & non includentem,rationem verò inferiorem limitatam, eſſe includentem & non incluſam.

Tertiò ſequitur,bene poſſe ſaluari ſecundùm noſtram ſententiam,prædicamenta eſſe conceptus ſimpliciter ſimplices, & primò diuerſos, & ſe ipſis differre;quia id,quod addunt ſupra ens, non eſt aliquis nouus gradus à parte rei diſtinctus ab ente: ſed tantùm

tùm

Digitized by Google

tùm hæc additio eſt per intellectum quatenus concipitur per intellectum ratio entis ſuperior illimitata, quæ poſtea contrahitur per rationem limitatiuam, in qua explicatur ratio entis in particulari, quæ includit poſitiuè negationem alterius entis: quæ ratio limitatiua non includebatur in illa ratione ſuperiori entis illimitata, & præciſa per intellectum.

16. Reſponſio ad argumẽta ſecundæ ſententiæ quæ ſunt contra ſecundam cõcluſionem. Ad primũ, ex Ariſtotele.

His poſitis reſpondetur ad argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ, ſi quid probant, probant potiùs non dari præciſionem entis à parte rei; non autem per intellectum tantùm, & ad primum ex Ariſtotele reſpondetur ad primum locum in 8. Metaph. ibi Ariſtotelem tantùm velle, quòd decem prædicamenta, non addunt aliquid noui ſupra ens; quod nos concedimus; Ad ſecundum locum in 4. Metaph. reſpondetur, ex Sancto Thoma ibidem, quòd tantùm Ariſtoteles vult ens, & vnum, ſignificare vnam naturam ſecundùm diuerſas rationes, & non eſſe ſynonyma, ſicut veſtis, & indumentum; Ad tertium locum 1. Phyſ. reſpondetur ex Diuo Thoma, quòd ſi ens ſumatur in communi, eſt vera ratio Parmenidis; Sed Parmenides in priori ſyllogiſmo ſumebat ens in communi ſecundùm propriam rationem formalem; in ſecundo verò ſyllogiſmo quando ſubſumebat (omne ens eſt vnum) ſumebat pro particularibus entibus, & hoc eſt falſum, quia entia ſunt plura, & fallacia ſtat in hoc, quia licèt quodlibet ens ſit vnum, non tamen hoc aufert pluralitatem entium.

17. Reſpõſio ad ſecundum.

Ad ſecundum, quod eſt fundamentum illius ſententiæ, reſpondetur ex notabili poſito, argumentum quidem concludere ens non eſſe præciſum à parte rei, non tamen non eſſe præciſum ſecundùm rationem; & cùm dicitur quòd differentiæ inferiores inuoluuntur & includuntur in ente, reſpondetur non includi in ente abſtracto ſecundùm rationem limitatiuam; quia illa ratio abſtracta eſt illimitata; ſed includi & inuolui ſecundùm rationem conuenientiæ, quam abſtrahit intellectus à rationibus limitatiuis; quæ quidem, vt dictum eſt, includunt illud ens ſuperius, non autem includuntur in illo.

18. Reſpõſio ad tertium.

Ad tertium, quod eſt alterum fundamentum ſecundæ ſententiæ, reſpondetur, quòd ratio entis ſuperior ex natura ſua præſcindit à rationibus inferioribus; remanet tamen in inferioribus ex natura inferiorum, vt dictum eſt ſuprà.

19. Reſpõſio ad quartum.

Ad quartum conceditur Maior; ſed negatur quod ſecundùm rationem non poſſunt aſſignari duo conceptus diſtincti in ente, alter rationis ſuperioris, & communis; alter rationis inferioris limitatæ; probatum eſt enim ſuprà, quòd poteſt diſtinctè concipi ratio ſuperior entis non conceptis rationibus inferioribus; quia ex natura ſua præſcindit ab illis; ratio verò inferior entis tunc concipitur diſtinctè, cùm concipitur ſecundùm rationem limitatam entis; hic autem conceptus rationis inferioris eſt diſtinctus à conceptu rationis ſuperioris; quia ratio inferior includit intrinſecè, & eſſentialiter in ſuo conceptu rationem limitatam entis, quam non includit ex natura ſua ratio ſuperior entis, quæ eſt illimitata.

20. Reſpõſio ad quintum.

Ad quintum reſpondetur, quòd ens præſcinditur à ratione ſecundùm totam rationem conuenientiæ ab inferioribus: & vt ſic, eſt ratio ſuperior & illimitata; Et cùm inſtatur, adhuc remanere ratio entis in inferioribus: Reſpondetur, quòd non remanet ex natura ſuperioris entis, ſed ex natura inferiorum, quæ non poſſunt præſcindere ab ente: ratio igitur ſuperior entis eſt totaliter præciſa ſecundùm rationem, ſecundùm totum id quod competit enti ex natura entis, vt ens eſt: ac propterea non poteſt aliquid aliud de nouo præſcindi ab inferioribus, quod non fuerit incluſum in illa ratione conuenientiæ entis priùs præciſa ſecundùm rationem: ceſſat igitur proceſſus in infinitum in præciſionibus.

21. Reſpõſio ad ſextum.

Ad ſextum reſpondetur, quòd cùm per rationem præſcinditur ens, præſcinditur à rationibus inferioribus limitatis: quare non præſcinditur à ſe ipſo; conceptus enim ſuperior entis, qui præſcinditur, eſt ratio ſuperior & illimitata dicens per indifferentiam ſubſtantiam & accidens; at verò rationes inferiores ſunt limitatæ, & vna eſſentialiter includit negationem alterius; ſubſtantia enim aut perſeitas dicit intrinſecè negationẽ accidentis, ſeu inaleitatis.

22. Reſpõſio ad ſeptimum.

Ad ſeptimum reſpondetur, quod rationes inferiores entis ſunt diuerſæ à ratione communi; non quòd addant aliquid noui, ſed quia, vt dictum eſt, ſunt limitatæ; atque adeò vna includit eſſentialiter negationem alterius; at verò ratio ſuperior communis nullam rationem inferiorem dicit poſitiuè; ſed tantùm per indifferentiam, & negatiuè tanquam ratio ſuperior illimitata.

23. Reſpõſio ad octauum.

Ad octauum reſpondetur, verum eſſe quòd ratio præciſa entis includit ſuam rationem formalem in quocumque reperitur; Sed ratio ſua formalis eſt ratio conuenientiæ, & ideo non debet includere in ſuo conceptu rationes limitatas entium; quia entia per rationes limitatas differunt inter ſe; vna enim ratio inferior limitata includit intrinſecè negationem alterius; non igitur conceptus entis præciſus debet includere rationes inferiores entium ſecundùm illas limitationes, in quibus inuoluitur diſtinctio vnius ab alia; ſed tantùm ſecundùm rationem conuenientiæ in ipſo ente, quæ explicatur per habitudinem ad eſſe, in qua omnes rationes inferiores conueniunt.

24. Reſpõſio ad nonum.

Ad nonum reſpondetur: Aliqui dicunt quòd ens, vt comparatum ad inferiora; non dicit conceptum præciſum; ſed eſt ens limitatum; ſed hoc eſt falſum; nam ſicut in conceptu præciſo animalis; animal vt præciſum per intellectum prædicatur de homine ſecundùm rationem conuenientiæ, ſecundùm quam conuenit cum bruto, ille enim idem conceptus animalis qui eſt præciſus; iudicatur ineſſe in homine quamuis non vt præciſus, ſeu cum præciſione; ſed vt ſtat ſub præciſione; ita etiam dicendum eſt de ente: Et cum inſtatur, quòd cùm animal prædicatur de homine, non prædicatur de ſe ipſo, quia in homine includitur rationale, quod non eſt formaliter animal; at verò cùm ens prædicatur de ſubſtantia, prædicatur de ſe ipſo; quia perſeitas, quæ eſt ratio differentialis, eſt etiam ens; Reſpondetur ex dictis quòd ens prædicatur ſeu iudicatur ineſſe in rationibus inferioribus, ſecundùm rationem conuenientiæ, ſecundùm quam diſtinguitur per rationem à rationibus inferioribus; quia quamuis rationes inferiores non poſſint præſcindere ab ente; tamen ens ex natura ſua, vt dicit rationem conuenientiæ, præſcindit per intellectum à rationibus inferioribus; quia, vt dictum eſt; rationes inferiores ſecundùm rationes limitatas; non includuntur in ratione communi entis; quia alioquin vbicumque reperiretur ratio entis, reperiretur ratio perſeitatis, quod eſt falſum.

25. Reſpõſio ad decimum.

Ad decimum reſpondetur, quòd rationes inferiores modificant rationem ſuperiorem entis, non addendo aliquid noui; ſed exprimendo limitatam rationem quam in ſuo conceptu non includit ens;

Argumen

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Argumentum autem, ſi quid probat, probat gradum entis à parte rei non eſſe diſtinctum ſeu præciſum à ratione limitata entis; non autem, non eſſe præciſum per intellectum; imò maiorem difficultatem videntur habere aduerſarij; quia ſi ens in ſuo conceptu ſecundùm ipſos includit omnia, quomodo modificatur ab his, quæ actu includit? Quare aliqui ipſorum dixerunt perſeitatem, & inaleitatem non eſſe modos poſitiuos; ſed puras negationes; ac proptereà poſſunt, inquiunt, modificare ens, quia ſunt non entia; Sed hoc non eſt admittendum; nam perſeitatem ſaltem eſſe rationem poſitiuam, oſtendemus infrà in tertia diſputatione de ſubſtantia.

26. Reſpõſio ad vndecimũ. Ad vndecimum reſponſio patet ex dictis ſuprà, vbi oſtendimus prædicamenta eſſe primò diuerſa, & eſſe conceptus ſimplices, quia non addunt aliquid noui ſupra ens, ſicut addit rationale ſupra animal; & ideo homo non eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, nec primò diuerſus ab equo.

27. Reſpõſio ad duodecimũ. Ad duodecimum reſpondetur, quòd ratio ſuperior entis poſitiuè non eſt abſoluta nec reſpectiua; ſed per indifferentiam vtrumque, ſicut animal præciſum non eſt poſitiuè rationale vel irrationale, ſed negatiuè ſeu per indifferentiam vtrumque.

28. Reſpõſio ad decimumtertium. Ad decimumtertium de vniuocatione entis patebit reſponſio ex ſequenti quæſtione.

Reſpõſio ad decimumquartum. Ad decimumquartum reſpondet Scotus, quòd non eſt inconueniens, vt ens multoties repetatur; primò abſolutè, deinde denominatiuè quatenus includitur in conceptu differentiæ.

Sed hæc reſponſio impugnatur multis modis: & præcipuè, quia non ſoluit argumentum: nam Ariſtoteles citatus dicit differentiam non eſſe genus: quia bis idem repeteretur: cùm enim dicitur (homo eſt animal rationale) idem eſſet ac ſi diceretur (homo eſt animal, animal rationis capax.) Quòd ſi ratio Scoti eſſet bona, poſſet dici, quòd ſicut hæc prædicatio eſt bona, (homo eſt ens rationale) quia ſecundùm ipſum reſoluitur in hanc; (homo eſt ens affectum denominatiuè entitate, quæ eſt rationis capax;) ita etiam poſſet dici, quòd hæc alia prædicatio eſſet bona, (homo eſt animal rationale etiamſi de conceptu rationalis eſſet animal) quia idem eſſet ac ſi diceretur (homo eſt animal affectum animalitate, quæ eſt rationis capax.) Reſpondetur igitur ſecundò ad argumentum quod Ariſtoteles habet pro abſurdo, vt genus bis repetatur, ex eo, quia eſt quid completum; ac proptereà differentia, quæ eſt ens incompletum, debet præſcindere à genere; non ſic autem eſt de ente communiſſimè ſumpto, quod neceſſariò imbibitur in omnibus differentiis; Vel dicendum tertiò quod ens non bis repetitur; nam quamuis ratio inferior differentiæ includat ens; includit tamen illud ens quod eſt præciſum, non quatenus eſt præciſum; ſed illud idem vt ſtat ſub præciſione.

29. Reſpõſio ad decimumquintum. Ad decimumquintum reſpondetur quod nihil obſtat, ens poſſe dici quòd ſit priùs Deo, ſecundùm prædicationem, quatenus Deus & ens conueniunt in ratione ſuperiori præciſa entis per intellectum; Eſſet autem abſurdum, ſi ſecundùm rem ens eſſet prius Deo, ac propterea non poteſt dici eſſe prius natura ipſo Deo; nam prius natura ſecundùm Ariſtotelem eſt, à quo non conuertitur ſubſiſtendi ſeu exiſtendi conſequentia: & hoc modo Deus eſt prior natura omni ente; valet enim (ſunt alia entia, ergo eſt Deus;) non autem (eſt Deus, ergo ſunt alia entia.)

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm conceptus entis ſit vniuocus ad inferiora.

HÆc quæſtio non habet locum apud illos, qui tenent conceptum obiectiuum entis eſſe confuſum ſecundùm rationem, conſequenter enim dicunt eſſe analogum proportionis, etiam ſecundùm rationem; quia in illo conceptu confuſo inuoluuntur implicitè omnia inferiora; quod eſt contra rationem vniuocationis; imò nec admittunt conceptum illum eſſe ſimpliciter ſuperiorem ad analogata; quia alioquin idem eſſet ſuperius ſibi ipſi; comparantur enim analogata ad ſuam rationẽ communẽ analogam, ſicut eademmet res diſtinctè concepta ad ſe ipſam confuſè conceptam. Res autem confuſè concepta non eſt ſuperior ſe ipſa diſtinctè concepta; ſicut diffinitum, quod confuſè concipitur, non eſt ſuperius diffinitione, qua eadem res diſtinctè concipitur: Sicut igitur ens in hac opinione non eſt ſimpliciter ſuperius, ſed ad ſummum eſt imperfectè ſeu proportionaliter ſuperius, quatenus dicit vnitatem quandam imperfectam implicitè includentem analogata, ita non poteſt dici eſſe ſimpliciter vniuocum.

Mouetur igitur difficultas in opinione noſtra, in qua tenemus conceptum obiectiuum entis eſſe vnum ſuperiorem communem & præciſum ſecundùm rationem in rationibus inferioribus. Videtur enim quòd ſecundùm hanc opinionem deberet dici, quòd conceptus obiectiuus entis ſit vniuocus, & ratio dubitandi eſt: quia ſecundùm illam rationem præciſam eſt ſuperior, & diſtinctus ab inferioribus, & in illa ratione conuenientiæ vt ſic, æquè conueniunt omnia inferiora, quia illa ratio diſtincta præciſa non dicit eſſentialiter dependentiam, vt probatum eſt ſuprà in quarta quæſtione. 2.

Propter hanc rationem dubitandi tenet Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 1. Ens eſſe vniuocum, & multò magis diſcipuli eius, qui tenent apud Scotum, ens non ſolùm ſecundùm rationem, ſed etiam à parte rei eſſe præciſum. 3. Prima ſententia Scoti.

VERIOR SENTENTIA.

COntraria tamen ſententia eſt tenenda, quæ eſt Ariſtotelis, & communis Peripateticorum; quia alioquin contra communem ens eſſet vnum ſummum genus ad omnia prædicamenta; ſed difficultas eſt in aſſignanda ratione, & in ſoluenda ratione dubitandi in oppoſitum. 4. Verior ſententia tenet ens non eſſe vniuocum.

Primo igitur dicunt aliqui, quòd ad vniuocationem requiritur præciſio à parte rei rationis communis ab inferiori, quam non habet ens, vt in ſequenti quæſtione oſtendetur. 5. Afferuntur rationes aliorum pro hac noſtra ſententia & cõfutantur. Prima ratio affertur, & refellitur.

Sed hæc ratio non placet, tùm quia multi tenent gradus non eſſe diſtinctos à parte rei; & tamen tenent ſubſtantiam, & alios gradus eſſe conceptus vniuocos; tum quia ſecundò, ſicut datur perfecta præciſio ſecundùm rationem; ita deberet dari perfecta vniuocatio ſecundùm rationem.

Secundo alij dicunt, quòd conceptus perfectè vniuocus præſcinditur ſolùm ab indiuiduis eiuſdem ſpeciei; quia ſolùm hæc indiuidua ſunt à parte rei ſimilia propter vnam naturam, & eſſentiam ſimpliciter; ac propterea intellectus facit conceptum vnum vnius eſſentiæ; hæcceitates enim diuidunt, & contrahunt materialiter eſſentiam ad plura indiuidua: 6. Affertur prima ratio, & refellitur.

Digitized by Google

diuidua : conceptus verò genericus non eſt, inquiunt, perfectè vniuocus; ſed habet admiſtam analogiam: nam duæ ſpecies ſub vno genere ſunt a parte rei ſimpliciter diſſimiles; ac propterea intellectus imperfectè cognoſcendo adunat illa quæ ſunt ſimpliciter plura in vnum.

Sed neque hæc ratio placet : tum quia ſaltem conceptus entis eſſet genericus & vniuocus, ſicut eſt ſubſtantia : tum quia nihil facit ad vniuocationem ſecundùm rationem, quòd inferiora à parte rei ſint ſimpliciter diſſimilia, vt duæ ſpecies : vel ſimpliciter ſimilia vt duo indiuidua; ſufficit enim ad perfectam vniuocationem ſecundùm rationem, quòd verè à parte rei ſit fundamentum conuenientiæ; quæ, vt abſtracta ab intellectu, & concepta ſecundùm ea, quæ illi competunt eſſentialiter, non includat inferiora, ſicut ratio animalis abſtracta ſecundùm ea, quæ dicit in ſe, non includit rationalitatem & irrationalitatem; cur igitur ſaltem ens non erit vniuocum vt animal?

7. Confutatur tertia ratio.

Tertio alij dicunt, ideo conceptum entis non eſſe vniuocum, quia quamuis ens præſcindat ab inferioribus; inferiora tamen, ad quæ ipſum ens comparatur, non præſcindunt ab ente; vnde fit vt non prædicetur de inferioribus tanquam vnum omnino diſtinctum ab ipſis, animal enim ideo dicitur vniuocum; quia vt quid vnum omnino diſtinctum prædicatur de homine & leone : nam in homine eſt rationalitas, quæ non eſt formaliter animal; at verò ens non ita prædicatur de ſubſtantia, & accidenti; nam tam perſeitas, quam inal.itas adhuc ſunt formaliter ens.

Sed neque hæc ratio placet, tum quia ſufficit ad hoc, vt ens poſſit dici vniuocum, quòd ens ex natura ſua præſcindat ab inferioribus; quamuis inferiora ex natura inferiorum non præſcindant ab ente, remanet enim adhùc ens præciſum ex natura ſua cum ſua vnitate; & ſecundùm illam prædicatur de inferioribus: tum quia ſecundò ſequeretur, quòd ſaltem ens completum eſſet conceptus vniuocus; quia non ſolùm ens completum præſcindit ab inferioribus: ſed etiam inferiora præſcindunt ab illo, vt probatum eſt in quinta quæſtione; & tamen nō eſt concedendum, quòd ens completum ſit vniuocum, quia eſſet vnum ſummum genus ad omnia prædicamenta contra Ariſtotelem & communem Philoſophorum.

8. Confutatur quarta ratio.

Qvarto alij dicunt, quòd conceptus obiectiuus entis præciſus vel conſideratur abſolutè vt in ſe eſt; & tunc neque vniuocus, neque analogus; quia non comparatur ad inferiora; Vniuocum enim dicit ordinem ad inferiora; ſunt enim ſecundùm Ariſtotelem vniuoca illa quorum nomen commune eſt; & ſecundùm nomen eadem ſubſtantiæ ratio; Si verò comparetur ad inferiora, tunc confunditur cum rationibus inferioribus; quia rationes inferiores non poſſunt præſcindere ab ente.

Sed neque hæc ratio placet, tum quia hæc ratio non militat, vt dictum eſt, in ente completo; rationes enim inferiores præſcindunt formaliter ab ente completo; tum quia ens comparatum ad inferiora non confunditur cum illis, quia non prædicatur de illis vt contractum; ſed vt ſtat ſub abſtractione; ac propterea tanquam vnum commune; ſicut cùm animal prædicatur de homine, non prædicatur animal contractum; ſed prædicatur illud animal vnum commune vt ſtat ſub abſtractione, & ideo dicitur idem animal prædicari tanquam genus de homine, & leone.

9. Quinta & vltima ratio.

Qvinto igitur probatur efficaciter, quòd conceptus obiectiuus entis non ſit vniuocus; quia quamuis comparatus ad inferiora prædicetur de Subſtantia, & Accidenti tanquam vnum quid commune, vt ſtat ſub præciſione; eſt tamen contrahibilis ad inferiora ſecundùm dependentiā; Accidens enim dependet eſſentialiter à ſubſtantia tanquam à fine; quod non eſt idem in vniuocis; nam ſubſtantia quatenus comparatur ad inferiora vt contrahibilis, non dicit dependentiam in ſuis inferioribus; æquè enim inferiora participant ſubſtantiam; Quòd ſi dicas iſta dependentia non eſt in illa ratione communi entis ſed in inferioribus; ergo illa ratio communis entis ſecundùm ſe eſt vniuoca; Reſpondetur quòd ratio illa entis, ad hoc vt ſit vniuoca, neceſſariò debet comparari ad inferiora, vt probatum eſt ſuprà, dicit ergo ordinem tranſcendentalem contrahibilitatis ad inferiora, vel ſaltem connotat neceſſariò inferiora; Sed quia in inferioribus eſt dependentia vnius dependentis ab altero tanquam ab independenti; neceſſariò etiam connotat illam dependentiam; non ergo poteſt eſſe ratio illa entis omnino vniuoca ratione ſaltem connotati, at verò Subſtantia, & alia genera ſunt vniuoca, quia non connotant in inferioribus iſtam dependentiā; & hæc ratio valet tam in ente completo, quàm in ente incōpleto; & videtur vbique aſſignari ab Ariſtotele, præſertim 4. met.

10. An Accidens ſit vniuocum.

Sed difficultas remanet de accidenti; nam accidens completum dicit conceptum præciſum ſecundùm rationem, & non deſcendit ad inferiora cum ordine dependentiæ; eſt igitur vniuocum, quod quidem videtur abſurdum; nam eſſet genus ad nouem prædicamenta; & conſequenter eſſent tantùm duo ſumma genera, Subſtantia, ſcilicet, & Accidens, contra Ariſtotelem & communem Peripateticorum.

Ad hanc difficultatem reſpondent aliqui, Accidens eſſe analogum attributionis, quia priùs dicitur de quantitate, quàm de reliquis accidentibus; dependent enim reliqua accidentia à quantitate quoad eſſe dupliciter. Primò tanquam à ſubiecto immediato; inhærent enim alia accidentia in Subſtantia media quantitate. Secundò dependent tanquam à forma extendente; extenduntur enim alia accidentia per quantitatem, non poſſent autem accidentia exiſtere naturaliter niſi ſint extenſa.

Sed hæc reſponſio non placet, tū quia hæc dependentia non eſt eſſentialis; ſed quoad exiſtentiam tantùm, imò ipſamet ſubſtantia quoad extenſionem dependet ab ipſa quantitate; Analogia autem attributionis non conſtituitur per quamcumque dependentiam; ſed per dependentiam eſſentialem, quæ præcipuè ſumitur ex fine; & hinc eſt quòd quamuis ſubſtantia fiat ab accidentibus, quia tamen accidentia ſunt ordinata ad perfectionem Subſtantiæ, ideo accidentia potiùs dicunt attributionem ad ſubſtantiam; quàm ſubſtantia ad accidentia : tum ſecundò quia ſaltem accidens, quod dicitur de qualitate & reliquis generibus; eſſet genus: tum tertiò quia ſunt multa accidentia ſpiritualia, quę non indigent quantitate.

11. Quare ſecundò reſpondeo concedendo, quòd accidens completum ſit vniuocum; tum quia præſcindit ab inferioribus; tum quia non deſcendit cum dependentia; & conſequenter conceditur eſſe genus ad nouem prædicamenta : non tamen propterea ſequitur, quòd ſunt duo prædicamenta in Ariſtotele; quia prædicamenta diſtincta ſunt ab Ariſtotele propter commoditatem; Quia igitur prædicamentum Accidentis continet vniuerſaliùs quædam capita rerum valde inter ſe diuerſa, quæ capita non continent prædicamentum ſubſtantiæ; ideo rationabiliter, & commodè diſtinctum eſt accidens ab Ariſtotele,

Digitized by Google

tele, & à veteribus Philoſophis in nouem Prædicamenta.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm conceptus obiectiuus entis ſit à parte rei diſtinctus à rationibus inferioribus.

1. *Prima ſententia Scotiſtarum.* QVOD præcipuè controuertitur in hac quæſtione eſt; An ſuppoſita diſtinctione aliorum graduum, peculiari ratione repugnet diſtinctio gradus entis à parte rei à ſuis inferioribus. Et quidem Scotiſtæ negant repugnare, & citant Scotum in 1.diſtinct. 3.quæſt.1. & 3. & in 2. quæſt.1.diſtinct.3. quamuis oppoſitum videatur dicere 10.met.tex.3.

Primum argumentum huius ſententiæ. Fundamentum eſt, quia ſicut cæteri gradus ſuperiores ideo ponuntur à parte rei diſtincti ab inferioribus, quia non per idem conſtituitur res in gradu ſuperiori, ac conſtituitur in gradu inferiori; non enim homo per idem quod eſt animal, eſt homo; neque Petrus per idem quod eſt homo, eſt Petrus; ita pariter neque ſubſtantia ex eo quia eſt ens, eſt ſubſtantia, quia alioquin accidens eſſet etiam ſubſtantia; ergo ſicut ponitur animal diſtingui à parte rei ab homine; & homo à Petro; ita etiam debet poni ens diſtinctum à parte rei à ſubſtantia.

2. *Secundum argumentũ.* Et in hoc fundamento fundatur alia ſecunda ratio; Subſtantia, inquiunt, & ens, non ſunt omnino idem à parte rei; nam alioqnin ſequeretur, quòd quicquid eſſet de eſſentia ſubſtantiæ, eſſet de eſſentia entis; quod eſſe falſum ſuprà oſtendimus in ſexta quæſtione, nam accidens eſt ens; habet enim rationem entis ſecundùm totam eſſentiam entis, vt ens eſt, & tamen non eſt ſubſtantia; ergo ſubſtantia per aliud conuenit, ſeu habet ſimilitudinem à parte rei cum accidenti, & per aliud differt ſeu habet diſſimilitudinem ab illo.

VERIOR SENTENTIA.

3. *Verior ſententia & tenenda.* CONTRARIA tamen ſententia eſt verior, & eſt S. Thomæ 1. contra Gentes. cap. 26. & communis Thomiſtarum, non ſolùm illorum, qui negant conceptum præciſum entis ſecundùm rationem, vt Caiet. & Fer. ſed etiam illorum, qui quamuis concedant conceptum præciſum entis ſecundùm rationem; negant tamen illum eſſe præciſum à parte rei; ita Capr. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. ad argumenta Scoti contra vltimam concluſionem, & Sotus in Logica, quæſt. 3. art. 2. & Suarius diſp. 2. met. ſectione 3.

4. *Prima ratio.* Ratio fundamentalis quæ affertur communiter pro hac ſententia, eſt illa quam ſatis egregiè explicat, & corroborat Suarius loco cit. Ens & Subſtantia, inquiunt, non poſſunt diſtingui niſi vt includens & incluſum; nam in quacumque ratione ſubſtantiæ includitur ens, quia illa eſt extra nihil; Sed eſt impoſſibile vt includens & incluſum dicant à parte rei omnimodam diſtinctionem; nam ſi ratio incluſa vt eſt ratio entis, eſt diſtincta omnino à ratione inferiori includente; quæro an in ratione inferiori maneat à parte rei ratio entis, vel non? ſi non, ergo non ſe habet vt ratio includens, quia eſſet nihil; ſi ſic, ergo ratio entis ſuperior non eſt à parte rei diſtincta à ratione inferiori; & præterea, adhuc illa ratio inferior eſſet reſolubilis in duos conceptus diſtinctos; quorum alter eſſet ratio ſuperior entis; alter inferior, & rurſus ratio illa inferior cùm ſit includens ens, adhuc eſſet reſolubilis in alios duos conceptus & ſic in infinitum.

5. *Confutatur hæc prima ratio tanquam inadæquata.* Sed hæc ratio, quæ quidem vera eſt, non eſt adæquata, nam quamuis probet de ente communiſſimè ſumpto, non tamen probat de ente completo, quod oſtendimus ſuprà in quæſtione quinta, dicere gradum quendam ſuperiorem eſſentiæ completæ contrahibilem ad inferiora; hoc autem ens non diſtinguitur ab inferioribus ſicut includens & incluſum; ſed eſt omnino condiſtinctum: nam rationes inferiores præſcindunt ab ente completo, vt ibidem probatum eſt, & tamen non eſt dicendum etiam ſecundùm iſtos Doctores, quòd ens cópletum à parte rei ſit gradus diſtinctus ab inferioribus, vt mox probabimus.

6. *Ratio verior & adæquata.* Ratio igitur adæquata eſt, quia ens inuoluit in inferioribus analogiam attributionis; ac propterea non poteſt eſſe à parte rei gradus diſtinctus ab inferioribus; ſic enim datur gradus entis diſtinctus à parte rei ab accidenti, vel diſtinctus à creatura; tunc ſequeretur, quòd accidens non ſecundùm ſe totum diceret attributionem ad ſubſtantiam, neque creatura ad Deum; nam gradus ille entis diſtinctus non eſſet accidens; ponitur enim diſtinctus à ratione inferiori accidentali contrahente, neque illud ens in creatura eſſet creatum; ergo non dependeret, vt ſic diſtinctum, à Deo; Quòd ſi dicas eſſe creatum, contra hoc eſt, quia iam ponis non præſcindi à creato, tanquam à ſua differentia: dicendum eſt igitur quòd confunditur à parte rei cum inferioribus: & hæc quidem ratio eſt adæquata, quia militat tam in ente completo; quàm in incompleto. Aduerte autem quòd hæc ratio non militat in conceptu entis præciſo, per rationem tantùm; nihil enim obſtat, vt dictum eſt ſuprà, quòd ſecundùm rationem detur aliqua ratio indifferens ad ſubſtantiam, & accidens, ad creatum & increatum, quæ ſit prior tantùm ſecundùm rationem ſubſtantia, & accidenti, & ente creato, & increato.

7. *Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.* AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, ad primum; nihil obſtare ſubſtantiam à parte rei per id, quod eſt idem realiter ſeu identicè, eſſe ens, & ſubſtantiam: quando illud idem quod eſt à parte rei, eſt reſolubile in duos conceptus, ſicut eſt in caſu noſtro; poteſt enim ſubſtantia non ſolùm confusè ſed etiam diſtinctè reſolui in duos conceptus obiectiuos diſtinctos ſecundùm rationem; quorum alter eſt ratio ſuperior entis; alter verò ratio inferior; Et exemplum eſt in diuinis, in quibus eſt vna res & entitas ſimpliciſſima à parte rei; in qua entitate conceptus entis non diſtinguitur à parte rei à conceptu talis entis increati; neque ratio perſonæ in diuinis diſtinguitur à tali perſonalitate; quia alioquin daretur compoſitio in Deo ex conceptu entis, & talis entis; & ex perſonalitate, & tali perſonalitate.

Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, eſſe ſcilicet, idem realiter ſeu à parte rei, non autem formaliter, ſeu ratione; Hæc autem argumenta primæ ſententiæ habent aliquam probabilitatem ad oſtendendum, alios gradus, qui non inuoluunt analogiam attributionis, eſſe diſtinctos in creaturis; quamuis nec conuincant; poſſent enim illi, qui tenent omnes gradus indiſtinctos in creaturis, reſpondere, ſicut ſuprà reſponſum eſt, eſſe idem à parte rei identicè; non autem formaliter, ſeu ratione. Sed vt meliùs intelligatur illa reſponſio, tractabimus aliquantulum fuſiùs de diſtinctione graduum infrà quæſtione decima.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO NONA.

Vtrùm formalis conceptus entis ſit vnus & præciſus.

1\. CONCEPTVS formalis dicitur actus ipſe, conceptus verò obiectiuus eſt res illa vel ratio, quæ immediatè per conceptum formalem concipitur.

2\. CIRCA hanc quæſtionem prima ſententia eſt eorum qui vnitatem conceptus formalis ſumunt ex vnitate conceptus obiectiui, vt Caiet.in opuſ.de analogia nominum cap.4.& 6.& Ferr. 1. cont. Gent. cap.34.& Suarius diſput.2.Metaph.ſect.2.Capr.in 1. diſtinct. 2. q. 1. Et iſti quidem diuiſi ſunt,nam illi, qui negant vnum conceptum obiectiuum entis præciſum ſecundùm rationem,vt Caiet. & Ferr. negant conſequenter vnum conceptum formalem,qui verò admittunt,vt Suar. & Capt. vnum conceptum obiectiuum entis præciſum, admittunt conſequenter vnum formalem.

Caietan. Ferr. Suar. Capr.

3\. SECVNDA ſententia eſt eorum, qui vnitatem conceptus formalis, non ſumunt ex vnitate conceptus obiectiui,vt Soncin.4.Met. q. 2. & 3.& Erueus quodlib. 2. q. 7. & Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. q. 2. Flandria 4.Metaph.q.2.art.6.Et iſti,quamuis negent vnum conceptum obiectiuum entis præciſum ſecundùm rationem ex eo, quia per cóceptum formalem dicunt immediatè repræſentari non aliquam rationem communem, ſed immediatè ipſam ſubſtantiam,& accidens,ſiue diſiunctiue, ſiuè copulatiuè, admittunt tamen vnum conceptum formalem per quem repræſentantur illa duo immediatè.

Soncin. Erueus. Fonſ. Flandr.

4\. *Sententia authoris.* MIHI verò videtur diſtinguendum; Aut enim conceptus formalis ſumitur in ratione rei, aut in ratione imaginis, quatenus eſt repræſentatiuus; ſi

5\. *Prima concluſio.* primo modo, ſit prima concluſio non opus eſſe,vt conceptus formalis ſumat vnitatem, vel multiplicitatem ex vnitate, vel multiplicitate conceptuum obiectiuorum; contingit enim aliquando vt vno conceptu formali cognoſcantur immediatè plura obiecta, vt patet in Angelo ſuperiori qui per vnam ſpeciem adæquatam vno conceptu poteſt cognoſcere plura obiecta diſtinctè ſecundùm ſuas differentias; quia conceptus formalis non repræſentat vt quod, ſicut imago, ac propterea imago non poteſt eſſe imago,niſi vnius imaginati, ſed repræſentat vt quo,ac propterea non repugnat repræſentare plura; Et probatur; nam vel illa plura ſunt indiuidua; & tunc nihil obſtat, quin poſſint plura repræſentari vnico conceptu,quia actus non indiuiduatur ab obiecto; poteſt enim idem obiectum diuerſo tempore videri pluribus actibus diſtinctis numero; Si verò obiecta ſint plura diſtincta ſpecie tunc maior eſt difficultas,quia conceptus formalis ſumit ſuam ſpeciem ab obiecto; ſi ergo eſt vnus conceptus formalis, debet eſſe vnum obiectum: Sed neque hoc obſtat; quia ſaltem per vnum conceptum formalem poſſunt repræſentari plura quæ ſint ſimilia inter ſe, vt ſunt lux & color, vel quæ ſint effectus vnius cauſæ; quamuis enim in tali caſu plura cognoſcantur per vnum conceptum formalem; tamen illa plura integrant vnum obiectum formale, à quo ſpecificatur ille conceptus formalis per quem conceptum repræſentantur diſtinctè omnia illa plura vel vt ſimilia,vel vt effectus in ſua cauſa.

6\. Aliquando verò contingit oppoſitum, vt vna res ſimpliciſſima ſecundùm ſuam eſſentiam non poſſit cognoſci vnico conceptu adæquato formali propter imperfectionem intellectus, ſed pluribus conceptibus inadæquatis, quibus correſpondent conceptus obiectiui inadæquati: Hoc autem tunc eſt quando res illa, quæ cognoſcitur, eſt reſolubilis in plures conceptus propter plenitudinem perfectionis; ſicut contingit cum contemplamur naturam diuinam, quæ eſſentialiter includit attributa ſecundùm multos Thomiſtas; non enim poſſumus propter imperfectioné noſtri intellectus formare vnum conceptum adæquatum; quare opus eſt formare plures conceptus inadæquatos,quibus repræſentantur plures rationes obiectiuæ inadæquatæ.

SI verò conſideretur conceptus formalis in ratione imaginis ſeu repræſentatiui; tunc ſit ſecunda concluſio, Ex vnitate, & multitudine conceptuum obiectiuorum ſumitur vnitas, & multitudo conceptuum formalium; vnde fit vt quamuis in ratione rei conceptus formalis ſit vnus, vt in Angelo ſuperiori; ſit tamen in ratione imaginis multiplex;quia repræſentat plura vt plura; ſumit enim ſuam vnitatem & multiplicitatem ex obiectis repræſentatis; quia vt ſic, non habet aliam entitatem, nec conſequenter aliam vnitatem præter entitatem repræſentati tanquam ſui exemplaris,eſt enim conceptus formalis vt ſic extrinſecè ens,quatenus eſt entis ens; ſicut pulſus dicitur extrinſecè ſanus, quatenus eſt ſignum ſanitatis in animali;& ſimiliter imago Crucifixi viui, quamuis in ratione rei ſit quid emortuũ intrinſecè; extrinſecè tamen dicitur viua in ratione imaginis,quatenus repræſentat Crucifixum viuum. 7. *Secunda concluſio.*

TERTIA concluſio reſponſiua ad quæſtionem; Ex dictis patet, quòd formalis conceptus entis tum in ratione rei,tum in ratione imaginis eſt vnus: In ratione quidem imaginis patet, quia iam probatum eſt,quòd conceptus obiectiuus entis ſit vnus præciſus ſecundùm rationem,qui immediatè repræſentatur per conceptum formalem; ergo conceptus formalis in ratione imaginis non poteſt eſſe niſi vnus; Qui verò tenent immediatè repræſentari ſubſtantiam & accidens, conſequenter debent dicere conceptum formalem ſaltem in ratione imaginis eſſe multiplicem. 8. *Tertia concluſio.*

Quòd verò in ratione rei conceptus formalis entis etiam ſit vnus, probatur;quia cùm ens ſit conceptus ſimpliciter ſimplex irreſolubilis in plures conceptus obiectiuos; ſequitur quòd non poſſunt dari de ente præciſo plures conceptus formales;nam cuilibet conceptui formali in ratione rei debet immediatè reſpondere aliqua ratio obiectiua ſaltem inadæquata; Sed conceptus entis non eſt reſolubilis in plures conceptus inadæquatos;ergo nec de eo poſſunt formari plures conceptus formales; ſed erit vnus tantùm conceptus formalis in ratione rei, cui adæquatè correſpódet cóceptus obiectiuus præciſus ſimpliciter ſimplex irreſolubilis in plures cóceptus. Et hæc dicta ſint de præciſione eſſentiæ,ſeu entis. 9.

QVÆSTIO DECIMA.

De diſtinctione graduum eſſentiæ,infra ens.

VISVM eſt ſuprà per plures quæſtiones gradum entis non dicere diſtinctionem, ſeu præciſionem à parte rei, ſed tantùm per intellectum,tum quia eſt analogum attributionis,tum quia includitur eſſentialiter in rationibus inferioribus; Nunc videndum eſt de aliis gradibus infra ens, qui ſunt in prædicamento, vt eſt gradus ſubſtantiæ,corporis,&c. vſque ad hæcceitatem ſeu gra-

dum indiuidualem;Supponimus autem hos gradus prædicamentales eſſe vniuocos,& gradum ſuperiorem non includi in gradu inferiori, ſeu in ſua differentia diuiſiua, vt animalitas non includitur eſſentialiter in rationalitate; ac propterea de his gradibus eſt peculiaris difficultas vtrum diſtinguantur à parte rei.

Vt autem diſtinctè procedatur diuidimus hanc quæſtionem in tres dubitationes.

Explicatur titulus. *Prima dubitatio eſt, Vtrùm vnitas formalis diſtinguatur à parte rei ab vnitate numerica, ſeu Vtrum eſſentia ſpecifica diſtinguatur ab hæcceitate; ſeu à differentia indiuiduali.*

Secunda dubitatio, Vtrùm gradus genericus exiſtens in indiuiduo, diſtinguatur à parte rei à ſpecifico, vt animalitas à rationalitate.

Tertia dubitatio, in qua ex præcedenti doctrina huius quæſtionis, breuiter colliguntur reſolutiones quæſtionum de vniuerſali, & de principio indiuiduationis.

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm natura ſpecifica diſtinguatur à parte rei ab hæcceitate ſeu differentia indiuiduali.

1. QVANTVM ad primam dubitationem nota, quòd hæc dubitatio ſolet agitari ſub duplici titulo;Primus eſt, Vtrùm eſſentia in Petro diſtinguatur à parte rei ab hæcceitate,ſeu à differentia indiuiduali.Secundus eſt, Vtrùm vnitas formalis diſtinguatur ab vnitate numerica, ſeu indiuiduali;Sed hi duo tituli coincidunt,nam ſecundus ſequitur ex primo: vnitas enim formalis eſt paſſio eſſentiæ;vnitas autem numerica, ſeu indiuidualis eſt paſſio hæcceitatis; Si igitur eſſentia & hæcceitas diſtinguuntur, etiam vnitas formalis diſtinguitur ab vnitate numerica; ſi verò illa ſunt indiſtincta,erunt etiam & hæc.

2. Prima ſententia. Scotus. Scotiſtæ. Ant. Andr. Fronſeca. Henricus. Ocham. Recẽtiores. CIRCA autem hanc dubitationem eſt prima ſententia Scoti in 1.diſtinct.2. q. 7. ſed clariùs in 2. diſtinct. 3.q. 1. vbi ponit diſtinctionem à parte rei inter humanitatem, & naturam ſpecificam, & eſt communis Scotiſtarum præſertim Antonij Andreæ 7. Metaph. q. 16. Hanc videntur etiam ſequi noſter Fonſeca 5.Metaph.q.3.ſect.2.& q.5. & aliorum apud Henricum quodl. 1. q. 9. & Ocham 1. part. Logicæ cap.7.& aliqui recentiores.

Primum argumentum. Ariſtot. PROBATVR hæc ſententia primò ex Ariſtotele 3. de anima cap. 4. vbi docet quòd aliud eſt magnitudo, & aliud magnitudinis eſſe, hoc eſt, aliud indiuiduum, ſeu differentia indiuidualis, aliud ipſa natura.

Secundum argumentũ. Secundò probatur ratione,Petrus,& Paulus conueniunt à parte rei in humanitate, & differunt in hæcceitate, ergo humanitas in Petro eſt aliud à Petreitate.

Tertium argumentum. Tertiò,Si gradus rationalitatis in Petro eſt idem à parte rei cum Petreitate; ergo Petrus à parte rei, qua ratione eſt homo,eſt Petrus;ergo omnis homo eſt Petrus.Probatur vltima conſequentia, nam ratio (qua)diſtribuit terminum, cui additur; ſicut cùm dicitur (homo qua ratione rationalis, eſt riſibilis,) valet conſequentia (ergo omne rationale eſt riſibile.)

Quartum argumentũ. Henricus. Quartò probant alij apud Henr. quòdlib. 1. q. 9. Vnitas formalis à parte rei eſt vna formaliter, quia à parte rei in ea omnia indiuidua conueniunt, & tamen vnitas numerica non eſt vna,ſunt enim plures differentiæ indiuiduales; ergo vnitas formalis

A diſtinguitur à parte rei ab vnitate numerica. Quòd ſi dicant aduerſarij, vnitatem formalem humanitatis in Petro,& Paulo non eſſe vnam,nam ſuppoſito quòd ſit vna ſimplex entitas, ſecundùm ſe totam diſtinguitur à natura Pauli;contrà,& ſit

Quintũ argumentum. Quintum argumentum, tunc ſequeretur quòd natura humana à parte rei eſſet diuiſa ſecundùm ipſa prædicata formalia, & quidditatiua; tot enim eſſent naturæ,quot indiuidua;Hoc autem eſt abſurdum, quia non eſſet ampliùs ipſa eſſentia naturæ; nam eſſentiæ, (vt inquit Ariſtot.) conſiſtunt in indiuiſibili, ſicut numeri; Sicut igitur ſi diuidatur numerus non eſt ampliùs ille numerus: ita ſi diuidatur eſſentia non eſt ampliùs illa eſſentia; perdit B enim ſuam vnitatem formalem. Ariſtot.

Sextum argumentũ. Sextò, Dantur eſſentiæ rerum ab æterno ſecundùm eſſe quidditatiuum, vt oſtenſum eſt ſuprà in hac diſputatione in 1.q. ergo aduenit ipſi eſſentiæ exiſtentia, & hæcceitas; ſicut igitur exiſtentia diſtinguitur à parte rei ab eſſentia:ita etiam hæcceitas.

Septimum argumentum. Septimò, Hæcceitas in Petro, vt indiuiduum eſt, ſe habet vt actus, humanitas verò ſe habet vt potentia;humanitas enim determinatur ad tale indiuiduum per talem hæcceitatem;ergo natura ſecundùm vnitatem formalem diſtinguitur à parte rei à differentia indiuiduali. Probatur conſequentia, quia idem non poteſt eſſe à parte rei potentia, & actu, reſpectu ſui ipſius;Et confirmatur primò à pari;ma-C teria enim ideo diſtinguitur à parte rei à forma; quia forma, quatenus actus eſt determinatiua, materia verò determinabilis tanquam potentia. Confirmatur ſecundò, quia determinatiuum, & determinabile opponuntur relatiuè; ergo diſtinguuntur à parte rei:ſicut in diuinis paternitas,& filiatio,quæ opponuntur relatiuè,diſtinguuntur à parte rei. Prima confirmatio. Secunda cõfirmatio.

Octauum argumentũ. Fonſeca. Octauò ex Fonſeca lib.5. Metaph.cap.8.q.4.Homo dicitur vniuocè de Petro, & Paulo, vt omnes concedunt;ergo natura humana diſtinguitur à parte rei à Petro & Paulo;Probatur conſequentia,quia ſi humanitas à parte rei eſſet idem cum Petreitate; ergo Petrus differret à Paulo non ſolùm per Petreitatem, ſed etiam per ipſam naturam humanam, D quod eſt contra definitionem vniuocorum traditam ab Ariſtotele in anteprædicamentis, (Vniuoca ſunt,inquit,quorum nomen eſt vnum, & ratio ſubſtantiæ eadem;) Quòd ſi dicas ſufficere vniuocationem per intellectum, quatenus intellectus præſcindit naturam ab hæcceitate; contra hoc eſt, quia tunc ſequeretur non eſſe differentiam inter analoga proportionalitatis,& vniuoca; quia etiam in analogis proportionalitatis poteſt fieri iſta præciſio per intellectum. Ariſtoteles.

Nonum argumentum. Scotus. Nonò ex Scoto, Poteſt concipi, & definiri adæquatè natura humana abſque eo quòd concipiantur differentiæ indiuiduales; quia natura ſpecifica non imbibitur in rationibus inferioribus indiuidua-E libus,ſicut imbibitur ens;ergo ſicut dantur duo conceptus formales adæquati, alter de natura humana, & alter de hæcceitate, debent etiam dari à parte rei duo conceptus obiectiui,alter humanitatis qui correſpondeat conceptui formali de humanitate, & alter hæcceitatis qui correſpondeat conceptui formali de hęcceitate.Et confirmatur,quia huic conceptui quem adæquatè formo de natura humana,non reſpondet à parte rei Petreitas, ſed humanitas tantùm, quia hæc adæquatè terminat conceptum formalem de humanitate, ergo humanitas diſtinguitur à parte rei à Petreitate.

SECVNDA ſententia aſſerit eſſentiam non diſtingui ab hæcceitate, nec conſequenter vnitatem formalem 3. Secũda ſententia.

Digitized by Google

formalem ab vnitate numerica. Hæc ſententia eſt communior, ſed authores huius ſententiæ diuiſi ſunt; Aliqui enim tenent hæcceitatem,ſeu vnitatem numericam nihil poſitiuum reale etiam indiſtinctum addere ſupra eſſentiam, ſeu vnitatem formalem,præter negationem diuiſionis; ſed eſſentiam ſe ipſa ſibi eſſe rationem numericam. Ita Ocham in 1. diſtinct.2.quæſt.4. & 6. & Gabriel ibidem quæſt.6. 7.& 8. & Henricus quodlibet.5. quæſt.8. Alij verò tenent hæcceitatem,ſeu vnitatem numericam addere ſupra eſſentiam ſeu vnitatem formalem præter negationem diuiſionis aliquam entitatem poſitiuam, non quidem indiſtinctam à parte rei;ſed identificatam cum eſſentia, ſeu vnitate formali: Ita videntur tenere Caiet. de ente & eſſentia cap.4. & 1. part. quæſt. 5.art. 6. Erueus quodl. 3. quæſt. 9. Capreolus diſtinct.3. quæſt. 1. Soncin.7. met.quæſt.3. & inter recentiores Sotus in Logica, quæſt.2. vniuerſalium. Niphus lib.4. met.diſp.5.& expreſsè noſter Suarius in met.diſput.5.ſect.2. Pro cuius ſententiæ explicatione pono duas concluſiones.

(Ocham. Gabriel. Henricus. Caietanus. Erueus. Capreolus. Soncin. Sotus. Niphus. Suarius.)

4\. (Prima concluſio.) PRIMA concluſio, Natura exiſtens in indiuiduo, ſiue ſit ſubſtantia abſtracta,vt eſt Angelus,ſiue compoſita ex materia & forma,vt homo, non diſtinguitur à parte rei ab hæcceitate, ſeu differentia indiuiduali, verbi gratia: humanitas in Petro non diſtinguitur à parte rei à Petreitate, nec conſequenter vnitas formalis, quæ conſequitur tanquam paſſio eſſentiam, diſtinguitur ab vnitate numerica, quæ conſequitur hæcceitatem Petreitatis.

(Prima probatio. Ocham.) PROBATVR primò concluſio ab Ochamo in 1. diſtinct.1.quæſt.7.Quæcumque,inquit, diſtinguuntur à parte rei ſunt ſeparabilia; ſed humanitas exiſtens in Petro non poteſt ſeparari à Petreitate, nec è conuerſo;ergo humanitas, & Petreitas non diſtinguũtur à parte rei;Minor probatur, quia ſi humanitas poſſet ſeparari à Petreitate, daretur vniuerſale extra indiuidua,ac proinde coincideretur in opinionem Platonis confutatam ab Ariſtot.7.met. nec poteſt ſeparari Petreitas ab humanitate,quia eſt modus humanitatis;Maior probatur, Quæ enim diſtinguũtur à parte rei,vel diſtinguuntur ſicut res, & res, & tunc vtrumque eſt ſeparabile; vel diſtinguuntur tamquam res & modus; & tunc res eſt ſeparabilis à modo,ſicut ſedens à ſeſſione; & ita de reliquis. Et confirmatur ex Ariſt.7.topic.vbi docet ſignum diſtinctionis à parte rei, eſſe ſeparabilitatem, ſaltem ex parte vnius extremi, ſed humanitas, & Petreitas, vt probatum eſt, non poſſunt ſeparari: ergo,&c.

(Platonis opinio confutata ab Ariſtot. Ariſtot.)

5\. (Confutatur prima probatio. Ariſtot.) Sed hæc ratio non eſt efficax, quia præter diſtinctionem realem, & modalem, datur diſtinctio formalis à parte rei; nec obſtat id quod dicit Ariſt. loco citato, ſignum diſtinctionis à parte rei eſſe ſeparabilitatem; Verum eſt enim quòd ſeparabilitas eſt ſignum diſtinctionis, non tamen valet negatiuè (non eſt ſeparabilitas, ergo non eſt diſtinctio à parte rei)poteſt enim aliunde colligi diſtinctio à parte rei; nam vt in ſequenti dubitatione oſtendemus, gradus genericus, & ſpecificus, vt animalitas, & rationalitas, diſtinguuntur in Petro à parte rei, & tamen non ſunt ſeparabiles;colligi enim poteſt diſtinctio in rebus finitis, præſertim compoſitis ex materia, & forma, ex eo quando vnum poteſt concipi adæquatè ſine alio; quia tunc non poteſt aſſignari ratio, cur vni conceptui formali adæquato non correſpondeat à parte rei conceptus obiectiuus; humanitas autem poteſt concipi adæquatè ſine hæcceitate, & econtrà, quia vna ratio non imbibitur in alia; Gradus enim ſuperior vniuocus non imbibitur

A in gradu inferiori, nec è contrà;poteſt igitur dari ſignum diſtinctionis à parte rei inter humanitatem,& Petreitatem;Aliunde igitur probandum eſt implicare diſtinctionem à parte rei inter humanitatem, & Petreitatem.

SECVNDO probat idem Ocham in 1. diſtinct. 1. quæſt. 5. Natura humana in Petro eſt diſtincta numericè à natura humana Pauli; ergo ſe ipſa diſtinguitur,& non per aliquod ſuperadditum diſtinctum à ſe; Antecedens ſupponit. conſequentiam probat, quia diſtinctio conſequitur vnitatem, quam res habet in ſe; ergo diſtinctio numerica naturæ humanæ Petri, à natura humana Pauli conſequitur vnitatem, quam natura humana Petri habet in ſe. 6. (Secunda probatio Ocham.)

B Sed neque hæc ratio efficaciter probat; dicerent enim aduerſarij, quòd natura in ſe eſt vna vnitate formali; & de hac verum eſt quòd ſe ipſa diſtinguitur à natura equina; non autem in ſe eſt vna vnitate numerica,ſed extrinſecè tantùm per coniunctionem cum hęcceitate, ac propterea ſicut eſt vna numericè extrinſecè,ita etiam per extrinſecum ſuperadditum diſtinguitur ab alia natura humana numerica. Deberet igitur probare Ocham quòd natura humana in Petro ſit intrinſecè vna vnitate numerica. (Confutatur. Ocham.)

PROBAT igitur tertiò noſter Suarius in met. diſp.6.ſect.1.attingens, vt ſolet,punctum difficultatis;Intrinſecum,inquit,eſt naturæ humanæ,vt eſt verum ens reale eſſe in indiuiduis,quia, vt docet Ariſt. in cap. de ſubſtantia, deſtructis primis ſubſtantiis impoſſibile eſt aliquid remanere; extra enim indiuidua nihil poteſt habere exiſtentiam realem: ſine autem exiſtentia, vel actu vel potentia, nullum poteſt eſſe verum ens reale; ergo natura humana exiſtens in Petro intrinſecè eſt vna numericè, non ergo per aliquod diſtinctum à ſe. Quòd ſi dicas verum eſſe antecedens, naturam, ſcilicet, realem eſſentialiter petere, vt ſit in indiuiduis, negatur tamen conſequentia quòd humanitas in Petro ſit intrinſecè vna numericè, quia poteſt eſſe in Petro, per coniunctionem cum Petreitate; Contrà,inquit,quia humanitas in illo priori ante coniunctionem cum Petreitate debet eſſe ſingularis, quod confirmat primò,diſp.5. ſect.2. quia alioquin in illo priori eſſet vniuerſalis, ſi enim in illo priori non eſt ſingularis, ergo non eſt incommunicabilis, ergo eſt communis, & vniuerſalis,quia inter incommunicabile, & commune non datur medium. Confirmat ſecundò ibidem, quia actio agentis,non ſolùm terminatur ad Petreitatem, ſed etiam ad humanitatem, quæ eſt in illo priori ante coniunctionem cum Petreitate; ergo in illo priori debet eſſe ſingularis, quia actio huius agentis non poteſt terminari,niſi ad ſingulare; Confirmat tertiò ibidem, quia in Petro non ſolùm diſtinguitur Petreitas realiter à Pauleitate, ſed etiam natura humana in Petro, diſtinguitur à natura humana in Paulo numericè, tanquam duæ res ſingulares; ergo humanitas exiſtens in Petro, in illo priori ante coniunctionem cum Petreitate, debet eſſe ſingularis;ſecundùm enim vnitatem formalem non diſtinguuntur, vt ergo diſtinguantur debent eſſe in illo priori ſingulares. 7. (Tertia probatio. Suarius. Ariſtot.) C 8. D E

Sed contra hanc tertiam probationem vehementer inſtant moderni, quia poteſt, inquiunt, bene ſaluari, quòd natura humana in Petro ſit intrinſecè vna vnitate numerica, & ſingularis,& incommunicabilis; ſi dicatur quòd natura humana in Petro intrinſecè exigat coniunctionem cum Petreitate; tunc enim bene ſaluatur quòd humanitas in Petro ſit intrinſecè vna, non quaſi conſtitutiue per identificationem cum Petreitate, ſed potiùs terminatiuè ſecundùm 9. (Inſtatur cõtra hanc tertiam probationẽ à modernis.)

cundùm intrinſecam exigentiam coniunctionis cum Petreitate à ſe diſtincta, & iuxta hunc modum, non poteſt dici, quòd ante coniunctionem non ſit ſingularis, & quòd non ſit incommunicabilis, & quòd non diſtinguatur numericè à natura humana Pauli, eſſet enim ſingularis, & incommunicabilis, & diſtingueretur numericè à natura humana Pauli, quatenus dicit intrinſecè exigentiam talis coniunctionis cum Petreitate, & non cum alia differentia indiuiduali, ſicut ſubſiſtentia in Petro eſt propria humanitatis Petri, & non alterius, & tamē diſtinguitur à parte rei ab humanitate; Satis eſt enim ad hoc, vt ſit propria humanitatis Petri, vt humanitas Petri intrinſecè exigat coniunctionem cum hac ſubſiſtentia, & non cum alia. Quare ad hoc vt probatio prædicta habeat vim, & vt à priori & fundamentaliter probetur humanitatem in Petro diſtingui à parte rei à Petreitate, vt dicebatur in concluſione; ſupponenda, ſeu breuiter probanda ſunt duo principia, ex quibus eruetur veritas concluſionis, & ſit probatio

10. *Quarta ratio fundamẽtalis pro hac concluſione ſuppoſitis duobus principiis.*

QVARTA, Primum principium eſt, quòd natura exiſtens in indiuiduis, vt humanitas in Petro, ſit neceſſariò vna numericè, ſeu ſingularis.

Secundum, quòd humanitatis in Petro non ſit ſingularis, nec extrinſecè per coniunctionem cum Petreitate, nec intrinſecè per intrinſecam exigentiam coniunctionis cum ipſa Petreitate.

Ex his autem principiis euidenter remanet probatum, quòd humanitas in Petro ſit ſingularis per primum principium, & quòd ſit ſingularis ſeipſa, & non per aliquod ſuperadditum diſtinctum à ſe, per ſecundum principium.

Probatur primum principium.

PRIMVM principium, quòd, ſcilicet, humanitas in Petro neceſſariò debeat eſſe ſingularis, probatur rationibus factis in tertia probatione; videntur enim probare hoc primum principium; breuiter igitur probatur. Primò, quia actio huius agentis terminari debet ad rem ſingularem. Secundò, quia natura humana in Petro diſtinguitur à natura humana in Paulo, & non per vnitatem formalem, quia in hanc conueniunt; ergo per vnitatem numericam. Tertiò, & eſt fundamentum huius primi principij, Si natura humana in Petro non eſſet ſingularis; ergo eſſet vniuerſalis; ſed implicat vt vniuerſale exiſtat à parte rei: ergo, &c.

11. *An detur vniuerſale à parte exiſtẽs in indiuiduo.*

Sequela Maioris probatur, quia ſi non eſt ſingularis, non eſt propria Petri, neque eſt incommunicabilis; ergo eſt vniuerſalis, & communis; ſi enim natura humana exiſtens in Petro non ſit propria Petri, neque ſit incommunicabilis; ergo eadem poteſt communicari Paulo; & ſic de aliis indiuiduis; erit igitur vniuerſalis.

Inſtatur cõtra hác probationem primi principij.

Sed contra hanc probationem inſtant aduerſarij, Ad naturam vniuerſalem, inquiunt, non ſatis eſt, vt natura negatiuè non ſit propria alicui, & non ſit incommunicabilis, ſed requiritur vt poſitiuè ſit non propria, & incõmunicabilis, ita vt repugnet illi naturæ eſſe propriam, & eſſe incommunicabilem, ſicut in ſtatu præciſionis, ſeu eſſentiæ extra indiuidua, eſſentia ſeu natura non eſt ſecundùm ſe propria alicuius indiuidui, nec incommunicabilis; non tamen hinc licet inferre ſecundùm communiorem opinionem præſertim recentiorum quòd eſſentia extra indiuidua in ſtatu præciſionis, ſiue in ſtatu eſſentiæ ſit vniuerſalis, quia hinc vlteriùs liceret inferre, quòd etiam natura vniuerſalis extra indiuidua poſſet ſolitariè exiſtere, quæ quidem opinio fuit Platonis & confutata eſt ab Ariſt. 7. meta. Vnde bene docuit

Platonis opinio confutata ab Ariſtot.

A Scotus quòd à propoſitione negatiua cum reduplicatione, non valet conſequentia ad propoſitionem affirmatiuam cum eadem reduplicatione de prædicato infinito; Vera eſt enim propoſitio (paries quantùm eſt ex ſe, non eſt albus,) eſt enim indifferens ad nigredinem, & albedinem; non valet autem conſequentia (ergo paries quantùm eſt ex ſe, eſt non albus;) facit enim ſenſum quòd parieti repugnet albedo, quod eſt falſum. *Scotus.*

Soluitur inſtantia.

Sed hæc inſtantia non habet magnam vim contra probationem Maioris, pro quo notandum eſt, quòd natura concipi poteſt, quantùm facit ad propoſitum in duplici ſtatu. Primus ſtatus eſt præciſionis, ſeu eſſentiæ extra indiuidua, & in hoc ſtatu con- B cipitur natura indifferens ad hoc, vel illud indiuiduum. Secundus ſtatus eſt naturę exiſtentis extra indiuiduum.

HIS poſitis dicendum eſt quòd in primo ſtatu eſſentiæ, non valet illatio (natura non eſt propria alicuius indiuidui; ergo eſt vniuerſalis) quia ad hoc vt natura ſit vniuerſalis, vt bene in inſtantia facta dictum eſt, debet eſſe non propria, ita vt illi repugnet eſſe propriam & ſingularem; at verò natura in ſtatu eſſentiæ extra indiuidua, non eſt huiuſmodi, ſed eſt indifferens ad vniuerſalitatem, & ſingularitatem; ita vt communicata indiuiduo iam fiat propria, & perdat indifferentiam; abſtracta verò per intellectum fiat vniuerſalis; In ſecundo verò C ſtatu eſſentiæ exiſtentis intra indiuiduum, tunc ſi concedatur quòd natura exiſtens in Petro, non ſit propria Petri, & non ſit incommunicabilis, bene infertur quòd ſit vniuerſalis, quia in quocumque indiuiduo ponatur, ſemper retinet ſuam indifferentiam, & aptitudinem, vt ſit in pluribus; Si enim ponatur in Paulo, adhuc non ſit propria Pauli, nec eſt incommunicabilis; ſicut non erat propria Petri, & ſic de aliis indiuiduis: Idem igitur eſt dicere naturam exiſtentem intra indiuiduum non eſſe propriam illius indiuidui, ac dicere, naturam eſſe non propriam, ſeu habere aptitudinem poſitiuam ad plura; Si enim natura exiſtens in indiuiduo ex ſe non eſt propria alicuius indiuidui; ergo ex ſua in- D trinſeca ratione habet, vt nunquam determinata ſit ad indiuiduum in quocumque indiuiduo ponatur. Et hoc eſt quod voluit dicere Caiet. de ent. & eſſent. cap. 4. quæſt. 6. Arguens enim contra opinionem illorum qui dicebant naturam in indiuiduo non eſſe propriam, inferebat eſſe non propriam, & hinc vlteriùs infertur poſſe exiſtere ſolitariè extra indiuidua, quod erat opinio Platonis confutata ab Ariſtot. loco citato. Ex his igitur remanet probata Maior. *Caietanus.*

PROBATVR nunc Minor, quòd ſcilicet repugnet, naturam, verbi gratia, humanitatem exiſtentem in Petro, eſſe vniuerſalem. Et primò probatur authoritate Thomiſtarum cum S. Thom. 7. met. lect. 13. E vbi expreſsè habet, naturam vniuerſalem formaliter ſumptam non eſſe à parte rei, ſed tantùm in intellectu; & idem docet tractat. de ent. & eſſent. c. 4. hanc etiam tenent omnes Nominales cum Ochamo in 1. diſtinct. 2. Tenent præterea Peripatetici, vt videre licet apud Auerr. lib. de anima comment. 8. & recentiores cum Suario in met. diſput. 6. & eſt communis Doctorum, præter paucos, qui citari ſolent in oppoſitum, vt Albert. in tract. 2. de prædicabilibus capite 3. & Mayron in 2. diſtinct. 34. quæſt. 1. & Antonius Andreas 7. Meta. 12.

Repugnat dari vniuerſale à parte rei. Thomiſtæ. S. Thomas. Nominales. Ocham. Peripatetici. Auerroes. Recẽtiores. Suarius. Albertus. Mayron. Ant. Andr.

Secundò probatur ratione, quia actio agentis, vt dictum eſt ſuprà, terminatur ad ſingulare; actio autem non ſolùm terminatur ad ſingularitatem, ſeu hæccita

hæcceitatem,ſed etiam ad naturam; quia etiam ipſa producitur intra indiuiduum: ergo non poteſt eſſe vniuerſalis.

13. *Tertia probatio.* Tertiò probatur, Si daretur natura vniuerſalis intra indiuidua,ſequeretur quòd eadem natura pluries produceretur;nam eadem natura, quæ eſt in Petro, producitur in Paulo. Quòd ſi dixeris non reproduci,ſed tantùm coniungi cum Paulo, cùm producitur Pauleitas : Contra hoc eſt primò, quia non poteſt natura Petri, quæ ſupponitur eſſe diſtans, fieri in diſtanti à Paulo per actionem agentis naturalis, & tamen intrinſecè exigeret natura, vt poſſit naturaliter coniungi cum quacumque hæcceitate, quia ex ſe non eſt magis determinata ad vnam quàm ad aliam. Contrà ſecundò, quia illa noua coniunctio naturæ cum Pauleitate eſt noua productio, replica- B tio enim ſupponit rem, quæ replicatur,eſſe exiſtentem;natura autem humana,quæ eſt Neapoli exiſtens in Petro, non coniungitur ſecundùm eamdem exiſtẽtiam cum Pauleitate, quæ producitur Romæ;exiſtentia enim eſt modus vel omnino identificatus cum natura, vel ſaltem diſtinctus tantùm ex natura rei,& inſeparabilis à natura, cuius eſt modus, vt dicetur infrà diſputatione ſecunda;Ergo eſſentia, quæ ſecundùm eſſe eſſentiæ eſt ab æterno, recipit Romæ de nouo exiſtentiam; ergo de nouo producitur, & quia recipit de nouo exiſtentiam ab hoc agente exiſtente Romæ, ideo reſultat in illa natura nouum (vbi)Romæ. Et hæc dicta ſint circa probationem primi principij. C

14. *Probatur ſecundũ principium.* Sed quia conceſſo quòd humanitas in Petro, ſit ſingularis, vt dicebatur in hoc primo principio, adhuc non habetur intentum, quòd humanitas non diſtinguatur à parte rei à Petreitate; poſſent enim dicere aduerſarij, quòd humanitas in Petro eſt ſingularis, vel extrinſecè per coniunctionem cum Petreitate: vel etiam intrinſecè, ſi ponatur quòd humanitas exiſtens in Petro ſit intrinſecè exigitiua coniunctionis cum ipſa Petreitate; tunc enim humanitas eſſet intrinſecè ſingularis, & tamen diſtingueretur à parte rei à Petreitate: Quare probandum eſt ſecundum principium quòd humanitas in Petro non poſſit eſſe ſingularis, nec extrinſecè per coniunctionem cum Petreitate: nec intrinſecè per in- D trinſecam exigentiam coniunctionis cum Petreitate.

Probatur primum, Si humanitas in Petro eſſet tantùm ſingularis extrinſecè per coniunctionem cum Petreitate,ſequerentur eadem abſurda, quibus probauimus ſuprà in primo principio, naturam eſſe ſingularem; nam in illo priori ante coniunctionem cum Petreitate per te non eſt ſingularis: ergo eſt vniuerſalis, quia, vt ſuprà probatum eſt, eadem ſecundùm ſua intrinſeca poteſt communicari Paulo; repugnat autem naturam intra indiuidua eſſe vniuerſalem,vt ſuprà probatum eſt. Præterea actio huius agentis terminatur non ſolùm ad Petreitatem, ſed etiam ad ipſam humanitatem: ergo ipſa humanitas in illo priori ante coniunctionem debet eſſe E ſingularis.

15. Probatur ſecundum,quòd ſcilicet,humanitas exiſtens in Petro, non poſſit eſſe ſingularis intrinſecè per intrinſecam exigentiam coniunctionis cum Petreitate, in quo eſt punctus difficultatis. Probant primò aliqui,Si humanitas,inquiunt, in Petro habet intrinſecum ordinem cum Petreitate; ergo per illum ordinem, ſeu exigentiam intrinſecam eſt hæc numericè &non alia; ergo iam habetur intentum quòd humanitas in Petro eſt hæc, & non per aliud ſuperadditum diſtinctum.

Sed hæc ratio non eſt efficax; nam ſecundùm A aduerſarios ordo ille exigentiæ ad coniunctionem cum Petreitate non eſt formaliter hæcceitas, ſeu Petreitas: ſicut natura humana Petri exigit talem ſubſiſtentiam, non tamen propterea illa exigentia eſt ſubſiſtentia.Et præterea vt dicemus in ſequenti dubitatione, gradus animalis in Petro exigit coniunctionem cum rationalitate, & tamen non inde ſequitur, quòd gradus animalitatis ſit identificatus cum gradu rationalitatis,quia illa exigentia non eſt formaliter rationalitas; quare conceditur quòd humanitas exiſtens in Petro, ex eo, quia exigit coniunctionem cum Petreitate,ſit hæc,& propria Petri; nõ tamen eſt propria per hæcceitatẽ partialem quaſi conſtitutiuè ſeu ſibi identificatam; ſed tantùm terminatiuè,per ordinem exigentiæ ad coniunctionem cum Petreitate,tanquam termino.

Probatur igitur ſecundò negando humanitatem exiſtentem in Petro poſſe dicere hunc ordinem intrinſecum exigentiæ ad coniunctionem cum Petreitate, ſed neceſſariò habere ſibi identificatam Petreitatẽ;humanitas enim eſt quid abſolutum:ergo debet aſſignari ratio aliqua in qua fundetur iſte ordo, ſeu reſpectus intrinſecus, & inſeparabilis ad Petreitatem, tamquam ad aliud diſtinctum à ſe;Si autem,vt nos dicimus, habet ſibi identificatam Petreitatem, tunc non eſt quærendum,quare eſt hæc, quia ſe ipſa eſt talis. Quòd verò non poſſit aſſignari in humanitate ratio aliqua abſoluta, in qua fundetur iſte reſpectus inſeparabilis exigentiæ ad Petreitatem, probatur, quia fundamentum huius reſpectus non poſſunt eſſe ipſa prædicata eſſentialia humanitatis ante exiſtentiam, quia humanitas ſecundùm illa prædicata non magis exigit Petreitatem, quàm Pauleitatem; Nec eſt ſimile exemplum,quod affertur de ſubſiſtentia; nam natura humana Petri ideo exigit connaturaliter hanc ſubſiſtentiam, quia in priori quodam ſigno naturæ ante hanc exigentiam eſt hæc. Nec eſt ſimile aliud exemplum, quod affertur de gradu animalitatis, quia ideo gradus animalitatis in Petro exigit coniungi cum rationalitate, & non cum irrationalitate, quia eſt hic; animalitas enim exiſtens in Petro, antequam contrahatur ad rationalitatem, habet identificatam ſibi partialem hæcceitatem; Ex multis autem partialibus hæcceitatibus identificatis cum gradibus ſuperioribus fit hæcceitas totalis, quæ eſt Petreitas, vt dicemus in ſequenti dubitatione; At verò humanitas exiſtens in Petro ante hanc exigentiam non eſt hæc,ſed habet tantùm prædicata eſſentialia, quæ competunt humanitati,vt humanitas eſt,ſecundùm quæ eſt indifferẽs. Dices,humanitatem exiſtentem in Petro determinari ſecundùm exigentiam ad coniunctionem cum Petreitate per ipſam exiſtentiam Petri, quatenus exiſtentia eſt modus humanitatis Petri & non Pauli. Contra hoc eſt,quia adhuc quæro,cùm humanitas ſit ſecundùm ſe ante exiſtentiam indifferens ad exiſtendum in Petro, vel Paulo, vnde determinatur ad exiſtendum in Petro, nec videtur poſſe aſſignari alia ratio,niſi quia humanitas habet ſibi identificatam Petreitatem. 16.

Quòd ſi dicas determinari per actionem huius agentis. Contrà, quia adhuc quæro de ipſa actione agentis quare eſt hæc? Si dixeris quòd habet ſibi hæcceitatem identificatam,iam habetur intentum; nam ſi ſemel conceſſeris quòd actio,quæ ſecundùm eſſentiam ſuam eſt indifferens ad hanc, vel hanc, ſit hæc à parte rei per ſe ipſam, debes etiam concedere humanitatem eſſe ſe ipſa ſibi rationem numericam,quia eſt par ratio;Si verò dixeris actionem eſſe hanc terminatiuè, quatenus exigit coniunctio- 17.

Digitized by Google

nem cum hæcceitate. Contrà, quia adhuc quæro, vt quærebam priùs de humanitate, vnde habet actio hanc exigentiam, cùm ex ſuis prædicatis eſſentialibus ſit indifferens? Si dixeris determinari ab hoc agente, à quo eſt actio. Contrà rurſus quæro de hoc agente, per quid determinetur ad hoc indiuiduum? & ſic in infinitum; Siſtendum eſt igitur quòd natura in indiuiduo ex ſua intrinſeca ratione habet, vt ſit hæc per identificationem cum hæcceitate.

18. Et idem argumentum poteſt fieri de exiſtentia Petri; nam exiſtentia ſecundùm ſuum conceptum formalem dicit tantùm facere rem extra cauſas ſuas, ſecundùm quem conceptum eſt indifferens ad exiſtendum in Petro, & Paulo; Quòd igitur ſit propria Petri, vel debet habere ex intrinſeca ſua ratione per identificationem cum tali hæcceitate, & ita habetur intentum; nam idem poteſt dici de humanitate exiſtente in Petro: vel habet terminatiuè, quatenus exigit coniunctionem cum tali hæcceitate. Et tunc contrà, quia cùm exiſtentia ſecundùm ſuum conceptum formalem ſit indifferens ad coniunctionem cum Petro vel Paulo, quæro vnde habet, vt potiùs exigat, ſeu determinetur ad Petrum, quàm ad Paulum? Quòd ſi dicas determinari per actionem huius agentis, iam redit argumentum factum ſuprà.

19. Ex his igitur duobus principiis euidenter, vt dictum eſt, colligitur veritas huius primæ concluſionis, quòd ſcilicet, natura exiſtens in indiuiduo non diſtinguatur à parte rei ab hæcceitate, verbi gratia, Natura humana exiſtens in Petro quia neceſſariò debet eſſe ſingularis, per primum principium, & non poteſt eſſe ſingularis per coniunctionem cum Petreitate; neque per intrinſecam exigentiam coniunctionis cum Petreitate per ſecundum principium; ergo eſt ſingularis ſe ipſa.

Sed quia naturam eſſe ſe ipſa ſingularem, dupliciter poteſt intelligi, vel per aliquam entitatem poſitiuam, & realem additam ſupra naturam; non tamen diſtinctam à parte rei à natura ſed identificatam cum ipſa, vt vult Caietan. Soncin. Sot. & alij ſuprà citati in ſecunda ſententia, vel quòd natura ſe ipſa primò & immediatè ſit hæc, ſine vlla entitate ſuperaddita, vt ſentiunt Nominales loco citato, ideo videndum eſt modò an hæc hæcceitas addat ſupra naturam præter negationem diuiſionis, aliquam entitatem poſitiuam realem indiſtinctam, & identificatam cum natura; ſit igitur

Caietanus. Soncinas. Sotus. Nominales.

20. Secunda cõcluſio. SECVNDA concluſio, Differentia indiuidualis, ſeu hæcceitas ſupra naturam addit aliquam entitatem poſitiuam & realem, indiſtinctam tamen vt ſuprà probatum eſt, & identificatam cum ipſa natura. Probatur concluſio, quia natura in ſtatu præciſionis, ſeu eſſentiæ, eſt indifferens; de ſe enim non petit vt ſit in hoc indiuiduo vel in illo, & tamen cùm eſt in Petro, ita ſit propria Petri, vt ſit alteri indiuiduo incommunicabilis: ergo aliquid additur naturæ communi.

21. Prima obiectio contra ſecundã concluſionem. SED contra hanc ſecundam concluſionem & ipſius probationem obiicitur primò, Satis eſt ſi ſupra naturam communem addatur negatio diuiſionis.

Solutio. Reſpondetur quòd negatio fundari debet in aliquo poſitiuo. Quòd ſi replices, aduenit negatio luminis in aëre, & tamen hæc negatio non fundatur in aliqua entitate poſitiua aëris. Reſpondetur ex Scoto in 3. diſt. 1. q. 1. & ex Scotiſtis ibidem, quòd quando negatio eſt ſeparabilis, non eſt neceſſe vt fundetur in aliquo poſitiuo; ſicut eſt negatio luminis in aëre: at verò quãdo eſt inſeparabilis, vt eſt negatio diuiſionis in re ſingulari, fundari debet in

Scotus. Scotiſtæ.

A aliqua entitate poſitiua quæ ſit exigitiua illius negationis: imò addo contra Scotum quòd etiam aliquando negatio ſeparabilis fundari debet in aliquo poſitiuo: Sicut negatio dependentiæ, ſeu communicabilitatis, quamuis ſit ſeparabilis à natura, & de facto fuit ſeparata in humanitate Chriſti, fundatur tamen cum communi ſententia Doctorum contra Scotum loco citato in aliqua entitate poſitiua, quæ eſt ſubſiſtentia; Et ratio peculiaris in hac negatione, (quicquid ſit de aliis negationibus) eſt, quia negatio dependentiæ debet fundari in aliqua perfectione poſitiua, per quam talis res habet, vt non indigeat tali dependentia, ſed ſit ſufficiens; Eſt autem ſibi ſufficiens per aliquam perfectionem ſibi intrinſecam. B

Cõtra Scotum. Cõtra Scotum.

Obiicies ſecundò, Petreitas conuenit cum alia differentia indiuiduali in ſingularitate, & differt numericè ab illa, quia eſt hæc, & non illa; & tamen non eſt neceſſe, vt hæc differentia ſit per aliquod ſuperadditum quamuis indiſtinctum à parte rei, quia daretur proceſſus in infinitum; nam de illo ſuperaddito adhuc poteſt idem quæri, & fieri idem argumentum: ergo etiam ſupra naturam humanam communem non eſt addendum aliquod poſitiuum, quamuis indiſtinctum à parte rei vt fiat hæc, ſed ſe ipſa ſine vllo addito primò & immediatè poteſt eſſe hæc: ſicut dictum eſt de Petreitate. 22. Secunda obiectio.

Reſpondetur dupliciter, primò concedendo paritatem in vtroque caſu, quòd tam natura humana per aliquod ſuperadditum intrinſecum ſit hæc, quàm Petreitas; Et ad inſtantiam de proceſſu in infinitum reſpondetur, quòd cùm à parte rei nulla ſit diſtinctio inter hæcceitatem, & hanc hæcceitatem, ſed omnimoda identificatio, & ſolùm ſit diſtinctio per intellectum, nullum abſurdum eſt quòd per intellectum formari poſſint infiniti conceptus. Solutio. C

Secundò reſpondetur, eſſe diſparitatem, quia natura humana non imbibitur in hæcceitate; gradus enim ſuperior prædicamentalis non imbibitur in gradu inferiori; At verò ſingularitas in communi, in qua conueniunt omnes differentiæ indiuiduales, imbibitur in hac ſingularitate; non enim poteſt præſcindere à ſingularitate; quia non poteſt concipi quin intrinſecè ſit ſingularis; ſicut ratio entis non præſcindit ab inferioribus; non enim poteſt concipi ratio inferior a parte rei, quin ſit ens; ac propterea hæc ſingularitas, non addit ſupra ſingularitatem in communi, ſed potiùs explicat ſingularitatem in communi; ſicut ratio inferior entis, non addit ſupra ens; At verò natura humana non imbibitur in Petreitate, ac propterea Petreitas ſupra naturam humanam debet addere aliquod poſitiuum, quamuis indiſtinctum. 23. D

Ex dictis in hac ſecunda concluſione, ſequitur hæcceitatem verbi gratia Petreitatem diſtingui ab humanitate ratione non quidem ratiocinante, ſed ratiocinata; Eſt autem hæc differentia inter diſtinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, quòd per rationem ratiocinantem intellectus facit rem, & diſtinctionem; ſicut cùm intellectus concipit in pariete relationem viſi, facit ipſam relationem ordinando parietem ad viſionem, & etiam ipſe intellectus diſtinguit relationem viſi à viſione; at verò per rationem ratiocinatam intellectus non facit rem, ſed illam ſupponit à parte rei; facit autem tantùm diſtinctionem, ſicut in diuinis verè à parte rei eſt relatio paternitatis; non tamen diſtincta ab eſſentia; cùm ergo intellectus noſter concipit paternitatem diſtinctam ab eſſentia, non facit relationem paternitatis, ſed illam ſupponit eſſe in patre, 24. Colligitur ex dictis humanitatem diſtingui ratione ratiocinata à Petreitate. E

ſed

Digitized by Google

ſed tantùm facit diſtinctionem quæ non eſt à parte rei.

25. Quòd ſi quæras, quando ſit hæc diſtinctio rationis? Reſpondetur poſſe fieri duobus modis, vel negatiuè tantùm ſecundùm præciſionem, quatenus ab intellectu concipitur vnum non concepto altero; & hoc modo certum eſt Deum non poſſe diſtinguere, quia conciperet rem, aliter quàm eſt. Secundo modo poſitiuè, quando intellectus concipit diſtinctionem inter vnum extremum, & alterum; & hæc diſtinctio dici poteſt rationis, in hoc ſenſu, quatenus eſt fabricata per intellectum, præſertim ſecundùm illos qui tenent ens rationis fieri per primam apprehenſionem intellectus.

RESPONSIO AD ARGVMENTA

QVÆ SVNT PRÆCIPVE CONtra *primam concluſionem.*

26. *Solutio primi argumẽti primæ ſententiæ. Ariſt.* AD argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt præcipuè contra primam concluſionem, reſpondetur, & ad primum ex authoritate Ariſtot. in 3. de anima, dicitur ibi Ariſtotelem tantùm velle, quòd conceptus formalis magnitudinis, ſit alius à conceptu formali huius magnitudinis; non autem loquitur de conceptibus obiectiuis.

27. *Solutio ſecundi argumenti.* Ad ſecundum reſpondetur concedendo Petrum, & Paulum conuenire in humanitate, & differre in hæcceitate, ſed negatur hanc conuenientiam eſſe ſecundùm identitatem; tunc enim bene ſequeretur, quòd humanitas in Petro diſtingueretur à parte rei ab hæcceitate, alioquin nõ poſſit eſſe eadem à parte rei cum natura humana in Paulo; Sed dicimus hanc conuenientiam eſſe per ſimilitudinem; ac propterea nihil obſtat, quòd natura humana in Petro conueniat ſe ipſa, & diſconueniat cum natura humana in Paulo, quia ſimile in ſuo conceptu includit aliquam rationem diſconuenientiæ; ſicut album dicit ſimile alteri albo, & tamen eſt diuerſum ab illo.

28. *Solutio tertij argumenti.* Ad tertium reſpondetur concedendo quòd Petrus à parte rei, qua ratione eſt homo, eſt Petrus, negatur tamen ſequela, quòd omnis homo ſit Petrus, quia ly (qua) non diſtribuit hominem, ſed ſupponit pro humanitate à parte rei determinata ad Petreitatem, ac proinde idem eſt dicere, (Petrus à parte rei, qua ratione eſt homo, eſt Petrus) ac ſi diceretur (Petrus per eamdem rationem, ſeu entitatem ſimplicem humanitatis identificatam cum Petreitate, eſt homo, & tale indiuiduum.) Non eſt autem ſimile exemplum cùm dicitur (homo qua ratione eſt rationalis eſt riſibilis;) nam ſupponit pro rationali non determinato, ſed indeterminato; ac proinde valet conſequentia (omne rationale eſt riſibile.)

29. *Solutio quarti.* Ad quartum reſpondetur negando à parte rei eſſe vnam entitatem formalem, ſecundùm identitatem; ſicut neque eſt vna natura; Et cùm inſtatur, quòd omnia indiuidua hominis conueniunt in humanitate, reſpondetur, vt dictum eſt ſuprà, quòd iſta conuenientia non eſt per identitatem, ſed per ſimilitudinem, quæ ex conceptu ſuo in eadem entitate ſimplici admittit diuerſitatem & diſconuenientiam.

30. *Solutio quinti.* Ad quintum conceditur naturam à parte rei eſſe diuiſam, & tot eſſe naturas quot indiuidua; negatur tamen inde ſequi amitti eſſentiam naturæ, quia ſemper à parte rei remanet fundamentum, vt intellectus poſſit verè concipere humanitatem tamquam vnam in pluribus indiuiduis, & à parte rei nunquam diuiditur natura eſſentialiter; ita vt auferatur ali-

A quod eſſentiale à natura, ſed diuiditur tantùm numericè, cum qua diuiſione poſſunt ſtare omnia prædicata eſſentialia naturæ.

Quòd ſi replices, Natura ſecundùm ſuum conceptum eſt communicabilis Petreitati, & Pauleitati, & tamen cùm eſt in Petro, non eſt communicabilis alteri indiuiduo; ergo aliquod eſſentiale detrahitur ab humanitate, ſi humanitas non ponatur diſtincta ab hæcceitate; Sicut igitur cùm detrahitur à numero aliqua vnitas, non remanet ampliùs ex Ariſtot. illa ſpecies numeri; ita neque remanebit eadem ſpecies humanitatis ſi à natura detrahatur prædicatum eſſentiale communicabilitatis. 31. *Replica. Ariſtoteles.*

B Reſpondetur negando dari naturam, ſeu eſſentiam à parte rei communicabilem; natura enim neque poteſt eſſe, neque de facto eſt, niſi exiſtens in indiuiduo ſeipſa hæcceizata; per intellectum autem concipitur tantùm communicabilis; Hæc autem replica maiorem vim habet contra illos, qui tenent naturam in ſtatu præciſionis, ſeu in ſtatu eſſentiæ extra indiuidua eſſe vniuerſalem, ſeu communicabilem pluribus, vt tenet Fonſ. 5. met. cap. 28. quæſt. 3. loco citato; Siue qui tenent, vt Albertus & Mayron, locis citatis, & Antonius Andreas 9. metaph. quæſtione 16. naturam exiſtentem intra indiuidua eſſe vniuerſalem, ſuppoſita à parte rei diſtinctione naturæ ab hæcceitate; Soluunt tamen dicentes ſemper naturam retinere ſuam communicabilitatem ſecundùm eſſe eſſentiæ; & cùm replicatur contra ipſos, *Solutio. Fonſeca. Albertus. Mayron. Ant. Andr.*

C natura communicatur eſſentialiter indiuiduo ſecundùm omnia ſua eſſentialia; ergo deberet etiam communicare indiuiduo prædicatum communicabilitatis, quod tamen repugnat. Reſpondent, quod ſatis eſt ſi natura communicando ſe ipſam eſſentialiter indiuiduo, communicet omnia prædicata abſoluta; non autem prædicata relatiua in ordine ad ipſa indiuidua, cuiuſmodi eſt ipſa communicabilitas; ſicut à pari, inquiunt, quando albedo communicat ſe accidentaliter parieti, communicat etiam denominatiuè omnia ſua prædicata eſſentialia: ita vt paries denominetur diſgregatiuus viſus; non autem communicat denominatiuè prædicata, quæ ſunt in or-

D dine ad ipſum ſubiectum, cuiuſmodi eſt eſſe informatiuam ſubiecti; non enim poteſt paries albus denominari informatiuus ſubiecti.

Ad ſextum reſpondetur, concedendo probabiliter dari eſſentias rerum ab æterno ſecundùm eſſe quidditatiuum, vt fusè oſtendimus in hac diſputat. quæſt. 1. negatur tamen iſtas eſſentias eſſe à parte rei ſecundùm eſſe eſſentiæ tantùm, ſed huiuſmodi eſſentias eſſe ſingulares; Sicut enim vera erat hæc propoſitio ab æterno (homo eſt animal rationale) ita etiam vera erat hæc (Petrus eſt animal rationale;) In iſta autem natura ſingulari eſt fundamentum, vt intellectus poſſit concipere prædicata vniuerſalia abſque prædicatis ſingularibus; negatur igitur 32. *Solutio ſexti argumenti. An detur vniuerſale in ſtatu eſſentiæ ſeu præciſionis extra indiuidua.*

E hæcceitatem aduenire de nouo eſſentiæ ab æterno, quia, vt dictum eſt, verum eſt dicere (quòd ab æterno Petrus eſt animal rationale) aduenit autem tantùm de nouo exiſtentia; non enim verum fuit ab æterno dicere (Petrus eſt exiſtens) ac propterea exiſtentia diſtinguitur à parte rei ab eſſentia, quia aduenit de nouo, non autem hæcceitas.

Hinc vlteriùs colligitur contra Fonſecam 5. met. cap. 28. quæſt. 3. eſſentias rerum ab æterno non eſſe vniuerſales, ſed tantùm habere fundamentum, vnde intellectus poſſit concipere ipſas eſſentias, vt vniuerſales; Et ratio eſt, quia ſi vnitas vniuerſalis poſſet conuenire naturæ, vt habet eſſe eſſentiæ à parte rei ab æterno; deberet etiam illi conuenire in ordine 33. *Fonſeca.*

Digitized by Google

ad exiſtentiam, quia nihil poteſt concipi reale, niſi A includat ſaltem aptitudinalem ordinem ad exiſtendum; ſed eſſentia vt exiſtens in indiuiduo, ſeu vt includens ordinem ad exiſtendum in indiuiduo, non poteſt habere hanc vnitatem vniuerſalem, vt probatum eſt; ergo hæc vnitas vniuerſalis non poteſt eſſe realis, ſed tantùm per intellectum; Et confirmatur, quia natura ſecundùm ſe, vt probatum eſt, non habet entitatem diſtinctam ab hæcceitate, ſeu vnitate indiuidua.

34. Inſtantia. Quòd ſi dicas, De natura, prout eſt in ſtatu eſſentiæ, poteſt dici, quòd neque corrumpitur, neque generatur; & tamen in indiuiduis generatur, & corrumpitur; ergo à pari poteſt dici, quòd in ſtatu eſſentiæ ſit vniuerſalis, & tamen quòd intra indiuidua B non ſit vniuerſalis.

Solutio. Reſpondetur quòd vel eſſentia rei conſideratur prout eſt abſtracta per intellectum, & tunc bene verificatur de eſſentia, quòd neque corrumpitur, neque generatur: Vel conſideratur eſſentia à parte rei, ſecundùm eſſe eſſentiæ iuxta ſententiam noſtram, in qua ſuſtinuimus probabiliter ſuprà quæſt. 1. dari à parte rei eſſentias rerum creabilium ab æterno ſecundùm eſſe quidditatiuum, ſeu eſſentiæ, & tunc etiam in hoc ſtatu verificatur propoſitio quòd eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ neque corrumpitur, neque generatur, quia eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ non producitur, eſt enim generabilis, & corruptibilis ſecundùm eſſe exiſtentiæ tantùm; In indiuiduis C enim generatur & corrumpitur non quidem ſecundùm eſſe eſſentiæ, ſed ſecundùm eſſe exiſtentiæ, quatenus eſſentia ab agente recipit de nouo exiſtentiam, quam priùs non habebat.

Hoc poſito negatur paritas de vniuerſali; nam ſi vera eſſet propoſitio ab æterno, quòd eſſentia extra indiuidua ſecundùm eſſe eſſentiæ eſt vniuerſalis, valeret etiam conſequentia, quòd etiam intra indiuidua eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ eſſet vniuerſalis, quia eſſe eſſentiæ non variatur per exiſtentiam: Sicut igitur vera eſt propoſitio, quòd eſſentia intra indiuidua non producitur, quia eſt ab æterno: ita etiam verum eſſet quòd eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ intra indiuidua, eſſet vniuerſalis, ſi extra D indiuidua ab æterno eſſet vniuerſalis.

35. Solutio ſeptimi argumenti. Ad ſeptimum reſpondetur negando à parte rei naturam eſſe determinabilem tanquam potentiam; & hæcceitatem determinatiuam tamquam actum; quia à parte rei, ſecundùm noſtram ſententiam natura, & hæcceitas, ſunt vnum & idem ſecundùm vnam ſimplicem entitatem: ita tamen vt ſit fundamentum, vt intellectus poſſit concipere hæcceitatem tanquam actum determinantem, & naturam tanquam potentiam determinabilem; ſecus autem eſt de materia, quia materia, vt ſupponitur, eſt diſtincta à parte rei ab ipſa forma, ac propterea materia verè à parte rei eſt determinabilis, & forma determinans, & per hæc patet reſponſio ad argumen- E tum & ad ſuas confirmationes.

36. Solutio octaui argumēti. Ad octauum reſpondetur, ad vniuocationem ſufficere, ſi à parte rei non ſit dependentia analoga, & ſit fundamentum, vt intellectus poſſit concipere vnum conceptu formali adæquato, non cõcepto alio; & hoc modo ſe habet natura humana in Petro; nam à parte rei humanitas non eſt analoga ad Petreitatem, & Pauleitatem, & habet intellectus ſufficiens fundamentum, vt poſſit adæquatè concipere humanitatem ſine Petreitate, & è conuerſo; quia vna ratio non imbibitur in alia; ſecus autem eſt de ente; tum quia ens eſt analogum attributionis; deſcendit enim ad ſubſtantiam, & accidens cum dependentia; tum quia ratio entis imbibitur in inferioribus rationibus, non enim rationes inferiores poſſunt præſcindere ab ente.

Ad nonum reſpõdetur, Vel definitio datur in ordine ad conceptum obiectiuum, ſeu ad rem vt eſt in ſe; & tunc negatur quòd definitio eſt adęquata; Cùm enim à parte rei natura humana cum Petreitate vel Pauleitate ſit vna entitas ſimplex, non poteſt definiri adæquatè ſecundùm totum id, quod habet à parte rei in ſe, niſi cum reſpectu ad indiuidua; Si verò definitio datur in ordine ad conceptum obiectiuum ſecundùm eſſe repræſentatum, quod quidem eſt tantùm denominatio extrinſeca à conceptu formali; tunc eſt definitio adæquata, quia eſt fundamentum à parte rei, vt intellectus poſſit concipere humanitatem ſine Petreitate, quia, vt dictum eſt, humanitas non eſt ratio imbibita in Petreitate: ſicut imbibitur in rationibus inferioribus. 37. Solutio noni argumenti.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm gradus genericus, verbi gratia, animalitas exiſtens in Petro diſtinguatur à parte rei à gradu ſpecifico, verbi gratia, rationalitate.

PRIMA ſententia aſſerit implicare contradictionem huiuſmodi diſtinctionem, & eſt aliquorum grauium recentiorum, quorum implicantias mox infrà ponemus in prima concluſione, non tamen firmiter dicunt huiuſmodi implicantias eſſe euidentes in ſe. 1. Prima ſententia.

Secunda ſententia aliorum recentiorum aſſerit non implicare, ſed de facto non dari, quia nullũ poteſt aſſignari, inquiunt, ſignum diſtinctionis, quod argumentum fuſiùs examinabimus infrà in ſecunda concluſione. Secũda ſententia.

Tertia ſententia aſſerit de facto diſtingui: ita Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 1. & 7. met. quæſt. 16. & Ant. Andr. quæſt. 7. & Iandunus 2. met. quæſt. 9. & Ferrarienſis 1. contra Gentes cap. 24. & 42. & Fonſ. 2. met. cap. 2. tex. 11. Sed non conueniunt omnes iſti Doctores in genere diſtinctionis, aliqui enim vt Sotus, Ferr. & Fonſ. tenent diſtingui tantùm formaliter ex natura rei; alij verò tenent diſtingui realiter vt Iandunus; exiſtimat enim dari multiplicationem formarum phyſicarum in compoſito, verbi gratia, in homine dari formam corporeitatis, animam vegetatiuã, ſenſitiuam, & rationalem diſtinctas, vnde volunt ſumi gradum corporis viuentis animalis, & rationalis. Tertia ſententia. Scotus. Ant. Andr. Iandunus. Ferrarienſis.

Aliis verò videtur cum diſtinctione procedendum; & eſt quarta ſententia, aliter enim, inquiunt, philoſophandum eſt de gradibus compoſiti ſubſtantialis, verbi gratia, equi, aut hominis; aliter de gradibus ſubſtantiæ ſeparatæ, vt eſt Angelus; In compoſito igitur ſubſtantiali dicunt diſtingui ex natura rei gradum genericum à ſpecifico, non item in ſubſtantiis ſeparatis. 2. Quarta ſententia.

PRIMA concluſio non implicat euidenter (quamuis ſit ſatis probabile implicare) ſiue in ſubſtantiis ſeparatis, ſiue in compoſito ſubſtantiali gradum genericum, verbi gratia, animalitatis, exiſtentem in Petro diſtingui à parte rei à gradu ſpecifico rationalitatis; Et nota quòd hic non eſt ſermo de diſtinctione ex natura rei penes connotatum extrinſecum; certum eſt enim gradũ animalitatis diſtingui extrinſecè à gradu rationalitatis, quia gradus animalitatis, quatenus eſt principium ſentiendi, connotat extrinſe- 3. Prima concluſio.

Digitized by Google

trinſecam ſenſationem, quam non connotat rationalitas, quæ eſt principium diſcurrendi, Sed ſermo eſt de diſtinctione à parte rei intrinſeca, an ſcilicet implicet quòd ipſa entitas animalitatis ſit intrinſecè diſtincta à parte rei ab entitate rationalitatis, & dicimus in concluſione non implicare.

4\. Probatur concluſio, Nulla affertur euidens implicantia quæ non ſolui poſſit; non ergo eſt firmiter denegandum Deo, quòd ſaltem per potentiam abſolutam non poſſit producere naturam cum gradu generico diſtincto à ſpecifico.

Probatur antecedens ſoluendo implicantias.

Reſpōdetur ad primam implicantiā quæ afferri ſolet contra hanc primā concluſionem.

PRIMA implicantia eſt, quia ſi animalitas in Petro diſtingueretur à parte rei à rationalitate, ſequeretur dari à parte rei intra indiuiduum naturam vniuerſalem genericam, quod ſuprà in prima dubitatione impugnauimus. Antecedens probatur, quia animalitas in illo priori ſigno ante coniunctionem cum rationalitate, eſt communis ad rationalitatem, & irrationalitatem. Reſpondetur animalitatem exiſtentem in Petro eſſe identificatam cum differentia indiuiduali & per illam determinari ad rationalitatē.

Replica cōtra reſponſionem.

Sed contra hanc reſponſionem replicabis primò, Si animal in Petro eſſet determinatum ad Petrum, ſequeretur contra Ariſtot. in poſtprædicamentis quòd animal non eſſet prius homine; prius enim dicitur illud ſecundùm Ariſtot. à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia; vnde infert animal eſſe prius homine; non valet enim (animal eſt, ergo homo eſt;) valet autem (homo eſt, ergo animal eſt;) At verò ſi animal in Petro eſſet determinatum ad rationalitatem, valeret dicere (animal eſt, ergo homo eſt.) non igitur animal eſſet prius natura homine contra Ariſtot. Reſpondetur quòd Ariſtot. loquitur de gradibus, non vt ſunt à parte rei in indiuiduo, ſed vt ſunt extra indiuiduum per intellectum.

Ariſtoteles. *Ariſtoteles. Solutio.*

5\. *Replica ſecunda.* Replicabis ſecundò, Si animal in Petro eſt determinatum ad rationalitatem; ergo non facit vnum per ſe cum rationalitate. Probatur conſequentia, quia ad faciendum vnum per ſe, requiritur vt vnum extremum ſit potentia indeterminabilis per plures differentias: alterum verò vt ſit actus determinans potentiam ad tale eſſe.

6\. *Solutio.* Reſpondetur negando quòd ad faciendum vnum per ſe, requiratur quòd vnum extremum ſit potentia determinabilis, & indifferens ad plura, & alterum ſit actus; ſatis eſt enim vt vtrumque extremum ſit incompletum, & vt eſſentialiter vnum compleatur aliud, & quamuis animal in Petro non habeat rationem potentiæ determinabilis, ſed ſit per ſuam hæcceitatem determinatum ad rationalitatem, non tamen inde fit, vt non habeat rationem potentiæ; quia determinatur vt potentia; nam rationalitas aduenit animalitati tamquam perficiēs animalitatem, & contrahens ad eſſe hominis; quamuis enim animal in Petro ſit determinatum ad rationalitatem, non tamen dicetur homo, niſi actu adueniat rationalitas tamquam pars eſſentialis componens cum humanitate.

7\. *Secunda implicantia.* SECVNDA implicantia eſt illa, quam afferunt aliqui graues recentiores. In Petro eſt vna tantùm ratio indiuidualis, quæ appellatur Petreitas contrahens immediatè hominem, & mediante homine contrahit omnes gradus ſuperiores: ergo non poſſunt gradus magis diſtingui inter ſe, quàm vnuſquiſque diſtinguatur à ſua differentia indiuiduali; Sed nullus eorum diſtinguitur à parte rei à differentia indiuiduali; ergo neque inter ſe diſtinguūtur.

Prima probatio antecedentis.

Prima conſequentia probatur, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed omnes

A gradus ſuperiores identificantur cum Petreitate: ergo ſunt idem inter ſe. Antecedens probatur Primò, quia genus mediante ſpecie deſcendit ad inferiora, vt eſt commune axioma Philoſophorum, ergo animal contrahitur ad Petrum mediante eſſe hominis. Probatur ſecundò, quia ſicut gradus corporis non eſt aptus contrahi per differentiam animalis, niſi priùs contrahatur per differentiam viuentis: ita nec animal eſt aptum contrahi per Petreitatem, niſi priùs contrahatur per rationale. Tertiò probatur, quia animal in Petro eſt determinatum ad Petrum; ſi ergo antequam contrahatur per rationalitatem, eſſet determinatum ad Petrum, iam eſſet Petrus; & ita eſſet dicendum de gradu viuentis, & de gradu corporis, ergo ſequeretur quòd in Petro eſſent plures Petri. Dicendum eſt igitur quòd gradus ſuperiores non contrahuntur ad Petreitatem, niſi media vltima ſpecie hominis.

Secunda probatio eiuſdem antecedentis. *Tertia probatio eiuſdem.*

Reſpōſio ad ſecūdam implicantiam.

Reſpondetur quòd cùm dicitur in indiuiduo non eſſe niſi vnam hæcceitatem, verbi gratia, in Petro Petreitatem, diſtinguendum eſt; nam vel ſermo eſt de hæcceitate completa, & tunc concedo quòd in indiuiduo non ſit niſi vna hæcceitas completa, quæ in Petro dicitur Petreitas. Si verò ſermo eſt de hæcceitate incompleta, tunc negandum eſt antecedens, & ad primam probationem ipſius dicitur, falsò ſupponi, quòd hæcceitas totalis in indiuiduo ſit ſimplex entitas, ſed eſt vnum aggregatum ex pluribus hæcceitatibus: ita vt quilibet gradus ſuperior habeat ſuam partialem hæcceitatem ſibi identificatam, & ex omnibus illis hæcceitatibus conflatur vna hæcceitas in Petro, quæ dicitur Petreitas, Et ex hac reſponſione ad primam probationem antecedentis patet etiam reſponſio ad conſequentiam in qua dicebatur, quòd non poſſunt gradus inter ſe magis diſtingui quàm à tali ratione indiuiduali; hæc enim conſequentia negatur, quia ſuppoſito quod diximus quòd quilibet gradus ſuperior habet ſuam hæcceitatem ſibi identificatam, tunc hæcceitates illæ partiales, vt hæcceitas animalitatis, & hæcceitas rationalitatis & aliorum graduum, non ſunt diſtinctæ ab hæcceitate totius: complent enim vnum totum methaphyſicum: Partes autem non diſtinguūtur à toto, ſicut à ſimili in compoſito phyſico, hæcceitas materiæ, & hæcceitas formæ ſimul vnitæ, non diſtinguuntur ab hæcceitate totius; non tamen hinc ſequitur quòd partiales hæcceitates inter ſe non diſtinguātur: ſicut inter ſe diſtinguuntur illæ duæ naturæ partiales; materia, ſcilicet, & forma: Hoc igitur animal in Petro, & hoc rationale diſtinguuntur inter ſe, quia hæcceitas partialis, cum qua identificatur animalitas, diſtinguitur ab hæcceitate partiali, cum qua identificatur rationalitas. Et cùm inſtatur ex illo communi axiomate Philoſophorum, quòd animal deſcendit ad Petrum mediante eſſe hominis. Reſpondetur primò hoc verum eſſe de gradibus abſtractis per intellectum. Secundò reſpondetur hoc etiam verum eſſe à parte rei, quia animal, quod eſt in Petro, quamuis ſit hoc, per ſuam hæcceitatem partialem; non tamen eſt Petrus, quia ad hoc vt ſit Petrus, debet contrahi per omnes gradus vſque ad vltimum gradum Petreitatis; eſt enim quid conflatum ex omnibus hæcceitatibus partialibus graduum ſuperiorum.

Ad ſecundam probationem illius antecedentis reſpondeo, concedendo, quòd gradus corporis non contrahitur ad gradum animalis niſi mediante gradu viuentis; ita etiam ſimiliter dicimus quòd gradus animalitatis non contrahitur ad Petreitatem, quæ eſt totalis differentia indiuidualis: niſi media ſpecie. 8.

Ad

9. Ad tertiam probationem eiuſdem antecedentis, in qua dicebatur quòd ſi animal in Petro antequam contrahatur per rationalitatem, eſſet determinatum ad Petrum, ſequeretur quòd eſſet Petrus, & ſic de aliis gradibus ſuperioribus &c. ergo in Petro eſſent plures Petri; reſpondeo,negando, in Petro eſſe plures Petros, nam Petrus eſt vnum indiuiduum completum,quod completur per Petreitatem,quæ quidem completur ex omnibus hæcceitatibus partialibus ſuperiorum graduum, ac propterea hoc animal in Petro, antequam contrahatur per rationalitatem, non poteſt dici Petrus; nam hæcceitas rationalitatis vltimò complet omnes alias hæcceitates aliorum graduum, ad faciendum vnum indiuiduum completum,quod eſt Petrus.

10. *Tertia implicantia.*

TERTIA implicātia quæ afferri ſolet,eſt,quia ſaltem gradus ſubſtantiæ non poteſt diſtingui à parte rei à ſuis inferioribus; ergo ſaltem non omnes gradus poſſunt diſtingui à parte rei; Antecedens probatur, quia omne ens, aut eſt ſubſtantia, aut accidens; alioquin daretur ens medium, quòd neque eſſet ſubſtantia, neque accidens,quod eſt abſurdum; Nam illud medium, vel eſt per ſe, vel in alio; ſi per ſe,eſt ſubſtantia; ſi in alio, eſt accidens,ergo gradus ſubſtantiæ, non poteſt præſcindere à ſuis inferioribus,vt à gradu viuentis,gradu corporis,&c.

Prima reſponſio ad tertiam inſtantiam. Confutatur.

Reſpondent primò aliqui recentiores concedentes non dari diſtinctionem à parte rei in gradu ſubſtantiæ, negantes tamen in aliis gradibus.Sed hæc reſponſio non placet, quia idem argumentum poſſet fieri in aliis gradibus; nam ſimiliter poteſt dici de gradu animalis, quia omne animal aut eſt rationale,aut irrationale;ergo animal non præſcindit à rationalitate,quia ipſum rationale eſt animal.

11. *Secūda reſponſio verior.*

Reſpondetur igitur ſecundò, quòd gradus ſubſtantiæ quatenus includit ens completum, non imbibitur in gradibus inferioribus; nam gradus, vel differentia corporei,vel ſenſitiui,non includit gradum ſubſtantiæ completæ,ſed includit perſeitatem, quæ eſt ens incompletum; quid ſit autem ens completum, diximus fusè ſupra q.5.Et confirmatur quia eſſe, Ad,vt abſtrahit ab ente reali, & rationis,neque eſt reale,neque nihil, & præterea (Ad) reale vt abſtrahit ab increato,& creato,neque eſt per ſe,neque in alio; eſt enim per ſe, quando eſt contractum ad eſſe increatum; quando verò eſt contractum ad eſſe creatum,eſt in alio. *Cōfirmatio.*

12. *Secunda cōcluſio.*

SECVNDA concluſio, quamuis quarta ſententia, quæ aſſerit quòd in compoſito ſubſtantiali gradus ſint diſtincti,non autem in ſubſtantiis ſeparatis, vt ſunt Angeli; videatur fortè habere aliquam probabilitatem, mihi tamen non probatur prima pars huius concluſionis,quòd ſcilicet videatur fortè habere aliquam probabilitatem. Probari ſolet

Probatur prima pars cōcluſionis. Prima probatio ex authoritate S. Thomæ.

Primò authoritate S.Thomæ 1. p. quæſt. 3.a. 3.& de ente & eſſentia cap.5.& 3.part.q. 4. artic.4. Nec obſtat S. Thomas, qui ſolet citari in 1. parte q. 50. art.4.ad 1.& de ent.& eſſent.cap. 4.& 1.part. q. 76. art.3.nam vel nihil colligitur ex iſtis locis; vel loquitur S.Thom.de gradibus in ſubſtantiis ſeparatis, vel certè S. Thom. vt patet ex loco citato 3.par. q.76. tantùm intendit quod v. g. homo & brutum habeant conuenientiam per intellectum,quod verum eſt,quia à parte rei animal, quod eſt in aliquo bruto, eſt hoc per ſuam partialem hæcceitatem, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, & ideo eſt tantùm determinatum ad irrationalitatem. Vt igitur animal, quod eſt à parte rei in bruto, conueniat cum animali, quod eſt à parte rei in homine, debet abſtrahi per intellectum, non autem intendit S. *S.Thom.*

A Thom.quòd gradus genericus non ſit diſtinctus à parte rei à gradu ſpecifico in ipſo indiuiduo, præſertim ſi ſit compoſitum ſubſtantiale.

Probatur ſecundò, quia habemus ſignum diſtinctionis in ipſis conceptibus formalibus qui ſunt diſtincti, vt ſunt adæquatæ imagines conceptuum obiectiuorum;non eſt ergo ratio cur ſaltem in compoſito ſubſtantiali, non idem debeat dici in conceptibus obiectiuis à parte rei.Probatur antecedens, nam intellectus perfectè concipit conceptu diſtincto, & adæquato gradum animalitatis, ſine gradu rationalitatis, & alio conceptu diſtincto & adæquato concipit gradum rationalitatis non concepto B gradu animalitatis,quod non eſt ſimile de ente,nam intellectus non poteſt concipere rationem inferiorem entis,niſi concipiat ens,vt dictum eſt ſupra q.6. 13. *Secūda probatio ex ratione.*

Conſequentia probatur, quia ſi qua ratio poſſet aſſignari, quare conceptui formali diſtincto non correſpondeat conceptus obiectiuus diſtinctus à parte rei, illa eſſet quia à parte rei poſſent omnia ſaluari per vnam ſimplicem entitatem, ſicut patet in Deo,& etiam in Angelis.Sed hæc ratio, inquiunt auctores illius quartæ ſententiæ,ſi quid probat,probat in ipſis ſubſtantiis ſeparatis non dari hanc diſtinctionem per illud axioma communiter, receptum à philoſophis, quòd quæ ſunt in inferioribus diſtincta, ſunt in ſuperiori principio vnita. Probat igitur hoc argumentum ſecundam partem noſtræ C concluſionis.

Tertiò probatur eadem prima pars concluſionis quia animalitas quatenus eſt principium ſentiendi; habet diſtinctam operationem ab operatione ipſius rationalitatis quæ eſt principium diſcurrendi; nam ſenſatio quæ eſt propria operatio animalitatis, diſtinguitur realiter à diſcurſu,quæ eſt propria operatio rationalitatis; ergo principia quæ ſunt perfectiora ſuis operationibus, debent in eodem indiuiduo diſtingui ex natura rei. 14. *Tertia probatio.*

Quòd ſi contra conſequentiam huius ſecundæ probationis inſtes, quòd etiam in rebus creatis ſufficit vna ſimplex entitas potentiæ ad multas operationes;ſicut patet de phantaſia,& de intellectu. *Inſtantia contra conſequentiam.*

D Reſpōdet illa quarta ſententia,vt ſupra reſpōſum eſt, per hanc inſtantiam probari,quòd in ſubſtantiis ſeparatis non datur à parte rei diſtinctio graduum, quia vbi eſt maior perfectio, ibi debet eſſe maior ſimplicitas, & quia ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt omnino abſtractæ à materia; propterea non mirum eſt, ſi in illis, in quibus datur omnimoda ſimplicitas phyſica,detur etiam maior ſimplicitas metaphyſica, quàm ſit in compoſito ex materia, & forma: Quare ſi in compoſito ex materia, & forma datur minima diſtinctio metaphyſica à parte rei,quæ eſt formalis, vt dicetur infrà in quarta concluſione, debet in abſtractis à materia dari minor diſtinctio, quæ alia eſſe non poteſt; niſi per intellectum ſecundùm E rationem ratiocinatam. 15. *Solutio.*

Quòd ſi obiicias contra hanc primam partem concluſionis: In compoſito ſubſtantiali non diſtinguitur à parte rei natura ſpecifica à ſua hæcceitate vt oſtenſum eſt in prima dubitatione, & tamen ibi datur diuerſitas conceptuum formalium, & operationum;ergo ſimiliter dicendum eſt in gradu generico & ſpecifico. 16. *Prima obiectio contra primā partē cōcluſionis.*

Reſpondet primò hæc quarta ſententia, hoc argumentum non militare ſi teneatur cum Scoto & nonnullis aliis citatis pro tertia ſententia, qui propter hanc eandem rationem tenent naturam ſpecificam diſtingui à parte rei à ſua hæcceitate,argumentum igitur habet vim in doctrina illorum qui tenent *Solutio. Scotus.*

Digitized by Google

tenent, naturam ſpecificam non diſtingui à parte rei ab hæcceitate. Suppoſita autem hac opinione reſponderi etiam poteſt ad argumentum, eſſe diſparitatem, quia implicat naturam ſpecificam diſtingui ab hęcceitate; daretur enim vniuerſale à parte rei, vt oſtendimus in ſuperiori dubitatione. Ceſſat autē hæc implicantia in diſtinctione gradus generici à ſpecifico, quia gradus genericus, vt animalitas in Petro eſſet hæc, per ſuā partialem hæcceitatē ſibi identificatam, vt probatum eſt in prima concluſione, & conſequenter in nullo priori à parte rei eſt indifferens ad rationalitatem, & irrationalitatem; ſed eſt determinata ad rationalitatem, quæ eſt in Petro; At verò ſi natura ſpecifica, vt humanitas in Petro, eſſet diſtincta à parte rei à Petreitate, in illo priori neceſſariò eſſet communis, & vniuerſalis, vt probatum eſt in prima dubitatione.

17. *Secunda obiectio. Ariſtoteles.* Quòd ſi ſecundò obiicias, Separabilitas ſecūdùm Ariſtot. 7. topic. eſt ſignum diſtinctionis à parte rei, ſed gradus non poſſunt ſeparari; ergo non poſſumus habere ſignum diſtinctionis.

Solutio. Ariſtoteles. Reſponderi poſſet, quòd illud axioma Ariſtot. intelligendum eſt affirmatiuè, non negatiuè; hoc eſt quotieſcumque videtur ſeparabilitas, licet ſemper inferre diſtinctionem à parte rei; Quòd ſi non videatur ſeparabilitas, non licet ſtatim inferre identitatem, quia ante incarnationem Verbi nulla apparebat Philoſophis diſtinctio inter naturam, & ſubſiſtentiam, & tamen à parte rei verè erant diſtincta, quia poterant ſeparari; de facto enim Verbum aſſumpſit naturam humanam, priuatam propria ſubſiſtentia.

18. *Tertia obiectio. Ocham.* Quòd ſi tertiò obiicias ex Ochā, Non datur alia diſtinctio à parte rei, niſi realis, vel modalis; ſed realis dicit vtrumque extremum ſeparabile; modalis verò ſaltem vnum extremum: ſed gradus ſunt inſeparabiles; ergo neque diſtinguuntur realiter neque modaliter; ergo nullo modo.

Solutio. Reſpondet illa quarta ſententia quod præter diſtinctionem realem, & modalem datur à parte rei diſtinctio formalis inter plura, quæ ſunt mutuò eſſentialiter inſeparabilia; Et hoc modo diſtinguuntur gradus inter ſe, quia vnus gradus eſt ita imperfectus, vt eſſentialiter exigat coniunctionem cum alio: Sicut enim modus exigit, vt ſit in re modificata: ita vt vnus gradus, qui eſt, vt ita dixerim, quaſi modus metaphyſicus naturæ phyſicæ, exigit eſſentialiter, vt ſit coniunctus cum natura, & conſequenter cum omnibus aliis gradibus eſſentialiter complentibus metaphyſicè ipſam naturam; At verò in diſtinctione reali, quia vtrumque extremum eſt realitas, non implicat ſeparatio vtriuſque extremi; In diſtinctione verò modali, quia vnum extremum eſt realitas; alterum verò eſt modus, non implicat ſeparatio ex parte vnius extremi, quod eſt res modificata; At verò hoc dici non poteſt in gradibus, quia omnes gradus ſunt veluti modi quidam metaphyſici complentes eſſentialiter vnam naturam; non poſſunt igitur ſeparari à natura, neque natura ab illis, quia completur eſſentialiter per illos gradus; ſublato autem vno gradu eſſentiali variatur, & corrumpitur natura; ſicut, vt inquit Ariſtot. ablata vna vnitate à numero, corrumpitur ſpecies illius numeri.

19. *Quarta obiectio. Ocham.* Quòd ſi quartò obiicias, Omnia poſſunt ſaluari per vnam ſimplicem entitatem metaphyſicam; ergo non ſunt multiplicanda, inquit Ocham, entia ſine neceſſitate.

20. *Solutio.* Reſpondet illa quarta ſententia, quòd hoc argumentum probat ſolùm, quòd in ſubſtantiis abſtractis non datur huiuſmodi diſtinctio metaphyſica graduum; & hæc de prima parte concluſionis.

Secūda pars cōcluſionis. Probatur primò. Secunda verò pars concluſionis (quòd ſcilicet mihi non videatur probanda quarta ſententia, quæ aſſerit ſaltem in compoſito ſubſtantiali diſtingui gradus à parte rei,) oſtenditur primò authoritate S. Thom. *S.Thom.* qui citari ſolet tum 1. part. quæſt. 55. tum quæſt. 77. art. 3. ad quartum. & quamuis in illis locis non apertè id aſſerat, nam vt notatum eſt ſuprà in quæſt. 77. citata, loquitur de conuenientia generica animalis hominis cum bruto, quæ eſt per intellectū, tamen de ente & eſſentia ſæpius ſupponit non dari hanc diſtinctionem, & præterea eſt communis ſententia Thomiſtarum, Capreol. in 1. *Capreolus.* diſtinct. 8. quæſt. 2. art. 3. Eruci quodl. 1. quæſt. 9. & *Erucus.* colligitur ex Caiet. de ente & eſſent. quæſt. 5. & 1. part. quæſt. 5. art. 6. & Soncin. in 7. met. quæſt. 3. *Soncin.* & alij. Secundò oſtenditur ex eo, quia gradus genericus exiſtens in indiuiduo, vt animalitas in Petro, vel eſt indeterminata ad rationalitatem, vt vult Scotus, & nonnulli alij citati in tertia ſententia, & tunc in illo priori ſigno ante coniunctionem cum rationalitate, & Petreitate eſſet vniuerſalis à parte rei, vt fusè probatum eſt de gradu ſpecifico in 1. dubitat. concluſ. 1. in 4. probatione, vel eſt determinata ad rationalitatem; & tunc vel eſt determinata, quia omnes gradus ſuperiores identificantur cum Petreitate, tamquam cum vna forma indiuidua ſimplici, & tunc ſequeretur, quòd omnes gradus eſſent identificati inter ſe, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, vel eſt determinata per aliquam hæcceitatem partialem ſibi intrinſecam, ſuppoſito quòd Petreitas ſit vna entitas indiuidua compoſita ex pluribus partialibus hæcceitatibus; Et tunc contrà, quia ſequeretur quòd daretur à parte rei (hoc animal) diſtinctum à parte rei, à rationalitate, quod quidem quamuis non videatur implicare manifeſtam contradictionem, vt dictum eſt in prima concluſione, videtur tamen durum dari de facto à parte rei (hoc animal) diſtinctum à rationalitate, & Petreitate. Adde quòd priùs hoc animal eſſet determinatum ad Petreitatem, quàm ad rationalitatem, quia per illam hæcceitatem partialem Petreitatis determinatur ad rationalitatem, & tamen genus ſecundùm communem ſenſum Philoſophorum reſpicit indiuiduum per ſpeciem.

21. *Tertia concluſio.* TERTIA concluſio, Si iſti gradus diſtinguerentur à parte rei, non diſtinguerentur realiter, contra Iandunum. Probatur primò, quia contraria ſententia fundatur in multiplicitate formarum phyſicarum; ponit enim in homine ſaltem quatuor formas diſtinctas realiter, formam corporeitatis, animam vegetatiuam, animam ſenſitiuam, & animam rationalem, ex quibus volunt deſumi gradus corporis viuentis, animalitatis & rationalitatis diſtinctos realiter inter ſe; hæc autem multiplicitas formarum communiter exploditur à Philoſophis; ſatis eſt enim vna forma. Vide Fonſecam tom. 3. cap. 12. quæſt. 1. vbi ſoluit argumenta Ianduni, præſertim ex authoritate Ariſtotelis. Quòd ſi volunt deſumi diſtinctionem realem horum graduum ab vna entitate ſimplici animæ rationalis, tunc non aſſignarent fundamentum diſtinctionis realis, ſed ad ſummum formalis; ſicut enim anima eſt indiuiſibilis phyſicè, ita etiam debet eſſe indiuiſibilis metaphyſicè, ſaltem in hoc ſenſu quòd gradus in anima non ſint ſeparabiles; eſſent autem ſeparabiles ſi eſſent diſtincti realiter, ac proinde anima metaphyſicè eſſet ſecabilis. Quòd ſi dicas eſſe realiter diſtinctas, ſed inſeparabiles: Contra hoc eſt, quia hoc eſt dicere diſtingui formaliter, nam ſi ſunt mutuò

mutuò

Digitized by Google

tuò eſſentialiter inſeparabiles & ex alia parte non ſunt realitates, quia potiùs ſunt gradus, ſeu quaſi modi metaphyſici vnius realitatis phyſicæ, dicendum eſt quòd potiùs diſtinguantur formaliter, quàm realiter.

22. *Secũda probatio.* Secundò probatur, quia, vt dictum eſt in prima concluſione, gradus animalitatis à parte rei in Petro habet ſuam partialem hæcceitatem ſibi identificatam ad Petreitatem, & conſequenter eſt determinata tantùm ad rationalitatem & ad Petrum, non ergo poteſt ſeparari à Petro & coniungi cum irrationalitate.

23. *Quarta concluſio.* QVARTA concluſio, Si iſti gradus diſtinguuntur à parte rei, non diſtinguuntur modaliter; ſed formaliter. Pro quo nota, diſtinctionem modalem propriè dictam differre à formali in duobus; Primò, quia, vt dictum eſt ſuprà in diſtinctione modali, vnum extremum poteſt ſeparari ab alio; in diſtinctione autem formali non item. Oſtenſum eſt autem ſuprà in 2. concluſione in 3. obiectione, gradus eſſe eſſentialiter inter ſe mutuò inſeparabiles; non ergo diſtinguuntur modaliter. Secundò differt, quia modus additus rei modificatæ non variat rationem formalẽ illius, neque determinat ad aliam ſpeciem; intenſio enim caloris ſiue vt octo, ſiue vt quatuor, addita calori, non variat rationem formalem caloris. At verò gradus ſpecificus, verbi gratia, rationalitas, additus generico, determinat gradum genericum, verbi gratia, animal, ad ſpeciem hominis.

TERTIA DVBITATIO.

In qua breuiter ex præcedenti doctrina colliguntur reſolutiones aliquarum quæſtionum de vniuerſali, & de principio indiuiduationis.

1. *Reſolutio quæſtionis, An detur vniuerſale à parte rei.* EX dictis in hac quæſtione, præſertim in 1. dubitatione concluſ. 1. num. 11. & 12. Colligitur reſolutio illius quæſtionis, de qua alibi fuſiùs, non dari à parte rei vniuerſale exiſtens in indiuiduo contra Albertum & Mayro. & Ant. Andream ibidem citatos.

2. Colligitur ſecundò, nec dari vniuerſale in ſtatu præciſionis ſeu eſſentiæ extra indiuidua, vt oſtenſum eſt ibidem in reſponſione ad ſextum argumentum.

3. *Reſolutio quæſtionis de principio indiuiduationis, quæ colligitur ex dictis, præſertim in prima dubitatione.* Colligitur tertiò breuiter, ex dictis præſertim in prima dubitatione concluſ. 1. vbi oſtendimus hæcceitatem identificari cum natura, reſolutio illius quæſtionis de principio indiuiduationis circa quam aliqui tenent principium indiuiduationis eſſe materiam ſignatam quantitate, alij formam, alij exiſtentiam apud Scotum, in 2. diſtinct. 3. quæſt. 5. vt videre licet apud Suar. quia exactè, vt ſolet, tractat hanc quæſtionem. *Suarius.*

Pro cuius reſolutione nota, dupliciter poſſe intelligi aliquid eſſe principium indiuiduationis. Primò, vt principium indiuiduationis ſit entitas metaphyſica, quæ eſt differentia indiuidualis, & dici ſolet hæcceitas contrahens naturam ſpecificam ad tale indiuiduum, ſicut differentia ſpecifica contrahit genus ad talem ſpeciem; Secundò poteſt intelligi per principium indiuiduationis fundamentum, vnde ſumitur differentia indiuidualis, & iuxta hunc ſecundum ſenſum agitatur quæſtio communiter à Doctoribus.

Infertur primò. His poſitis infertur primò ex dictis, exiſtentiam non eſſe differentiam indiuidualem naturæ, tum quia exiſtentia diſtinguitur à parte rei à natura, vt probatum eſt in 2. diſp. at verò differentia indiuidua- A lis non diſtinguitur à parte rei à natura, vt probatum eſt in 1. dubitat. loco citato; tum quia Petrus, vt abſtrahit ab actuali exiſtentia, habet ſuam indiuiduationem; hæc enim propoſitio (Petrus eſt homo) eſt propoſitio æternæ veritatis, vt dictum eſt ſupra.

Secundò infertur. Infertur ſecundò exiſtentiam non eſſe fundamentum differentiæ indiuidualis, nam ſecundùm S.Thom. quæſt. vnica de anima, art. 1. ad 2. idem eſt principium vnitatis, quod entitatis, quia vnum intrinſecè conſequitur ens; Sed exiſtentia non eſt principium intrinſecè conſtituens entitatem naturæ, ergo fundamentum vnitatis indiuidualis non poteſt eſſe exiſtentia, ſed ipſa natura.

B *Tertiò infertur.* Tertio infertur differentiam indiuidualem materiæ, non eſſe formam, quia, vt patet, forma eſt entitas phyſica & diſtincta à materia differentia autem indiuidualis eſt entitas metaphyſica, & identificata cum ea natura, cuius eſt differentia.

Quartò infertur. Durandus. Infertur quartò contra Durandum in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. formam non eſſe fundamentum vnde ſumitur differentia indiuidualis in materia, quia, vt probatum eſt, idem eſt principium vnitatis & entitatis; Sed forma non eſt principium intrinſecè conſtituens entitatem materiæ; ergo neque poteſt eſſe principium ſeu fundamentum vnitatis materiæ: Et ſimiliter dicendum eſt propter eaſdem rationes, quòd materia non eſt principium indiuiduationis C formæ, neque vt differentia indiuidualis ipſius formæ, neque vt fundamentum; Solùm poſſet dubitari an materia indiuiduetur per habitudinem intrinſecam ad formam; vel potiùs forma per intrinſecam habitudinem ad materiam.

Dubium an materia indiuiduetur per habitudinẽ ad formam, vel è conuerſo. Circa quod dubium dico primò, quodcumque dicatur, non eſt contra noſtram doctrinam, quia hæc habitudo eſſet intrinſeca naturæ, & identificata cum illa, ac proinde ſemper verum eſſet, quòd ipſa entitas naturæ ſit fundamentum vnitatis numericæ, & ipſa vnitas numerica ſit identificata cum natura, neque materiam indiuidualem per habitudinem intrinſecam ad formam neque è contra. Et quidem quòd materia non indiuiduetur per hanc D formam, patet, quia eadem materia quæ modò eſt ſub hac forma, manet eadem numero ſub alia forma; non enim poteſt eadem res, quæ erat vna numero, fieri alia numero, non igitur materia accipit vnitatem numericam ex habitudine ad hanc formam.

Quòd verò neque forma indiuiduetur per habitudinem ad materiam probatur, quia vel forma eſt ſpiritualis, vt anima rationalis, & hæc eadem numero ſucceſſiuè eſt ſub diuerſis portionibus materiæ, vt patet in nutritione; Si verò forma eſt materialis, tunc quamuis maior ſit difficultas, quia hæc forma eſt inſeparabilis ab hac materia; dicendum tamen eſt quòd quamuis ſit naturaliter inſeparabilis, E poteſt tamen eadem numero per diuinam potentiam poni in alia materia, quia nulla videtur contradictio ſicut clariùs patet de anima rationali; & tunc naturaliter informaret illam, quia informaret per ſuam entitatem.

Quintò infertur. Infertur quintò materiam, vel formam non indiuiduari per quantitatem, ſeu per alias diſpoſitiones, quia accidentia neque poſſunt eſſe differentiæ indiuidualis alicuius ſubſtantiæ, neque fundamentum indiuiduationis; Probatur primũ, quia differentia indiuidualis eſt entitas metaphyſica, & identificata cũ natura, at verò accidens eſt ens phyſicũ, & diſtinctum à natura. Probatur ſecundum, quia principium, ſeu fundamentum vnitatis indiuidualis eſt ipſa entitas naturæ,

Digitized by Google

naturæ,vt dictum eſt, accidens autem non eſt principium intrinſecè conſtituens naturam ſubſtantialem,ergo non poteſt eſſe fundamentum indiuiduationis ſubſtantiæ.

Sextò infertur. Scotus. Caietanus.

Sextò infertur, Principium adæquatum indiuiduationis compoſiti ſubſtantialis,neque eſſe ſolam formam,vt dicit Scotus,neque ſolam materiam,vt dicit Caietanus, ſed materiam & formam ſimul vnitas; Probatur,quia ex dictis fundamentum vnitatis numericæ eſt ipſa entitas rei, ad ens enim intrinſecè conſequitur vnus;Sed entitas compoſiti eſt adæquatè per materiam, & formam, ſimul vnitas, tamquam principium intrinſecè conſtitutiua ipſius compoſiti,ergo ex illis habet vnitatem numericam; quare vnitas numerica, ſeu differentia indiuidualis huius compoſiti,eſt vnitas partialis huius materiæ, & vnitas partialis huius formæ, & vnitas partialis huius vnionis ; Fundamentum autem adæquatum huius vnitatis numericæ, ſeu differentiæ indiuidualis in compoſito ſunt illæ tres entitates partiales materiæ,ſcilicet, & formæ,& vnionis.

Soluuntur authoritas Ariſtotelis & S. Thomæ in oppoſitū contra ſententiam illam. S.Thom. Ariſtot.

Neque contra hoc quod dictum eſt obſtat authoritas D.Thom. 1. part.quæſt. 50. art.4. & de ente & eſſent. cap. 2. neque authoritas Ariſt. præſertim lib. 5.met. cap. 6. & lib.7. cap.8. aſſerentium materiam ſignatam per quantitatem eſſe principium indiuiduationis in compoſito ſubſtantiali ; non, inquam, obſtat, tum quia non intelligunt quòd ſola materia ſit principium indiuiduationis, ſed quòd ſit præcipuum, quatenus eſt principium multiplicationis, quamuis forma ex alio capite poſſet dici præcipuum principium ratione diſtinctionis, quia Petrus, & Paulus magis diſtinguuntur penes formam numericam, quàm penes materiā;tum quia loquuntur in ordine ad cognitionem noſtram, quia vnum indiuiduum diſtinguimus ab alio penes materiam ſignatam quantitate, imò ipſas etiam qualitates diſtinguimus penes diuerſas quantitates;Et quòd hæc ſit mens S. Thomæ probatur, nam in q. vnica de anima,artic. 1. ad 2. dicit vnumquodque ſecundùm idem habere eſſe, & indiuiduationem, conſtat au-

S.Thom.

A tem ex doctrina ſancti Thomæ compoſitum habere eſſe ex materia & forma ſimul vnitis,& 1.part.q.29. artic.1.& q.9.de potentia, artic. 1. ad octauum dicit ſubſtantiam indiuiduari per ſe ipſam, & per propria principia, non igitur ſubſtantia compoſita indiuiduatur à materia ſola cum quantitate, vel vt ſtat ſub modo quantitatis.

Septimò infertur.

Vltimò infertur, accidens indiuiduari ſe ipſo, quia vnitas numerica, vt dictum eſt, ſequitur entitatem rei, cùm autem dicitur ſubiectum eſſe principium indiuiduationis accidentis, non intelligitur quòd ſubiectum ſit differentia indiuidualis ipſius accidentis,hoc enim eſt impoſſibile, tum quia ſubiectum a parte rei diſtinguitur ab accidenti, tum quia eſt entitas phyſica; differentia autem indiuidualis B eſt entitas metaphyſica & identificata cum natura illius, cuius eſt differentia; vt probatum eſt ſuprà in prima dubitatione loco citato, neque ſubiectum poteſt eſſe fundamentum vnitatis numericæ ipſius accidentis,quia principium,ſeu fundamentum vnitatis ex dictis ſuprà,eſt ipſa entitas,cuius eſt vnitas:Subiectum igitur cùm non conſtituat intrinſecè ipſum accidens,non poteſt eſſe principium ſeu fundamentum vnitatis numericæ ipſius accidentis, quare fundamentum eſt ipſa entitas accidentis.

S.Thom. Explicatur authoritas S. Thomæ, quæ ſolet adduci in oppoſitum. S.Thom.

Nec obſtat S.Tho.1. par. q.29.ar.1.& q.39. art. 3. vbi dicit accidentia indiuiduari per ſubiectum, intelligit enim de indiuiduatione in ordine ad cognitionem noſtram,vt ſuprà dictum eſt : Nos enim per C ſubiectum præſertim affectum quantitate cognoſcimus diſtinctionem accidentium, vnde idem S. Tho. quodlib. 7. art. 10. dicit qualitates indiuiduari per ſubiectum, quantitatem verò indiuiduari ex ſitu; Ex quo loco facilè patet loqui de indiuiduatione in ordine ad cognitionem noſtram, nam diſtinctionem numericam qualitatum cognoſcimus ex diuerſis ſubiectis quantis, diſtinctionē autem numericam quantitatis cognoſcimus ex diuerſo ſitu. Sed de hac quæſtione de principio indiuiduationis alibi fuſiùs, nunc ſatis eſt ex dictis breuiter collegiſſe & inſinuaſſe punctum difficultatis.

Digitized by Google

DISPVTATIO SECVNDA
DE ENTE EXISTENTIÆ.

In hac diſputatione ſunt ſex quæſtiones.

I. *Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.*
II. *Vtrùm inter eſſentiam & exiſtentiam ſit compoſitio à parte rei.*
III. *Vtrùm totum entitatiuum ſiue exiſtentiale diſtinguatur tamquam tertia entitas à partibus ſimul vnitis, eſſentia ſcilicet, & exiſtentia.*
IV. *Vtrùm exiſtentia componatur ex gradibus metaphyſicis, ſicut eſſentia.*
V. *Vtrùm eſſentia poſſit exiſtere per diuinam potentiam exiſtentia alterius.*
VI. *Vtrùm exiſtentia ſit accidens eſſentiæ.*

PRIMA QVÆSTIO.
Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. Not. 1.

NOTANDVM pro explicatione ſenſus quæſtionis, aliquos confundere quæſtionem; Cùm enim quæritur, vtrùm exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia; nomine exiſtentiæ intelligunt omne id, ſine quo actualis rei entitas conſeruari non poteſt, & hoc modo ſubſiſtentiam, & inhærentiam appellant exiſtentiam: Sed iſti non aſſequuntur ſenſum quæſtionis: nam nomine exiſtentiæ hîc tantùm intelligitur, ratio illa formalis, ſeu quaſi formalis, per quam rei entitas conſtituitur in ratione entis in actu extra cauſas ſuas; Subſiſtentia verò, & inhærentia ſunt modi ſuperadditi exiſtentiæ, qui poſſunt ſeparari, ſicut in ſacramento Euchariſtiæ ſeparatur inhærentia à quantitate, remanente exiſtentia, & in Chriſti humanitate ſeparatur propria ſubſiſtentia, remanente propria exiſtentia, vt infrà videbimus.

2. Alij verò confundunt indiuiduationem cum exiſtentia, & dicunt, eſſentiam eſſe naturam ſpecificam præciſam ab indiuiduis: naturam verò exiſtentem, dicunt eſſe naturam indiuiduam, & conſequenter eam diſtinctionem ponunt inter eſſentiam, & exiſtentiam, qualis eſt inter ſpeciem, & indiuiduum: Sed nec iſti attingũt ſenſum quæſtionis; nam de eſſentia non tantùm ſpecifica, ſed etiam indiuidua, & ſingulari, qualis fuit in Chriſto, quæritur, an diſtinguatur à ſua exiſtentia, per quam ipſa natura ſingularis eſt extra ſuas cauſas; ſupponimus autem exiſtentiam eſſe diſtinctam ab hæcceitate, de qua re alibi.

3. Not. 2. NOTANDVM ſecundò, dupliciter adhuc poſſe eſſe ſenſum huius quæſtionis. Primus ſenſus eſt, an eſſentia, quatenus adhuc non ſtat ſub actuali modo exiſtendi, diſtinguatur ab exiſtentia, & iuxta hunc ſenſum Auctores relati in ſuperiori diſputatione in prima quæſtione pro prima opinione, quia exiſtimant eſſentiam nullum habere eſſe actuale eſſentiæ ante productionem, tenent conſequenter exiſtentiam diſtingui ab eſſentia, ſicut ens in actu ab ente in potentia, quia eadem eſt res producenda, & A producta; producitur enim tota entitas conſtituta ex eſſentia, & exiſtentia; Hæc autem diſtinctio eſt realis priuatiuè tanquam entis à non ente. In opinione verò eorum, qui tenent, eſſentiam ab æterno habere eſſe actuale eſſentiæ, & de nouo non fieri eſſe actuale eſſentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ, quam opinionem nos tenuimus probabilem, quæri poteſt iuxta hunc ſenſum, an inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſit diſtinctio à parte rei; nam ſunt duo extrema actualia, in alia verò opinione non ſunt duo extrema, ſed vnum ſub diuerſo modo, ſcilicet in potentia, & in actu; nam creatura in potentia, & in actu idem eſt; Solùm ergo in alia opinione poteſt eſſe diſtinctio priuatiuè eiuſdem ad ſeipſum.

Secundus & verus ſenſus huius dubitationis. Secundus, & verus ſenſus eſt, an eſſentia (ſiue habeat B eſſe actuale ab æterno, ſiue non) quatenus eſt actualiter extra cauſas ſuas, diſtinguatur ab exiſtentia tanquam à ratione ſua formali, per quam eſt extra ſuas cauſas.

PRO quo notandum eſt tertiò, quòd natura exiſtens, eſt verè entitas conſtituta ex eſſentia, & exiſtentia, ſiue inter hæc ſit diſtinctio, ſiue non; nam conſtitutio non ſupponit neceſſariò diſtinctionem extremorum, ſicut ſupponit compoſitio, ex communi Theologorum in 1. diſtinct. 26. & 33. aſſerentium perſonam diuinam conſtitui ex eſſentia & perſonalitate, non autem componi. 4.

QVæritur igitur iuxta hunc ſenſum, an in hoc conſtituto ex eſſentia, & exiſtentia, diſtinguatur ipſa exiſtentia, quæ eſt ratio quaſi formalis huius C conſtituti, ab ipſa eſſentia; Cùm enim actualis exiſtentia, non ſit de quidditate eſſentiæ creatæ, poſſumus abſtrahere in ipſo ente in actu, abſtractione quamuis non negatiua, ſaltem præciſiua, id quod eſt de eſſentia, ſeu quidditate illius entis, à ratione exiſtendi, quæ non eſt de eſſentia: Et quærere, an hæc ratio exiſtendi, diſtinguatur à parte rei ab eſſentia, ſeu quidditate, & iuxta hunc ſecundum ſenſum, poteſt proponi quæſtio in quacumque opinione, ſiue tenentium, quod hoc eſſe eſſentiæ ſit actuale ab æterno, ſiue non, quamuis ad probandam alterutram 5. Punctus difficultatis & verus ſenſus quis.

Digitized by Google

tram partem, multum faciat, an eſſentia habeat ab æterno eſſe actuale, vel non, vt mox infrà videbitur.

PRIMA SENTENTIA.

6\. CIRCA hanc quæſtionem prima ſententia aſſerit nullam eſſe diſtinctionem à parte rei inter exiſtentiam, & eſſentiam; ſed eſſe omnino idem, & ad ſummum eſſe diſtinctionem rationis. Hæc opinio eſt multorum Doctorum. Alenſ. in 4. met. t. 4. Gabriel in 3. diſtinct. 6. quæſt. 2. art. 1. Durand. in 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. Arim. ibidem quæſt. 3. art. 1. Eru. quodl. 7. quæſt. 8. & quodl. 11. quæſt. 1. Henr. quodl. 6. quæſt. 9. & quodl. 5. quæſt. 2. & in ſum. quæſt. 23. art. 2. Achil. lib. 1. de element. quæſt. 23. Suar. in met. diſput. 31. §. 13. *Alenſ. Gabr. Durand. Arim. Eru. Henric. Achill. Suar.*

7\. *Primus modus explicandi hanc primã opinionem.* Sed iſti auctores, non eodem modo explicant hanc opinionem, nam Henr. & Alenſ. dicunt eſſentiam, & exiſtentiam eſſe eandem entitatem creaturæ ſecundùm diuerſum reſpectum rationis; eſſentiam quidem eſſe entitatem creaturæ, vt habentem relationem rationis (vt expreſsè dicit Alenſ.) ad diuinam cognitionem, quatenus eſt obiectum intellectus diuini, exiſtentiam verò eſſe eandem entitatem, vt habentem relationem obiecti ad diuinam operationem, ſeu, vt dicit Henric. eadem entitas eſt eſſentia, vt habet relationem ad exemplaria diuina, & eadem entitas eſt exiſtentia, vt habet ralationem ad Deum tanquam ad cauſam efficientem.

8\. *Secundus modus explicandi. Gabr. Dur. Eru. Ariſtot. Arimin. Auguſt.* ALIJ verò, ſecundò, vt Gabr. Durandus, Arimin. Eru. Achil. ſuprà citati, tenent non differre ſecundùm rem ſignificatam, ſed ſecundùm modos ſignificandi, quos appellant Grammaticales; ſicut differunt (inquiunt) Verbum, Participium, & Nomen; Exemplum eſt, quod ad hoc propoſitum affert Auguſtinus lib. 12. de ciuit. cap. 1. ſicut (inquit) differunt ſapere, ſapiens, & ſapientia, & hæc quidem diſtinctio minor eſt, quàm diſtinctio rationis, quia hæc eſt diſtinctio ſecundùm nomen tantùm.

9\. *Modus explicandi. Suar.* ALIJ verò tertiò, quos ſequitur Suar. magis conſequenter loquuntur, dicentes diſtingui ratione cum fundamento in re, ſeu ratione ratiocinata. Quia enim, inquiunt, eſſentia creaturæ in ſuo conceptu quidditatiuo non includit actualem exiſtentiam, hoc enim proprium eſt Dei; hinc fit, vt intellectus noſter habeat fundamentum in re concipiendi id, quod eſt præciſè eſſentiale creaturæ, abſtrahendo abſtractione præciſiua ab eſſe exiſtentiæ, quod poteſt de nouo aduenire, & non aduenire creaturæ, & conſequenter diſtinguit intellectus vnum ab alio, quamuis à parte rei ſit vna, & eadem actualis entitas, eſſentia, & exiſtentia.

Punctus principalis, in quo conueniunt omnes Doctores primæ ſententiæ. SED quidquid ſit de iſtis diuerſis modis explicandi hanc ſententiam, omnes citati Auctores conueniunt nullam eſſe, nec minimam diſtinctionem à parte rei in actuali entitate creaturæ inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſed eſſe idem omnino à parte rei: quæ opinio probatur ab ipſis auctoribus multis argumentis, &c.

10\. *Primum argumentum. Ariſtot.* PRIMÒ, ex Ariſt. 4. met. vbi ait, quòd idem ſunt (homo, & , ens homo) ergo exiſtentia rei per quam ſit ens homo, non diſtinguitur ab ipſa eſſentia hominis, & confirmatur ex eodem loco citato; Quæcumque (inquit) eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur; ſunt vnum, & idem natura: ſed eſſentia, & exiſtentia eadem generatione generantur, & eadem generatione corrumpuntur, quia non datur vnum ante aliud, ergo eſſe, & eſſentia, ſunt vna, & eadem natura.

SECUNDÒ, Hoc conſtitutum ex eſſentia, & exiſtentia, exiſtit vnica, & eadem exiſtentia, ergo eſſentia, & exiſtentia ſunt idem actualiter à parte rei. 11. *Secundum argumentũ.* Antecedens probatur, quia eſſentia, quamuis detur, quòd ſit actualis à parte rei ab æterno ſecundùm eſſe eſſentiæ, tamen ſit actu extra cauſas per modum exiſtentiæ ſuperadditum; hic autem modus exiſtit ſeipſo, ergo partes huius conſtituti ex eſſentia, & exiſtentia exiſtunt vna, & eadem exiſtentia.

Conſequentia probatur, quia eſt vnum exiſtens actualiter. Et confirmatur in doctrina noſtra, qua nos ſuperiori tomo princip. 7. philoſ. coroll. 1. tenuimus ea diſtingui ratione ratiocinata, quæ habent vnicam exiſtentiam, alioquin non poſſet aſſignari differentia inter diſtinctionem formalem, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, præſertim ſi in his, quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, vnum non ſit de quidditate alterius ſecluſo omni opere intellectus, quia tunc non poteſt aſſignari alia ratio, quare inter illa non ſit diſtinctio actualis à parte rei, niſi quia exiſtunt vnica exiſtentia, ac propterea ſunt vna entitas actualis à parte rei.

TERTIÒ, & eſt argumentum Scoti in 3. d. 6. quæſt. 1. & Trombett. & Suar. diſp. 31. metaph. ſect. 6. Ideo 12. *Tertium argumentum.* Aduerſarij ponunt diſtinctionem inter eſſentiam, & exiſtentiam creaturæ, quia creatura eſt indifferẽs ad exiſtere, & non exiſtere. Sed hæc indifferentia poteſt etiam competere ipſi exiſtentiæ, ergo deberet eſſe diſtinctio ex natura rei inter exiſtentiam, & inter actu exiſtere, ſeu exercitium ipſius; Sed hoc eſt impoſſibile, nam idem argumentum poſſet fieri de ipſo exercitio, & ſic daretur proceſſus in infinitum; exiſtẽtia igitur exiſtit ſeipſa; ſi ergo poteſt intelligi exiſtentia, & ſuus actu ſine diſtinctione, poteſt etiam idem intelligi de eſſentia, & exiſtentia, quæ eſt tanquam actus eſſentiæ.

QVARTÒ, & fortiùs ex Suario diſput. 31. Si inter eſſentiam, & exiſtentiam eſſet aliqua diſtinctio, 13. *Quartũ argumentum.* quamuis minima à parte rei, eſſet etiam compoſitio, quia compoſitio eſt duorum diſtinctorum vnio, ſi igitur erit minima diſtinctio, erit ſaltem minima compoſitio; ſed inter eſſentiam, & exiſtentiam repugnat quæcumque compoſitio, ergo etiam quæcumque diſtinctio.

Probatur Minor, ad cuius probationem, vt clariùs procedatur, ſupponenda ſunt duo: Primum; Quodlibet extremum ex componentibus, debere eſſe ſimplex, vel ſaltem ſi eſt compoſitum, non debere intrinſecè conſtitui, ſeu componi, ex alio extremo; quia extremum eſt pars: ex. gr. materia eſt quid ſimplex reſpectu compoſiti, & quamuis detur, quòd ſit compoſita ex eſſe, & eſſentia, non tamen eſt compoſita ex materia, & forma, quæ eſt altera compars, tunc enim materia, quæ eſt pars, haberet eandem compoſitionem, quam haberet totum, quod eſt compoſitum ex materia, & forma.

Secundò ſupponendum eſt, quòd extremum componens à parte rei, debet eſſe quid actuale, nam entitas in potentia obiectiua, non facit realem compoſitionem in actu, quia eſt eadem res.

His ſuppoſitis, ſic probatur Minor, Si eſſentia componeret cum exiſtentia ad faciendum vnum totum exiſtens, eſſentia deberet eſſe actualis per ſecundum ſuppoſitum; Sed non poteſt eſſe actualis niſi per exiſtentiam, quia hæc eſt ratio formalis conſtituendi rem intrinſecè in eſſe actuali extra cauſas ſuas; eſſet igitur compoſita ex exiſtentia, & eſſentia; Non ergo eſſet ſimplex, ſed haberet eandem compoſitionem quam haberet ſuum totum contra primum

Digitized by Google

ſuppoſitum: Poſſet autem componere eum actu ſubſiſtendi, quia eſt modus adueniens naturæ exiſtenti; de hoc autem nunc non eſt quæſtio.

Suar. Secundò probatur eadem Minor ab eodem Suar. diſp. 31. ſec. 12. quia ſi eſſet compoſitio, eſſet vnio: ſed hoc eſt abſurdum, quia vnio haberet ſuam exiſtentiam, ergo componeret cum illa, & ſic daretur alia vnio, & alia in infinitum. Confirmatur ſecundò, quia hæc vnio non poteſt recipi in eſſentia, nam deberet ſupponi exiſtens; exiſtentia enim eſt prima, & vltima actualitas, at eſſentia, vt pars componens, non poteſt ſupponi exiſtens, vt probatum eſt, ergo, &c.

14. Quintũ argumentum. Ariſtot. Quintò, Si exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, ſequeretur contra Ariſtot. quòd in omni generatione darentur duo termini totales, & duo compoſita, alterum ex materia, & forma, in quo materia eſt potentia, & forma eſt actus; alterum ex eſſentia, & exiſtentia, in quo eſſentia eſt potentia, & exiſtentia eſt actus.

15. Sextum argumentum. Sextò, Signum diſtinctionis à parte rei eſt, quando vnum poteſt ab alio ſeparari ſaltem per diuinam potentiam; At eſſentia non poteſt conſeruari ſine exiſtentia, nec è contra, ergo, &c.

Probatur de vtraque, & primò de eſſentia, nam ſi eſſentia conſeruaretur per diuinam potentiam, ergo eſſet extra ſuas cauſas: hoc autem eſt formaliſſimè exiſtere, exiſteret ergo ſine exiſtentia, quod eſt ridiculum.

De exiſtentia probatur, quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ ſecundùm veriorem opinionem; modus autem non eſt ſeparabilis à re, cuius eſt modus, quia per ſeipſum eſſentialiter illi coniungitur.

16. Septimũ argumentum. Septimò, Si exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, tolleretur creatio, quod eſt abſurdum; Probatur ſequela, quia creatio nullam ſupponit entitatem illius, quod creatur, at ſi exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, ſupponeretur ad creationem ipſa eſſentia.

Ægid. Tromb. Caietan. Fonſec. Multa alia argumenta multiplicant Ægid. Trób. Caiet. & Fonſ. ſed illa breuiter attingam, nam ſupponunt eſſentiam nihil eſſe à parte rei, quod in ſuperiori quæſtione oſtendimus eſſe falſum; Arguunt igitur

17. Octauũ argumentum. Octauò, Eſſentia, & exiſtentia, habent idem contradictorium, idem enim nihil, priuat eſſentia, & eſſe; quia antequam res producatur, nullum habet eſſe, nec eſſentiæ, nec exiſtentiæ, ſed de potentia obiectiua tranſit ad actum per idem eſſe.

18. Nonum argumentum. Nonò, Nulla res poſitiua diſtinguitur ab eo per quod fit formaliter extra ſuum contradictorium, fit enim extra illud ſeipſa. Sed exiſtentia eſt, qua res fit extra nihil tanquam ſuum contradictorium, ergo res non diſtinguitur ab exiſtentia. Minor probatur, quia in creatura ante productionem nihil erat.

19. Decimũ argumentum. Decimò, Quandocumque membra diuidentia ita ſe habent, quòd vnum ſit conditio diſtrahens, E alterum perficiens, v. g. cùm viuum, & mortuum diuidunt animal, tunc membrum perficiens nihil addit reale diuiſo, ſed tantùm amittitur conditio diſtrahens; Sed actus, & potentia diuidunt ens, ſicut conditio perficiens, & diſtrahens; nam res in potentia non eſt verè res, ergo cùm exiſtentia ſit actus, comparata ad eſſentiam, quæ eſt in potentia, non addet aliquid reale enti componendo eum illo, ſed tantùm amittitur conditio diſtrahens, quod eſt eſſe in potentia.

20. Vndecimũ argumentũ. Vndecimò, Realitas rei, nõ differt ab eſſentia rei, ſed exiſtentia non eſt aliud, quàm realitas, quod patet ex ſuo concreto, quia exiſtere non eſt aliud, A quàm eſſe realiter, ergo eſſentia non diſtinguitur ab exiſtentia.

Duodecimò, Sicut ſe habet eſſentia ad eſſe, ita ſe habet exiſtentia ad exiſtere: ſed eſſe, & exiſtere non diſtinguuntur, ergo à commutata proportione, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguentur. 21. Duodecimũ argumentũ.

SECVNDA SENTENTIA.

SECVNDA ſententia eſt præcedenti omnino oppoſita: Hæc aſſerit exiſtentiam creaturarum diſtingui ab eſſentia realiter, vt rem à re. Hæc opinio eſt communis ferè Thomiſtarum, Capr. in 1. ſenten. B diſtinct. 8. quæſt. 1. Ægid. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. artic. 1. & quodl. 1. quæſt. 7. & in tract. de ent. & eſſen. quæſt. 9. & 12. Caietan. cap. 5. de ent. & eſſent. quæſt. 11. Ferr. 2. contra gent. cap. 52. Soncin. 4. met. q. 12. Flandr. 4. met. quæſt. 3. artic. 4. tribuitur S. Thomæ 2. contra Gent. cap. 52. & cap. 5. de ent. & eſſent. tribuitur etiam Boëtio in lib. de hebdomat. cap. 1. vbi diuerſum eſt (inquit) eſſe, & id, quod eſt. 22. Capr. Ægid. Caiet. Ferr. Soncin. Flandr. S. Thom. Boët.

PROBATVR primò, & eſt fundamentum Thomiſtarum ex S. Thom. de ent. & eſſent. cap. 5. & 2. cont. gen. c. 52. & 1. p. q. 3. ar. 4. Exiſtentia recipitur in eſſentia tãquam actus in potentia receptiua, ergo diſtinguitur realiter ab illa; Conſequentia videtur manifeſta, quia potentia receptiua, & actus receptus C diſtinguuntur realiter; componunt enim hæc duo membra, realiter rem. Primum argumentum ſecũdæ ſententiæ.

Antecedens probatur dupliciter, Primò, & principaliter, quia ſi actus exiſtentiæ non reciperetur in eſſentia, eſſet irreceptus, & in ſe ſubſiſtens; actus autem huiuſmodi irreceptus, & per ſe ſubſiſtens, eſſet illimitatus, & infinitus, limitatur enim forma, aut à differentia contrahente, ſicut color determinatur ab albedine; aut à ſubiecto recipiente, ſicut albedo eſt determinatorum graduum, quia recipitur limitatè in ſubiecto; At actus exiſtentiæ, non poteſt limitari per differentiam, tanquam per alium actum, quia eſt vltimus actus, ergo ſi non limitaretur per receptionem in eſſentia tanquam in poten- D tia receptiua, neceſſariò eſſet illimitatus, & infinitus.

Secundò probatur, Hoc exiſtens, & hoc intelligens ſupponendo pro eodem Petro ſunt idem ſubiecto, quia, vt ſupponitur, eſt idem ſuppoſitum Petri; non poſſunt autem eſſe idem ſubiecto, niſi vterque actus exiſtentiæ & intellectionis reciperetur in eadem eſſentia, duo enim dicuntur eſſe idem ſubiecto, vel quia alterum ineſt alteri, vel quia vtrumque ineſt tertio; Non poteſt autem dici, quòd hoc exiſtens, & hoc intelligens ſint idem ſubiecto primo modo, quia nec intellectio recipitur in ipſa exiſtentia, cùm potiùs habeat rationem vltimi actus, quàm habeat rationem potentiæ receptiuæ; nec exiſtentia recipitur in intellectione, cùm exiſtentia præſupponitur intellectioni; Reſtat igitur, vt dicantur idem ſubiecto ſecundo modo, quatenus exiſtentia, & intellectio recipiuntur in eodem tertio, ſcilicet in eſſentia; erit igitur, vt aſſumebatur in antecedenti, eſſentia potentia receptiua, & exiſtentia actus receptus.

Secundò, & eſt confirmatio præcedentis argumenti, Nihil eſt in potentia ad ſeipſum, vt patet: ſed eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ideo enim poteſt Deus creare lapidem & non Chimæram, quia eſſentia lapidis eſt potens recipere exiſtentiam, ergo eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur. 23. Secundũ argumentum.

Tertiò, & eſt fundamentũ Caie. de ent. & eſſen. c. 5. 24. Tert. arg.

Ex

Ex eſſentia, inquit, & exiſtentia fit realis compoſitio, ergo componentia diſtinguuntur realiter: Conſequentia ſupponitur vt manifeſta. A

Antecedens probat Caietan. dupliciter: Primò, Sicut ex materia, & forma fit compoſitum reale, quia eſt compoſitio ex actu & potentia receptiua, ita ex eſſentia, & exiſtentia tanquam ex actu, & potentia fit compoſitum reale; nam eſſentia acquirit eſſe per exiſtentiam, fuit ergo priùs in potentia ad recipiendum exiſtentiam tanquam ſuum actum. Secundò probat idem antecedens; nam hæc compoſitio ex exiſtentia, & eſſentia non poteſt eſſe rationis, ergò realis.

Quòd non poſſit eſſe rationis, probatur dupliciter, Primò, quia hæc eſt radix aliarum compoſitionum realium in creatura. Secundò ens creatum, ex eo, quia eſt compoſitum, diſtinguitur ab ente increato, quod eſt ſimplex, ergo non poteſt hæc compoſitio eſſe rationis, nam hæc conuenit etiam Deo, non enim repugnat perfectæ ſimplicitati reali, quia fingunt Theologi compoſitionem quamdam rationis inter eſſentiam diuinam, & perſonalitatem; quæ concipitur extra quidditatem eſſentiæ. B

Quòd ſi dicas in creaturis eſſe compoſitionem rationis cum fundamento in re, non autem in Deo: Contrà adhuc inſtatur, quia in Deo eſt vera conſtitutio ex eſſentia, & perſonalitate, vt dicunt communiter Theologi, quia perſonalitas à parte rei eſt extra quidditatem eſſentiæ, ergo eſt fundamentum in re, vt intellectus poſſit fingere compoſitionem rationis in Deo. C

25. *Quartum argumentũ. Caiet.* Qvartò ex eodem Caietan. Exiſtentia non prædicatur quidditatiuè de creatura; prædicata verò eſſentialia prædicantur quidditatiuè, ergo ſunt diſtincta realiter. Conſequentia probatur, quia hæc duo eſſe, ſcilicet eſſe eſſentiale, & eſſe exiſtentiale ſunt realia, & vnum non eſt aliud, ergo ſunt diſtincta realiter. Et hæc quidem conſequentia videtur *Ariſtot.* Ariſt. 2. poſt. tex. 7. vbi ait quid eſt homo, & hominem eſſe aliud, & 2. de an. dicit aliud eſſe carnem, aliud carnis eſſe, id eſt, aliud eſt eſſentia, aliud exiſtentia carnis. Antecedens eſt manifeſtum, quia exiſtentia in Deo ſolo eſt prædicatum quidditatiuum, *Ariſtot.* Et confirmatur primo ex Ariſtot. lib. 2. poſter. tex. 1. vbi diſtinguit, an eſt, à quæſtione quid eſt, non ergo exiſtentia pertinet ad quidditatem. Confirmatur ſecundò, quia poteſt concipi eſſentia eſſe ab æterno ſine exiſtentia. D

Quintum argumentũ. Qvintò, Ens creatum exiſtẽs, recipit multas formas accidentales à ſe diſtinctas: Sed hæc potentia receptiua non poteſt eſſe actus exiſtendi, cum hic ſit vltima actualitas, erit igitur eſſentia, ergo diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia.

26. *Sextum argumentum.* Sextò, Ita ſe habet exiſtentia ſubſtantiæ creatæ ad ſubſtantiam creatam, ſicut inexiſtentia accidentis ad accidens: ſed inexiſtentia accidentis diſtinguitur realiter ab eſſentia accidentis, ergo & exiſtentia ſubſtantiæ creatæ ab ipſa ſubſtantia creata. Minor probatur, quia in ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ, quantitas amittit propriam exiſtentiam, quæ erat per inhærentiam in pane, & accipit nouam exiſtentiam quaſi ſubſtantialem, quia exiſtit in ſe independenter à ſubiecto. E

27. *Septimum argumentũ.* Septimò, Prædicata quidditatiua conueniunt creaturæ ſine cauſa effectiua, exiſtentia verò per cauſam effectiuam, ergo prædicata quidditatiua naturæ, & exiſtentia eius diſtinguuntur realiter.

28. *Octauum argumentũ.* Octauò, Eſſentia poteſt ſeparari ab exiſtentia, quia habet ſuum eſſe actuale intrinſecum ab æterno, & exiſtentia poteſt ſeparari ab eſſentia, & conſeruari, quia eſt modus extrinſecus, & nullam dicit intrinſecam dependentiam ab eſſentia, quia non dat actualitatem intrinſecam ipſi eſſentiæ; ergo diſtinguuntur realiter, quia ex omnium opinione hoc eſt ſignum diſtinctionis realis.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

Essentia & exiſtentia diſtinguuntur actualiter à parte rei. In hac concluſione conueniunt Scotiſtæ cum Scoto in 3. d. 6. q. 1. & Thomiſtæ, vt Ferr. Caietan. & alij cum S. Thoma de ent. & eſſen. cap. 5. & 2. contra Gen. cap. 52. & Capr. in 1. diſt. 8. q. 1. & Ægid. in 1. diſt. 2. q. 9. art. 1. & de ent. & eſſent. q. 9. & 12. Differunt autem Scotiſtæ a Thomiſtis, quia Scotiſtæ ponunt diſtinctionem actualem tantùm ex natura rei, Thomiſtæ verò diſtinctionem realem; ſed de hoc dicemus infrà in ſecunda concluſione. 29. *Prima concluſio. Scot. Ferr. Caiet. Capr. Ægid.*

Hæc prima concluſio probari ſolet variis rationibus, ſed non omnes ſatis efficaciter probant.

Primò probant aliqui authoritate S. Thom. de ent. & eſſent. cap. 5. & 2. contra Gent. cap. 52. & 1. p. q. 3. art. 4. Potentia, inquiunt, recipiens & actus receptus diſtinguuntur à parte rei; ſed eſſentia, & exiſtentia ſe habent ſicut potentia recipiens, & actus receptus, ergo diſtinguũtur à parte rei. Maior eſt clara quia nihil recipit ſeipſum. Minor probatur, quia ſi exiſtentia non eſſet actus receptus, eſſet actus illimitatus, & infinitus ſimpliciter, nam eſſet purus actus; Omnis enim limitatio, vel eſt a differentia contrahente, vel à ſubiecto recipiente: Primo modo non poteſt limitari exiſtentia ſecundùm Ariſt. 3. Metaph. quia eſt vltimus actus, non igitur poteſt habere rationem contrahibilis, quia tunc contrahens eſſet vltimus actus, ergo limitatio debet eſſe ab eſſentia tanquam à ſubiecto recipiente, quod quidem exemplariter declarat Caietan. de ent. & eſſent. cap. 5. q. 11. Si albedo ponatur non recepta, ſeu clariùs non receptibilis in ſubiecto, eſſet pura albedo, & nihil haberet niſi ſe tantùm, & eſſet infinita, vel ſimpliciter, vt vult Scotus, & Trombetta; vel ſaltem in ſpecie albedinis, ſicut homo ſeparatus apud Platonem, habet omnem perfectionem poſſibilem naturæ humanæ. Si igitur eſſe daretur irreceptum in ſubiecto, haberet omnem perfectionem ipſius eſſe, ergo eſſet infinitum ſimpliciter. 30. *S Thom. Affertur prima ratio, & impugnatur. Ariſtot. Caiet. Scot. Tromb.*

Sed hæc ratio, optima eſt, vt infrà dicemus in noſtra quarta ratione cum S. Thoma; Sed probatio eo modo, quo affertur ad oſtendendum exiſtentiam eſſe actum receptum, quamuis non careat probabilitate, non tamen omnino conuincit, nam poſſet reſponderi primò cum Durando ſufficere ad limitationem actus, vt habeat eſſe receptum (Ab) ſcilicet, ab alio efficienter, quamuis non habeat eſſe receptum (In) ſcilicet in ſubiecto. Secundò poſſet reſponderi cum Suario, quòd etiam ſi exiſtentia præſcinderet ab eſſe recepto (Ab & In) adhuc haberet limitationem ab ipſa eſſentia, cum qua identificatur, imò magis limitatur per identificationem, quàm per receptionem, quia identificatio eſt magis intima. 31. *Dur. Suar.*

Probat ſecundò Caietan. Secluſa (inquiunt) omni operatione intellectus, exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ creatæ, ergo à parte rei diſtinguitur exiſtentia ab eſſentia. Sed hæc ratio eſt ſatis probabilis, non tamen eſt omnino efficax, habet enim inſtantiam, nam in diuinis, relationes ſecundùm 32. *Affertur ſecunda ratio, & impugnatur.*

Digitized by Google

eiuſdem multorum opinionem non ſunt de quidditate eſſentiæ, etiam ſi eſſentia, vt eſſentia, adæquatè concipiatur, & tamen relationes non diſtinguuntur à parte rei ab eſſentia; Falſum eſt igitur, quod aſſumitur in hac ſecunda ratione, id ſcilicet, quod non eſt de quidditate alicuius, diſtingui à parte rei ab illo.

Caiet.

Sed ad hanc inſtantiam reſpondet Caiet. in 1. p. q.27. art. 2. & q. 39. art. 1. negando relationes non eſſe de eſſentia eſſentiæ: Sed hæc reſponſio Caiet. eſt contra S. Thomam q. 8. de potentia art. 2. & 3. p. q. 3. art. 4. & præterea videtur falſa, quia alioquin Pater, vel communicando eſſentiam Filio, non communicaret illi totam eſſentiam, vel communicaret Paternitatem formaliter, quod vtrumque eſt falſum.

S.Thom.

Ferr.
Torres.

Tertiò reſpondet Ferr. 3. contra Gent. cap. 9. Torres 1. p. q. 28. ar. 3. dub. vltima, quòd aliud eſt Paternitatem eſſe ipſam eſſentiam diuinam in recto, aliud eſt eſſe de eſſentia eſſentiæ diuinæ; nam primus modus loquendi in recto, facit ſenſum identicum, ſignificat enim identificari cum eſſentia: ad hoc autem ſufficit, vt diuina eſſentia ſit vna ratio formalis infinita includens, abſque vlla diſtinctione actuali abſolutum, & reſpectiuum: Secundus verò modus loquendi in obliquo, facit ſenſum formalem, ſignificat enim, quòd ratio conſtituens eſſentiam in ratione eſſentiæ, ſit relatio; quod eſt falſum, nam propter diſtinctionem virtualem, ipſa eſſentia, vt habet rationem perſonalitatis, non conſtituit formaliter Deum ſub ratione Dei. In ſenſu igitur formali ſecundùm iſtos, relatio non eſt de eſſentia eſſentiæ diuinæ, etiamſi perfectè concipiatur vt eſſentia; In ſenſu autem identico, eſſentia, & relationes ſunt idem, quia eſſentia propter ſuam infinitatem omnia ſibi identificat, vbi non eſt oppoſitio originis. Reſpondent igitur ad inſtantiam, quòd quia in creaturis non eſt hæc infinitas, valet, Si exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ, diſtinguitur à parte rei ab illa.

Sed neque hæc reſponſio ſatiſfacit, nam, quamuis eſſentia diuina propter infinitatem omnia, quæ ſunt in Deo, ſibi identificet, quia cum nulla re, quæ eſt in ipſo, habet oppoſitionem, non tamen ſequitur, quòd in creaturis non poſſit dari aliqua identificatio cum eo, quod non eſt de eſſentia ipſius creaturæ, ſicut multi tenent, potentias identificari cum anima; & ratio eſt, quia ex eo, quòd creatura eſt limitata, ſolùm ſequitur, vt non poſſit omnia, quæ ſunt in ipſa ſibi identificare, ſicut identificat eſſentia diuina.

33. Aſſertur tertia ratio, & impugnatur.
Caietan.
S.Thom.

Tertiò probat Caiet. ex eodem S. Thoma de ent. & eſſent. cap. 5. Si nulla, inquit, eſſet diſtinctio à parte rei inter eſſentiam, & exiſtentiam, tolleretur compoſitio à parte rei eſſentiæ cum exiſtentia; quod quidem concedi non debet in creatura, quia hoc eſt proprium Creatoris.

Suar.

Sed neque hæc ratio ſatis probat, quia ſufficit, vt bene adnotauit Suar. vt ſit in creatura compoſitio rationis cum fundamento in re; Hæc autem non eſt in Deo, quantùm ad exiſtentiam, & eſſentiam (quidquid ſit de compoſitione eſſentiæ cum ſubſiſtentia) nam exiſtentia in Deo, eſt de eſſentia Dei: At in creaturis, exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ; Poteſt ergo præſcindi, & concipi in creatura exiſtentia, & eſſentia tanquam duo extrema diſtincta, & conſequenter inter illa caderet compoſitio rationis, cum fundamento in re, tum quia exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ creatæ, tum quia eſt indifferens ad produci, & non produci.

34. Probatur igitur efficaciter quartò, & eſt ratio fundamentalis, Eſſentia creata eſt entitas actualis & realis ſecundum eſſe eſſentiæ ab æterno, & de nouo in tempore aduenit illi eſſe exiſtentiæ, ergo exiſtentia à parte rei actualiter diſtinguitur ab eſſentia.

Quarta vera ratio, & fundamentalis.

Antecedens fusè probatum eſt in prima diſputatione, quæſtione prima. Conſequentia eſt clara, & probatur ex illa regula quam tradit Ariſtot. 7. top. cap. 5. circa finem, quòd quando ſunt duo, præſertim ſi ſint diuerſa, quorum vnum poteſt eſſe ſine altero, illa ſunt actualiter à parte rei diſtincta, & ex hac regula in 7. Metaph. circa finem colligit elementa eſſe diſtincta à carne, quia elementa ſeparari poſſunt à carne, & hanc regulam communiter amplectuntur Philoſophi, & Scholaſtici, & Patres; Sed eſſentia poteſt ſeparari ab exiſtentia, quia, vt ſupra oſtendimus, eſſentia habet ſuum eſſe eſſentiæ actuale reale ab æterno, ergo, &c. Et hæc ratio militat, etiam ſi creatura fuiſſet creata ab æterno, potuiſſet enim eſſentia ſecundùm ſuum eſſe actuale eſſentiæ eſſe ſine exiſtentia, ergo exiſtentia fuiſſet diſtincta ab eſſentia.

Ariſt.

Qvintò in hac ratione fundatur illa alia ratio S. Thomæ de ent. & eſſent. cap. 5. cuius ſuprà meminimus, dum S. Thom. ex eo, quòd exiſtentia eſt actus receptus in eſſentia tanquam in potentia, concludit exiſtentiam diſtingui à parte rei ab eſſentia. Probat autem exiſtentiam eſſe actum receptum, quia alioquin eſſet illimitatus, quæ probatio habet vim, quidquid dicat Durandus, & alij recentiores, ſuppoſito illo fundamento, quòd eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ, habeat eſſe reale actuale ab æterno; Nam hoc ſuppoſito, ſi exiſtentia non eſſet actus receptus, nec conſequenter diſtinctus ab eſſentia, ſed identificatus, ſequeretur, quòd exiſtentia non eſſet ſeparabilis ab eſſentia, ſi enim eſſet ſeparabilis remanente eſſentia ſecundùm ſuum eſſe, iam eſſet, vt probatum eſt, actus receptus, & diſtinctus; Quòd ſi non eſſet ſeparabilis, ſequeretur, quòd actus exiſtentiæ neceſſariò, & independenter conueniret eſſentiæ, ſicut Deo, ergo eſſet illimitatus. 35.

Quinta ratio. S.Thom.

Duran.

Sextò probant Caiet. & alij ex S. Thoma, Nihil eſt, inquiunt, in potentia ad ſeipſum; ſed eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ergo eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur à parte rei. 36.

Sexta ratio. S.Thom. Caiet.

Nec valet ad hanc rationem reſponſio Alenſis, qui diſtinguit duplicem potentiam, alteram ſubiectiuam, alteram obiectiuam, & ad Maiorem huius rationis reſpondet illam eſſe veram de potentia ſubiectiua, quia nihil poteſt recipere ſeipſum, non autem eſſe veram de potentia obiectiua, quia tota rei entitas, quæ eſt in potentia obiectiua creantis, poteſt eſſe extra cauſam; tota autem entitas creaturæ eſt in potentia obiectiua creantis, & ideo poteſt eſſe in potentia ad ſeipſam; Hæc (inquam) reſponſio non valet, nam Maior huius ſextæ rationis intelligitur de potentia quaſi ſubiectiua, & non de potentia obiectiua, nam eſſentia creaturæ ſecundùm eſſe eſſentiæ non eſt in potentia intrinſeca obiectiua creantis, ſed habet eſſe actuale, vt dictum eſt, ab æterno, & conſequenter habet potentiam intrinſecam, per quam eſt poſſibilis; Si ergo eſt in potentia ad exiſtendum extra cauſam, non eſt in potentia ad ſeipſam, ſed ad recipiendum nouum modum à cauſa, ergo hic modus diſtinguitur ab eſſentia, quia nihil eſt in potentia ſubiectiua, vel quaſi ſubiectiua ad recipiendum ſeipſum.

Alenſ.

SECVN

Digitized by Google

SECVNDA CONCLVSIO
CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

37. PROBABILIVS dicitur exiſtentiam ab eſſentia non diſtingui realiter, ſed ex natura rei.

Not. S.Thom. PRO explicatione notandum à S. Tho. pro eodem accipi diſtinctionem realem, & ex natura rei, ſed à Thomiſtis ſtrictiùs accipitur, vt patet ex Capreolo in 1.diſt.3.q.3.& diſt.8.q.1. ad 8. (Capr.) Et eſt illa, quæ eſt inter rem & rem; ſignum autem diſtinctionis realis eſt, cùm vtrumque extremum poteſt per diuinam potentiam ſeparatim exiſtere; Et hoc quidem ſignum ſumptum affirmatiuè ſemper eſt verum, ita vt liceat argumentari: (poſſunt extrema ſeparatim exiſtere, ergo diſtinguuntur realiter;) Sumptum verò negatiuè, ſemper etiam eſt verum, dummodò, vt aduertit Capreolus locis citatis, & Tromb. (Capr. Tromb.) in ſuis formalitatibus, vnum extremum non dependeat ab alio eſſentialiter, relatiuum enim, & correlatiuum diſtinguuntur realiter, & tamen non poſſunt ſeparari, quia vnum dependet ab alio, & multi tenent tertiam entitatem totius diſtingui realiter à partibus, non tamen poſſe ſeparari, quia dicit dependentiam eſſentialem à partibus.

38. Prima ratio pro hac ſecunda concluſione. HIS poſitis, facile probatur concluſio ab his, qui tenent eſſentias rerum produci in eſſe eſſentiæ, & in tempore tantùm ab æterno habere eſſe in potentia cauſæ, conſequenter enim dicunt eſſentiam non poſſe remanere ſecundùm eſſe actuale ſine exiſtentia; A nobis verò, qui tenuimus in prima diſputatione, quæſt.1. eſſentias rerum habere eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, difficiliùs probatur, nam eſſentia ſeparata ab exiſtentia, habet adhuc ſuum eſſe actuale reale eſſentiæ.

AD probandum igitur, quòd eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur realiter, probandum eſt, quòd ſaltem exiſtentia, non poſſit ſeparatim exiſtere ſine eſſentia, quod quidem probatur.

Sua. PRIMÒ ab aliquibus recentioribus, quia deberet eſſe vnio inter eſſentiam, & exiſtentiam, hæc autem vnio deberet exiſtere, quare adhuc deberet dari alia vnio, & ſic in infinitum. Sed hæc ratio non placet, quia poſſet dici, quòd vnio cum ſua exiſtentia, ſeipſa vnitur, ſicut actio, ſeipſa fit.

39. Secunda ratio. SECUNDÒ igitur probatur, Tota ratio exiſtentiæ eſt in exercitio exiſtendi, non poteſt igitur exiſtere, niſi afficiendo actualiter ſubiectum. Conſequentia probatur, quia non poteſt exiſtere, niſi exercendo actum exiſtendi. Non poteſt autem exercere, niſi afficiendo actualiter ſubiectum, ponendo illud extra cauſas. Quare non poteſt exiſtere ſeparatim à ſubiecto, ſicut etiam dicitur de cæteris modis. Antecedens probatur, quia exiſtentia non habet aliud munus, quam ponere rem extra cauſas, & faciendo illam aptam ad recipiendum alia accidentia.

40. Tertia ratio. TERTIÒ probatur, quia exiſtẽtia non habet aliam realitatem præter realitatem ſuæ eſſentiæ, cuius eſt exiſtentia, nam, vt dictum eſt in 1.diſp.quæſt 1. non habet ſuum eſſe eſſentiæ reale actuale ab æterno, ſicut habent cæteræ eſſentiæ rerum, quia aliæ eſſentiæ rerum debent habere rationem poſitiuam intrinſecam realem, ſeu realitatem, per quam illis non repugnat exiſtere; Si enim quæratur, quare lapidi non repugnat exiſtentia, repugnat autem Chimæræ, non poteſt reddi alia ratio, niſi quia lapis habet hanc rationem poſitiuam realem intrinſecam, quam non habet Chimæra; At verò, vt exiſtentiæ non repugnet exiſtere, non requiritur, vt ſit in exiſtentia hæc ratio poſitiua intrinſeca realis, ſeu A realitas, ſed ſufficit, vt in ipſa eſſentia, cuius eſt exiſtentia, ſit hæc ratio poſitiua, nam ſi eſſentiæ lapidis non repugnat exiſtere per ſuam intrinſecam rationem poſitiuam realem, nec ipſum exiſtere repugnabit lapidi; Non igitur exiſtere habet aliquam realitatem poſitiuam præter realitatem ſuæ eſſentiæ, erit igitur modus eſſentiæ.

TERTIA CONCLVSIO.

DICO tertiò, Eſſentia, & exiſtentia, non diſtinguuntur modaliter, contra Fonſecam; ſed formaliter. 41. Fonſ.

B PRO explicatione notandum diſtinctionem ex natura rei, quæ eſt media inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, diuidi in duo membra, in modalem, & formalem. Not.

Modalis propriè dicta, vt colligitur ex Scoto in ſuis formalitatibus, & in 1.diſtinct.8. quidquid dicat Burlifer, inter alias conditiones, quas referemus infrà in prædicamento relationis, habet illam præcipuè vt dicat eandem formalitatem rei modificatæ, non quidem vt ſit de eſſentia illius, hoc enim repugnat, ſed vt ſit intra formalitatem rei modificatæ, ex. gr. intenſio caloris, vt octo, diſtinguitur ex natura rei modaliter ab ipſo calore, quia eſt modus ſuperadditus calori, non ſolùm non varians C rationem formalem caloris, ſed eſt intra formalitatem caloris, nam idem calor, per illam intentionem fit maior intra eandem formalitatem caloris; hoc autem non requiritur ad diſtinctionẽ formalem. Scotus. Burlif.

HIS poſitis probatur concluſio, Exiſtentia additur tanquam nouus modus eſſentiæ, qui quamuis non ſit de eſſentia eſſentiæ, in quo conuenit cum modo intentionis, eſt tamen extra formalitatem eſſentiæ; Non enim eſſentia per modum exiſtentiæ ſuperadditum excreſcit ſecundùm formalitatem eſſentiæ, nec per additionem accreſcit ſecundùm eandem formalitatem; Quare diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam, non eſt modalis propriè dicta. Dixi (propriè) quia poſſet dici modalis, qua- D tenus exiſtentia eſt modus eſſentiæ, & non realitas; diſtinguitur igitur eſſentia ab exiſtentia formaliter. 42.

SED circa hanc concluſionem, dubium occurrit, in quo gradu diſtinctionis formalis ſit iſta diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam; Pro quo notata, tres gradus præcipuè poni diſtinctionis formalis. 43. Dubium, In quo gradu diſtinctionis formalis collocetur diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia.

Primus eſt ſecundùm aliquos, cùm modus diſtinguitur à re penes connotatum extrinſecum tantùm, ſicut multi tenent diſtingui ſimilitudinem ab albedine, non ſecundum entitatem intrinſecam, quia non dicit aliam entitatem ab entitate albedinis, ſed penes terminum realem extrinſecè connotatum, quatenus, ſcilicet, dicit entitatem alterius E albi, ac propterea hæc diſtinctio differt à diſtinctione rationis ratiocinatæ; quia hæc non dicit terminum extrinſecum.

Secundus gradus eſt, cùm modus diſtinguitur à parte rei à re, cuius eſt modus ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum; Eſt tamen hic modus ita intrinſecus rei, vt non poſſit res eſſe ſine illo modo, ſaltem vagè, & hoc modo diſtinguitur figura à quantitate, quia quantitas non poteſt eſſe ſine figura, quamuis poſſit eſſe ſine hac vel illa.

Tertius gradus eſt, cùm modus ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum diſtinguitur à re, & poteſt res eſſe ſine illo modo etiam vagè, ita diſtinguitur ſeſſio à corpore; poteſt enim corpus eſſe ſine vlla ſeſſione.

Digitized by Google

9. Ad tertiam probationem eiuſdem antecedentis, in qua dicebatur quòd ſi animal in Petro antequam contrahatur per rationalitatem, eſſet determinatum ad Petrum, ſequeretur quòd eſſet Petrus, & ſic de aliis gradibus ſuperioribus &c. ergo in Petro eſſent plures Petri; reſpondeo, negando, in Petro eſſe plures Petros, nam Petrus eſt vnum indiuiduum completum, quod completur per Petreitatem, quæ quidem completur ex omnibus hæcceitatibus partialibus ſuperiorum graduum, ac propterea hoc animal in Petro, antequam contrahatur per rationalitatem, non poteſt dici Petrus; nam hæcceitas rationalitatis vltimò complet omnes alias hæcceitates aliorum graduum, ad faciendum vnum indiuiduum completum, quod eſt Petrus.

10. Tertia implicantia. TERTIA implicãtia quæ afferri ſolet, eſt, quia ſaltem gradus ſubſtantiæ non poteſt diſtingui à parte rei à ſuis inferioribus; ergo ſaltem non omnes gradus poſſunt diſtingui à parte rei; Antecedens probatur, quia omne ens, aut eſt ſubſtantia, aut accidens; alioquin daretur ens medium, quòd neque eſſet ſubſtantia, neque accidens, quod eſt abſurdum; Nam illud medium, vel eſt per ſe, vel in alio; ſi per ſe, eſt ſubſtantia; ſi in alio, eſt accidens, ergo gradus ſubſtantiæ, non poteſt præſcindere à ſuis inferioribus, vt à gradu viuentis, gradu corporis, &c.

Prima reſponſio ad tertiam inſtantiam. Confutatur. Reſpondent primò aliqui recentiores concedentes non dari diſtinctionem à parte rei in gradu ſubſtantiæ, negantes tamen in aliis gradibus. Sed hæc reſponſio non placet, quia idem argumentum poſſet fieri in aliis gradibus; nam ſimiliter poteſt dici de gradu animalis, quia omne animal aut eſt rationale, aut irrationale; ergo animal non præſcindit à rationalitate, quia ipſum rationale eſt animal.

11. Secũda reſponſio verior. Reſpondetur igitur ſecundò, quòd gradus ſubſtantiæ quatenus includit ens completum, non imbibitur in gradibus inferioribus; nam gradus, vel differentia corporei, vel ſenſitiui, non includit gradum ſubſtantiæ completæ, ſed includit perſeitatem, quæ eſt ens incompletum; quid ſit autem ens completum, diximus fusè ſuprà q.5. Cõfirmatio. Et confirmatur quia eſſe, Ad, vt abſtrahit ab ente reali, & rationis, neque eſt reale, neque nihil, & prætereà (Ad) reale vt abſtrahit ab increato, & creato, neque eſt per ſe, neque in alio; eſt enim per ſe, quando eſt contractum ad eſſe increatum; quando verò eſt contractum ad eſſe creatum, eſt in alio.

12. Secunda cõcluſio. SECVNDA concluſio, quamuis quarta ſententia, quæ aſſerit quòd in compoſito ſubſtantiali gradus ſint diſtincti, non autem in ſubſtantiis ſeparatis, vt ſunt Angeli; videatur fortè habere aliquam probabilitatem, mihi tamen non probatur prima pars huius concluſionis, quòd ſcilicet videatur fortè habere aliquam probabilitatem. Probari ſolet

Probatur prima pars cõcluſionis. Prima probatio ex authoritate S. Thomæ. Primò authoritate S.Thomæ 1. p. quæſt. 3.a. 3.& de ente & eſſentia cap.5.& 3.part.q. 4. artic. 4. Nec obſtat S. Thomas, qui ſolet citari in 1. parte q. 50. art.4.ad 1.& de ent.& eſſent.cap. 4.& 1.part. q. 76. art. 3. nam vel nihil colligitur ex iſtis locis; vel loquitur S.Thom. de gradibus in ſubſtantiis ſeparatis, vel certè S. Thom. vt patet ex loco citato 3.par. q.76. tantùm intendit quod v. g. homo & brutum habeant conuenientiam per intellectum, quod verum eſt, quia à parte rei animal, quod eſt in aliquo bruto, eſt hoc per ſuam partialem hæcceitatem, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, & ideo eſt tantùm determinatum ad irrationalitatem. Vt igitur animal, quod eſt à parte rei in bruto, conueniat cum animali, quod eſt à parte rei in homine, debet abſtrahi per intellectum, non autem intendit S.

A Thom. quòd gradus genericus non ſit diſtinctus à parte rei à gradu ſpecifico in ipſo indiuiduo, præſertim ſi ſit compoſitum ſubſtantiale.

13. Secũda probatio ex ratione. Probatur ſecundò, quia habemus ſignum diſtinctionis in ipſis conceptibus formalibus qui ſunt diſtincti, vt ſunt adæquatæ imagines conceptuum obiectiuorum; non eſt ergo ratio cur ſaltem in compoſito ſubſtantiali, non idem debeat dici in conceptibus obiectiuis à parte rei. Probatur antecedens, nam intellectus perfectè concipit conceptu diſtincto, & adæquato gradum animalitatis, ſine gradu rationalitatis, & alio conceptu diſtincto & adæquato concipit gradum rationalitatis non concepto, B gradu animalitatis, quod non eſt ſimile de ente, nam intellectus non poteſt concipere rationem inferiorem entis, niſi concipiat ens, vt dictum eſt ſuprà q.6.

Conſequentia probatur, quia ſi qua ratio poſſet aſſignari, quare conceptui formali diſtincto non correſpondeat conceptus obiectiuus diſtinctus à parte rei, illa eſſet quia à parte rei poſſent omnia ſaluari per vnam ſimplicem entitatem, ſicut patet in Deo, & etiam in Angelis. Sed hæc ratio, inquiunt auctores illius quartæ ſententiæ, ſi quid probat, probat in ipſis ſubſtantiis ſeparatis non dari hanc diſtinctionem per illud axioma communiter receptum à philoſophis, quòd quæ ſunt in inferioribus diſtincta, ſunt in ſuperiori principio vnita. Probat igitur hoc argumentum ſecundam partem noſtræ C concluſionis.

14. Tertia probatio. Tertiò probatur eadem prima pars concluſionis quia animalitas quatenus eſt principium ſentiendi; habet diſtinctam operationem ab operatione ipſius rationalitatis quæ eſt principium diſcurrendi; nam ſenſatio quæ eſt propria operatio animalitatis, diſtinguitur realiter à diſcurſu, quæ eſt propria operatio rationalitatis; ergo principia quæ ſunt perfectiora ſuis operationibus, debent in eodem indiuiduo diſtingui ex natura rei.

Inſtantia contra conſequentiam. Quòd ſi contra conſequentiam huius ſecundæ probationis inſtes, quòd etiam in rebus creatis ſufficit vna ſimplex entitas potentiæ ad multas operationes; ſicut patet de phantaſia, & de intellectu.

15. Soluitur. D Reſpõdet illa quarta ſententia, vt ſuprà reſpõſum eſt, per hanc inſtantiam probari, quòd in ſubſtantiis ſeparatis non datur à parte rei diſtinctio graduum, quia vbi eſt maior perfectio, ibi debet eſſe maior ſimplicitas, & quia ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt omnino abſtractæ à materia; propterea non mirum eſt, ſi in illis, in quibus datur omnimoda ſimplicitas phyſica, detur etiam maior ſimplicitas metaphyſica, quàm ſit in compoſito ex materia, & forma: Quare ſi in compoſito ex materia, & forma datur minima diſtinctio metaphyſica à parte rei, quæ eſt formalis, vt dicetur infrà in quarta concluſione, debet in abſtractis à materia dari minor diſtinctio, quæ alia eſſe non poteſt; niſi per intellectum ſecundùm ra- E tionem ratiocinatam.

16. Prima obiectio contra primã partẽ cõcluſionis. Quòd ſi obiicias contra hanc primam partem concluſionis: In compoſito ſubſtantiali non diſtinguitur à parte rei natura ſpecifica à ſua hæcceitate vt oſtenſum eſt in prima dubitatione, & tamen ibi datur diuerſitas conceptuum formalium, & operationum; ergo ſimiliter dicendum eſt in gradu generico & ſpecifico.

Solutio. Scotus. Reſpondet primò hæc quarta ſententia, hoc argumentum non militare ſi teneatur cum Scoto & nonnullis aliis citatis pro tertia ſententia, qui propter hanc eamdem rationem tenent naturam ſpecificam diſtingui à parte rei à ſua hæcceitate, argumentum igitur habet vim in doctrina illorum qui tenent

tenent

Digitized by Google

tenent, naturam ſpecificam non diſtingui à parte rei ab hæcceitate. Suppoſita autem hac opinione reſponderi etiam poteſt ad argumentum, eſſe diſparitatem, quia implicat naturam ſpecificam diſtingui ab hęcceitate; daretur enim vniuerſale à parte rei, vt oſtendimus in ſuperiori dubitatione. Ceſſat autē hæc implicantia in diſtinctione gradus generici à ſpecifico, quia gradus genericus, vt animalitas in Petro eſſet hæc, per ſuā partialem hæcceitatē ſibi identificatam, vt probatum eſt in prima concluſione, & conſequenter in nullo priori à parte rei eſt indifferens ad rationalitatem, & irrationalitatem; ſed eſt determinata ad rationalitatem, quæ eſt in Petro; At verò ſi natura ſpecifica, vt humanitas in Petro, eſſet diſtincta à parte rei à Petreitate, in illo priori neceſſariò eſſet communis, & vniuerſalis, vt probatum eſt in prima dubitatione.

17. Secunda obiectio. Ariſtoteles. Quòd ſi ſecundò obiicias, Separabilitas ſecūdùm Ariſtot. 7. topic. eſt ſignum diſtinctionis à parte rei, ſed gradus non poſſunt ſeparari; ergo non poſſumus habere ſignum diſtinctionis.

Solutio. Ariſtoteles. Reſponderi poſſet, quòd illud axioma Ariſtot. intelligendum eſt affirmatiuè, non negatiuè; hoc eſt quotieſcumque videtur ſeparabilitas, licet ſemper inferre diſtinctionem à parte rei; Quòd ſi non videatur ſeparabilitas, non licet ſtatim inferre identitatem, quia ante incarnationem Verbi nulla apparebat Philoſophis diſtinctio inter naturam, & ſubſiſtentiam, & tamen à parte rei verè erant diſtincta, quia poterant ſeparari; de facto enim Verbum aſſumpſit naturam humanam, priuatam propria ſubſiſtentia.

18. Tertia obiectio. Ocham. Quòd ſi tertiò obiicias ex Ochā, Non datur alia diſtinctio à parte rei, niſi realis, vel modalis; ſed realis dicit vtrumque extremum ſeparabile; modalis verò ſaltem vnum extremum: ſed gradus ſunt inſeparabiles; ergo neque diſtinguuntur realiter neque modaliter; ergo nullo modo.

Solutio. Reſpondet illa quarta ſententia quod præter diſtinctionem realem, & modalem datur à parte rei diſtinctio formalis inter plura, quæ ſunt mutuò eſſentialiter inſeparabilia; Et hoc modo diſtinguuntur gradus inter ſe, quia vnus gradus eſt ita imperfectus, vt eſſentialiter exigat coniunctionem cum alio: Sicut enim modus exigit, vt ſit in re modificata: ita vt vnus gradus, qui eſt, vt ita dixerim, quaſi modus metaphyſicus naturæ phyſicæ, exigit eſſentialiter, vt ſit coniunctus cum natura, & conſequenter cum omnibus aliis gradibus eſſentialiter complentibus metaphyſicè ipſam naturam; At verò in diſtinctione reali, quia vtrumque extremum eſt realitas, non implicat ſeparatio vtriuſque extremi; In diſtinctione verò modali, quia vnum extremum eſt realitas; alterum verò eſt modus, non implicat ſeparatio ex parte vnius extremi, quod eſt res modificata; At verò hoc dici non poteſt in gradibus, quia omnes gradus ſunt veluti modi quidam metaphyſici complentes eſſentialiter vnam naturam; non poſſunt igitur ſeparari à natura, neque natura ab illis, quia completur eſſentialiter per illos gradus; ſublato autem vno gradu eſſentiali variatur, & corrumpitur natura; ſicut, vt inquit Ariſtot. ablata vna vnitate à numero, corrumpitur ſpecies illius numeri.

19. Quarta obiectio. Ocham. Quòd ſi quartò obiicias, Omnia poſſunt ſaluari per vnam ſimplicem entitatem metaphyſicam; ergo non ſunt multiplicanda, inquit Ocham, entia ſine neceſſitate.

20. Solutio. Reſpondet illa quarta ſententia, quòd hoc argumentum probat ſolùm, quòd in ſubſtantiis abſtractis non datur huiuſmodi diſtinctio metaphyſica graduum; & hæc de prima parte concluſionis.

Secūda pars cōcluſionis. Probatur primò. Secunda verò pars concluſionis (quòd ſcilicet mihi non videatur probanda quarta ſententia, quæ aſſerit ſaltem in compoſito ſubſtantiali diſtingui gradus à parte rei,) oſtenditur primò authoritate S. Thom. qui citari ſolet tum 1. part. quæſt. 55. tum quæſt. 77. art. 3. ad quartum. & quamuis in illis locis non apertè id aſſerat, nam vt notatum eſt ſuprà in quæſt. 77. citata, loquitur de conuenientia generica animalis hominis cum bruto, quæ eſt per intellectū, tamen de ente & eſſentia ſæpius ſupponit non dari hanc diſtinctionem, & præterea eſt communis ſententia Thomiſtarum, Capreol. in 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. art. 3. Eruei quodl. 1. quæſt. 9. & colligitur ex Caiet. de ente & eſſent. quæſt. 5. & 1. part. quæſt. 5. art. 6. & Soncin. in 7. met. quæſt. 3. & alij. Secundò oſtenditur ex eo, quia gradus genericus exiſtens in indiuiduo, vt animalitas in Petro, vel eſt indeterminata ad rationalitatem, vt vult Scotus, & nonnulli alij citati in tertia ſententia, & tunc in illo priori ſigno ante coniunctionem cum rationalitate, & Petreitate eſſet vniuerſalis à parte rei, vt fusè probatum eſt de gradu ſpecifico in 1. dubitat. concluſ. 1. in 4. probatione, vel eſt determinata ad rationalitatem; & tunc vel eſt determinata, quia omnes gradus ſuperiores identificantur cum Petreitate, tamquam cum vna forma indiuidua ſimplici, & tunc ſequeretur, quòd omnes gradus eſſent identificati inter ſe, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, vel eſt determinata per aliquam hæcceitatem partialem ſibi intrinſecam, ſuppoſito quòd Petreitas ſit vna entitas indiuidua compoſita ex pluribus partialibus hæcceitatibus; Et tunc contrà, quia ſequeretur quòd daretur à parte rei (hoc animal) diſtinctum à parte rei, à rationalitate, quod quidem quamuis non videatur implicare manifeſtam contradictionem, vt dictum eſt in prima concluſione, videtur tamen durum dari de facto à parte rei (hoc animal) diſtinctum à rationalitate, & Petreitate. Adde quòd priùs hoc animal eſſet determinatum ad Petreitatem, quàm ad rationalitatem, quia per illam hæcceitatem partialem Petreitatis determinatur ad rationalitatem, & tamen genus ſecundùm communem ſenſum Philoſophorum reſpicit indiuiduum per ſpeciem.

21. Tertia concluſio. **Tertia** concluſio, Si iſti gradus diſtinguerentur à parte rei, non diſtinguerentur realiter, contra Iandunum. Probatur primò, quia contraria ſententia fundatur in multiplicitate formarum phyſicarum; ponit enim in homine ſaltem quatuor formas diſtinctas realiter, formam corporeitatis, animam vegetatiuam, animam ſenſitiuam, & animam rationalem, ex quibus volunt deſumi gradus corporis viuentis, animalitatis & rationalitatis diſtinctos realiter inter ſe; hæc autem multiplicitas formarum communiter exploditur à Philoſophis; ſatis eſt enim vna forma. Vide Fonſecam tom. 3. cap. 12. quæſt. 1. vbi ſoluit argumenta Ianduni, præſertim ex authoritate Ariſtotelis. Quòd ſi volunt deſumi diſtinctionem realem horum gradnum ab vna entitate ſimplici animæ rationalis, tunc non aſſignarent fundamentum diſtinctionis realis, ſed ad ſummum formalis; ſicut enim anima eſt indiuiſibilis phyſicè, ita etiam debet eſſe indiuiſibilis metaphyſicè, ſaltem in hoc ſenſu quòd gradus in anima non ſint ſeparabiles; eſſent autem ſeparabiles ſi eſſent diſtincti realiter, ac proinde anima metaphyſicè eſſet ſecabilis. Quòd ſi dicas eſſe realiter diſtinctas, ſed inſeparabiles: Contra hoc eſt, quia hoc eſt dicere diſtingui formaliter, nam ſi ſunt mutuò

Digitized by Google

tuò eſſentialiter inſeparabiles & ex alia parte non ſunt realitates, quia potiùs ſunt gradus, ſeu quaſi modi metaphyſici vnius realitatis phyſicæ, dicendum eſt quòd potiùs diſtinguantur formaliter, quàm realiter.

22. *Secũda probatio.* Secundò probatur, quia, vt dictum eſt in prima concluſione, gradus animalitatis à parte rei in Petro habet ſuam partialem hæcceitatem ſibi identificatam ad Petreitatem, & conſequenter eſt determinata tantùm ad rationalitatem & ad Petrum, non ergo poteſt ſeparari à Petro & coniungi cum irrationalitate.

23. *Quarta concluſio.* QVARTA concluſio, Si iſti gradus diſtinguuntur à parte rei, non diſtinguuntur modaliter; ſed formaliter. Pro quo nota, diſtinctionem modalem propriè dictam differre à formali in duobus; Primò, quia, vt dictum eſt ſuprà in diſtinctione modali, vnum extremum poteſt ſeparari ab alio; in diſtinctione autem formali non item. Oſtenſum eſt autem ſuprà in 2. concluſione in 3. obiectione, gradus eſſe eſſentialiter inter ſe mutuò inſeparabiles; non ergo diſtinguuntur modaliter. Secundò differt, quia modus additus rei modificatæ non variat rationem formalẽ illius, neque determinat ad aliam ſpeciem; intenſio enim caloris ſiue vt octo, ſiue vt quatuor, addita calori, non variat rationem formalem caloris. At verò gradus ſpecificus, verbi gratia, rationalitas, additus generico, determinat gradum genericum, verbi gratia, animal, ad ſpeciem hominis.

TERTIA DVBITATIO.

In qua breuiter ex præcedenti doctrina colliguntur reſolutiones aliquarum quæſtionum de vniuerſali, & de principio indiuiduationis.

1. *Reſolutio quæſtionis, An detur vniuerſale à parte rei.* EX dictis in hac quæſtione, præſertim in 1. dubitatione concluſ. 1. num. 11. & 12. Colligitur reſolutio illius quæſtionis, de qua alibi fuſiùs, non dari à parte rei vniuerſale exiſtens in indiuiduo contra Albertum & Mayro. & Ant. Andream ibidem citatos.

2. Colligitur ſecundò, nec dari vniuerſale in ſtatu præciſionis ſeu eſſentiæ extra indiuidua, vt oſtenſum eſt ibidem in reſponſione ad ſextum argumentum.

3. *Reſolutio quæſtionis de principio indiuiduationis, quæ colligitur ex dictis, præſertim in prima dubitatione. Suarius.* Colligitur tertiò breuiter, ex dictis præſertim in prima dubitatione concluſ. 1. vbi oſtendimus hæcceitatem identificari cum natura, reſolutio illius quæſtionis de principio indiuiduationis circa quam aliqui tenent principium indiuiduationis eſſe materiam ſignatam quantitate, alij formam, alij exiſtentiam apud Scotum, in 2. diſtinct. 3. quæſt. 3. vt videre licet apud Suar. quia exactè, vt ſolet, tractat hanc quæſtionem.

Pro cuius reſolutione nota, dupliciter poſſe intelligi aliquid eſſe principium indiuiduationis. Primò, vt principium indiuiduationis ſit entitas metaphyſica, quæ eſt differentia indiuidualis, & dici ſolet hæcceitas contrahens naturam ſpecificam ad tale indiuiduum, ſicut differentia ſpecifica contrahit genus ad talem ſpeciem; Secundò poteſt intelligi per principium indiuiduationis fundamentum, vnde ſumitur differentia indiuidualis, & iuxta hunc ſecundum ſenſum agitatur quæſtio communiter à Doctoribus.

Infertur primò. HIS poſitis infertur primò ex dictis, exiſtentiam non eſſe differentiam indiuidualem naturæ, tum quia exiſtentia diſtinguitur à parte rei à natura, vt probatum eſt in 2. diſp. at verò differentia indiuidualis non diſtinguitur à parte rei à natura, vt probatum eſt in 1. dubitat. loco citato; tum quia Petrus, vt abſtrahit ab actuali exiſtentia, habet ſuam indiuiduationem; hæc enim propoſitio (Petrus eſt homo) eſt propoſitio æternæ veritatis, vt dictum eſt ſuprà.

Infertur ſecundò exiſtentiam non eſſe fundamentum differentiæ indiuidualis, nam ſecundùm S.Thom. quæſt. vnica de anima, art. 1. ad 2. idem eſt principium vnitatis, quod entitatis, quia vnum intrinſecè conſequitur ens; Sed exiſtentia non eſt principium intrinſecè conſtituens entitatem naturæ, ergo fundamentum vnitatis indiuidualis non poteſt eſſe exiſtentia, ſed ipſa natura. *Secundò infertur.*

Tertio infertur differentiam indiuidualem materiæ, non eſſe formam, quia, vt patet, forma eſt entitas phyſica & diſtincta à materia; differentia autem indiuidualis eſt entitas metaphyſica, & identificata cum ea natura, cuius eſt differentia. *Tertiò infertur.*

Infertur quartò contra Durandum in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. formam non eſſe fundamentum vnde ſumitur differentia indiuidualis in materia, quia, vt probatum eſt, idem eſt principium vnitatis & entitatis; Sed forma non eſt principium intrinſecè conſtituens entitatem materiæ; ergo neque poteſt eſſe principium ſeu fundamentum vnitatis materiæ: Et ſimiliter dicendum eſt propter eaſdem rationes, quòd materia non eſt principium indiuiduationis formæ, neque vt differentia indiuidualis ipſius formæ, neque vt fundamentum; Solùm poſſet dubitari an materia indiuiducetur per habitudinem intrinſecam ad formam; vel potiùs forma per intrinſecam habitudinem ad materiam. *Quartò infertur. Durandus.*

Circa quod dubium dico primò, quodcumque dicatur, non eſt contra noſtram doctrinam, quia hæc habitudo eſſet intrinſeca naturæ, & identificata cum illa, ac proinde ſemper verum eſſet, quòd ipſa entitas naturæ ſit fundamentum vnitatis numericæ, & ipſa vnitas numerica ſit identificata cum natura, neque materiam indiuidualem per habitudinem intrinſecam ad formam neque è contra. Et quidem quòd materia non indiuiduetur per hanc formam, patet, quia eadem materia quæ modò eſt ſub hac forma, manet eadem numero ſub alia forma; non enim poteſt eadem res, quæ erat vna numero, fieri alia numero, non igitur materia accipit vnitatem numericam ex habitudine ad hanc formam. *Dubium an materia indiuiduetur per habitudinẽ ad formam, vel è contrario.*

Quòd verò neque forma indiuiduetur per habitudinem ad materiam probatur, quia vel forma eſt ſpiritualis, vt anima rationalis, & hæc eadem numero ſucceſſiuè eſt ſub diuerſis portionibus materiæ, vt patet in nutritione; Si verò forma eſt materialis, tunc quamuis maior ſit difficultas, quia hæc forma eſt inſeparabilis ab hac materia; dicendum tamen eſt quòd quamuis ſit naturaliter inſeparabilis, poteſt tamen eadem numero per diuinam potentiam poni in alia materia, quia nulla videtur contradictio ſicut clariùs patet de anima rationali, & tunc naturaliter informaret illam, quia informaret per ſuam entitatem.

Infertur quintò materiam, vel formam non indiuiduari per quantitatem, ſeu per alias diſpoſitiones, quia accidentia neque poſſunt eſſe differentiæ indiuidualis alicuius ſubſtantiæ, neque fundamentum indiuiduationis; Probatur primũ, quia differentia indiuidualis eſt entitas metaphyſica, & identificata cũ natura, at verò accidens eſt ens phyſicũ, & diſtinctum à natura. Probatur ſecundum, quia principium, ſeu fundamentum vnitatis indiuidualis eſt ipſa entitas naturæ, *Quintò infertur.*

Digitized by Google

naturæ, vt dictum eſt, accidens autem non eſt principium intrinſecè conſtituens naturam ſubſtantialem, ergo non poteſt eſſe fundamentum indiuiduationis ſubſtantiæ.

Sextò infertur. Scotus. Caietanus.

Sextò infertur, Principiũ adæquatum indiuiduationis compoſiti ſubſtantialis, neque eſſe ſolam formam, vt dicit Scotus, neque ſolam materiam, vt dicit Caietanus, ſed materiam & formam ſimul vnitas; Probatur, quia ex dictis fundamentum vnitatis numericæ eſt ipſa entitas rei, ad ens enim intrinſecè conſequitur vnus; Sed entitas compoſiti eſt adæquatè per materiam, & formam, ſimul vnitas, tanquam principium intrinſecè conſtitutiua ipſius compoſiti, ergo ex illis habet vnitatem numericam; quare vnitas numerica, ſeu differentia indiuidualis huius compoſiti, eſt vnitas partialis huius materiæ, B & vnitas partialis huius formæ, & vnitas partialis huius vnionis; Fundamentum autem adæquatum huius vnitatis numericæ, ſeu differentiæ indiuidualis in compoſito ſunt illæ tres entitates partiales materiæ, ſcilicet, & formæ, & vnionis.

Soluitur authoritas Ariſtotelis & S. Thomæ in oppoſitũ contra ſententiam illatã. S. Thom. Ariſtot.

Neque contra hoc quod dictum eſt obſtat authoritas D. Thom. 1. part. quæſt. 50. art. 4. & de ente & eſſent. cap. 2. neque authoritas Ariſt. præſertim lib. 5. met. cap. 6. & lib. 7. cap. 8. aſſerentium materiam ſignatam per quantitatem eſſe principium indiuiduationis in compoſito ſubſtantiali; non, inquam, obſtat, tum quia non intelligunt quòd ſola materia ſit principium indiuiduationis, ſed quòd ſit præcipuum, quatenus eſt principium multiplicationis, C quamuis forma ex alio capite poſſet dici præcipuum principium ratione diſtinctionis, quia Petrus, & Paulus magis diſtinguuntur penes formam numericam, quàm penes materiã; tum quia loquuntur in ordine ad cognitionem noſtram, quia vnum indiuiduum diſtinguimus ab alio penes materiam ſignatam quantitate, imò ipſas etiam qualitates diſtinguimus penes diuerſas quantitates; Et quòd hæc ſit mens S. Thomæ probatur, nam in q. vnica de anima, artic. 1. ad 2. dicit vnumquodque ſecundùm idem habere eſſe, & indiuiduationem, conſtat

S. Thom.

A autem ex doctrina ſancti Thomæ compoſitum habere eſſe ex materia & forma ſimul vnitis, & 1. part. q. 29. artic. 1. & q. 9. de potentia, artic. 1. ad octauum dicit ſubſtantiam indiuiduari per ſe ipſam, & per propria principia, non igitur ſubſtantia compoſita indiuiduatur à materia ſola cum quantitate, vel vt ſtat ſub modo quantitatis.

Septimò infertur.

Vltimò infertur, accidens indiuiduari ſe ipſo, quia vnitas numerica, vt dictum eſt, ſequitur entitatem rei, cùm autem dicitur ſubiectum eſſe principium indiuiduationis accidentis, non intelligitur quòd ſubiectum ſit differentia indiuidualis ipſius accidentis, hoc enim eſt impoſſibile, tum quia ſubiectum a parte rei diſtinguitur ab accidenti, tum quia eſt entitas phyſica; differentia autem indiuidualis eſt entitas metaphyſica & identificata cum natura illius, cuius eſt differentia; vt probatum eſt ſuprà in prima dubitatione loco citato, neque ſubiectum poteſt eſſe fundamentum vnitatis numericæ ipſius accidentis, quia principium, ſeu fundamentum vnitatis ex dictis ſuprà, eſt ipſa entitas, cuius eſt vnitas: Subiectum igitur cùm non conſtituat intrinſecè ipſum accidens, non poteſt eſſe principium ſeu fundamentum vnitatis numericæ ipſius accidentis, quare fundamentum eſt ipſa entitas accidentis.

S. Thom. Explicatur authoritas S. Thomæ, quæ ſolet adduci in oppoſitum. S. Thom.

Nec obſtat S. Tho. 1. par. q. 29. art. 1. & q. 39. art. 3. vbi dicit accidentia indiuiduari per ſubiectum, intelligit enim de indiuiduatione in ordine ad cognitionem noſtram, vt ſuprà dictum eſt: Nos enim per ſubiectum præſertim affectum quantitate cognoſcimus diſtinctionem accidentium, vnde idem S. Tho. quodlib. 7. art. 10. dicit qualitates indiuiduari per ſubiectum, quantitatem verò indiuiduari ex ſitu; Ex quo loco facilè patet loqui de indiuiduatione in ordine ad cognitionem noſtram, nam diſtinctionem numericam qualitatum cognoſcimus ex diuerſis ſubiectis quantis, diſtinctioné autem numericam quantitatis cognoſcimus ex diuerſo ſitu. Sed de hac quæſtione de principio indiuiduationis alibi fuſiùs, nunc ſatis eſt ex dictis breuiter collegiſſe & inſinuaſſe punctum difficultatis.

DISPVTATIO SECVNDA
DE ENTE EXISTENTIÆ.

In hac diſputatione ſunt ſex quæſtiones.

I.	*Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.*
II.	*Vtrùm inter eſſentiam & exiſtentiam ſit compoſitio à parte rei.*
III.	*Vtrùm totum entitatiuum ſiue exiſtentiale diſtinguatur tamquam tertia entitas à partibus ſimul vnitis, eſſentia ſcilicet, & exiſtentia.*
IV.	*Vtrùm exiſtentia componatur ex gradibus metaphyſicis, ſicut eſſentia.*
V.	*Vtrùm eſſentia poſſit exiſtere per diuinam potentiam exiſtentia alterius.*
VI.	*Vtrùm exiſtentia ſit accidens eſſentiæ.*

PRIMA QVÆSTIO.

Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. Not. 1.

NOTANDVM pro explicatione ſenſus quæſtionis, aliquos confundere quæſtionem; Cùm enim quæritur, vtrùm exiſtentia diſtinguatur ab eſſentia; nomine exiſtentiæ intelligunt omne id, ſine quo actualis rei entitas conſeruari non poteſt, & hoc modo ſubſiſtentiam, & inhærentiam appellant exiſtentiam: Sed iſti non aſſequuntur ſenſum quæſtionis: nam nomine exiſtentiæ hîc tantùm intelligitur, ratio illa formalis, ſeu quaſi formalis, per quam rei entitas conſtituitur in ratione entis in actu extra cauſas ſuas; Subſiſtentia verò, & inhærentia ſunt modi ſuperadditi exiſtentiæ, qui poſſunt ſeparari, ſicut in ſacramento Euchariſtiæ ſeparatur inhærentia à quantitate, remanente exiſtentia, & in Chriſti humanitate ſeparatur propria ſubſiſtentia, remanente propria exiſtentia, vt infrà videbimus.

2. Alij verò confundunt indiuiduationem cum exiſtentia, & dicunt, eſſentiam eſſe naturam ſpecificam præciſam ab indiuiduis: naturam verò exiſtentem, dicunt eſſe naturam indiuiduam, & conſequenter eam diſtinctionem ponunt inter eſſentiam, & exiſtentiam, qualis eſt inter ſpeciem, & indiuiduum: Sed nec iſti attingũt ſenſum quæſtionis; nam de eſſentia non tantùm ſpecifica, ſed etiam indiuidua, & ſingulari, qualis fuit in Chriſto, quæritur, an diſtinguatur à ſua exiſtentia, per quam ipſa natura ſingularis eſt extra ſuas cauſas; ſupponimus autem exiſtentiam eſſe diſtinctam ab hæcceitate, de qua re alibi.

3. Not. 2. NOTANDVM ſecundò, dupliciter adhuc poſſe eſſe ſenſum huius quæſtionis. Primus ſenſus eſt, an eſſentia, quatenus adhuc non ſtat ſub actuali modo exiſtendi, diſtinguatur ab exiſtentia, & iuxta hunc ſenſum Auctores relati in ſuperiori diſputatione in prima quæſtione pro prima opinione, quia exiſtimant eſſentiam nullum habere eſſe actuale eſſentiæ ante productionem, tenent conſequenter exiſtentiam diſtingui ab eſſentia, ſicut ens in actu ab ente in potentia, quia eadem eſt res producenda, & A producta; producitur enim tota entitas conſtituta ex eſſentia, & exiſtentia; Hæc autem diſtinctio eſt realis priuatiuè tanquam entis à non ente. In opinione verò eorum, qui tenent, eſſentiam ab æterno habere eſſe actuale eſſentiæ, & de nouo non fieri eſſe actuale eſſentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ, quam opinionem nos tenuimus probabilem, quæri poteſt iuxta hunc ſenſum, an inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſit diſtinctio à parte rei; nam ſunt duo extrema actualia, in alia verò opinione non ſunt duo extrema, ſed vnum ſub diuerſo modo, ſcilicet in potentia, & in actu; nam creatura in potentia, & in actu idem eſt; Solùm ergo in alia opinione poteſt eſſe diſtinctio priuatiuè eiuſdem ad ſeipſum.

Secundus, & verus ſenſus eſt, an eſſentia (ſiue habeat B eſſe actuale ab æterno, ſiue non) quatenus eſt actualiter extra cauſas ſuas, diſtinguatur ab exiſtentia tanquam à ratione ſua formali, per quam eſt extra ſuas cauſas. Secundus & verus ſenſus huius dubitationis.

PRO quo notandum eſt tertiò, quòd natura exiſtens, eſt verè entitas conſtituta ex eſſentia, & exiſtentia, ſiue inter hæc ſit diſtinctio, ſiue non; nam conſtitutio non ſupponit neceſſariò diſtinctionem extremorum, ſicut ſupponit compoſitio, ex communi Theologorum in 1. diſtinct. 26. & 33. aſſerentium perſonam diuinam conſtitui ex eſſentia & perſonalitate, non autem componi. 4.

Qværitur igitur iuxta hunc ſenſum, an in hoc conſtituto ex eſſentia, & exiſtentia, diſtinguatur ipſa exiſtentia, quæ eſt ratio quaſi formalis huius C conſtituti, ab ipſa eſſentia; Cùm enim actualis exiſtentia, non ſit de quidditate eſſentiæ creatæ, poſſumus abſtrahere in ipſo ente in actu, abſtractione quamuis non negatiua, ſaltem præciſiua, id quod eſt de eſſentia, ſeu quidditate illius entis, à ratione exiſtendi, quæ non eſt de eſſentia: Et quærere, an hæc ratio exiſtendi, diſtinguatur à parte rei ab eſſentia, ſeu quidditate, & iuxta hunc ſecundum ſenſum, poteſt proponi quæſtio in quacumque opinione, ſiue tenentium, quòd hoc eſſe eſſentiæ ſit actuale ab æterno, ſiue non, quamuis ad probandam alterutram 5. Punctus difficultatis & verus ſenſus quis.

Digitized by Google

tram partem, multum faciat, an eſſentia habeat ab æterno eſſe actuale, vel non, vt mox infrà videbitur.

PRIMA SENTENTIA.

6. Alenſ. Gabr. Durand. Arim. Eru. Henric. Achill. Suar.

CIRCA hanc quæſtionem prima ſententia aſſerit nullam eſſe diſtinctionem à parte rei inter exiſtentiam, & eſſentiam; ſed eſſe omnino idem, & ad ſummum eſſe diſtinctionem rationis. Hæc opinio eſt multorum Doctorum. Alenſ. in 4. met. t. 4. Gabriel in 3. diſtinct. 6. quæſt. 2. art. 1. Durand. in 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. Arim. ibidem quæſt. 3. art. 1. Eru. quodl. 7. quæſt. 8. & quodl. 11. quæſt. 1. Henr. quodl. 6. quæſt. 9. & quodl. 5. quæſt. 2. & in ſum. quæſt. 25. art. 2. Achil. lib. 1. de element. quæſt. 23. Suar. in met. diſput. 31. §. 13.

7. Primus modus explicandi hanc primã opinionem.

Sed iſti auctores, non eodem modo explicant hanc opinionem, nam Henr. & Alenſ. dicunt eſſentiam, & exiſtentiam eſſe eandem entitatem creaturæ ſecundùm diuerſum reſpectum rationis; eſſentiam quidem eſſe entitatem creaturæ, vt habentem relationem rationis (vt expreſsè dicit Alenſ.) ad diuinam cognitionem, quatenus eſt obiectum intellectus diuini, exiſtentiam verò eſſe eandem entitatem, vt habentem relationem obiecti ad diuinam operationem, ſeu, vt dicit Henric. eadem entitas eſt eſſentia, vt habet relationem ad exemplaria diuina, & eadem entitas eſt exiſtentia, vt habet ralationem ad Deum tanquam ad cauſam efficientem.

8. Secundus modus explicandi. Gabr. Dur. Eru. Ariſtot. Arimin. Auguſt.

ALIJ verò, ſecundò, vt Gabr. Durandus, Ariminen. Eru. Achil. ſuprà citati, tenent non differre ſecundùm rem ſignificatam, ſed ſecundùm modos ſignificandi, quos appellant Grammaticales; ſicut differunt (inquiunt) Verbum, Participium, & Nomen; Exemplum eſt, quod ad hoc propoſitum affert Auguſtinus lib. 12. de ciuit. cap. 1. ſicut (inquit) differunt ſapere, ſapiens, & ſapientia, & hæc quidem diſtinctio minor eſt, quàm diſtinctio rationis, quia hæc eſt diſtinctio ſecundùm nomen tantùm.

9. Modus explicandi. Suar.

ALIJ verò tertiò, quos ſequitur Suar. magis conſequenter loquuntur, dicentes diſtingui ratione cum fundamento in re, ſeu ratione ratiocinata. Quia enim, inquiunt, eſſentia creaturæ in ſuo conceptu quidditatiuo non includit actualem exiſtentiam, hoc enim proprium eſt Dei; hinc fit, vt intellectus noſter habeat fundamentum in re concipiendi id, quod eſt præciſè eſſentiale creaturæ, abſtrahendo abſtractione præciſiua ab eſſe exiſtentiæ, quod poteſt de nouo adunire, & non aduenire creaturæ, & conſequenter diſtinguit intellectus vnum ab alio, quamuis à parte rei ſit vna, & eadem actualis entitas, eſſentia, & exiſtentia.

Pũctus principalis, in quo conueniunt omnes Doctores primæ ſententiæ.

SED quidquid ſit de iſtis diuerſis modis explicãdi hanc ſententiam, omnes citati Auctores conueniunt nullam eſſe, nec minimam diſtinctionem à parte rei in actuali entitate creaturæ inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſed eſſe idem omnino à parte rei: quæ opinio probatur ab ipſis auctoribus multis argumentis, &c.

10. Primum argumentum. Ariſtot.

PRIMÒ, ex Ariſt. 4. met. vbi ait, quòd idem ſunt (homo, & ens homo) ergo exiſtentia rei per quam fit ens homo, non diſtinguitur ab ipſa eſſentia hominis, & confirmatur ex eodem loco citato; Quæcumque (inquit) eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur; ſunt vnum, & idem natura: ſed eſſentia, & exiſtentia eadem generatione generantur, & eadem generatione corrumpuntur, quia non datur vnum ante aliud, ergo eſſe, & eſſentia, ſunt vna, & eadem naturâ.

11. Secundum argumentũ.

SECUNDÒ, Hoc conſtitutum ex eſſentia, & exiſtentia, exiſtit vnica, & eadem exiſtentia, ergo eſſentia, & exiſtentia ſunt idem actualiter à parte rei. Antecedens probatur, quia eſſentia, quamuis detur, quòd ſit actualis à parte rei ab æterno ſecundùm eſſe eſſentiæ, tamen fit actu extra cauſas per modum exiſtentiæ ſuperadditum; hic autem modus exiſtit ſeipſo, ergo partes huius conſtituti ex eſſentia, & exiſtentia exiſtunt vna, & eadem exiſtentia.

Conſequentia probatur, quia eſt vnum exiſtens actualiter. Et confirmatur in doctrina noſtra, qua nos ſuperiori tomo princip. 7. philoſ. coroll. 1. tenuimus ea diſtingui ratione ratiocinata, quæ habent vnicam exiſtentiam, alioquin non poſſet aſſignari differentia inter diſtinctionem formalem, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, præſertim ſi in his, quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, vnum non ſit de quidditate alterius ſecluſo omni opere intellectus, quia tunc non poteſt aſſignari alia ratio, quare inter illa non ſit diſtinctio actualis à parte rei, niſi quia exiſtunt vnica exiſtentia, ac propterea ſunt vna entitas actualis à parte rei.

12. Tertium argumentum.

TERTIÒ, & eſt argumentum Scoti in 3. d. 6. quæſt. 1. & Trombett. & Suar. diſp. 31. metaph. ſect. 6. Ideo Aduerſarij ponunt diſtinctionem inter eſſentiam, & exiſtentiam creaturæ, quia creatura eſt indifferẽs ad exiſtere, & non exiſtere. Sed hæc indifferentia poteſt etiam competere ipſi exiſtentiæ, ergo deberet eſſe diſtinctio ex natura rei inter exiſtentiam, & inter actu exiſtere, ſeu exercitium ipſius; Sed hoc eſt impoſſibile, nam idem argumentum poſſet fieri de ipſo exercitio, & ſic daretur proceſſus in infinitum; exiſtẽtia igitur exiſtit ſeipſa; ſi ergo poteſt intelligi exiſtentia, & ſuus actus ſine diſtinctione, poteſt etiam idem intelligi de eſſentia, & exiſtentia, quæ eſt tanquam actus eſſentiæ.

13. Quartũ argumentum.

QUARTÒ, & fortiùs ex Suario diſput. 31. Si inter eſſentiam, & exiſtentiam eſſet aliqua diſtinctio, quamuis minima à parte rei, eſſet etiam compoſitio, quia compoſitio eſt duorum diſtinctorum vnio, ſi igitur erit minima diſtinctio, erit ſaltem minima compoſitio; ſed inter eſſentiam, & exiſtentiam repugnat quæcumque compoſitio, ergo etiam quæcumque diſtinctio.

Probatur Minor, ad cuius probationem, vt clariùs procedatur, ſupponenda ſunt duo: Primum; Quodlibet extremum ex componentibus, debere eſſe ſimplex, vel ſaltem ſi eſt compoſitum, non debere intrinſecè conſtitui, ſeu componi, ex alio extremo; quia extremum eſt pars: ex. gr. materia eſt quid ſimplex reſpectu compoſiti, & quamuis detur, quòd ſit compoſita ex eſſe, & eſſentia, non tamen eſt compoſita ex materia, & forma, quæ eſt altera compars, tunc enim materia, quæ eſt pars, haberet eandem compoſitionem, quam haberet totum, quod eſt compoſitum ex materia, & forma.

Secundò ſupponendum eſt, quòd extremum componens à parte rei, debet eſſe quid actuale, nam entitas in potentia obiectiua, non facit realem compoſitionem in actu, quia eſt eadem res.

His ſuppoſitis, ſic probatur Minor, Si eſſentia componeret cum exiſtentia ad faciendum vnum totum exiſtens, eſſentia deberet eſſe actualis per ſecundum ſuppoſitum; Sed non poteſt eſſe actualis niſi per exiſtentiam, quia hæc eſt ratio formalis conſtituendi rem intrinſecè in eſſe actuali extra cauſas ſuas; eſſet igitur compoſita ex exiſtentia, & eſſentia; Non ergo eſſet ſimplex, ſed haberet eandem compoſitionem quam haberet ſuum totum contra primum

Digitized by Google

ſuppoſitum: Poſſet autem componere cum actu ſubſiſtendi, quia eſt modus adueniens naturæ exiſtenti; de hoc autem nunc non eſt quæſtio.

Suar. Secundò probatur eadem Minor ab eodem Suar. diſp. 31. ſec. 12. quia ſi eſſet compoſitio, eſſet vnio: ſed hoc eſt abſurdum, quia vnio haberet ſuam exiſtentiam, ergo componeret cum illa, & ſic daretur alia vnio, & alia in infinitum. Confirmatur ſecundò, quia hæc vnio non poteſt recipi in eſſentia, nam deberet ſupponi exiſtens; exiſtentia enim eſt prima, & vltima actualitas, at eſſentia, vt pars componens, non poteſt ſupponi exiſtens, vt probatum eſt, ergo, &c.

14. Quintũ argumentum. Ariſtot. Quintò, Si exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, ſequeretur contra Ariſtot. quòd in omni generatione darentur duo termini totales, & duo compoſita, alterum ex materia, & forma, in quo materia eſt potentia, & forma eſt actus; alterum ex eſſentia, & exiſtentia, in quo eſſentia eſt potentia, & exiſtentia eſt actus.

15. Sextum argumentum. Sextò, Signum diſtinctionis à parte rei eſt, quando vnum poteſt ab alio ſeparari ſaltem per diuinam potentiam; At eſſentia non poteſt conſeruari ſine exiſtentia, nec è contra, ergo, &c.

Probatur de vtraque, & primò de eſſentia, nam ſi eſſentia conſeruaretur per diuinam potentiam, ergo eſſet extra ſuas cauſas: hoc autem eſt formaliſſimè exiſtere, exiſteret ergo ſine exiſtentia, quod eſt ridiculum.

De exiſtentia probatur, quia exiſtentia eſt modus eſſentiæ ſecundùm veriorem opinionem; modus autem non eſt ſeparabilis à re, cuius eſt modus, quia per ſeipſum eſſentialiter illi coniungitur.

16. Septimũ argumentum. Septimò, Si exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, tolleretur creatio, quod eſt abſurdum; Probatur ſequela, quia creatio nullam ſupponit entitatem illius, quod creatur, at ſi exiſtentia diſtingueretur ab eſſentia, ſupponeretur ad creationem ipſa eſſentia.

Ægid. Tromb. Caietan. Fonſec. Multa alia argumenta multiplicant Ægid. Trób. Caiet. & Fonſ. ſed illa breuiter attingam, nam ſupponunt eſſentiam nihil eſſe à parte rei, quod in ſuperiori quæſtione oſtendimus eſſe falſum; Arguunt igitur

17. Octauũ argumentum. Octauò, Eſſentia, & exiſtentia, habent idem contradictorium, idem enim nihil, priuat, eſſentia, & eſſe; quia antequam res producatur, nullum habet eſſe, nec eſſentiæ, nec exiſtentiæ, ſed de potentia obiectiua tranſit ad actum per idem eſſe.

18. Nonum argumentum. Nonò, Nulla res poſitiua diſtinguitur ab eo per quod fit formaliter extra ſuum contradictorium, fit enim extra illud ſeipſa. Sed exiſtentia eſt, qua res fit extra nihil tanquam ſuum contradictorium, ergo res non diſtinguitur ab exiſtentia. Minor probatur, quia in creatura ante productionem nihil erat.

19. Decimũ argumentum. Decimò, Quandocumque membra diuidentia ita ſe habent, quòd vnum ſit conditio diſtrahens, alterum perficiens, v. g. cùm viuum, & mortuum diuidunt animal, tunc membrum perficiens nihil addit reale diuiſo, ſed tantùm amittitur conditio diſtrahens, Sed actus, & potentia diuidunt ens, ſicut conditio perficiens, & diſtrahens; nam res in potentia non eſt verè res, ergo cùm exiſtentia ſit actus, comparata ad eſſentiam, quæ eſt in potentia, non addet aliquid reale enti componendo cum illo, ſed tantùm amittitur conditio diſtrahens, quod eſt eſſe in potentia.

20. Vndecimũ argumentũ. Vndecimò, Realitas rei, nõ differt ab eſſentia rei, ſed exiſtentia non eſt aliud, quàm realitas, quod patet ex ſuo concreto, quia exiſtere non eſt aliud,

A quàm eſſe realiter, ergo eſſentia non diſtinguitur ab exiſtentia.

Duodecimò, Sicut ſe habet eſſentia ad eſſe, ita ſe habet exiſtentia ad exiſtere: ſed eſſe, & exiſtere non diſtinguuntur, ergo à commutata proportione, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguentur. 21. Duodecimũ argumentũ.

SECVNDA SENTENTIA.

Secvnda ſententia eſt præcedenti omnino oppoſita: Hæc aſſerit exiſtentiam creaturarum diſtingui ab eſſentia realiter, vt rem à re. Hæc opinio eſt communis ferè Thomiſtarum, Capr. in 1. ſenten. 22.
B diſtinct. 8. quæſt. 1. Ægid. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. artic. 1. & quodl. 1. quæſt. 7. & in tract. de ent. & eſſen. quæſt. 9. & 12. Caietan. cap. 5. de ent. & eſſent. quæſt. 11. Ferr. 2. contra gent. cap. 52. Soncin. 4. met. q. 12. Flandr. 4. met. quæſt. 3. artic. 4. tribuitur S. Thomæ 2. contra Gent. cap. 52. & cap. 5. de ent. & eſſent. tribuitur etiam Boëtio in lib. de hebdomat. cap. 1. vbi diuerſum eſt (inquit) eſſe, & id, quod eſt. Capr. Ægid. Caiet. Ferr. Soncin. Flandr. S. Thom. Boët.

Probatvr primò, & eſt fundamentum Thomiſtarum ex S. Thom. de ent. & eſſent. cap. 5. & 2. cont. gen. c. 52. & 1. p. q. 3. ar. 4. Exiſtentia recipitur in eſſentia tãquam actus in potentia receptiua, ergo diſtinguitur realiter ab illa; Conſequentia videtur manifeſta, quia potentia receptiua, & actus receptus
C diſtinguuntur realiter; componunt enim hæc duo membra, realiter rem. Primum argumentum ſecũdæ ſententiæ.

Antecedens probatur dupliciter, Primò, & principaliter, quia ſi actus exiſtentiæ non reciperetur in eſſentia, eſſet irreceptus, & in ſe ſubſiſtens; actus autem huiuſmodi irreceptus, & per ſe ſubſiſtens, eſſet illimitatus, & infinitus, limitatur enim forma, aut à differentia contrahente, ſicut color determinatur ab albedine; aut à ſubiecto recipiente, ſicut albedo eſt determinatorum graduum, quia recipitur limitatè in ſubiecto; At actus exiſtentiæ, non poteſt limitari per differentiam, tanquam per alium actum, quia eſt vltimus actus, ergo ſi non limitaretur per receptionem in eſſentia tanquam in poten-
D tia receptiua, neceſſariò eſſet illimitatus, & infinitus.

Secundò probatur, Hoc exiſtens, & hoc intelligens ſupponendo pro eodem Petro ſunt idem ſubiecto, quia, vt ſupponitur, eſt idem ſuppoſitum Petri; non poſſunt autem eſſe idem ſubiecto, niſi vterque actus exiſtentiæ & intellectionis reciperetur in eadem eſſentia, duo enim dicuntur eſſe idem ſubiecto, vel quia alterum ineſt alteri, vel quia vtrumque ineſt tertio; Non poteſt autem dici, quòd hoc exiſtens, & hoc intelligens ſint idem ſubiecto primo modo, quia nec intellectio recipitur in ipſa exiſtentia, cùm potiùs habeat rationem vltimi actus, quàm habeat rationem potentiæ receptiuæ; nec exi-
E ſtentia recipitur in intellectione, cùm exiſtentia præſupponitur intellectioni; Reſtat igitur, vt dicantur idem ſubiecto ſecundo modo, quatenus exiſtentia, & intellectio recipiuntur in eodem tertio, ſcilicet in eſſentia; erit igitur, vt aſſumebatur in antecedenti, eſſentia potentia receptiua, & exiſtentia actus receptus.

Secundò, & eſt confirmatio præcedentis argumenti, Nihil eſt in potentia ad ſeipſum, vt patet: ſed eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ideo enim poteſt Deus creare lapidem & non Chimæram, quia eſſentia lapidis eſt potens recipere exiſtentiam, ergo eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur. 23. Secundũ argumentum.

Tertiò, & eſt fundamentũ Caie. de ent. & eſſen. c. 5. 24. Tert. arg.
Ex

Digitized by Google

Ex eſſentia, inquit, & exiſtentia fit realis compoſitio, ergo componentia diſtinguuntur realiter: Conſequentia ſupponitur vt manifeſta. A

Antecedens probat Caietan. dupliciter: Primò, Sicut ex materia, & forma fit compoſitum reale, quia eſt compoſitio ex actu & potentia receptiua, ita ex eſſentia, & exiſtentia tanquam ex actu, & potentia fit compoſitum reale; nam eſſentia acquirit eſſe per exiſtentiam, fuit ergo priùs in potentia ad recipiendum exiſtentiam tanquam ſuum actum. Secundò probat idem antecedens; nam hæc compoſitio ex exiſtentia, & eſſentia non poteſt eſſe rationis, ergo realis.

Quòd non poſſit eſſe rationis, probatur dupliciter, Primò, quia hæc eſt radix aliarum compoſitionum realium in creatura. Secundò ens creatum, ex B eo, quia eſt compoſitum, diſtinguitur ab ente increato, quod eſt ſimplex, ergo non poteſt hæc compoſitio eſſe rationis, nam hæc conuenit etiam Deo, non enim repugnat perfectæ ſimplicitati reali, quia fingunt Theologi compoſitionem quamdam rationis inter eſſentiam diuinam, & perſonalitatem; quæ concipitur extra quidditatem eſſentiæ.

Quòd ſi dicas in creaturis eſſe compoſitionem rationis cum fundamento in re, non autem in Deo: Contrà adhuc inſtatur, quia in Deo eſt vera conſtitutio ex eſſentia, & perſonalitate, vt dicunt communiter Theologi, quia perſonalitas à parte rei eſt extra quidditatem eſſentiæ, ergo eſt fundamentum in re, vt intellectus poſſit fingere compoſitionem C rationis in Deo.

25. Quartum argumentū. Caiet.

Qvartò ex eodem Caietan. Exiſtentia non prædicatur quidditatiuè de creatura; prædicata verò eſſentialia prædicantur quidditatiuè, ergo ſunt diſtincta realiter. Conſequentia probatur, quia hæc duo eſſe, ſcilicet eſſe eſſentiale, & eſſe exiſtentiale ſunt realia, & vnum non eſt aliud, ergo ſunt diſtincta realiter. Et hæc quidem conſequentia videtur Ariſt. 2. poſt. tex. 7. vbi ait quid eſt homo, & hominem eſſe aliud, & 2. de an. dicit aliud eſſe carnem, aliud carnis eſſe, id eſt, aliud eſt eſſentia, aliud exiſtentia carnis. Antecedens eſt manifeſtum, quia exiſtentia in Deo ſolo eſt prædicatum quidditatiuum, Et confirmatur primo ex Ariſtot. lib. 2. poſter. tex. 1. D vbi diſtinguit, an eſt, à quæſtione quid eſt, non ergo exiſtentia pertinet ad quidditatem. Confirmatur ſecundò, quia poteſt concipi eſſentia eſſe ab æterno ſine exiſtentia. [Ariſtot. — Ariſtot.]

Quintum argumentū.

Qvintò, Ens creatum exiſtẽs, recipit multas formas accidentales à ſe diſtinctas: Sed hæc potentia receptiua non poteſt eſſe actus exiſtendi, cùm hic ſit vltima actualitas, erit igitur eſſentia, ergo diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia.

26. Sextum argumentum.

Sextò, Ita ſe habet exiſtentia ſubſtantiæ creatæ ad ſubſtantiam creatam, ſicut inexiſtentia accidentis ad accidens: ſed inexiſtentia accidentis diſtinguitur realiter ab eſſentia accidentis, ergo & exiſtentia ſubſtantiæ creatæ ab ipſa ſubſtantia creata. Minor pro- E batur, quia in ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ, quantitas amittit propriam exiſtentiam, quæ erat per inhærentiam in pane, & accipit nouam exiſtentiam quaſi ſubſtantialem, quia exiſtit in ſe independenter à ſubiecto.

27. Septimum argumentū.

Septimò, Prædicata quidditatiua conueniunt creaturæ ſine cauſa effectiua, exiſtentia verò per cauſam effectiuam, ergo prædicata quidditatiua naturæ, & exiſtentia eius diſtinguuntur realiter.

28. Octauum argumentū.

Octauò, Eſſentia poteſt ſeparari ab exiſtentia, quia habet ſuum eſſe actuale intrinſecum ab æterno, & exiſtentia poteſt ſeparari ab eſſentia, & conſeruari, quia eſt modus extrinſecus, & nullam dicit intrinſecam dependentiam ab eſſentia, quia non dat actualitatem intrinſecam ipſi eſſentiæ; ergo diſtinguuntur realiter, quia ex omnium opinione hoc eſt ſignum diſtinctionis realis.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

29. Prima concluſio. Scot. Ferr. Caiet. Capr. Ægid.

Essentia & exiſtentia diſtinguuntur actualiter à parte rei. In hac concluſione conueniunt Scotiſtæ cum Scoto in 3. d. 6. q. 1. & Thomiſtæ, vt Ferr. Caietan. & alij cum S. Thoma de ent. & eſſen. cap. 5. & 2. contra Gen. cap. 52. & Capr. in 1. diſt. 8. q. 1. & Ægid. in 1. diſt. 2. q. 9. art. 1. & de ent. & eſſent. q. 9. & 12. Differunt autem Scotiſtæ à Thomiſtis; quia Scotiſtæ ponunt diſtinctionem actualem tantùm ex natura rei, Thomiſtæ verò diſtinctionem realem; ſed de hoc dicemus infrà in ſecunda concluſione.

Hæc prima concluſio probari ſolet variis rationibus, ſed non omnes ſatis efficaciter probant.

30. S. Thom. Affertur prima ratio, & impugnatur.

Primò probant aliqui authoritate S. Thom. de ent. & eſſent. cap. 5. & 2. contra Gent. cap. 52. & 1. p. q. 3. art. 4. Potentia, inquiunt, recipiens & actus receptus diſtinguuntur à parte rei; ſed eſſentia, & exiſtentia ſe habent ſicut potentia recipiens, & actus receptus, ergo diſtinguuntur à parte rei. Maior eſt clara quia nihil recipit ſeipſum. Minor probatur, quia ſi exiſtentia non eſſet actus receptus, eſſet actus illimitatus, & infinitus ſimpliciter, nam eſſet purus actus; Omnis enim limitatio, vel eſt a differentia contrahente, vel à ſubiecto recipiente: Primo modo non poteſt limitari exiſtentia ſecundùm Ariſt. 3. Metaph. quia eſt vltimus actus, non igitur poteſt habere rationem contrahibilis, quia tunc contrahens eſſet vltimus actus, ergo limitatio debet eſſe ab eſſentia tanquam à ſubiecto recipiente, quod quidem exemplariter declarat Caietan. de ent. & eſſent. cap. 5. q. 11. Si albedo ponatur non recepta, ſeu clariùs non receptibilis in ſubiecto, eſſet pura albedo, & nihil haberet niſi ſe tantùm, & eſſet infinita, vel ſimpliciter, vt vult Scotus, & Trombetta; vel ſaltem in ſpecie albedinis, ſicut homo ſeparatus apud Platonem, habet omnem perfectionem poſſibilem naturæ humanæ. Si igitur eſſe daretur irreceptum in ſubiecto, haberet omnem perfectionem ipſius eſſe, ergo eſſet infinitum ſimpliciter. [Ariſtot. — Caiet. — Scot. Tromb.]

31.

Sed hæc ratio, optima eſt, vt infrà dicemus in noſtra quarta ratione cum S. Thoma; Sed probatio eo modo, quo affertur ad oſtendendum exiſtentiam eſſe actum receptum, quamuis non careat probabilitate, non tamen omnino conuincit, nam poſſet reſponderi primò cum Durando ſufficere ad limitationem actus, vt habeat eſſe receptum (Ab) ſcilicet, ab alio efficienter, quamuis non habeat eſſe receptum (In) ſcilicet in ſubiecto. Secundò poſſet reſponderi cum Suario, quòd etiam ſi exiſtentia præſcinderet ab eſſe recepto (Ab & In) adhuc haberet limitationem ab ipſa eſſentia, cum qua identificatur, imò magis limitatur per identificationem, quàm per receptionem, quia identificatio eſt magis intima. [Dur. — Suar.]

32. Affertur ſecunda ratio, & impugnatur.

Probat ſecundò Caietan. Seclusa (inquiunt) omni operatione intellectus, exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ creatæ, ergo à parte rei diſtinguitur exiſtentia ab eſſentia. Sed hæc ratio eſt ſatis probabilis, non tamen eſt omnino efficax, habet enim inſtantiam, nam in diuinis, relationes ſe-

Digitized by Google

eaſdem multorum opinionem non ſunt de quidditate eſſentiæ, etiam ſi eſſentia, vt eſſentia, adæquatè concipiatur, & tamen relationes non diſtinguuntur à parte rei ab eſſentia; Falſum eſt igitur, quod aſſumitur in hac ſecunda ratione, id ſcilicet, quod non eſt de quidditate alicuius, diſtingui à parte rei ab illo.

Caiet. Sed ad hanc inſtantiam reſpondet Caiet. in 1. p. q. 27. art. 2. & q. 39. art. 1. negando relationes non eſſe de eſſentia eſſentiæ: Sed hæc reſponſio Caiet. eſt contra S. Thomam q. 8. de potentia art. 2. & 3. p. q. 3. art. 4. & præterea videtur falſa, quia alioquin Pater, vel communicando eſſentiam Filio, non communicaret illi totam eſſentiam, vel communicaret Paternitatem formaliter, quod vtrumque eſt falſum. S. Thom.

Ferr. Torres. Tertiò reſpondet Ferr. 3. contra Gent. cap. 9. Torres 1. p. q. 18. ar. 3. dub. vltima, quòd aliud eſt Paternitatem eſſe ipſam eſſentiam diuinam in recto, aliud eſt eſſe de eſſentia eſſentiæ diuinæ; nam primus modus loquendi in recto, facit ſenſum identicum, ſignificat enim identificari cum eſſentia: ad hoc autem ſufficit, vt diuina eſſentia ſit vna ratio formalis infinita includens, abſque vlla diſtinctione actuali abſolutum, & reſpectiuum: Secundus verò modus loquendi in obliquo, facit ſenſum formalem, ſignificat enim, quòd ratio conſtituens eſſentiam in ratione eſſentiæ, ſit relatio; quod eſt falſum, nam propter diſtinctionem virtualem, ipſa eſſentia, vt habet rationem perſonalitatis, non conſtituit formaliter Deum ſub ratione Dei. In ſenſu igitur formali ſecundùm iſtos, relatio non eſt de eſſentia eſſentiæ diuinæ, etiamſi perfectè concipiatur vt eſſentia; In ſenſu autem identico, eſſentia, & relationes ſunt idem, quia eſſentia propter ſuam infinitatem omnia ſibi identificat, vbi non eſt oppoſitio originis. Reſpondent igitur ad inſtantiam, quòd quia in creaturis non eſt hæc infinitas, valet, Si exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ, diſtinguitur à parte rei ab illa.

Sed neque hæc reſponſio ſatiſfacit, nam, quamuis eſſentia diuina propter infinitatem omnia, quæ ſunt in Deo, ſibi identificet, quia cum nulla re, quæ eſt in ipſo, habet oppoſitionem, non tamen ſequitur, quòd in creaturis non poſſit dari aliqua identificatio cum eo, quod non eſt de eſſentia ipſius creaturæ, ſicut multi tenent, potentias identificari cum anima; & ratio eſt, quia ex eo, quòd creatura eſt limitata, ſolùm ſequitur, vt non poſſit omnia, quæ ſunt in ipſa ſibi identificare, ſicut identificat eſſentia diuina.

33. Aſſertur tertia ratio, & impugnatur. Caietan. S. Thom. Tertiò probat Caiet. ex eodem S. Thoma de ent. & eſſent. cap. 5. Si nulla, inquit, eſſet diſtinctio à parte rei inter eſſentiam, & exiſtentiam, tolleretur compoſitio à parte rei eſſentiæ cum exiſtentia; quod quidem concedi non debet in creatura, quia hoc eſt proprium Creatoris.

Suar. Sed neque hæc ratio ſatis probat, quia ſufficit, vt bene adnotauit Suar. vt ſit in creatura compoſitio rationis cum fundamento in re; Hæc autem non eſt in Deo, quantùm ad exiſtentiam, & eſſentiam (quidquid ſit de compoſitione eſſentiæ cum ſubſiſtentia) nam exiſtentia in Deo, eſt de eſſentia Dei: At in creaturis, exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ; Poteſt ergo præſcindi, & concipi in creatura exiſtentia, & eſſentia tanquam duo extrema diſtincta, & conſequenter inter illa caderet compoſitio rationis, cum fundamento in re, tum quia exiſtentia non eſt de quidditate eſſentiæ creatæ, tum quia eſt indifferens ad produci, & non produci.

34. Probatur igitur efficaciter quartò, & eſt ratio A fundamentalis, Eſſentia creata eſt entitas actualis & realis ſecundum eſſe eſſentiæ ab æterno, & de nouo in tempore aduenit illi eſſe exiſtentiæ, ergo exiſtentia à parte rei actualiter diſtinguitur ab eſſentia. Quarta ratio, & fundamentalis.

Antecedens fusè probatum eſt in prima diſputatione, quæſtione prima. Conſequentia eſt clara, & probatur ex illa regula quam tradit Ariſtot. 7. top. cap. 5. circa finem, quòd quando ſunt duo, præſertim ſi ſint diuerſa, quorum vnum poteſt eſſe ſine altero, illa ſunt actualiter à parte rei diſtincta, & ex hac regula in 7. Metaph. circa finem colligit elementa eſſe diſtincta à carne, quia elementa ſeparari B poſſunt à carne, & hanc regulam communiter amplectuntur Philoſophi, & Scholaſtici, & Patres; Sed eſſentia poteſt ſeparari ab exiſtentia, quia, vt ſuprà oſtendimus, eſſentia habet ſuum eſſe eſſentiæ actuale reale ab æterno, ergo, &c. Et hæc ratio militat, etiam ſi creatura fuiſſet creata ab æterno, potuiſſet enim eſſentia ſecundùm ſuum eſſe actuale eſſentiæ eſſe ſine exiſtentia, ergo exiſtentia fuiſſet diſtincta ab eſſentia. Ariſt.

Qvimò in hac ratione fundatur illa alia ratio S. Thomæ de ent. & eſſent. cap. 5. cuius ſuprà meminimus, dum S. Thom. ex eo, quòd exiſtentia eſt actus receptus in eſſentia tanquam in potentia, concludit exiſtentiam diſtingui à parte rei ab eſſentia. Probat autem exiſtentiam eſſe actum receC ptum, quia alioquin eſſet illimitatus, quæ probatio habet vim, quidquid dicat Durandus, & alij recentiores, ſuppoſito illo fundamento, quòd eſſentia ſecundùm eſſe eſſentiæ, habeat eſſe reale actuale ab æterno; Nam hoc ſuppoſito, ſi exiſtentia non eſſet actus receptus, nec conſequenter diſtinctus ab eſſentia, ſed identificatus, ſequeretur, quòd exiſtentia non eſſet ſeparabilis ab eſſentia, ſi enim eſſet ſeparabilis remanente eſſentia ſecundùm ſuum eſſe, iam eſſet, vt probatum eſt, actus receptus, & diſtinctus; Quòd ſi non eſſet ſeparabilis, ſequeretur, quòd actus exiſtentiæ neceſſariò, & independenter conueniret eſſentiæ, ſicut Deo, ergo eſſet illimitatus. 35. Quinta ratio. S. Thom. Duran.

Sextò probant Caiet. & alij ex S. Thoma, Nihil D eſt, inquiunt, in potentia ad ſeipſum; ſed eſſentia eſt in potentia ad exiſtentiam, ergo eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur à parte rei. 36. Sexta ratio. S. Thom. Caiet.

Nec valet ad hanc rationem reſponſio Alenſis, qui diſtinguit duplicem potentiam, alteram ſubiectiuam, alteram obiectiuam, & ad Maiorem huius rationis reſpondet illam eſſe veram de potentia ſubiectiua, quia nihil poteſt recipere ſeipſum, non autem eſſe veram de potentia obiectiua, quia tota rei entitas, quæ eſt in potentia obiectiua creantis, poteſt eſſe extra cauſam; tota autem entitas creaturæ eſt in potentia obiectiua creantis, & ideo poteſt eſſe in potentia ad ſeipſam; Hæc (inquam) reſponſio non valet, nam Maior huius ſextæ rationis intelliE gitur de potentia quaſi ſubiectiua, & non de potentia obiectiua, nam eſſentia creaturæ ſecundùm eſſe eſſentiæ non eſt in potentia intrinſeca obiectiua creantis, ſed habet eſſe actuale, vt dictum eſt, ab æterno, & conſequenter habet potentiam intrinſecam, per quam eſt poſſibilis; Si ergo eſt in potentia ad exiſtendum extra cauſam, non eſt in potentia ad ſeipſam, ſed ad recipiendum nouum modum à cauſa, ergo hic modus diſtinguitur ab eſſentia, quia nihil eſt in potentia ſubiectiua, vel quaſi ſubiectiua ad recipiendum ſeipſum. Alenſ.

SECVN

Digitized by Google

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

37. PRobabilivs dicitur exiſtentiam ab eſſentia non diſtingui realiter, ſed ex natura rei.

Not. S.Thom. Pro explicatione notandum à S. Tho. pro eodem accipi diſtinctionem realem, & ex natura rei, ſed à Thomiſtis ſtrictiùs accipitur, vt patet ex Capreolo in 1. diſt. 3. q. 3. & diſt. 8. q. 1. ad 8. Et eſt illa, quæ eſt inter rem & rem; ſignum autem diſtinctionis realis eſt, cùm vtrumque extremum poteſt per diuinam potentiam ſeparatim exiſtere; Et hoc quidem ſignum ſumptum affirmatiuè ſemper eſt verum, ita vt liceat argumentari: (poſſunt extrema ſeparatim exiſtere, ergo diſtinguuntur realiter;) Sumptum verò negatiuè, ſemper etiam eſt verum, dummodò, vt aduertit Capreolus locis citatis, & Tromb. in ſuis formalitatibus, vnum extremum non dependeat ab alio eſſentialiter, relatiuum enim, & correlatiuum diſtinguuntur realiter, & tamen nòn poſſunt ſeparari, quia vnum dependet ab alio, & multi tenent tertiam entitatem totius diſtingui realiter à partibus, non tamen poſſe ſeparari, quia dicit dependentiam eſſentialem à partibus.

(Capr. — Capr. Tromb.)

38. Prima ratio pro hac ſecunda concluſione. His poſitis, facile probatur concluſio ab his, qui tenent eſſentias rerum produci in eſſe eſſentiæ, & in tempore tantùm ab æterno habere eſſe in potentia cauſæ, conſequenter enim dicunt eſſentiam non poſſe remanere ſecundùm eſſe actuale ſine exiſtentia; A nobis verò, qui tenuimus in prima diſputatione, quæſt. 1. eſſentias rerum habere eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, difficiliùs probatur, nam eſſentia ſeparata ab exiſtentia, habet adhuc ſuum eſſe actuale reale eſſentiæ.

Ad probandum igitur, quòd eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur realiter, probandum eſt, quòd ſaltem exiſtentia, non poſſit ſeparatim exiſtere ſine eſſentia, quod quidem probatur.

Suar. Primò ab aliquibus recentioribus, quia deberet eſſe vnio inter eſſentiam, & exiſtentiam, hæc autem vnio deberet exiſtere, quare adhuc deberet dari alia vnio, & ſic in infinitum. Sed hæc ratio non placet, quia poſſet dici, quòd vnio cum ſua exiſtentia, ſeipſa vnitur, ſicut actio, ſeipſa fit.

39. Secunda ratio. Secundò igitur probatur, Tota ratio exiſtentiæ eſt in exercitio exiſtendi, non poteſt igitur exiſtere, niſi afficiendo actualiter ſubiectum. Conſequentia probatur, quia non poteſt exiſtere, niſi exercendo actum exiſtendi. Non poteſt autem exercere, niſi afficiendo actualiter ſubiectum, ponendo illud extra cauſas. Quare non poteſt exiſtere ſeparatim à ſubiecto, ſicut etiam dicitur de cæteris modis. Antecedens probatur, quia exiſtentia non habet aliud munus, quam ponere rem extra cauſas, & faciendo illam aptam ad recipiendum alia accidentia.

40. Tertia ratio. Tertiò probatur, quia exiſtētia non habet aliam realitatem præter realitatem ſuæ eſſentiæ, cuius eſt exiſtentia, nam, vt dictum eſt in 1. diſp. quæſt. 1. non habet ſuum eſſe eſſentiæ reale actuale ab æterno, ſicut habent cæteræ eſſentiæ rerum, quia aliæ eſſentiæ rerum debent habere rationem poſitiuam intrinſecam realem, ſeu realitatem, per quam illis non repugnat exiſtere; Si enim quæratur, quare lapidi non repugnat exiſtentia, repugnat autem Chimæræ, non poteſt reddi alia ratio, niſi quia lapis habet hanc rationem poſitiuam realem intrinſecam, quam non habet Chimæra; At verò, vt exiſtentiæ non repugnet exiſtere, non requiritur, vt ſit in exiſtentia hæc ratio poſitiua intrinſeca realis, ſeu

A realitas; ſed ſufficit, vt in ipſa eſſentia, cuius eſt exiſtentia, ſit hæc ratio poſitiua, nam ſi eſſentiæ lapidis non repugnat exiſtere per ſuam intrinſecam rationem poſitiuam realem, hoc ipſum exiſtere repugnabit lapidi; Non igitur exiſtere habet aliquam realitatem poſitiuam præter realitatem ſuæ eſſentiæ, erit igitur modus eſſentiæ.

TERTIA CONCLVSIO.

DIco tertiò, Eſſentia, & exiſtentia, non diſtinguuntur modaliter, contra Fonſecam; ſed formaliter. 41. Fonſ.

Pro explicatione notandum diſtinctionem ex natura rei, quæ eſt media inter diſtinctionem realem, & diſtinctionem rationis ratiocinatæ, diuidi in duo membra, in modalem, & formalem. Not.

B

Modalis propriè dicta, vt colligitur ex Scoto in ſuis formalitatibus, & in 1. diſtinct. 8. quidquid dicat Burliſer, inter alias conditiones, quas referemus infrà in prædicamento relationis, habet illam præcipuè vt dicat eandem formalitatem rei modificatæ, non quidem vt ſit de eſſentia illius, hoc enim repugnat, ſed vt ſit intra formalitatem rei modificatæ, ex. gr. intenſio caloris, vt octo, diſtinguitur ex natura rei modaliter ab ipſo calore, quia eſt modus ſuperadditus calori, non ſolùm non varians rationem formalem caloris, ſed eſt intra formalitatem caloris, nam idem calor, per illam intentionem fit maior intra eandem formalitatem caloris; hoc autem non requiritur ad diſtinctionē formalem. Scotus. Burliſ.

C

His poſitis probatur concluſio, Exiſtentia additur tanquam nouus modus eſſentiæ, qui quamuis non ſit de eſſentia eſſentiæ, in quo conuenit cum modo intentionis, eſt tamen extra formalitatem eſſentiæ; Non enim eſſentia per modum exiſtentiæ ſuperadditum creſcit ſecundùm formalitatem eſſentiæ, nec per additionem accreſcit ſecundùm eandem formalitatem; Quare diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam, non eſt modalis propriè dicta. Dixi (propriè) quia poſſet dici modalis, quatenus exiſtentia eſt modus eſſentiæ, & non realitas; diſtinguitur igitur eſſentia ab exiſtentia formaliter. 42.

D

Sed circa hanc concluſionem, dubium occurrit, in quo gradu diſtinctionis formalis ſit iſta diſtinctio inter eſſentiam, & exiſtentiam; Pro quo nota, tres gradus præcipuè poni diſtinctionis formalis: 43. Dubium, In quo gradu diſtinctionis formalis collocetur diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia.

Primus eſt ſecundùm aliquos, cùm modus diſtinguitur à re penes connotatum extrinſecum tantùm, ſicut multi tenent diſtingui ſimilitudinem ab albedine, non ſecundùm entitatem intrinſecam, quia non dicit aliam entitatem ab entitate albedinis, ſed penes terminum realem extrinſecè connotatum, quatenus, ſcilicet, dicit entitatem alterius albi, ac propterea hæc diſtinctio differt à diſtinctione rationis ratiocinatæ; quia hæc non dicit terminum extrinſecum.

E

Secundus gradus eſt, cùm modus diſtinguitur à parte rei à re, cuius eſt modus ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum; Eſt tamen hic modus ita intrinſecus rei, vt non poſſit res eſſe ſine illo modo, ſaltem vagè, & hoc modo diſtinguitur figura à quantitate, quia quantitas non poteſt eſſe ſine figura, quamuis poſſit eſſe ſine hac vel illa.

Tertius gradus eſt, cùm modus ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum diſtinguitur à re, & poteſt res eſſe ſine illo modo etiam vagè, ita diſtinguitur ſeſſio à corpore; poteſt enim corpus eſſe ſine vlla ſeſſione.

Digitized by Google

44. Henricus. HIS poſitis eſt opinio aliquorum recentiorum qui ſequentes fortè Henricum, tenent diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia eſſe in primo gradu diſtinctionis formalis, ſcilicet, diſtingui ex natura rei formaliter penes tantum connotatum extrinſecum, penes, ſcilicet, relationem dependentiæ ab agente, ac propterea dicunt, exiſtentiam diuinam ab eſſentia non diſtingui formaliter, quia non connotat aliquod extrinſecum, puta dependentiam, ſicut connotat exiſtentia creata; Et probant, quia hoc ſufficit (inquiunt) ad hoc, vt exiſtentia diſtinguatur ex natura rei ab eſſentia, ſicut etiam aliqui dicunt figuram diſtingui à quantitate, quatenus connotat ſpatium extrinſecum, quod non connotat quantitas.

45. SED quidquid ſit, an detur hæc diſtinctio ex natura rei penes tantùm connotatum extrinſecum, de qua re dicemus infrà in prædicamento relationis circa finem; dico, quòd eſt impoſſibile hanc opinionem habere locum in caſu noſtro, in diſtinctione ſcilicet exiſtētiæ creatæ ab eſſentia; nam hæc relatio actualis dependentiæ de nouo adueniens fundatur in aliquo de nouo aduenienti ipſi eſſentiæ, quæ iam vt ſupponimus ex dictis, habebat ſuum eſſe actuale ab æterno; Quod igitur de nouo aduenit conſtituens eſſentiam extra ſuas cauſas, in quo fundatur relatio dependentiæ, eſt exiſtentia; Quare ſi exiſtentia de nouo aduenit eſſentiæ, vt fundamentum relationis dependentiæ, non poteſt dici quòd eſſentia diſtinguatur ab eſſentia à parte rei ſolùm penes connotatum extrinſecum, ſed etiam penes ſuum eſſe intrinſecum, vt probatum eſt in prima concluſione.

46. ALII verò; quamuis teneant eſſentiam nullum habere eſſe eſſentiæ actuale reale, ſed tantùm eſſe in potentia cauſæ, dicunt tamen exiſtentiam non diſtingui tantùm penes connotatum extrinſecum, ſed diſtingui formaliter ab eſſentia ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum; ponunt tamen huiuſmodi diſtinctionem inter eſſentiam, & exiſtentiam in ſecundo gradu diſtinctionis formalis; Sicut enim, inquiunt, figura diſtinguitur formaliter à quātitate, quia poteſt quantitas eſſe ſine hac figura, quamuis non poſſit eſſe ſine hac, vel illa; ita, inquiunt, eſſentia non poteſt eſſe actualiter etiam ſecundùm eſſe eſſentiæ ſine exiſtentia, quia à parte rei ex ſe nullum habet eſſe actuale, ſed tantùm eſt in potentia cauſæ, poteſt tamen eſſe ſine hac, vel illa exiſtentia, quia poteſt ſpoliari veteri exiſtentia, & indui alia noua; eſſentia enim ſiue cum hac, ſiue cum illa exiſtentia, ſemper eſt actualis.

47. SED dicendum exiſtimo, diſtinctionem inter exiſtentiam, & eſſentiam eſſe in tertio gradu diſtinctionis formalis, ſuppoſita illa opinione, quòd eſſentia habeat ſuum eſſe actuale eſſentiæ ab æterno, quam quidem opinionem probabilem exiſtimauimus in 1. diſp. quæſt. 1. neceſſariò enim includit rationem quandam realem poſitiuam, per quam non repugnat exiſtere, ſeu produci ad extra, ſicut repugnat Chimæræ; Suppoſita enim hac opinione habet diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia omnia quæ requiruntur ad conſtituendum tertium gradum diſtinctionis formalis: poteſt enim eſſentia eſſe ſecundùm ſuum eſſe eſſentiæ actuale ſine vlla exiſtentia, non autem è contra; hoc autem eſt quod, vt ſuprà dictum eſt, requiritur ad conſtituendum tertium gradum diſtinctionis formalis, ſicut ſeſſio diſtinguitur formaliter in tertio gradu à corpore, quia corpus poteſt eſſe ſine vlla ſeſſione, non autem è contra.

DVBIVM tamen hic occurrit, an ſicut idem numero corpus poteſt eſſe modò ſub hac modò ſub illa ſeſſione, ita ſimiliter eadem eſſentia poſſit eſſe modò ſub hac modò ſub illa exiſtentia.

Reſpondent aliqui quòd non, ſicut enim, inquiunt, eſſe numericum ſeu ſingulare, non poteſt variari, ita vt natura, modò ſit ſub vno eſſe numerico modò ſub alio, ita nec eſſe exiſtentiale. Reſpondetur tamen affirmatiuè ſaltem de potentia abſoluta; diſparitas autē eſt, tum quia ſingularitas nō aduenit naturæ de nouo, quare potiùs eſt modus intrinſecus, & fortè omnino identificatus cum natura; at verò exiſtentia aduenit de nouo, ſicut ſeſſio, corpori: tum quia ſingularitas eſt de eſſentia indiuidui, non autem exiſtentia.

Sed inſtant aliqui recentiores, Exiſtentia, inquiunt, eſt de eſſentia entitatis actualis, ſicut ſingularitas eſt de eſſentia indiuidui. Sed reſpondetur, quòd hi recentiores ſupponunt vnum principium, exiſtentiam ſcilicet, conſtituere eſſentiam intrinſecè in eſſe actuali, quia exiſtimant eſſentiam nullum habere eſſe eſſentiæ actuale reale ab æterno, ſed tantùm potentiale in cauſa, & conſequenter fieri actualem in eſſe eſſentiæ per ipſum eſſe exiſtentiæ: Nos autem hic ſupponimus aliam opinionem tamquam probabilem, eſſentiam habere ſuum eſſe naturale eſſentiæ ab æterno, vt oſtendimus in 1. diſp. quæſt. 1.

QVÆRES tamen hic vnum, An etiam naturaliter eſſentia, modò ſit ſub vna exiſtentia, modò ſub alia. 48.
Reſpondetur, quòd naturaliter poteſt fieri; nam ſecundùm Thomiſtas materia prima, modò exiſtit exiſtentia vnius formæ, modò alterius, & idem lumen, quod fit à luminoſo A, poteſt conſeruari à luminoſo B, per nouam exiſtentiam dependentem ab ipſo, quia numericè exiſtentia prior dicebat ordinem ad luminoſum A, nec propterea lumen non diceretur conſeruari, quia quamuis habeat nouam exiſtentiam, ſufficit tamen quod immediatè antè præſupponebatur lumen exiſtere, quamuis per aliam exiſtentiam.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ QVÆ SVNT *contra primam concluſionem.*

AD primum, ex Ariſtot. aſſerente quòd idem ſunt (homo, &, ens homo) primò reſpondet Fonſeca lib. 4. met. cap. 2. quæſt. 14. ſect. 5. ens vſurpari ab Ariſtot. pro ente eſſentiæ. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia nihil diuerſum diceret Ariſt. cùm dicit (homo, &, ens homo) ſi ens ſumeret pro ente eſſentiæ, & conſequenter fruſtra, & nugatoriè quæreret, an homo, & ens homo ſint idem. 49. Reſponſio ad primum argumentum primæ ſententiæ. Fonſ. Ariſtot.

Secundò reſpondetur ex eodem, quòd etiam ſi ens ſumatur pro eſſe exiſtentiæ, adhuc textus allatus non eſt contra opinionem noſtram, nam ſenſus eſt, quòd exiſtentia non ſignificat aliquam eſſentiam, quæ poni debeat in alio prædicamento, ſed reductiuè pertinet ad idem prædicamentum eſſentiæ, & propterea dixit Ariſtot. hominem, & ens hominem, eſſe idem. Sed neque hæc reſponſio ſecunda ſatisfacit, nam Ariſt. ibi non comparat eſſentiam ad exiſtentiam, hoc enim fecerat 2. poſter. cap. 7. & ſecundùm hanc comparationem dixerat in dicto cap. oppoſitum eius quod dixit in 4. metaph. loco citato, (Quid autem ſit, inquit, homo, aliud, eſt, quàm hominem eſſe) & reddit rationem, quia exiſtentia non eſt de ſubſtantia hominis. Ariſtot.

Tertiò igitur reſpondeo, quòd Ariſt. in 4. met. loco citato, cùm comparat hominem ad ens hominem, non comparat eſſentiam hominis ad exiſtentiam, 50. Ariſtot.

Digitized by Google

tiam, ſed eſſentiam hominis ad ſeipſam, vt ſtat ſub modo exiſtendi, & dicit eſſe eandem eſſentiam, quia exiſtentia, quamuis ſit actus eſſentiæ, non tamen eſt actus conſtituens illam in alia ratione formali, ſed tantùm eſt actus conſtituens illam eandem, quæ erat in potentia obiectiua, conſtituens, inquam, illam tandem in actu exiſtentiæ extra cauſas ſuas.

51. Reſpōſio ad ſecundum. Ad ſecundum reſpondetur, quòd propoſitio illa (quòd quando extrema exiſtunt vna, & eadem exiſtentia, diſtinguuntur tantùm ratione ratiocinata) intelligenda eſt de extremis exiſtentialibus. In hoc enim caſu, quando extrema, quæ concipiuntur vt diſtincta, exiſtunt eadem exiſtentia, tunc in ſenſu identico ſunt idem, & diſtinguuntur tantùm ratione ratiocinata; At in caſu noſtro vnum extremum quod eſt eſſentia, exiſtit per exiſtentiam, quod eſt aliud extremum; eſſentia igitur comparata ad exiſtentiam, tanquam ad aliud extremum, non ſupponitur exiſtens, ſed tantùm habere eſſe actuale eſſentiæ, vt in prima diſputatione quæſtione prima dictum eſt, cui aduenit de nouo à parte rei aliud extremum, ſcilicet, exiſtentia, ac propterea diximus ſuprà implicare exiſtentiam non diſtingui à parte rei ab eſſentia. Valet igitur illa propoſitio in rebus ſeu conceptibus ſecundò componentibus, non autem in primò componentibus, vt eſt eſſentia, & exiſtentia.

52. Reſpōſio ad tertium. Caiet. Ad tertium reſpondetur, & primò reſpondent aliqui ex Caietano ibidem, negando, ideo poni fundamentum diſtinctionis inter eſſentiam, & exiſtentiam, quia eſſentia eſt indifferens ad exiſtere, & non exiſtere. Sed hoc non videtur negandum, vt patet ex S.Thom.1.ſenten.diſtinct.8.q.4.art.2. quia ſi eſſentia non eſſet indifferens ad exiſtere, & non exiſtere, ſed neceſſariò determinaretur ad exiſtere, non haberemus ſignum ſeparabilitatis vnde colligeremus diſtinctionem. (S.Thom.)

53. Caiet. Reſpondet ſecundò Caiet.q.11. de ent. & eſſent. ad primum argumentum, negando exiſtere eſſe indifferens ad eſſe, & non eſſe; Et rationem reddit, quia nihil (inquit) eſt indifferens ad aliqua duo, quorum alterum ſibi determinat in ſua definitione; Sed eſſe eſt de intellectu exiſtere, ergo nō poteſt eſſe indifferens ad eſſe, & non eſſe; ſicut eſſentia non poteſt eſſe indifferens ad eſſe eſſentiæ, & non eſſe eſſentiæ, quia eſſe eſſentiæ eſt de intellectu eſſentiæ. Sed hanc reſponſionem Caietani communiter impugnant Recentiores ex Soncin.4.m.q.13. nam clarè patet (inquiunt) quòd exiſtentia roſæ in hyeme verè non eſt à parte rei; in vere autem eſt à parte rei. (Caiet. Sonc.)

Sed adhuc ad hanc inſtantiam reſpondet Caiet. ibidem, quòd ideo eſſe roſæ in hyeme non eſt, ſed in vere, quia eſſentia roſæ, quæ ab æterno habet ſua prædicata quidditatiua ad actum eſſendi, non adhuc peruenit ad actum eſſendi, & non ideo, quia exiſtere eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe. Sed hæc reſponſio Caietani, adhuc habet difficultatem, nam ipſa exiſtentia, quatenus diſtinguitur ab eſſentia roſæ, non eſt in hyeme, niſi in potentia, & tamen actu eſt in vere conſtituens actu roſam extra cauſas ſuas, cùm tamen in hyeme erat tantùm conſtitutiua in actu primo, & non actu conſtituens in actu ſecundo, ſeu in actu exercito. (Caiet.)

54. Mihi tamen videtur, quòd Caietanus poſſit in bono ſenſu explicari, ſi dicatur, quòd ideo eſſentia roſæ diſtinguitur à parte rei ab exiſtentia, quia eſt indifferens ad exiſtere tanquam ad modum realem de nouo aduenientem eſſentiæ: At verò exiſtentia, quamuis ſecundùm eſſe conceptum ſit indifferens ad eſſe in actu exercito, quia tamen exiſtentia non

A exiſtit per aliam exiſtentiam, quia poteſt eſſe ſibimet ratio exiſtendi, ſicut quantitas ſeipſa eſt extenſa, & actio ſeipſa fit, ideo ipſum exercitium exiſtentiæ, non diſtinguitur ab ipſa exiſtentia, & ſic ceſſat ratio paritatis.

Quòd ſi dicas, quid igitur additur de nouo exiſtentiæ in potentia, cùm ſit in actu exercito? Reſpondetur nihil de nouo addi in ratione exiſtentiæ, ſed illamet quæ erat in potentia obiectiua, fit in actu, & extra cauſas, ad quod ſufficit actio agentis, quæ eſt modus quidam realis, per quam actionem exiſtentia extrahitur extra cauſam ſuam, & fit exiſtens formaliter ſeipſa. 55.

B Ad quartum, de hoc erit infrà peculiaris dubitatio, Breuiter nunc dicitur, concedendam eſſe compoſitionem, & ad hanc ſufficere, vt eſſentia, quamuis non concipiatur vt exiſtens quatenus eſt pars componens, habeat tamē eſſe actuale reale eſſentiæ, quia vt ſic eſt extremum componens ſimul cum exiſtentia tanquam altero extremo. 56. Reſpōſio ad quartum.

Ad quintum reſpondetur, quòd compoſitum ex exiſtentia, & eſſentia non dicitur ſimpliciter generari, quod enim generatur ſimpliciter, eſt compoſitum ex materia, & forma, recipiendo nouum modum eſſendi; ſecundùm quid autem poteſt dici generari. 57. Reſpōſio ad quintum.

Ad ſextum dicitur, quòd eſſentia poteſt ſeparari; nam eſſentia ſecundùm ſententiam noſtram, C habet ſuum eſſe reale intrinſecum actuale ab æterno, cui de nouo aduenit eſſe exiſtentiæ; poteſt ergo ſeparari ſecundùm illud ſuum eſſe. Et cùm inſtatur; Extremum quod ſeparatur, debet exiſtere ſeparatum: Reſpondetur hoc verum eſſe in reliquis compoſitis, quæ componunt, vt ſunt exiſtentia; non autem in hoc primo compoſito ex eſſentia, & eſſe; quia vnum extremum, quod eſt eſſentia, quatenus componit, non ſupponitur vt ſic exiſtere, quia tunc non eſſet pars componens, ſed totum compoſitum; ſed ſupponitur ſecundùm ſuum eſſe actuale reale eſſentiæ, & ideo ſufficit, vt ſeparatum remaneat ſecundùm illud ſuum eſſe reale intrinſecum actuale eſſentiale; Vtrùm autem exiſtentia, quod eſt aliud D extremum, poſſit ſeparatim remanere, diximus ſuprà in ſecunda concluſione, probabilius eſſe, quòd non poteſt, propter rationem aſſignatam in argumento. Sed hoc nihil obſtat, quia ad diſtinctionem actualem ſufficit, vt vnum extremum poſſit ſeparari. 58. Reſpōſio ad ſextum.

Ad ſeptimum reſpondetur, non tolli creationem, quia nihil ſupponitur ſecundùm eſſe exiſtentiæ; quòd verò ſupponatur eſſe actuale eſſentiæ, iuuat potiùs ad creationem, quia non poſſet res creari, niſi ſupponatur habere potentiam paſſiuam intrinſecam ad creari: Hæc autem fundatur in eſſe actuali eſſentiæ, vt probatum eſt, nam non poteſt dici res creari ex eo, quia habet potentiam ad creari per ſolam denominationem extrinſecam à cauſa, E vt probatum eſt ſuprà in prima diſput. quæſt. prima. Nam ſi quæratur cur Chimæra non habet hanc potentiam extrinſecam in cauſa, cùm cauſa ſit infinita, profectò non poteſt reſponderi, niſi quia Chimæræ repugnat creatio ex ſuis principiis, ergo à pari res ideo poteſt creari, quia ex ſuis principiis intrinſecis non repugnat. 59. Reſpōſio ad ſeptimum.

Ad octauum reſpondetur; argumentum ſupponere rem, antequam producatur, nullum habere eſſe actuale, nec eſſentiæ nec exiſtentiæ, ſed tantùm potentiale in cauſa; Quare ſecundùm iſtos per idem eſſe exiſtentiæ tranſit eſſentia de potentia obiectiua ad actum, ſeu ad entitatem realem ſecundùm eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ. 60. Reſpōſio ad octauum.

Sed

Digitized by Google

Sed hoc ſuppoſitum ſupra confutatum eſt, diximus enim, quòd res antequam producatur non eſt nihil, ſed habet eſſe actuale reale eſſentiæ, & ſolùm illi de nouo aduenit modus exiſtentiæ: Quare aliud eſt contradictorium eſſentiæ, & aliud exiſtentiæ, contradictorium quidem eſſentiæ eſt nihil eſſentiæ, quod quidem nihil eſt nihil chimæricum, quod non poteſt dari; ab æterno enim neceſſariò creatura verè habuit eſſe actuale eſſentiæ ſecundùm opinionem quam ſupponimus: contradictorium autem exiſtentiæ creatæ, eſt nihil exiſtentiæ creatæ, & hoc quidem non eſt chimæricum, quia poteſt dari, & antequam res fuerit creata, fuit hoc nihil exiſtentiæ.

61. Reſpõſio ad nonum. Ad nonum concedenda eſt Maior, ſed negatur Minor, nam vt dictum eſt in prima quæſtione, creatura ante productionem habet eſſe actuale eſſentiæ. Quòd ſi inſtes, quomodo habet eſſe actuale ab æterno ſi res fit extra ſuas cauſas per productionem; Reſpondetur rem dici fieri extra cauſas, non ſecundùm eſſe eſſentiale, ſed exiſtentiale, ſecundùm opinionem quam ſupponimus. In opinione autem eorum qui dicunt eſſentiam ab æterno habuiſſe eſſe potentiale tantùm in cauſa, dicendum eſt eſſentiam ſecundùm eſſe eſſentiæ fieri extra cauſas per actionem agentis, quia tunc eſſentia recipit eſſe actuale non ſolùm exiſtentiæ, ſed eſſentiæ.

62. Reſpõſio ad decimum. Ad decimum reſpondetur breuiter negando Minorem, quòd, ſcilicet, eſſentia ſit ens in potentia, Oſtendimus enim diſput. prima quæſtione prima eſſentiam eſſe ens actuale ab æterno ſecundùm ſuum eſſe eſſentiæ; Cùm igitur diuiditur ens in actu & potentia, non diuiditur ens, vt abſtrahit ab eſſentiali, & exiſtentiali, ſed ens exiſtentiale; & in hoc militat argumentum, quòd quando hoc ens fit actu, amittitur tantùm conditio diſtrahens, ſcilicet eſſe in potentia.

63. Reſpõſio ad vndecimũ. Ad vndecimum, cùm arguitur, exiſtentia eſt realitas eſſentiæ, non ergo differt ab eſſentia, &c. Reſpondetur argumentum ſupponere eſſentiam accipere realitatem, & actualitatem ab exiſtentia, quod in opinione quam hic ſupponimus eſt falſum, oſtendimus enim eſſe probabile eſſentias rerum habere ſuum eſſe eſſentiæ actuale ab æterno.

64. Reſpõſio ad duodecimũ. Ad duodecimum cùm arguitur à commutata proportione, Sicut ſe habet eſſentia ad eſſe, ſic exiſtentia ad exiſtere, concedenda eſt Maior de eſſe eſſentiæ; Cùm verò ſubditur, eſſe & exiſtere non diſtinguuntur, neganda eſt hæc Minor, quia eſſe eſſentiæ de quo intelligebatur Maior, diſtinguitur ab exiſtere, nam vt ſæpius dictum eſt, eſſentia habet ſuum eſſe actuale ab æterno.

RESPONSIO AD ARGVMENTA SECVNDÆ SENTENTIÆ, QVÆ *ſunt contra ſecundam concluſionem.*

65. Ad primum. Ad primum, Si quid probat argumentum, probat tantùm diſtinctionem aliquam à parte rei, & hæc ſufficit, vt ſit formalis; Sed an hoc probet, videnda ſunt quæ diximus in prima concluſione.

66. Reſpõſio ad ſecundum. Ad ſecundum idem dicendum; Vide quæ diximus ibidem.

Reſpõſio ad tertium. Ad tertium conceditur inter eſſentiam, & exiſtentiam eſſe aliquam compoſitionem à parte rei, quia compoſitio eſt diſtinctorum vnio, vt fuſiùs de hac materia dicetur infrà in peculiari quæſtione, ſed non requiritur, vt extrema ſint realiter diſtincta, ſed ſufficit, vt ſint diſtincta à parte rei formaliter.

A Ad quartum, Si quid probat argumentum, probat tantùm diſtinctionem à parte rei formalem inter eſſentiam, & exiſtentiam, quam concedimus, vt patet ex prima & tertia concluſione. Sed neque hanc probat, vt patet ex prima concluſione, quia relatio in diuinis non eſt de quidditate eſſentiæ, & tamen non diſtinguitur à parte rei ab eſſentia. 67. Reſpõſio ad quartum.

Ad quintum reſpondetur, quòd neque ſola eſſentia eſt potentia receptiua accidentium, ſed eſſentia exiſtens; ſufficit autem, vt exiſtat exiſtentia, vel ſibi identificata, vel diſtincta à ſe ſaltem formaliter; quare argumentum, non ſolùm non probat diſtinctionem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam, ſed nec vllam diſtinctionem à parte rei. 68. Reſpõſio ad quintum.

B Ad ſextum reſpondetur, quòd paritas de inhærentia reſpectu accidentis, non probat præciſè de exiſtentia ſubſtantiæ, ſed ſi quid probat, probat de perſeitate, quæ eſt modus ſubſtantiæ, ſicut inhærentia eſt modus accidentis. Sed neque per hoc argumentum ſufficienter probatur, perſeitatem diſtingui realiter à ſubſtantia, nàm neque inhærentia diſtinguitur realiter ab accidenti, ſed tantùm formaliter; Et cùm inſtatur, (quòd quantitas in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ eſt ſine inhærentia, ergo inhærentia diſtinguitur realiter,) negatur conſequentia, quia ſufficit diſtinctio formalis, nam quamuis quantitas poſſit eſſe ſine inhærentia, non tamen inhærentia poteſt ſeparatim eſſe ſine quantitate. 69. Reſpõſio ad ſextum.

C Ad ſeptimum. Argumentum tantùm probat diſtinctionem aliquam à parte rei, quia cùm exiſtentia, vt dictum eſt ſuprà, adueniat de nouo eſſentiæ, quæ ab æterno habuit eſſe ſuum actuale reale eſſentiæ, ſequitur quòd neceſſariò à parte rei diſtinguitur ab exiſtentia, vt diximus in prima concluſione, ſufficit autem, vt hæc diſtinctio ſit formalis, vt dictum eſt in tertia concluſione. 70. Reſpõſio ad ſeptimum.

Ad octauum negatur, quòd exiſtentia poſſit ſeparatim eſſe ſine eſſentia, ſi enim eſt à parte rei, neceſſariò debet afficere eſſentiam, quia tota ratio exiſtentiæ conſiſtit in actuali exercitio ponendi eſſentias extra cauſas, ſicut proportionaliter dicitur D de aliis modis, vt fuſiùs oſtendimus in tertia concluſione. 71. Reſpõſio ad octauum.

SECVNDA QVÆSTIO.

Vtrùm inter eſſentiam, & exiſtentiam ſit compoſitio à parte rei.

Prima ſententia eſt Alenſ. in 4. Metaph. text. 4. Gabrielis in 3. diſtinct. 6. q. 2. Dur. in 1. diſtinct. 8. q. 2. Quos ſequitur Suar. in Metaph. diſput. 31. ſect. 6. Qui aſſerunt inter eſſentiam, & exiſtentiam nullam eſſe compoſitionem à parte rei. Alenſ. Gabr. Durand. Suar.

E Fvndamentvm huius ſententiæ ſatis acutè ponit Suar. ibidem. Vis autem argumenti ſita eſt in duobus ſuppoſitis. Primum, quodlibet extremum ex componentibus debere eſſe ſimplex, vel ſaltem ſi eſt compoſitum, non debere intrinſecè conſtitui, ſeu componi ex alio extremo, quia tunc haberet eandem compoſitionẽ, quam haberet totum, cuius illud extremum eſt pars, ex. gr. Materia eſt quid ſimplex reſpectu compoſiti, & quamuis detur, quòd ſit compoſita ex eſſe, & eſſentia, non tamen eſt compoſita ex materia, & forma, quæ eſt altera compars: tunc enim materia, quæ eſt pars, haberet eandem compoſitionem, quam haberet totum, quod eſt compoſitum ex materia, & forma. 1. Primum argumentum.

Secundò

Digitized by Google

Secundò ſupponendum eſt, quòd extremum componens à parte rei debet eſſe quid actuale; nam entitas in potentia obiectiua non facit realem compoſitionem in actu, quia eſt eadem res.

His ſuppoſitis, ſic probatur hæc ſententia; Si eſſentia componeret cum exiſtentia ad faciendum vnum totum exiſtens, eſſentia deberet eſſe actualis per ſecundum ſuppoſitum: Sed non poteſt eſſe actualis niſi per exiſtentiam, quia hæc eſt ratio formalis conſtituendi rem intrinſecè in eſſe actuali extra cauſas ſuas; Eſſet igitur compoſita ex exiſtentia, & eſſentia, non ergo eſſet ſimplex, ſed haberet eandem compoſitionem, quam haberet ſuum totum contra primum ſuppoſitum, poſſet autem componere cum actu ſubſiſtendi, quia eſt modus aduenienѕ naturæ exiſtenti. De hoc autem nunc non eſt quæſtio.

2. Secundũ argumentum. Probatur ſecundò hæc ſententia ab eodem Suario diſp. 31. ſect. 12. quia ſi eſſet compoſitio inter eſſentiam, & exiſtentiam, eſſet vnio; Sed hoc eſt abſurdum, quia vnio haberet ſuam exiſtentiam; ergo componeret cum illa, & ſic daretur alia vnio & alia in infinitum. Confirmatur ſecundò, quia hæc vnio non poteſt recipi in eſſentia, nam deberet ſupponi exiſtens, exiſtentia enim eſt prima, & vltima actualitas, at eſſentia, vt pars componens, non poteſt ſupponi exiſtens, vt probatum eſt, ergo, &c.

3. Tertiũ argumentum. Tertiò probatur, Homo in potentia non componit cum ſeipſo in actu, nam alioquin idẽ componeret cum ſeipſo, homo enim in potentia obiectiua, & in actu ſunt idem, ergo nec eſſentia, quæ ſe habet vt potentia, componet cum exiſtentia, quæ ſe habet vt actus.

Secũda ſententia. Secunda ſententia eſt Caiet. de ent. & eſſen. c. 2. quæſt. 11. ad 10. aſſerentis eſſe quidem compoſitionem inter eſſentiam, & exiſtentiam, negat autem ex his extremis fieri vnum per ſe.

Primum argumentum. Probat primò, quia tunc ex duobus extremis fit vnum compoſitum per ſe, quando vnum extremum eſt pura potentia & alterum actus, ſicut eſt materia & forma ex Ariſt. 8. m. t. 15. at eſſentia non ſe habet ſicut pura potentia.

Secundũ argumentum. Ariſt. Secundò, quia ſi ex eſſentia, & exiſtentia fieret vnum per ſe, reſultaret tertia entitas in toto exiſtentiali, ſicut reſultat in toto eſſentiali. Hoc autem eſt abſurdum, quia hæc tertia entitas, cùm ſit diſtincta, haberet etiam exiſtentiam propriam diſtinctam, ergo componeret, & faceret vnum per ſe, ergo reſultaret alia tertia entitas; & ſic in infinitum.

4. Prima concluſio. Fũdamentũ. Prima concluſio contra primam ſententiam. Inter eſſentiam, & exiſtentiam eſt vera, & realis compoſitio: Probatur, quia compoſitio realis nihil aliud eſt, quàm duorum diſtinctorum vnio. Sed eſſentia, & exiſtentia diſtinguuntur à parte rei, vt probatum eſt in ſuperiori quæſtione; ergo inter eſſentiam, & exiſtentiam eſt vera compoſitio. Nec obſtat quòd exiſtentia ſit modus identificatus realiter cum natura, ſufficit enim vt à parte rei diſtinguatur formaliter, ad hoc vt ſit vera compoſitio à parte rei, quatenus eſt vnio duorum diſtinctorum à parte rei.

5. Secũda concluſio. Ferr. Secunda concluſio, contra ſecundã ſententiam. Ex eſſentia & exiſtentia fit vnum per ſe, non quidem eſſentiale ſicut ex materia, & forma, ſed vnum entitatiuum, & exiſtentiale, vt bene notauit Ferrarienſis loco citato, quia exiſtentia non eſt accidens eſſentiæ ſecundùm inhærentiam, ſed dicitur accidens quatenus eſt extra eſſentiam, reductiuè tamen pertinet ad idem prædicamentum eſſentiæ, & ſe habent eſſentia & exiſtentia, ſicut potentia quaſi receptiua, & actus receptus, vt patet ex dictis in ſuperiori quæſtione; nam exiſtentia eſt vltima actualitas eſſentiæ quaſi recepta in eſſentia, quæ ſupponebatur habere ſuum eſſe actuale reale eſſentiæ, vt probauimus in 1. diſputat. quæſt. 1. Quòd autem exiſtentia ſit vltima actualitas, eſt communis ſententia Thomiſtarum cum S. Thoma in 1. p. q. 15. art. 4. Ferrarienſis 1. contra Gent. cap. 25. Ægidij quodl. 1. q. 7. & clariùs quodl. 2. quæſt. 1. Erui. de vnitate formarum q. 5. & ipſius etiam Alenſ. 3. m. t. 74. quia exiſtentia eſt complementum eſſentiæ conſtituendo illam in ſtatu perfectiſſimo extra cauſas ita perficiendo completè illam, vt faciat illam capacem omnium aliarum actualitatum, quæ ſunt velut actus ſecundi reſpectu huius primi. (S. Thom. Ferr. Ægid. Erue. Alenſ.)

6. Reſpõſio ad argumenta primę ſentẽtiæ. Ad primum. Ad argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra primam concluſionem. Reſpondetur ad primum, in argumento falſum ſupponi, quòd eſſentia, quatenus eſt pars componens, fiat actualis in eſſe eſſentiæ per exiſtentiam; In hac enim opinione, bene militat argumentum, ſed non bene, inquam, hoc ſupponitur; Fusè enim probatum eſt in ſuperiori quæſtione contra Auctores huius primæ ſententiæ, eſſentias rerum habere eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, ac proinde eſſe eſſentiæ, vt eſſentiæ, non eſſe in potentia cauſæ efficientis, ſed tantùm eſſe in illa ſecundùm eſſe exiſtentiale. Quare eſſentia vt pars componens, eſt actualis ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum quod habuit ab æterno, & non de nouo per aduentum exiſtentiæ; Poteſt igitur componere cum exiſtentia aliquod totum, hoc enim totum non habet eandem compoſitionem, quam habẽt ſingulæ partes.

7. Ad ſecũdũ. Ad ſecundum reſpondetur dupliciter; Primò negando ſequelam, quòd ſi inter eſſentiam, & exiſtentiam eſſet compoſitio, eſſet vnio diſtincta; Et ratio negationis eſt, quia exiſtentia eſt modus; ac propterea non requirit vnionem diſtinctam à ſe, ſed habet vnionem identificatam; modus enim per ſeipſum vnitur cum re modificata, vt dicemus in diſp. 4. de vnione.

Secundò reſpondetur ad Minorẽ, & ad probationem ipſius, quòd etiam ſi daretur vnio diſtincta ab extremis, adhuc non ſequeretur proceſſus in infinitum, nam ſeipſa vniretur cum ſua exiſtentia, quia ipſa eſt formaliter talis, ſicut quantitas ſeipſa extenditur, & actio ſeipſa fit ſecundùm Ariſt. quia eſt formaliter talis.

Ad tertium. Ad tertiũ reſpõdetur, tripliciter Primò quòd vnio identificatur cum exiſtentia, & ideo non opus eſt, vt ipſa vnio recipiatur in eſſentia ante exiſtentiam.

Secundò, etiam ſi vnio non identificaretur cum eſſentia, adhuc non oporteret illam recipi in eſſentia, ſatis enim eſſet, ſi reciperetur in alio extremo, quod eſt exiſtentia, ſufficit enim in compoſito vnica vnio, quia vnio ex natura ſua eſt nexus duorum, vt dicemus in 4. diſp. de vnione.

Tertiò reſpondeo, etiamſi concedatur vnionem recipiendam eſſe in eſſentia, tanquam in extremo indigenti exiſtentia tamquam alio extremo, adhuc ſoluitur implicantia quæ affertur in argumento, poſſet enim dici, quòd eſſentia in genere cauſæ materialis præſupponatur exiſtens ante vnionem, & conſequenter in illo genere eſt potens ad recipiendam vnionem, quamuis ipſa eſſentia in alio genere cauſæ, ſcilicet, cauſæ formalis, intelligatur poſterior, quàm ſit ipſa exiſtentia vnita cum ipſa eſſentia.

8. Reſpõſio ad argumenta ſecundę ſententiæ. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt contra ſecundam concluſionem. Ad primum reſpondetur, ex eſſentia, & exiſtentia fieri vnum per ſe, quia vnum eſt potentia quaſi receptiua, alterum eſt

Digitized by Google

Ad primum. eſt tanquam actus, vt probatum eſt in ſecunda concluſione; cùm autem inſtetur potentiam debere eſſe puram potentiam, reſpondetur hoc non dicere Ariſt. (Ariſt.) loco citato, ſed tantùm dicit, quòd potentia, & actus debeant eſſe eiuſdem generis.

Ad ſecundum petit argumentum illam quæſtionem, Vtrum reſultet tertia entitas in toto exiſtentiali, ſicut reſultat in toto eſſentiali; De quo erit ſequens quæſtio.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm totum entitatiuum, ſiue exiſtentiale diſtinguatur tanquam tertia entitas à partibus ſimul vnitis, quæ ſunt eſſentia, & exiſtentia.

1. Hæc quæſtio non tractatur ex profeſſo à Doctoribus, exiſtimant enim hanc quæſtionem eſſe ſimilem illi de toto phyſico eſſentiali, quare qui concedunt tertiam entitatem diſtinctam in toto phyſico eſſentiali, concedunt etiam illam in toto metaphyſico exiſtentiali.

Sed mihi videtur eſſe differentia inter totum phyſicum eſſentiale, & totum exiſtentiale, nec eodem modo eſſe procedendum in vtroque. Pro quo notandum, tripliciter poſſe comparari totũ exiſtentiale ad partes, ſicut etiam ipſum totum eſſentiale. Primò, ad ſingulas partes ſeorſim ſumptas.
2. Secundò, ad omnes partes aggregatim ſumptas.
Prima concluſio. Tertiò, ad omnes partes ſimul vnitas.

Prima concluſio, Si totum exiſtentiale comparetur primo modo, ſcilicet, ad ſingulas partes ſeorſum ſumptas, tunc in aliquo conuenit cum toto eſſentiali, & in aliquo differt; conuenit quidem, quia vtrumque totum, ſiue eſſentiale, ſiue exiſtentiale diſtinguitur inadęquatè à partibus ſeorſim ſumptis, ſicut includens, & incluſum; nam totum includit partes, ſingulæ autem partes non includunt totum; pars autem a parte diſtinguitur adæquatè, quia neutra includit aliam; differt autem totum exiſtentiale à toto eſſentiali, quia totum exiſtentiale diſtinguitur formaliter à ſingulis partibus, quia partes, eſſentia ſcilicet, & exiſtentia diſtinguuntur tantùm formaliter, vt probatum eſt in prima quæſtione, at verò totum phyſicum eſſentiale, diſtinguitur realiter à ſingulis partibus; nam, cùm materia, & forma, quæ ſunt partes componentes, diſtinguantur realiter inter ſe, fit vt totum eſſentiale diſtinguatur à ſingulis partibus realiter, quia includit vnam partem diſtinctam realiter, quam non includit alia. Si verò totum exiſtentiale comparetur ad omnes partes, aggregatim ſumptas, fit

3. Secunda concluſio, Totum exiſtentiale cum toto eſſentiali, in aliquo conuenit, & in aliquo differt, conuenit quidem, quia vtrumque totum diſtinguitur à partibus aggregatim ſumptis inadæquatè ſicut includens, & incluſum, quia totum præter partes includit vnionem tanquam de conceptu totius; at verò partes ſumptæ aggregatim non includunt vt ſic vnionem.

Quòd ſi dicas, eſt impoſſibile, vt detur exiſtentia & non includat vnionem; quia vnio identificatur cum exiſtentia: quare etiamſi eſſentia & exiſtentia ſumantur aggregatim; adhuc includunt vnionem. Reſpondetur, quidquid ſit, an poſſint dari eſſentia & exiſtentia aggregatim ſumptæ; nam cùm exiſtentia ſit modus, neceſſariò debet modificare eſſentiam, & conſequenter facere vnum totum exiſtentiale per ſe cum eſſentia. Dico tamen, quòd

A ſi poſſet dari iſte caſus; tunc aliquid includeret totum exiſtentiale, quod non includunt partes aggregatim ſumptæ; quamuis enim exiſtentia ſemper habeat ſibi identificatam vnionem, non tamen in iſto caſu, ſi dari poſſet, exerceret actum vniendi, nec conſequenter eſſet de conceptu totius exiſtentialis, conuenit igitur totum eſſentiale reſpectu partium aggregatim ſumptarum cum toto exiſtentiali, quatenus neutrum includit vnionem tanquam de conceptu totius, ſeu quoad exercitium vniendi.

Differt verò totum exiſtentiale à toto eſſentiali, quia totum exiſtentiale à partibus aggregatim ſumptis, non diſtinguitur à parte rei, ſed tantùm ratione ratiocinata: at verò totum eſſentiale diſtinguitur
B à parte rei à partibus aggregatim ſumptis. Et ratio diſparitatis eſt, quia totum eſſentiale præter partes aggregatim ſumptas includit vnionem diſtinctam à parte rei à partibus: at verò totum exiſtentiale præter partes includit vnionem identificatam cum exiſtentia, quæ quidem exiſtentia eſt pars totius exiſtentialis, quia vt dictum eſt, modus non vnitur cum re modificata per vnionem diſtinctam, ſed vnitur per vnionem ſibi identificatam, vt fuſiùs dicetur in quæſtione quarta.

Si verò totum exiſtentiale comparetur ad partes ſimul vnitas, de quo eſt præcipuè præſens quæſtio, tunc fit

Tertia concluſio ſecundùm illos, qui tenent 4. Tertia concluſio.
C totum eſſentiale non dicere tertiam entitatem diſtinctam à partibus ſimul vnitis. Eſt paritas cum toto exiſtentiali, quia nec totum eſſentiale, nec totum exiſtentiale dicunt tertiam entitatem diſtinctam.

Quòd autem totum eſſentiale non dicat tertiam entitatem, eſt opinio valde probabilis, tum quia in homine non poſſet aſſignari cur hæc tertia entitas, potiùs ſit ſpiritualis, quàm corporea; tum quia in Chriſto hæc tertia entitas fuiſſet corrupta, & tamen ſecundùm Patres nunquam amiſit, quod ſemel aſſumpſit; tum tertiò, quia hæc tertia entitas eſſet fruſtrà, propriæ enim operationes, vt ſentire, & ratiocinari tribuuntur ita commodè ipſis partibus ſi-
D mul vnitis, ac toti.

Nec obſtat, quòd aliqua prædicata non poſſint tribui ipſis partibus ſimul vnitis, ac toti, ex. gr. non bene dicitur animam, & corpus ſimul vnita generari, & corrumpi, bene autem dicitur hominem generari, & corrumpi, non inquam obſtat, quia ſecundùm rem idem eſt, & ſolùm eſt differentia ſecundùm modum ſignificandi, certum eſt enim ſecundùm rem, vnionem tantùm corrumpi, & generari in homine, & hoc ſignificatur, cùm dicitur hominem ſubſtantialiter corrumpi vel generari; quod quidem, quia non eodem modo ſignificatur, cùm dicitur (corpus, & animam ſimul vnita, generari, vel corrumpi,) potiùs enim ſignificatur ſecundùm
E noſtrum modum concipiendi ipſas partes ſecundùm ſubſtantiam generari, vel corrumpi, ideo non eſt bonus modus loquendi hîc ſicut ibi.

Quòd autem totum exiſtentiale, non dicat tertiam entitatẽ diſtinctam, probatur peculiari ratione. 5.
Et primò aliqui probant, quia daretur proceſſus in infinitum in his tertiis entitatibus, nam hæc tertia entitas reſultaret vbicumque ſunt partes compoſitæ ex eſſentia & exiſtẽtia; huiuſmodi autem partes ſunt infinitæ, ſupponitur enim totum eſſe extenſum, & conſequenter habere partes infinitas proportionales. Hæc autem ratio non militat in toto eſſentiali, quia in hoc toto tertia entitas reſultat ex tota materia adæquatè, & non ex hac, & illa particula; eſt enim,

Digitized by Google

enim, inquit Ariſtoteles, anima actus corporis phyſici organici.

Sed hæc ratio quamuis probabilis ſit, non tamen ſatis probat, nam poſſet dici, quod hæc tertia entitas, quamuis foret materialis, eſſet tamen indiuiſibilis, ſicut in ſimili dicit S.Thom. de anima equi, & ſic ceſſaret abſurdum, eſſet enim vna ſimplex tertia entitas, tota in toto, & tota in qualibet parte. Vel ſecundò poteſt dici, quòd eſt diuiſibilis, & compoſita ex partibus proportionalibus infinitis, & fortè heterogeneis, quæ ſimul vnitæ faciunt vnam tertiam entitatem, ſicut dicitur de ipſis partibus integrantibus.

S.Thom.

6. Probatur igitur efficaciùs ſecundò, Si daretur hæc tertia entitas diſtincta, ſequeretur, quòd haberet propriam exiſtentiam, ergo componeret cum illa; reſultaret igitur alia tertia entitas, & ſic in infinitum, nam quælibet tertia entitas haberet ſuam propriam exiſtentiam diſtinctam; ſi enim entitas eſt diſtincta à partibus, ergo etiam, & exiſtentia, quia exiſtentia eſt modus ipſius entitatis, per quem entitas ſit actualis extra cauſas ſecundùm eſſe exiſtentiæ; Hæc autem ratio non ita vrget in toto phyſico eſſentiali, quia tertia entitas in hoc toto eſſentiali, quatenus eſt diſtincta à partibus ſimul vnitis, eſt ſimplex, & conſequenter non componitur vt ſic ex materia, & forma; Quare non opus eſt, vt reſurgat alia tertia entitas in toto eſſentiali, ſicut dicebamus de toto exiſtentiali.

7. Dubium circa totum exiſtentiale. Sed circa hanc concluſionem, dubium occurrit, Si in toto exiſtentiali non datur hæc tertia entitas diſtincta à parte rei à partibus, non videtur, quomodo hoc totum exiſtentiale diſtinguatur à partibus ſimul vnitis, non enim poteſt dici quòd diſtinguatur à parte rei formaliter, quia hoc totum nihil includit diſtinctum à parte rei, quod non includant partes ſimul vnitæ, ſicut etiam idem dicitur propter eandem rationem de toto eſſentiali, nec poteſt dici, quòd diſtinguatur ratione ratiocinata, nam tunc nulla eſſet differentia inter diſtinctionem totius exiſtentialis à ſuis partibus aggregatim ſumptis, & diſtinctionem eiuſdem totius à ſuis partibus ſimul per ſe vnitis, quia, vt dictum eſt ſuprà, totum exiſtentiale à ſuis partibus aggregatim ſumptis diſtinguitur etiam ratione ratiocinata; Quæ quidem difficultas non militat in toto eſſentiali, quia totum eſſentiale à partibus aggregatim ſumptis diſtinguitur, vt dictum eſt, à parte rei, includit enim totum eſſentiale vnionem diſtinctam à parte rei à partibus quam non includunt partes aggregatim ſumptæ; at verò totum exiſtentiale non dicit hanc vnionem diſtinctam à partibus, nam vnio identificatur cum exiſtentia, quæ eſt vna pars, partes igitur aggregatim ſumptæ, dicunt etiam hanc vnionem.

8. Solutio. Reſpondetur ad dubium, quòd totum exiſtentiale à partibus ſimul vnitis, diſtinguitur tantùm ſecundùm diuerſum modum concipiendi, ſicut etiam totum eſſentiale; Ex quo diuerſo modo concipiendi oritur, vt cauſare tribuatur partibus ſimul vnitis, non tamẽ tribui poſſit toti: A partibus verò aggregatim ſumptis, diſtinguitur aliquo modo ratione ratiocinata, quia quamuis illæ partes includant vnionem, quia vnio identificatur cum vna ex partibus, ſcilicet cum exiſtentia, tamen re vera illa vnio, quæ identificatur cum exiſtentia (ſi poſſet dari exiſtentia abſque eo, quòd informet eſſentiam,) non exerceret actum vniendi, ſicut exercet cùm concipiuntur partes vnitæ, ſed in hoc adhuc differret totum eſſentiale à toto exiſtentiali, vt dictum eſt, quia totum eſſentiale includit vnionem diſtinctam à parte rei, quam non includunt partes aggregatim ſumptæ, quia vnio non identificatur cum materia & forma quæ ſunt partes totius eſſentialis, ſed eſt diſtincta ab vtraque vt hic ſupponitur, & dicetur infrà in quarta diſputatione.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm exiſtentia componatur ex gradibus metaphyſicis ſicut eſſentia.

PRIMA ſententia eſt Ægidij quodl. 2. q. 1. quem ſequitur Suar. in met. diſp. 31. aſſerentium exiſtentiam habere gradus metaphyſicos ſicut habet eſſentia. 1. Prima ſententia. Ægid. Suar.

Probatur primò, quia exiſtentia nihil eſt aliud à parte rei, niſi ipſa eſſentia actualis, per ipſam enim exiſtentiam, eſſentia ſit actualis etiam in eſſe eſſentiæ, eſſentia enim ante exiſtentiam ſolùm habebat eſſe potentiale in cauſa; Si ergo in vna eſſentia ſunt gradus metaphyſici, quorum vnus eſt contrahibilis alter contrahens, erunt etiam iſti gradus in exiſtentia. Primum argumentum.

Secundò probatur, etiamſi teneatur eſſentiam ex ſe habere eſſe actuale eſſentiæ ab æterno, adhuc in ipſa exiſtentia debent dari gradus, quia vt arguit Ægid. quodl. 2. q. 1. exiſtentiæ diſtinctarum ſpecierum, diſtinguuntur ſpecie, & diſtinctorum generum diſtinguuntur genere, tum quia exiſtentia proportionatur eſſentiæ, tum quia actus eſt qui diſtinguit; exiſtentia autem eſt magis actus quàm eſſentia, ergo etiam exiſtentiæ diſtinctorum graduum eiuſdem eſſentiæ debent eſſe diſtinctæ. Secundum argumentũ.

Probatur conſequentia, quia exiſtentia quatenus facit vnum gradum eſſentiæ extra cauſas, & quatenus facit alium gradum eiuſdem eſſentiæ extra cauſas, habet diuerſos conceptus partiales; Sicut igitur in ipſa eſſentia ſunt diuerſi conceptus partiales eſſentiales, ita etiam in exiſtentia, quia quælibet exiſtentia partialis debet proportionari ſuo gradui, cuius eſt actus. Sicut igitur gradus ſuperior habet diuerſum conceptum à gradu inferiori, ita etiam exiſtentia partialis, per quam gradus ſuperior fit actu, debet habere diuerſum conceptum ab alia exiſtentia partiali, per quam gradus inferior fit actu, quare vnus gradus exiſtentiæ debet eſſe contrahibilis, & alter contrahens, ſicut dicitur de gradibus eſſentiæ.

Secunda ſententia verior, & tenenda; eſt Ferrarienſis 2. contra Gent. cap. 51. & videtur communis Thomiſtarum cum S. Thom. ibidem aſſerentium exiſtentiam non habere gradus metaphyſicos ſicut habet eſſentia, ſed eſſe vnam rem ſimplicem, quæ non poteſt diuerſificari per diuerſos gradus metaphyſicos ſicut diuerſificatur eſſentia. 2. Verior ſententia. Ferr.

Sed nota quòd hîc non eſt quæſtio, an eſſentia, & exiſtentia habeant gradus diſtinctos à parte rei, ſed quod quæritur eſt, an ſicut in eſſentia ſunt gradus metaphyſici ſiue diſtincti, ſiue per conceptum, ita etiam poſſint ſaltem per conceptum diuerſificari iſti gradus in exiſtentia, & reſponſum eſt in ſecunda ſententia, quòd non. 3. Notandum.

SOLET hæc ſecunda ſententia probari ab aliquibus primò ex eo quia exiſtentia eſt vltima actualitas, vt cõmuniter tenent Philoſophi, & Scholaſtici cum S.Thom. in 1. p. q. 15. art. 4. Ægid. quodl. 1. q. 7. & quodl. 2. q. 1. Erueo de vnitate formarum q. 5. 4. Prima ratio pro hac ſententia. S.Thom. Ægid. Eru.

Digitized by Google

Alenſ. Ferrar. q.5. Alenſ. 5. m. t. 74. Ferrarienſ. 1. contra Gent c. 25. A

Quòd ſi exiſtentia haberet gradus metaphyſicos, ſequeretur quòd exiſtentia non eſſet vltima actualitas, nam exiſtentia gradus ſuperioris eſſet in potentia ad exiſtentiam gradus inferioris, ac proinde exiſtentia gradus ſuperioris non eſſet vltima actualitas.

Refellitur hæc prima ratio. Ægid. Sed hæc ratio non eſt efficax, poſſet enim dici primò cum Ægidio quodl. 1. q. 1. quòd exiſtentia eſt vltima actualitas reſpectu ipſius gradus ſuperioris, nam vltimò actuat illum ad contractionem. Secundò dici poſſet & meliùs, quòd exiſtentia cōpleta vſque ad gradum vltimum indiuidualem, ſit vltima actualitas eſſentiæ completæ, quatenùs, ſcilicet, complet eſſentiam in actu primo ad recipiendum omnes alias actualitates, & accidentia; & etiam exiſtentia accidentis eſt vltima actualitas reſpectu accidentis, quatenus facit illud receptibile paſſiuè in actu primo, vt poſſit, ſcilicet, recipi in eſſentia exiſtenti.

5. Secunda ratio verior. Secundò igitur probatur efficaciter, quia exiſtentia vt exiſtentia, nihil eſt aliud, quàm ratio conſtituendi actu naturam extra cauſas ſuas; quæ quidem ratio conſtituendi conſiſtit in indiuiſibili; non igitur poteſt contrahi per differentias diuerſas eſſentialiter. Probatur conſequentia, nam contrahens ſecundùm Ariſtotelem non ſolùm debet eſſe intra latitudinem contrahibilis, ſed addere aliquid diuerſum ſupra contrahibile, ſicut fixio pedum, addit ſupra pedelitatem in communi fixionem. Probatur Antecedens, quia differentia inferior exiſtentiæ, nihil addit diuerſum ſupra exiſtentiam, nam ſub quacunque reduplicatiua, nihil eſt aliud, quàm ratio conſtituendi rem extra cauſas ſuas, & ſi quid aliud dicit, pertinet illud potiùs ad eſſentiam rei, quam conſtituit, & conſequenter non poteſt ſecundùm illud contrahere, quia non eſt intra latitudinem exiſtentiæ. (Ariſtot.)

Quòd ſi dicas eſſe, In, & eſſe, Per ſe, ſunt differentiæ, contrahentes ſeu modificantes exiſtentiam, quia ſupra exiſtentiam addunt talem modum exiſtendi, & tamen non ſunt intra latitudinem exiſtendi ſeu ponendi rem extra cauſam, ſed potiùs ſupponunt. Reſpondetur negando, in, & per ſe, eſſe differentias, ſeu modos exiſtentiæ, ſunt enim potiùs differentiæ naturæ, ſeu eſſentiæ, eſſentia enim accidentalis propter ſuam imperfectionem, dicit dependentiam à ſubiecto, quam non dicit ſubſtantia; Hæc autem dependentia vel non dependentia non habet rationem exiſtentiæ, quia non facit rem eſſe extra cauſas, ſed potiùs ſupponit rem extra cauſas, & tantùm dicit aliquod neceſſariò requiſitum ad hoc vt res ſit extra cauſas, non autem quidquid neceſſariò requiritur, pertinet ad conceptum exiſtentiæ, nam multa accidentia requiruntur ad hoc vt res exiſtat, quæ non propterea habent conceptum exiſtentiæ.

6. S. Thom. Et hæc eſt ſententia & ratio S. Thomæ ſecundo contra Gen. cap. 52. vbi dicit expreſsè, quòd eſſe, in quantum eſt eſſe, non poteſt eſſe diuerſum, ſed ſi, inquit, eſt diuerſum, diuerſificatur per aliquod quod eſt præter eſſe, ſicut eſſe lapidis, eſt aliud ab eſſe hominis, non propter diuerſum eſſe, ſeu exiſtere, ſed propter diuerſam naturam lapidis, & hominis, cum qua ipſum eſſe identificatur ſaltem realiter.

7. Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur falſum ſupponi, exiſtentiam dare eſſe actuale naturæ ſecundùm eſſe eſſentiæ, & omninò identificari à parte rei cum ipſa eſſentia; In prima enim quæſtione oſtendimus exiſtentiam diſtingui à parte rei ab eſſentia, & aduenire de nouo eſſentiæ tanquam priùs conſtitutæ in actu in eſſe eſſentiæ, & præterea etiam ſi concederetur exiſtentiam identificari cum eſſentia, adhuc negari poſſet inde inferri, exiſtentiam ſecundùm rationem formalem exiſtentiæ habere gradus metaphyſicos, ſicut habet eſſentia; ad ſummum enim probaret argumentum, exiſtentiam habere gradus metaphyſicos in ſenſu materiali, & identico, non autem in ſenſu formali.

Ad ſecundum reſpondetur, negando eandem conuenientiam, & diuerſitatem eſſe inter exiſtentias, ſicut eſt inter eſſentias: Et cùm inſtat primò Ægid. exiſtentiam debere eſſe proportionatam eſſentiæ, ergo ea diuerſitas debet eſſe inter exiſtentias, quæ eſt inter eſſentias, & eadem ſimiliter diuerſitas inter exiſtentias duorum graduum eiuſdem eſſentiæ, quæ eſt inter ipſos gradus. Reſpondetur cum S. Thom. loco citato, exiſtentias non diuerſificari ſicut eſſentias, quia exiſtentia proportionatur eſſentiæ creatæ, vt eſſentia creata eſt, & non vt eſt in tali ſpecie, ſicut à pari potentia viſiua eſt eadem in homine, & bruto, quia proportionatur animali vt animal eſt. Et cùm inſtat ſecundò, actus eſt qui diſtinguit, ſi ergo eſſentia diſtinguit, multò magis exiſtentia, quæ eſt magis actus. Reſpondetur verum eſſe, quòd actus eſt qui diſtinguit, ſi intelligatur de actu formali, qui opponitur potentiæ ſubiectiuæ, non autem de actu exiſtentiali, qui potiùs opponitur potentiæ obiectiuæ. Quòd ſi dicas, in Angelis non eſt actus formalis, ſed tantùm actus exiſtentialis, ergo ſaltem in exiſtentiis Angelorum eſt diuerſitas eſſentialis. Reſpondetur, fortè propter hoc argumentum Caiet. de ent. & eſſent. cap. 6. dixit in Angelis diuerſitatem ſumi per ordinem ad diuerſas exiſtentias: Sed hoc non eſt neceſſarium, nam quòd in ſubſtantiis materialibus facit ipſe actus formalis, qui perficit potentiam ſubiectiuam, in Angelis facit ipſe actus eſſentialis, qui perficit potentialitatem; Angelus enim, cùm non ſit actus purus, conſtat ex potentialitate eſſentiali, & actu eſſentiali, ſicut compoſitum materiale conſtat ex materia, & forma, tamquam partibus eſſentialibus.

(Margin: 8. Ad ſecundū. — Ægid. Inſtatur primò contra reſponſionem. — 9. S. Thom. Solutio. — Inſtatur ſecundò. — 10. Solutio. — Inſtatur tertio. — 11. Solutio. Caiet.)

QVINTA QVÆSTIO.

Vtrùm eſſentia poſſit exiſtere per diuinam potentiam exiſtentia alterius.

1. Prima ſententia. PRima ſententia tenet eſſentiam non poſſe exiſtere per alienam exiſtentiam. Hanc tenent ſatis congruenter præcipuè omnes illi, qui tenent eſſentias rerum nullum habere eſſe actuale eſſentiæ ante exiſtentiam, ſed tantùm eſſe potentiale in cauſa, fieri autem eſſentiam actualem etiam in eſſe eſſentiæ per exiſtentiam identificatam cum eſſentia; quam opinionem fusè retulimus ſuprà in prima diſputatione quæſtione prima.

Primum argumentum. Iſti autem Auctores probant hanc ſententiam primò; Non poteſt eſſentia conſeruari per alienam exiſtentiam, niſi priuetur propria, ſed non poteſt priuari propria quin deſtruatur eſſentia, identificatur enim cum illa, non poteſt igitur eadem eſſentia conſeruari per alienam exiſtentiam.

2. Secundum argumentum. Secundò, Id quod creatur, fit extra nihil, non poteſt autem fieri extra nihil per alienam exiſtentiam, quia exiſtentia identificatur cum eſſentia.

Præterea hanc eandem ſententiam tenent nonnulli ex illis, qui tenent eſſentias rerum habere eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, & conſequenter exiſten

Digitized by Google

exiſtentiam diſtiſtingui ab eſſentia.

3. Tertiũ argumentum. PRobant autem tertiò, Ad recipiendum alienam exiſtentiam requiritur ſubiectum exiſtens, Sed eſſentia quæ recipit alienam exiſtentiam, non poteſt concipi vt exiſtens, quia iam intelligitur priuata ſua propria exiſtentia.

4. Quartũ argumentum. QVartò, Si alterius exiſtentia communicaretur eſſentiæ, ſequeretur quòd nihil de nouo produceretur; nam eſſentia rei ſingularis non producitur, quia hoc, vt probauimus in prima quæſtione, eſt ab æterno, nec producitur exiſtentia, vt ſupponitur; ergo nihil abſolutum producitur, niſi forte vnio, quæ eſt quid relatiuum; ſed neque hoc dici poteſt, vt mox dicemus.

5. Quintũ argumentum. QVintò, Exiſtentia eſt modus intrinſecus conſtituens rem extra cauſas; ergo non poteſt ſuppleri per alienam exiſtentiam, ſicut nec homo poteſt fieri ſedens per aliam ſeſſionem.

6. Sextum argumentum. SExtò, Non poteſt eſſentia exiſtere exiſtentia aliena, niſi vniatur cum illa, nam cùm illa exiſtentia aliena non ſit modus illius eſſentiæ, non poteſt cum illa ſeipſa vniri, ſicut vnitur cum propria eſſentia, ſed implicat vnionem recipi in eſſentia ante exiſtentiam; nam, vt dictum eſt ſupra cum communi Philoſophorum, & Theologorum, exiſtentia eſt vltima actualitas reddens capacem ipſam eſſentiam ad recipiendum omnes alias actualitates, quæ ſunt veluti actus ſecundi reſpectu actualitatis exiſtentiæ, quæ eſt veluti actus primus.

7. Septimũ argumentum. SEptimò, Petreitas in Petro non poteſt ſeparari à Petro, cùm tamen non dicat nec vnionem eſſentialem, nec identitatem cum eſſentia; ergo nec propria exiſtentia poteſt ſeparari ab eſſentia, quamuis non ſit de quidditate illius, nec identificata cum illa. Quòd ſi dicas Petreitatem eſſe de eſſentia Petri, quamuis non ſit de eſſentia naturæ humanæ; Contrà inſtat Suar. etiam exiſtentia eſt de eſſentia eſſentiæ, vt eſſentia actualis eſt.

Suar.

8. Octauũ argumentum. OCtauò, Natura exiſtentiæ conſiſtit in actuali exercitio, ergo ſi eſſentia poſſit exiſtere per alienam exiſtentiam, ſequeretur, quòd illa aliena exiſtentia ſemper exerceret actum exiſtendi circa illam eſſentiam, quod eſt falſum.

9. Verior ſententia. COMMVNIOR tamen, & verior ſententia eſt Thomiſtarum, aſſerentium poſſe Deum conſeruare eſſentiam per alienam exiſtentiam, imò de facto dicunt humanitatem Chriſti exiſtere exiſtentia Verbi. Sed quidquid ſit de hoc, de quo dicemus infrà in corollariis, probatur hæc ſententia de poſſibili, hac ratione fundamentali.

Fũdamentũ. ∵ Exiſtentia, vt probatum eſt in prima quæſtione, diſtinguitur à parte rei ab eſſentia, & non eſt modus intrinſecus conſtituens eſſentiam in eſſe actuali eſſentiæ; Supponimus enim ex dictis in prima diſputatione, quæſt. prima, eſſentias rerũ ab æterno habere ſuum eſſe eſſentiæ reale actuale intrinſecum. Eſt igitur exiſtẽtia modus extrinſecus eſſentiæ; non igitur apparet repugnantia, cur non poſſit ſuppleri per potentiam Dei. Adde quòd Thomiſtæ dicunt materiam primam eſſe puram potentiam, & nullum habere actum entitatiuum intrinſecum, ſed exiſtere modò exiſtentia vnius formæ, modò alterius, ita vt exiſtentia formæ non ſolùm ſit conditio neceſſariò requiſita ad exiſtentiam materiæ, ſed ſit ratio formalis, ita vt per idem eſſe, vt dicunt veteres Thomiſtæ, per quod exiſtit forma, exiſtat etiam materia.

Et in hoc quidem caſu eſt maior difficultas quàm in caſu noſtro; nam in hoc caſu daretur mutua dependentia à priori, materiæ à forma, & formæ ma-

A teriali à materia tamquam à ſubiecto, quod quidem inconueniens non reperitur in caſu noſtro; ſupponimus enim vnam eſſentiam poſſe exiſtere per exiſtentiam alienam alterius eſſentiæ, quæ nullo modo dependeat ab illa eſſentia cui communicat ſuum eſſe.

Secundò probatur, Natura poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alienam, vt patet in humanitate Chriſti; ergo etiam poteſt exiſtere per exiſtentiam alienam, nam etiam ſubſiſtere ſecundùm aduerſarios eſt modus.

Tertiò probatur, quia nulla eſt repugnantia, vt patebit ex ſolutione argumentorum, ergo non eſt denegandum Deo.

B AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur; & ad primum & ſecundum dicitur, hæc argumenta fundari in illo principio, quòd exiſtentia identificetur à parte rei cum eſſentia, & quòd eſſentia habeat ſuum eſſe actuale eſſentiæ per exiſtentiam; quod quidem ſatis fusè ſupra confutauimus, tum in hac diſputatione quæſt. prima, tum in prima diſputatione, quæſtione etiam prima. 10. Reſpõſio ad primũ & ſecundum argumẽtum primæ ſententiæ.

AD tertium, Negatur quòd eſſentia recipiens exiſtentiam debeat ſupponi exiſtens, nam exiſtentia, vt dictum eſt ſuprà, eſt vltima actualitas, quæ conſtituit rem extra cauſas, & facit illam capacem aliarum actualitatum; Sicut igitur eſſentia, vt exiſtat propria exiſtentia, non requiritur vt ſit exiſtens, C ita etiam nec requiritur, ad hoc vt exiſtat aliena exiſtentia, quòd ſit exiſtens; nam exiſtentia, non ex eo quòd eſt aliena, amittit rationem vltimæ actualitatis, nec conceptum rationis formalis in conſtituendo rem extra cauſas; Nec obſtat, quòd ad recipiendum exiſtentiam alienam requiratur vnio in eſſentia, quæ non videtur poſſe recipi niſi in eſſentia exiſtenti, non, inquam, obſtat, quia vnio reciperetur in eodem inſtanti, in quo eſſentia actuaretur per alienam exiſtentiam, & eſſet poſterior, quàm exiſtentia in genere cauſæ formalis, quamuis eſſet prior in genere cauſæ materialis; Adde quòd poſſet etiam dici, quòd vnio recipiatur in ipſa exiſtentia. 11. Reſpõſio ad tertium.

D AD quartum reſpondetur, in illo caſu poſſe dici de nouo produci ens abſolutum; quia quamuis nihil producatur niſi vnio rei cum aliena exiſtentia, tamen ex hac vnione reſultat totum vnitum abſolutum, vt vnum, ſicut à pari, quia homo generans attingit intrinſecè vnionem materiæ cum anima rationali, quamuis neque producat materiam, neque animam, dicitur generare totum compoſitum, quod eſt abſolutum; quod eſt verum, etiamſi non produceret diſpoſitiones, quia hæ ſunt extra compoſitum ſubſtantiale; compoſitum enim ſubſtantiale, vt ſic, non includit niſi materiam, & formam ſimul vnitas. 12. Reſpõſio ad quartum.

E AD quintum negatur quòd exiſtentia ſit modus intrinſecus dans eſſe actuale intrinſecum eſſentiæ, ſupponimus enim eſſentiam illud habere ab æterno, ex dictis in prima diſputatione quæſt. prima; ſed eſt modus extrinſecus, ſicut eſt ſubſiſtentia quæ poteſt ſuppleri per alienam ſubſiſtentiam, & non ſicut ſeſſio, quæ non poteſt ſuppleri per alienam ſeſſionem, & ideo eſt modus intrinſecus. 13. Reſpõſio ad quintum.

AD ſextum patet ſolutio ex reſponſione ad tertium. Reſpõſio ad ſextum.

AD ſeptimum reſpondetur, vt ibidem dicitur, quòd Petreitas non poteſt ſeparari à Petro, quia eſt de cõceptu Petri. Ad inſtantiam verò, quæ ibi affertur, quòd etiam exiſtentia eſt de eſſentia eſſentiæ, vt actualis eſt: Reſpondetur negando, ſupponit 14. Ad ſeptimũ.

Digitized by Google

enim hæc inſtantia eſſentiam non habere ſuum eſſe eſſentiæ reale actuale intrinſecū ab æterno, ſed accipere eſſe actuale eſſentiæ per exiſtentiam; nos autem dicimus quòd etiam ſi exiſtentia ſepararetur ab eſſentia, remaneret adhuc eſſentia cum ſuo eſſe actuali intrinſeco. Secundò reſpondetur ſingularitatem identificari cum natura, quia non aduenit de nouo ſicut exiſtentia, ac propterea ſingularitas, vt Petreitas, non poteſt ſeparari à natura Petri, poteſt autem exiſtentia, quia eſt modus extrinſecus diſtinctus à parte rei ab eſſentia.

15. Reſpõſio ad octauum. Ad octauum reſpondetur quòd ſufficit, vt illa exiſtentia exerceat ſuum actum exiſtendi cum propria natura, ſicut vnio, quæ eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis in homine, non ſemper exercet actum vniendi cum omnibus partibus, quas poteſt vnire, ſed ſufficit, vt exerceat actum vniendi cum aliquibus partibus, & eadem poſtea, cùm aduenjunt nouæ partes per nutritionem, vnit cum aliis partibus.

SEXTA QVÆSTIO.

Vtrùm exiſtentia ſit accidens eſſentiæ.

1. Prima ſententia. Algazel. Auic. Zimar. S. Hilar. Prima ſententia Algazel. 1. ſuæ philoſophiæ, & Auicennæ apud Zimaram in tabula verbo (eſſe) & illorum Doctorum qui tenent durationem non diſtingui ab exiſtentia: Inter Theologos videtur fuiſſe opinio. S. Hilarij 8. de Trinit. aſſerentium exiſtentiam creatam eſſe accidens eſſentiæ.

2. Verior ſententia. Alenſ. Capr. Caiet. Eru. Ægi. S. Tho. Commvnior tamen ſententia eſt in oppoſitum Alenſ. 3. m. 14. Capr. in 1. diſt. 8. q. 1. conc. 3. Caiet. de ente & eſſent. cap. 2. q. 11. Eru. de vnitat. form. q. 8. Ægid. quodl. 2. q. 1. S. Thom. de pot. quæſtione 3. ar 1. ad 2. Scoti in 2. diſt. 8 q. 1.

3. Reſolutio. Prima concluſio. Circa hanc quæſtionē eſt diſtinguendum; nam vel loquimur de accidenti quinto prædicabili ſeu metaphyſico, & tunc ſit prima concluſio, iuxta hunc ſenſum: Exiſtentia creata aliquo modo eſt accidens quinti prędicabilis ipſius eſſentiæ creatæ; ad accidēs enim quinti prædicabilis reducuntur ea omnia, vt bene aduertit Caiet. (Caiet.) quæ ſunt extra eſſentiam rei, & poſſunt adeſſe, & abeſſe pręter rei corruptionem; Exiſtentia autem non eſt de quidditate eſſentiæ, & poteſt adeſſe & abeſſe præter eſſentiæ corruptionē, nā vt probatum eſt in prima diſputatione q. prima, eſſentiæ rerum habent eſſe eſſentiæ, ſeu quidditatiuum actuale reale ab æterno. Quare exiſtentia reducitur ad accidens quinti prædicabilis, & hoc modo ſola exiſtentia increata non eſt accidens, quia ſola illa eſt de eſſentia Dei; Et iuxta hunc ſenſum interpretandus eſt S. Hilar. (S. Hilar.) 8. de Trinit. vbi dicit eſſe exiſtentiæ tantùm in Deo non eſſe accidens, ſed ſubſtantialem veritatem; ita etiam interpretandus eſt Algaz. (Algaz.) 1. ſuæ philoſophiæ, ibi enim dicit, quòd eſſe in creaturis ſit accidens, quatenus (inquit) non eſt quidditatiuum creaturæ; & iuxta etiam hunc ſenſum eſt interpretandus S. Tho. (S. Thom.) in quodl. 2. q. 2. ar. ·. ad 2. cùm ait exiſtere in creaturis eſſe accidens, quatenus exiſtere eſt actualitas ſubſtantiæ, quæ ſupponitur iam completæ ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum.

4. Secūda concluſio. Si verò loquamur de accidente prædicamentali, ſit ſecunda concluſio, Exiſtentiam, ſiue ſit accidentis, ſiue ſubſtantiæ, non eſſe accidens prædicamentale. Probatur primò (Prima ratio.), quia accidens ſupponit ſubiectum exiſtens, quia ab illo dependet in exiſtendo: at exiſtentia non ſupponit eſſentiam exiſtentem, à qua tamquam à ſubiecto dependeat, ſed potiùs facit rem exiſtentem. Secundò (Secunda ratio.) probatur, quia accidens dat à parte rei eſſe ſubiecto ſecundùm quid, exiſtentia verò dat eſſe ſimpliciter. Tertiò (Tertia ratio) probatur peculiariter in ſubſtantia, quia ſubſiſtentia non eſt accidens ſubſtantiæ, vt patet ex vnione Verbi cum natura humana, Ergo nec exiſtentia eſt accidens ſubſtantiæ, præſertim cùm ſit magis intrinſeca ſubſtantiæ, quàm ſit ſubſiſtētia, conſtituit enim ſubſtantiam in eſſe perfectiſſimo dando illi eſſe ſimpliciter extra ſuas cauſas.

5. Tertia concluſio. Alenſ. S Thom. Scotus. Tertia concluſio. Dico cum Alenſ. S. Thom. & Scoto locis citatis, exiſtentiam, quatenus eſt modus, eſſe reductiuè ad idem prædicamentum, in quo eſt eſſentia, quia eſt modus eſſentiæ conſtituens illam in ſtatu perfectiſſimo, ſicut intenſio in qualitate eſt reductiuè ad idem prædicamentum, quia eſt modus intrinſecus.

6. Dubium circa tertiā cōcluſionē. Vaſq. Sed hìc occurrit dubium, nam ſecundùm multos Philoſophos, quos ſequitur Vaſq. 1. p. diſp. 33. exiſtentia non diſtinguitur à duratione; at duratio eſt directè in prædicamento Quantitatis, quod eſt accidens. Et probatur ratione eiuſdem, quia ſecluſo omni alio à ſubſtantia, & remanente ſola exiſtentia, datur permanentia in eſſe; hæc autem permanentia eſt duratio, ergo exiſtentia eſt duratio.

7. Reſpondeo dupliciter, Primò quòd duratio diſtinguitur à parte rei ab exiſtentia, vt in priori tomo probatum eſt, & patet in motu ſucceſſiuo; poſſunt enim acquiri eædem partes ſpatij per vnam horam, & eædem per quadrantem; diſtinguitur igitur duratio ab acquiſitione. Secundò reſpondeo, quòd etiamſi duratio ſit idem à parte rei cum exiſtentia, non tamen eſt idem ſecundùm conceptum formalem, nam ratio exiſtentiæ eſt ratio formaliter conſtituens rem extra ſuas cauſas; ratio verò durationis eſt ratio permanentiæ in eſſe rei iam conſtitutæ extra cauſas; Et confirmatur, quia in illo inſtanti in quo res producitur, eſt exiſtentia, & non eſt duratio, quia non eſt permanentia in eſſe. Quare exiſtentia ſecundùm ſuum conceptum formalem non eſt in eodem prædicamento, in quo eſt duratio, ſed potiùs eſt reductiuè ad idem prædicamentum, in quo eſt eſſentia, vt dictum eſt. Et hæc ſufficiant de eſſe exiſtentiæ, nunc agendum eſt de eſſe ſubſiſtentię, ſeu ſuppoſiti.

DISPVTA

Digitized by Google

DISPVTATIO TERTIA
DE ENTE SVBSTANTIALI, SEV SVPPOSITO.

In hac diſputatione ſunt vndecim quæſtiones.

I. *Vtrùm ſuppoſitum ſeu ſubſiſtentia ſupra naturam addat negatiuum, vel poſitiuum.*
II. *Quæ ſit ratio formalis ſubſiſtentiæ, & quis eius effectus formalis.*
III. *Vtrùm natura poſſit conſeruari per diuinam potentiam ſine aliqua ſubſiſtentia, ſiue propria, ſiue aliena.*
IV. *An ſubſiſtentia afficiat naturam iam exiſtentem, vel ſit prior in aliquo ſigno, quàm ipſa exiſtentia.*
V. *Vtrùm natura ſuppoſitata aliena ſubſiſtentia habeat appetitum ad propriam.*
VI. *Vtrùm in compoſito ſit vna ſimplex ſubſiſtentia, vel vna compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis.*
VII. *Vtrùm ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia diſtinguatur à natura.*
VIII. *Vtrùm ſubſiſtentia intrinſecè conſtituat ſuppoſitum.*
IX. *Vtrùm ſubſiſtentia verè componat cum natura.*
X. *Vtrùm ſubſiſtentia fluat à natura, vbi agitur, An actiones ſint ſuppoſitorum.*
XI. *Quod ſit diuiſum, cùm diuiditur ſubſtantia in primam & ſecundam.*

PRIMA QVÆSTIO.

Vtrùm ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum ſupra naturam addat ſolùm negationem vel rationem poſitiuam realem.

PRIMA SENTENTIA.

1. Varij modi explicandi hanc primã ſententiam.

SENTENTIA eſt multorum aſſerentium ſuppoſitum ſupra naturam non addere niſi negationem; In hac tamen ſententia ſunt varij modi dicendi, & explicandi.

Primus modus. Scot. Baſſol.

Primus dicendi modus eſt Scoti (quamuis Lychetus dubitet de mente Scoti) in 3. diſtinct. 1. q. 1. & in 1. d. 23. & quodl. 19. art. 1. Baſſol. in 3. diſtinct. 5. q. 3. aſſerentium, ſuppoſitum ſupra naturam addere duplicem negationem dependentiæ, actualis ſcilicet, & aptitudinalis. Pro cuius opinionis explicatione

Notandum eſt in doctrina Scoti triplicem eſſe dependentiam, aliam actualem, aliam aptitudinalem, & tertiam potentialem: Actualis eſt, inquit Scotus, cùm aliqua natura ſubſtantialis actu dependet ab aliquo cui innititur; & hanc actualem dependentiam habet humanitas Chriſti à Verbo: Aptitudinalis eſt, cùm natura, quamuis actu non dependeat, neque coniungatur cum alio, habet tamen inclinationem, vt cum illo coniungatur, & hanc aptitudinalem habet anima rationalis, quia eſſentialiter eſt pars entis integri: Potentialis eſt cùm aliqua natura poteſt dependere ab aliquo, cui innititur, ita tamen, vt ad id nullam habeat naturalem propenſionem, ſed tantùm non repugnantiam, & hanc habet omnis natura creata, quia non repugnat per diuinam potentiam poſſe niti alio. His poſitis dicit Scotus & alij citati, ſuppoſitum ſupra naturam addere duplicem negationem dependentiæ, actualis ſcilicet, & aptitudinalis, non autem potentialis; Ex defectu igitur prioris negationis in Chriſto non eſt ſuppoſitum, quia actualiter dependet à ſuppoſito diuino: ex defectu verò ſecundæ negationis, anima rationalis non eſt ſuppoſitum, quia habet propenſionem, vt vniatur materiæ.

2. Secundus modus. Ioann. de Neap.

Secundus modus eſt Ioannis de Neapoli quodl. 19. apud Caietanum exiſtimantis, ſuppoſitum addere ſupra naturam vnam tantùm negationem extrinſeci poſitiui, cui natura intrinſece vniatur, vt ab ea ſuſtentetur.

3. Tertius modus. Bonauent. Marſil.

Tertius modus explicandi eſt aliquorum apud Ocham in 1. d. 23. q. vnica, & videtur Bonauen. in 3. d. 5. art. 2. quæſt. 2. Marſil. q. 1. art. 1. dubit. 1. & Albert. d. 6. art. 2. Iſti Doctores conueniunt cum primo & ſecundo modo dicendi, quatenus dicunt ſuppoſitum ſupra naturam addere tantùm negationem; Differunt tamen in modo explicandi hanc negationem, nam volunt ſuppoſitum dicere negationem duplicis communicabilitatis, quarum altera eſt communicabilitas naturæ vniuerſalis, quæ communicatur vna, & eadem pluribus inferioribus; altera eſt formæ, exem. gra. animæ, quæ communicatur materiæ, per cuius communicationem compoſitum eſt id, quod eſt viuens, non tamen eſt illa res quæ communicatur, quæ eſt anima: Quare hic homo eſt ſuppoſitum, quia nec eſt vniuerſalis, nec eſt pars.

4. Quartus modus. Gabr.

Quartus modus eſt Gabrielis in 3. d. 1. quæſt. 1. Iſte auctor conuenit cum Scoto, quòd, ſcilicet, ſup-

poſitum ſupra naturam non addat aliquod poſiti- A uum, ſed tantùm negatiuum; Dicit tamen contra Scotum, non ſolùm addere illam duplicem negationem dependentiæ ab alio, ſcilicet, aptitudinalis, & actualis, ſed etiam duas alias, quarum altera eſt inhærentiæ alteri, ſiue actualis, ſiue aptitudinalis: & per hanc excluditur accidens etiam ſeparatum à ſubiecto: altera verò eſt negatio conſtituendi cum alio, aliquod vnum, quam negationem, quia non dicit eſſentia diuina, etiam ſi ponatur habere ſubſiſtentiam abſolutam; conſtituit enim vnum ens cum Patre, &c. ideo quamuis ſit ens integrum, non dicitur ſuppoſitum.

Ocham. Hanc ſuam opinionem Gabriel colligit ex definitione ſuppoſiti, quam tradit Ocham d. 23. q. B vnica, quæ talis eſt: Suppoſitum, inquit, eſt ens completum non conſtituens aliquod ens vnum, non natum alteri inhærere, nec ab alio ſuſtentari; Dicitur primò (Ens completum) per quod ſignificatur negatio communicabilitatis per modum partis, & per hanc particulam excluduntur partes integrales, quæ dum actu conſtituunt totum, non ſunt entia completa; excluduntur etiam partes eſſentiales, vt materia, & forma, quæ ſiue actu componant totum, ſiue non, nunquam ſunt entia integra: Dicitur ſecundò, (Non conſtituens aliquod vnum,) per quam particulam excluditur eſſentia diuina, etiamſi ponatur habere ſubſiſtentiam abſo- C lutam, quia quamuis ſit ens integrum, tamen conſtituit vnum ens, ſcilicet, Patrem, &c. excluditur etiam conſtitutum ex eſſentia & ex ſpiratione actiua, quia poteſt conſtituere vnum cum paternitate, & filiatione: excluditur etiam quælibet relatio in diuinis, quia poteſt conſtituere vnum cum eſſentia. Dicitur tertiò (Non natum alteri inhærere) per quod ſignificatur negatio aptitudinis, vt vnum poſſit inhærere alteri, & per hoc excluditur accidens, etiam ſi per potentiam diuinam ſeparatum exiſtat. Dicitur quartò, (Nec ab aliquo alio ſuſtentari) per quod ſignificatur negatio actualis ſuſtentationis ab aliquo, ac propterea natura humana in Verbo non dicitur ſuppoſitum.

5. Punctum principale in quo conueniũt omnes authores huius primæ ſententiæ. Sed quicquid ſit de iſtis variis modis explican- D di hanc primam ſententiam, omnes auctores citati conueniunt, ſuppoſitum ſupra naturam non addere aliquam rationem poſitiuam, ſed tantùm negatiuam, & probant Theologicè, & Philoſophicè. Theologicè quidem ſic.

6. Primum argumentum huius primæ ſententiæ. Damaſ. Leo Papa. Primò, Si ſubſiſtentia eſſet aliquod poſitiuum, Verbum non aſſumpſiſſet omnes proprietates naturæ, quia non aſſumpſiſſet hanc poſitiuam ſubſiſtentiam contra Damaſcenum 10. de fide cap. 6. Totum, inquit, aſſumpſit, totum toti vnitum eſt, vt toti ſalutem afferet: Quod enim, inquit, eſt inaſſumpſibile, eſt incurabile: Eſt etiam contra S. Leonem ſer. 8. de Natiuit. Fuiſſe (inquit) vnionem ſeruatis omnibus proprietatibus, vt quidquid eſt hominis non E ſit à diuinitate diuerſum.

7. Secundum argumentũ. Secundò ſequeretur ſubſiſtentiam humanam fuiſſe conuerſam in perſonam Verbi; Sicut enim dicitur ſubſiſtentia panis conuerſa in corpus Chriſti, quia deſinit eſſe ex vi præſentiæ corporis Chriſti: ita quia ſubſiſtentia humana deſinit eſſe ex vi præſentiæ hypoſtaticæ Verbi, dicetur conuerti in perſonam Verbi: ſed hoc exiſtimatur communiter abſurdum.

8. Tertium argumentum. Tertiò ſequeretur, quòd natura humana in Chriſto eſſet violenter in Verbo, nam ſemper haberet inclinationem, & appetitum ad propriam perſonalitatem, ſicut ſi eadem natura careret intellectu, & voluntate, ſemper diceret inclinationem ad illã; Quòd autem natura humana perpetuò violentetur in Chriſto dicit imperfectionem; ergo dicendum eſt, quòd non addat aliquod poſitiuum.

9. Quartum argumentũ. Quartò ſequeretur, quòd humanitas Chriſti non haberet omnem perfectionem, quam nos habemus, quia non haberet illam entitatem poſitiuam, quæ ſecũdùm D. Thomam eſt vltima, & actualiſſima perfectio.

10. Quintum argumentũ. Probatur prætereà quintò Philoſophicè ex Ariſtot. 7. Met. tex. 21. vbi ait, quòd quidditas eſt idem cum re, cuius eſt quidditas; & tex. 29. inquit, quòd quidditas in his oſſibus & carnibus eſt Socrates; ergo natura, quæ nihil aliud eſt, quàm quidditas, eſt idem, ac ſuppoſitum, cuius eſt quidditas: Non igitur ſubſiſtentia eſt aliqua ratio poſitiua, præter ipſam naturam.

11. Sextum argumentum. Sextò. Suppoſitum debet intelligi conſtitutum ante quemcumque modum, & paſſionem naturæ, omnis enim proprietas adueniens naturæ, eſt propria ſuppoſiti; ergo ratio ſuppoſiti debet intelligi ante exiſtentiam, quæ eſt modus naturæ: non poſſet autem intelligi, ſi eſſet ratio poſitiua, quia quæcumque ratio poſitiua adueniens naturæ, ſupponit exiſtentiam.

12. Septimum argumentũ. Septimò. Natura poteſt conſeruari à Deo ſine termino ſubſiſtentiæ, & tamen adhuc haberet negationem communicabilitatis, ſeu vnionis cum alio, & diceretur eſſe ſeorſim, & per ſe; ergo hæc negatio communicabilitatis conſequitur immediatè ipſam naturam, cùm non oriatur ex poſitiua ſubſiſtentia.

VERIOR SENTENTIA.

13. Tenenda tamen eſt ſententia communis Theologorum, ſubſiſtentiam, ſeu ſuppoſitum addere ſupra naturam rationem realem rationem quandam poſitiuam. An autem hæc ratio ſit identificata cum natura, vel diſtincta à parte rei, infrà examinabimus. Ita tenet Henricus quodl. 3. q. 3. Ægidius in tract. de compoſitione Angelorum q. 5. Caietan. 3. p. q. 4. art. 2. Capr. in 3. d. 5. q. 3. Argentina in 3. d. 3. q. 1. art. 1. Durandus in 1. d. 3. q. 1. S. Thomas 1. p. q. 3. art. 3. & q. 29. art. 2. & 3. p. q. 2. & 4. & q. 4. art. 5. & 4. contra Gentes cap. 65. & eſt communis recentiorum Iauelli 7. Met. q. 27. Suar. in Met. diſp. 34. & aliorum. Henricus. Ægidius. Caietanus. Capreolus. Argentina. Durandus. S Thomas. Iauellus. Suarius.

14. Rationes theologicæ pro hac ſententia. Prima ratio. Hæc ſententia communiter probari ſolet argumentis Theologicis. Primò duæ naturæ in Chriſto vnitæ ſunt ſecundùm ſubſiſtentiam & non ſecundùm naturam, vt conſtat ex fide. Sed non ſunt vnitæ ſecundùm aliquam rationem negatiuam, quia ratio negatiua non poteſt eſſe vinculum duarum naturarum; ergo ſuppoſitalitas, quæ communicata eſt naturæ humanæ eſt aliquid poſitiuum; ergo etiam ſuppoſitalitas propria creata, quia Verbum ſupplet ſuppoſitalitatem propriam humanitatis.

15. Secunda ratio. Secundò ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum, dicentium, Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, non autem ſubſiſtentiam, aut perſonam, cuius loquutionis ſenſus eſſe non poteſt alius, quàm Verbum aſſumpſiſſe humanitatem, non aſſumendo perſonam, ergo aliquod poſitiuum debebat reſultare in humanitate, quod non fuit aſſumptum, quia alioquin ſi perſonalitas humana fuiſſet negatiò vnionis cum alio, ſenſus eſſet ridiculus; quia idem eſſet, ac ſi diceretur, Verbum aſſumpſit humanitatem, non autem humanitatem, quæ poſt aſſumptionem manſerit inaſſumpta, vel inunita, ſeu ſine aſſumptione, vel vnione cum alio.

Tertiò

Digitized by Google

16. Tertia ratio Theologica.

Tertiò, Diuinæ ſubſiſtentiæ ſunt per ſe realiter aliquid poſitiuum; ergo etiam ſubſiſtentiæ creatæ ſunt aliquid poſitiuum per analogiam ad increatas diuinas.

Sed hæc argumenta Theologica, quamuis ſint alicuius momenti, non tamen deſeruiunt noſtro inſtituto, quod eſt ex principio Philoſophico probare concluſiones Theologicas. Conandum igitur eſt nobis, (quod quidem eſt difficile) probare hanc ſententiam ratione Philoſophica, &

17. Prima ratio. Suar. Rationes Philoſophicæ pro hac noſtra ſententia.

Primò, Suarius in met.diſp.34.quæſt.6. probat illam contra Scotum ad hominem; quia ipſe Scotus tenet quòd indiuiſio, ſeu incommunicabilitas, quæ eſt de ratione rei ſingularis, fundatur in aliquo poſitiuo; ergo etiam hæc negatio in ſuppoſito fundari B debet in aliquo poſitiuo, quia non eſt maior ratio de vna negatione, quàm de alia.

Secunda ratio eiuſdē.

Secundò arguit directè, quia negatio quæ eſt inſeparabilis à re, fundatur in aliquo poſitiuo: ſed negatio dependentiæ in ſuppoſito eſt inſeparabilis à ſuppoſito, ergo fundatur in aliquo poſitiuo.

18. Refelluntur hæ duæ rationes Philoſophicæ.

Sed hæ rationes ſunt quidem ſatis acutæ, & probabiles, ſed non ſatis efficaciter probant contra Scotum, pro quo ſupponenda eſt quædam doctrina Scoti ſatis ſubtilis & vera, quòd ad hoc vt negatio fundetur in poſitiuo, debet eſſe inſeparabilis à re, quæ habet coniunctam illam negationem; quia ſi eſt ſeparabilis, ſignum eſt, quòd non fundatur in forma poſitiua repugnante alteri formæ oppoſitæ, C ſicut negatio luminis poteſt ſeparari ab aëre, quia non fundatur in aliquo poſitiuo; Ita à ſimili, quia negatio dependentiæ poteſt ſeparari à natura, ſignum eſt quòd non fundatur in aliquo poſitiuo.

Nec obſtat quod dicit Suarius, quòd nō poſſit ſeparari à ſuppoſito; non, inquam, obſtat, ſufficit enim, vt poſſit ſeparari à natura, quæ habet coniunctam rationem ſuppoſiti, quæ ſecundùm Scotum eſt negatio; Sicut non ſequitur, quòd, quia negatio luminis non poteſt ſeparari ab aëre tenebroſo, vt tenebroſus eſt reduplicatiuè; non ſequitur, inquam, quòd illa negatio luminis fundetur in aliquo poſitiuo; ſufficit enim vt poſſit lumen ſeparari ab aëre D tenebroſo ſpecificatiuè, ab aëre ſcilicet, qui habet coniunctam illam negationem.

Svpposita igitur hac doctrina Scoti tamquam vera refelli poſſunt illæ duæ rationes allatæ à Suario, Et quidem ſecunda facilè refellitur ex dictis: Quamuis enim negatio dependentiæ non poſſit ſeparari à ſuppoſito vt ſuppoſitum eſt; poteſt tamen ſeparari à natura quæ habet coniunctam illam rationem ſuppoſiti; Nec præterea militat prima ratio facta ad hominem contra Scotum; nam Scotus iuxta ſuam doctrinam traditam congruenter procedit: ideo enim tenet indiuiſionem ſeu incommunicabilitatem quæ eſt de ratione rei ſingularis fundari in aliquo poſitiuo; quia tenet indiuiſionem ſeu incom- E municabilitatem non eſſe ſeparabilem à re ſingulari, non ſolùm vt ſingularis eſt reduplicatiuè, ſed nec ab ipſa natura ſingulari ſpecificatiuè: At verò in ſuppoſito negatio dependentiæ ab alio poteſt ſeparari à natura, non ergo eſt par ratio de negatione cōmunicabiliatis in re ſingulari, & de negatione communicationis in ſuppoſito.

19. Sed adhuc inſtat ſatis ſubtiliter idem author; Suppoſitum, inquit, non eſt ens connotatiuum, ſicut eſſe tenebroſum, ita vt de formali dicat negationem connotando naturam; non enim poteſt dici, vt patet ex communi modo loquendi Patrum, & Conciliorum: (ſuppoſitum poteſt aſſumi,) ſicut po- A teſt dici (tenebroſū poteſt illuminari;) ergo ſignum eſt, quòd ſuppoſitum præter negationem dicat formam poſitiuam cui repugnat poſſe aſſumi. Quòd ſi dicas, cùm dicitur (tenebroſum poteſt illuminari;) ſumi tenebroſum in ſenſu diuiſo: at cùm dicitur (ſuppoſitum poteſt aſſumi) ſumi ſuppoſitum in ſenſu compoſito: Contrà, inquit Suarius, quare ibi ſumitur in ſenſu diuiſo, & hîc in ſenſu compoſito? Profectò non poteſt, inquit, aſſignari alia ratio, niſi quia ſuppoſitum, vt dictum eſt, præter negationem dicit formam poſitiuam, cui repugnat poſſe aſſumi.

Sed hæc inſtantia ſoluitur, aſſignando diſparitatem, diſparitas autem hæc eſt, quia apud Theologos eſt quæſtio, an poſſit aſſumi natura ſuppoſitata, vt ſuppoſitata, & concludunt quòd non, & ideo vitandus eſt modus ille loquendi, (ſuppoſitum poteſt aſſumi,) quia videtur facere ſenſum, quòd natura, vt ſuppoſitata, poſſit aſſumi, ſicut ſi eſſet quæſtio, An aër tenebroſus, vt tenebroſus, poſſit illuminari; Vitandus etiam eſſet ille modus loquendi (Aër tenebroſus poteſt illuminari.) Sed explicanda eſſet propoſitio; Sed quia nulla eſt quæſtio, cùm ſit indubitatum apud omnes, aërem tenebroſum, vt tenebroſum, non poſſe illuminari, ideo admittitur ille modus loquendi (Aër tenebroſus poteſt illuminari) quia certum eſt intelligi in ſenſu diuiſo.

Ratio igitur philoſophica, & fundamentalis quæ eſt ſexta in ordine, ad probandum ſubſiſtentiam eſſe rationem poſitiuam hæc eſt: Omnis negatio dependentiæ, quicquid ſit de aliis negationibus, debet fundari in aliqua perfectione poſitiua, per quam talis res habet, vt non indigeat tali dependentia, ideo enim non indiget, quia eſt ſibi ſufficiens: eſt autem ſibi ſufficiens per aliquod poſitiuum intrinſecum: Et confirmatur, primò quia, quòd aliqua res non dependeat ab alio, neceſſario oritur ex eo, quia habet talem perfectionē poſitiuam, per quam non indiget actione alterius, & propterea dicitur eſſe à ſe; Et patet primò exemplariter in Deo; Secundò in natura ſubſtantiali quæ quòd non indigeat ſubiecto tanquam ſuſtentante, vt indiget accidens, ſed ſit in ſe, prouenit ex perfectione ipſius naturæ ſubſtantialis; Patet etiam exemplariter in anima rationali, quæ quoniam eſt ſpiritualis, ideo creatur independenter à ſubiecto. Quare dicendum eſt quòd negatio dependentiæ naturæ ab alio, tanquam à terminante, fundetur in aliqua perfectione poſitiua ipſius naturæ, per quam perfectionem ipſa natura ſit ſibi ſufficiens. 20. Ratio verior & fundamentalis pro hac noſtra ſententia.

Præterea ſeptimò probatur hæc ſententia, quia ſuppoſitum reale eſt in prædicamento reali; ergo conſtitutiuum formale illius eſt aliquid reale, quia conſtitutum per ens rationis ſpectat ad prædicamentum entis rationis, ſicut conſtitutum per formam accidentalem pertinet formaliter ad aliquod genus accidentis. 21. Septima ratio in ordine.

Præterea octauò probatur. Natura ſubſiſtit in ſuppoſito: nihil autem ſubſiſtit in negatione, ergo ſuppoſitum non eſt formaliter negatio. 22. Octaua ratio.

Præterea nonò. Suppoſitum dicit maximam perfectionem; Ariſtoteles enim primam ſubſtantiam maximam ſubſtantiam appellat, & ratio eſt, quia ſuppoſitum eſt principium vt quod, operationum realium; Sed negatio non confert maximam perfectionem, nec poteſt prima ſubſtantia ab ipſa negatione habere, quòd ſit maxima ſubſtantia, nec quòd ſit principium vt quod, operationum realium, ergo, &c. 23. Nona ratio.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

24. Reſponſio ad primum. AD primum dicitur, quòd ratio ſuppoſiti, quamuis ſit perfectio poſitiua, non tamen numeratur inter proprietates naturæ, quatenus natura diſtinguitur à ſuppoſito, vt incluſum ab includenti, ſed potiùs eſt conſtitutiua perſonæ, & hoc modo intelligendus eſt Damaſcenus, cùm dixit (totum eſſe vnitum) totum, ſcilicet, quod eſt proprium naturæ: Quòd verò addit (eſſe incurabile, quod non eſt aſſumptibile) ſenſus eſt, quod non eſt aſſumptibile ſecundùm naturam, incurabile eſt per aſſumptionem, quia aſſumi non poteſt. Et cùm inſtatur ex S.Leone qui dicit: quòd quidquid eſt hominis fuit vnitum Deo:) homo autem includit rationem ſuppoſiti; reſpondetur accipere hominem pro humanitate, nam idem ſubdit, (quòd quicquid eſt Dei fuit homini vnitum,) & tamen humanitas non fuit vnita omni diuino ſuppoſito: Sicut igitur verificatur illa propoſitio S. Leonis, quòd, ſcilicet, (quicquid eſt Dei fuit vnitum homini de natura diuina) quæ mediante ſuppoſito Verbi fuit vnita homini, ſic etiam verificatur illa alia propoſitio eiuſdem, quòd (quidquid eſt hominis, id eſt humanitatis, fuit vnitum Verbo) cum hac differentia, quòd humanitas immediatè fuit vnita Verbo, natura verò diuina fuit vnita humanitati mediatè.

Damaſcenus. S.Leo Papa.

25. Reſponſio ad ſecundũ. S.Cyrillus. AD ſecundum reſpondetur, quòd ad hoc vt aliquid ſit terminus, in quem aliquid aliud conuertitur, debet fieri per actionem nouam, vel aliquo modo mutari, vt colligitur ex S.Cyrillo epiſt.1.ad Succeſſ.& ideo dicitur panis conuerti in corpus Chriſti, quod vel de nouo creatur ſecundùm aliquos, vel ſaltem aliquo modo mutatur: at verò perſona Verbi, in quam tanquam in terminum deberet conuerti natura humana, nullo modo mutatur: Adde quòd ſubſiſtentia humana in Chriſto non dicitur deſiiſſe, quia nunquam pullulauit.

26. Reſponſio ad tertium. AD tertium cùm arguitur quòd natura humana in Chriſto violentaretur, quia appeteret propriam ſubſiſtentiam: hoc argumentum petit illam difficultatem, An natura habens alienam ſubſiſtentiam habeat appetitum ad propriam.

Triplex appetitus explicatur. Pro cuius ſolutione ſciendum eſt, triplicem eſſe appetitum; alium, qui eſt per indifferentiam, & hoc modo dicitur materia habere appetitum ad omnes formas, & hoc modo natura ſubſtantialis habet appetitum per indifferentiam ad omnes ſubſiſtentias; ſupponimus enim modò, poſſe quamlibet naturam ſubſtantialem ſuppoſitari à quocumque alio ſuppoſito; & hic appetitus eſt in humanitate Chriſti, non ſolùm ad propriam perſonalitatem, ſed etiam ad alias; Sed hic modus non ponit aliquam violentiam, ſicut materia non dicitur violentari, cùm eſt ſub forma aquæ; quamuis habeat appetitum naturalem ad formam hominis, quæ eſt nobilior.

27. Secundus eſt appetitus naturalis per qualitatem ſuperadditam ad talem, vel talem formam, ſicut materia affecta ſiccitate, & caliditate, vt octo dicitur inclinari appetitu naturali ad formam ignis, talis eſt etiam appetitus rei grauis ad centrum; & hoc modo non dicitur humanitas Chriſti violentari, imò potiùs inclinatur appetitu obedientiali, quia eſt affecta tali vnione, quæ reſpicit perſonam Verbi; Sed ſi conſideretur natura humana ſine hac vnione, dicetur quidem habere propenſionem ad propriam ſubſiſtentiam, quia habet connaturalem potentiam, ad ipſam, & propterea poſſet dubitari, an dicatur

A violentari, cùm eſt vnita Verbo: Sed reſpondetur quod non; Aliqui probant ex eo, quia natura humana eſt etiam terminata ſubſiſtentia diuina. Sicut igitur materia prima non dicitur violentari quando eſt ſub vna forma, quamuis careat alia, ita neque natura humana in Chriſto.

Sed hæc ratio non placet, quia materia prima habet appetitum naturalem ad hanc, & illam formam per indifferentiam: at verò natura humana ſecundùm potentiam connaturalem inclinatur potiùs ad propriam ſubſiſtentiam, quàm ad aliam; vnde ſecundùm multos, vt infrà videbimus, connaturaliter fluit propria ſubſiſtentia à natura. Secundò igitur probatur, quòd ideo non dicitur humanitas B in Verbo violentari, quia habet potentiam obedientialem, vt vniatur Verbo, quę quidem potentia obedientialis oritur in creatura ex eſſentiali dependentia creaturæ à Deo.

Tertius appetitus eſt rationalis, & elicitus, & ſecundùm hunc non dicitur humanitas Chriſti violentari; quia natura eleuatur ad ſubſiſtentiam perfectiorem, & altioris ordinis, atque adeò eſſet appetitus irrationalis. 28.

Quòd ſi quæras quid ſi humanitas terminaretur aliena ſubſiſtentia creata, an appeteret appetitu rationali propriam. Reſpondetur cum diſtinctione; ſi terminaretur æquali ſubſiſtentia aliena, tunc appeteret appetitu rationali ſuam, quia ſua eſt illa C connaturalis: ſi verò ſubſiſtentia aliena creata eſſet perfectior, tunc dicẽdum eſt, quòd ſi multum excedit in perfectione, magis appeteret alienam, quàm propriam, nam quamuis propria excedat alienam in connaturalitate, tamen excederetur ab aliena in ratione ſubſiſtendi; connaturalitas autem non ita pertinet ad rationem ſubſiſtendi. Quòd ſi obiicias, Potentia cognoſcitiua non appetit perfectiorem ſpeciem, quàm requirit ſua connaturalitas, ergo nec natura perfectiorem ſubſiſtentiam: Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam potentia non poteſt ſaltem ita perfectè operari per ſpecies excedentes ſuam naturam: at verò natura poteſt perfectè terminari aliena ſubſiſtentia, & prætereà, tam ipſa, D quàm eius actiones dignificantur magis ratione perſonæ cum qua eſt vnita: Si verò exceſſus alienæ ſubſiſtentiæ non eſt multò maior, fortaſſe natura appeteret appetitu rationali propriam ſubſiſtentiam; Sed hìc eſſet calculandum, an connaturalitas propriæ ſubſiſtentiæ præponderaret exceſſum alienæ ſubſiſtentiæ, & per hæc patet reſponſio ad tertium.

AD quartum reſpondetur, negando quòd humanitas Chriſti non haberet omnem perfectionem, quia quamuis careat propria ſubſiſtentia, acquiſiuit tamen diuinam, quæ eſt perfectior quàm propria, atque adeò habet aliam excedentem. 29.

AD quintum reſpondetur cum Soncinnate 5. met. q.20. quòd natura accipitur dupliciter, primò E pro quidditate, ſeu definitione rei, vt cùm dicitur, Natura hominis eſt animal rationale. Aliquando accipitur pro forma totius, ex gr. pro hac humanitate, & iuxta hunc ſecundum ſenſum nos accipimus, cùm dicimus, quòd diſtinguitur à re, cuius eſt natura, id eſt à ſuppoſito. In primo igitur ſenſu concedimus cum Ariſtotele naturam, ſeu quidditatem, quod idem eſt, ac definitio, eſſe idem cum re, cuius eſt quidditas, ſeu definitio, ex. gr. animal rationale, eſſe idem cum homine; Vel ſi velis Ariſtotelem accepiſſe quidditatem pro natura, quæ eſt forma totius, tunc dicendum eſt, quòd cùm Ariſtoteles dixit eſſe idem cum re, cuius eſt quidditas, per rem intellexit ſingularitatem, vt exponunt alij, qui tenent naturam 30. Reſponſio ad quintum. Sonc. Ariſtot. Ariſtot.

Digitized by Google

naturam vniuerſalem non diſtingui à parte rei à A ſingulari.

31. An Ariſtoteles cognouerit diſtinctioné ſuppoſiti à natura ſingulari. Ægid. Argent. Henr.

An autem Ariſtoteles cognouerit diſtinctionem ſuppoſiti à natura ſingulari, ego exiſtimo cum Ægidio in tractatu de compoſit. Ang. q. 5. & Argentina in 3. diſtinct. 8. q. 1. art. 1. in reſp. ad 2. contra primam reſp. & Henrico quodl. 3. q. 2. Ariſtotelem cognouiſſe diſtinctionem ſuppoſiti à natura; Et probatur, quia Ariſtoteles in prædic. cap. de ſubſtantia diſtinguit primam ſubſtantiam à ſecunda, quia prima eſt ſingularis, & ſubſtratum accidentium; prima igitur ſubſtantia ſupra naturam ſingularem & indiuiduam addit aliquid aliud, ſcilicet ſubſtare accidentibus non quòd ipſum ſubſtare accidentibus, vel modus ſubſtandi ſit ratio ſuppoſiti, vt videtur dicere Ægidius, & aliqui ex citatis auctoribus: ſed per illud B ſubſtare explicat Ariſtoteles rationem formalem ſuppoſiti, de qua nos dicemus in ſequenti quæſtione.

Secundò probant alij ex 5. Metaph. cap. 8. & ex 7. Metaph. cap. 11. vbi dicit in primis ſubſtantiis, id eſt, in ſubſtantiis immaterialibus, quod quid eſt eſſe id cuius eſt; in ſubſtantiis verò materialibus non eſſe idem; ergo ſaltem ex hoc loco habetur in ſubſtantiis materialibus diſtingui ſuppoſitum à natura.

Ariſtot. Tertiò probant ex illo communi dicto, quod circumfertur nomine Ariſtotelis, quòd ſcilicet actiones ſunt ſuppoſiti, & non naturæ, ergo ſuppoſitum diſtinguitur à natura ſecundùm Ariſtotelem. C

32. Reſpõſio ad ſextum. Ad ſextum argumentum reſpondetur, & reſponſio petit illam difficultatem, An ratio ſuppoſiti, ſeu ſubſiſtentiæ præcedat in priori ſigno naturæ ipſam exiſtentiam, de quo infrà erit propria quæſtio. Breuiter nunc negandum eſt ſubſiſtentiam præcedere ipſam exiſtentiam, ſicut præcedit alia accidentia; & ratio diſparitatis eſt, quia exiſtentia eſt prima actualitas, per quam natura fit capax ad recipiendam actualiter omnem aliam perfectionem, vt infrà dicemus.

33. Ad ſeptimũ. Ad ſeptimum reſpondent primò aliqui negando caſum, quòd, ſcilicet, poſſit natura conſeruari à Deo ſine aliqua ſubſiſtentia, ſiue propria, ſiue aliena, ſed meliùs ſecundò reſpondetur admittendo caſum, vt infrà dicetur in propria quæſtione; ſed negatur conſequentia, quia in tali caſu illa negatio D communicabilitatis non eſſet ſecundùm ordinem connaturalem, & præterea quamuis in illo caſu natura diceretur eſſe per ſe negatiuè, adhuc differret ab illa negatione, quæ conſequitur perſeitatem poſitiuam, nam perſeitas illa negatiua, quæ conſequitur ad naturam conſeruatam, dicit potentiam in natura, vt poſſit vt ſic, alteri vniri: at verò negatio, quæ oritur ex perſeitate poſitiua, ponit incapacitatem in natura, vt poſſit vt ſic, alteri vniri vt termino.

Quòd ſi dicas, Sicut ſi illa natura, quæ conſeruatur per influxum Dei, ſuppoſito vniretur, tolleretur influxus Dei, ita etiam poſſet dici, quòd ſi natura ſubſiſtens vniretur, tolleretur ſubſiſtentia. Reſpondetur quòd natura ſubſiſtens ſaltem reduplicatiuè, non poteſt vniri alteri vt termino, ſed natura conſeruata vt conſeruata poteſt vniri alteri termino ſubſiſtenti, in quo caſu etſi terminus ſubſiſtens non expleret indigentiam naturæ, quia iam inuenit expletam per conſeruationem, tamen vniretur ad faciendum vnum ſuppoſitum, ſicut ſi materia in doctrina Thomiſtica conſeruaretur à Deo ſupplendo dependentiam, quam habet materia à forma, poſſet adhuc forma vniri materiæ ad faciendum vnum compoſitum.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quæ ſit ratio formalis ſubſiſtentiæ, & quis eius effectus formalis.

IN hac quæſtione ſunt varij modi dicendi, quos referemus infrà in explicatione noſtræ ſententiæ. 1. Prima concluſio.

Prima concluſio. Ratio formalis ſubſiſtentiæ, quam in ſuperiori quæſtione oſtendimus eſſe poſitiuam, non eſt ſubſtare accidentibus, nec eius effectus formalis eſt eſſe affectum, ſeu informatum accidentibus. Eſt contra Ægidium in tract. de compoſ. Ægid. & Argentinam in 3. d. 6. q. 1. a. 1. Henricum quodl. 3. Argent. quæſt. 2. & nonnullos aliquos veteres Theologos, Henr. qui hoc affirmant ex mente Ariſtotelis in prædicamento de ſubſtantia, vbi proprium ſubſtantiæ ponit Ariſtot. eſſe ſubſtare accidentibus.

Probatur autem hæc prima concluſio contra 2. ipſos; primò Philoſophicè: Hoc ſubſtare acciden- Prima ratio. tibus, vel eſt actus ſubſtandi, vel affectio ad illa accidentia, vel modus exiſtendi ſub accidentibus; quodcumque autem dicitur, pertinebit ad genus accidentis, ſicut eius effectus formalis, quod eſt eſſe affectum, ſeu informatum accidentibus; at ſubſiſtentia cùm ſit complementum ſubſtantiæ pertinet ad genus ſubſtantiæ; non ergo ſubſtare accidentibus eſt effectus formalis ſubſtantiæ, ſed ratio, & effectus formalis ipſius, erit aliquis alius qui ſit ſubſtantialis.

Secunda ratio. Secundò probatur eadem concluſio, quia hic actus, ſeu modus ſubſtandi, variatur per variationem accidentium, & tamen non variatur ſuppoſitum, quia ſemper remanet idem homo; ergo huiuſmodi actus, ſeu affectio non poteſt eſſe ratio formalis ſubſiſtentiæ.

Tertia ratio. Tertiò probari ſolet communiter ab aliis Theologicè, Natura humana (inquiunt) in Chriſto antequam fuerit aſſumpta, dicebat negationem ſubſtantialis dependentiæ à Verbo, ſubſiſtentia enim Verbi eſt ſubſtantialis ſecundùm omnium opinionem: Sed hæc negatio non poteſt fundari, niſi in aliqua perfectione ſubſtantiali, quia ex perfectione accidentali non poteſt oriri ratio dependentiæ ſubſtantialis: Ergo, &c. Et confirmatur, quia poſtquam fuit aſſumpta, iam per illam aſſumptionem, ſeu per dependentiam ſubſtantialem, fuit ſuppleta ſubſiſtentia propria, ergo ſubſiſtentia propria erat etiam ſubſtantialis.

Quarta ratio. Quartò, Natura humana in Chriſto fuit aſſumpta cum accidentibus, & proprietatibus accidentalibus indiuiduantibus, quæ erant connaturales humanitati Chriſti, & tamen non fuit aſſumpta cum propria ſubſiſtentia; ſed de hac aſſumptione fuſiùs in corollariis.

Suar. Ariſtot. Obiiciunt contra hanc concluſionem Doctores E citati Ariſtotelem qui loco ſuprà citato dicit eſſe proprium ſubſtantiæ ſubſtare accidentibus.

Reſpondetur quòd rationem ſubſtantiæ ibi Ariſtoteles explicat per id, quod eſt nobis magis notum, cuiuſmodi eſt ſubſtare.

3. Secunda cõcluſio. Caietan. Secunda concluſio contra Caietanum 3. p. q. 4. art. 2. quòd effectus formalis ſubſiſtentiæ poſitiuæ non eſt reddere naturam capacem exiſtentiæ; ſed in hoc non eſt immorandum, nam contra hanc opinionem infrà diſputabitur in quæſtione quarta.

4. Tertia concluſio. Tertia concluſio contra aliquos graues recentiores de ratione ſubſiſtentiæ, vt abſtrahit à completa, & incompleta, non eſt incommunicabilitas,

tas, quæ opponitur inhærentiæ, ſeu inexiſtentiæ in alio ſuſtentante, vnde nec eius effectus formalis eſt inſeitas, ſeu reddere naturam independentem ab alio tamquam à ſubiecto. Et probatur primò Philoſophicè, quia ſubſiſtentia ordine naturæ præſupponit creationem ſuæ naturæ ex nihilo, prius enim intelligitur natura habere eſſe per creationem quàm ſubſiſtere; in illo autem priori creatur ex nullo præſuppoſito ſubiecto, quia in illo priori natura ſubſtantialis ſecundùm perfectionem quam habet intrinſecam, non indiget ſubiecto, ſicut indiget accidens; ergo non poteſt independentia à ſubiectô, ſeu inſeitas, eſſe effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ, quia ratio formalis non ſupponit ſecum primarium effectum formalem; ſicut albedo non poteſt præſupponere in ſubiecto rationem albi.

5. Secundò probatur Theologicè, quia anima Chriſti in illo priori ſigno in quo intelligitur creata, intelligebatur independens à ſubiecto, fuit enim creata ex nihilo, & tamen non intelligebatur ſubſiſtens, ſeu per ſe.

Tertiò, Subſiſtentia quæ ſuppleta eſt à Verbo in anima Chriſti, non fuit inſeitas, id eſt, independentia à ſubiecto, ſed fuit perſeitas, quia anima Chriſti fuit vnita ſubſiſtentiæ Verbi, quæ ſubſiſtentia non dicit inſeitatem, ſed perſeitatem; Quòd enim natura diuina non indigeat ſubiecto, habet ex intrinſeca perfectione ſuæ eſſentiæ, vt communiter dicunt Theologi, & infrà oſtendetur in prædicamento relationis in corollariis. Quod igitur communicat Verbum humanitati Chriſti per ſuam propriam ſubſiſtentiam, non poteſt eſſe illa independentia à ſubiecto, ſed id quod habet proprium ipſa perſonalitas Verbi, quod quidem, vt dictum eſt, non eſt inſeitas, ſeu facere independens à ſubiecto, ſed eſt perſeitas.

6. Quarta cõcluſio. Qvarta concluſio contra eoſdem. Ratio ſubſiſtentiæ completæ non eſt incommunicabilitas per modum partis, vt quo, id eſt, ratio ſubſiſtentiæ non conſiſtit in eo præciſè, quòd faciat naturam incommunicabilem per modum partis, ita vt natura humana ex eo habeat, vt non poſſit vniri, tamquam pars conſtituens eſſentialiter vnum totum; quia habet ſubſiſtentiam completam.

Probatur, quia quòd natura completa non ſit incommunicabilis ad modum partis, habet ex eo præciſè, quia in aliquo priori ſigno eſt ens integrum eſſentiale, cui repugnat ratio partis: vnde ſi auferatur ſubſiſtentia completa à natura completa, adhuc illa natura diceret negationem vnionis cum alio ad modum partis.

Probatur ſecundò, Eſſe in aliquo toto eſſentiali ad modum partis, & eſſe per ſe ſubſtantialiter ſunt diuerſi generis; non igitur habent repugnantiam ex terminis. Et confirmatur, quia arguendo ad hominem contra aduerſarios, materia prima eſt ad modum partis in toto eſſentiali, & tamen non eſt ad modum partis in toto ſubſtantiali: tota enim ratio ſubſiſtendi in compoſito eſt in materia prima; forma enim materialis adueniens non adducit ſecundùm ipſos ſubſiſtentiam partialem, ſed tantùm per vnionem affert complementum, vt dicetur infrà quæſtione ſexta; & præterea anima rationalis eſt pars totius eſſentialis, & tamen ſubſiſtit in toto, ſubſiſtentia totius, vt dicetur ibidem.

7. Quinta cõcluſio. Qvinta concluſio. Effectus formalis & primarius ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam per ſe ſeorſim, hoc eſt, independentem à quocumque alieno ſuppoſito.

8. Hæc concluſio poteſt habere duplicem ſenſum, primò vt intelligatur reduplicatiuè, hoc eſt, quòd ipſa ſubſiſtentia aſſumatur ab alieno ſuppoſito, & iuxta hunc ſenſum certum eſt apud omnes, naturam reduplicatiuè non poſſe communicari alieno ſuppoſito; quia tunc perſeitas haberet eſſe in, quod repugnat, ſicut repugnat quòd ipſum (in) habeat eſſe per ſe; ſit hæc ratio videtur probare, quòd non ſolùm ſubſiſtentia totalis poſſit aſſumi ab alieno ſuppoſito, ſed quòd neque ſubſiſtentia partialis poſſit vniri alteri ſubſiſtentiæ partiali ad faciendum vnum totale ſubſiſtens, vt bene annotauit noſter Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 8. q. 5. ſect. 4. ac propterea infrà q. 6. oſtendemus in compoſito dari vnam tantùm ſimplicem ſubſiſtentiam totius.

Secundus ſenſus concluſionis eſt, quòd natura ſubſiſtens, ſumpta ſpecificatiuè non poſſit communicari alieno ſuppoſito, etiam ſi ipſa ſubſiſtentia non aſſumatur, & iuxta hunc ſenſum concluſio habet maiorem difficultatem. Probatur tamen, & quidem ſi ſubſiſtentia eſt modus naturæ, tunc videtur impoſſibile naturam ſpecificatiuè ſumptam poſſe communicari alieno ſuppoſito; quia afficeretur duobus modis oppoſitis, ſicut repugnat lineæ eſſe curuam, & rectam, & ſicut repugnat eidem naturæ inhærere, & eſſe per ſe. 9.

At verò ſi ponatur ſubſiſtentia diſtincta realiter à natura, vt nos oſtendemus in ſeptima quæſtione, tunc quamuis videatur concluſio difficilior, probatur tamen primò, quia cùm natura ſubſiſtit propria ſubſiſtentia, ſubſiſtit per ſe; cùm autem communicatur alteri ſuppoſito, exiſtit in alio, qui modus exiſtendi in alio reſultat ex communicatione naturæ cum alieno ſuppoſito; Eſſe autem per ſe, & in alio, ſunt modi oppoſiti in eodem genere ſubſtantiæ; vnus igitur vt bene adnotauit Caiet. 3. part. q. 6. art. 6. & Fonſ. lib. 5. cap. 8. q. 5. ſect. 4. includit negationem alterius, ſicut vna differentia ſub eodem genere includit negationem alterius oppoſitæ differentiæ in eadem ſpecie.

Secundò probatur fortiùs à priori, quia cùm ſubſiſtentia ſiue realiter ſiue modaliter diſtincta, ſit eſſentialiter terminus naturæ, neceſſariò conſtituit illam ſeorſim ab omni alio, ſicut punctum terminatiuum, etiamſi realiter diſtinguatur, ita terminat lineam, vt impoſſibile ſit illam vlterius extendi, & præterea ſicut ſi natura non ſubſiſteret per ſubſiſtentiam poſitiuam, ſed tantùm negatiuè, vt vult Scotus, per negationem, ſcilicet, dependentiæ ab alio, eſſet in tali caſu impoſſibile, vt natura ſtante illa negatione aſſumeretur ſpecificatiuè ab alio, quia dependeret, & non dependeret; ita ſimiliter dicendum eſt, etiam ſi natura ſubſiſtat per ſubſiſtentiam poſitiuam, quia ad ſubſiſtentiam propriam poſitiuam conſequitur naturaliter iſta negatio dependentiæ, ſicut ſi punctum terminatiuum eſſet negatio vlterioris extenſionis, eſſet impoſſibile, vt linea ſtante illa negatione vlteriùs extenderetur, & tamen idem dicitur ſi punctum eſt quid poſitiuum, nam ad punctum ſequitur connaturaliter iſta negatio vlterioris extenſionis.

Tertiò, quia Patres & Concilia colligunt humanitatem Chriſti non ſolùm non habere, ſed neque poſſe habere propriam ſubſiſtentiam ex eo, quia ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi, non poteſt igitur humanitas Chriſti etiam ſpecificatiuè ſumpta ſecundùm Patres & Concilia habere propriam ſubſiſtentiam, de qua refuſiùs dicetur in ſeptimo corollario.

Sed contra hanc quintam noſtram concluſionem primò obiicies, quòd inde ſequeretur, naturam ſubſiſten- Prima obiectio.

ſubſiſtentem non habere eſſe per ſe, quod eſt abſurdum; Sequela probatur, quia natura vnitur cum ſubſiſtentia realiter diſtincta à ſe, ergo potiùs habet eſſe (in) quàm eſſe (per ſe.) Reſpondetur, hoc argumentum ſupponere ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura, de qua re dicetur in ſeptima quæſtione; Nunc breuiter reſpondetur, quòd ſuppoſita diſtractione reali naturæ à ſuppoſito, conceditur naturam vniri per vnionem diſtinctam cum ſua ſubſiſtentia, non tamen propterea non eſt per ſe: nam vel natura ſumitur vt includens reduplicatiuè ipſam ſubſiſtentiam, & tunc certum eſt naturam ſubſiſtere per ſe; Si verò ſumatur natura ſpecificatiuè, tunc etiam dicitur ſubſiſtere per ſe per propriam ſubſiſtentiam; quatenus munus propriæ ſubſiſtentiæ eſt facere, vt propria natura exiſtat ſeorſim, & incommunicabiliter ab alieno ſuppoſito, vt paulò ſuperiùs dictum eſt; non ſic autem cùm exiſtit ſubſiſtentia aliena; poteſt enim talis natura ſpecificatiuè ſumpta adhuc aſſumi ab alio ſuppoſito, vnde natura humana cum propria ſubſiſtentia nec ſpecificatiuè poterat aſſumi à Verbo; at verò ſuppoſitata à Verbo poteſt ſpecificatiuè aſſumi à Patre, vt latiùs dicetur in corollario ſeptimo citato.

Soluitur.

10. Secunda obiectio.

Secundò obiicies, Natura poſſet à Deo conſeruari ſine ſubſiſtentia & eſſet per ſe, quia non inniteretur alteri, ergo perſeitas non eſt effectus proprius ſubſiſtentiæ. Reſpondetur quòd de hoc erit infrà in 3. quæſt. ſpecialis difficultas; Breuiter nunc dicitur, quòd in tali caſu eſſet per ſe negatiuè, & non poſitiuè per ſubſiſtentiam, ſcilicet, poſitiuam per quam repugnat vniri alteri.

Soluitur.

11. Tertia obiectio.

Obiicies tertiò, Quantitas in Euchariſtia eſt per ſe, ergo perſeitas non eſt proprius effectus ſubſiſtentiæ. Reſpondetur, quòd vel debet dici, quòd ſubſiſtentia communicetur quantitati ſupernaturaliter, vel meliùs dicendum eſt, quòd impoſſibile eſt quantitatem exiſtere per ſe, ſed conſeruari à Deo per nonum influxum, vt dicetur in prædicamento quantitatis.

12. Quarta obiectio. Soluitur.

Obiicies quartò, Subſiſtentia poteſt communicari alienæ naturæ, vt ſubſiſtentia Verbi humanitati Chriſti: ergo ſubſiſtentia habet eſſe, (In.) Reſpondetur, quòd in hoc caſu potiùs natura cui communicatur habet eſſe, (In) non enim vnitur vt ſuſtineatur, ſed vt ſuſtineat; eſt enim veluti ſuſtentaculum, cui innititur natura.

13. Quinta obiectio.

Quintò obiicitur, Sequeretur abſurdũ, quòd ſubſiſtentia in compoſito eſſet vna ſimplex, & non compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis materiæ & formæ, vel ex partibus integrantibus; Probatur ſequela, quia inter has duas ſubſiſtentias deberet eſſe vnio, ad hoc vt fiat vnum per ſe ſubſtantiale; Iſtæ ergo duæ ſubſiſtentiæ partiales haberent eſſe in toto, quod quidem, vt dictum eſt, repugnat perſeitati: Reſpondetur concedendo ſequelam, nec illam habemus pro abſurdo, ſed de hoc erit ſpecialis quæſtio infrà.

Soluitur.

14. Sexta concluſio.

Sexta concluſio: Alter effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt explere indigentiam naturæ, & hic effectus eſt ſecundarius. Pro quo notandum eſt ex dictis, ſubſiſtentiã habere præcipuè duos effectus formales.

Primus eſt cum natura facere vnum per ſe incommunicabiliter, & hic effectus eſt præcipuus & primarius, quem ſuprà explicuimus in præcedenti concluſione: Quòd autem ſit primarius, ex eo colligi poteſt, quia non ſolùm eſt proprius ſubſiſtentiæ creatæ, ſed etiam increatæ, ſuppoſitum enim Patris nõ poteſt alteri communicari. Quòd ſi dicas, ſaltem ſubſiſtentia abſoluta poteſt communicari, & etiam ſpiratio actiua. Reſpondetur, vt dicetur infrà in corollariis, quòd propterea neganda eſt hæc ſubſiſtentia abſoluta in Deo, & negandum eſt etiam, ſpirationem actiuam habere rationem ſubſiſtentiæ, ſed tantùm rationem relationis, quæ quoniam non dicit oppoſitionem cum Filio, poteſt eadem, quæ eſt in Patre communicari cum Filio.

Secundus effectus eſt explere indigentiam naturæ ſuſtentando illam, & hic effectus eſt ſecundarius, quod ex eo patet, quia non reperitur in Deo, in quo tamen eſt ratio ſubſiſtentiæ. 15.

Sed dubium eſt quidnam ſit naturam ſuſtentari, ſeu dependere à propria ſubſiſtentia, circa quod ſunt varij modi dicendi.

Primus modus dicendi eſt naturam dependere à propria ſubſiſtentia, tanquam à conditione requiſita naturaliter in ordine ad finem, quatenus agens productiuum ipſius naturæ, non communicaret illi naturaliter exiſtentiam, niſi eſſet ſuppoſitata, quia vt ſuppoſitata, eſt principium operandi, operatio autem eſt finis efficientis. Varij modi dicendi circa ſecundarium effectum ſubſiſtentiæ explendi indigentiam naturæ ſuſtentando illã.

Sed hic modus non placet, quia cùm natura creata ſit limitata, & finita, indiget termino, non ſolùm ad operandum, ſed etiam ad exiſtendum, & ideo hic modus communiter reiicitur à Doctoribus.

Secundus modus dicendi eſt Themiſt. 1. phyſic. digreſſione vltima. Scaligeri contra Cardan. exercitat. 307. Soncin. 5. m. q. 5. Capr. in 1. diſtinct. 23. q. 1. art. 3. ad argumenta contra primam concluſionem, & videtur eſſe Scoti in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. quamuis oppoſitum clariùs dicat in 3. Neque hinc ſequeretur, inquiunt, quòd huiuſmodi cauſæ non diſtinguerentur ab efficienti, quia huiuſmodi cauſæ ex natura ſua requirunt vnionem cũ effectu, quam ex natura ſua non requirit efficiens, vt efficiens. Quòd ſi obiicias, potentia vitalis requirit vnionem cum actu, quem efficienter producit, reſpondent quòd non requirit quatenus efficiens, ſed quatenus receptiua. Quòd ſi replices, potentia vitalis quatenus efficiens actum, debet eſſe receptiua; reſpondent quòd non debet priùs intelligi receptiua, quàm efficiens; at ſubſiſtentia, & materia debent intelligi priùs vnitæ, quàm intelligantur ſuſtentare. Nec obſtat quod ſuſtentatio prærequiratur ad ipſam vnionem; poteſt enim vnio & ſuſtentatio concipi vt prior & poſterior ſecundùm diuerſum modum cauſandi. 16. Themiſtius Scaliger. Soncinas. Capreolus. Scotus.

Sed hic modus non placet, quia ſubſiſtentia non eſt ſubiecta ſicut materia, ſed terminus; non debet igitur natura habere aliam dependentiam à ſubſiſtentia niſi tamquam à termino. Impugnatur hic ſecũdus modus.

Dicendum eſt igitur tertiò, quòd natura dependet à ſubſiſtentia tamquam à ſuo termino; ita vt ſubſiſtentia ſit veluti quędam conditio ſine qua Deus non conſeruaret illam naturam, non quidem quaſi ſit neceſſaria ad operationem, vt dicebat primus modus, ſed quia connaturaliter requiritur ad eſſe ipſius naturæ, ſicut vnio vnius partis minimi, cum alia parte minimi, requiritur ad hoc vt minimum conſeruetur in eſſe; & iuxta hunc modum multi etiam tenent ipſam materiam concurrere ad cauſandum formam. 17. Tertius modus dicendi verior.

Quæres, an iſte effectus formalis dependentiæ ſit intrinſecè & formaliter ab ipſa ratione terminandi, vt terminandi; & conſequenter ſit inſeparabilis per quamcumque potentiam à ratione terminandi: Reſpondetur, & ſit

Septima concluſio, quòd non, quia ſi hoc modo eſſet, vbicumque reperiretur ratio terminandi, reperiretur ratio dependentiæ, quod quidem non eſt verum, nam in diuinis reperitur ratio terminandi; 18. Septima cõcluſio.

Digitized by Google

di; Paternitas enim terminat naturam diuinam, & tamen nulla eſt dependentia naturæ Diuinæ à paternitate; Quòd ſi ſubſtantia Verbi vt terminus humanitatis, explet indigentiam naturæ humanæ, hoc prouenit ex imperfectione ipſius naturæ quæ terminatur; in rebus enim creatis reperitur hæc ratio terminandi ſimul cùm ratione ſuſtentandi propter imperfectionem naturæ creatę quæ indigeat ſuſtentante non quidem tanquam ſubiecto, ſicut indiget accidens, ſed tamquam termino, vt ſuprà explicatum eſt.

TERTIA QVÆSTIO.

Vtrùm natura poſſit conſeruari per diuinam potentiam ſine aliqua ſubſiſtentia ſiue propria ſiue aliena.

1. Prima ſententia. Scotus. PRIMA ſententia eſt Scoti in 3.d.1. aſſerentis non poſſe naturam conſeruari ſine propria ſubſiſtentia, & congruenter loquitur, nam ſubſiſtentiam non ponit eſſe aliquod poſitiuum. Ad hanc opinionem Scoti accedunt etiam aliqui ex illis qui tenent ſubſiſtentiam eſſe quid poſitiuum diſtinctum à parte rei à natura, inter quos eſt Fonſeca lib.5.cap.8.q.6. ſect.5. ad 4. Scoti, & Suarius in met.diſp.34.ſect.6.num.35. (Fonſ. Suar.)

2. Primum argumentum. PRobant primò, (& eſt fundamentum horum Doctorum) Repugnat, inquiunt, rem eſſe ſine ſuo termino intrinſeco propter intrinſecam connexionem inter rem, & modum, ſicut repugnat lineæ eſſe ſine puncto terminatiuo, vnde ſi auferatur punctum continuatiuum per diuiſionem lineæ, ſtatim reſultant duo alia puncta terminatiua in partibus diuiſis; nec quantitas poteſt intelligi exiſtens in rerum natura ſine figura terminante, nec ſine præſentia locali; nec rurſus poteſt reperiri linea, quin ſit recta aut obliqua; Multò ergo magis hoc dicendum eſt de ſubſiſtentia, & natura, quia ſubſiſtentia eſt modus magis intrinſecus, quia magis facit vnũ cum natura, quàm figura cũ quantitate, vel punctus cum linea; Et confirmant aliqui ex S.Tho.in 3.diſt.5. q.3. art.3. ad 3. vbi ait, quòd ſi humanitas ſepararetur à Verbo, ſtatim ſubſiſteret ſicut partes diuiſæ ſtatim terminãtur. (Confirmatio. S.Thom.)

3. Secundũ argumentum. SEcundò probant, quia repugnat dari effectum formalem ſine cauſa formali: at ſubſiſtentia eſt cauſa formalis, & non effectiua, ergo, &c. Probatur hæc Minor, quia dando ſe facit ſubſiſtere; ſi autem eſſet cauſa effectiua, deberet producere aliquid, per quod natura diceretur formaliter intrinſecè ſubſiſtens, & tunc illud erit ſufficiens, vt natura ſubſiſteret, ergo eſt impertinens ſubſiſtentia tamquam cauſa effectiua, quia poſſet illud, per quod natura ſubſiſtit formaliter, vel emanare à natura immediatè, vel produci à producente naturam. Probatur Maior, quia non poteſt Deus facere album ſubiectum ſine albedine, ergo nec ſubſiſtens ſine ſubſiſtentia, quia videtur implicare vtrumque eodem modo, cùm vtrũque ſit cauſa formalis.

4. Tertiũ argumentum. TErtiò probant, quia ſi natura conſeruaretur à Deo ſine ſubſiſtentia, ſequeretur quòd eſſet per ſe; & non eſſet per ſe. Eſſet quidem per ſe, quia non inniteretur alteri: non eſſet per ſe, quia non ſubſiſteret, nec eſſet ſuppoſitum ex hypotheſi data, quòd, ſcilicet, Deus ſepararet ſubſiſtentiam à natura.

5. Capr. AD hanc etiam ſententiam accedit Capreolus, ſed ex alio fundamento, & eſt

Quartũ argumentum. Quartum argumentum in ordine, quia enim exiſtimat ſubſiſtentiam eſſe ipſam exiſtentiam; ideo

A conſequenter dicit, quòd ſicut repugnat naturam exiſtere ſine exiſtentia, ita repugnat exiſtere ſine ſubſiſtentia.

QVintò probant recentiores, cùm aufertur modus a re, ſtatim conſurgit modus oppoſitus; ſicut cùm à linea aufertur curuitas, ſtatim conſurgit rectitudo, & cùm ab accidenti aufertur modus inhærentiæ, ſtatim conſurgit modus eſſendi per ſe, vt patet in quantitate exiſtente in ſanctiſſimo ſacramento Euchariſtiæ: ergo à ſimili, ſi à ſubſtantia poteſt auferri modus eſſendi per ſe, ſequeretur quòd connaturaliter deberet conſurgere modus eſſendi in alio, tanquam in ſubiecto, quod eſt impoſſibile; ergo falſum eſt illud, vnde hoc ſequitur, ſubſtantiam, ſcilicet, poſſe eſſe ſine aliqua ſubſiſtentia. 6. Quintũ argumentum.

B SECVNDA ſententia verior, & tenenda, eſt Caiet. 3.p.q.4.ar.2. & communis recentiorum aſſerentium poſſe naturam per diuinã potentiam ſeparari à propria ſubſiſtentia, & conſeruari ſine vnione ad alienã. 7. Caiet.

PRO cuius ſententiæ explicatione recolendum eſt ex dictis in ſuperiori quæſtione duos eſſe effectus formales ſubſiſtentiæ creatæ, vnum ſecundarium, alterum primarium; Secundarius quidem eſt ſuſtentare naturam explendo indigentiam ipſius naturæ, quæ non poteſt, cùm ſit finita, ſe ipſam ſe ſola conſeruare; Primarius eſt facere vnum ſuppoſitum cum natura; ſicut à ſimili in doctrina Thomiſtica forma habet duos effectus formales circa materiam, alterum ſecundarium, quatenus materia dependet in ſuo eſſe a forma, ſaltem à poſteriori: alterum primarium, qui eſt facere vnum compoſitum eſſentiale cum materia; Sicut igitur poteſt Deus supplere effectum ſecundarium formæ conſeruando per nouum influxum ipſam materiam, non autem poteſt Deus ſupplere primarium ſine vlla forma; ita poteſt Deus per nouum influxum efficientis ſupplere effectum ſecundarium ſubſiſtentiæ, non autem primarium, & ſecundùm nos, qui tenemus ſubſiſtentiam eſſe realiter diſtinctam, hoc eſt facilius dicere; nam ſicut Deus poteſt ſupplere & de facto ſupplet in Sacramento Euchariſtiæ effectum ſecundarium materiæ ſuſtentando efficienter ſpecies accidentales ſine ſubiecto, non autem Deus ſeipſo poteſt ſupplere effectum primarium, quatenus materia faciebat vnum compoſitum cum albedine, quod erat eſſe album, ita à pari poteſt Deus ſupplere effectum ſecundarium ſubſiſtentiæ, cui innititur natura, non autem primarium; facere, ſcilicet, vnum ſuppoſitum cum natura. 8. C 9. D

Quòd ſi dicas, remota per diuinam potentiam ſubſiſtentia à natura, natura non remanet terminata neque propria, neque aliena ſubſiſtentia, & tamen natura ſubſtantialis debet eſſe per ſe, quia eſt impoſſibile vt ſit in alio tanquam in ſubiecto; Reſpondetur remanere per ſe negatiuè, non autem poſitiuè, ſicut ſi auferatur punctũ à linea, (imò de facto multi E tenent ſatis probabiliter, non dari iſta puncta poſitiua) tunc linea remaneret terminata, quia non vltrà eſſet extenſa, non tamen terminata poſitiuè, ſed negatiuè. 10. Obiectio. Soluitur.

Quòd ſi inſtes, ſequeretur quòd non eſſet differentia inter quantitatem, quæ eſt in Euchariſtia, & hanc naturam ſubſtantialem conſeruatam à Deo ſine ſubſiſtentia, quia etiam quantitas in Sacramento eſt per ſe ſaltem negatiuè, non enim eſt in ſubiecto. Reſpondetur quantùm ad hoc, quantitatem habere paritatem cum hac natura ſubſtantiali; ſed differunt, quia naturæ ſubſtantiali debetur modus perſeitatis, & flueret à principiis naturæ ſi non impediretur à Deo; at verò quantitati non debetur (Inſtatur. Solutio.)

Digitized by Google

betur modus perſeitatis, ſed inhærentia.

Probatur præterea eadem concluſio, quia nulla apparet implicantia, vt mox patebit ex ſolutione argumentorum.

AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

11. Reſponſio ad primum.

AD primum reſpondetur. Cùm dicitur in argumento ſubſiſtentiam eſſe terminum intrinſecum naturæ, hoc dupliciter poteſt intelligi. Primò quòd per illam natura intrinſecè ſubſiſtat; & hoc modo concedimus ſubſiſtentiam eſſe terminum intrinſecum naturæ. Secundo modo, quòd habeat intrinſecam & neceſſariam connexionem cum natura, & hoc modo negatur; Quod ex eo patet, quia poteſt natura priuati ſubſiſtentia propria, & vniri cum aliena, quod quidem non reperitur in aliis modis qui ſunt intrinſeci; non enim poteſt quantitas figurari aliena figura, nec corpus vbicari ſeu ſituari aliena ſeſſione, nec linea continuari fortè alieno puncto, & ſic de reliquis.

Et per hæc patet reſponſio ad ſimilitudines allatas in argumento; Et ad primam reſpondetur falſum eſſe, quòd non poſſit per Dei potentiam linea exiſtere ſine puncto, nam eo ablato adhuc manebit linea intrinſecè terminata ſe ipſa negatiuè.

Ad ſecundam ſimilitudinem de præſentia locali poteſt dici primò negando corpus non poſſe eſſe per Dei potentiam ſine vllo vbi, nam ſicut Angelus ſecundùm Thomiſtas ad libitum poteſt conſtitui naturaliter nullibi', quia eſſe vbi, eſt poſterius eſſe ſimpliciter, ita poteſt per Dei potentiam corpus exiſtere ſine vllo vbi. Secundò reſpondetur, quòd ſi non poteſt corpus per Dei potentiam exiſtere ſine vllo vbi, dicendum eſt tunc corpus habere neceſſariam connexionem cum vbi, quam non habet natura cum ſua ſubſiſtentia, quod ex eo patet, quia corpus non poteſt exiſtere in loco per alienum vbi, poteſt autem natura ſubſiſtere per alienam ſubſiſtentiam; ergo ſignum eſt, quòd poteſt etiam per diuinam potentiam natura eſſe ſine vlla ſubſiſtentia.

Ad tertiam ſimilitudinem de linea recta, vel obliqua, vel de hac vel de illa figura in quantitate, reſpondetur quòd ſi iſti modi ſint in quantitate in ordine ad locum, poſſunt per diuinam potentiam tolli; ſi verò ſunt in quantitate in ordine ad ſe, tunc concedi poteſt non poſſe per diuinam potentiam tolli ſub illa diſiunctione propter intrinſecam connexionem, quam habent cum quantitate qualem non habet ſubſiſtentia cum natura: Sicut enim eſſe in, accidentis, poteſt tolli à Deo, quia non eſt modus intrinſecus ipſius accidentis, ita eſſe, per ſe, ſeu ſubſiſtere, poteſt tolli à ſubſiſtentia, quia non eſt modus intrinſecus naturæ ſubſtantialis.

12. Reſponſio ad ſecundũ.

E Ad ſecundum argumentum conceditur ſubſiſtentiam dare ſubſiſtere naturæ in genere cauſæ formalis; ſed in caſu noſtro Deus non ſuppleret effectum primarium formalem, quia natura illa conſeruata à Deo, non eſſet ſuppoſitum: Suppoſitum enim reſultat ex vnione naturæ cum ſubſiſtentia propria, vel aliena, ſed ſupplet Deus effectum ſecundarium ſubſiſtentiæ, qui eſt ſuſtentare naturam, ſupplet autem per nouum influxum efficientis conſeruando naturam vt maneat in ſuo eſſe.

13. Reſpõſio ad tertium.

Ad tertium reſpondetur, quòd in hoc caſu natura eſſet per ſe negatiuè, quatenus non inniteretur alteri, quia hæc exiſtentia per ſe proueniret non à ſubſiſtentia, ſed ab immediato influxu Dei ſupplen-

A te id, quod debuiſſet facere ſubſiſtentia; ſed negatur, quòd ex tali perſeitate negatiuè inferatur ratio ſuppoſiti, nam ad rationem ſuppoſiti requiritur, vt fiat vnum compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia propria, vel aliena, ſicut quantitas in Euchariſtia per ſe exiſtit negatiuè, & tamen non eſt ſuppoſitum, vnde qui tenent quantitatem in Euchariſtia exiſtere per ſe poſitiuè per modum ſuperadditum, difficultatem habent, quomodo quantitas non dicatur ſuppoſitum, ſicut dicitur ſuppoſitum ipſa natura ſubſtantialis habens ſubſiſtentiam; Nec valet reſponſio quòd ſuppoſitum reſultat ex perſeitate connaturali, at quantitas non eſſet per ſe naturaliter, non, inquam, valet, quia natura humana in Chriſto

B eſt ſuppoſitum, & tamen non ſubſiſtit naturaliter.

Ad quartum Capreoli, negatur ipſam ſubſiſtentiam eſſe ipſam exiſtentiam, ſed eſt modus ſuperadditus naturæ exiſtenti, & eſt ex parte rei ab ea diſtinctus, vt ſuprà probatum eſt contra Capreolum. Hîc eſſet diſputandum, an natura exiſtens ſine propria exiſtentia violentaretur; ſed de hoc infrà in dubitatione prima. 14. Ad quartũ. Capr.

Ad quintum reſpondetur, negando quòd ſi à re auferatur vnus modus, conſurgat oppoſitus: hoc enim quamuis fortè ſit verum in omnibus modis intrinſecis, vt in exemplo allato de linea, à qua ſi auferatur rectitudo, conſurgit ſtatim curuitas, falſum

C tamen eſt in modis extrinſecis, cuiuſmodi eſt ſubſiſtentia reſpectu ſubſtantiæ, & exemplum, quod affertur de accidenti, potiùs fauet nobis, falſum eſt enim, quòd in quantitate, quæ eſt in Euchariſtia, conſurgat modus eſſendi per ſe; hic enim modus vel eſſet ſubſtantialis & repugnat accidenti, ſicut ſubſtantiæ repugnat modus accidentalis inhærentiæ, vel eſſet accidentalis, & tunc non poſſet facere quantitatem exiſtere per ſe, cùm ipſe modus ſit inhærens, vt dicetur infrà in diſput. de inhærentia; Sicut igitur remoto modo inhærendi à quantitate, remanet quantitas in Euchariſtia negatiuè per ſe, hoc eſt, ſine ſubiecto, conſeruata à Deo per nouum influxum efficientis; ita ſimiliter ſi à ſubſtantia remoueatur ſubſiſtentia, remanebit per ſe negatiuè,

D hoc eſt ſine ſubiecto conſeruata à Deo per nouum influxum efficientis, vt fuſiùs dictum eſt ſuprà. 15. Ad quintũ.

QVÆSTIO QVARTA.

An ſubſiſtentia afficiat naturam iam exiſtentem, vel ſit prior in aliquo ſigno, quàm ipſa exiſtentia.

PRIMA ſententia eſt Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. aſſerentis ſubſiſtentiam immediatè afficere naturam in priori quodam ſigno, in quo adhuc non intelligitur natura exiſtens. 1. Prima ſententia.

Fundamentum ipſius eſt, quia munus ſubſiſtentiæ non ſolùm eſt terminare naturam, ſed illam reddere capacem exiſtentiæ, ergo in priori ſigno afficit naturam antequam intelligatur exiſtens: Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens probat primò, quia exiſtentia ſicut propriæ paſſiones ſunt propriæ ſuppoſiti, ergo ſupponunt ſuppoſitum iam conſtitutum. Secundò probat ex S.Thom. 3. p. q. 17. art. 2. vbi habet, quòd natura non eſt capax exiſtentiæ, ſed ſuppoſitum. Fundamentum Caiet. S.Thom.

Communior & verior ſententia eſt in oppoſitum contra Caietanum, & probatur. Secũda ſententia verior.

Primò, quia exiſtentia, vt in ſuperiori diſputatione, quæſtione quinta probatum eſt, eſt vltima actualitas 2. Probatur primò.

actualitas reddens eſſentiam capacem ad recipiendum omnes alias actualitates, quæ ſunt veluti actus ſecundi reſpectu exiſtentiæ, quæ eſt actus primus; ergo præcedit ſaltem natura ipſum ſubſiſtere, & omnia alia accidentia. Et hæc quidem ratio, quamuis efficaciùs probet apud illos, qui tenent eſſentiam habere eſſe tantùm potentiale, quia tota actualitas eſſentiæ, etiam vt eſt eſſentia, eſt per exiſtentiam, adhuc tamen hæc ratio probat contra eos, inter quos eſt Caiet. qui nobiſcum tenet eſſentias rerum habere eſſe actuale eſſentiæ ante exiſtentiam; nam etiam ſecundùm hanc opinionem exiſtentia debet eſſe actus primus præcedens omnia alia, quæ non ſunt eſſentialia; nam priùs intelligi debet natura eſſe extra cauſas, quàm ſubſiſtens vel affecta alio accidente, non enim eſſentia habet ab æterno iſtam ſubſiſtentiam; habet igitur poſtquam eſt extra cauſas; eſſe autem extra cauſas eſt ipſum exiſtere.

3. Probatur ſecundò. Secundò probatur. Creatio terminatur ad rem exiſtentem, eſt enim actio, qua res in potentia fit actu exiſtens. Sed ſubſiſtentia conſequitur creationem, quia non poteſt eſſentia ſubſiſtere niſi intelligatur priùs creata, ergo ſubſiſtentia conſequitur rem exiſtentem.

4. Probatur tertiò. Tertiò probatur ſeu confirmatur ex myſterio incarnationis, in quo ex communi omnium conſenſu in priori ſigno fuit anima Chriſti creata, quàm vnita Verbo, ergo priùs exiſtens, quàm ſuppoſitata à Verbo; ergo ſi non fuiſſet aſſumpta, priùs fuiſſet exiſtens, quàm terminata propria ſubſiſtentia. Prior conſequentia patet ex dictis; poſterior probatur, quia Verbum ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ; ſi ergo Verbum ſuppoſitauit animam Chriſti iam exiſtentem, ergo & propria ſubſiſtentia terminaſſet animam Chriſti iam exiſtentem.

5. Probatur quartò. Probatur quartò, ſeu confirmatur; quia poſſet Deus naturam humanam aſſumptam dimittere, & impedire, ne reſultet propria ſubſiſtentia. In quo caſu remaneret humanitas cum propria exiſtentia, & concurſus propriæ ſubſiſtentiæ ſuppleretur à Deo per nouum influxum efficientis, hoc enim poſſet fieri, ſicut in ſuperiori quæſtione oſtendimus, & concedit Caietanus. (Caietan.) Sed hic influxus de nouo eſſet poſterior, adueniret enim naturæ exiſtenti per propriam exiſtentiam, ergo etiam ſubſiſtentia propria eſt poſterior ipſa exiſtentia.

6. Probatur quintò. Quintò probatur præſertim ad hominem, Poteſt Deus ſeparare exiſtentiam à ſubſiſtentia, quia ſubſiſtentia non dependet eſſentialiter ab exiſtentia, eſt enim ſecundùm Caiet. (Caietan.) prior illa; conſeruaretur igitur in tali caſu natura ſubſiſtens ſine exiſtentia. Hoc autem videtur implicare, quia inutilis eſſet exiſtentia, ſupponeretur enim res actu ſubſiſtens, iam eſſe actu, & extra cauſas ſuas, ergo fruſtra in poſteriori ſigno adueniret exiſtentia.

7. Probatur ſextò. Sextò probatur à pari, quia in natura accidentali, priùs eſt exiſtere, quàm inhærere, ergo in natura ſubſtantiali priùs eſt illam exiſtere, quàm ſubſiſtere. Conſequentia fundatur in paritate, quia ſicut ſe habet inhærentia ad accidens, ita ſubſiſtentia ad ſubſtantiam: Antecedens probatur, quia in Euchariſtia inhærentia actualis ſeparatur manente actuali exiſtentia.

Quòd ſi dicas, inhærentiam ſuppleri per nouum influxum Dei, Contrà, quia hoc magis probat intentum, quia hic nouus influxus eſt ſuperueniens actuali exiſtentiæ, ergo etiam inhærentia, quæ ſuppletur per hunc influxum, erit ſuperueniens exiſtentiæ: Quòd ſi reſpondeat Caietan. (Caiet.) ad conſequentiam, non eſſe eandem paritatem in ſubſiſtentia, & inhærentia, quia ſubſiſtentia prærequiritur ante exiſtentiam in priori ſigno ad hoc, vt reddat naturam capacem exiſtentiæ, Contrà eſt, quia ſi ſubſiſtentia reddit naturam ſubſtantialem capacem exiſtentiæ, eodem etiam modo inhærentia deberet reddere naturam accidentalem capacem exiſtentiæ, quia quod facit in natura ſubſtantiali ſubſiſtentia, facit in natura accidentali inhærentia.

8. Reſpõſio ad fundamentum Caie. Ad fundamentum autem Caietani reſpondetur, negando antecedens, quòd ſcilicet, munus ſubſiſtentiæ ſit reddere naturam capacem exiſtentiæ.

Et ad primam probationem reſpondetur, quòd eſt diuerſa ratio de exiſtentia, & aliis accidentibus; nam exiſtentia eſt primus actus, vt ſuprà probatum eſt, & ideo debet antecedere ipſam ſubſiſtentiam, & ipſum ſuppoſitum; at verò alia accidentia debent ſupponere naturam perfectè conſtitutam in eſſe ſubſtantiali, quod fit per ſubſiſtentiam, quia accidens ſubſequitur ſubſtantiam.

9. S.Thom. Ad ſecundam probationem ex S. Thom. reſpondetur quòd in illo loco tertiæ partis dicit potiùs oppoſitum, dicit enim, vt etiam interpretatur ipſe Caiet. (Caiet.) quod eſſe eſt de numero ſpectantium, & ad naturam, & ad perſonam: diuerſimodè tamen, quia ad perſonam vt habentem, ſeu vt quod eſt; ad naturam autem, vt eſt principium, ſeu quo aliquid eſt; quia natura ſignificatur per modum formæ; humanitas enim eſt, qua homo eſt: quare ſecundùm S. Thom. (S.Thom.) dicendum eſt, quòd exiſtere ipſius naturæ, vt quo, præcedit ipſum eſſe ſuppoſiti, vt quod.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm natura ſuppoſitata aliena ſubſiſtentia habeat appetitum ad propriam.

1. Breviter expeditur hæc difficultas, & pro reſolutione notandum eſt triplicem eſſe appetitum; Alium, qui eſt per indifferentiam, & hoc modo dicitur materia habere appetitum ad omnes formas.

Secundus eſt appetitus connaturalis per qualitatem ſuperadditam ad talem, vel talem formam, ſicut materia affecta ſiccitate, & caliditate vt octo, dicitur inclinari appetitu connaturali ad formam ignis, talis eſt etiam appetitus rei grauis ad centrum.

Tertius appetitus eſt rationalis, & elicitus. His poſitis, ſit

2. Prima concluſio. Prima concluſio. Primus appetitus per indifferentiam non datur in natura reſpectu ſubſiſtentiæ, ſicut datur in materia prima, quia materia prima ex ſe non dicit aliquam propenſionem connaturalem ad aliquam formam determinatam, at verò natura dicit propenſionem connaturalem ad propriam ſubſiſtentiam; quare ſe habet natura ad propriam ſubſiſtentiam, ſicut materia determinata per caliditatem, & ſiccitatem ad formam ignis, ex quo ſequitur quòd natura ſubſiſtens ſubſiſtentia aliena, dicit appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, quando tamen per potentiam Dei terminatur aliena ſubſiſtentia, non dicitur propriè violentari, quia habet potentiam obedientialem ad Deum.

3. Secunda concluſio. Secunda concluſio. Appetitu elicito natura terminata aliena ſubſiſtentia, aliquando appetit eſſe cum propria, aliquando non, ſi enim terminaretur æquali ſubſiſtentia aliena, tunc appeteret appetitu rationali ſuam, quia ſua eſt illi connaturalis: ſi verò ſubſiſtentia aliena creata eſt perfectior, tunc vel multùm excedit in perfectione, & in hoc caſu magis

appetet

Digitized by Google

appetet alienam, quàm propriam, nam quamuis propria excedat alienam in connaturalitate, exceditur tamen ab aliena in ratione ſubſiſtendi; connaturalitas autem non pertinet ad rationem ſubſiſtendi.

Obiectio. QVOD ſi obiicias, Potentia non appetit perfectiorem ſpeciem intentionalem, quàm requirit ſua connaturalitas, ergo nec natura perfectiorem ſubſiſtentiam.

Solutio. Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam potentia non poteſt operari per ſpecies excedentes ſuam naturam, at verò natura terminata aliena ſubſiſtentia poteſt operari, & prætereà tam ipſa, quàm eius actiones dignificantur magis ratione perſonæ, cum qua eſt vnita: ſi verò exceſſus alienæ ſubſiſtentiæ non eſt multò maior, fortaſſe natura appeteret appetitu rationali propriam ſubſiſtentiam; ſed hîc eſſet calculandum, an connaturalitas propriæ ſubſiſtentiæ præponderaret exceſſui alienæ ſubſiſtētiæ.

SEXTA QVÆSTIO.

Vtrùm in compoſito ſit vna ſimplex ſubſiſtentia, vel vna compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis.

1\. SVPPONENDVM eſt tanquam certum in Angelo eſſe vnam ſimplicem ſubſiſtentiam, & indiuiſibilem in partes eſſentiales, quia Angelus, vt ſupponimus cum communi, non eſt compoſitus ex forma, & ex materia corporea aut ſpirituali: non poteſt igitur ipſius ſubſiſtentia componi ex duabus ſubſiſtentiis ad inuicem vnitis, ſed neceſſariò debet eſſe vna ſimplex: Difficultas igitur eſt, An in compoſito ſit vna ſubſiſtentia ſimplex, & indiuiſibilis in partes eſſentiales, vel compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis, quarum altera ſit materiæ, & ſit ſicut potentia, & altera formæ, & ſit ſicut actus.

2\. Prima ſententia. CIRCA quam quæſtionem eſt prima ſententia multorum Doctorum aſſerentium in compoſito ſubſtantiali ſubſiſtentiam totalem eſſe compoſitam ex partialibus ſubſiſtentiis materiæ, & formæ, quæ ad inuicem vnitæ tanquam potentia, & actus componunt vnam per ſe ſubſiſtentiam totalem; ſicut materia & forma ad inuicem vnitæ componunt vnam per ſe naturam eſſentialem integram.

Fundamentum. FVNDAMENTUM huius opinionis eſt, quia ſecundùm ipſos Doctores ſubſiſtentia eſt modus, qui identificatur cum re, cuius eſt modus, ergo debet ſubſiſtentia, qua ſubſiſtit materia, identificari cum materia; & illa, qua ſubſiſtit forma, identificari cum forma, erunt igitur in compoſito duæ ſubſiſtentiæ partiales. Alii tamen graues recentiores dicunt in forma non eſſe propriè partialem ſubſiſtentiam, ſed complementum ſubſiſtentiæ, quorum fundamentum afferemus infra in prima concluſione.

3\. Secunda ſententia. Fonſ. SECVNDA ſententia eſt Fonſecæ lib. 5. cap. 8. q. 5. ſect. 4. aſſerentis in omni compoſito eſſe quidem vnam tantùm ſubſiſtentiam ſimplicem, ſed dicit illam ſubſiſtentiam immediatè terminare totam naturam integram; ipſas verò partes, nonniſi vt componunt vnam naturam integram, & ideo ſi illa natura corrumpatur, corrumpetur etiam illa entitas ſimplex ſubſiſtentiæ, & reſultabunt duæ aliæ ſubſiſtentiæ in partibus ſeparatis, vt cùm corrumpitur homo; altera ſubſiſtentia eſt in cadauere, & altera in anima rationali.

Fundamentum. FVNDAMENTUM huius opinionis eſt, quia ſubſiſtentia non ſolùm dicit negationem dependentiæ à

A ſubiecto, ſed etiam negationem exiſtendi in alio per modum partis; oportet igitur dari vnam ſubſiſtentiam, quæ immediatè afficiat totam naturam integram, partes verò non niſi vt componunt illam naturam: nam ſi immediatè afficeret partes, vel vnam partem immediatè, & alteram mediatè; tunc ſubſiſtentia eſſet per modum partis in toto, quod quidem repugnat rationi ſubſiſtentiæ.

TERTIA ſententia eſt Caiet. 3. part. quæſt. 6. art. 6. qui quidem tenet cum ſecunda ſententia, dari tantum vnam ſubſiſtentiam ſimplicem in compoſito; Differt tamen, quia aſſerit hanc vnam ſubſiſtentiam ſimplicem non immediatè afficere totam naturam integram, & mediatè partes componentes illam naturam, vt dicebat ſecunda ſententia, ſed immediatè afficere vnam partem, & per illam aliam partem. 4. Tertia ſententia. Caietanus.

B

Quòd ſi quæras à Caietano quam partem afficiat ſubſiſtentia immediatè, reſpondet quòd ſi forma eſt materialis, primò & immediatè afficit, & terminat materiam, & per illam afficit mediatè formam, & ratio eſt, quia forma materialis eſt dependens à materia; Si verò forma eſt ſpiritualis, vt in homine, tunc ſubſiſtentia primò, & immediatè afficit formam quæ eſt anima rationalis, & per illam afficit materiam; & ratio eſt quia cum ſubſiſtentia animæ rationalis ſit nobilior, eſt enim ſpiritualis, connaturalius eſt, vt in homine potiùs detur ſubſiſtentia in anima, quam in corpore.

C

PRIMA concluſio contra primam ſententiam cum Caietano, & Fonſeca, non dari in compoſito ſubſiſtentiali duas partiales ſubſiſtentias, ſed vnam tantùm ſimplicem, probatur 5. Prima concluſio. cū Caietanus. Fonſ.

PRIMÒ, Superfluè dantur duæ partiales ſubſiſtentiæ, cùm vna tantùm ſimplex ſufficiat, ipſi enim aduerſarij etiam ipſo Suario conſentiente in met. diſp. 34. ſect. 5. fatentur quòd dantes ſubſiſtentiam realiter diſtinctam à natura, vt nos damus, vt videre licet in quæſtione ſequenti, conſequenter ponere debent vnam ſubſiſtentiam ſimplicem in toto compoſito. Prima ratio.

SECUNDÒ probatur, Inter has partiales ſubſiſtētias debet eſſe vnio, ſed vnio repugnat ſubſiſtentiæ, ergo, &c. Maior probatur; quia ſubſiſtentia totalis cōpoſiti debet eſſe per ſe vna, vt fiat vnum per ſe ſubſiſtens, tum quia ipſa natura eſt vna, tum quia diſſoluto compoſito hominis remanent partiales ſubſiſtentiæ in anima & corpore, non tamen remanet ſubſiſtentia humanitatis, ſicut nec remanet ipſa humanitas; debent igitur illæ duæ partiales ſubſiſtentiæ vniri inter ſe, ad hoc vt fiat vna ſubſiſtentia totalis per ſe vna. Minor, quòd, ſcilicet, vnio repugnat ſubſiſtentiæ, probatur; nam ſubſiſtentia, vt bene aduertit Caietanus 3. par. quæſt. 6. art. 6. & Fonſeca lib. 5. cap. 8. quæſt. 5 ſect. 4. includit negationem exiſtendi in alio, non ſolùm tanquam in ſuſtentante, ſed etiam tanquam in toto per modum, ſcilicet, partis. 6. Secunda ratio. Caietanus. Fonſeca.

D

E

Pro quo nota; quòd partem exiſtere in alio tanquam in toto ſtat dupliciter: Vnus modus eſt, quando pars exiſtit in toto eſſentiali, & hic modus non repugnat ſubſiſtentiæ; nam anima rationalis exiſtit in toto eſſentiali tanquam pars, & tamen verè ſubſiſtit: Alius modus eſt quando pars exiſtit in toto ſubſtantiali, quod tunc eſt, quando ſubſiſtentia vnius partis vnitur cum ſubſiſtentia alterius compartis ad faciendum vnum totum ſubſiſtens, & hunc modum exiſtendi in alio dicimus repugnare ſubſiſtentiæ: quia ſubſiſtentia, vt ſubſiſtentia eſt, non ſolùm dicit negationem dependentiæ à ſubiecto, ſed etiam negationem exiſtendi in alio tanquam

Digitized by Google

quam in toto,nam anima Chriſti habet negationem dependentiæ a ſubiecto, non enim eſt educta de potentia materiæ, ſicut cæteræ animæ materiales, & tamen non habet negationem exiſtendi in alio, quia eſt in Verbo,cum quo vnitur. Quòd ſi haberet propriam ſubſiſtentiam, non diceretur eſſe in alio; ſed potiùs in ſe, ſeu per ſe; repugnat igitur ſubſiſtentiæ, vt ſubſiſtentia eſt, exiſtentia in alio. Sed ſi vna ſubſiſtentia partialis vniretur cum alia, iam ſubſiſtentia tamquam pars exiſteret in toto ſubſtantiali, quod, vt probatum eſt, repugnat ſubſiſtentiæ vt ſubſiſtentia eſt:non igitur poſſunt dari in toto duæ ſubſiſtentiæ partiales inuicem vnitæ in vno toto.

7. Tertia ratio. TERTIÒ probatur peculiariter in forma materiali;quia huic repugnat ſubſiſtentia partialis,nam cum omni ſuo modo dependet à materia tamquam à ſuſtentante, educitur enim de potentia illius;non igitur poteſt ille modus, qui eſt in forma, eſſe ſubſiſtentia partialis. Et hæc ratio ſumitur ex S.Thoma 1.p. q.75. art.3. & ex Auguſtino, vt circumfertur in lib. de Eccleſ. dogm.c.16.& 13.qui aſſerunt formam materialem non eſſe ſubſtantiuam,ſeu ſubſiſtentem. S.Thom. Auguſt.

8. AD hanc rationē,quæ valde torquet aduerſarios, ſolent aliqui reſpondere, Primò quòd ſubſiſtentia partialis formæ dependet à ſubſiſtentia materiæ tamquam à diſpoſitione; huiuſmodi autem dependentia non tollit rationem ſubſiſtentiæ, ſicut nec dependentia ab agente;Sed contrà, quia ex communi omnium conceptione forma dependet à materia tamquam à ſubiecto, & à ſuſtentante, non igitur tamquam à diſpoſitione, ſicut fortè dependet materia à forma.

9. Secundò reſpondent ſatis ingenioſè aliqui doctiſſimi recentiores concedendo propter argumentum factum, formam materialem non habere ſubſiſtentiam partialem,ſed dicunt habere modum quendam, qui ſit complementum quoddam, quod cum ſubſiſtentia materiæ complet integrum terminum totius compoſiti complete ſubſiſtentis, & per hunc (inquiunt)modū forma non ſubſiſtit,quia adhuc iſte modus dependet à materia, ſed per huiuſmodi modum forma eſt in toto, quod per ſe ſubſiſtit: Sicut enim punctum componit cum linea,tanquam complementum ipſius, ita iſte modus formæ componit cum ſubſiſtentia materiæ tamquam complementum illius;ex ſubſiſtentia enim materiæ & hoc complemento formæ, reſultat integer terminus totius compoſiti complete ſubſiſtentis.

SED contra hanc ſecundam reſponſionem, inſtatur.Primò, quia contra hanc reſponſionem militat ſecundum argumentum,quod fecimus pro hac conclusione: Inter enim ſubſiſtentiam materiæ, & hoc complementum formæ requiritur vnio, quæ repugnat ſubſiſtentiæ, vt dictum eſt.

Secundò inſtatur, quia ex hac reſponſione ſequeretur quòd materia dependeret à forma, ſicut forma à materia:ſicut enim forma ſubſtantialis ideo dependet à materia tamquam à ſubiecto, quia illud complementum formæ dependet à ſubſiſtentia materiæ, ita ſimiliter materia dependet à forma, quia ſubſiſtentia materiæ dependet ab illo complemento quod eſt in forma, & tamen communior opinio tenet quòd ſi per miraculum forma ſeparetur à materia, naturaliter enim hoc fieri non poteſt; quia forma corrumpitur per introductionem formæ oppoſitæ, ſi tamen,inquam, per miraculum ſeparetur,non requireretur nouum miraculum ad conſeruandam materiam, vel ſi admittatur aliqua dependentia materiæ à forma,eſt tamquam à poſteriori;at verò quia iuxta hanc opinionem materia ſecundùm ſuam ſub-

A ſiſtentiam dependet à complemento, quod eſt in forma; ideo neceſſe eſt dicere quòd materia dependeat à forma à priori,ſicut forma depēdet à materia.

Quòd ſi dicas, Ille modus, qui eſt in forma, eſt complementum ſubſiſtentiæ totius, ac propterea non ſequitur, materiam quò ad ſuam ſubſiſtentiam partialem dependere ab illo modo, qui eſt in forma.Contrà hoc eſt, quia iuxta hanc ſententiam non datur alia ratio ſubſiſtendi in toto, præter illam quæ eſt in materia;ergo ille modus, qui eſt in forma, eſt complementum ſubſiſtentiæ partialis, quæ eſt in materia, quæ ſubſiſtentia dum completur per illum modum, eſt ſubſiſtentia totius. Quòd verò non detur alia ratio ſubſiſtendi in toto præter ſubſiſtentiam

B materiæ,probatur, quia illud complementum, quod eſt in forma, non habet rationem ſubſiſtentiæ, vt etiam concedunt aduerſarij, vnde etiam bene inferunt, quòd ſi forma per diuinam potentiam ſepararetur à materia, non poſſet exiſtere cum ſolo complemento, quia illud complementum dicit actualem habitudinem ad ſubſiſtentiam materiæ, & competit formæ non quomodocumque, ſed vt informanti & componenti totum.

Tertiò inſtatur, quia ſequeretur quòd anima rationalis dependeret quò ad modum exiſtendi à materia, ſicut pendet forma materialis;Sed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Minor patet,quia anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis, Sequela Maioris proba- 10.

C tur, quia anima rationalis vt vnita corpori non habet propriam ſubſiſtentiam partialem,vt etiam concedunt aduerſarij propter primum argumentum factum pro hac concluſione, ſed habet complementum ſicut forma materialis;Quòd ſi dicas illum modum complementi in anima rationali non dependere à ſubſtantia partiali materiæ;Contra hoc eſt,quia complementum, vt complementum eſt, pertinet ad ſubſiſtentiam partialem materiæ, cuius eſt complementum; quare dicit actualem habitudinem ad illam; ſequeretur igitur quòd anima rationalis dum eſt vnita materiæ, dependet quò ad ſuum modum exiſtendi,à materia,ſicut forma materialis, quicquid ſit an poſtea dum ſeparatur, reſultet in anima rationali

D ſua partialis ſubſiſtentia;ſatis eſt enim ad abſurditatem, quòd dum eſt vnita non ſolùm quò ad vnionem, ſed etiam quò ad modum exiſtendi,dependeat à materia, ita vt verè quò ad eſſe,dum eſt vnita, dependeat à materia.

SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam; In compoſito ex materia & forma materiali hanc vnam ſubſiſtentiam ſimplicem non immediatè afficere totā naturam integrā,ſed immediatè afficere materiā,& per ipſam afficere mediatè formam;vt bene quantùm ad hoc dicit Caie.relatus in 3.ſententia. 11. Secunda concluſio.

PRIMA pars concluſionis,quòd,ſcilicet,hæc ſubſiſtentia ſimplex non immediate afficiat totam naturam integram,probatur,&

PRIMÒ probant aliqui, quia ſubſiſtentia eſt modus ex natura rei diſtinctus à re cuius eſt modus, Prima pars cōcluſionis probatur primò.

E vnus autem & idem modus non poteſt identificari cum duobus extremis; at ſi ſubſiſtentia afficeret immediatè totam naturam, neceſſe eſſet dicere, quòd immediatè identificaretur cum materia, & forma, quæ componunt ipſam naturam.

Sed hæc probatio non eſt omnino efficax, tum quia non eſt certum ſubſiſtentiam eſſe modum, infrà enim in ſequenti quæſtione oſtendemus, ſubſiſtentiam diſtingui tamquam rem à re, tum quia, vt infrà oſtendemus in quarta diſputatione de vnione, non repugnat vnum & eundem modum afficere intrinſece vtrumque extremum tamquam vnum

Digitized by Google

vnum adæquatum ſubiectum ſeu terminum, ſicut idem punctum continuatiuum afficit duas partes lineæ.

12. Secunda ratio. PRobatur igitur ſecundò efficaciter, Si hæc vna ſubſiſtentia ſimplex immediatè afficeret totam naturam, ſequeretur, quòd forma non dependeret à materia tanquam a ſubiecto, ſeu ſuſtentante, quia ſuſtineretur per ſubſiſtentiam totius, ſicut ipſa materia.

Et confirmatur, quia forma materialis ſubſtantialis non alio modo dependet a materia, niſi quia ſubſiſtit per ſubſiſtentiam materiæ, vt mox infra probabitur.

13. Secũda pars cõcluſionis probatur. SECVNDA pars concluſionis, quòd, ſcilicet, hæc vna ſubſiſtentia ſimplex in compoſito ſubſtantiali ex materia & forma materiali primò & immediatè afficiat ipſam materiam, & mediatè ipſam formam, probatur.

Primò. PRimò, quia forma materialis non poteſt habere ſubſiſtentiam partialem, quæ ſimul componat cum ſubſiſtentia materiæ, vt oſtenſum eſt in prima concluſione, nec poteſt eſſe vna ſubſiſtentia ſimplex, quæ æquè afficiat materiam & formam. vt paulò antè probatum eſt; Reſtat igitur vt hæc ſubſiſtentia ſimplex vel immediatè afficiat formam, & mediatè materiam, vel è contra; non poteſt dici primum, quia tunc materia dependeret à forma; debet igitur dici ſecundum, quòd ſcilicet afficiat immediatè materiam; & mediatè formam.

14. Secunda ratio. PRobatur ſecundò, Forma ſubſtantialis materialis non eſt in materia tanquam per inhæſionem, ſicut eſt forma accidentalis. Quod ex eo colligitur, quia forma accidentalis non eſt aſſumptibilis à Verbo, forma autem ſubſtantialis materialis eſt aſſumptibilis, imò de facto multi tenent formam ſanguinis, & formã cadaueris aſſumptam eſſe a Verbo; dependet igitur forma materialis à materia ſecundùm rationem ſubſiſtentiæ, quatenus mediatè ſubſiſtit & ſuſtentatur per ſubſiſtentiam materiæ.

S.Thom. Neque oppoſitum dicit S.Tho.1.p.q.25.art.2.vbi videtur dicere quòd forma materialis ſubſtantialis inhæreat in ſubiecto, ſicut forma accidentalis; ibi enim tantùm intendit ſanctus Doctor, quod forma materialis ſubſtantialis & accidentalis conueniant in eo, quòd vtraque dependeat a ſubiecto tanquam à ſuſtentante.

15. Prima obiectio contra ſecundã cõcluſionem. S.Thom. CONTRA hanc ſecundam concluſionem multipliciter obiiciunt aduerſarij.

PRimò, Subſiſtentia terminat ipſum compoſitum tanquam naturam completam, ipſum enim compoſitum dicitur per ſe ſubſiſtere ex S. Thom. 2. contra gentes cap. 68. ergo non poteſt ſubſiſtentia eſſe tantùm partialiter in materia, quia ſequeretur, quòd compoſitum eſſet ſuppoſitum incompletum, quia ſubſiſtentia per quam ſubſiſteret, eſſet incompleta.

Soluitur. Reſpondetur quòd totum compoſitum dicitur ſubſiſtere, & eſſe ſuppoſitum completum, quia quamuis ſit in compoſito vna tantùm ſubſiſtentia materiæ, tamen per illam, tanquam per realitatem diſtinctam verè afficitur, & terminatur non ſolùm ipſa materia, verùm etiam ipſa forma, quamuis mediatè: quare compoſitum eſt ſubſiſtens completè, quia ſicut eſſentialiter conſtat ex materia & forma tanquam partibus eſſentialibus, ita etiam ſubſtantialiter conſtat ex materia affecta & terminata per ſubſiſtentiam, & ex forma etiam affecta & terminata per eamdem ſubſiſtentiam. Quòd autem ſubſiſtentia primò afficiat materiam, & mediatè formam, non obſtat ad rationem compoſiti ſubſtantialis,

A imò hoc eſt conforme ſubſtantiæ materiali; quia forma materialis dependet à materia tanquam à ſubiecto.

Obiicies ſecundò, Sequeretur quòd ſola materia in huiuſmodi compoſitis materialibus eſſet ſubſtantia, quia ſola ipſa eſt apta terminari per ſubſiſtentiam. 16. Secunda obiectio.

Reſpondetur, vt ſuprà reſponſum eſt, hanc obiectionem habere locum, ſi diceremus formam inhærere in materia, ſicut inhæret forma accidentalis; Sed nos dicimus formam materialem affici & terminari à ſubſiſtentia materiæ mediatè, quatenus ſubſiſtentia materiæ præſtat formæ materiali effe-
B ctum ſuum formalem, modum, ſcilicet, exiſtendi per ſe, quia alioqui non eſſet aſſumptibilis à Verbo, ſi haberet modum exiſtendi inhæſiuè in ſubiecto, ſicut habet forma accidentalis, & conſequenter facilè negatur ſolam materiam eſſe ſubſtantiam, ſed totum compoſitum. Soluitur.

Tertiò obiicitur, Materia eſt imperfectior forma materiali, ergo non poteſt tota ratio ſubſiſtendi eſſe à ſubſiſtentia materiæ. 17. Tertia obiectio.

Reſpondetur quòd ſecundùm gradus rerum forma eſt nobilior materia, ſicut formica ſecundùm gradum viuentis eſt nobilior cœlo: tamen in modo exiſtendi forma eſt imperfectior materia, quia dependet ab illa tanquam à ſubiecto, ſicut cœlum eſt nobilius formica in modo exiſtendi, quia incorru-
C ptibiliter exiſtit. Soluitur.

QVartò obiicies, Forma materialis habet eſſe In, quia eſt in ipſo ſubiecto, ergo non poteſt ſubſiſtere, quia modus eſſendi In, & modus ſubſiſtendi, ſeu eſſendi per ſe repugnant. 18. Quarta obiectio.

Reſpondetur ex dictis, quòd non habet eſſe, In, inhæſiuè, vt forma accidentalis, ſed habet eſſe In, vt ita dixerim, ſubſtantialiter, quatenus mediatè afficitur & terminatur per ipſam ſubſiſtentiam materiæ tribuendo illi modum exiſtendi per ſe, An autem forma materialis ſit vnita materiæ ſubſiſtenti per vnionem realem, videbimus in diſputatione quarta de vnione. Soluitur.

Obiicies quintò, Si materia ſubſiſtit per vnam
D totam & ſimplicẽ ſubſiſtentiam, ergo ſubſiſtit ſubſiſtentia completa, hoc autem eſt abſurdum, quia materia eſt natura partialis. 19. Quinta obiectio.

Reſpondetur primò negando conſequentiam, quia Chriſti anima in triduo ſubſiſtebat ſubſiſtentia Verbi, non tamen propterea dicebatur anima ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtens completè, quia non erat natura integra, ſed partialis eſſentialiter. Soluitur.

Secundò reſpondetur, quòd ſubſiſtentia materiæ tunc dicitur propriè completa, quando afficit materiam, & formam, quia tunc totaliter, & completè exercet munus ſubſiſtentiæ; quando verò afficit ſolùm materiam, tunc eadem vna & ſimplex ſubſiſtentia tantùm partialiter exercet munus.

E Obiicies ſextò, Materia vnitur cum forma: ſed vnio repugnat cum ſubſiſtentia, quia vnio dicit eſſe, In, ſubſiſtentia verò dicit eſſe, Per ſe. 20. Sexta obiectio.

Reſpondetur, quòd vnio eſſentialis non repugnat cum ſubſiſtentia, ſed repugnat vnio ſubſtantialis, vnio, ſcilicet, ſubſiſtentiæ cum ſubſiſtentia. Soluitur.

Obiicies ſeptimò, Sequeretur quòd forma ſanguinis non fuerit immediatè vnita Verbo, ſed ſolùm mediatè ratione materiæ, ſicut accidentia; quod eſt contra ſanctum Thomam 3.p.q.5. Sequela probatur, nam eo modo eſt vnita forma Verbo, quo vniretur ſubſiſtentiæ creatæ; vnitur autem ſubſiſtentiæ creatæ mediatè ſecundùm hanc opinionem. 21. Septima obiectio. S.Thom.

Reſpondetur quòd quia materia, & forma ſan- Soluitur.

guinis vniuntur Verbo per partiales vniones, dicuntur immediatè vniri ipſi Verbo, non tamen hinc ſequitur, quòd non dicatur aliquo modo forma ſanguinis mediatè terminari à Verbo, quia non terminaretur niſi ipſa eſſet mediatè terminabilis per materiam, neque S. Thom. & Theologi negant hanc mediatam terminationem, ſed ſolùm negāt formam ſubſtantialem vniri Verbo mediatè, ſicut vniuntur accidentia, quia accidentia non aſſumuntur à Verbo, ſicut aſſumitur forma ſubſtantialis, ſed dicuntur vniri Verbo, quatenus exiſtunt in humanitate ſubſiſtente per Verbum.

22. Octaua obiectio. Obiicies octauò. Hæc ſubſiſtentia in materia non poteſt eſſe diuiſibilis, nec indiuiſibilis, ergo non poteſt dari. Antecedens probatur, quia ſi eſſet diuiſibilis, ergo haberet partes integrantes, quod implicat ſubſiſtentiæ, nam ſubſiſtentia dicit perſeitatem, at partes integrantes dicunt eſſe, In, ſcilicet in toto ſubſtantiali. Quòd verò neque ſit indiuiſibilis, probatur, quia eſt materialis, & prætetea materia, qua afficitur hæc ſubſiſtentia, eſt diuiſibilis, ergo etiam ſubſiſtentia debet eſſe diuiſibilis.

Soluitur. Reſpondetur ſubſiſtentiam in materia eſſe quidem materialem, ſed indiuiſibilem, ſicut in ſimili tenet S. Thom. de formis brutorum. Quòd ſi inſtes, Subſiſtentia eſt perfectio conſequens materiam, ergo non poteſt excedere materiam in perfectione. S.Thom.

Reſpondetur quòd non excedit ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quia cùm materia ſit fundamentum formarum materialium ab ipſa dependentium, debet habere ſubſiſtentiam ita ſibi propriam vt mediatè per illam ſubſiſtant formæ materiales, & cùm hæc ſubſiſtentia non poſſit eſſe diuiſibilis, vt probatum eſt, dicendum eſt quòd connaturaliter competit materiæ habere ſubſiſtentiam indiuiſibilem.

23. Nona obiectio. Obiicies nonò. In homine ſubſiſtentia non eſt ſubſiſtentia ſolius materiæ, quia non poteſt dici quòd anima rationalis mediatè ſubſiſtat per ſubſiſtentiam materiæ, cùm non dependeat ab ipſa tamquam à ſubiecto, ergo neque in aliis compoſitis: Conſequentia probatur, quia ſi ſubſiſtentia materiæ in homine eſt incompleta, & appetit complementum ſubſiſtentiæ animæ rationalis, ergo etiam in aliis compoſitis, eſt incompleta, & manet cum eodem appetitu, quia eadem eſt, quæ ſtat ſub aliis formis.

Reſpondetur, quòd hæc obiectio petit illam difficultatem, An in homine ſit ſubſiſtentia tantùm in anima rationali; per quam ſubſiſtat anima immediatè, & mediatè materia; an verò ſit vna ſubſiſtentia ſimplex in toto homine immediatè afficiens vtramque partem; & an hæc ſubſiſtentia ſit materialis an ſpiritualis, de qua difficultate mox dicemus in tertia aſſertione.

24. Tertia concluſio. Tertia concluſio. In homine hæc vnica ſubſiſtentia ſimplex afficit immediatè totam naturam, ac proinde æquè primò materiam & animam rationalem; Hæc concluſio eſt Fonſecæ lib. 5. cap. 1. quæſt. 5 ſect. 4. eſt etiam San. Thomæ 1. p. q. 27. art. 1. & lib. 1. contra Gentes cap. 68. Fonſ. S.Thom.

Prima ratio. Probatur hæc concluſio. Non poſſunt dari in ſuppoſito duæ ſubſiſtentiæ partiales, vt probatum eſt in prima concluſione, ſed debet eſſe in compoſito vna ſubſiſtentia ſimplex; Vel ergo hæc vna ſubſiſtentia ſimplex in homine afficit immediatè materiam, & mediatè ipſam animam rationalem, & hoc non poteſt dici, quia ſequeretur quòd anima rationalis dependeret à materia tamquam à ſuſtentante, ſicut forma materialis, non enim alio modo, vt oſtendimus in ſuperiori concluſione, forma materialis dependet à materia tamquam à ſubiecto;

A Vel hæc ſubſiſtentia immediatè afficit animam rationalem, & mediatè materiam, & neque hoc poteſt dici, quia ſequeretur quòd materia dependeret ab anima rationali tamquam à ſuſtentante: Reſtat igitur, vt dicatur quòd ſubſiſtentia in homine eſt vna ſimplex immediatè afficiens totam naturam, & æquè primò omnes partes eſſentiales naturæ humanæ, vt vnitas, totum enim nihil aliud eſt quàm ipſæ partes ſimul vnitæ, vt ſupponimus ſecundùm veriorem opinionem.

Secundò probatur, quia homo eſt compoſitum materiale ex communi omnium conſenſu, tum Philoſophorum, tum Theologorum; ſi igitur ſubſiſteret per ſubſiſtentiam animæ, potiùs eſſet perſona ſpiritualis, ſicut de Chriſto dicitur, quòd eſt B perſona increata, quia ſubſiſtit per ſubſiſtentiam increatam. 25. Secunda ratio.

Tertiò probatur, Vnio hypoſtatica in Chriſto non fuit facta cum corpore mediante anima, nec cum anima mediante corpore, ſed immediatè cum vtraque parte; ergo eodem modo ſubſiſtentia propria, quæ fuit impedita, debuiſſet afficere æquè primò vtramque partem. Antecedens probatur, quia poſt ſeparationem animæ à corpore in Chriſto, anima & corpus ſine vlla alia dependentia ad inuicem remanſerunt vnitæ Verbo, non ergo anima in Chriſto ante ſeparationem fuit vnita Verbo mediante corpore, nec corpus mediante anima. Conſequentia probatur, quia ſubſiſtentia Verbi fecit quod fa- C ceret ſubſiſtentia propria. 26. Tertia ratio.

Obiicies primò contra hanc tertiam concluſionem, Anima rationalis fit per creationem priùs natura, quàm vniatur corpori, ergo fit ſubſiſtens in eo inſtanti, in quo creatur, ex D. Thoma 1. par. q. 45. art. 18. vbi habet, quòd creare eſt proprium rerum ſubſiſtentium. Cùm igitur in eodem inſtanti, in quo creatur ſubſiſtens, vniatur corpori, non enim poteſt pro eodem inſtanti corrumpi; dicendum eſt quòd vnitur ſubſiſtens, non igitur ſubſiſtit per ſubſiſtentiam totius. Quòd ſi dicas poſt vnionem corrumpi ſubſiſtentiam animæ, contrà, quia, ſi pro vno inſtanti poteſt eſſe in corpore cum propria ſubſiſtentia, non eſt cur repugnet in toto reliquo tempore. 27. Prima obiectio contra tertiam concluſionem. D.Thom.

D Reſpondetur, quòd in illo inſtanti temporis anima, quæ creatur, non eſt ſine ſubſiſtentia, ſubſiſtit enim in eo inſtanti, in quo creatur per ſubſiſtentiam totius: Si verò conſideretur anima in aliquo priori ſigno antequam intelligatur vnita corpori, poteſt etiam dici in illo priori aliquo modo ſubſiſtere, quatenus eſt independens à corpore tamquam à ſubiecto. Soluitur.

Obiicies ſecundò. Hæc ſubſiſtentia in homine vel eſt materialis, vel ſpiritualis: ſed neutrum poteſt dici: Non ſpiritualis, quia tunc ſequeretur, quòd perſona hominis eſſet ſpiritualis, ſicut perſona Chriſti dicitur increata, quia perſonalitas eſt increata. Dicere autem quòd perſona hominis eſt ſpiritualis, E eſt abſurdum ex communi omnium conſenſu, quia diſtinguitur à perſona Angeli, quia hæc eſt ſpiritualis, illa materialis; Nec poteſt hæc ſubſiſtentia totius eſſe materialis, quia eſſet extenſa, quare non poſſet afficere animam ſpiritualem. 28. Secunda obiectio.

Reſpondetur concedendo hanc ſubſiſtentiam eſſe materialem, negatur tamen eſſe extenſam & diuiſibilem in partes integrantes, ſed eſt indiuiſibilis, ſicut S.Thom. dicit de anima equi. Soluitur. S.Thom.

Sed dubium occurrit, quare ſubſiſtentia in homine non poteſt eſſe extenſa? Aliqui dicunt, quòd quantum non poteſt afficere animam rationalem, quæ eſt ſpiritualis. 29. Dubium.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc ratio non placet, oſtendemus enim infrà in diſputatione quarta de vnione circa finem, poſſe vnionem extenſam ſubiectari in re ſpirituali; ratio igitur eſt, quia ſi eſſet extenſa, haberet partes integrantes: Repugnat autem ſubſiſtentiam diuidi in partes integrantes, nam vna pars ſubſiſtentiæ vniretur alteri, hoc autem repugnat rationi ſubſiſtentiæ, vt ſubſiſtentia eſt; nam effectus formalis ſubſiſtentiæ, non eſt ſola inſeitas, id eſt, independentia à ſubiecto, quam quidem independentiam habuit anima Chriſti, ſed præcipuus effectus eſt perſeitas, quæ dicit negationem exiſtendi in alio ad modum partis ſeu formæ; Vnde ſequitur primò, quòd cùm diuiditur aqua, non ſolùm corrumpitur, vt exiſtimant aliqui recentiores, terminus ille communis, qui continuabat duas partes aquæ, ſed corrumpitur tota illa ſubſiſtentia ſimplex, & indiuiſibilis, quæ erat in aqua tamquam in vno ſuppoſito, & ex diuiſione fiunt etiam duæ ſubſiſtentiæ; vnde vlteriùs ſequitur, quòd cùm iterum illa duo ſuppoſita aquæ continuantur, corrumpuntur illæ duæ ſubſiſtentiæ, quia alioqui vnum ſuppoſitum communicaretur alteri ſuppoſito, quod implicat, & ex illis ſubſiſtentiis corruptis, producitur vna noua ſubſiſtentia ſimplex indiuiſibilis, per quam illæ duæ partes aquæ ſubſiſtunt, & fiunt vnum ſuppoſitum.

Quare dicendum eſt, ſubſiſtentiam in homine eſſe vnam ſimplicem immediatè afficientem totam humanitatem, & hanc eſſe materialem, non quidem extenſam & diuiſibilem, ſed totam in toto, & totam in qualibet parte naturæ, ſicut Thomiſtæ dicunt de forma bruti: Nec obſtat ideo formam bruti eſſe indiuiſibilem, quia forma bruti eſt perfectior, quàm ſubſiſtentia, non, inquam, obſtat, quia quamuis anima bruti quantùm ad gradum entitatis ſit perfectior, poteſt tamen quantùm ad modum eſſendi, ſubſiſtentia eſſe æquè perfecta vel perfectior propter repugnantiam, quam habet ſubſiſtentia cum diuiſibilitate.

30. *Tertia obiectio.* Tertiò obiicies, Hæc ſubſiſtentia totius in homine afficit primò naturam humanam integram. & partes nonniſi per naturam, ergo partes non ſubſiſtunt per hanc ſubſiſtentiam totius, ſed potiùs vniuntur ſubſtantialiter cum ſubſiſtentia totius, ſicut humanitas in Chriſto vnitur cum ſubſiſtentia Verbi.

Soluitur. Reſpondetur, ſi daretur tertia entitas diſtincta realiter à partibus, tunc videretur fortè ſequi quod dicitur in argumento; ſed quia probabilius eſt non dari hanc tertiam entitatem, totum enim nihil aliud eſt quàm ipſæ partes vnitæ, nec differunt niſi ſecundùm diuerſum modum ſignificandi, ideo dicendum eſt, quòd illa ſubſiſtentia immediatè, & æquè primò afficit per ſe, & terminat omnes partes vnitas; Et hoc modo intelligitur afficere & terminare totam naturam integram, quæ tantùm à partibus ſimul vnitis differt ſecundùm diuerſum modum ſignificandi, & ſecundùm hunc diuerſum modum ſignificandi, fortè dici poſſet quòd ſubſiſtentia primò afficiat totum, ſeu naturam integram, ſicut ſecundùm diuerſum etiam modum ſignificandi partes ſimul vnitæ dicuntur componentes, & totum dicitur compoſitum ſeu conſtans ex partibus ſimul vnitis, ſecundùm quamdam denominationem extrinſecam à partibus componentibus.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ, SECVNDÆ, ET *tertiæ ſententiæ.*

31. AD fundamenta aliarum opinionum facilè patet reſponſio ex dictis; breuiter tamen reſpondetur ad ſingula.

Ad fundamentũ primæ opinionis, quod eſt contra primam concluſionem reſpondetur primò, negando ſubſiſtentiam diſtingui à natura tamquam modum rei à re; diſtinguitur enim tamquam res à re, vt in ſequenti quæſtione probabitur. Secundò reſpondetur, quòd etiamſi diſtinguatur tamquam modus rei à re, adhuc nihil obſtat, quin poſſit identificari cum materia & forma tamquam cum vno extremo adæquato, vt oſtendemus in diſputatione quarta de vnione, ſicut ſimiliter punctum identificatur cum vtraque parte continui. *Reſpõſio ad argumentũ primæ opinionis.*

32. *Ad argumẽtũ ſecundæ opinionis.* Ad fundamentum ſecundæ opinionis, quatenus tenet contra ſecundam concluſionem in compoſito ex materia & forma materiali dari vnam ſubſiſtentiam ſimplicem immediatè afficientem totam naturam, non autem immediatè materiam, & mediatè formam, reſpondetur non repugnare quòd ſit vna ſubſiſtentia ſimplex, quæ immediatè afficiat materiam, & mediatè formam, quia non eſſet hæc ſubſiſtentia per modum partis in toto: repugnat enim quòd ſubſiſtentia ſit partialiter in materia, & partialiter in forma, vt probatum eſt ſuprà in prima concluſione.

33. *Ad argumẽtum tertiæ opinionis.* Ad fundamentum tertiæ opinionis, quatenus contra tertiam concluſionem tenet in homine eſſe vnam ſubſiſtentiam ſimplicem immediatè afficientem animam rationalem, tanquam nobiliorem partem, & mediatè materiam, reſpondetur, quòd quamuis anima ſit nobilior, non tamen propterea debet eſſe vna ſubſiſtentia, quæ immediatè afficiat animam, & mediatè materiam, hoc enim implicat; ſequeretur enim quòd materia dependeret ab anima tamquam à ſuſtentante, quod quidem eſt falſum, quia etiam deberet dependere à forma materiali, quando eſt vnita cum forma materiali, ſemper enim haberet tandem indigentiam; Sed potiùs dicendum eſt, vt habetur in tertia concluſione, quòd ſubſiſtentia in homine eſt vna ſimplex immediatè æquè afficiens totam naturam humanam, tunc enim neque anima rationalis dependeret à materia tamquam à ſuſtentante, neque materia à forma.

SEPTIMA QVÆSTIO.

Vtrùm ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtentia diſtinguatur à natura, & quomodo.

VIDIMVS hucuſque naturam, ſeu rationem ſubſiſtentiæ; nunc agendum eſt de diſtinctione inter naturam, & ſuppoſitum, & de his quæ concomitantur diſtinctionem.

AFFERTVR PRIMA SENTENTIA, ET IMPVGNATVR.

1. *Prima ſententia. Durand.* CIRCA diſtinctionem igitur naturæ à ſuppoſito, eſt prima ſentẽtia Duran. in 1. d. 34. q. 1. & in 3. d. 1. q. 2. & q. 4. ad 1. aſſerentis ſuppoſitum à natura diſtingui tantùm ratione, ex diuerſo, ſcilicet, modo ſignificandi, nam ſuppoſitum eſt id, quod ſignificatur nomine concreto, vt Homo; natura verò ſignificatur nomine abſtracto, vt Humanitas.

Notandum eſt autem pro hac opinione Durandi; quòd quando habens naturam eſt aliquid diſtinctum à natura, non eſt vera illa prædicatio, in qua abſtractum prædicatur de concreto, ſicut eſt in compoſito accidentali, in quo natura accidentalis eſt diſtincta

Digitized by Google

ſtincta ab habente illam naturam, quia habens eſt A ſubiectum: quare hæc eſt falſa propoſitio (album eſt albedo) quod etiam ſimiliter contingit in ſuppoſito ſubſtantiali, quando natura ſubſtantialis ſuppoſitatur ab alieno ſuppoſito. ex. gr. in Chriſto Domino non eſt vera hæc propoſitio (Homo eſt humanitas) quia habens humanitatem eſt Verbum diuinum: quando verò habens naturam non eſt diſtinctum à natura, vera eſt prædicatio abſtracti de concreto, & Durand. hoc modo, inquit Durandus, eſt in compoſito ſubſtantiali non terminato ab alieno ſuppoſito; Vnde hæc eſt vera, inquit, ſiue in vniuerſali, ſiue in particulari (homo eſt humanitas) vel (hic homo eſt hæc humanitas) quia habens humanitatem non eſt quid diſtinctũ ab humanitate. Mouetur autem Durandus B ad hoc dicendum, quia exiſtimat quòd ſuppoſitum, vt, hic homo, dicat hoc compoſitum ex hac materia, & ex hac anima, & quòd hoc idem dicat hæc humanitas; ergo hæc humanitas, & hic homo, non differunt, niſi ex modo ſignificandi in abſtracto, & in concreto. Aliqui pro hoc modo dicendi citant Henricum, ſed quæ fuerit mens Henrici, infrà videbimus. Henric.

2. Sed hæc ſententia non placet, & impugnatur Primò philoſophicè, quia cùm natura creata ſit imperfecta, & limitata, non poteſt ex ſe ſubſiſtere ſine aliquo modo, &

Secundò, quia natura creata verè ſubſiſtit, ratio autem ſubſiſtentiæ eſt alia à ratione eſſentiæ, ergo C ſaltem diſtinguitur ratione ratiocinata à natura.

Tertiò impugnatur eadem ſententia Theologicè, quia ſequeretur ex hac opinione quòd Verbum à parte rei aſſumpſiſſet perſonam humanam, quod eſt hæreticum; Probatur ſequela, quia fuit aſſumptum ſecundùm hanc opinionem totum formale, & reale, quod habebat humanitas à parte rei, quod ex eo confirmatur magis, quia ſi relinqueretur à Verbo, nihil formale, & reale adderetur humanitati ad hoc vt ſit perſona humana.

3. Durand. Nec valet reſponſio Durandi, in 1. diſt. 34. q. 1. ad 2. quòd humanitas Chriſti non eſt ſuppoſitum ea ratione, quia ex modo ſignificandi, non intelligitur vt habens, eſt enim alteri innitens; non, in D quam, valet, quia concipi per modum habentis, & habiti nihil habet à parte rei: igitur à parte rei perſona humana fuit aſſumpta.

4. Nec valet inſtantia, ſeu reſponſio aliorum, quòd ſicut inter naturam diuinam, & Verbum nulla eſt diſtinctio à parte rei, & tamen propter ſolam rationis diſtinctionem, Verbum aſſumpſit naturam humanam, & non aſſumpſit naturam diuinam; ita à pari potuit aſſumi humanitas, & non homo propter ſolam rationis diſtinctionem ſuppoſiti ab humanitate: non, inquam, valet, nam eſt duplex diſparitas, Prima, quia inter Verbum, & naturam diuinam eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ tamen Durand. non eſt ſecundùm Durandum inter naturam, & ſuppoſitum. Secunda, quia natura diuina mediatè aſ- E ſumpſit humanitatem: at non poteſt dici quòd Verbum mediatè, aut immediatè aſſumpſerit perſonalitatem humanitatis.

ASSERITVR SECVNDA SENTENTIA ET IMPVGNATVR.

5. Secũda ſententia. Secvnda ſententia aſſerit ſuppoſitum à natura diſtingui ratione ratiocinata, & eſt Henr. quodl. 3. quæſt. 6.

Sed neque hæc ſententia placet, Impugnant illam primò aliqui, quia à parte rei ſubſiſtentia creata non eſt de conceptu quidditatiuo naturæ, nec è contra, ergo à parte rei ſubſiſtentia diſtinguitur à natura.

Quòd ſi dicas, Relatio in diuinis non eſt de conceptu eſſentiæ, & tamen diſtinguitur tantùm ratione ratiocinata: Reſpondent, quòd eſt diſparitas, tum quia in diuinis admittitur identificatio à parte rei propter infinitatem, tum quia quamuis relatio non ſit de conceptu quidditatiuo eſſentiæ, eſt tamen eſſentia de conceptu quidditatiuo relationis; intrinſecè enim relatio diuina eſt quid increatum; at verò in creaturis cùm nec ſubſiſtentia ſit de quidditate eſſentiæ, nec è contra, & ſit in illis limitatio, & finitudo, debet dari maior diſtinctio, quàm detur in diuinis, hæc autem erit diſtinctio à parte rei, qualis eſt inter naturam, & modum de nouo aduenientem eſſentiæ creatæ. 6.

Sed hæc ſolutio non placet, quia non eſt ita certum eſſentiam diuinam, vt eſt principium operationum, eſſe de conceptu quidditatiuo relationum diuinarum, quamuis eſſe increatum, vt eſt prædicatum tranſcendentale, ſit de conceptu.

Secundò igitur impugnatur, quia ad probandum aliqua diſtingui à parte rei, illud eſt euidens ſignum quando vnum manet altero corrupto, & hoc modo Ariſt. 1. phyſ. probat formam diſtingui à materia, quia hac manente illa corrumpitur, & 5. top. cap. 1. loco 15. ponit regulam vniuerſalem, Si vnum ſine alio eſſe poteſt, non ſunt ſimul, & hoc ſignum recipitur ab Auguſtino lib. 6. de Trinit. cap. 6. Sed in myſterio Incarnationis, ſubſiſtentia creata fuit ſeparata à natura, vt ſupponitur de fide, ergo ſubſiſtentia diſtinguitur à parte rei à natura. 7. Ariſtot. Auguſt.

Et confirmatur, quia alioqui verificarentur contradictoria, nam ſi ſubſiſtentia eſt idem à parte rei cũ natura, ita vt ſit vna entitas ſimplex, ſequeretur, quòd vera eſſet hæc conſequentia (non eſt aſſumpta ſubſiſtentia, ergo non eſt aſſumpta natura) cui contradicit hæc de fide (natura fuit aſſumpta.)

Probatur illa ſequela, quia cùm natura, & ſubſiſtentia ſint vna entitas ſimplex, quod à parte rei dicitur de vno, dicitur de alio in rebus creatis, quia in rebus creatis in ſyllogiſmo expoſitorio de ſenſu reali ad ſenſum realem eſt euidens conſequentia, quia benè valet (hæc animalitas realiter eſt deſtructa, & hæc animalitas eſt idem à parte rei cum hac rationalitate, ergo hæc rationalitas realiter eſt deſtructa) ergo ſimiliter valet hæc (ſubſiſtentia non eſt aſſumpta, & ſubſiſtentia eſt omnino idem à parte rei cum natura; ergo à parte rei natura non eſt aſſumpta.) Quòd ſi natura eſt aſſumpta, per eundem etiam ſyllogiſmum expoſitorium probari poteſt, quòd ſubſiſtentia etiam eſt aſſumpta.

Quòd ſi inſtes, Pater in diuinis communicat à parte rei totam eſſentiam Filio, & non communicat paternitatem formaliter, & tamen paternitas non diſtinguitur niſi ratione ratiocinata ab eſſentia. Reſpondetur, quòd ideo diximus hunc ſyllogiſmum expoſitorium valere in rebus creatis, & non in diuinis, diſparitatem autem fusè oſtendimus in priori tomo in 7. princ. Philoſ. & præterea neque hæc inſtantia ſoluit argumentum; nam Pater communicando totam eſſentiam Filio, communicat eſſentiam habentem ſibi identificatam paternitatem, quamuis illam non communicet formaliter Filio: at verò Verbum aſſumpſit humanam naturam ſine ſubſiſtentia creata, vt ſupponimus ex fide. 8.

Quòd ſi ſecundò inſtes, Verbum aſſumpſit naturam humanam, & non illam aſſumpſit eſſentia diuina,

Digitized by Google

uina, & tamen Verbum non diſtinguitur niſi ratione ratiocinata ab eſſentia diuina, ergo ſimiliter potuit aſſumi humanitas, & non homo, licèt in re non differat: Reſpondetur, quòd quia eſſentia diuina eſt idem cum Verbo, ſequitur quòd natura diuina mediatè aſſumpſerit humanitatem: at Verbum nec mediatè, nec immediatè aſſumpſit rationem perſonalitatis humanæ.

9. Damaſc. Epiphan. Tertiò impugnatur hæc ſententia ex Damaſceno 3. de fide cap. 3. qui dicit hæreticos in errorē eſſe inductos, quia putauerunt naturam, & perſonam idem eſſe, & in ſexta Synodo, inquit Epiphanius, Eutychianos errare, qui nihil aliud intendunt, quàm vt oſtendant naturam, & hypoſtaſim idem eſſe, quas tamen differre Catholici cognouerunt.

ASSERTVR TERTIA SENTENTIA, ET IMPVGNATVR.

10. Tertia ſententia. Ocham. TERTIA ſententia eſt Ocham in 3. q. 1. & communis Nominalium cum Ocham ibidem, & in 1. diſt. 25. q. 1. quia ad ſoluendum hæc argumenta Theologica, facta contra ſecundam ſententiā dicit, naturam, & ſuppoſitum diſtingui ex natura rei penes connotatum extrinſecum, ita vt ſubſiſtentia ſit idem cum natura à parte rei, & tantùm differat, quia ſuppoſitum connotat aliquod extrinſecum, quod non connotat natura, hoc autem connotatum eſt negatio dependentiæ: ſicut ſimilitudo, inquiunt, diſtinguitur ab albedine, quia connotat terminum, & inhærentia à quantitate, quia connotat ſubiectum, cùm tamen à parte rei ſint idem omnino ſimilitudo cum albedine, & inhærentia cum quantitate; dicitur autem deperdi ſimilitudo, quia deperditur connotatum, ſcilicet, terminus, & dicitur variari inhærentia non variata quantitate, quia deperditur ſubiectum; ita (inquiunt) poteſt dici quòd ſubſiſtentia intrinſecè ſit omnino idem cum natura, diſtinguatur tamen à natura penes connotatum extrinſecum, quod eſt negatio dependentiæ; Vnde poteſt dici deperdi ſubſiſtentiam innariata natura, & aſſumi naturam non aſſumpta ſubſiſtentia, ex eo quia deperditur negatio dependentiæ, quæ erat connotatum.

11. SED neque hæc ſententia mihi placet: Probatur primò, quia hinc ſequeretur, quòd humanitas Chriſti vnita Verbo, ſubſiſteret in ſe, quia ſecundùm hanc ſententiam humanitas Chriſti nihil intrinſecum amiſit, & intrinſecè erat natura humana ſufficiens ad ſuſtentandum ſe, ergo etiam vnita Verbo, ſicut ſi aliquod graue haberet virtutem ſubſiſtendi in ſe, abſque eo quòd inniteretur terræ, licèt poſtea poneretur ſuper terram, adhuc ſubſiſteret in ſe, ita ſimiliter humanitas Chriſti ſubſiſteret ſecundùm hāc ſententiam in ſe, etiam ſi eſſet vnita Verbo, quod quidem dici non poteſt, vt ſupponitur ex fide.

Quòd ſi dicas, Humanitas in Chriſto nihil amiſit virtutis, ſed fuit impeditus actus exiſtendi in ſe, & conſequenter fuit deperdita negatio dependentiæ: Contrà, quomodo hic actus impeditur ſine perditione alicuius virtutis: quòd ſi aliqua entitas realis eſt deperdita, illa diſtinguitur à natura à parte rei.

Quòd ſi dicas, impeditur ex eo ſolùm, quia humanitas eſt in alio, quia ille actus nihil aliud erat, quàm eſſe in ſe, & non in alio, impeditur autem ille actus, quia Deus non concurrit efficaciter, ſicut è contra, quantitas ſubſiſtit in Euchariſtia ex eo ſolùm, quia Deus non concurrit vt dependeat: ſed contrà, quia ſi natura eſt tantæ perfectionis intrinſecè, A vt poſſit ſubſiſtere in ſe, & per ſe, non poteſt impediri hic actus, quia hic actus eſſet effectus formalis ipſius naturæ habentis ſibi rationem ſubſiſtentiæ identificatam, & non eſt ſimile de quantitate, quia inhærentia non eſt effectus formalis quantitatis, & præterea negatur quòd quantitas conſiſtit in ſe ex eo ſolùm, quia Deus non concurrit, vt dependeat à ſubiecto; conſeruatur enim per nouum influxum Dei.

Præterea ſi ille actus exiſtendi in ſe impeditur in humanitate Chriſti, ergo ſignum eſt quòd eſt modus diſtinctus à natura, ſi enim eſſet omnino idem cum natura, non poſſet tolli, quia etiam tolleretur ipſa natura, eſſet enim vna entitas ſimplex; quare quod à parte rei verificatur de vno, verificatur de B altero, vt ſuprà argumentabamur contra ſecundam ſententiam.

Secundò impugnatur hæc tertia ſententia, Si ſubſiſtentia identificatur omnino cum natura, ſequeretur quòd in humanitate aſſumpta à Verbo adhuc eſſet propria ſubſiſtentia creata, quia cùm ſit idem omnino cum natura, non poſſet ſeparati ab humanitate Chriſti manente natura humana. 12.

Quòd ſi dicas, non eſſe omnino idem, quia ſuppoſitum præter realitatem naturæ connotat negationem dependentiæ, quam non connotat natura; & ideo corrumpitur formalis ratio ſuppoſiti amiſſa negatione; deperditur autem negatio per hoc, quòd humanitas ſuſtentatur in alio, non autem amittitur C realitas ſuppoſiti, quæ eſt ipſa natura, quia tota realitas naturæ manet, ſicut per diuiſionem aquæ in duas partes amittitur vnio, non quia aliqua realitas amittitur, ſed ex eo ſolùm, quia amittitur negatio indiuiſionis, & ſimilitudo dicitur amitti ex eo, quia deperditur terminus qui erat connotatum; Sed contrà quidquid ſit de exemplis allatis, hoc dici non poteſt de humanitate Chriſti, quia ſi nihil amittitur de reali ſubſiſtentia, ergo verè natura humana ſubſiſtit in ſe, cùm eſt in Verbo, quia quamuis negatio dependentiæ deperdatur, nihil obſtat, conſequebatur enim ad naturam ſubſiſtentem in ſe.

Quòd ſi dicas, iſta negatio, quamuis conſequatur naturam ſubſiſtentem, complet tamen tanquam D connotatum extrinſecum rationem ſuppoſiti; Contrà, quia quicquid ſit, an ſecundùm hanc reſponſionem poſſit ſaluari quòd ſuppoſitum non fuerit aſſumptum, verè tamen in hac opinione ſaluari non poteſt, quin natura ſubſiſtens in ſe fuiſſet aſſumpta; quod quidem dici non poteſt, vt ſuprà viſum eſt, & infrà oſtendemus etiam in corollariis; Et præterea ſequeretur, quòd Verbum non ſuppleret ſubſiſtentiam creatam, ſed tantùm ab humanitate tolleret negationem dependentiæ, faciendo illam dependentem ab ipſo Verbo, contra Patres & Concilia, vt dicemus ibidem.

E QVARTA ET VERIOR SENTENTIA, ASSERENS SVPPOSITVM DISTINGUI *à natura à parte rei, tamquam rem à re.*

VERIOR igitur & communior ſentētia Scholaſticorum eſt, ſubſiſtentiam ſeu ſuppoſitum diſtingui à natura à parte rei. Patet tum ex confutatione aliarum opinionum, tum quia eſt magis conformis myſterio Incarnationis, vt infra patebit. Sed controuerſia eſt inter authores huius ſententiæ an ſubſiſtentia diſtinguatur à natura tamquam modus rei à re, ſicut ſeſſio à ſedente, an verò tanquam res à re. 13.

ET

Et quidem opinio quæ aſſerit ſubſiſtentiam diſtingui à natura tanquam modum, quam ſequitur noſter Suar. in Metaph. diſput. 34. eſt ſatis probabilis, cuius fundamenta ponemus infra. Probabilior tamen & magis Thomiſtica videtur ſententia quæ aſſerit diſtingui tanquam rem à re. Ita expreſsè tenet Bannes 1. par. quæſt. 3. art. 3. dub. 1. & Petrus de Cabrera ſuper 3. partem Diui Thomæ q. 4. art. 2. diſput. ſua 4. concluſ. 2. & citat ſanctum Thomam 3. part. q. 2. ar. 2. & 1. part. q. 3. ar. 2. & hanc ſententiam dicit eſſe communem Thomiſtarum, Caietani ibidem, & Ferrarienſis 4. contra gentes cap. 43. Citantur etiam Capreolus in 3. diſtin. 3. Argentina ibidem diſtinct. 6. Henricus quodlibeto 3. q. 2. Ægidius in tractatu de compoſitione Angelorum q. 5. & alij.

14. Explicatur ſententia de diſtinctione reali ſuppoſiti à natura.

Explicatur primò hæc ſententia, deinde probatur. Aliqui recentiores hanc ſententiam ita explicant, vt ſubſiſtentia ſit ita realiter diſtincta à natura, vt poſſit per diuinam potentiam ſeparatim exiſtere à natura, & ſit, tanquam baſis & fundamentum naturæ.

Sed hæc explicatio quò ad neutrum placet, non placet quidem primum, ſubſiſtentiam ſcilicet poſſe ſeparatim exiſtere à natura; Cùm enim ſubſiſtentia nihil aliud ſit quàm terminus & complementum naturæ, nec aliud munus exercere poſſit quàm terminare naturam & terminando ſuſtentare illam ſi finita ſit, videtur ſatis poſſe colligi, quòd habet neceſſariam connexionem cum natura; neque enim eſt neceſſe, quòd ea, quæ diſtinguuntur realiter tanquam res à re, debeant poſſe exiſtere ſeparatim; Quamuis enim valeat cõſequentia affirmatiuè (poſſunt ſeparatim exiſtere, ergo diſtinguuntur realiter) non tamen ſemper valet negatiuè (non poſſunt ſeparatim exiſtere, ergo non diſtinguuntur realiter) vt rectè aduertit Trombeta in ſuis formalit. poteſt enim contingere quòd duo diſtinguantur realiter, & tamen non poſſint ſeparatim exiſtere propter connexionem, quam habent ad inuicem, vt oſtendimus in prædicamento relationis q. 12. Et ad hoc probandum poſſunt afferri multa exempla, nam relatio prædicamentalis diſtinguitur realiter à termino, & tamen non poteſt ſeparatim exiſtere ſine termino, propter connexionem, quam habet cum termino, quem purè reſpicit; Et punctum continuatiuum ſecundùm multorum opinionem diſtinguitur realiter à linea; & tamen, vt verior opinio exiſtimat, non poteſt ſeparari à linea, & præterea potentiæ vitales & actiones immanentes diſtinguuntur realiter ab anima, & tamen ſecundùm doctrinam Thomiſticam non poſſunt ſeparari ab anima, propter connexionem, quam habent cum ipſa tanquam cum principio eſſentiali vitæ.

15. Secundum verò quod dicitur in illa explicatione, ſubſiſtentiam, ſcilicet, eſſe tanquam baſim & fundamentum naturæ, non placet, quia hic modus dicendi videtur ſignificare ſubſiſtentiam habere rationem ſubiecti, quod quidem falſum eſt. Quamuis enim natura creata dependeat à ſubſiſtentia in ſuſtentati propter ſui imperfectionem, vt oſtenſum eſt ſuprà in ſecunda quæſtione, non tamen dependet tanquam à ſubiecto, ſicut dependet accidens & forma materialis à materia, ſed dependet tanquam à termino & complemento ſicut linea à puncto.

16. Probatur ſentent. 2. Primò. Capreol.

Hæc ſententia ſic explicata ex variis fundamentis probatur à Thomiſtis.

Primò probat Capreolus ex eo, quia exiſtimat ſubſiſtentiam eſſe idem cum exiſtentia per ſe, & ſolùm differre quatenus exiſtentia concipitur, vt ratio faciendi extra ſuas cauſas, ſubſiſtentia verò quatenus concipitur vt faciens rem per ſe, ideò conſequenter dicit ſubſiſtentiam differre realiter natura, quia exiſtimat exiſtentiam differre realiter ab ipſa natura.

Sed hæc ratio non placet, quia falsò ſupponit ſubſiſtentiam eſſe idem cum exiſtentia, tum quia habent effectus formales diſtinctos & ſeparabiles, effectus enim formalis exiſtentiæ eſt facere rem eſſe extra cauſas, effectus verò formalis ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem, qui effectus fuit ſeparatus ab humanitate Chriſti, tum quia ſi eſſent idem, & tantùm differrent ſecundùm diuerſum modum concipiendi, ſequeretur quòd tota Trinitas aſſumpſiſſet naturam humanam, quod eſt hæreticum.

Probatur ſequela, quia ſi in Deo eſſet idem ſubſiſtentia cum exiſtentia, ſequeretur quòd cùm in Deo, vt dicemus infrà in prædicament. Relationis Coroll. 9. ſit vna tantum exiſtentia abſoluta, qua exiſtunt eſſentia & perſonæ, ſequeretur, inquam, quòd ſi Verbum aſſumpſit naturam humanam per ſubſiſtẽtiam, etiam aliæ perſonæ aſſumpſerint eandem naturam, quòd ſi in Deo ſubſiſtentia non eſt idem cum exiſtentia, nec etiam in creaturis, quia in Deo & in creaturis eſt idem conceptus proportionalis ſubſiſtentiæ.

17. Secunda probatio. Henr. Palud. S. Thom.

Secundò alij, quos refert Henricus loco citato & ſequitur Paludanus in 3. d. 6. & alij qui citant immeritò ſanctum Thomam 3. p. q. 2. art. 1. probant ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura ex eo, quia exiſtimant ſuppoſitum non diſtingui à natura per aliquod intrinſecum, ſed tantùm per connotatum extrinſecum, quæ ſunt accidentia conſtituentia ipſum ſuppoſitum.

Sed neque hæc ratio placet; Primò quia ſuppoſitum dicit ſubſtantiam completam, in conceptu autem ſubſtantiæ completæ non includitur accidens, quia ſubſtantia perfecta non dependet eſſentialiter ab accidenti; ergo ratio ſuppoſiti quæ eſt ratio ſubſiſtentiæ completæ, non pendet ab accidenti. Secundò, quia natura humana fuit aſſumpta ad ſuppoſitationem Verbi, & tamen non fuerunt aſſumpta accidentia, vt eſt communis ſententia, ergo ſuppoſitum non addit accidentia ſupra naturam.

18. Tertia & vera probatio.

Tertiò igitur probatur efficaciter à priori; Subſiſtentia diſtinguitur à natura à parte rei, vt oſtenſum eſt ſuprà. Vel ergo diſtinguitur formaliter, ſicut modus rei à re, vt ſeſſio à ſedente, vel realiter tanquam res à re; non enim datur alia diſtinctio; ſed non diſtinguitur modaliter, ergo diſtinguitur realiter.

Quòd verò nõ diſtinguatur modaliter, probatur, quia cùm modus non habeat aliam realitatem præter realitatem naturæ, innititur ipſi naturæ tanquam realitati, ſeu fundamento; Et confirmatur, quia nihil eſt aliud modus, quàm ipſa realitas rei modificatæ aliter ſe habens; at verò ſubſiſtentia non poteſt inniti naturæ; cùm enim det modum eſſendi per ſe naturæ, & ipſa natura quò ad ſuſtentari, innitatur ipſi ſubſiſtentiæ, non poteſt ipſa ſubſiſtentia inniti naturæ, haberet enim oppoſitum modum ei, quem tribuit naturæ.

Ad hanc probationem reſpondent aliqui doctiſſimi recentiores tenentes ſubſiſtentiam diſtingui modaliter à natura. Subſiſtentia, inquiunt, vt (quo) conſtituit naturam per ſe, vt (quod) autem innititur & communicatur naturæ.

19. Sed contrà, quia nunquam ratio vt (quo) poteſt habere modum oppoſitum effectui formali, quem tribuit, non enim poteſt dici quòd exiſtentia vt (quo)

Digitized by Google

(quo)faciat exiſtere,& vt(quod)non exiſtat,& quòd duratio faciat, vt (quo) rem durare, & quòd ipſa, vt (quod)non duret,& quòd quantitas,vt(quo)extẽdat, & vt (quod) ſit ipſa inextenſa; Imò rationes formales ſe ipſis ſunt tales, quantitas enim ſe ipſa extenditur, & actio ſe ipſa fit; & ratio à priori eſt; quia forma dat effectum formalem, communicando ſe ipſam; nõ poteſt igitur habere in ſe ipſa eſſe oppoſitũ effectui formali quem communicat. Si ergo ſubſiſtentia eſt ratio formalis perſeitatis vt (quo)non poteſt ipſa vt (quod) habere modum oppoſitum exiſtendi, quod eſt eſſe (In.)

Quòd ſi dicas, æuum in Angelo facit formaliter Angelum durare ſucceſſiuè in ordine ad tempus noſtrum,& tamen ipſum æuum eſt indiuiſibile,& permanens. Reſpondetur quòd æuum, ſicut eſt duratio indiuiſibilis & permanens vt (quod,) ita etiam vt (quo)facit durare Angelum indiuiſibiliter, ſubſtantia enim Angeli ſemper eadem perſeuerat permanenter, & ſicut æuum eſt tantæ perfectionis vt (quod)vt poſſit coëxiſtere tempori noſtro; ita etiam vt (quo) facit vt Angelus coëxiſtat noſtro tempori.

20. Quòd ſi dicas ſecundò, Subſiſtentia non poteſt ſeparari à natura; ergo dependet à natura; ergo innititur naturæ; Reſpondetur concedendo antecedens, & primam conſequentiam, negatur tamen ſecunda conſequentia; non enim ſubſiſtentia dependet à natura per modum innixus, ſicut diximus dependere modum à re modificata, tamquam à ſua realitate, ſed dependet aliquo modo à natura propter neceſſariam connexionem, quam habet cum ipſa tamquam terminus,& complementum naturæ.

21. Quartò probatio. Qvartò probatur hæc noſtra ſententia, Natura ſubſtantialis eſt imperfecta & limitata, ergo indiget ſuſtentante, ergo ſuſtentans debet eſſe aliquod realiter diſtinctum; Antecedens & prima conſequentia communiter admittuntur, vt probatum eſt in ſecunda quæſtione. Secunda conſequentia probatur, quia modus non videtur poſſe habere rationem ſuſtentantis, quia potiùs ipſe modus innititur naturæ, debet igitur dari aliqua realitas diſtincta quæ non ſolùm tribuat modum eſſendi per ſe ipſi naturæ ſicut tribuit ſubſiſtentia diuina naturæ diuinæ, ſed etiam tribuat ſuſtentationem ipſi naturæ creatæ propter ſuam imperfectionem.

Et confirmatur primò à ſimili; Sicut enim accidens propter ſui imperfectionem requirit ad ſui exiſtentiam ſubiectum extrinſecum cui inhæreat, ita ſimiliter ſubſtantia creata propter ſui imperfectionem requirit vt ſuſtentetur per aliquam entitatem realiter diſtinctam, cum hac differentia, quòd accidens, quia eſt imperfectius, requirit entitatem extrinſecam tamquam ſubiectum, cui inhæreat, & præterea ſubiectum non ordinatur ad perfectionem accidentis, ſed potiùs è contra. At verò ſubſtantia creata quia eſt perfectior accidenti, quamuis requirat ſubſiſtentiam tamquam realitatem diſtinctam, cui innitatur, non tamen requirit illam tamquam ſibi extrinſecam, & tamquam ſubiectum; ſed ſibi intrinſecam tamquàm terminum & complementum ipſius naturæ ſubſtantialis, vnde fit vt ipſa ſubſiſtentia creata potiùs ordinetur ad perfectionem naturæ, quàm è contra.

22. Secundò confirmatur, quia ſicut limitatur ſubſtantia in operando, ita vt ſecundùm doctrinam Thomiſticam indigeat potentia realiter diſtincta ad operandum, ita natura limitatur vt indigeat entitate diſtincta realiter ad eſſendum per ſe.

23. Quinta probatio. Qvintò probatur, quia ſi ſubſiſtentia creata eſſet eſſentialiter modus naturæ, non poſſet ſuppleri ſal-

A tem ita congruenter per ſubſiſtentiam Verbi quæ eſt realitas completa; ſicut figura, quia eſt modus quantitatis, non poteſt ſuppleri niſi per figuram: Et ratio eſt, quia ſi ſubſiſtentia eſſet modus; natura humana cùm habeat propriam ſubſiſtentiam, ſubſiſteret per ſe ſibi innixa, & non alteri entitati realiter à ſe diſtinctæ, cùm autem eſt vnita Verbo, vnitur illi tamquam realitati diſtinctæ. Quòd ſi ſubſiſtentia propria eſt realiter diſtincta, cui innitetur natura, tunc ferè eodem modo ſubſiſteret natura per propriam ſubſiſtentiam, ac per ſubſiſtentiam Verbi, quia ſicut innititur propriæ ſubſiſtentiæ tamquam termino realiter diſtincto, ita innititur ſubſiſtentiæ Verbi, cum hac differentia, quòd in Verbo ſubſiſteret

B ſubſiſtentia aliena, & ideo diceretur eſſe in alio tamquam in ſuppoſito diſtincto; at verò cùm natura humana ſubſiſtit per propriam ſubſiſtentiam, ſubſiſtit per ſe, quia propria ſubſiſtentia facit illam exiſtere ſeorſim, & reddit incommunicabilem alteri ſuppoſito.

Sed contra hanc opinionem primò obiicies, Perinde ſe habet eſſe in ſe ad naturam ſubſtantialem, ſicut eſſe in alio ad accidens: Sed eſſe in alio eſt modus accidentis, vt communiter conceditur, ergo eſſe in ſe erit modus naturæ ſubſtantialis. 24. Prima obiectio.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem de inhærentia, & ſubſiſtentia. Nam inhærentia præter ſe ipſam importat, & includit, vt additum, ipſam realitatem ſubiecti extrinſecam, & diſtinctam realiter à ſe, & ideo nihil obſtat quin concipi poſſit vt modus propriè dictus ipſius accidentis: at verò ſubſiſtentia præter ſe ipſam non importat aliquod reale extrinſecum, & ideo mirum non eſt ſi ipſa ſubſiſtentia ſit realiter diſtincta à natura, ſit tamen intrinſeca ipſi naturæ. Soluitur.

C

Secundò obiicies ſi ſubſiſtentia diſtingueretur realiter à natura, ſequeretur abſurdum, quòd, ſcilicet, ſubſiſtentia non poſſet eſſe ratio ſubſiſtendi ipſius naturæ; Probatur ſequela, quia deberet ipſa ſubſiſtentia per ſe ſubſiſtere ad hoc, vt poſſit eſſe ratio ſubſiſtendi alterius: Sed non poteſt per ſe ſubſiſtere, ergo, &c. Maior huius probationis patet, quia

D ipſa ſubſiſtentia eſt ſuſtentaculum naturæ; ergo debet ſubſiſtere per ſe, ſicut à ſimili paries non poteſt per ſe ſuſtineri ſupra fundamentum, quòd fundamentum per ſe non ſubſiſtit, nec humanitas poſſet ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, niſi Verbum per ſe ſubſiſteret. Minor probatur tripliciter; Primò, quia abiretur in infinitum, nam ſi ſubſiſtentia ſubſiſteret per ſe, deberet dari alia ſubſiſtentia per quam ſubſiſteret, & ſic in infinitum. Secundò, ſubſiſtentia eſt affixa ipſi naturæ, ergo non per ſe ſubſiſtit. Tertiò, ſi per ſe ſubſiſteret, & eſſet ratio ſubſiſtendi naturæ, ſequeretur ipſam eſſe perfectiorem natura. 25. Secunda obiectio.

Reſpondet aliqui negando Maiorem, quia ad hoc vt ſubſiſtentia ſit ratio ſubſiſtendi, ſufficit quòd ſubſiſtentia ſubſiſtat, vt (quo) & non vt (quod:) ſicut non opus eſt vt albedo ſit alba, vt (quod) ſed vt(quo) ad hoc vt corpus ſit album per albedinem. Soluitur.

E

Sed hæc reſponſio mihi non omnino ſatisfacit; ſunt enim aliqui modi qui neceſſariò debent eſſe tales ſe ipſis; ſicut modus extenſionis non ſolùm eſt ratio extendendi aliud, ſed etiam ipſe formaliter ſe ipſo eſt extenſus, & huiuſmodi videtur eſſe ſubſiſtentia per rationem in argumento allatam. Et confirmatur, quia ſi ſubſiſtentia non exiſteret per ſe, haberet modum oppoſitum exiſtendi, ſcilicet, in alio: hoc autem repugnat, quia non aliter facit naturam exiſtere per ſe, quàm formaliter ſe ipſam communicando naturæ: non poteſt igitur habere oppoſi

Digitized by Google

oppoſitum eius quod communicat.

Quare reſpondetur ſecundò, concedendo Maiorem, & negando Minorem, quòd, ſcilicet, ſubſiſtentia non poſſit per ſe ſubſiſtere; Et ad probationem Minoris reſpondetur, non ſequi proceſſum in infinitum, quia ſubſiſtentia ſe ipſa ſubſiſteret, ſicut quantitas ſeipſa extenditur, & actio (vt inquit Ariſtoteles) ſe ipſa fit.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quòd ſubſiſtentia non dependet tamquam modus à natura, ſed potiùs natura dependet à ſubſiſtentia; Quòd ſi dicas, ergo poteſt ſeparata exiſtere; reſpōdetur quòd quamuis ex hoc capite non obſtet; obſtat tamen ex alio capite, quia quamuis ſit realitas diſtincta à natura, habet tamen connexionem cum natura, tamquam terminus & complementum ipſius, vt ſuprà dictum eſt.

Ad tertiam probationem eiuſdem Minoris reſpondetur, non ſequi hanc ſubſiſtentiam eſſe perfectiorem natura ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, in ratione, ſcilicet terminandi, & ſuſtentandi.

26. Tertia obiectio. Tertiò, Si ſubſiſtentia eſt diſtincta realiter à natura, ſequeretur quòd natura non diceretur per ſe ſubſiſtere, ſed potiùs diceretur habere eſſe (In) quia illi ſubſiſtentiæ tanquam ſuſtentaculo inniteretur, non ergo eſſet per ſe ſubſiſtens.

Solutio. Reſpondetur primò, vt alibi dictum eſt, quòd natura ſubſiſtit vt includens ipſam ſubſiſtentiam, non vt condiſtincta à ſubſiſtentia; vnde compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia dicitur ſubſiſtere per ſe, non ſic autem eſt de accidenti, nam vt includens inhærentiam dicitur exiſtere in ſubiecto: argumentum autem ſolùm probat naturam ſubſtantialem dependere in genere cauſæ formalis à ſubſiſtentia, ſicut album ab albedine.

Reſpondetur ſecundò, quòd non ſolùm ſuppoſitum, ſed etiam ipſa natura ſpecificatiuè ſumpta, per propriam ſubſiſtentiam ſubſiſtit per ſe, quia propria ſubſiſtentia tribuit naturæ, vt dictum eſt, exiſtere ſeorſim, & reddit illam incommunicabilem etiam ſpecificatiuè ſumptam.

27. Quarta obiectio. Quartò, Nihil eſt magis idem cum re, quàm quod eſt eius eſſentia: ſed natura eſt de eſſentia ſuppoſiti, ergo natura non diſtinguitur realiter à ſuppoſito.

Solutio. Reſpondetur non diſtingui naturam à ſuppoſito, ſicut duas entitates omnino diuerſas, & ſeparatas, ſed tanquam includens, & incluſum, ſicut homo dicitur realiter diſtingui ab anima, quam includit eſſentialiter.

28. Quinta obiectio. Quintò, Maior conuenientia identica debet eſſe inter Petrum, & hanc humanitatem, quàm inter albedinem, & eius ſimilitudinem, quia ibi hæc humanitas eſt de eſſentia Petri, hîc verò vnum non eſt de eſſentia alterius; Sed albedo, & ſimilitudo non differunt realiter, ergo nec ſuppoſitum, quod eſt Petrus ab hac humanitate.

Solutio. Reſpondetur, quòd non bene infertur, (eſt magis de eſſentia, ergo magis idem) nam anima eſt de eſſentia hominis, & tamen realiter diſtinguitur ab homine.

29. Sexta obiectio. Sextò, Si ſubſiſtentia diſtingueretur realiter à natura, tunc ſequeretur, quòd duplex compoſitio inueniretur in compoſito naturali, vt in homine, altera ex anima, & corpore, altera ex natura, & perſonalitate, quod quidem eſt falſum, quia compoſitum, & ſuppoſitum, idem ſunt ſecundùm Ariſtotelem.

Solutio. Reſpondetur non eſſe abſurdum debere dari duplicem compoſitionem in homine, alteram eſſentialem ex anima, & corpore, alteram ſubſtantialem ex humanitate, & ſuppoſito; vnde bene negatur ſuppoſitum eſſe idem in rigore, quod compoſitum, quia compoſitum communiter accipitur a Philoſophis pro compoſito eſſentiali; ſuppoſitum autem eſt compoſitum ſubſtantiale; Ariſtoteles autem ſæpe confundit compoſitum cum ſuppoſito.

30. Septima obiectio. Septimò, Si ſubſiſtentia diſtingueretur realiter ab humanitate, ſequeretur quòd humanitas ſaltem per diuinam potentiam poſſet ſeparatim exiſtere ſine ipſa ſubſiſtentia; Ergo eſſet ſuppoſitum ſine ſubſiſtentia, quia non inniteretur alteri, hoc autem eſt abſurdum.

Solutio. Reſpondetur quòd in tali caſu humanitas non inniteretur alteri, quia conſeruaretur à Deo per nouum influxum efficientis; Negatur tamen conſequentia, quòd tunc natura eſſet ſuppoſitum, quia ad rationem ſuppoſiti requiritur, vt natura non innitatur alteri poſitiuè, ita vt repugnet naturæ ſic ſuppoſitatæ ſaltem reduplicatiuè aſſumi, ſeu communicari alteri. Sed in illo caſu natura non inniteretur alteri negatiuè, quare vt ſic non repugnaret tali naturæ terminari proprio, vel alieno ſuppoſito.

31. Octaua obiectio. Octauò obiicies, Si ſubſiſtentia eſſet realiter diſtincta, poſſet ſuppoſitare alias naturas; ſed hoc eſt abſurdum, quia hoc ſoli Deo conceditur.

Solutio. Reſpondetur, ſubſiſtentiam creatam poſſe ſuppoſitare alienam naturam per diuinam potentiam, vt dicemus infrà in corollariis; Doctores verò, qui dicunt oppoſitum, ſunt illi, qui tenent ſubſiſtentiam eſſe modum naturæ; Cùm verò dicitur hoc ſoli Deo concedi, intelligendum eſt, quatenus Deus propria virtute per propriam ſubſiſtentiam poteſt terminare alienam naturam, quam virtutem non habet creatura; creatura enim non poteſt terminare alienam naturam, niſi Deus concurrat efficienter producendo vnionem.

32. Nona obiectio. Nonò obiicit Aureolus apud Capreolū ſuprà citatum, Si ſubſiſtētia diſtingueretur realiter à natura, ſequeretur hanc propoſitionem eſſe falſam (Filius Dei eſt homo) nam ſicut ſubſiſtentia humanitatis, quæ ponitur diſtincta realiter, quamuis communicet ſe humanitati, non dicitur homo, ita nec Verbum poterit dici homo, quamuis communicet ſuam perſonalitatem humanitati.

Solutio. Reſpondetur, ſolùm argumentum probare, quòd ſicut ſubſiſtentia humana non dicitur homo, ita nec ſubſiſtentia diuina communicata humanitati dicitur homo; & ſicut natura humana ſubſiſtens per ſubſiſtentiam propriam dicitur homo, quia ſubſiſtens in humanitate, verè eſt homo, ita Verbum ſubſiſtens in humanitate, poteſt dici homo.

OCTAVA QVÆSTIO.

Vtrùm ſubſiſtentia intrinſecè conſtituat ſuppoſitum.

1. Prima ſententia. CAPREOLVS in 3. d. 5. q. 3. negat; quamuis enim dicat ſubſiſtentiam eſſe ipſam exiſtentiam, diſtinguit tamen in ipſa exiſtentia duas rationes formales, vnam quæ facit naturam eſſe extra cauſas, & dicitur propriè exiſtentia; alteram, quæ reddit naturam eſſe per ſe, & dicitur ſubſiſtentia; Et hanc dicit non eſſe de eſſentia ſuppoſiti, ſed eſſe extrinſecam ſuppoſito, & importari vt additum, ſicut importatur terminus à relatione, quæ quamuis habeat intrinſecam dependentiam à termino, importat tamen illum vt additum extrinſecum; Et probat

Primò,

Digitized by Google

2. Primum argumentum Capreoli. Primò, quia ſubſiſtentia eſt propria paſſio naturæ, ergo debet fluere à ſuppoſito, non ergo poteſt intrinſecè cōſtituere ſuppoſitum: Prima, & ſecunda conſequentia eſt manifeſta; Antecedens dicit eſſe S.Thomæ 3.p.q.17.art.2.ad 1. S.Thom.

Secundùm argumentū. Secundò probat ſuam opinionem, quia exiſtentia non eſt de eſſentia creaturæ, ergo nec ſubſiſtentia eſt de eſſentia ſuppoſiti; ſicut igitur exiſtentia poteſt remoueri à creatura, ita actualis ſubſiſtentia à ſuppoſito, & ſaltem per intellectum poteſt apprehendi ſuppoſitum ſine actuali ſubſiſtentia à parte rei, non igitur actualis ſubſiſtentia eſt de eſſentia ſuppoſiti.

Tertium argumentum. Tertiò quia aliàs Chriſtus non eſſet vniuocè homo nobiſcum, nam ſubſiſtentia in Chriſto eſt diuina, in nobis eſt humana; diuina autem eſt diuerſæ rationis à noſtra: ſi ergo ſubſiſtentia eſſet intrinſeca ſuppoſito hominis, non poſſet hic homo habens propriam ſubſiſtentiam, conuenire vniuocè cum Chriſto.

SECVNDA SENTENTIA
COMMVNIS ET VERIOR.

3. Secūda ſententia verior. Probatur. Svbsistentia terminando naturam, conſtituit intrinſecè ſuppoſitū; Ratio fundamentalis eſt, quia in abſolutis, quando aliqua res non poteſt intelligi ſecundùm ſuam eſſentiam ſine alia, hæc eſt de eſſentia illius, & intrinſecè conſtituit illam, C ſicut quia album non poteſt intelligi ſine albedine, albedo eſt de eſſentia albi tanquam formale conſtitutiuum ipſius, & ſicut, quia indiuiduum non poteſt intelligi ſine indiuiduatione, indiuiduatio eſt de eſſentia illius; ita ſimiliter ſuppoſitum, quod eſt entitas abſoluta, quia non poteſt intelligi ſine ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitate, colligitur, quòd ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitas ſit de eſſentia illius, & intrinſeca illi tanquam formale conſtitutiuum illius.

Dixi, in abſolutis, quia in relatiuis non poteſt intelligi relatio ſine termino, & tamē terminus quamuis ſit de intrinſeco conceptu relationis, non tamen eſt intrinſecum conſtitutiuum illius; Et ratio eſt, quia relatio refert aliud ad aliud extra ſe: Relatio D enim realis non poteſt eſſe ad ſe ipſum, ac propterea illud aliud quod refert, eſt potiùs additum extrinſecum, & quia ſine hoc non poteſt intelligi relatio, ideo eſt de conceptu illius tanquam additum extrinſecum, non autem tanquam intrinſecum conſtitutiuum.

4. Reſpōſio ad primum. Ad primum argumentum Capreoli reſpondent aliqui, negando antecedens, ſubſiſtentiam, ſcilicet, fluere tanquam propriam paſſionem à natura, ſed conſequi naturam vt terminum & complementum naturæ; Id autem quod hoc modo fluit à natura, non ſupponit ſuppoſitum, ſed conſtituit ſuppoſitum.

Secundò reſpondetur, ſubſiſtentiam non fluere à E natura, ſed comproduci à generante naturam, vt dicemus infrà in quæſtione decima.

5. Ad ſecundū. Ad ſecundum reſpondetur, & pro ſolutione notandum, quòd ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitas dupliciter poteſt concipi.

Primò, vt eſt ſubſiſtentia realis in actu exercito, quatenus, ſcilicet, actualiter facit ſubſiſtere à parte rei; & hoc modo eſt de eſſentia ſuppoſiti actualis, & realis. Secundò, vt eſt ſubſiſtentia rationis, & in actu ſignato, id eſt, vt apprehenſa, & vt ſic intelligitur eſſe de eſſentia ſubſiſtentis ſecundùm rationem, ſeu per apprehenſionem.

A His ſuppoſitis ad argumentum reſpondetur, quòd ſicut exiſtentia actualis poteſt quidem remoueri à natura, non autem à natura exiſtenti, vt exiſtenti reduplicatiue, ita ſubſiſtentia poteſt remoueri à natura, non autem a natura ſubſiſtenti vt ſubſiſtenti, ſeu à ſuppoſito, & quidem ſi ſuppoſitum eſt per apprehenſionem tantùm, tunc ab illo remouetur quidem actualis ſubſiſtentia, ſeu exercitium reale ſubſiſtentiæ, tunc enim de eſſentia ſuppoſiti per apprehenſionem erit ſubſiſtentia ſecundùm rationem, id eſt, apprehenſa; Si verò ſuppoſitum eſt realiter actuale, tunc de eſſentia illius eſt ſubſiſtentia actualis exercens actum ſubſiſtendi à parte rei, ſicut à ſimili albedo poteſt remoueri à corpore, non tamen ab albo formaliter; Quòd ſi eſt album B actuale, non poteſt ab illo remoueri albedo actualis; ſi verò eſt album, vt apprehenſum, non poteſt ab illo remoueri albedo ſecundùm rationem, ſeu vt apprehenſa.

Ad tertium reſpondetur, quòd Chriſtus eſt nobiſcum vniuocè homo ſimpliciter ratione naturæ; nam à natura ſumitur ratio hominis. 6. Ad tertium.

QVÆSTIO NONA.

Vtrùm ſubſiſtentia verè componat cum Natura.

Prima ſententia eſt Caietani 3. p. q. 4. art. 2. Subſiſtentiam non componere cum natura. Idem tenet Durandus in 1. d. 33. q.1. in 2. dubitat. vbi magis vniuerſaliter loquens tenet nullum modum componere cum natura. 1. Prima ſententia. Caietanus. Durandus.

Probat primò Caiet. ſpecialiter de ſubſiſtentia, quia terminus, inquit, non componit cum re terminata, ſicut punctum non componit cum linea ex communi Philoſophorum; ſed ſubſiſtentia eſt terminus naturæ, ergo non componit cum natura. Primū argumentum.

Secundò probat Durandus de omnibus modis, Nullus modus, inquit, componit cum natura; ſed ſubſiſtentia eſt modus, ergo non componit cum natura. Minorem ſupponit; Maiorem probat, quia omnis compoſitio, inquit, fit per hoc quòd vna res inhæret alteri, vel per ſe ſubſiſtit vnita alteri, ſicut anima rationalis ſubſiſtit vnita corpori, & componit cum corpore conſtituendo hominem. Sed modus non inhæret in natura, nec per ſe ſubſiſtit in natura, ſicut ſubſiſtit anima rationalis, ergo non componit cum natura. 2. Secundum argumentū.

Secvnda ſententia communior, & verior tenet ſubſiſtentiam componere cum natura. Verior ſententia.

Pro cuius ſententiæ explicatione, notandum eſt, quòd ſubſiſtentia, ſicut punctum, & alij termini, poſſunt dupliciter conſiderari, Primò ſub ratione termini; & hoc modo non componunt cum re terminata, dicunt enim illam in obliquo. Secundò poteſt conſiderari terminus vt pars, quatenus ex termino, & re terminata, reſultat vnum tertium; & hoc modo æquè ſe habent natura, & terminus, quia tam natura quàm terminus ſunt partes conſtituentes illud tertium. 3.

Dico igitur, quòd hoc ſecundo modo ſubſiſtentia verè componit cum natura, & ſimul faciunt vnum compoſitum ſubſtantiale. 4.

Solet hæc concluſio primò probari ab aliquibus Theologicè, Humanitas, inquiunt, Chriſti componit cum ſubſiſtentia Verbi, ergo etiam natura humana in Petro componit cum propria ſubſiſtentia; quia eſt par ratio: Probatur paritas, quia vtraque ſubſiſtentia diſtinguitur realiter à natura,

vt ſupponitur: Sed quidquid ſit de hac ratione Theologica, de qua infrà in corollariis dicetur,

5\. Probatur ſecundò Philoſophicè: Ex actu, & potentia realiter diſtinctis fit vnum compoſitum, ſed ſubſiſtentia & natura ſunt realiter diſtincta tanquam actus & potentia, ergo, &c. Maior eſt communiter conceſſa, & probatur à pari, quia compoſitio methaphyſica fit ex hoc, quòd vnus conceptus ſe habet vt actus alterius: Minor probatur, & primò, quòd natura, & ſubſiſtentia diſtinguantur realiter, iam probatum eſt; Quòd verò ſe habent, vt potentia, & actus, probatur, quia ſubſiſtētia eſt perfectio naturæ, eſt enim complementum ipſius, ex quo fit, vt natura ſubſtantialis dicat inclinationem ad ſubſiſtendum, ergo ſubſiſtentia eſt veluti quædam forma, & actus naturæ.

6\. Tertiò ad hominem, Eſſe in alio dicit compoſitionem cum eſſe accidentis, & tamen eſſe in alio non eſt, niſi modus accidentis, ergo multò magis ſubſiſtentia dicit compoſitionem cum natura, cùm diſtinguatur realiter à natura.

7\. *Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum Caietani.* Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum Caietani, illi, qui tenent punctum non differre à parte rei cum linea, dicunt conſequenter non componere à parte rei cum linea, ſed tantùm ratione; negant tamen idem eſſe dicendum de ſubſiſtentia, quia dicunt ſubſiſtentiam diſtingui à parte rei à natura: Qui verò tenent punctum diſtingui à parte rei à linea, dicunt punctum non componere cum linea, ita vt componat lineam tanquam pars, non tamen negant non componere cum linea faciendo vnum terminatum ex puncto, & linea, ſic etiam ſubſiſtentia componit cum natura faciendo vnum ſubſtantiale.

8\. *Ad ſecundū Durandi.* Ad ſecundum Durandi reſpondetur, Durandum loqui de modis, qui diſtinguuntur ratione tantùm à natura, & Secundò, falſum ſupponit, ad compoſitionem requiri, vt modus, vel inhæreat, vel per ſe ſubſiſtat, ſufficit enim vt vniatur cum re, non enim alia ratione inhærentia componit, niſi quia vnit: Compoſitio enim eſt vnio duorum; Subſiſtentia igitur quamuis non inhæreat in re modificata, cùm ſit modus ſubſtantialis, vnitur tamen ſe ipſo cum illa; omnes enim modi habent ſibi vnionem identificatam; poſſunt igitur componere cum re modificata. Tertiò falſum ſupponit, ſubſiſtentiam eſſe modum, quia vt ſuprà probatum eſt in quæſt. ſeptima, eſt realitas diſtincta à natura, & per ſe ſubſiſtit.

QVÆSTIO DECIMA.

Vtrùm ſubſiſtentia fluat à natura. Vbi agitur, An actiones ſint ſuppoſitorum.

1\. *Prima ſententia Med.* PRima ſententia eſt Medinæ 3.p. q. 4. dub. 3.ſect.6.& aliquorum grauiſſimorum recentiorum aſſerentium ſubſiſtentiam fluere immediatè à natura.

Primum argumentum. Probant primò, quia ex parte naturæ ſunt omnia principia ſufficientia vt fluat ſubſiſtentia; ſupponitur enim natura exiſtens, & nobilior ipſa ſubſiſtentia; poteſt ergo continere in virtute hanc ſubſiſtentiam. Et confirmatur, quia cæteræ paſſiones fluunt à natura, vt patet de aqua cùm ſe reducit ad priſtinam frigiditatem, ergo multò magis hoc dici debet de ſubſiſtentia, quia eſt maior, & intimior connexio inter naturam exiſtentem, & ſubſiſtentiam, quàm inter naturam, & cæteras paſſiones: A Hanc rationem exiſtimat Suarius loco citato fundamentalem, ad quam omnes aliæ reducuntur.

2\. *Secundum argumentū.* Secundò probant, Si in inſtanti, quo natura producitur, annihilaretur generans, natura produceret per ſuam virtutem ſubſiſtentiam, & cæteras paſſiones, ergo idem dicendum eſt etiam ſi generans remaneret. Et confirmatur, quia ſi humanitas dimitteretur à Verbo, produceret ſuam ſubſiſtentiam ſine vlla actione generantis.

Omitto alias rationes, quas affert Medina 3.p. loco citato, quia facilè ſolui poſſunt.

VNICA CONCLVSIO.

3\. *Secūda ſententia verior Caie. & Capr. explicatur vnica concluſione.* MIhi verò videtur dicendum cum Caietano, & Capreolo, ſubſiſtentiam effici ſiue à generante, ſiue à Deo; quam ſententiam exiſtimo eſſe D.Thomæ 1.p.q.45. art. 4. vbi expreſsè videtur dicere creationem terminari ad rem ſubſiſtentem. Sed ratio, qua hanc ſententiam probant Capr. & Caietanus, mihi non placet, quia enim, vt ſuprà vidimus, tenent ſubſiſtentiā non diſtingui ab exiſtentia, conſequenter dicunt, ſubſiſtentiam fieri à producente naturam. Sed in opinione noſtra, ſecundùm quam tenuimus ſubſiſtentiam diſtingui à parte rei ab exiſtentia, hæc ratio non militat: Ratio igitur ad probandum hanc ſententiam duplex eſt.

4\. *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* Prima, & fundamentalis hæc eſt, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, & non naturarum, ergo non poteſt fluere ſubſiſtentia à natura, quia cùm in illo priori non intelligatur natura ſuppoſitata, non poteſt ab illa eſſe actio, qua fit ipſa ſubſiſtentia. Antecedens probatur, quia quamuis hoc non habeatur expreſsè apud Ariſtotelem, nam locus ille qui ſolet *Ariſt.* citari 7.m c.1.ſolùm habet, quòd actiones verſantur circa ſingularia; tamen eſt commune dictum Philoſophorum & Theologorum: Et Theologicè quidem probatur, nam alioqui actiones Chriſti non dicerentur Deificatæ, ſi actiones non eſſent à ſuppoſito; Philoſophicè verò probatur, quia ſuppoſitum complet in eſſe ſubſtantiali naturam illam ſuſtentando, & terminando, & ex natura, & ſubſiſtentia fit vnum ſubſtantiale per ſe completum, Si igitur natura ad ſui exiſtentiam indiget ſubſiſtentia, vt in ſecunda dubitatione oſtenſum eſt, quomodo poteſt ſubſiſtentia ab ipſa natura fluere.

5\. *Soluuntur inſtātiæ contra hoc primum fundamentum.* Sed ad hanc rationem reſpondent aduerſatij, & primò reſpondent aliqui, quòd illæ actiones ſunt à ſuppoſito, quæ ſunt circa extrinſeca, vt calefacere, & reliqua huiuſmodi, non autem de illis, quæ ſunt circa propriam naturam, huiuſmodi autem eſt actio, qua fit ſubſiſtentia, & qua fiunt propriæ paſſiones.

Sed contrà, quia non eſt maior ratio de illis actionibus, quàm de iſtis, nam quæ fiunt circa propriam naturam, ſunt veræ, & reales actiones, ſicut quæ fiunt circa extrinſeca, ſicut igitur ſuppoſitum requiritur ad illas, requiritur ad iſtas, & è conuerſo, nam ratio, quare requiratur ſuppoſitum, eſt, quia natura ad ſui exiſtentiam indiget ſuppoſito, vt probatum eſt ſuprà, hæc autem ratio militat in omni actione.

6\. Secundò reſpondent alij doctiſſimi recentiores, ſubſiſtentiam non fieri, ſed potiùs per ſimplicem emanationem fluere à natura; quare non requiritur, vt hæc emanatio fiat à ſuppoſito, quia non eſt propriè actio, & idem dicunt de paſſionibus naturæ.

Sed contrà, quia vel ſubſiſtentia emanat à natura noua actione, vel non: Si ſic, iam ratio militat: ſi non,

non, contrà, vel ergo fit eadem actione, qua fit natura, & tunc habetur intentum, quia producetur à generante, natura enim fit à generante; vel reſultat ſine alia actione.

7. Et hoc dici non poteſt, quia ſubſiſtentia antequam intelligeretur emanare, non erat; Quòd ſi ſubſiſtentia antea non erat, & modò eſt, ergo eſt entitas noua; ſed entitas de nouo, vt eſt in fieri, eſt actio de nouo, ergo, &c. & idem dicendum eſt de cæteris paſſionibus. Et confirmatur magis, quia ſecundùm ſententiam quam ſuprà quæſtione ſeptima tenuimus probabiliorem, ſubſiſtentia differt realiter à natura, ergo actiones, quibus producuntur, diſtinguuntur realiter: Antecedens patet ex dictis ſuprà; Conſequentia probatur, quia actio identificatur cum ſuo termino, ergo ſi termini ſunt diſtincti realiter, etiam actiones ſunt diſtinctæ realiter.

8. Quòd ſi dicas, vt dicunt recentiores citati, quòd reſultat ex vi prioris actionis agentis; Contrà, quia ſi modò impediret Deus reſultantiam ſubſiſtentiæ humanitatis denegando auxilium, & poſt aliquod tempus daret auxilium neceſſarium, tunc humanitas produceret ſubſiſtentiam diuerſa actione ab ea, qua ipſa producta eſt; Sed idem eſt ſi productio ſubſiſtentiæ fit ſimul tempore cum productione naturæ, quia ſimultas temporis non tollit diſtinctionem actionum, ergo, &c.

9. *Secundum fundamentum noſtræ ſententiæ.* Secvndo probatur hæc noſtra ſententia à ſimili, nam modus inhæſionis, quo accidens vnitur dependenter à ſubiecto, non emanat ab ipſo accidenti, ſed comproducitur ſimul cum ipſo accidente ab extrinſeco agente; agens enim producit accidens vnitum, producit enim dependenter à materia; ergo multò magis hoc dici debet de ſubſiſtentia, quòd, ſcilicet, producatur ab extrinſeco agente; Probatur conſequentia, quia non poteſt aſſignari diuerſa ratio, & præterea ſubſiſtẽtia diſtinguitur realiter à natura, ergo multò magis hæc debet produci ab agente extrinſeco, quàm modus inhæſionis, qui tantùm diſtinguitur formaliter ab accidente.

10. *Solutio inſtãtiæ contra ſecundum fundamentum. Sot.* Ad hanc ſecundam rationem reſpondent iidem recentiores eſſe diſparem rationem; nam accidens non poteſt ſe actiuè vnire ſubiecto, quia ante vnionem non habet eſſe exiſtentiæ, & ideo eadem actione, qua recipit eſſe ab agente, recipit etiam in eſſe. Et ita dicendum exiſtimat de quantitate ſeparata in Euchariſtia, cùm vnitur nouæ materiæ, quia in illo inſtanti, in quo vnitur, dependet à materia, cui vnitur; ergo non poteſt materia in illo inſtanti producere modum inhæſionis; oportet igitur vt ab agente extrinſeco producatur: Et eſto (inquiunt) concederetur in illo caſu modum inhæſionis emanare à quantitate ſeparata, non faueret aduerſariis, immò eſſet contra ipſos, quia eodem modo ſubſiſtentia emanare deberet à natura.

Sed hæc reſponſio, quamuis acuta quidem illa ſit, non tamen euacuat argumentum, immò potiùs corroborat, nam ſi ideo modus inhæſionis ab agente emanat, & non ab accidenti, quia accidens habet eſſe per inhærentiam; ſimiliter etiam dici debet, quòd ſubſiſtentia producatur ab agente extrinſeco, quia eſſe ſubſtantiæ non poteſt nec pro vllo inſtanti conſeruari ſine ſubſiſtentia, vel aliquo nouo concurſu Dei, vt ſuprà in ſecunda quæſtione probatum eſt, neque hoc negant aduerſarij, quomodo ergo poteſt intelligi natura in illo inſtanti producere ſibi ſubſiſtentiam, ſi pro illo inſtanti indiget ſubſiſtentia ad ſuum eſſe.

Quòd ſi inſtes, ex hac impugnatione ſequi ſubſiſtentiam fieri eadem actione, qua fit natura contra

A id quod ſuprà diximus. Reſpondetur primò, etiam ſi concedatur totum id quod dicitur in inſtantia; adhuc habetur ſaltem, quòd intenditur ſubſiſtentiam, ſcilicet, non fluere à natura, ſed fieri à generante ſaltem eadem actione qua fit natura; Sed quia paulò ſuperiùs probauimus naturam & ſubſiſtentiam fieri diſtinctis actionibus, cùm ſint entitates inter ſe diſtinctæ realiter, ideo ad inſtantiam reſpondetur ſecundò, per inſtantiam tantùm probari quòd vnio naturæ ad ſubſiſtentiam fit eadem actione, qua fit natura, non autem ipſa ſubſiſtentia; ſufficit enim ad hoc vt natura fiat dependenter à ſubſiſtentia, vt in eodem inſtanti producatur ſubſiſtentia, etiam ſi producatur diſtincta actione, ſicut in eodem inſtanti, in
B quo producitur accidens, poteſt diuerſa actione produci ſubiectum; ſufficit enim vt eadem actione producatur accidens, & modus inhæſionis, quamuis ſubiectum producatur in eodem inſtanti alia actione.

QVÆSTIO VNDECIMA.

An ſubſtantia bene diuidatur ab Ariſtotele in primam & ſecundam.

Ratio dubitandi eſt, quia diuiſum eſt ſub- 1.
C ſtantia in communi; ſed ſubſtantia in communi eſt ſecunda ſubſtantia, quod eſt alterum ex membris diuidentibus, ergo, &c. Præterea ſecundò, ſubſtantia prima includit ſecundam, ergo vnum membrum diuidens includit aliud. Et præterea tertiò vnum membrum diuidens, quod eſt ſecunda ſubſtantia, prædicatur de prima, quod eſt aliud membrum diuidens; quæ quidem omnia ſunt contra regulas bonæ diuiſionis.

Hoc argumentum in varias opiniones diſtribuit auctores.

Prima ſententia aſſerit diuiſum eſſe ſecundam 2.
intentionem & membra diuidentia eſſe etiam ſecundas intentiones, membra quidem diuidentia eſſe *Prima ſententia.*
D ſubiectum, & prædicatum, quæ ſunt extrema propoſitionis, ſubiectum autem dicebant primam ſubſtantiam, quia eſt id, de quo; prædicatum autem ſecundam ſubſtantiam, quia eſt id, quod de alio.

Hæc ſententia non placet, & impugnatur à Soto ex eo capite, quia non eſt aſſignabilis ratio communis diuiſi; Sed hæc impugnatio mihi non probatur, quia poteſt aſſignari ratio communis quæ ſit ratio extremi, vt abſtrahit à ſubiecto, & prædicato. 3. *Confutatur prima ſententia. Prima impugnatio.*

Impugnatur igitur hæc ſententia ſecundò, quia ratio illa communis ſecundò intentionalis æqualiter conuenit membris diuidentibus; At Ariſt. dicit primam ſubſtantiam eſſe magis ſubſtantiam. Quòd verò æqualiter conueniat, probatur; quia prædica- 4. *Secũda impugnatio.*
E tum æque participat rationem extremi, propoſitionis, ſicut ſubiectum.

Tertiò impugnatur, quia nulla ſecunda intentio communis debet fundari in aliqua ratione reali ſubſtantiæ, ergo datur aliquod reale aliquo modo commune primæ, & ſecundæ; & hoc petimus aſſignari, quod tamen non aſſignatur ab authoribus huius ſententiæ. *Tertia impugnatio.*

Secvnda ſententia Soti dicit diuiſum eſſe primam intentionem ipſam, ſcilicet, ſubſtantiam vagè ſumptam, quæ ponitur in recta linea prædicamentali, membra autem diuidentia eſſe duas ſecundas intentiones, quas illa ſubſtantia vagè ſumpta fundat, alteram ſubiecti, & alteram prædicati, intentio au- 5. *Secũda ſententia. Sotus.*

tem ſecunda ſubiecti eſt prima ſubſtantia, prædicati verò ſecunda.

Confutatur ſecũda ſententia. Primò. Ariſt.

SED neque hæc ſententia probatur, Primò quia Ariſtoteles ait rationem primæ ſubſtantiæ non competere niſi primis ſubſtantiis, id eſt, indiuiduis, & ideo inquit à prima ſubſtantia non eſſe prædicationem; at verò ſecunda intentio ſubiecti non ſolùm competit indiuiduis, ſed etiam ſpeciebus, quia homo poteſt eſſe ſubiectum propoſitionis, & Secundò, quia non eſt ratio, quare debeat dici ſubiectum magis ſubſtantia, & Tertiò, quia hæc diuiſio poſſet fieri in aliis prędicamentis, nam hoc etiam modo Quantitas, & Qualitas diuidi poſſent in primam, & ſecundam.

Secundò. Tertiò.

6. Tertia ſententia Caiet.

TERTIA ſententia Caietani aſſerentis ſubſtantiam primò intentionaliter diuidi in duos modos ſecundò intentionales, id eſt, in ſubſtantiam primam ſingulariter conceptam, & in ſubſtantiam ſecundam vniuerſaliter conceptam.

Caiet. Sotus. Ariſt.

Differt Caietanus à Soto, quia Caietanus ponit membra diuidentia vt dicunt ordinem ad primam operationem intellectus, Sotus verò ad ſecundam, & quidem Ariſtoteles videtur magis fauere Soto, quia vtitur hoc verbo (prædicari) dum explicat habitudinem inter primam, & ſecundam ſubſtantiam. Differt ſecundò Caietanus à Soto, quia ſecundùm opinionem Caietani prima ſubſtantia tantùm competit indiuiduis, & quantum ad hoc, videtur Ariſtoteles magis fauere Caietano, dicit enim Ariſtoteles, primam ſubſtantiam eſſe indiuiduam, quod tamen non poteſt commodè ſaluari in opinione Soti, quia relatio ſubiecti, vt dictum eſt, poteſt etiam competere generibus & ſpeciebus; Sed hæc ſententia impugnari poteſt præcipuè per tertiam rationem allatam, contra ſecundam ſententiam Soti.

Confutatur ſentẽtia Caietani.

7. QVARTA ſententia verior, & tenenda.

Quarta ſentẽtia verior & tenenda.

Impugnatis aliis opinionibus verior ſententia eſt S. Thomæ in opuſc. 48. de prædicamentis cap. 3. de ſubſtantia, & quæſtione 9. de potentia art. 1. & videtur hæc ſententia ipſi Caietano probabilis, quòd diuidatur modus ſubſiſtendi in primarium, & ſecundarium, ita vt ſubſtantia dicat duo, naturam independentem in ſubiecto, cui competat modus ſubſiſtendi, & ipſum modum ſubſiſtendi. Cùm ergò diuiditur ſubſtantia, id, quod formaliter diuiditur, eſt modus ſubſiſtendi.

8. PRO explicatione huius ſententiæ, nota quòd ſubſtantia accipitur dupliciter, Primò vt dicit conceptum quendam eſſentialem, cui conuenit per ſe ſubſiſtere, & tunc ratio formalis ſubſtantiæ hoc modo acceptæ conſiſtit in habendo quendam gradum realem eſſentiæ perfectæ, & completæ non ſolùm independentis à ſubiecto, ſed etiam cui connaturaliter competit perfectus modus ſubſiſtendi in ſeipſa independenter non ſolùm à ſubiecto, ſed etiam ab omni alio ſuppoſito; ipſum autem ſubſiſtere actu, eſt extra eſſentiam rei creatæ, & hoc modo accepta ſubſtantia eſt genus generaliſſimum, & diuiditur in corpoream, & in incorpoream.

9. Secundo modo accipitur ſubſtantia, vt de materiali dicat genus generaliſſimum; de formali verò modum ſubſiſtendi; Et iuxta hunc ſenſum intelligenda eſt diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam, ita vt diuiſum formaliter ſit modus ſubſiſtendi, vel ſubſtandi accidentibus; membra verò diuidentia ſint modus primarius ſubſiſtendi, & modus ſecundarius: Primarius autem competit ſubſtantiis primis, id eſt indiuiduis; Secundarius autem ſpeciebus & generibus; Et in hac ſententia A conueniunt communiter Thomiſtæ cum S. Thoma locis citatis; Et hæc videtur verior, vt patet ex confutatione aliarum opinionum, & magis conformis Ariſtoteli.

DVBIVM tamen eſt inter Thomiſtas, an ſolùm primarius modus ſubſiſtendi ſit poſitiuus: ſecundarius autem negatiuus. 10.

Circa quod dubium aliqui grauiſſimi recentiores tenent etiam modum ſecundarium ſubſiſtendi eſſe poſitiuum, quia eadem realis ſubſiſtentia Petri eſt etiam realis ſubſiſtentia naturæ humanæ, & eadem potentia, qua Petrus ſubſtat accidẽtibus, ſubſtat etiam homo.

Alij verò vt Caietanus, qui quamuis magis in- B clinet, vt oſtenſum eſt, membra diuidentia eſſe ſecundas intentiones, quia tamen tenet etiam probabiliter hanc quartam ſententiam; aſſerit iuxta hanc ſententiam dicendum eſſe modum ſecundarium ſubſiſtendi ſeu ſubſtandi, eſſe negatiuum, & hoc dictum Caietani mihi videtur verius; quia cùm natura vniuerſalis quæ eſt ſecunda ſubſtantia, ſubſiſtit in prima, iam non eſt vniuerſalis, ſed contracta, & particularizata; non ergo poteſt eſſe membrum diuidens diſtinctum à prima. 11. Caiet.

Secundò probatur, quia in re non eſt primariò, vel ſecundariò ſubſiſtere, ſed eſt ſecundùm conceptus noſtros, quia in re non eſt vnum, & aliud, ſed vnum tantùm, vt etiam concedunt Aduerſarij, ne- C que eſt in re mediatè, vel immediatè ſubſiſtere, quia vbi non eſt diſtinctio, non eſt medium, totum ergo fit per operationem intellectus; Sed cùm concipitur ſecunda ſubſtantia ſecundariò ſubſiſtere, vel mediatè, iam non concipitur vt particularizata, & conſequenter non vt habens modum particulariter, ſeu in indiuiduis ſubſiſtendi, ergo vt habens negationem modi ſubſiſtendi particulariter; & hæc negatio modi ſubſiſtendi particulariter appellatur à Philoſophis modus ſubſiſtendi ſecundarius quatenus ſecunda ſubſtantia concipitur ſubſiſtere ſecundariò per primam. Sed hoc eſt per rationem tantùm, quia cùm ſubſiſtit à parte rei, eſt prima ſubſtantia; cùm ergo concipitur vt vniuerſalis, potiùs habet negationem D modi ſubſiſtendi particulariter, & vt habens talem negationem dicitur ſecunda ſubſtantia.

SED contra hanc noſtram quartam ſententiam ſic explicatam obiiciunt primò quidam graues recentiores; Non poteſt, inquiunt, ſecundùm hanc ſententiam aſſignari aliquod commune reale, in quo conueniant prima, & ſecunda ſubſtantia. 12.

Reſpondetur ex dictis, quòd ſi ſubſtantia accipiatur pro conceptu quodam eſſentiali, cui conuenit per ſe ſubſiſtere, tunc aſſignari poteſt gradus realis communis primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ, & eſt ſubſtantia illa, quæ eſt ſummum genus. Si verò accipiatur quatenus materialiter dicit ſubſtantiam, quæ eſt ſummum genus, hoc modo acceptam, for- E maliter verò dicat rationem ſubſiſtendi, tunc dico, quòd non debet aſſignari ratio communis, quia eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, ſicut cùm diuiditur corpus in album, & nigrum tamquam ſubiectum in ſua accidentia, corpus in hac diuiſione non eſt gradus realis communis, ſed ſe habet, vt ſubiectum vagè ſumptum, & membra diuidentia dicunt duo, alterum materialiter, & alterum formaliter, v. g. album materialiter connotat corpus, & formaliter dicit albedinem, ſic etiam, & nigrum; ita ſimiliter, cùm diuiditur ſubſtantia in primam, & ſecundam, ſubſtantia ſumitur vagè pro illa, quæ ponitur in recta linea prædicamentali, membra verò diuidentia ſunt connotatiua, quia cùm diuiſio ſit ſubiecti in

acciden

Digitized by Google

accidentia, neceſſariò membra diuidentia debent connotare ſubiectum diuiſum. Quare prima ſubſtantia quod eſt vnum membrum diuidens connotat materialiter ſubſtantiam indiuiduam, formaliter verò dicit modum ſubſiſtendi particulariter; Subſtantia verò ſecunda materialiter connotat ſubſtantiam, quæ eſt genera, & ſpecies, de formali verò dicit negationem ſubſiſtendi particulariter; Et cùm inſtatur, tam prima, quàm ſecunda ſubſtantia appellatur ſubſtantia, debet ergò aſſignari aliquod commune, in quo conueniunt. Reſpondetur, quòd ſufficit ſi aſſignetur commune in connotato materiali, quod eſt ſubſtantia primo modo accepta, non autem in ſignificato formali, quod eſt ſubſiſtere.

13. Obiicies ſecundò, Sequeretur ſecundùm hanc opinionem, quòd vnum membrum diuidens eſſet tantùm ſecundùm rationem, nam negatio ſubſiſtendi particulariter non eſt à parte rei, nam à parte rei natura humana ſemper ſubſiſtit particulariter, ſemper enim à parte rei reperitur hæcceizata, & eadem cum ſingularitate.

Reſpondetur quòd etiam aduerſarij debent hoc dicere, nam in re non eſt ſecundarium ſubſiſtere poſitiuum, quia in re eſt vnum tantùm, quare ſecunda ſubſtantia ſecundùm conceptum noſtrum dicitur ſubſiſtere, ſufficit igitur, quòd vnum membrum diuidens verè ſit reale, nam in Petro verè eſt natura humana, licèt non diſtincta. Quòd verò concipiatur vt diſtincta, & vt ſic vt habens negationem ſubſiſtendi particulariter, non eſt contra rationem diuiſi, nam cùm diuiſum ſit ſubſtantia vagè, poteſt diuidi tanquam in accidentia in illos duos modos ſubſiſtendi, quorum alter ſit realis, alter verò rationis.

14. Ad primam rationem dubitandi reſpondetur, A quòd diuiſum non eſt ſubſtantia in communi, ſed eſt ſubſtantia vagè ſumpta, ita vt dicat vagè naturas completas, quæ ponuntur in recta linea, hanc vel illam.

Reſponſio ad rationes dubitandi initiò poſitas.

Ad ſecundam & tertiam reſpondetur, quòd ſi ſubſtantia accipiatur materialiter pro ipſo gradu eſſentiali independentiæ à ſubiecto, tunc verum eſt, quòd prima ſubſtantia includit ſecundam, & ſecunda ſubſtantia prædicatur de prima in actu exercito ſeu prædicatione exercita, vt cùm dicitur (Petrus eſt homo) at verò in actu exercito, ſeu in ipſis terminis primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ non poteſt ſecunda ſubſtantia prædicari de prima ſubſtantia, non enim B rectè dicitur (prima ſubſtantia eſt ſecunda ſubſtantia,) ſed bene dicitur in actu ſignato (ſecunda ſubſtantia prædicatur de prima ſubſtantia) ſicut verè dicitur (Genus prædicatur de Specie.)

Si verò ſubſtantia ſumatur formaliter pro modo ſubſiſtendi, tunc prima ſubſtantia non includit ſecundam, nam includeret oppoſitum ſibi; prima enim ſubſtantia de formali dicit modum ſubſiſtendi particulariter: ſecunda verò ſubſtantia formaliter dicit negationem modi ſubſiſtendi particulariter; neque hoc modo ſecunda ſubſtantia prædicatur de prima in actu exercito, vt dictum eſt, non enim poteſt dici (prima ſubſtantia eſt ſecunda,) quia faceret ſenſum, quòd ſignificatum formale in primâ ſub- C ſtantia, quod eſt ſubſiſtere primariò, ſeu particulariter, eſt formale ſignificatum in ſecunda ſubſtantia, quod eſt ſubſiſtere ſecundariò, ſeu habere negationem ſubſiſtendi particulariter, valet autem in actu ſignato, vt cùm dicitur (ſecunda ſubſtantia prædicatur de prima) quia hæc prædicatio in actu ſignato mittit ad prædicationem exercitam in ipſis terminis per ſe ſumptis, cuiuſmodi eſt hæc prædicatio (Petrus eſt homo.)

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA DE VNIONE SVBSTANTIALI PARTIVM COMPOSITI SVBSTANTIALIS.

Sunt in hac diſputatione nouem quæſtiones.

I. *Quid ſit vnio in compoſito ſubſtantiali naturali.*
II. *An vnio reperiatur in omni genere compoſiti ſubſtantialis.*
III. *An vnio diſtinguatur à parte rei ab extremis vnitis.*
IV. *An in compoſito eſſentiali ſit vna, vel multiplex, & ſi eſt vna, an afficiat intrinſecè vtrumque extremum, vel vnum tantùm.*
V. *Si intrinſecè afficit vnum extremum tantùm, in quo extremo ſit, an in materia, vel in forma.*
VI. *An in compoſito ſubſtantiali ex natura & ſubſiſtentia ſit vnica vnio.*
VII. *Vtrùm repugnet vnionem eſſe indiuiſibilem.*
VIII. *Vtrùm repugnet vnionem extenſam ſubiectari in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis.*
IX. *An vnio præſertim in homine de facto ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis.*

PRIMA QVÆSTIO.

Quid ſit vnio in compoſito ſubſtantiali naturali.

1. CIRCA hanc quæſtionem, quæ eſt fundamentum reliquarum,

Prima ſententia.

PRIMA ſententia aſſerit vnionem non eſſe aliquam entitatem præter ipſa extrema inuicem proportionata ſuppoſita approximatione tanquam conditione; Hæc ſententia eſt Ariminenſis in 3. diſtinct. 28. q. 2. ad 18. Maior. ibidem diſtinct. 1. q. 1. art. 1. & Caiet. in 3. p. q. 2. art. 5. & Medin. ibidem; Tribuitur etiam Ochamo in 1. diſt. 30. q. vnica ad 1. quamuis Gabriel in 3. diſt. 1. q. 1. aſſerat Ochamum voluiſſe vnionem addere reſpectiuum ſupra extrema; Eſt etiam hæc ſententia Bacconi in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 1. & q. 2. art. 2.

Arimin. Maior. Caiet. Medin. Och. Gabr. Bacc.

Primum argumentum.

Primum argumentum huius ſententiæ eſt, quia extrema, vt ſunt materia & forma, debent immediatè vniri ſe ipſis; forma enim informat materiam dando ſe ipſam; ſimiliter materia componit totum dando ſeipſam materialiter; at ſi daretur vnio in forma, & materia, vnirentur mediante aliqua entitate.

Secundum argumentũ.

Probatur ſecundò, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; at vt extrema ſe ipſis vniantur ſufficit proportio extremorũ ſuppoſita indiſtantia tanquam conditione: ergo, &c.

Tertium.

Tertiò probatur, Si daretur vnio ſe ipſa vniretur extremis, etiam ſecundùm aduerſarios, alioquin daretur proceſſus in infinitum: ergo etiam extrema poſſunt ſe ipſis vniri.

Secũda ſententia. Gabr.

SECVNDA ſentẽtia quæ proximè accedit ad hanc primam eſt Gabrielis in 1. diſtinct. 30. q. 4. concluſ. 5. aſſerentis vnionem formæ & materiæ, nihil aliud dicere, quàm intimam vnitorum præſentiam. Explicat autem paulò infrà Gabriel, quæ ſit hæc præſentia vnitorum; & dicit quòd eſt eſſe ſimul in eodem loco adæquatè, ſiue circumſcriptiuè, ſiue definitiuè: Videtur autem ſignificare hanc præſentiam ſeu indiſtantiam eſſe formaliter vnionem; & in hoc videtur differre ab Ariminen. & ab aliis ſuprà citatis in prima ſententia, qui dicunt hanc indiſtantiam ſeu præſentiam localem requiri tanquam conditionem, ad hoc, vt extrema inuicem proportionata ſe ipſis vniantur: At verò Gabriel vult extrema vniri per hanc præſentiam localem, quam appellat vnionem. Fundamentum eſt quia hæc ſufficit vt extrema denominentur vnita; aqua enim bene intelligitur vnita alteri aquæ per hanc præſentiam.

Fundamentum hu*us s*ntent*.

TERTIA ſententia aſſerit vnionem eſſe formaliter negationem diuiſionis, & eſt Aureoli apud 3.
Capreol. in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 2. Fundamentum huius ſententiæ eſt, tum quia hæc negatio diuiſionis ſufficit; eo enim ipſo quòd extrema non ſunt diuiſa, ſunt vnita; tum quia ſi hæc vnio fieret per aliquam entitatem poſitiuam, & non per negationem diuiſionis, ſequeretur abſurdum, vt bene arguebatur pro prima ſententia, quòd extrema proportionata cuiuſmodi ſunt materia, & forma, non vnirentur ſe ipſis immediatè, ſed mediante aliqua entitate poſitiua, quaſi nexu quodam, ſeu vinculo. Differt autem hæc ſententia à ſentẽtia ſecunda Gabrielis; quia Gabriel volebat ad præſentiam illam localem, quam dicebat eſſe vnionem poſitiuam, conſequi hanc negationem diuiſionis.

Tertia ſententia. Aure. Capr. Fundamentum huius ſententiæ.

QVARTA ſententia ſatis celebris, aſſerit vnionem nihil aliud eſſe, quàm dependentiam vnius extremi ab alio. Hæc ſententia videtur Baſſoli in 3. diſtinct. 1. & Scoti ibidem q. 1. & Ochami in 1. diſtin. 3. q. 4. & in 3. q. 1. quam ſentẽtiam etiam amplectuntur aliqui graues recentiores, cum hac tamen differentia, quòd Scotus & nonnulli alij appellant hanc 4

Quarta ſententia. Baſſ. Scot. Ocham

dependen

dependentiam relationem extrinſecus aduenientem; ſed fortè eſt quæſtio de nomine: nam per relationem extrinſecus aduenientem non intelligit Scotus relationem prædicamentalem, quæ cum ſit purus reſpectus, conſurgit ſtatim poſito termino & fundamento, ſed intelligit potius tranſcendentalem; nam vt ſe explicat in 3. diſt. 1. loco citato, huiuſmodi relatio in compoſito eſt dependentia.

Conimbr. Explicant autem latiùs hanc ſententiam Doctores Conimbricenſes 1. phyſic. cap. 2. q. 1. ar. 3. & alij recentiores, quòd vnio nihil aliud ſit quam ipſæmet partes compoſiti proportionem habentes ad inuicem, & indiſtantes cum dependentia vnius ab alia, ſiue tamquam à comparte, ſicut in compoſito eſſentiali forma materialis dependet à materia, & in compoſito ſubſtantiali natura dependet à ſuppoſito ſuſtentante, ita vt vnio de materiali dicat ipſas partes proportionatas; indiſtantiam verò dicat tanquam conditionem; at verò tamquam rationem formalem dicat dependentiam; Hanc autem dependentiam dicunt non eſſe aliquid diſtinctum à re ipſa quæ dependet, ſed eſſe ipſammet entitatem rei quatenus ſupponit ad ſuam exiſtentiam aliam rem ſiue vt cauſam ſiue vt conditionem, &c.

Fundamentum. Hæc ſententia probatur ex eo, quia hæc dependentia eſt ſufficiens ad vniendum id, quod dependet, cum eo à quo dependet; ſicut creatura dicitur vnita Deo, quia dependet à Deo; per hanc enim dependentiam effectus habet connexionem aliquam cum ipſa cauſa; Et confirmatur, quia ſubſiſtentia eſt modus ſubſtantialis naturæ; modus autem nõ vnitur per aliquam vnionem diſtinctam à ſe: Dicitur ergo natura vniri cum ſubſiſtentia quatenus dependet à ſubſiſtentia tanquam à termino.

5. Quinta ſententia. QVINTA & vltima ſententia communis Doctorum aſſerit præter extrema proportionata, & præter indiſtantiam, & ipſam dependentiam vnius extremi ab alio, dari vnionem tamquam nexum quendam medium inter illa extrema; Pro cuius ſententiæ explicatione ſit

6. Prima conclusio contra primam ſententiam. PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Vnio non eſt ipſa entitas extremorum proportionatorum connotantium indiſtantiam tanquam conditionem.

Prima ratio. PROBATVR Primo, quia præter conceptum extremorum, & conceptum productionis, ſiue motus localis, quo extrema ex non indiſtantibus fiunt indiſtantia, adhuc inter illa duo extrema vnita eſt conceptus actualis nexus: hic autem conceptus, eſt conceptus vnionis: ergo præter extrema per actionem, ſeu motum localem debet dari aliquid quod habeat rationem vnionis.

7. Secunda ratio. Secundò probatur Theologicè, quia prima ſententia non bene ſaluat, vt notauit Ocham, myſterium incarnationis, quia æqualiter vna natura eſſet Verbo vnita, ſicut & alia; ſi enim nulla intercedit vnio reſpectu naturæ aſſumptæ, non poterit aſſignari aliqua ratio, quare hæc natura ſit aſſumpta, & non alia; nam quantùm ad indiſtãtiam omnes naturæ creatæ ſunt æquè indiſtantes à Verbo; quantùm verò ad actionem, ſeu productionem ipſius naturæ, omnes naturæ humanæ ſunt æquales, non enim datur aliqua ſpecialis productio in natura aſſumpta, quæ non conueniat naturæ non aſſumptæ, vt fuſiùs demonſtrabitur in corollariis: Debet igitur in humanitate Chriſti præter entitatem extremorum, & indiſtantiam aſſignari alia entitas per quam extrema dicantur vniri, ſiue hæc ſit dependentia, ſiue nexus medius, de qua re mox infrà.

8. Tertiò probari ſolet, quia non bene ſaluat quare Verbum ſit incarnatum; & non Pater, aut Spiritus ſanctus; quia tota Trinitas eſt indiſtans ab humanitatē, & tota concurrit ad productionem humanitatis. Et quidem hæc argumenta Theologica videntur efficaciter probare contra hanc primam ſententiam; quia non dat in humanitate Chriſti aliquam qualitatē ſupernaturalem, ſeu eleuationem extrinſecam, per quam poſſet dici quòd hæc humanitas potiùs vniatur ſuppoſito diuino, quàm alia humanitas, & potiùs Verbo quàm Patri. Tertia ratio.

Instantia. Quòd ſi dicant, quòd ideo humanitas Chriſti eſt aſſumpta à Verbo, & non alia, quia humanitas Chriſti ſuſtentatur à Verbo. Contrà, quia vel additur aliquid humanitati Chriſti, vel nihil; ſi aliquid, hoc eſt vnio, ſiue hæc vnio ſit dependentia, ſiue nexus de quo mox infrà: ſi nihil, non eſt, cur potiùs hæc humanitas Chriſti ſuſtentetur & non alia. 9. Soluitur.

Quòd ſi dicant, requiri deperditionem propriæ ſubſiſtentiæ ad hoc vt humanitas ſuſtẽtetur à Verbo, hæc autem deperditio eſt ſolùm in humanitate Chriſti. Contra hoc eſt, tùm quia quamuis natura humana habens propriam ſubſiſtentiam, non poſſit terminari à ſuppoſito diuino, vt dictũ eſt ſuprà, poſſet tamen ſuſtẽtari concurrente propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtẽtia Verbi partialiter: Tùm ſecũdò, quia in illo priori ſigno antequam intelligatur aduenire naturæ humanæ propria ſubſiſtentia, quælibet natura humana eſſet aſſumpta à ſuppoſito diuino, quia in illo priori ſigno ſuppoſitum diuinum eſt indiſtans à natura humana carente in illo primo ſigno propria ſubſiſtentia: Tum tertiò, quia ſequeretur quòd ſi à natura humana tolleretur per Dei potentiam propria ſubſiſtentia, neceſſariò ſuppoſitaretur à perſona diuina; quod tamen eſt falſum; quia vt ſuprà in diſput. 3. probatum eſt, poteſt natura creata ſine propria ſubſiſtentia ſuſtentari à Deo efficienter, ſicut ſuſtentatur quantitas in ſacramento.

Sequela Maioris probatur, quia ſi ſublata propria ſubſiſtentia ab humanitate non ſuppoſitaretur neceſſario à Verbo, tunc ſequeretur contra hanc ſententiam, quòd in humanitate Chriſti præter deperditionem propriæ ſubſiſtentiæ deberet dari aliquid aliud per quod Verbum intelligeretur vnitum humanitati, hoc autem non poſſet eſſe aliud, niſi vel dependentia, vel vnio.

SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. Hæc connexio non eſt intima præſentia vnitorum ſecundùm locum, ad quam ſequitur negatio diuiſionis in compoſito. 10. Secunda concluſio contra ſecũdam ſententiam.

PROBATVR Primò, quia extrema poſſunt eſſe vnita localiter, ſicut anima & corpus, & tamẽ non propter hoc eſſent vnita ſubſtantialiter; quia illa præſentia localis eſt accidentalis. Prima ratio.

Secundò, Non videtur quomodo illa præſentia localis formæ, compleat materiam in eſſe naturæ, ſeu principij ſubſtantialis in ordine ad tertiam operationem. Secunda ratio.

Tertiò, Poſſunt eſſe duo ligna diuiſa contigua & nihil inter illa mediare, in quo caſu illa duo ligna haberent præſentiam intimam localem, & tamen non eſſet vnum continuum. 11. Tertia ratio.

Ad hoc argumentum reſpondet idem Gabriel in 1. diſtinct. 30. loco citato, caſum eſſe impoſſibilem; quia ſemper intercedit aqua, aut aër; non poſſunt enim duo corpora dura ſe tangere ſecundùm Ariſt. 2. de anima cap. 11. & comment. ibidem comment 113. niſi mediet aqua, aut aër. Solutio Gabrielis ad tertiam rationem. Ariſt.

Sed contrà, coniungat Deus illa duo ligna immediatè; poteſt enim tollere medium, tunc illa duo ligna erunt immediata, & tamen non erunt vnum

Digitized by Google

continuum ; reſpondet eſſe in tali caſu vnum continuum.

Sed contrà, quia non eſt vnus terminus communis copulans; ergo ſunt contigua, & non continua; in hoc enim differunt contiguum à continuo ſecundùm Ariſtotelem.

Ariſtot.

Præterea quomodo aqua tangens immediatè corpus durum facit ſtatim vnum continuum cum illo, cùm ſit diuerſæ rationis.

13. *Quarta ratio Theologica.*

Quartò probatur Theologicè, ſicut ſuprà probauimus contra primam ſententiam, Verbum eſt intimè vnitum per præſentiam localem, cuilibet naturæ creatæ: ergo quælibet natura creata fuiſſet aſſumpta, quod eſt contra fidem.

Reſponſio Gabrielis ad hanc quartam rationẽ.

Ad hoc argumentum, quod valde torquet Gabrielem, reſpondet in 1. diſt. 30. quæſt. 4. & in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & primò dicit, quòd hæc vnio Verbi cum natura humana eſt vnio inexplicabilis ſecundùm Auguſtinum 4. de Trinit. cap. vlt. Secundò dicit quòd cùm hæc vnio ſit ſupernaturalis, debet dari quædam qualitas, ſeu habitus infuſus, per quem natura dicitur vniri Verbo, qui quidem habitus, licèt à tota Trinitate cauſetur efficienter, tamen formaliter habet quamdam habitudinem ſpecialem ad Verbum, per quam dicitur vniri Verbo, & non Patri, aut Spiritui ſancto. Neque ex hoc ſequitur (inquit) quòd vnio ſit reſpectus, nam anima, vt gratificata, refertur ad Deum vt gratificantem per habitum charitatis, & tamen non per aliquem reſpectum diſtinctum à charitate, quæ eſt qualitas abſoluta.

Auguſtin.

14. *Refellitur reſponſio.*

Sed contrà, quia talis vnio eſſet accidentalis quia eſſet à qualitate vnitiua, & ideo communiter hæc media qualitas ſeu habitus exiſtimatur impoſſibilis, vt latiùs infrà ſuo loco dicetur.

15. *Tertia concluſio. Prima ratio.*

Tertia concluſio contra tertiam ſententiam; Hæc vnio non eſt formaliter negatio diuiſionis; Non enim hæc negatio diuiſionis in compoſito eſt, ſicut vnitas in ente, quæ ab aliquibus ponitur ratio negatiua; nam vnitas in ente ſtatim neceſſariò ponitur, ac ponitur ens; at verò hæc vnio compoſiti in ente, non ſtatim reſultat poſitis extremis, ſicut patet in corpore, & anima rationali, quæ adhuc remanet poſt diſſolutionem compoſiti; debet igitur hæc negatio diuiſionis in compoſito fundari in aliqua connexione partium, ad quam conſequitur iſta negatio diuiſionis; Hæc autem connexio, vt hactenus probatum eſt, non eſt ſola proportio ipſorum extremorum, nec indiſtantia, ſeu præſentia localis; debet igitur aſſignari alia connexio.

Secunda ratio. Inſtantia.

Secundò probatur, quia compoſitum ſubſtantiale eſt reale; ergo etiam vnio, quæ eſt ratio formalis huius compoſiti debet eſſe realis. Nec obſtat quod in hac tertia ſententia obiiciebatur, quòd ſi vnio eſſet ratio poſitiua, daretur medium inter materiam & formam, ac proinde non ſe ipſis immediatè vnirentur, quod eſt abſurdum; non, inquam, obſtat; nam hæc vnio ſe habet vt, quo, non vt, quod, vt infrà fuſiùs dicetur ad primum primæ ſententiæ.

Soluitur.

16. *Quarta cõcluſio. Scotus. Ocham.*

Quarta concluſio, Vnio non eſt ratio poſitiua abſoluta.

Probatur à Scoto in 3. diſtinct. 1. q. 1. & ab Ocham in 1. diſtinct. 30. quæſt. 4. & in 3. q. 1. Omnis res, inquiunt, abſoluta eſt res ad ſe: ſed vnio non poteſt intelligi niſi in ordine ad vnita: ergo vnio eſt ad aliud.

17. *Quinta cõcluſio.*

Quinta concluſio, Hæc relatio ſeu ordo ad aliud non eſt prædicamentalis.

Probatur, quia relatio prædicamentalis ſtatim conſurgit poſito fundamento, & termino: ſed vnio

A non ſtatim conſurgit etiam poſitis extremis indiſtantibus, vt probatum eſt; requiritur igitur aliqua actio, quæ ſit vnitio ad hoc vt conſurgat.

Secundò, quia vnio habet rationem nexus, ſeu coniunctionis: ergo priùs debet concipi coniunctio, ſiue vnio cum extremis, quàm concipiatur relatio prædicamentalis, quæ conſurgit ex illa coniunctione.

Tertiò, quia relatio, vt relatio, eſt conceptus vnius tamquam fundamenti ad aliud, tamquam ad terminum: ſed vnio reſpicit vtrumque extremum æquè vt vnibile.

Quartò Theologicè ex Suario 3. part. diſp. 8. ſect. 2. quia Chriſtus vt eſt hic homo, eſt ſubſtantia *Suarius.*

B per ſe vna, vt ſupponitur ex fide; ergo vnio non poteſt eſſe formaliter relatio prædicamentalis. Probatur conſequentia, quia hæc eſt accidentalis, ergo non poteſt eſſe ratio formalis ad faciendum vnum per ſe ſubſtantiale.

Sexta concluſio, Hæc vnio ſubſtantialis non eſt dependentia, quam vocat Scotus relationem extrinſecus aduenientẽ, & eſt vel eſſentialis, cuiuſmodi eſt inter materiam & formam componentes vnum totum eſſentiale, vel eſt (vt vocant) ſuppoſitalis, per quam natura dependet in ſuſtentari à ſuppoſito tamquam à termino. Sed vnio eſt nexus quidam inter extrema, quo mediante, tamquam ratione formali, extrema vniuntur intrinſecè ad componendum vnum per ſe. 18. *Sexta concluſio*

C Hæc concluſio eſt contra quartam ſententiam. *Prima ratio.*

Probatur primò, quia dependentia eſt actio; nihil eſt enim aliud, quàm ipſum eſſe rei à ſua cauſa; hic autem conceptus eſt conceptus actionis, actio autem eſt accidentalis, quia non eſt de conſtitutione ſubſtantiali rei, ſed eſt via, qua rei communicatur eſſe ſubſtantiale; at verò vnio eſt ſubſtantialis, quia pertinet ad conſtitutionem ſubſtantialem rei; eſt enim ratio formalis, qua compoſitum ex natura, & ſubſiſtentia eſt vnum per ſe ſubſtantiale.

Probatur præterea ſecundò, præter conceptum dependentiæ requiritur adhuc conceptus vnionis ad componendum vnum: vnde videmus, quòd ſtat 19. *Secunda ratio.*

D vnio ſine dependentia, vt in anima rationali vnita corpori, & ſtat dependentia ſine vnione, vt in effectu dependente à ſua cauſa efficienti.

Argumenta quæ faciunt recentiores contra hanc concluſionem, ſi habent aliquam vim, habent fortè contra illos qui tenent ſubſiſtentiam eſſe modum, non autem contra nos, qui ſuprà in diſput. 3. tenuimus ſubſiſtentiam diſtingui tamquam rem à re; Si enim ſubſiſtentia, inquiunt, eſt modus, non datur vnio media inter ſubſiſtentiam, & naturam; ſed ſatis eſt ad connectendum iſta duo extrema, dependentia vnius ab altero; ſi enim inter naturam & modum daretur media vnio, iſta vnio eſſet modus; requireret igitur aliam vnionem, per quam

E vniretur, & ſic in infinitum.

Sed neque hæc argumenta probant efficaciter, etiam ſi teneatur ſubſiſtentiam eſſe modum, nam præter dependentiam poſſet dari vnio non quidem diſtincta, ſed identificata cum ipſo modo, vt dicetur infrà quæſt. 3. & præterea, etiam ſi requireretur diſtincta vnio, adhuc non neceſſe eſſet ponere aliam vnionem per quam vniatur illa vnio; Vnio enim ſe ipſa vnitur, ſicut quantitas ſe ipſa extenditur, & actio ſe ipſa fit ſecundùm Ariſtotelem.

Septima concluſio, Hæc vnio eſt eſſentialiter nexus actualis, non enim poteſt eſſe nexus potentialis; nam ſi ex potentia vniri fieret actu vniens, eſſet neceſſaria alia vnio ſuperaddita, qua mediante actu vniretur; 20. *Septima concluſio.*

Digitized by Google

vniret; nam vnio potentialis, vt potentialis, non poteſt vnire actualiter, ſed tantùm potentialiter, facit enim idem quod eſt ipſa: Si igitur requiritur alia vnio ſuperaddita, rurſus de hac quæritur, an dum exiſtit, ſit actualiter vniens, & ſi dicetur quòd ſic, iam ſiſtendum erat in priori vnione; Si verò quòd non; ergo adhuc requireretur alia vnio actu vniens, & de hac rurſus peteretur vt priùs, & ſic in infinitum.

21. Inſtantia.

Quòd ſi obiicias, In homine eſt vnio ſpiritualis, per quam anima rationalis vnitur corpori; non enim poteſt dari vnio extenſa, cùm ipſa anima rationalis ſit ſpiritualis; hæc autem vnio neceſſariò eſt potentialis, quia cùm partes fiunt de nouo in nutritione, non fit noua vnio, quia vnio ſpiritualis ſimul cum anima eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; vniuntur igitur nouæ partes materiæ ipſi animæ per vnionem priorem, ergo prior vnio erat potentialis reſpectu harum partium.

Soluitur inſtantia.

Reſpondetur primò, quòd prior vnio, vt fuſiùs dicetur in ſexta quæſtione, deperditur, & ſucceſſiuè ſemper fit noua, & noua vnio, ſicut ſucceſſiuè in nutritione veteres partes deperduntur, & nouæ acquiruntur. Secundò dici poteſt, & veriùs, vt infrà fuſiùs oſtendemus in quarta quæſtione, quòd vnio non eſt in anima, ſed in materia tantùm; Hæc enim vnica vnio ſatis eſt ad vniendum etiam animam, quia vnio eſſentialiter eſt nexus duorum; non igitur poteſt vnire vnum extremum quin non vniat alterum: ſicut vnio, quæ eſt in ſola humanitate Chriſti, ſufficit ad vniendum Verbum. Vel dicendum tertiò non implicare vnionem extenſam ſubiectari in anima ſpirituali, vt infrà in ſeptima quæſtione fuſiùs examinabitur; Vel dicendum quartò ſecundùm alios, quòd illa vnio eſt ſpiritualis & indiuiſibilis, & ſatis eſt vt ſit actualis nexus ſi exerceat actum vnionis in corpore reſpectu earum partium quæ ſunt actu; Quòd verò non exerceat reſpectu earum partium, quæ de nouo poſſunt aduenire per nutritionem, eſt ex defectu termini; ſufficit autem ad ſaluandum conceptum vnionis, quatenus vnio eſt eſſentialiter actualis nexus, ſi ſit in exercitio actuali vniendi ſaltem aliquas partes.

22. Octaua concluſio.

Octava concluſio. Hæc vnio in compoſito ſubſtantiali eſt ſubſtantialis, quia ratio formalis faciendi vnum ſubſtantiale eſt vnio, per quam completur compoſitum in eſſe ſubſtantiali; ex. gr. Sicut in compoſito hominis forma complet materiam, in eſſe naturæ ſeu principij eſſentialis in ordine ad præcipuam operationem, nempe ad intelligendum per phantaſmata, ita in compoſito ſubſtantiali perſonalitas complet naturam in ratione per ſe ſtandi, &c. Confirmatur à pari, quia ſicut ſi vnio non eſſet realis, compoſitum non eſſet reale, ita ſi vnio, non eſſet ſubſtantialis, compoſitum nō eſſet ſubſtantiale.

23. Obiectiones contra hanc primi concluſionem.

Solet obiici contra hanc concluſionem à Neotericis primò, quia Ariſtoteles 2. de anima ſubſtantiam diuidit in formam, materiam, & compoſitum; ſed vnio nullum eſt iſtorum, ergo, &c. Secundò, Vnio nō per ſe ſtat, ergo, &c. Tertiò ſequeretur quòd compoſitum componeretur ex tribus partibus ſubſtantialibus, materia, forma, & vnione, contra Ariſtotelem. Quartò, Vnio poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, quia poſſunt remanere partes ſine vnione, ergo eſt accidens; hæc enim eſt definitio accidentis.

Solutio ad obiectiones.

Reſpondetur breuiter, & ad primam obiectionem dicitur, quòd vnio eſt modus ſubſtantialis & non propriè ſubſtantia: & ideo Ariſtoteles diuidit ſubſtantiam propriè dictam. Ad ſecundam quòd A cùm ſit modus ſubſtantiæ, non requiritur vt poſſit per ſe ſtare. Ad tertiam negatur ſequela, compoſitum ſcilicet conſtare ex tribus partibus, quia vnio non eſt pars, ſed modus partium, vt dictum eſt. Ad quartam reſpondetur quòd vnio non poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti, id eſt, compoſiti corruptionem.

Ad argumenta primæ ſententiæ quæ præcipuè militant contra ſextam concluſionem, reſpondetur, Ad primum negando, quòd ſi extrema vniantur per vnionem tanquam per quemdam nexum, vniantur mediatè; extrema enim vt materia, & forma, vniuntur ſe ipſis, vt (quod) vnio autem eſt vt (quo). Eſſet autem abſurdum ſi materia, & forma vnirentur mediante vnione tanquam realitate diſtincta, & tanquam vinculo. 24. Ad argumēta primæ ſententiæ. Ad primum.

B

Ad ſecundum reſpondetur non eſſe multiplicanda entia ſine neceſſitate, quando commodè fieri poteſt; at verò extrema etiam ſi ſint proportionata non poſſunt ſe ipſis vniri; vt probatum eſt in prima concluſione. 25. Ad ſecundū.

Ad tertium reſpondetur eſſe diſparem rationem de vnione, & extremis; nam cùm vnio ſit eſſentialiter actualis nexus; non mirum eſt ſi ſe ipſa vniatur cum extremis; at verò extrema cùm non habeant conceptum actualis nexus, & actualiter diſtinguantur, debet ipſis extremis aliquid ſuperaddi tanquam nexus actualis, per quem vniantur. 26. Ad tertium.

C

Ad argumenta aliarum opinionum patet ex his, quæ dicta ſunt in propriis concluſionibus contra ipſas opiniones.

QVÆSTIO SECVNDA.

An poſſit cadere vnio in omni compoſito ſubſtantiali.

Pro explicatione ſciendum eſt quadruplex eſſe compoſitum. Primum eſſentiale ex materia & forma ſubſtantiali. Secundum ſubſtantiale ex natura & ſubſiſtentia. Tertium ſubſtantiale integrale ex partibus ſubſtantialibus, ex quibus reſultat totum integrale. Quartum ex ſubſiſtentiis partialibus materiæ & formæ. 1.

D

Prima concluſio, de primo compoſito eſſentiali non eſt difficultas, quòd poſſit inter partes illius cadere vnio realis, vt probatum eſt, an autem ſit vna vel plures, dicemus in quarta quæſtione. 2. Prima concluſio.

Secvnda concluſio. De ſecundo non eſt difficultas, ſuppoſito, quòd ſubſiſtentia ſit realitas diſtincta à natura, quia tunc daretur vnio ex parte naturæ, per quam vnitur ſubſiſtentiæ. 3. Secunda concluſio.

Difficultas ſolùm poteſt eſſe in hoc ſecundo compoſito an poſſit dari vnio ex parte ſubſiſtentiæ. Et reſpondetur ex dictis in tertia diſputatione, hoc E eſſe impoſſibile, quia ſubſiſtentia habet eſſe per ſe, non ſolùm, vt, quo, ſed vt, quod; quia ratio formalis ſe ipſa eſt talis, ſi eſt capax ſui effectus formalis, ſicut extenſio ſe ipſa extenditur, & actio ſe ipſa fit: Si igitur ſubſiſtentia vt, quo, eſt ratio formalis faciendi per ſe, ergo ipſa cùm ſit capax exiſtendi per ſe, erit per ſe, & non in alio: at ſi daretur vnio in ſubſiſtentia, tunc ſubſiſtentia eſſet in alio: ergo non poteſt dari vnio ex parte ſubſiſtentiæ intrinſecè afficiens ipſam ſubſiſtentiam.

Tertia concluſio. De tertio compoſito integrali maior eſt difficultas, dico tamen eſſe impoſſibile in hoc toto ſubſtantiali integrali cadere poſſe vnionem. 5. Tertia concluſio.

Pro

Digitized by Google

PRO explicatione notandum, totum integrale A eſſe duplex, quoddam quantitatiuum, quod integratur ex partibus quantis, quatenus quantæ ſunt; & de hoc non eſt hic quæſtio; Dicunt tamen aliqui philoſophi ſexto phyſicor. quòd partes quantitatis copulantur termino communi indiuiſibili. Alij verò negant iſta indiuiſibilia, & dicunt vniri per vnionem extenſam, vel ſe ipſis.

Aliud verò eſt totum integrale ſubſtantiale, quatenus per quantitatem non ſolùm extenduntur partes quantæ, ſed etiam per eamdem extenduntur partes ſubſtantiales materiales ipſius ſubſtantiæ, Et de hoc eſt quæſtio, an illæ partes ſubſtantiales vniantur ad faciendum vnum ſubſtantiale, ita vt partialis ſubſiſtentia vnius partis vniatur cum partiali B ſubſiſtentia alterius partis ad faciendum vnum totum ſubſiſtens. Et quantùm ad hoc dixi in concluſione eſſe impoſſibile, quòd detur vnio inter iſtas partes ſubſtantiales integrantes.

Probatur, quia ſubſiſtentia vt ſubſiſtentia, dicit rationem incommunicabilitatis alteri ſubſiſtenti, alioquin eſſet ratio per ſe, & non ratio per ſe, vt oſtenſum eſt in ſuperiori concluſione; repugnat igitur vt hæ duæ partes ſubſtantiales vniantur; quare cùm duæ partes aquæ, quæ priùs erant ſeparatæ, vniuntur, corrumpuntur duæ illæ ſubſiſtentiæ totales, quæ erant in partibus diuiſis aquæ, & fiet vna ſubſiſtentia totius.

5. Inſtatur. Solutio. Dices, iſta ſubſiſtentia eſt diuiſibilis, quia eſt ma- C terialis, ergo adhuc habebit vnionem. Reſpondetur quòd eſt indiuiſibilis, ſicut de anima equi dicunt Thomiſtæ, de qua re dictum eſt in tertia diſputatione quæſtione ſexta & tertia.

6. Inſtatur ſecundò. Solutio. Dices, ratio propriæ ſubſiſtentiæ eſt facere naturam in ſe independenter à ſubiecto, quæ quidem poteſt ſtare cum ratione vnionis. Reſpondetur ex tertia diſputatione quæſtione ſecunda effectum formalem ſubſiſtentiæ non eſſe inſeitatem, ſeu facere naturam independentem à ſubiecto, quia hæc ſupponitur in priori ſigno, quando intelligitur creari natura ſubſtantialis; Sed effectus formalis ſubſiſtentiæ eſt perſeitas, id eſt, facere naturam incommunicabilem alteri ſubſiſtentiæ, vt probatum eſt D ibidem.

7. Quarta cõcluſio. QVARTA concluſio circa quartum compoſitum ſubſtantiale, quod reſultat ex partibus ſubſtantialibus, materia, ſcilicet, & forma ſubſtantialis, dico non poſſe eſſe vnionem inter ſubſiſtentiam partialem materiæ, & ſubſiſtentiam partialẽ formæ per eamdem rationem ſupra allatã de toto integrali.

Quòd ſi quæras, quomodo igitur ex ſubſiſtentia partiali materiæ, & formæ, poteſt fieri vnum ſubſtantiale ſine vnione. Reſpondetur profectò hoc fieri non poſſe, & ideo dicendum eſt quòd in cõpo[illegible] eſt vna ſubſiſtentia realiter diſtincta à natura; An autem hæc ſubſiſtentia ſit ſubſiſtentia materiæ, an ſubſiſtentia totius, fusè diximus in tertia diſputatione quæſtione ſexta, quare non oportet hic immorari. E

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm vnio diſtinguatur à parte rei ab extremis vnitis.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. SVPPONIMVS, vt fuſiùs probatum eſt ſuprà quæſtione prima vnionem non eſſe ipſa extrema proportionata, & indiſtantia, nec eſſe dependentiam vnius extremi ab alio, ſed eſſe nexum quemdam realem, quo vniuntur extrema. Quod igitur in hac quæſtione quæritur, eſt, An hæc vnio ſit identificata cum extremis, an verò ſit diſtincta à parte rei ab ipſis.

CIRCA quam quæſtionem alij tenent eſſe identificatam, alij verò diſtinctam; Fundamenta autem vtriuſque opinionis infrà ponentur. Opiniones.

SED in hac quæſtione mihi videtur cum diſtinctione procedendum eſſe; ſunt enim extrema in duplici differentia; quædam ſunt diſtincta realiter tanquam res & res; quædam formaliter, ſeu ex natura rei, ſicut res, & modus. His poſitis ſit 2. Reſolutio.

PRIMA concluſio, quando extrema ſunt diſtincta realiter, qualia ſunt in compoſito ſubſtantiali materia & forma, & in ſuppoſito natura & ſubſiſtentia, quæ ſecundùm noſtram ſententiam diſtinguuntur realiter, & in toto integrali partes integrantes, & in compoſito accidentali, ſubiectum, & accidens realiter diſtinctum, tunc vnio diſtinguitur à parte rei ab extremis. 3.

PROBATVR primò, quia vnio nõ eſt potentialis, ſed actualis nexus duorum: ergo non poteſt identificari cum extremis. Conſequentia probatur, quia extrema poſſunt ſeparatim exiſtere, vt patet de anima rationali, & de aliis etiam formis per Dei potentiam: at verò ſi haberent vnionem identificatam, haberent actualem nexum; ergo actualiter eſſent vnita ad inuicem, non enim poteſt concipi actualis nexus, abſque eo quòd actu veniat; conſiſtit enim eſſentialiter in actuali exercitio vniendi. Antecedens probatur, Si enim vnio, vt dictum eſt ſuprà, eſſet potentialis, deberet exire in actum, ſeu exercitium vnionis per alium modum vnionis, & hic vel eſſet potentialis, & deberet exire per alium, & ſic abiretur in infinitum: vel eſſet actualis, & tunc non eſt maior ratio, quare non ſit ſiſtendum in priori vnione, ita vt illa ſit actualis nexus; ſicut etiam propter eamdem rationem philoſophatur de cæteris modis. Prima ratio.

SECVNDO probatur, Quando vnũ exiſtit altero non exiſtente actu, illa duo non poſſunt eſſe omnino identificata ex parte rei; Sed res, quæ priùs vniebatur, exiſtit, non exiſtente vnione; ergo vnio non poteſt eſſe identificata cum re, cuius eſt vnio. Minor patet ex dictis, Anima enim rationalis ſeparata, & materia exiſtunt non exiſtente vnione; ſi enim exiſteret vnio, actu vniret, vt in ſuperiore ratione oſtenſum eſt. 4. Secunda ratio.

Maior probatur ex Ariſt. 7. top. cap. 1. loco 15. & 7. Metaph. in fine; quibus in locis aſſignat illam regulam diſcernendi diſtinctionem à parte rei vnius ab alio, quando vnum extremum poteſt exiſtere ſine alio, etiam ſi illud aliud non poteſt exiſtere ſine illo. Ex qua regula colligit carnẽ eſſe aliquid diſtinctum ab elementis, ex quibus componitur: quia hæc manere poſſunt ſine carne, quamuis caro non ſine illis; Hanc etiam regulam ſequuntur communiter Peripatetici Alex. Auerr. & S. Thom. 7. top. loco citato & communiter Theologi, Scotus in 2. diſtinct. 1. q. 5. & in 3. diſtinct. 8. q. 1. Durandus in 1. diſtin. 30. q. 2. & alij, & Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 7. vbi ex hac regula colligit, magnitudinem, ſeu quantitatem diſtingui à figura, quia quamuis hæc figura non poſſit eſſe ſine hac quantitate, poteſt tamen hæc quantitas eſſe ſine hac figura. Ariſt. Alexand. Auerr. S. Thom. Scotus. Durand. S. Auguſtin.

Secundò probatur eadem Maior ratione, quia id quod non eſt actu, non poteſt eſſe identificatum cum eo, quod eſt actu. Nec ſatis eſt dicere, quòd cùm producitur vnio de nouo, identificatur cum materia, vel cum anima; nam quod ſemel fuit diſtinctum

Digitized by Google

ctum, non poteſt ampliùs identificari, nam ſemper retinet ſuam entitatem diſtinctam, per quam priùs diſtinguebatur.

5. Tertia ratio.

Tertio probatur Theologicè, quia meliùs ſaluatur myſteriũ Incarnationis; nam dari debet in Incarnatione vnitio, quæ eſt actio vnionis, ad quam concurrat tota Trinitas in genere cauſæ efficientis, quia Incarnatio eſt opus ad extra, vt conſtat ex Concilio Lateranenſi, & habetur cap. Firmiter. de Sum. Trinit. & ex Toletano XI. & ex ſexta Synodo act. 8. circa finem: At hæc vnitio non poteſt habere pro termino, niſi ipſam vnionem formalem; ipſa igitur vnio formalis, cùm ſit terminus vnitionis, eſt diſtincta à parte rei ab ipſa natura producta. Probatur conſequentia, quia actio vniendi eſt diſtincta ab actione, qua natura humana Chriſti producitur ſecundùm communem opinionem Theologorum, nam humanitas præintelligitur aſſumptioni; & præterea cùm anima Chriſti fiat per creationem, præintelligi debet ante actionem vnitionis cum Verbo; ſic etiam materia prima, quæ organizatur per generationem; vnio autem nec eſt creatio, nec generatio.

Concil. Later. Tolet. ſexta Syno.

Inſtantia. Fulgent. Leo. Soluitur.

Quòd ſi obiicias Fulgentium lib. de Incarnat. cap. 3. & Leonem I. epiſt. 11. aſſerentes ipſa aſſumptione fuiſſe creatã humanitatem. Reſpondetur hos Patres non intelligendos eſſe in ſenſu formali, ita vt ipſa vnio ſit creatio, ſed in ſenſu potiùs materiali, id eſt, quòd ſimul fuerit creata humanitas & vnita.

6. Obiectio.

Obiicies contra hanc primam concluſionem. Receptio formæ à ſubiecto non diſtinguitur à ſubiecto; ergo neque vnio. Conſequentia probatur, quia ipſa receptio eſt vnio. Antecedens probatur, receptio ipſius eſſe formæ non diſtinguitur ab ipſa forma recipiente illud eſſe; ergo à pari neque receptio formæ in ſubiecto diſtinguitur à ſubiecto recipiente ipſam formam.

Soluitur.

Reſpondetur, quicquid ſit de conſequentia, negatur antecedens, & ad probationem dicitur negando cum communi, quòd actio, & paſſio, cuiuſmodi eſt hæc receptio ipſius eſſe formæ ab agente, non diſtinguatur à parte rei ab ipſa forma, quæ eſt terminus illius actionis; eſt enim eadem paritas: Sicut enim in homine corrumpitur vnio remanentibus extremis realiter diſtinctis; ita cùm calor fit ab igne, poſt inſtans fitionis remanet calor, & ignis ſine actione, hoc autem oſtendimus ſuprà cum Ariſtot. eſſe ſignum diſtinctionis à parte rei.

Sed poteſt quæri, quænam ſit hæc diſtinctio à parte rei inter vnionem, & extrema realiter diſtincta, an realis, vel ex natura rei penes connotatum extrinſecum, vel modalis? Ad quod reſpondetur, & ſit

7. Secunda cõcluſio. Probatur.

Secunda concluſio, Vnio ab extremis realiter diſtinctis non diſtinguitur realiter ſicut res à re.

Probatur, quia ex dictis in prima concluſione vnio eſt eſſentialiter actualis nexus: non igitur poteſt ſeparari ab extremis vnitis: ergo non diſtinguitur realiter ab ipſis extremis. Prima conſequentia probatur, quia cùm vnio ſit actualis nexus, eſſentialiter conſiſtit in actuali exercitio vniendi. Secunda conſequentia probatur, quia ſignum diſtinctionis realis eſt, quando vnum extremum poteſt exiſtere ſine alio.

8. Inſtatur cõtra probationem.

Sed contra hanc probationem aliqui inſtant, quia creatura, inquiunt, non poteſt exiſtere ſine Deo, nec relatio prædicamentalis ſine termino, nec vna perſona diuina ſine alia, nec potentia animæ ſine anima, & tamẽ hæc omnia ſunt realiter diſtincta.

Solutio.

Reſpondetur, quòd quando extrema ſunt ſeparata & diuiſa, tunc non eſt euidens ſignum quòd illa duo non diſtinguuntur realiter, ex eo, quia vnum non poteſt exiſtere ſine alio: Et ita eſt in duobus prioribus exemplis allatis de creatura reſpectu Dei, & de relatione reſpectu termini. Eſt enim eſſentialis dependentia vnius ab alio, & ideo vnum non poteſt exiſtere ſine alio; & tamen quia extrema ſunt diuiſa, & ſeparata, poteſt inter illa cadere diſtinctio realis: At verò vnio neceſſariò debet eſſe intrinſeca ſaltem alteri extremorum: Si igitur non poteſt exiſtere ſine extremis, ſignum eſt, quòd non diſtinguatur realiter ab ipſis extremis, ſi vtrumque afficit intrinſecè, vel ab eo extremo quòd intrinſecè afficit.

Ad tertium verò exemplum de perſonis diuinis reſpondetur, quòd vna perſona diſtinguitur ab alia inadæquatè; ſunt enim vnum in tertio, nempe in eſſentia diuina; ratione igitur illius tertij ſicut perſonæ non diſtinguuntur realiter: ita nec poſſunt exiſtere ſeparatæ, ſed ſemper remanent identificatæ in illo tertio.

Ad quartum exemplum reſpondetur, quòd qui tenent potentias diſtingui realiter ab anima, tamquam rem à re, congruentiùs dicunt poſſe ſeparari ab anima; Qui verò tenent non poſſe ſeparari propter eſſentialem dependentiam potentiæ vitalis ab anima, congruentiùs dicunt diſtingui formaliter tamquam rem, & modum.

Tertia concluſio, Hæc diſtinctio à parte rei vnionis ab extremis, nõ eſt extrinſecè penes tantùm aliquod connotatum extrinſecum, ſed potiùs dicendum eſt vnionem diſtingui intrinſecè ex natura rei à re vnita. 9. Tertia concluſio.

Explicatur hæc tertia concluſio. Aureol.

Pro cuius concluſionis explicatione notandum eſt, quòd Aureolus apud Capreol. in 3. diſt. 1. q. 1. & 2. quem ſequuntur quidam iuniores, exiſtimant vnionem diſtingui ex natura rei à re vnita per connotatum tantùm extrinſecum; Explicant autem hanc diſtinctionem hoc modo, Res vnita, inquiunt, & vnio, quamuis ſint vna res omnino ſimplex, concipiuntur tamen diuerſo conceptu; nam vnio concipitur in ordine ad connotatum extrinſecum, quod eſt negatio diuiſibilitatis, vel indiſtantia, quod non connotatur in conceptu rei, cuius eſt vnio.

Notant præterea, quòd hæc diſtinctio ex natura rei penes connotatum extrinſecum differt à diſtinctione, quam vocant rationis ratiocinatæ, quia diſtinctio rationis ratiocinatæ non connotat aliquod extrinſecum, vnde fit, vt quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, nunquam poſſint ſeparari; quia nec poſſunt ſeparari intrinſecè, cùm ſint vna res ſimplex, nec extrinſecè, cùm nullum connotent extrinſecum; at verò in his, quæ diſtinguuntur ex natura rei penes connotatum extrinſecum, poteſt vnum deperdi, altero remanente; quia poteſt deperdi connotatum extrinſecum: Sicut cùm diſſoluitur, inquiunt, compoſitum hominis, dicitur deperdi vnio, non intrinſecè, quia ſupponitur eſſe vna res ſimplex, vel cum anima, vel cum corpore: Sed quatenus deperditur vel illa negatio diuiſionis, vel illa indiſtantia, ſeu diſpoſitiones, & alia extrinſecè requiſita ad vnionem: & hoc etiam modo dicunt diſtingui relationem à fundamento, & deperdi relationem, non quidem intrinſecè, ſed extrinſecè per deperditionem termini; ſic etiam dicunt diſtingui figuram à quantitate; quia figura connotat ſpatium extrinſecum, quod non connotat quantitas.

His notatis, probatur concluſio contra iſtos authores, nam eſto hæc diſtinctio ex natura rei penes tantùm connotatum extrinſecum admittatur in re- 10. Probatur.

latione

latione & figura, nullo tamen modo eſt admittenda in vnione; nam vnio, vt ſuprà probatum eſt in prima concluſione, eſt eſſentialiter actualis nexus extremorum: ergo diſſoluto compoſito non ſolùm ſunt deperdita connotata extrinſeca, ſed etiam eſt deperdita ipſa vnio intrinſecè.

Probatur conſequentia, quia ſi illa vnio non eſt deperdita, actu vnit: eſt enim actualis nexus, qui eſſentialiter conſiſtit in actuali exercitio vniendi; Euidenter igitur colligitur, quòd ſi actu non vnit, non remanet ſecundùm ſuam entitatem intrinſecam; Dicendum eſt igitur, quòd vnio diſtinguitur intrinſecè ex natura rei à re vnita.

11. *Inſtatur cõtra probationem.* Quòd ſi dicant aduerſarij falsò ſupponi, dari conceptum vnionis identificatum intrinſecè cum re vnita: vnio enim nihil aliud eſt quàm ipſa omnino ſimpliciſſima res, quæ dicitur vnita connotando extrinſecè negationem diuiſionis, ſeu aliud requiſitum ad vnionem.

Soluitur. Contra hoc eſt, quia ſatis probauimus ſuprà in prima quæſtione, vnionẽ non eſſe ipſam entitatem extremorum; quia præter entitatem extremorum dicit conceptum nexus: debent igitur iſti authores, qui ponunt vnionem diſtingui à parte rei à re vnita, penes tantùm connotatum extrinſecum admittere, ſaltem præter entitatem extremorum, entitatem vnionis intrinſecè omnino identificatam cum extremis, ita vt verè ſit entitas vnionis in extremis, quamuis non diſtincta intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè: hoc autem iam probauimus non poſſe dici.

12. *Quarta cõcluſio explicatur.* QVARTA concluſio, Hæc diſtinctio ex natura rei vnionis à re vnita non eſt propriè modalis, ſed eſt propriè formalis.

PRO quo nota, quòd, vt habetur apud Scotum & Burlif. in ſuis formalitatibus, diſtinctio modalis propriè dicta, vt differt à formali, dicit duo; Primò modum, qui ſit idem cum re modificata, & intra formalitatem rei modificatæ, ſicut calor vt octo eſt idem cum calore, & intra formalitatem caloris. Secundò, quòd talis modus additus rei modificatæ non extrahat illam extra ſuam ſpeciem; nam calor vt octo additus calori vt quatuor non facit aliam ſpeciem, ſicut facit differentia addita generi.

Probatur. HIS poſitis probatur concluſio. Vnio non eſt intra formalitatem rei vnitæ; nam vnio materiæ non eſt materia, & præterea vnio addita rei modificatæ conſtituit tertium diſtinctum ſpecie à ſingulis partibus; nam vnio conſtituit compoſitum hominis, quod diſtinguitur ſpecie ab anima, & à materia.

ET hæc dicta ſint de vnione quantùm ad primam partem quæſtionis, quando, ſcilicet, extrema ſunt realiter diſtincta tamquam res à re. Quantùm verò ad ſecundam partem quæſtionis quando res ſunt diſtinctæ tamquam res & modus, aliter philoſophandum eſt. Sit igitur

13. *Quinta cõcluſio.* QVINTA concluſio, Vnio modi cum re modificata non diſtinguitur à parte rei à re modificata, ſed identificatur cum illa.

Probatur à poſteriori. ET ratio aſſignari ſolet à poſteriori, quia in his non habemus ſignum diſtinctionis à parte rei, ſicut habemus quando extrema ſunt realiter diſtincta: tunc enim videmus remanere extrema ſine vnione, ſicut remanet materia, & anima ſeparata. Ex quo colligimus vnionem, quæ erat inter illa extrema, eſſe diſtinctam à parte rei ab extremis: Quando verò extrema non ſunt realiter diſtincta, ſed ſunt ſicut res & modus, tunc nunquam poteſt dari caſus quòd extrema remaneant, ſed ſolùm quòd vnum extremum remaneat, res, ſcilicet, modificata, non autem modus; quia cùm modus conſiſtat, vt oſtenſum eſt in actuali exercitio modificando, eſt inſeparabilis à re modificata; non poteſt igitur colligi quòd vnio inter rem modificatam, & modum ſit diſtincta à parte rei, ſed quòd ſit omnino identificata à parte rei, quod non poteſt dici, quando vtrumque extremum remanet ſeparatum: Si enim vnio identificaretur cum alio extremorum, eſſet vnio abſque eo quod vniat; quod eſt impoſſibile; vnio enim, vt dictum eſt, eſt actualis nexus; ſemper igitur, cùm exiſtit, vnit.

SED contra hanc rationem poſſet inſtari, quòd 14. *Inſtatur cõtra probationem.* quamuis à poſteriori non poſſit colligi diſtinctio à parte rei inter modum & vnionem propter argumentum factum; non tamen inde colligitur euidenter quòd non ſit diſtinctio à parte rei, quia poſſet dici quòd corrupto modo, corrumpitur vnio illius modi, quæ diſtinguebatur à parte rei à modo, quia cùm illa vnio ſit modus modi; non poteſt exiſtere ſine modo tanquam ſuo ſubiecto: Quare à priori ſic poteſt probari, & ſit

Secunda ratio, quòd vnio deficit ab vnitate, & 15. *Secũda probatur à priori.* identitate; vbi enim eſt omnimoda vnitas, & identitas, non eſt vnio, quia ibi non poteſt eſſe nexus duorum, quæ componant vnum; Si igitur extrema nullo modo ſint identificata inter ſe, ſed diſtincta realiter, profectò inter illa debet cadere vnio proportionata, diſtincta, ſcilicet, à parte rei: ſi verò extrema non ſunt omnino identificata, nec omnino diſtincta realiter, ſed ſunt vnum realiter, vt ſunt res & modus; profectò, inter hæc extrema cadere debet vnio, quæ non habeat tantam diſtinctionem, ſicut habebat vnio, quæ cadebat inter extrema realiter diſtincta: Debet igitur cadere vnio, quæ ſit identificata cum vno extremorum, quod eſt modus, ſolùm diſtincta ratione ratiocinata ab illo.

SEXTA concluſio, Ille modus, qui poteſt ſimul, 16. *Sexta concluſio.* & ſemel modificare connaturale ſubiectum, & etiam non connaturale, diſtinguitur realiter à non connaturali, quia poteſt ab illo ſubiecto non connaturali ſeparari, exempli gratia, in doctrina noſtra, ſecundùm quam tenuimus ſuprà in ſecunda diſputatione exiſtentiam non diſtingui realiter à natura; poſſe tamen per Dei potentiam naturam exiſtere per alienam exiſtentiam, in hoc caſu exiſtentia aliena diſtinguitur realiter à natura aliena, quia poteſt ſeparari ab illa natura aliena, & exiſtere cum propria diſtincta realiter ab alia natura, & idem dicendũ eſt de ipſa vnione, quæ identificatur realiter cũ exiſtentia aliena; Si enim exiſtentia aliena diſtinguitur realiter à natura, conſequenter fit vt vnio, quæ identificatur cum illa exiſtentia aliena, diſtinguatur realiter ab eadem natura; cum hac tamen differentia, quòd facta ſeparatione exiſtentiæ ab aliena natura poteſt remanere exiſtentia cum propria natura, & in illa exercere actum exiſtendi: at verò non poteſt remanere vnio per quam exiſtentia vniebatur cum aliena natura, quia non exercet ampliùs actum vniendi, & tamen cùm eſſentialiter ſit actualis nexus, vt patet ex dictis, conſiſtere debet in actuali exercitio.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm in compoſito eſſentiali vnio ſit vna, vel multiplex.

NOTA duplex eſſe compoſitum ſubſtantiæ, 1 alterum eſſentiale ex materia, & forma; alterum ſubſtantiale ex natura & ſubſiſtentia. Quæſtio autem præſens eſt de priori compoſito; de poſteriori enim erit quæſtio ſexta.

PRIMA

Digitized by Google

2. ma ſen- tia. PRIMA ſententia aſſerit in compoſito eſſentiali eſſe duas vniones, alteram in materia, alteram in forma.

mum ar- mentum. Probatur primò, quia per vnam vnionem vnitur materia cum forma, per aliam forma cum materia: ergo ſunt duæ vniones. Conſequentia patet, Antecedens probatur, quia vnio materiæ cum forma eſt cauſalitas materiæ reſpectu formæ: Vnio verò formæ cum materia eſt cauſalitas formæ reſpectu materiæ; ſed cauſalitas materiæ eſt alia à cauſalitate formæ, & diuerſæ rationis, ſicut diuerſæ rationis eſt materia à forma: ergo, &c.

ecundum gumentũ. Secundò probatur, Vtrumque extremum eſt in potentia ad vniri; ergo non debet potiùs poni in vno extremo, quàm in alio.

3. cũda ſen- ntia. SECVNDA ſententia aſſerit eſſe vnam ſimplicem vnionem, ſed intrinſecè modificare vtrumque extremum.

imum ar- mentum. Fundamentum eſt, quia connaturale eſt cauſæ formali, dare ſuum effectum formalem intrinſecè; non enim dat effectum formalem alteri, niſi ſe ipſam intrinſecè communicando: ſed effectus formalis vnionis eſt facere vtrumque extremum vnitum, vt patet ex dictis in prima quæſtione; non enim poteſt intelligi vnio ex parte vnius extremi, quin aliud extremum ſit vnitum: ergo vnio vtrique extremo connaturaliter dat ſuum effectum formalem: ergo vtrique extremo dat ſe ipſam intrinſecè modificando vtrumque extremum, præſertim cùm vtrumque ſit capax illius modificationis.

Secundum gumentũ. Secundò probatur, quia hæc vnio non eſt mera relatio, quæ dicat intrinſecam habitudinem in fundamento in ordine ad aliud extrinſecum, ſcilicet terminum, ſed eſt vnio componibilium, quæ quidem componibilia ex æquo reſpicit, ergo non eſt maior ratio, cur modificet vnum, & non aliud.

Tertium ar- gumentum. Tertiò, Punctum, quod vnit duas partes quantitatis, eſt in vtroque extremo, ergo à pari vnio debet eſſe in vtroque extremo.

Quartum gumentũ. Quartò, quia alioquin ſequeretur, quòd anima poſſet moueri extra corpus, quia ipſa intrinſecè non afficitur vnione, per quam coarctatur ad vbi materiæ; & præterea poſſet etiam intelligere ſine phantaſmate, quia eſſet per ſe ſubſiſtens omnino independens intrinſecè à materia, ſicut à ſimili ſubſiſtentia diuina non coarctatur ad vbi humanitatis, quia ipſa non afficitur intrinſecè vnione.

Quintum gumentũ. Quintò, Quando duo ſunt vnita, vnum non poteſt eſſe magis vnitum alteri, quàm alterum ipſi, ſicut, cùm duo corpora ſunt propinqua, vnum non eſt altero propinquius; at ſi vnio reciperetur in vno extremo, tunc illud diceretur magis vnitum, quàm ſit alterum.

Sextũ argu- mentum. Sextò Theologicè, quia vnio inter naturam humanam, & Verbum, eſt ſupra naturam, vt docent Sancti Patres. Eſt autem ſupra naturam, quia Verbum vnitur naturæ ſine ſui mutatione: hoc autem inde eſt quia Verbum non recipit in ſe vnionem: ſi autem connaturaliter vnio modificaret vnum extremum tantùm, non eſſet ſupra naturam, quia poſſet dici quòd connaturaliter tantùm mutatio eſſet ex parte vnius extremi, ſcilicet humanitatis, in qua connaturaliter debet eſſe vnio, & non ex parte Verbi, in quo non eſt vnio intrinſecè.

4. Tertia ra- tio. TERTIA ſententia aſſerit dari vnam vnionem afficientem tantùm intrinſecè vnum extremum, & per eam ſatis intelligi aliud extremum eſſe vnitum extrinſecè; Hęc ſententia eſt communis recentiorum & verior.

5. PRIMA concluſio contra primam ſententiam. In

A compoſito eſſentiali non dantur duæ vniones, altera in materia, & altera in forma. Hîc non diſputo an ſit vna vnio afficiens intrinſecè & adæquatè vtrumque extremum, vel ſit vna vnio intrinſecè tantùm afficiens vnum extremum, de hoc enim dicetur in ſequentibus concluſionibus; ſed ſolùm in hac concluſione intenditur non eſſe duas vniones, alteram in materia & alteram in forma. Prima concluſio contra primam ſententiam.

Hanc concluſionem ſupponit noſter Suar. diſput. 13. ſect. 9. non autem illam ex profeſſo probat, quia ſupponit vnionem eſſe dependentiam, & conſequenter debere eſſe tantùm in vno extremo indigenti; Nos autem, quia in prima quæſtione tenuimus, vnionem non eſſe formaliter dependentiam
B vnius extremi ab altero, ſed præter dependentiam debere dari vnionem tamquam nexum medium inter extrema, maiorem habemus difficultatem in probando hanc concluſionem.

Aliqui autem primò probant à paritate vnionis, quæ eſt inter ſubiectum, & formam accidentalem, quæ tantùm eſt vna, eſt enim vnica inhærentia. 6. Prima ratio.

Sed hæc ratio non ſatis probat apud illos, qui tenent, vnionem inter ſubiectum, & accidens eſſe diſtinctam ab inhærentia; nam inhærentia, cùm ſit tantùm dependentia paſſiua, ſolùm eſt in vno extremo indigenti quod eſt accidens: at verò vnio, dicerent aduerſarij, quia æquè reſpicit vnibilia, vt vnibilia, debet eſſe duplex in vtroque extremo
C vnibili. Refellitur.

Secundò probant alij à pari de duabus partibus quantitatis, quæ vniũtur vnico puncto cõtinuatiuo. 7. Secunda ratio.

Sed neque hæc ratio ſatis probat, nam nos cum multis aliis negamus puncta continuatiua. Refellitur.

Tertiò probari ſolet ex abſurdo, quod ex poſitione duarum vnionum ſequeretur: Eſſet autem abſurdum, quia præter illas duas vniones aſſignanda eſſet tertia vnio, qua illæ duæ vniones vnirentur ad inuicem. Probant ſequelam, quia non poſſunt illæ duæ vniones ſe inuicem vniri ad faciendum vnum, quia diuerſo modo deberent vniri inter ſe, ac per ſe ipſas vniuntur materia, & forma; nam per ipſas vniuntur, materia, & forma, tamquam actus, & po-
D tentia: at verò inter ſeſe non poſſunt vniri tamquam actus, & potentia; requiritur igitur tertia vnio, quæ vniat iſtas duas vniones, ſicut à pari, linea continuatiua vnit partes ſuperficiei, & tamen partes lineæ non poſſunt ſe inuicem vniri, ſed vniuntur puncto, quia alio modo linea vnit partes ſuperficiei, & alio modo partes lineæ vniuntur inter ſe. Tertia ratio.

Sed neque hæc ratio ſatis probat; nam dare hanc tertiam vnionem nullum eſt abſurdum; imò in compoſito ſubſtantiali, in quo natura humana vnitur cum ſubſiſtentia creata, quam ſupponimus realiter diſtinctam, vel natura humana in Chriſto cum ſubſiſtentia increata, probabiliùs dicitur, quòd illæ duæ vniones materiæ, & formæ, vniantur tertia
E vnione, quia poſt mortem Chriſti remanſerunt illæ duæ vniones partiales, non tamen vnitæ, quia corrupta eſt tertia vnio, quæ illas copulabat vt fuſiùs dicetur, in quæſtione ſexta. Refellitur.

Probatur igitur quartò, hæc concluſio efficaciter à priori, quia ab vnica vnione ſatis ſufficienter dependet totum vnitum: ergo non debent dari duæ vniones; Probatur antecedens, quia ſiue detur vna vnio afficiens ſimul vtrumque extremũ, ſiue vnum tantùm adæquatè, ſatis ſufficienter intelliguntur ambæ partes vnitæ. Et quidem ſi detur primum, clarè patet: Si verò detur ſecundum, quòd, ſcilicet, ſit vna vnio afficiens intrinſecè adæquatè vnum tantùm extremum; probatur, quia vnio eſt eſſentialiter 8. Quarta ratio efficax à priori.

actualis

Digitized by Google

actualis nexus: Si igitur ponatur in vno extremo v.g. in materia, neceſſariò connectit materiam cum forma: ergo iam forma intelligitur vnita cum materia per vnionē, quę tantùm eſt intrinſecè in materia.

Conſequentia probatur, quia non poteſt vnus effectus pendere à duabus cauſis adæquatis, & totalibus; quia per vnam cauſam eſt adæquatè & totaliter expleta indigentia effectus; non igitur indiget concurſu alterius cauſæ, qui ſecundùm ſuam naturam eſſentialiter conſiſtit in explendo actualiter indigentiam effectus, & tamen effectus per te non indigeret, quia ſupponis indigentiam expletam per concurſum alterius cauſæ. Sed quidquid ſit de poſſibili, de qua re diſputabimus infrà in prædicamento actionis, de facto tamen naturaliter nunquam contingit vnum effectum dependere à duabus cauſis adæquatis & totalibus, quia fruſtra darentur huiuſmodi cauſæ.

9. *Quinta ratio efficax.* Quintò efficaciter probatur, quia non poteſt aſſignari ratio exigentiæ huius duplicis vnionis in vtroque extremo; nam in vnione ſubſtantiali duo reperiuntur; Primum, quòd ſit ordo ad aliud; Secundum, quòd ſit ratio formalis ex duobus faciendi vnum per ſe.

Et quidem ratione primi non poteſt dici eſſentialiter eſſe in vtroque extremo, vt patet de relatione prædicamentali, quæ quidem ſolùm eſt in fundamento.

Nec ratione ſecundi, quia quod extrema faciant vnum per ſe, non oritur ex vi vnionis, ſed ex natura extremorum, quia vnum ſe habet, vt actus ſubſtantialis, & alterum ſe habet vt potentia; hæc enim ſunt, quæ, vt quòd, immediatè vniuntur, ſolùm igitur requiritur vnio, vt quo, quæ ſit velut ordo tranſcendentalis ſubſtantialis inter illa duo extrema; Ordo autem vt ſic, non petit eſſe in duobus extremis, poteſt enim eſſe ordo tranſcendentalis ſubſtantialis ex parte vnius extremi, & non ex parte alterius, vt patet in Deo, & creatura, & ſcientia, & ſcibili, nam ex parte vnius extremi, ſcientiæ ſcilicet, aut creaturæ, eſt ordo eſſentialis trāſcendentalis; ex parte verò alterius extremi, Dei ſcilicet, aut ſcibilis, ſecundùm veriorem opinionem non eſt relatio, nec prædicamentalis, nec tranſcendentalis, ſed tantùm denominatio extrinſeca.

10. Quòd ſi dicas tertiò, requiri vnionem in vtroque extremo, quatenus eſt vinculum, & nexus duorum, neque hoc probat, quia vt oſtenſum eſt, etiam ſi ſit in vno extremo, nectit neceſſariò ſibi aliud extremū.

Quòd ſi dicas quartò, requiri, quatenus vnio, eſt ratio formalis faciendi vnum; de intrinſeca autem ratione cauſæ formalis eſt dare ſe ipſam intrinſecè; ergo vnio, cùm ſit ratio formalis faciendi vnum æquè compoſitum ex vtroque extremo, debet ſe præbere intrinſecè vtrique extremo.

Sed contrà, quia hæc inſtantia non probat debere dari duas vniones, ſed ad ſummum probat debere dari vnam vnionem afficientem intrinſecè adæquatè vtrumque extremum.

Sed neque hoc efficaciter probat: ſatis enim eſt vna vnio intrinſecè in vno extremo tantùm, quia vt dictum eſt, vnio quamuis ſit ratio formalis, eſt tamen talis naturæ, vt præbendo ſe ipſam intrinſecè vni tantùm extremo, iam ſaltem extrinſecè connectat cum illo aliud extremum, quod non eſt ſimile de aliis rationibus formalibus.

11. Quòd ſi dicas quintò, requiri propter cauſalitatem materiæ, & formæ, quæ ſunt diuerſæ; materia enim cauſat recipiendo formam, & hoc modo ſe vnit cum forma; forma verò cauſat informando, & hoc modo ſe vnit cum materia.

Contra hoc eſt, quia ſi ponatur tantùm vnica vnio in materia, per illam non ſolùm intelligitur materiam tamquam cauſam materialem recipere in ſe formam, ſed etiam intelligitur formam tamquam cauſam formalem informare materiam; quia, vt probatum eſt, per illam vnionem quæ eſt in materia, iam intelligitur forma vnita materiæ tamquam actus, & tanquam cauſa formalis, & tranſire ex actu primo informatiuo ad actum ſecundum informantis, vt clariùs patebit ex reſponſione ad primum primæ ſententiæ.

Quòd ſi dicas ſextò, requiri vnionem in vtroque extremo, ex eo quia ſi ponatur tantùm vnio in forma, adhuc requiritur vnio in materia, ad hoc vt exerceat actum cauſæ ſuſtentantis, quia materia quatenus informata, ſe habet vt effectus, quatenus autem ſuſtentat, ſe habet vt cauſa. 12.

Contra hoc eſt, quia ad ſuſtentandum requiritur alius modus diſtinctus ab vnione; Modus enim ſuſtentandi eſt modus dependentiæ ſecundùm eſſe, cuiuſmodi non eſt vnio; nam eſt vnio inter animam rationalem, & corpus, & tamen non eſt hic modus dependentiæ ſecundùm eſſe; Et per hæc patet ad argumenta, quæ fieri ſolent contra hanc primam concluſionem, vt mox patebit clariùs infrà in ſolutione argumentorum primæ ſententiæ.

Secunda concluſio non repugnat dari vnicam vnionem partium eſſentialium, quæ afficiat intrinſecè, & adæquatè vtrumque extremum; an autem de facto non afficiat niſi vnum tantùm intrinſecè & adæquatè, videbimus in tertia concluſione; Hæc concluſio non aliter probatur, quàm ſoluendo implicantias, quæ afferri ſolent in oppoſitum. 13. *Secunda cō cluſio. Probatur concluſio ſoluendo implicantias in oppoſitum.*

Prima implicantia quæ affertur eſt, quia non poteſt eadem res eſſe in duobus ſubiectis realiter diſtinctis; at ſi vnio afficeret intrinſecè vtrumque extremum, materiam, ſcilicet & formam, eſſet in duobus ſubiectis. 14. *Soluitur prima implicantia.*

Sed hæc implicantia facilè ſoluitur; non enim implicat poſſe Deum ponere idem numero accidens in duobus ſubiectis, dummodo neutrum ſit adæquatum, ſed vtrumque ſimul inadæquatum; ne effectus dependeat à duabus cauſis adæquatis, & totalibus, quod nos in prædicamento actionis probabimus eſſe impoſſibile; Dūmodo igitur vnio ita recipiatur ſubiectiuè in vtroque extremo, vt vtrumque extremum ſimul ſit adæquatum ſubiectum, & ſuſtentatiuum illius vnionis, nulla eſt implicantia, quia fieri poſſit non ſolùm per Dei potentiam, ſed etiam aliquando de facto naturaliter cōtingit, quando naturaliter quodlibet illorum ſubiectorum ſeorſim ſumptum eſt inadæquatum.

Secunda implicantia, quæ afferri ſolet, eſt quòd illa extrema eſſent idem inter ſe, quia ſunt idem vni tertio, ſcilicet vnioni, iuxta illud principium philoſophicum, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe: ſed de hoc principio Philoſophico fusè diſputauimus in priori tomo in 3. principio. 15. *Soluitur ſecunda implicantia.*

Breuiter nunc reſpondetur, quòd quando extrema identificantur cum vna tertia realitate, ſunt eadem inter ſe realiter, quod quidem valet in rebus creatis, quia quæ identificantur cum tertia entitate in rebus creatis, non ſunt realitates, ſed modi, vt ibidem probauimus, & ideo non poſſunt realiter diſtingui inter ſe, diſtinguentur tamen formaliter, quia identificatio realis non tollit oppoſitionem, quam habent extrema ad inuicem: Vnde in diuinis, quia relationes ſunt realitates, quamuis identificentur cum eſſentia propter ſui infinitatem, retinent tamen

men

Digitized by Google

men inter ſe diſtinctionem, & oppoſitionem realem: at verò in rebus creatis poſſunt duæ realitates identificari, ſeu potiùs ſibi identificare tertium, quod non ſit realitas, ſed modus, ſicut multi tenent, quòd duæ partes lineæ identificent ſibi punctum, & in hoc caſu illæ duæ realitates retinent eandem oppoſitionem ad inuicem, quam priùs habebant, nam identificatio, vt dictum eſt, non tollit oppoſitionem, quam extrema habent ad inuicem; Cùm igitur illæ duæ realitates habeant oppoſitionem ſeu diuerſitatem realem, etiam ſi ſibi identificent vnum tertium, adhuc retinent eandem diſtinctionem.

16. Soluitur tertia implicãtia. Tertia implicantia, quæ affertur, eſt, quòd hæc vnio vel eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis: Si indiuiſibilis non poteſt afficere materiam, quæ eſt diuiſibilis: ſi diuiſibilis, non poteſt afficere intrinſecè animam rationalem, quæ eſt indiuiſibilis.

Sed hæc inſtantia ſoluitur, quòd non repugnat ſpirituale ſubiectari in re diuiſibili, nec rem diuiſibilem ſubiectari in re ſpirituali, vt fusè oſtendemus infrà in ſeptima quæſtione.

17. Tertia concluſio. Tertia concluſio contra ſecundam ſententiam, quamuis, vt probatum eſt, non implicet vnicam vnionem afficere intrinſecè, & adæquatè vtrumque extremum, materiam nempe, & formam, de facto tamen non afficit intrinſecè, & adæquatè niſi vnum; Quod autem hoc ſit an materia, vel forma, in ſequenti quæſtione oſtendetur.

Prima ratio. Probatur concluſio, quia fruſtra ponitur vnio afficiens vtrumq; extremũ: nam, vt dictum eſt ſuprà, ſi detur vnio tantùm afficiens vnum extremum, eſt impoſſibile non intelligere etiam aliud extremum vnitum per denominationem extrinſecam ab vnione, quæ eſt in altero extremo; nam vnio eſt nexus actualis duorum: impoſſibile eſt autem intelligere quòd actualiter vniat, & non vniat vtrumque extremum: quare etiamſi ponatur, quòd non afficiet intrinſecè aliud extremum, adhuc neceſſariò intelligitur aliud extremum vnitum extrinſecè.

18. Secunda ratio. Secundò probatur, quia ſi in homine daretur vnica vnio afficiens intrinſecè materiam, & animam rationalem; non poſſet aſſignari, quare potiùs ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis; ex æquo enim afficit materiam diuiſibilem; & animam rationalem, quæ eſt indiuiſibilis: at verò ſi detur vnica vnio adæquatè afficiens intrinſecè vnum tantùm extremum, tunc commodè dici poteſt, quòd ſi illud extremum eſt materia, tunc vnio eſt diuiſibilis; ſi verò illud extremum eſt anima rationalis, tunc vnio eſt indiuiſibilis.

RESPONSIO AD ARGVMENTA.

19. Ad argumẽta primæ ſententiæ. Ad primum. AD argumenta primæ ſententiæ quæ ſunt contra primam cõcluſionem, facilè patet ex dictis; Breuiter tamen reſpondetur, & ad primum dicitur, negando requiri duplicem vnionem, vnica enim ſufficit, vt probatum eſt. Et ad probationem Antecedentis, cùm dicitur cauſalitatem materiæ quæ nihil aliud eſt quàm receptio formæ, ſeu vnio cum forma, eſſe diuerſæ rationis à cauſalitate formæ, quæ eſt informatio, ſeu vnio formæ cum materia, ſicut & ipſæ cauſæ, ſunt diuerſæ, reſpondetur; Pro quo nota terminum cauſalitatis materiæ, ſicut & formæ eſſe duplicem, alter eſt immediatus, &, vt quo, & eſt ipſa vnio, alter autem mediatus & præcipuus, vt quod, & eſt eſſe ipſius compoſiti.

His poſitis dico quòd materia, & forma habent ſuas cauſalitates diuerſæ rationis, reſpectu termini mediati, vt quod, ſeu compoſiti; nam materia præbendo ſeipſam tanquam partem materialem, cauſat

A cõpoſitum: forma autem præbendo ſe ipſam cauſat tanquam partẽ formalem; At verò reſpectu termini immediati, &, vt quo, non eſt neceſſe vt habeant duas cauſalitates diuerſas; ſufficit enim vnica vnio, ſiue in materia, ſiue in forma, ad hoc vt vtrumque extremum dicatur vnitum; Nam cùm forma informat materiam, ſatis ſufficienter intelligitur per illam vnionem informationis formam recipi in materia, & è conuerſo; ſi vnio ſit tantùm in materia, ſatis etiam ſufficienter intelligitur formam vniri materiæ, informando materiam per vnionem, quæ eſt in materia, ſeu per receptionem formæ.

Quòd ſi dicas, ſi daretur vnica vnio, ſequeretur quòd materia & forma vnirentur ſimul, tantùm en- 20.
B titatiuè, ſicut duæ partes quantitatis, non autem formaliter, vt actus & potentia, quæ habent cauſalitates diuerſas: ſicut cùm Verbum vnitur humanitati, non vnitur ſecundùm totum quod habet, ſed ſecundùm perſonalitatem.

Contra hoc eſt, tum quia natura diuina ſaltem vnitur mediatè, ergo ſaltem materia & forma deberent vt actus & potentia, vniri mediatè, tum quia eſt diſpar ratio, nam materia nihil eſt aliud eſſentialiter quàm potentia: & forma nihil eſt aliud eſſentialiter quàm actus; at verò perſonalitas Verbi non eſt eſſentialiter ipſa natura diuina, quare ſi materia & forma vniuntur per vnicam vnionem, neceſſariò vniuntur vt actus & potentia, ac proinde vt ſic ſuf-
C ficienter cauſant compoſitum per vnam vnionem.

AD ſecundum reſpondetur, quòd quãuis vtrumque extremum ſit in potentia paſſiua ad vniri, congruentiùs tamen ponitur tantùm in vno extremo, quàm in alio, propter rationem quam aſſignabimus in ſequenti quæſtione. Ad ſecundũ.

AD argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt præcipuè contra tertiam concluſionem, reſpondetur; Et ad primum cùm dicitur, vnio cùm ſit cauſa formalis dat ſuum effectum formalem intrinſecè; cauſat enim cauſa formalis præbendo ſe ipſam: reſpondetur ex dictis, quòd quando cauſa formalis non poteſt per vnum effectum formalem, quem communicat vni intrinſecè, denominare aliud, tunc verum 21. Ad argumẽta ſecundæ ſententiæ. Ad primum.
D eſt antecedens: at verò in caſu noſtro vnio præbendo ſe ipſam vni extremo intrinſecè, neceſſariò denominat aliud extremum, non enim poteſt concipi, quòd vniat vnum extremum, & quòd alterum etiam non ſit vnitum. Quòd ſi quæras, denominat ne intrinſecè, vel extrinſecè? reſpondetur, quòd denominat extrinſecè, quatenus forma, à qua denominatur, non eſt intrinſecè in ipſo; non tamen hinc ſequitur, quòd alterum extremum non intrinſecè vniatur ad faciendum vnum tertium, & propterea aliqui recentiores vocant illam denominationem mediam; Sed non videntur rectè loqui, quia ex eo, quòd vnio non eſt in alio extremo, verè extrinſecè illud ex-
E tremum dicitur vnitum, quatenus in ſe non habet vnionem; quatenus verò illud extremum componit vnum per ſe cum alio extremo, verè ſe habet intrinſecè, ac ſi ſubiectaret vnionem in ſe, quia ad componendum tertium nihil aliud requiritur niſi vt extremum componens præbeat ſe ipſum ſecundùm ſuam entitatem intrinſecam; Quòd autem hoc fiat per vnionem ſibi intrinſecam, vel extrinſecè, nihil facit ad hoc, vt dicatur intrinſecè componere.

AD ſecundum, cùm arguebatur, quòd vnio non eſt mera relatio, quæ eſt intrinſeca habitudo in vno ad aliud extrinſecum, ſcilicet, ad terminum, ſed eſt vnio componibilium, quæ intrinſecè faciant vnum, ergo non poteſt eſſe in vno extremo, ſicut eſt relatio, & denominare aliud, reſpondetur cõcedendo vnio- 22. Ad ſecundũ ſecũdæ ſententiæ.

h 2 nem

Digitized by Google

nem non eſſe relationem prædicamentalem, nec propriè tranſcendentalem, quia reſpicit extrema exiſtentia, qualia non reſpicit relatio tranſcendentalis, eſt tamen modus reſpectiuus, qui etiam dicit eſſe Ad. Et cùm inſtatur, Vnio ex æquo reſpicit vtrumque extremum, ergo non eſt maior ratio, cur modificet intrinſecè vnum, & non aliud; reſpondetur, quòd cum ſatis ſit vnionem afficere vnum extremum ad hoc, vt etiam denominet alterum, ponenda eſt intrinſecè modificans illud extremum, quod maiorem habet conuenientiam naturalem vt modificetur; hoc autem eſt materia, vt dicemus in ſequenti quæſtione.

23. Ad tertium. Ad tertium cùm arguitur ex paritate puncti, quod eſt in vtroque extremo partium, quas vnit; reſpondetur, quòd tam propter hoc argumentum, quàm propter alia oſtendemus in prædicamento quantitatis, non dari hæc puncta.

24. Ad quartũ. Ad quartum cùm arguitur, quòd hinc ſequeretur animam poſſe moueri extra corpus, & intelligere ſine phantaſmate, reſpondetur, quòd quamuis hoc argumentum valde probabiliter probaret vnionem in homine afficere de facto vtrumque extremum; ſolui tamen optimè poteſt, negando ſequelam. Et cùm inſtatur, Si anima non habet vnionem intrinſecam, non coarctatur ad vbi corporis, ſicut à ſimili, ſubſiſtentia Verbi, non coarctatur ad vbi humanitatis: quia non habet vnionem intrinſecam: reſpondetur negando paritatem, anima enim rationalis cùm ex natura ſua non ſit vbique, & adde quòd eſt ſentiens, per illam vnionem verè conſtituitur acta forma corporis, non ſolùm vt intellectiua, ſed etiam vt ſenſitiua eſt; & ideo non poteſt dum eſt in corpore, moueri extra corpus, nec intelligere ſine phantaſmate; non autem eſt ſimile de ſubſiſtentia Verbi, nam hæc non eſt ens limitatum, ſed eſt ens infinitum, & propter ſuam immenſitatem eſt vbique, & ideo etiam ſi vniatur humanitati, non poteſt coarctari ad vbi humanitatis.

25. Ad quintũ. Ad quintum reſpondetur, quòd ſi vnibile comparetur ad conſtitutionem tertij, vnum non eſt magis vnitum, quàm alterum, ſed vtrumque æquè intrinſecè componit tertium, & in hoc eſt paritas cum exemplo allato de propinquitate corporum; Si verò comparentur ad inuicem, vnum poteſt dici magis intrinſecè vnitum, quatenus intrinſecè recipit vnionem, quam non recipit alterum, & quantùm ad hoc in exemplo allato de propinquitate corporum, eſt diſparitas, quia propinquitas fundatur præciſè in indiſtantia, quæ neceſſariò eſt æquè in vtroque.

26. Ad ſextum. Ad ſextum cùm arguitur, Quòd ſi vnio eſt connaturaliter tantùm intrinſecè in vno extremo, ſequitur contra Patres, non eſſe ſupra naturam Verbum vniri humanitati, ſine ſui mutatione. Reſpondetur hanc vnionem hypoſtaticam naturæ humanæ cum Verbo, dici à Patribus admirabilem: non quia vnio eſt tantùm in humanitate, ſed tum quia humanitas dat Verbo eſſe humanum, & tamen non propterea Verbum perficitur ab humanitate, tum quia componit vnum per ſe cum humanitate: hoc autem eſt admirabile, quòd Deus verè ſit de nouo ſubſtantialiter homo ſine ſui mutatione, & quòd veniat in compoſitionem cum creatura, ſine aliqua ſui imperfectione, de qua re fuſiùs dicetur in corollariis.

***

QVÆSTIO QVINTA.

In quo extremo ſit hæc vnica vnio partium eſſentialium ad inuicem, an in Materia, an in Forma.

Diximus hucuſque vnionem partium eſſentialium materiæ, & formæ non eſſe in vtroque extremo, ſed tantùm adæquatè in vno; nunc videndum reſtat in quo extremo ſit.

Prima ſententia aſſerentium vnionem eſſentialem eſſe in forma, hanc ſequuntur aliqui graues recentiores. 1. Prima ſententia.

Probatur Primò, quia tota actio agentis naturalis directè terminatur ad formam, tanquam formalem terminum actionis, ſiue vniendo illam cum materia, ſi eſt anima ſpiritualis, qualis eſt rationalis: ſiue educendo ex potentia materiã, ſi eſt materialis; in materia verò ſolùm eſt vt in ſubiecto, cui agens vnit formam: ergo ipſa vnio fit in forma. Primum argumentum.

Secundò probatur ex Damaſceno in ſua phyſica cap. 3. vbi docet formam eſſe illam, quæ aduenit materiæ; materia verò manet inuariata: ergo vnio ſe tenet ex parte formæ; quia eſt per coniunctionem formæ ad materiam; quod confirmat materiali exemplo de baſi, quæ manet inuariata, mutatione tantùm facta in columna, quæ ſuperponitur baſi. Secundum argumentum.

Tertiò probatur à ſimili, Cùm calefit lignum, non fit duplex mutatio caloris, vna in adhæſione caloris, altera in vnione ligni ad calorem, ſed vna tantùm, quæ conſiſtit in introductione caloris, hæc autem introductio dicit mutationem in calore, & non in ſubiecto, ergo ex parte caloris debet ſe tenere vnio cum ſubiecto. Tertiũ argumentum.

Sed contra hanc ſententiam ſit

Vnica concluſio, Vnio eſſentialis eſt in materia, & non in forma. 2. Vnica concluſio.

Fundamentum eſt, quia ſubiectum immediatum generationis eſt materia, ergo & vnionis. Antecedens eſt ab omnibus conceſſum, Conſequentia probatur, quia generatio, vel non diſtinguitur à termino, vel ſi diſtinguitur, diſtinguitur tanquam modus, ergo in eo ſubiecto, in quo eſt generatio, eſt terminus: ſed terminus generationis eſt vnio, ergo vnio eſt in materia, in qua eſt generatio. Probatur primò.

Dices, generatio identificatur etiam cum forma, quæ generatur de nouo, ergo ſequitur, quòd vnio etiam ſit in forma, in qua eſt etiam generatio. Reſpondetur, quòd terminus formalis generationis, vt (quo,) eſt vnio formæ cum materia; Quòd autem forma aliquando generetur ab agente, vt eſt forma materialis, eſt per accidens, & quaſi materialiter, quia in homine anima non generatur, ſed vnitur.

Secundò probatur, quia in homine ſi vnio ſubiectaretur in anima rationali, non poſſet attingi ab agente naturali; ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Minor patet, quia alioqui homo non generaret hominem, ſi non attingeret intrinſecè ſaltem ipſam vnionem; non enim ſufficit, vt producat diſpoſitiones, quia hæc eſt actio accidentalis; at generatio eſt actio ſubſtantialis; Præterea per diſpoſitiones non attingitur immediatè vnitum; at vnio eſt actio ſubſtantialis, & per illam attingitur immediatè vnitum, præſertim cùm non requirantur duæ vniones, altera in materia, & altera in forma, ſed ſufficiat, vt probatum eſt ſuprà, quòd vnio ſit tantùm in materia. Maior probatur, quia hæc vnio ſi eſſet in anima rationali, eſſet ſpiritualis: at ſpirituale non poteſt attingi ab agente naturali, agit enim mediantibus diſpoſi- 3. Probatur ſecundò.

Digitized by Google

diſpoſitionibus materialibus.

Sed ad hoc argumentum reſpondent aliqui, vnionem ſpirituale poſſe attingi ab homine mediantibus diſpoſitionibus materialibus, tanquam inſtrumento animæ rationalis, quæ eſt ſpiritualis.

Sed contrà, quia anima rationalis in generatione concurrit ſupplendo vices animæ vegetatiuæ, non autem quatenus intellectiua eſt reduplicatiuè, & ideo illam vnionem producit, quam produceret anima vegetatiua, ſi daretur in homine, hæc autem non poſſet, tanquam principale agens producere vnionem ſpiritualem.

4. Tertiò probatur. Tertiò probatur, quia non congruenter ponitur vnio intrinſecè in anima rationali; nam hæc vnio, vel eſſet diuiſibilis, vel indiuiſibilis, ſeu extenſa: & quamuis neutrum repugnet, vt oſtendetur infrà quæſt. ſeptima, & octaua; neutrum tamen videtur poſſe dici ſine aliquo abſurdo; Si enim ponatur eſſe indiuiſibilis, ſequitur illud abſurdum, quòd cùm abſcinditur manus, vel corrumpitur vnio, vnde ſequeretur, quòd per abſciſſionem ſolius manus homo moreretur; corrumperetur enim tota vnio, cùm illa ſit ſimplex & indiuiſibilis, vel ſi non corrũpitur vnio, ſed tantùm deſinit informare manum, tunc ſequetur, quòd vnio non eſſet actualis nexus reſpectu manus, ſed tantùm potentialis, quod tamen ſuprà quæſt. 1. oſtendimus eſſe falſum; cõſiſtit enim vnio, ſicut & cæteri modi, eſſẽtialiter in actuali exercitio modificandi rem, cuius eſt modus.

Quòd ſi dicatur vnio in anima rationali eſſe diuiſibilis, & extenſa, ſequitur illud abſurdum, quòd non videtur eſſe proportionata animæ, quæ quidem eſt ſpiritualis, & indiuiſibilis: Congruentiùs igitur vnio ponitur intrinſecè in materia, quæ quidem cùm ſit diuiſibilis, habet etiam vnionem diuiſibilem, ac proinde non ſequuntur illa abſurda, quæ ſequerentur, ſi poneretur vnio in anima rationali.

5. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, negando quòd actio agentis naturalis primariò, & directè, terminetur ad formam, ſiue vniendo; ſiue educendo, nam forma eſt terminus partialis vt (quod,) vnio autem eſt terminus vt (quo,) totum autem vnitum eſt terminus totalis, vt (quod.) Primariò igitur, & directè actio terminatur ad totum vnitum (vt quod,) & ad vnionem vt (quo;) ad conſtituendum autem vnitum, non eſt neceſſe vt vnio ponatur in forma; imò congruentiùs, vt probauimus, ponitur in materia; quare actio productiua agentis terminatur ad vnionem, quæ eſt tantùm intrinſecè in materia tamquam ad terminum, vt (quo.)

6. Ad ſecundũ. Damaſc. Ad ſecundum ex Damaſceno reſpondetur quòd cùm dicit manere materiam inuariatam, intelligit ſecundùm generationem terminatiuè: dicitur autem materia generari terminatiuè, cùm generatur, vel producitur terminus; quando, ſcilicet, fit in materia de nouo forma, ſiue per generationem, ſi eſt materialis; ſiue per creationem, ſi eſt immaterialis, vt anima rationalis. Et ſecundùm hanc generationem terminatiuam, materia non dicitur variari; variatur enim tantùm terminus, ſeu forma, quæ vnitur in materia; materia autem variatur ſecundùm generationem ſubiectiuè, quia tunc per vnionem in ſe intrinſecè receptam, recipit formam.

Ad exemplum de baſi eſt diſpar ratio; nam illa vnio columnæ cum baſi, eſt ſolùm per indiſtantiam, & ideo non requiritur aliqua vnio in columna, ſed ſolùm requiritur approximatio columnæ, quæ fit per motum localem; At verò vnio materiæ cum forma, non eſt vnio localis; ſed ſubſtantialis, vt pro-

A batum eſt in prima quæſtione: & ideo opus eſt, vt materia mutetur, quia ipſa eſt ſubiectum immediatum generationis, ſcilicet recipiendo formam.

Ad tertium reſpondetur, quòd in argumento ſupponitur falſum, quia alius eſt modus inhærentiæ in calore, & alius vnionis eiuſdem caloris cum ſubiecto: tum quia aliqua forma vnitur, & non inhæret, vt eſt anima rationalis; tum quia inhærentia eſt formaliter dependentiã à ſubiecto, ac propterea eſt in ipſo calore tanquam in extremo indigenti: vnio autem non eſt formaliter dependentia, vt probatum eſt in prima quæſtione, ſed eſt formaliter nexus duorum, non magis reſpiciens vnum, quàm alterum, in ordine ad compoſitum; ac propterea non opus eſt vt ſit in calore, ſed potiùs debet eſſe intrinſecè in materia propter rationes allatas ſuprà. 7. Ad tertium.

B

QVÆSTIO SEXTA.

An in compoſito ſubſtantiali ex natura, & ſubſiſtentia ſit vnica vnio.

Ostensvm eſt hucuſque in quarta & quinta quæſtione, vnionem eſſentialem in compoſito eſſentiali; eſſe vnam tantùm intrinſecè, & adæquatè in vno extremo, illud autem potiùs eſſe materiam, quàm formam: Videndum eſt modò in hac quæſtione, quid dicendum ſit de vnione quam vocant ſuppoſitalem, quæ eſt in compoſito ſubſtantiali, ſeu ſuppoſito, quod conſtituitur ex natura creata, tanquam vno extremo, & ex ſubſiſtentia creata, tamquam alio extremo. 1. Senſus quæſtionis.

C

Sed aduertendum eſt hanc quæſtionem non habere locum apud illos, qui tenent ſubſiſtentiam diſtingui à natura tanquam modum rei à re; ſecundùm enim hanc ſententiam certum eſt ſubſiſtentiam ſe ipſam vniri cum natura: modi enim, vt diximus ſuprà quæſtione tertia, habent ſibi identificatam vnionem, Sed hæc quæſtio tantùm habet locum in ſententia noſtra, ſecundùm quam tenuimus cum communi Thomiſtarum diſput. 3. q. 7. ſubſiſtentiam diſtingui realiter a natura, tamquam rem à re; tunc

D enim requiritur vnio ſaltem in aliquo extremo, ad hoc vt natura componat cum ſubſiſtentia. Et quidem reſolutio huius quæſtionis multùm conducit ad quæſtionem illam Theologicam de vnione humanitatis cũ Verbo, de qua fusè agetur in corollariis.

Circa verò hanc quæſtionem, vt diſtinctè procedatur, tria ſunt dubia examinanda.

Primum dubium, Vtrùm vnio ſuppoſitalis ſit in natura humana tantùm.

Secundum dubium, An in ipſa natura, quæ componitur ex materia & anima tamquam forma, ſint duæ vniones vnientes animam, & materiam in ordine ad ſubſiſtentiam, vel vnica vnio.

Tertiũ dubiũ, Si ſunt duæ vniones, altera in materia, & altera in forma, quomodo inuicem vniãtur in ordine

E *ad ſubſiſtentiã an ſe ipſis, an verò requiratur tertia vnio.*

Qvantvm ad primum dubium, ſit Prima concluſio, In ſuppoſito, ſeu compoſito ſubſtantiali ex natura creata, & ſubſiſtentia creata, non ſunt duæ vniones, altera in natura, altera in ſubſiſtentia, nec vna vnio intrinſecè afficiens naturam, & ſubſiſtentiam ſimul. 2. Prima concluſio.

Hæc concluſio facilè probatur ex his, quæ dicta ſunt ſuprà quæſtione quarta de vnica vnione in compoſito eſſentiali. Sed præter illas rationes ibi allatas, peculiaris eſt ratio in caſu concluſionis, nam in ſubſiſtentia non poteſt eſſe intrinſecè

Digitized by Google

vnio, quia ſequeretur quòd ſubſiſtentia haberet intrinſecè eſſe (in) ſed hoc repugnat; quia ſubſiſtentia habet eſſe per ſe; eſſe autem per ſe, & in alio, repugnant, ſicut curuitas, & rectitudo: & ſicut inhærentia non poteſt habere eſſe per ſe: ita nec ſubſiſtentia eſſe in alio.

Quòd ſi dicas ſubſiſtentiam eſſe per ſe vt (quo) quatenus eſt ratio faciens naturam eſſe per ſe, vt (quod) autem eſſe in alio: Contra hoc eſt, quia ſi ratio formalis eſt capax ſui effectus formalis, ſe ipſa eſt talis, ſicut quantitas ſe ipſa eſt extenſa, & actio ſe ipſa fit; at ſubſiſtentia eſt capax eſſendi per ſe: ergo ſe ipſa eſt per ſe; ſicut inhærentia, qui eſt modus diſtinctus ab accidenti, ſe ipſo inhæret.

3. Circa ſecundum dubium, An vnio ſuppoſitalis quæ eſt intrinſecè in natura, ſit vna in tota natura, vel ſint duæ vniones, altera in materia, & altera in forma: vel ſit tantùm vna in vno extremo. Reſpondeo & ſit

Secũda concluſio. Secvnda concluſio. Vnio ſuppoſitalis non poteſt eſſe vna in vna tantùm parte ipſius naturæ, in materia, ſcilicet, vel in forma, ſed vel eſt vna afficiens intrinſecè, & adæquatè vtramque partem; Vel quod probabilius eſt, ſunt duæ vniones, altera in materia, & altera in forma, in ordine ad componendum vnum ſuppoſitum, conſtans ex natura & ſubſiſtentia.

4. Probatur prima pars cõcluſionis. Prima pars concluſionis quòd ſcilicet non poſſit eſſe vna vnio in vna parte tantùm; probatur, quia vtraque pars materia ſcilicet & forma ſe habet, ſicut potentia in ordine ad ſubſiſtentiam, tamquam ad actum; non igitur poteſt eſſe vna tantùm vnio afficiens intrinſecè, & adæquatè vtramque partem: Antecedens patet, quia ſuppoſitum conſtat ex tota natura tamquam ex parte materiali; ſeu potentiali; & ex ſubſiſtentia, tamquam actu terminante ipſam naturam. Conſequentia probatur, quia vnio, quæ eſt in vna parte, exempli gratia, in materia, non dicit ordinem ad formam, nec è conuerſo, ſed vtraque pars tamquam potentia dicit ordinem ad ſubſiſtentiam: Vnio igitur, quæ eſt in materia, non poteſt ſibi vnire formam; ideo enim vt dicebamus ſuprà q. 4. in compoſito eſſentiali ſufficiebat vna tantùm vnio quæ eſſet tantùm intrinſecè in materia; quia materia per illam vnionem reſpiciebat formam, tamquam actum: ac propterea poterat per illam vnionem vnire ſibi formam, imò neceſſariò forma intelligebatur vnita per illam vnionem, quæ erat in materia, propter ordinem, quem habebat illa vnio ad formam, tamquam ad actum.

5. Secũda pars cõcluſionis. Circa ſecundam partem concluſionis, quòd ſcilicet, probabilius eſt eſſe duas vniones, alteram in materia, & alteram in forma in ordine ad ſubſiſtentiam, occurrit ratio dubitandi, quia videtur quòd ſatis ſit vnica vnio afficiens intrinſecè, & adæquate materiam, & formam ſimul: non igitur multiplicandæ ſunt plures vniones ſine neceſſitate.

Ratio dubitandi cõtra hanc ſecundam partem cõcluſionis. Quòd verò ſatis ſit hæc vnica vnio probatur: quia ideo dicebatur ſuprà in quæſtione 4. quòd in compoſito eſſentiali non datur vnica vnio afficiens intrinſecè vtrumque extremum, quia fruſtra daretur; ſatis enim eſt quòd vnio ſit tantùm in vno extremo; exempli gratia, in materia, quia per eam vnionem ſatis ſufficienter intelligitur vnita ipſa forma, propter ordinem quem habet ad formam tamquam ad ſuum actum; At verò hæc ratio ceſſat in compoſito ſubſtantiali; ſeu ſuppoſito: nam vnica vnio in vna parte tantùm naturæ, v.g. in materia, non eſt ſufficiens ad vniendam formam cum ſubſiſtentia, propter rationem allatam in prima parte huius concluſionis: non ergo fruſtrà ponitur vna vnio afficiens vtrumque extremum naturæ, materiam ſcilicet & formam: imò congruentiùs ponitur, ne multiplicentur duæ vniones ſine neceſſitate, altera in materia, & altera in forma.

6. Solutio inſtantis, probatur hæc ſecũda pars concluſionis. Sed his non obſtantibus, dicendum eſt probabiliùs, quòd ſint duæ vniones, altera in materia, & altera in forma.

Primò. Probatur primò, quia quamuis non fruſtra daretur vnica vnio afficiens intrinſecè vtramque partem, tamen non eſſet ita connaturalis; quia in homine non poſſet aſſignari ratio, quare hæc vnio potiùs ſit diuiſibilis, quam indiuiſibilis: nam ſi dicas eſſe diuiſibilem; contra hoc eſt, quia quamuis, vt dicetur infrà in ſequenti quæſtione, hoc non repugnet, quia tamen illa vnio afficeret intrinſecè animam rationalem, deberet potiùs eſſe connaturaliter, & magis proportionatè indiuiſibilis, & ſpiritualis: ſicut eſt ipſa anima rationalis; Si verò dixeris eſſe indiuiſibilem, & ſpiritualem: contra hoc eſt, quia cùm æquè afficiat intrinſecè materiam, deberet connaturaliter & proportionatè eſſe diuiſibilis; ſicut eſt ipſa materia; hæc verò ratio ceſſat ſi dentur duæ vniones, altera in materia, & altera in anima rationali; quia vnio in materia eſſet diuiſibilis: vnio verò in anima rationali eſſet indiuiſibilis.

7. Secundò. Secundò probatur Theologicè, quia meliùs ſaluatur illud axioma cõmuniter receptum à Theologis, circa myſterium incarnationis (quod Deus ſemel aſſumpſit, ſcilicet ſubſtantiale, nunquam dimiſit); At verò ſi detur vnica vnio ſubſtantialis ſuppoſitalis afficiens intrinſecè vtrumque extremum, hæc fuiſſet deperdita in morte Chriſti, in qua anima fuit ſeparata à corpore, & debuiſſent reſultare de nouo duæ aliæ vniones, altera in anima; & altera in corpore: & in reſurrectione iſtæ duæ vniones deperderentur, & iterum deberet reproduci alia vnio ſuppoſitalis, afficiens vtramque partem, materiam, ſcilicet & animam; At verò ſi dentur duæ vniones, altera in materia, & altera in forma, non fuiſſent deperditæ in morte Chriſti, ſed remanſiſſent in illo triduo mortis, & quamuis illud axioma (quod ſemel aſſumpſit, &c.) videatur intelligi potiùs de partibus vnitis, quàm de ipſa vnione; tamen ſi poteſt ſaluari etiam in vnione, quæ eſt ſubſtantialis, & ratio formalis vniti, non videtur quare hoc dici non debeat.

8. Circa tertium dubium, quomodo ſcilicet, illæ duæ vniones, quarum vna eſt in materia, & altera in forma, vniantur ad inuicem in ordine ad ſubſiſtentiam, an ſe ipſis vel per aliam vnionem diſtinctam: Reſpondeo, & ſit

Tertia concluſio. Tertia concluſio: Non eſt improbabile quòd illæ duæ vniones quarum altera eſt in materia, & altera in forma, vniuntur ſe ipſis in ordine ad faciendum vnum cum ſubſiſtentia: quamuis etiam ſit ſatis probabile, quòd detur tertia vnio.

Probatur prima pars cõcluſionis Primò. Prima pars concluſionis probatur Primò, quia non videtur neceſſaria tertia vnio; illæ enim duæ vniones, quarũ altera eſt in materia, & altera in forma in ordine ad ſubſiſtentiam, non ſunt diuerſæ rationis; non enim vna ſe habet vt actus, & altera vt potentia; ſicut ſe habent vniones duarum partium eſſentialium in compoſito eſſentiali, ſed vtraque vnio ſe habet vt potentia in ordine ad vnam ſubſiſtentiam, tamquam ad actum; Poſſunt igitur ſe ipſis inuicem vniri in ordine ad eamdem ſubſiſtentiam; tamquam ad actum adæquatum vtriuſque vnionis ſuppoſitis diſpoſitionibus, in diſtantia, & aliis requiſitis tamquam conditionibus.

Secundò

Digitized by Google

9. Secundò probatur.

Secundò probatur, quia ſi daretur tertia vnio, A non poſſet aſſignari in homine ratio, quare potiùs hæc tertia vnio ſit diuiſibilis, quàm indiuiſibilis; nam cùm æquè vniat vnionem, quæ eſt in materia, & vnionem quæ eſt in anima rationali in ordine ad ſubſiſtentiam, non videtur quare potiùs debeat eſſe diuiſibilis reſpectu vnionis extenſæ, quæ eſt in materia,& non indiuiſibilis reſpectu vnionis ſpiritualis quæ eſt in anima rationali.

10. Tertiò probatur.

Tertiò probatur; quia hæc tertia vnio fuiſſet diſſoluta, & deperdita in morte Chriſti, contra illud axioma(quod ſcilicetſemel aſſumpſit nunquam dimiſit,) vt explicatum eſt in ſuperiori concluſione.

11. Inſtātia contra hāc primā partem cōcluſionis.

Quòd ſi inſtes,ſi in Chriſto,in illo triduo mortis B remanſerunt illæ duæ vniones,altera in corpore, & altera in anima, non videtur quomodo fuerit diſſolutum compoſitum, ſi nihil fuit deperditum? Reſpondetur, quòd deperditis diſpoſitionibus, & aliis requiſitis ad vnionem tamquam connotatis, illæ duæ vniones animæ, & corporis, quæ priùs inuicem ſe ipſis vniebantur in ordine ad ſuppoſitum, ampliùs ex defectu connotati non vniuntur ad inuicem, ſeu non exercent actum vniendi ſe inuicem ad faciendum vnum cum ſubſiſtentia.

12. Secūda pars cōcluſionis.

Secvnda pars concluſionis, quòd ſcilicet probabilius ſit dari tertiam vnionem diſtinctam, per quam vniantur illæ duæ vniones ſuppoſitales, altera in materia, & altera in forma ad faciendum ſimul C cum ſubſiſtentia vnum ſubſtantiale; probatur, quia clariùs apparet quomodo in morte Chriſti diſſolutum fuerit compoſitum ſubſtantiale, etiam ſi remanſerint duæ vniones cum eadem ſubſiſtentia Verbi, altera in corpore, & altera in anima; Poſſet enim facilè intelligi quòd diſſolutum fuerit compoſitum ſubſtantiale, quia deperdita eſt illa tertia vnio,quod non ita facilè apparet, ſi non detur iſta tertia vnio; remanerent enim illæ eædem vniones, quæ erant priùs.

Nec obſtat illud axioma, quod circumfertur (quod Deus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit;) tum quia illud axioma intelligitur de rebus vnitis, non de ipſa vnione; tum quia iuxta hanc opinio- D nem non ſequitur illud abſurdum, quod dicebamus ſequi ſupra, ſi daretur tantùm vnica vnio afficiens intrinſecè materiam & formam; ſi enim daretur hæc vnica vnio,ſequeretur quòd corrupta hac vnica vnione in morte Chriſti debuiſſent reſultare de nouo duæ aliæ vniones,altera in corpore & altera in anima Chriſti,& iterū in reſurrectione iſtę vniones deberent corrumpi,& fieri debuiſſet alia vnica vnio afficiens intrinſecè vtramque partem. At verò in caſu noſtræ opinionis ceſſat hoc abſurdum, quia illæ duæ vniones ſubſtantiales quas nos damus, quarum altera eſt in corpore,& altera in anima Chriſti, ſemper remanſerunt cum ſubſiſtentia Verbi, ſiue ante mortem,ſiue in illo triduo mortis, E ſiue in reſurrectione.

Quòd ſi quæras, hæc tertia vnio, quæ afficit intrinſecè vtramque vnionem animæ, & corporis, eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis? Reſpondeo, quòd potiùs dicendum eſt eſſe indiuiſibilem, quia forma indiuiſibilis, cùm ſit altioris ordinis, habet virtutem informandi ſubiectum diuiſibile, vt patet de anima rationali reſpectu corporis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm repugnet vnionem eſſe indiuiſibilem in compoſito ſiue eſſentiali ſiue ſubſtantiali.

Est prima ſententia aſſerentium implicare vnionem eſſe induiſibilem. 1.

Probāt primò,quia alioquin ſequeretur, quòd in homine quocunque mēbro abſciſſo,neceſſariò moreretur homo;Sequela probatur, quia corrūpitur illa vnio, quæ erat inter animam, & manum abſciſſam, anima enim definit informare illam partem; ſed vnio eſt indiuiſibilis; ergo non poteſt corrumpi in manu quin corrumpatur tota indiuiſibiliter. Primum argumentum

Secundò ſequeretur, quòd pedes neceſſariò eſſent in capite, quod quidem euidenter eſt falſum; Probatur ſequela Maioris, quia vnio qua vniuntur pedes cum capite,eſt in anima, prout eſt in capite, ergo prout eſt ibi, habet vnionem cum pedibus. Antecedēs illius ſequelæ probatur,quia vbicumque eſt anima,eſt vnio, inhæret enim in anima, ac proinde trahitur ad vbi animæ; Conſequentia probatur, quia vnio eſt actualis nexus, vt dictum eſt in prima quæſtione, ergo vbi eſt, neceſſariò vnit: Sed in capite eſt illamet vnio,qua vniuntur pedes ipſi animæ; eſt enim vnio indiuiſibilis,& eadem tota in capite, & tota in pedibus; ergo prout eſt in capite, vnit pedes. Secūdum argumentum.

Tertiò ſequeretur quòd vnio eſſet potentialis, quod eſt contra rationem vnionis, quam diximus eſſe eſſentialiter actualem nexum duorum; Probatur ſequela, quia reſpectu illarum partium, quas non vnit, ex eo quia adhuc non ſunt productæ, per nutritionem, eſt potentialis; Sed his non obſtantibus ſit Tertium argumentum.

Prima concluſio, Non implicat contradictionem, ſi dicatur vnionem eſſentialem materiæ cum forma eſſe indiuiſibilem; Quia neque repugnat ex parte ſubiecti,neque ex parte vnionis; Non ex parte ſubiecti;quia vel hæc vnio ſubiectatur in anima rationali;& habet ſubiectum ſibi proportionatum, quia anima rationalis eſt indiuiſibilis, & ſpiritualis, vel ſubiectatur in materia, & non repugnat quòd ſpirituale ſubiectetur in materiali, quia vel repugnat ex eo, quia non poteſt eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte; & hoc non,quia anima rationalis hoc modo indiuiſibilis informat materiam; vel repugnat, ex eo, quia non poteſt indiuiſibile ſuſtentari in re diuiſibili; & hoc non, quia anima equi ſecundùm S. Thom. eſt indiuiſibilis, & ſuſtentatur à materia; & multi Theologi tenent qualitatem ſupernaturalem ſacramentorum eſſe ſpiritualem, & ſubiectari in ſacramento, vt in aqua, quod eſt quid materiale, & extenſum; nulla enim apparet implicantia, niſi ea fortè, quòd hæc vnio, ex eo quia eſt indiuiſibilis, dependeret tota & totaliter à pluribus cauſis, à pluribus ſcilicet partibus materiæ. Sed hoc nihil obſtat, quia poſſent illæ partes concurrere partialiter contemperante Deo ſuum concurſum;Nec obſtat tertiò ex parte vnionis, vt patebit ex ſolutione argumentorum, quæ allata ſunt in prima ſententia. 2. Prima concluſio. Probatur primò.

Secvnda concluſio,Idem dicendum eſt de vnione ſubſtantiali naturæ cum ſubſiſtentia; Nam vel natura eſt corporea, & tunc habet eaſdem difficultates ac vnio eſſentialis, quæ iam ſolutæ ſunt; Vel natura eſt ſpiritualis ſicut eſt anima rationalis, vt Angelus, & tunc minorem habet difficultatem,quia 3. Secunda cōcluſio.

ceſſant rationes repugnantiæ ſuprà allatæ, quæ quidem fundabantur in eo, quòd vnio indiuiſibilis vniebat partes extenſas materiæ; at verò vnio in hoc alio caſu vnit rem indiuiſibilem cum ſubſiſtentia, quæ etiam eſt indiuiſibilis.

4. *Reſponſio ad argumẽta primę ſententiæ.* Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur; & ad primum reſpondent aliqui concedentes per abſciſſionem manus corrumpi totam vnionem, ſed negant inde ſequi hominem mori, quia producitur alia vnio in eodem inſtanti.

Sed contrà, quia non poteſt aſſignari à quo producatur illa vnio; non enim ab abſcindente manum, quia abſciſſio non fit in inſtanti; fit enim per motũ localem; at illa vnio debet fieri in inſtanti, quia eſt indiuiſibilis. Neque poteſt dici ſecundò, vt nonnulli alij dixerunt, quòd producatur ab accidentibus, quia ipſa accidentia dependent ab eadem vnione, quam producunt: ergo non poſſunt concurrere ad productionem eiuſdem vnionis; Quòd ſi dicas concurrere in diuerſo genere cauſæ. Contrà eſt, quia videtur durum, quòd accidentia concurrant efficienter, & ſimpliciter ad vnionem, & dependeant ab ea. Neque poteſt dici tertiò, quòd illa vnio producatur à Deo, quia ſequeretur quòd Deus continuè produceret illam vnionem ſecundùm continuam partium deperditionem; quod quidem eſt abſurdum, quia ſequeretur produci infinitas vniones, & infinitas deperdi.

5. Secundò reſpondeo ad argumentum & veriùs, quòd, cùm abſcinditur manus, non corrumpitur tota vnio, ſed tãtùm anima deſinit ibi informare; Et cum inſtas, Verè anima deſinit informare, ſed informatio nihil eſt aliud, quàm vnio, ergo deſinit vnio. Reſpondetur negando conſequentiã, quia tantùm ſequitur, quod deſinit anima informare, quia non eſt materia, quam informet; non autem hinc ſequitur, quòd deſinat vnio, qua vniebatur anima cũ illa materia abſciſſã, quia, cùm illa vnio ſit indiuiſibilis, & dicat ordinem ad alias partes, poteſt remanere eadem, quamuis non vniat partẽ abſciſſam, quia non eſt vnibilis, vel propter diſtantiã, vel ex defectu diſpoſitionum. Quòd ſi adhuc inſtes: quomodo remanere poteſt vnio in ordine ad manum, & non vnire manum cum anima; hoc enim videtur impoſſibile, quia vnio eſt actualis nexus; ergo actu vnit; ſed ad hanc inſtantiam mox infrà patebit ſolutio ex reſponſione ad tertium.

6. *Reſpondetur ad ſecundum.* Ad ſecundum reſpondetur concedendo eſſe impoſſibile dari vnionem, & non vnire, ſed non inde ſequi, quòd, vbicumque eſt vnio, ibi vniat; Nam vnio poteſt dupliciter conſiderari, vt, quod; & vt, quo. Vt, quod, poteſt replicari in duobus locis: ſemper autem, vt, quo, dicitur vnire pedes in eo vbi, in quo ſunt pedes, etiam ſi vt, quod, ipſa vnio ſit in capite, ſicut ſecundùm aliquos vbi corporis, quod ponit corpus in A, replicatur ſimul cum corpore, in B, & tamen vbi A, non exercet, vt, quo, actum vbicationis in B, quamuis, vt, quod, ſit in B: Quòd autem vbi A, replicetur cum corpore in vbi B, probant, quia Vbi inhæret in corpore, ergo ad quodcumque vbi trahatur corpus, trahuntur omnia accidentia, quia priùs intelliguntur inhærere, quàm vbicari, vnde etiam ipſummet vbi non poteſt concipi vbicari, vt quod, per ſe ipſum, niſi priùs intelligatur inhærere in corpore. Quòd ſi dicas, exemplum fundari in falſo, quia vbi A, cùm dicat ordinem eſſentialem ad locum A, non poteſt replicari replicato corpore in loco B; Contrà ſtatim occurritur, quia idem dicendum eſt etiam de vnione, quia etiam vnio qua vnitur pars A, cùm anima, dicit ordinem eſſentialem ad partem A, negatur igitur quod aſſumitur in argumento, vnionem, ſcilicet, replicari vbicumque replicatur anima.

7. *Ad tertium.* Ad tertium, negatur vnionem eſſe potentialem reſpectu partium, quæ adhuc non ſunt aggeneratæ per nutritionem: Et cùm inſtatur, quando generantur illæ partes, tunc per eandem vnionem, quæ erat priùs, vniuntur; ergo illa vnio reſpectu harum partium, quæ de nouo aggenerantur, eſſet potentialis, quod quidem eſt abſurdum; vt oſtenſum eſt ſuprà in prima quæſtione; hoc autem non ſequeretur, ſi eſſet extenſa; nam produceretur noua pars vnionis.

Reſpondent ad hoc aliqui primò, quòd vnio eſt entitas quædam ſimplex æquiualens pluribus partibus gradualibus diuerſæ rationis in ordine ad diuerſas partes materiæ vnitas. Cùm igitur in nutritione fiunt nouæ partes viuentis, corrumpitur prior vnio, & producitur alia, quæ eſt perfectior, quàm erat prior, æquiualet enim pluribus partibus gradualibus, quia reſpicit partes viuentis, quæ de nouo acquiruntur, ad quas ſe non extendebat prior vnio. Sed hæc reſponſio habet illud abſurdum, quòd ſcilicet, continuè infinities producerentur, & deperderentur nouæ, & nouæ vniones in nutritione, quod quidem eſt durum.

Secundò alij reſpondent, quòd datur vnio ſimplex, quæ ſub eadem ratione formali reſpicit omnes partes etiam de nouo aduenientes. Ad argumentum autem reſpondent, quòd reſpectu partium, quæ de nouo adueniunt, non dicitur propriè potentialis, quia potentialitas non cadit ſupra vnionẽ, ſed ſupra vnibilia, quæ adhuc non ſunt. Quòd igitur actio non vniat eſt ex defectu vnibilium, vt autem ipſa vnio eſt actualis nexus, ſatis eſt, actu vnitas partes, quas reperit vnibiles: eſſet autem propriè potentialis, ſi eſſet vnio, quæ vel nullam partem vniret, vel nõ vniret eam partem, quæ eſſet vnibilis.

Reſpondeo tamen tertiò & veriùs, quòd vnio habet partes graduales diuerſæ rationis, per quas reſpicit diuerſas partes materiæ, ſeu vt alij dicunt, plures modi indiuiſibiles reſpicientes diuerſas partes extenſiuè, & hæ quidem partes graduales, ſiue modi indiuiſibiles faciunt vnam vnionem heterogeneam, indiuiſibilem quidem in partes extenſas, diuiſibilem verò in partes graduales ſiue modos; Cùm autem fiunt nouæ partes viuentis, tunc producuntur nouæ partes graduales ſeu modi reſpicientes nouas viuentis partes. Quòd ſi dicas, ſub eadem ratione formali vnio reſpicit omnes partes, ergo non poſſunt illæ partes graduales eſſe diuerſæ rationis; Reſpondetur concedendo quòd vnio reſpicit omnes partes ſub ratione formali generica, non autem ſpecifica, quia, cùm vnio ſit actualis nexus, ſpecificatur ab ea parte, quam reſpicit actualiter vniendo, ſicut vnio albi, & nigri ſunt diſtinctæ ſpeciei ſecundùm Caietanum, quamuis album, & nigrum conueniant in vna ratione formali, quia vnio albi, vt ſic reſpicit præcisè album, & ab ea ſpecificatur, quamuis partes illius materiæ non differant eſſentialiter inter ſe; Vel dici poteſt quòd illlæ partes graduales, ſeu modi indiuiſibiles diſtinguantur numericè, & faciant vnam numero vnionem integram; ſicut qui tenent gradus caloris eſſe homogeneos, dicunt plures partes caloris facere vnã numero qualitatem homogeneam; cum hac tamen differentia, quòd gradus caloris faciunt vnam numero qualitatem intenſiuè, hæ verò partes ſeu modi indiuiſibiles vnionis, faciunt extenſiuè vnam numero vnionem.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO OCTAVA.

An repugnet vnionem extenſam ſubiectari in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis.

1\. Prima ſententia. Prima implicantia.

PRIMA ſententia exiſtimat repugnare, & PRIMA implicantia eſt, quia ſi forma extenſa ſubiectaretur in re ſpirituali, redderet illam formaliter extenſam. Probatur ſequela, quia per illam ſubiectationem vniretur, ergo informaret illam, ergo faceret illam extenſam. Prima conſequentia probationis eſt manifeſta; Secunda conſequentia probatur primò a pari, exemplo quantitatis, quæ quoniam immediate ſubiectatur in materia, reddit illam quantam. Secundò probatur, quia ſi forma eſt in ſubiecto, debet dare effectum formalem extenſionis ſubiecto, quia informat dando ſeipſum.

2\. Secũda implicantia.

SECVNDA ratio implicantiæ eſt, quia ſequeretur, quòd vbicumque eſt anima rationalis, ibi ſit tota hæc vnio extenſa. Sequela probatur, quia ſi hæc vnio dependet ab anima, tanquam à ſubiecto, neceſſariò trahitur ad vbi ſubiecti: Sed anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſubiecti, ergo hæc vnio ſecundùm ſuam extenſionem erit tota in toto, & tota in qualibet parte; Sed hoc repugnat rei extenſæ ſaltem connaturaliter, repugnabit igitur ſaltem naturaliter dari hanc vnionem extenſam, quia non poſſet habere modum exiſtendi in loco ſibi connaturaliter, ſcilicet extenſè, & diuiſibiliter.

Cõfirmatio.

ET confirmatur quia ſequeretur abſurdum quòd pedes eſſent in capite, nam pedes ſunt in anima, & caput eſt etiam in eadem anima indiuiſibili, ergo pedes ſunt in capite. Conſequentia probatur, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

3\. SED contra hanc ſententiam ſit

Vnica concluſio.

VNICA concluſio. Non repugnat per diuinam potentiam dari vnionem extenſam in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis & indiuiſibilis.

Probatur primò.

PROBATVR primò, quia de facto multi Doctores qui tenent accidentia materialia, & extenſa ſubiectari in toto compoſito, ſaltem ipſas ſenſationes, conſequenter tenent ſubiectari in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis, ita tenent communiter Thomiſtæ cum S. Thoma 1. par. quæſt. 76. art. 6. & quæſt. vnica de ſpirit. creat. art. 3. Soncin. 8. Metaph. quæſt. 7. 11. & ſeq. Capreol. in 2. diſtinct. 13. q. 1. conc. 2. & 3. & diſt. 8. quæſt. 1. concl. 6. Gaietan. de ente & eſſen. cap. 18. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 81. quæſt. 2. & 3. Soto 1. Phyſic. quæſt. 7. Præterea eſt Durandus in 1. diſtinct. 8. q. 4. Albert. in ſum. de anima, 2. part. in illa quæſt. An nutritio fiat ex ſimili art. 1.

S. Thom. Soncin. Capreol. Caietan. Ferrar. Soto. Durand. Albert.

4\. Secundò probatur.

Secundò probatur, quia ſatis probabiliter aliqui tenent, Vbi angelicum decem palmorum eſſe diuiſibile, nam cùm Angelus ſe contrahit ad quinque palmos, tunc deſinit præſentia ad quinque palmos. Quòd ſi dicas deſinere totum vbi indiuiſibile decem palmorum, quod habet pro termino adæquato omnes illos decem palmos. Contrà, quia ſi Angelus ſe ſucceſſiuè contrahit ad arctiorem ſphæram, tunc ex hac contractione ſequeretur, quòd corrumperentur, & producerentur infinita vbi indiuiſibilia, vnum immediatè poſt aliud; quod quidem eſt abſurdum, quia ſequeretur quod eſſent infinita inſtantia formaliter, & virtualiter indiuiſibilia, vnum immediatè poſt aliud; nam quodlibet vbi haberet ſuum inſtans indiuiſibile ſecundùm ſuam durationem intrinſecam; ſicut enim quodlibet vbi habet ſuam exiſtentiam: ita habet ſuam durationem intrinſecam; nam duratio vel eſt ipſa exiſtentia, vel conſequitur neceſſariò ad ipſam exiſtentiam.

Tertiò probatur ſoluendo implicantias ſuprà allatas, & ad primam reſpondetur negando vnionem extenſam informando animam rationalem quæ eſt ſpiritualis, reddere illam extenſam, & ratio negationis eſt, quia ſatis eſt, vt forma tribuat ſubiecto effectum ſuum formalem primarium, etiam ſi non tribuat ſecundarium, quando ſubiectum non eſt capax. 5. Soluitur prima implicantia.

Exemplum eſt in anima rationali, quæ informando materiam, reddit illam animatam, non tamen reddit ſpiritualem, ſicut eſt ipſa anima, quia materia non eſt capax; & punctum inhæret in partibus extenſis, & illas continuat, non tamen reddit illas partes indiuiſibiles, ſicut eſt ipſum punctum: imò contingit aliquando quòd forma non tribuat effectum formalem primarium ſubiecto quod informat, quando non eſt capax ex defectu alicuius requiſiti, ſed facit tantùm illud ſubiectum habens illam formam. Exempli gratia,

Si Deus per diuinam potentiam poneret relationem paternitatis in lapide, diceretur quidem lapis habere paternitatem, non tamen denominaretur pater; quia non poſſet illa relatio referre lapidem ad filium, quæ quidem referentia eſt primarius effectus paternitatis: imò de facto multi Philoſophi tenent relationem eſſe in Petro, antequam generet filium, ſicut etiã cæteras relationes; ponunt enim illas diſtinctas ratione ratiocinata à ſubiecto, & tamen Petrus non denominabitur pater ex defectu termini, quia adhuc non generauit filium; & multi Theologi cum Torres tenent quòd eſſentia diuina in illo priori ſigno, quando intelligitur fœcunda in actu primo per paternitatem, non dicitur pater; quia in illo priori ſigno non intelligitur adhuc produxiſſe filium.

AD implicantiam igitur reſpondetur, vnionem extenſam informando animam rationalem tribuere effectum formalem primarium, vniendo illam cum materia, non reddit autem animam rationalem extenſam, quia non eſt capax extenſionis, ſicut eſt materia.

AD ſecundam implicantiam reſpondetur illam non eſſe contra nos, quia nos loquimur de potentia abſoluta, ſecundùm quam non repugnat rem extenſam in ordine ad ſe eſſe totam in toto, & totam in qualibet parte per modum quendam ſupernaturaliter additum, vt patet de corpore Chriſti in Euchariſtia. Soluitur ſecunda implicantia.

Secundò alij reſpondent, quòd vnio habet aliud vbi diſtinctum ab vbi animæ; quare non ſequitur, quòd, vbi eſt anima, ibi eſt vnio; ſicut humanitas Chriſti, quamuis ſuſtentetur à Verbo, non eſt, vbicumque eſt Verbum.

Sed hæc ſolutio habet difficultatem, quia formæ, ſeu modi præſertim accidentales inhærent in ſubiecto; quare trahuntur ad vbi ſubiecti. Reſpondetur igitur, quòd etiam ſi concedatur accidentia abſoluta propter inhærentiam, quam habent cum ſubiecto, trahi ad vbi ipſius ſubiecti; negatur tamen de accidentibus localibus; & ratio negationis eſt, quia dicunt ordinem eſſentialem ad determinatum locum: non poſſunt igitur replicari replicato corpore; ſicut replicantur alia accidentia; Inter autem hæc accidentia localia meritò numeratur vnio, quia dicit ordinẽ eſſentialem ad determinatam partem ſubiecti, & conſequenter ad vbi illius partis determinatæ.

AD confirmationem reſpondetur, quòd partes extenſæ vnionis coëxiſtunt inadæquatè tertio, ſcilicet

cet animæ rationali,quia quamuis ſit actu indiuiſibilis,eſt tamen virtute diuiſibilis, & ideo poteſt commenſurari toti extenſioni ſex palmorum. Vnde non valet iſta conſequentia, Pedes ſunt in anima, & caput eſt in anima,ergo pedes ſunt in capite, quia anima æquiualet extenſo, & pro vt eſt in capite,non eſt in pede,& ideo non ſequitur, quòd pedes ſint in capite, quia pedes ſunt in anima, pro vt anima eſt in pedibus, & non pro vt eſt in capite; Et idem dicendum de vnione, quam habet anima cum pedibus, quòd non ſequitur, quòd illi debent eſſe in anima, pro vt eſt in capite, ex hoc præcisè, quia coëxiſtit eidem animæ. An autem ſequatur ex alio capite, quòd ſcilicet,cùm inhæreat in anima, debet trahi ad vbi animæ,iam reſponſum eſt paulò ſuperiùs.

Ad probationem autem conſequentiæ ex illo axiomate (quòd quæ ſunt eadem vni tertio,ſunt eadem inter ſe) reſpondetur, illud axioma non obſtare,vt patet tum ex his,quæ diximus ſuprà in quarta quæſtione cõcluſione ſecunda, tum quia partes extenſæ vnionis non ſunt adæquatè in tertio,anima, ſcilicet,rationali,vt dictum eſt; illud autem axioma intelligendum eſt,quando ea,quæ ſunt eadẽ vni tertio ſiue entitatiuè,ſiue localiter,ſunt eadẽ adæquatè.

QVÆSTIO NONA.

Vtrùm de facto vnio in compoſito eſſentiali ſiue ſubſtantiali ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis?

Resolvtio huius quæſtionis facilè patet ex præcedentibus: quare breuiter illam expediendo pono duas concluſiones.

1\. Prima concluſio. Prima concluſio,Si ſermo eſt de vnione eſſentiali;tunc dicendum eſt,quòd vnio in compoſito eſſentiali eſt extenſa; quia ſupponimus ex quæſtione quinta vnionem ſolùm afficere intrinſecè materiam.

2\. Quòd ſi ſecundùm aliorum opinionem dentur duæ vniones, altera in materia, & altera in forma; tunc dicendum eſt conſequenter, quòd in homine vnio, quæ eſt in anima rationali; ſit indiuiſibilis, ſicut eſt ipſa anima rationalis;& idem dicendum de vnione, quæ eſt in anima equi, ſuppoſita opinione Thomiſtarum,quæ eſt ſatis probabilis, quòd anima equi quamuis ſit materialis, ſit tamen propter ſui perfectionem indiuiſibilis.

3\. Qvi verò tenent aliam opinionem, quòd detur vna vnio afficiens vtrumque extremum, materiam, ſcilicet, & animam rationalem; tunc congruentiùs debent dicere, quòd hæc vnica vnio ſit potiùs indi-

A uiſibilis, ſicut eſt ipſa anima rationalis, & anima equi in opinione Thomiſtarum,quàm quòd ſit extenſa, ſicut eſt materia; Et ratio eſt, quia, vt dictum eſt ſuprà, connaturaliùs videtur indiuiſibilem formam informare materiam diuiſibilem, quàm formam extenſam informare ſubiectum ſpirituale indiuiſibile; tum quia de hoc non habemus exemplum in natura;de priori autem habemus exemplũ. Anima enim rationalis, quæ eſt indiuiſibilis, informat materiam diuiſibilem; tum quia forma ſpiritualis, & indiuiſibilis eſt ſuperioris ordinis, ac proinde magis connaturale eſt illi, habere virtutem informandi ſubiectum tam ſpirituale, quàm extenſum, quàm ſit connaturale formæ materiali,& extenſæ.

B Si verò ſermo eſt de vnione ſuppoſitali naturæ cum ſubſiſtentia:tunc ſupponenda ſunt tria. 4.

Primò, quòd ſubſiſtentia ſit realiter diſtincta, ad hoc vt detur iſta vnio naturæ cum ſubſiſtentia,quia, vt oſtendimus ſuprà quæſtione ſexta, ſi ſubſiſtentia eſſet modus,ſe ipſa vniretur,haberet enim ſibi identificatam vnionem,ſicut cæteri modi.

Secundò ſupponendum eſt, quòd non datur duplex vnio, altera in natura, & altera in ſubſiſtentia, vt probatum eſt ſuprà; haberet enim ſubſiſtentia ſimul eſſe,In,& eſſe,Per ſe,quod repugnat; nec conſequenter propter eamdem rationem poteſt dari vnica vnio afficiens intrinſecè naturam, & ſubſiſtentiam.

Tertiò ſupponendum eſt ex quæſtione ſexta, in C natura dari duas vniones; alteram in materia,& alteram in forma, in ordine ad faciendum vnum cum ſubſiſtentia:& præterea eſſe valde probabile præter illas duas vniones dari tertiã vnionẽ,vnientem illas duas vniones in ordine ad faciendum vnum ſubſtantiale cum ſubſiſtentia.His poſitis ſit

Secvnda concluſio, Vnio quæ eſt in materia, eſt diuiſibilis: Vnio autem quæ eſt in forma, eſt diuiſibilis,vel indiuiſibilis;ſicut eſt ipſa forma. 5. Secunda concluſio.

De tertia vnione ſolùm eſt difficultas in homine, & etiam in equo, ſi anima equi eſt indiuiſibilis, quia cùm hæc tertia vnio afficiat tam vnionem diuiſibilem, quæ eſt in materia, quàm vnionem indiuiſibilem,quæ eſt in forma indiuiſibili,non videtur D quare potiùs debeat eſſe diuiſibilis, quàm indiuiſibilis.Dicendum tamen eſt ex dictis ſuprà quòd hæc tertia vnio ſit indiuiſibilis; Connaturalius enim eſt indiuiſibilem formam informare ſubiectum indiuiſibile, quàm formam diuiſibilem, ſeu extenſam informare ſubiectum indiuiſibile: & hæc ſatis ſint circa prædicamentũ Subſtantiæ;Reſtat modo ex illo deducere Corollaria, ſeu quæſtiones Theologicas de Incarnatione.

INDEX

Digitized by Google

INDEX COROLLARIORVM THEOLOGICORVM,

Quæ deducuntur ex Prædicamento Subſtantiæ, quod eſt primum principium Philoſophicum incomplexum.

PRIMVM COROLLARIVM,

De poſſibilitate Incarnationis, diſputatur per tres dubitationes. Ex S.Thom. 3.par.q.prima,art.1.

Incarnatio Verbi non repugnat nec ex parte perſonæ, nec ex parte vnionis, nec ex parte humanitatis.

SECVNDVM COROLLARIVM,

De cognoſcibilitate Incarnationis, per quatuor dubitationes. S Thom. in 3.d.1.

TERTIVM COROLLARIVM,

De modo compoſitionis hypoſtaticæ, per quinque dubitationes. S Thom. 3. p.q.2. art.3.

Ex natura diuina, & humana, non conſtituitur vna tertia natura in Chriſto, ſed vna perſona verè, & propriè compoſita, tum ex perſonalitate Verbi, & humanitate, tum ex duabus naturis, humana ſcilicet, & diuina.

QVARTVM COROLLARIVM,

De termino Incarnationis, per quatuor dubitationes. S.Thom. 3. p.q.2. ar 8.

Per Incarnationem, quamuis producatur humanitas, vt ſtat ſub vnione, tanquam terminus formalis; per vnitionem tamen, tanquam per actionem producitur vnio tanquam terminus immediatus, quæ quidem eſt diſtincta à parte rei ab humanitate, & Verbo.

QVINTVM COROLLARIVM,

De ſubiecto vnionis hypoſtaticæ, per duas dubitationes. S.Tho. eadē quæſt.2.

Vnio hypoſtatica afficit tantùm intrinſecè extremum humanitatis, & hæc quidem in ratione nexus eſt maxima vnionum.

SEXTVM COROLLARIVM,

De perſona increata aſſumente, per tres dubitationes. S. Thom. 3. p.q.3.

Plures diuinæ perſonæ poſſunt aſſumere eandem numero humanitatem, non tamen hoc eſt neceſſarium, nec propterea dicerentur plures homines, ſed vnus homo.

SEPTI

Digitized by Google

SEPTIMVM COROLLARIVM,

De vnione ex parte perſonæ creatæ aſſumentis, per vnicam dubitationem.

Perſona creata poteſt hypoſtaticè per diuinam potentiam terminare alienam naturam.

S. Thom. 3. p. quæſt. 4.

OCTAVVM COROLLARIVM,

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ, per duas dubitationes.

Natura ſubſiſtens in propria perſonalitate, non poteſt aſſumi reduplicatiuè à Verbo: poteſt autem ſpecificatiuè: Accidens autem, nec vt inhærens in ſubiecto, nec vt ſeparatum à ſubiecto, poteſt aſſumi hypoſtaticè.

S. Thom. 3. p. q. 5. & 6.

NONVM COROLLARIVM,

De modo, quo partes naturæ humanæ fuerũt aſſumptæ, per vnicã dubitationem.

Anima, & corpus naturæ humanæ in Chriſto, fuerunt aſſumptæ per diuerſas partiales vniones: Præter autem hanc aſſumptionem partium fuit adhuc aſſumptio totius humanitatis.

S. Thom. 3. p. q. 3. & 1. p. quæſt. 27.

DECIMVM COROLLARIVM,

De exiſtentia humanitatis, per vnicam dubitationem.

Per vnicam exiſtentiam abſolutam eſſentiæ diuinæ, potuiſſet exiſtere natura humana in Chriſto, quamuis non exiſtat de facto niſi per propriam creatam.

Ex 1. p. q. 29.

VNDECIMVM COROLLARIVM,

De ſubſiſtentia Verbi, per duas dubitationes.

Non datur ſubſiſtentia abſoluta in Deo, ſed ſi daretur, potuiſſet natura humana per illam terminari.

DVODECIMVM COROLLARIVM,

De ſatisfactione Chriſti, per quinque dubitationes.

DECIMVM TERTIVM COROLLARIVM,

De impeccabilitate Chriſti, & quomodo concilietur cum libertate, per quatuor dubitationes.

DECIMVM QVARTVM COROLLARIVM,

Si Adam non peccaſſet Verbum non fuiſſet incarnatum ex vi primi decreti ſaltem in carne paſſibili, per duas dubitationes.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA THEOLOGICA CIRCA PRIMVM COROLLARIVM,

De poſſibilitate Incarnationis.

De hac materia S.Thom. 3.part.quæſt.1.art.2.ſchol.in 3.

Sunt in hac quæſtione tres dubitationes.

I. *Vtrùm Incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ diuinæ aſſumentis.*
II. *Vtrùm repugnet ex parte vnionis hypoſtaticæ.*
III. *Vtrùm repugnet ex parte humanitatis aſſumptæ.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm ſcilicet Incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ diuinæ aſſumentis.

I. VIDETVR implicare primò, quia non poteſt eſſe ſubſtantialis vnio Dei cum natura humana ſine mutatione Dei, ergo incarnatio eſt impoſſibilis. Antecedens probatur, quia mutari nihil aliud eſt, quàm aliter ſe habere: ſed cùm Verbum ſit homo, aliter ſe habet, quàm priùs, quia antè non erat homo ſubſtantialiter. Hoc argumentum eſt Hæreticorum, qui negant de facto incarnationem; In hac hæreſi, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 25. fuerunt à tempore Apoſtolorũ Carpocrates, Ebion, & Cerinthus, contra quos teſte Hieronymo Ioannes ſcripſit Euangelium, & poſt annos quadringentos eandem hæreſim ſuſcitauit Neſtorius, vt habetur in epiſtolis Cæleſtini Papæ, & meminit etiam huius hæreſis Auguſt.10.de ciuit.cap.29. ren. ieron. Cæleſt. uguſt.

SECVNDA implicantia, quia Verbum diuinum perficeretur per humanitatem, quia humanitas verè dat Verbo eſſe hominem.

TERTIA implicantia, quia effectus formalis primarius formæ, non poteſt ſuppleri à Deo, nam huiuſmod i effectum præbet forma præbendo ſeipſam; cùm ergo Deus non ſit forma, non poteſt præbere effectum formalem primarium alicuius formæ; ſed effectus primarius formalis ſubſiſtentiæ creatæ, eſt dare ſubſiſtere, vt ſuprà oſtendimus in quæſtione tertia philoſophica; ergo non poterit Verbum ſeipſo ſupplere hunc effectum formalẽ ſubſiſtentiæ creatæ.

QVARTA implicantia, Deus non poteſt venire in compoſitionem cum natura, ex S. Thom. 1.p.q.3. art.8.& ratio eſt, quia Deus haberet rationem partis, & imperfecti, quia compoſitum intrinſecè includit componentia vt vnita, ex quibus fit vnum; ergo neceſſariò iſta componentia habent rationem partis, quia faciunt vnum totum. Et confirmatur ex Ariſt. 5.Metaph.cap.25.vbi ait, partes vno modo dici ea, ex quibus aliquid componitur: ſed ſi daretur Incarnatio Verbi, componeret cum humanitate faciendo vnum per ſe, ergo, &c. .Thom. iſtot.

QVINTA implicantia, quia ſequeretur, Verbum ex vi actionis, ſeu rei creatæ neceſſariò vniri huma- A nitati: hoc autem videtur abſurdum, quòd Deus neceſſitetur ex vi alicuius rei creatæ. Maior probatur, quia ſtante actione vnitiua in humanitate, & ipſa vnione tanquam forma, neceſſariò Verbum ſit vnitum humanitati, non enim poteſt intelligi, quòd ipſa humanitas vniatur Verbo, & quòd Verbum non vniatur cum humanitate, ſicut implicat inhærentiam eſſe in ſubiecto, & non eſſe id quod inhæret ſubiecto.

SEXTA implicantia, quia non poteſt concipi Verbum incarnari, niſi concipiatur vnitum intrinſecè humanitati: eſt enim vnio eſſentialiter nexus duorum; debet ergo intrinſecè afficere illud extremum, quod vnit, & copulat cum alio. Sed eſt impoſſibile, vt aliquid creatum de nouo intrinſecè recipiatur in Deo, quia Deus intrinſecè mutaretur, ergo eſt impoſſibilis hæc incarnatio. B

SEPTIMA implicantia, quia ſubſiſtentia humana eſt modus, non ergo poteſt ſuppleri per ſubſiſtentiam diuinam, quæ eſt realiter diſtincta, ſicut figura non poteſt ſuppleri, niſi per figuram, quæ ſit modus: Et confirmatur, quia natura per propriam ſubſiſtentiam eſt per ſe; at cùm eſt vnita Verbo, habet modum repugnantem, ſcilicet, eſſe in Verbo, tanquam in alio realiter diſtincto.

HIS tamen non obſtantibus, dicendum eſt non repugnare, Verbum incarnari, immò de fide certum eſt reipſa Verbum fuiſſe incarnatum, vt patet ex illo loco Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt*: quem locum inter alios benè interpretatur Cyrillus in epiſt.ad Ægypt. Mon.& alia teſtimonia Patrum habentur tomo 2. Concil. in Concilio Epheſ. vbi eſt damnata hæreſis Neſtorij in oppoſitum, quam infrà referemus. Ioann. Cyrill. C Concil. Epheſ.

Sed in hac quæſtione de facto non immoror, tum quia paſſim habetur apud omnes Doctores, tum quia non eſt noſtri inſtituti; non enim poteſt probari Verbum eſſe incarnatum de facto lumine naturali: Solùm igitur reſtat oſtendere, quòd non repugnet lumine naturali Verbum potuiſſe incarnari, quod oſtenditur ſoluendo implicantias allatas. Suar.

i RESPON

Digitized by Google

RESPONSIO AD IMPLICANTIAS.

2. *Prima reſponſio ad primam inſtantiam.* AD primã reſpondent aliqui recẽtiores, primò, ad mutari neceſſariò, requiri vt perfectio, quæ de nouo acquiritur, non præhabeatur in acquirente eminentiori modo; quia ſi eſt eminentiori modo, iam non dicitur acquirens eſſe in potentia, & priuatus illa perfectione, ſed potiùs habet illam in actu eminentiori: At perfectio humanitatis, quæ de nouo aduenit Verbo, per incarnationem, erat in ipſo Verbo eminentiori modo, quia poterat facere ipſam humanitatem, & etiam facere efficienter omnia ſine humanitate, quæ cum ipſa humanitate facere poteſt.

Confutatur. SED hæc reſponſio non ſatisfacit, & impugnatur primò, quia quamuis perfectio, quæ de nouo acquiritur, habeatur eminentiori modo, habetur tamen ſolùm virtute, non autem habetur actu, & formaliter; igitur acquirens tranſit de potentia, & à priuatione perfectionis, quæ non habetur formaliter ad actum, & ad habitum, quod eſt noua perfectio, cuius adhuc erat capax ipſum acquirens; ex.gr. in caſu difficultatis, quamuis Verbum eminentiori modo contineat humanitatem, quia poteſt illam producere, & ſibi vnire, non tamen per hanc poteſtatem dicitur intrinſecè, & ſubſtantialiter homo ſicut dicitur quando eſt incarnatum.

Secundò impugnatur, quia aſſumptum non bene applicatur; negatur enim, quòd Verbum ſine humanitate, poterat efficere, quidquid poteſt efficere per humanitatem, nam per humanitatem poteſt facere operationem, quam vocant Deiuirilem, operationem, nimirum, infiniti valoris ad ſatisfaciendum, & merendum, quam non poteſt facere ſolus Deus ſine humanitate.

3. Quòd ſi contra hanc ſecundam impugnationem, aliquis inſter, quòd inde ſequeretur Deum non continere eminenter humanitatem, contra id quod paulò ſuprà conceſſum eſt; Sequela probatur, quia ad continentiam eminentialem non ſolùm requiritur, vt Deus poſſit producere humanitatem, ſed inſuper, vt poſſit facere ſine humanitate, quicquid facturus eſſet cum humanitate; ſicut à ſimili Angelus non dicitur continere eminenter ſuam intellectionem, ſed tantùm virtute, quia quamuis Angelus poſſit producere ſuam intellectionem, non tamen ſine intellectione à ſe diſtincta poteſt facere, quod facit cum intellectione.

Aliqui propter hoc exemplum de Angelo, concedunt Deum non continere humanitatem. Sed iſti non bene dicunt; eſt enim in exemplo de Angelo diſpar ratio, quia quòd Deus non poſſit facere ſine humanitate, quod poteſt facere cum humanitate, vt ſatiſfacere, & mereri, hoc prouenit ex perfectione Dei, quia ratio meriti & ſatiſfactionum dicit perfectionem in Deo; at in Angelo prouenit ex imperfectione, quòd non poſſit ſine intellectione à ſe diſtincta facere, quod facit per intellectionem, & ideo poteſt dici quòd Angelus non continet ſuam intellectionem eminenter, non autem poteſt dici quòd Deus non contineat humanitatem eminenter.

4. *Secunda reſponſio ad primam inſtantiam.* Secundò reſpondent alij ad eandem primam implicantiam, quòd Verbum non dicitur mutari per incarnationem; quia aliter ſe habet ſolùm per denominationem extrinſecam; Verbum enim, inquiũt, ſuſtentando naturam humanam & terminando illam, non recipit aliquid intrinſecum in ſe; ſuſtentatio enim cùm ſit dependentia, eſt tantùm in humanitate, quæ dependet; terminatio verò fit per vnio-

A nem, quæ tantùm intrinſecè eſt in humanitate, hanc enim ſatis eſſe ad vniendum aliud extremum fusè oſtenſum eſt in diſputatione quarta philoſophica; Cùm enim vnio ſit eſſentialiter nexus duorum, non poteſt intelligi, quòd ſit in vno extremo intrinſecè, & per eandem non vniatur extrinſecè aliud extremum; Cùm igitur Verbum nihil recipiat in ſe intrinſecè, ſequitur quòd per incarnationem aliter ſe habeat ſolùm per denominationem extrinſecam, ita vt dicatur ſuſtentare & terminare & vniri per ſuſtentationem & vnionem, quæ ſolùm eſt in humanitate, ſicut à ſimili, quamuis Deus ex non creante fit de nouo creans; non tamen propterea dicitur Deus mutari, quia denominatur creans per

B mutationem factam in creatura, & non in ſe ipſo. Hanc reſponſionem ſequuntur aliqui graues recentiores, & colligunt illam ex S. Thom. 3.p q.1.art.1. & q.16.art.6.& 4.contra gentes cap.47. *S.Thom.*

Confutatur ſecunda reſponſio. SED neque hæc reſponſio omnino ſatisfacit, nam quamuis verum ſit quòd ſi vnio reciperetur in Verbo, Verbum intrinſecè mutaretur, quia de nouo reciperet aliquod in ſe intrinſecè, non tamen ſequitur è contra, quòd ſi ſuſtentatio, vel vnio non recipiatur in Verbo, ſed ſolùm in humanitate, quòd propterea ex hoc capite præcisè Verbum nullo modo poſſet dici mutari; Sed ex alio capite oſtendendum eſt Verbum non mutari, quamuis non recipiat vnionem intrinſecè in ſe.

C Probatur, nam ſi daretur anima rationalis ante vnionem creata, & poſtea vniretur, materiæ per vnionem receptam in materia, diceretur adhuc anima mutari, quamuis enim extrinſecè diceretur vnita per vnionem, quæ eſt in materia, quia tamen fieret intrinſecè pars vnius compoſiti eſſentialis, diceretur mutari, vt omnes concedunt. Similiter etiam poſſet dici quòd quamuis Verbum dicatur vnitum extrinſecè cum humanitate per vnionem quæ eſt in humanitate, quia tamen per illam vnionem intrinſecè facit vnum compoſitum ſubſtantiale cum humanitate, & intrinſecè eſt homo, poſſet aliquis dicere quòd ex hoc capite Verbum dicatur mutari, quamuis non recipiat intrinſecè vnionem in ſe;

D aliunde igitur oſtendendum eſt, quare Verbum non dicatur mutari, & anima in caſu dato dicatur mutari.

5. *Tertia verior reſponſio ad primam inſtantiam.* Ratio igitur diſparitatis eſt, (& ſit tertia reſponſio ad implicantiam) quia Verbum ante vnionem non erat quid imperfectum, & ordinatum eſſentialiter ad humanitatem; ſicut anima ad materiam: vnde quamuis ante incarnationem diceret negationem vnionis cum humanitate, non tamen dicebat illam negationem vnionis tanquam cum natura ſibi debita, & conſequenter non poterat dici priuatum humanitate, nec habere appetitum ad illam; per vnionem igitur nullam imperfectionem intrinſecam amiſit, nec acquiſiuit aliquam intrinſecam perfectionem, quia vnio non recipitur in

E ipſo, ſed tantùm in humanitate, vt ſupponimus ex quarta diſputatione Philoſophica; quare nullo modo poteſt dici per vnionem Verbum eſſe mutatum: Et idem exiſtimo dicendum de Angelo, ſi vniretur naturæ humanæ, quia eadem eſt ratio quantùm ad hoc; ſecus autem eſt ſi daretur ſubſiſtentia hominis ſeparata, & vniretur humanitati, quia illa ſubſiſtentia dicit ordinem eſſentialem ad totam naturam, & conſequenter ante vnionem eſt priuata perfectione naturæ, & habet appetitum connaturalem ad illam, per vnionem autem tollitur priuatio, & ſatiatur appetitus; quare quamuis ſit verum, quòd ſi vnio reciperetur in Verbo, ſufficiens eſſet ratio, cur Verbum diceretur mutari, non tamen è contra ſequitur ex hoc

Digitized by Google

hoc præciſè, quòd ſi vnio non recipiatur intrinſecè in Verbo, quòd Verbum non dicatur mutari, ſed ex eo non dicitur mutari, quia non dicit ordinem eſſentialem, & appetitum ad vniri cum humanitate.

6. Ad ſecundam implic. Alenſ.

AD ſecundam implicantiam reſpondet Alenſis 3.part.quæſt.2.mem.2. quòd Verbum non eſt perfectibile per incarnationem, quia eſt infinitè perfectum, & ideo quamuis incarnatio ſit aliqua perfectio ſubſtantialis, non tamen poteſt per illam Verbum perfici.

Confutatur prima reſpōſio Alenſis.

Sed contrà, quia ſi vniri cum humanitate faciendo vnum per ſe cum illa, eſt ex natura ſua aliqua perfectio ſubſtantialis, ſequitur quòd vel Verbum non poteſt vniri, quia non poteſt recipere nouam perfectionem; vel ſi poteſt vniri, non eſt infinitè perfectum.

Quòd ſi dicas primò, quòd contineat eminenter hanc perfectionem: contra quicquid ſit an contineat eminenter, tamen, vt ſuprà dictum eſt, de nouo continet formaliter, & vt ſic formaliter eſt perfectio quædam.

Quòd ſi dicas ſecundò, diuinitatem dici vnibilem à potentia actiua, quia potens eſt vnire. Cōtrà, quia hęc potentia actiua eſt communis toti Trinitati: ſed humanitas eſt vnita formaliter Verbo tantùm, ergo aliquid aduenit Verbo de nouo, quod non aduenit cæteris perſonis, hoc autem quod aduenit, eſt perfectio quædam ſubſtantialis.

Quòd ſi dicas tertiò pro Alenſi, quòd tota Trinitas dicitur eſſe vnibilis cum natura creata per vnionem increatam cum natura creata, quam quælibet perſona habet ſibi identificatam, ad hoc igitur, vt hæc vel illa perſona vniatur, ſolùm requiritur vt ſit vnio creata in ipſa natura creata, dicens ordinem ad hanc perſonam, & non ad illam: Contrà, quidquid ſit de illo aſſumpto, quòd, ſcilicet, quælibet perſona habeat vnionem ſibi identificatam, de qua re in ſequenti dubitatione dicemus, adhuc tamen hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſi ſemel concedatur quòd vniri cum humanitate ſit ex natura ſua perfectio ſubſtantialis, neceſſariò ſequitur id, quod dicebamus, quòd vel Verbum non eſt infinitè perfectum, vel quòd non poteſt vniri.

7. Verior reſpōſio ad ſecundam implic. ex principio philoſophico. S.Thom. S.Athan.

Quare ad hanc ſecundam implicantiam reſpondetur ex S. Thom. 3.par. quæſt. 3. art. 1. & S. Athanaſio in epiſt. ad Epict. eo ferè modo quo reſponſum eſt ad primam, quòd vniri cum humanitate non dicit perfectionem in ipſo Verbo, ſed tantùm in humanitate, tum quia vnio tantùm recipitur in ipſa humanitate, vt dictum eſt in quarta dubitatione philoſophica, tum quia per hanc vnionem ipſa humanitas eſt quæ perficitur, ipſa enim eſt quæ ſuſtentatur, & terminatur, & perſonatur; at verò Verbum potiùs dat perfectionem ſubſtantialem, & terminando, & perſonando naturam humanam, non autem perficitur, quia quamuis antequam vniretur cum humanitate, eſſet aliquo modo in potentia ad vnionem, non tamen dicebat priuationem, & appetitum, ſicut dicit ſubſiſtentia creata vt dictum eſt.

8. Reſpōſio ad tertiam.

AD tertiam implicantiam reſpondetur, quòd Verbum eſt formaliter ſubſiſtentia, & ideo poteſt ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ; Et cum inſtatur quòd Deus non poteſt ſupplere effectum cauſæ formalis, reſpondetur quòd ſubſiſtentia creata non eſt propriè cauſa formalis, hæc enim dicit imperfectionem partis, ſed terminatiua, quam Deus poteſt supplere ſeipſo, quia in ſe eſt ſubſiſtens formaliter.

9. Reſpōſio ad quartam.

AD quartam implicantiam reſponſio petit illam difficultatem; An Chriſtus ſit verè ſubſtantia compoſita; de qua re infrà dicetur; Breuiter nunc reſpōdetur quantùm facit ad ſolutionem implicantiæ: & primò reſpondet Caietanus quòd ſubſiſtentia creata non componit cum natura, quia eſt terminus naturæ; ſicut enim terminus lineæ non componit cum linea, ita multò magis non componit ſubſiſtentia increata cum natura humana. Caiet.

Confutatur prima reſpōſio Caie.

Sed hanc reſponſionē Caietani ſuprà confutauimus in diſputatione tertia philoſophica, quia ſi eſſe (In) dicit compoſitionem cum accidente, multò magis ſubſiſtentia dicit compoſitionem cum natura, præſertim cùm ipſa ſubſiſtentia creata non ſolùm in opinione noſtra, ſed etiam in opinione Caietani diſtinguatur realiter à natura; ex potentia autem & actu realiter diſtinctis neceſſariò fit vnum compoſitum.

Nec obſtat exemplum de puncto, quia quamuis punctum non componat vt pars lineæ, componit tamen, vt terminus, ſi datur diſtinctum à linea; ſic etiam ſubſiſtentia componit cum natura vt terminus naturæ, non autem vt pars propriè dicta, vt mox infrà dicetur.

Confutatur ſecunda reſpōſio S.Bonau. Ricc & aliorum.

Secundò reſpondent alij, vt Bonauentura in 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 2. Riccar. art. 2. quæſt. 3. Scot. quæſt.vlt.Dur. quæſt. 3. vnionem humanitatis cum Verbo non eſſe propriam compoſitionem, quia ſubſiſtentia deberet habere rationem partis ad hoc vt faciat veram compoſitionem: at verò Verbum non poteſt habere rationem partis, quia diceret imperfectionem, ergo non propriè componit cum natura.

Sed contrà, quia vt dicemus infrà in propria quæſtione de hac re, Chriſtus eſt verè ſubſtantia compoſita ex Dionyſio c. 1. de diuinis nominibus, & communi Patrum, & ex V. ſynodo, actione octaua can. 4. vbi dicitur, vnionem ex natura humana & Verbo eſſe compoſitionem, & in Conc. Later. ſub Martino I. conſult. 5. c. 17. dicitur eſſe propriè compoſitionem. S. Dionyſi. Quinta ſynod.

10. Tertia & verior reſpōſio ad implicantiam.

Quare reſpondeo ad hanc quartam implicantiam, concedendo Minorem, ſcilicet, inter humanitatem & Verbum eſſe veram & propriam compoſitionem ſubſtantialem, vt probatum eſt ex Patribus & Conciliis; negatur tamen Maior de omni compoſitione, quia Deus poteſt venire in compoſitionem ſubſtantialem; Nec oppoſitum dicit S. Thomas allatus in prima parte, quia ibi loquitur de compoſitione eſſentiali, in quam Deus non poteſt venire ſicut principium formale, vel materiale; Et cùm inſtatur, quia componentia ex Ariſtotele 5.Met. cap. 21. habent rationem partis, quia conſtituunt vnum totum: repugnat autem Deo hæc ratio partis: S.Thom. Ariſt.

Soluitur inſtantia.

Reſpondent aliqui, quòd Verbum componit vt terminus non vt pars; Sed contrà, quia quamuis ſit terminus naturæ, eſt tamen pars componens totam ſubſtantiam, quod eſt Chriſtus.

Secundò reſpondent alij ex S.Thoma, quòd pars componens in compoſitione ſubſtantiali dicit imperfectionem, quia cùm partes ſint finitæ, ſunt minùs perfectæ quàm totum; ſed in hac compoſitione Verbi cum natura humana non eſt ſic, quia Verbum, quod eſt componens, non eſt minùs perfectum quàm totum compoſitum. S Thom.

Adde ex eodem S. Thoma 3. par. quæſtione 2. quòd Verbum quamuis verè componat cum humanitate faciendo vnum totum ſubſtantiale, quod eſt Chriſtus, non tamen eſt ſubſiſtentia Verbi ordinata eſſentialiter ad faciendum hoc vnum, ſicut eſt ordinata ſubſiſtentia creata, & ita ſubſiſtentia creata habet rationem imperfecti eſſentialiter; Nec opus S.Thom.

eſt ad hoc vt Verbum faciat vnum per ſe cum humanitate, quòd eſſentialiter ſit ordinatum ad faciendum vnum, quia non facit vnum per ſe eſſentialiter, ſed vnum per ſe ſubſtantialiter, ad quod non oportet vt Verbum ſit imperfectum ſecundùm ſuum eſſe, & eſſentialiter ordinatum, ſicut ordinatur vera pars ad compartem, quia Verbum componit dando complementum, & perſonando humanitatem per ſeipſum, ad quod nihil obſtat vt ſit ens perfectè completum.

Ariſt. Ad Ariſtotelem autem dicitur quòd vel loquitur de componentibus, quæ ad inuicem ordinantur eſſentialiter, quæ quidem habent veram rationem partis, vel ſi loquitur de omni componente, non ſumit ita propriè rationem partis; ſed de hac re infrà in proprio corollario.

11. Reſpóſio ad quintã implicantiam. Ad quintam implicantiam reſpondetur hanc neceſſitatem eſſe ex ſuppoſitione liberè volita à Deo.

Ad ſextam. Ad ſextam implicantiam reſponſio petit illam difficultatẽ, an repugnet Incarnatio Verbi ex parte vnionis, de qua mox dicetur in ſequẽti dubitatione.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm repugnet Incarnatio Verbi ex parte vnionis hypoſtaticæ.

1. Videtvr quòd Incarnatio repugnet ex parte ipſius vnionis, & omiſſis aliquibus implicantiis, quarum ſolutio facilè pendet ex ſuperiori dubitatione, vnica & præcipua implicantia eſt ex parte vnionis, quia vnio ex ſuo conceptu videtur requirere, vt ſit intrinſecè in vtroque extremo, ſiue ſit vna vnio afficiens intrinſecè vtrumque extremum, ſiue duplex; quodcumque autem dicatur, repugnat Verbo affici intrinſecè vnione, ergo repugnat incarnatio Verbi, quia incarnatio non poteſt eſſe ſine vnione. Minor eſt clara.

Maior probatur, quia vnio ex æquo reſpicit componibilia; ergo vtrumque debet modificare. Et confirmatur, quia extrema debent intrinſecè cauſare totum, ergo debent habere vnionem intrinſecè.

Secundò, quia vnio communiter concipitur vt nexus, & vinculum duorum, ergo debet eſſe in vtroque extremo.

Tertiò, quia vnio eſt cauſa formalis, ergo, vt præbeat effectum formalem vniendi, debet præbere ſeipſam intrinſecè; non enim cauſa formalis, quæ eſt cauſa intrinſeca, alio modo dat effectum formalem, quàm præbendo ſe ipſam, in hoc enim differt à cauſa extrinſeca.

Et confirmatur, quia de ratione modi eſt, vt intrinſecè modificet extremum quod denominat; non enim per ſeſſionem meam poteſt dici alius ſedere. Confirmatur ſecundò, quia relatio paternitatis, quæ eſt intrinſeca in generante, reſpicit etiam genitum, & ab illa paternitate genitus poteſt extrinſecè denominari filius; non enim poteſt intelligi pater quin habeat filium, & tamen in genito reſultat relatio filiationis, per quam reſpicitur pater tamquam terminus: ita etiam quamuis per vnionem, quæ eſt in vno extremo, v. g. in materia, intelligatur forma vnita extrinſecè, non tamen propterea non debet reſultare alia vnio, per quam reſpiciatur materia, præſertim cùm vnio materiæ, & formæ ſint diuerſæ rationis, & idem dicẽdum eſt de natura, & ſuppoſito.

Quartò probatur, quia vnum extremum non poteſt eſſe perfectius vnitum quàm alterum; ſicut inter duo corpora indiſtantia non poteſt eſſe maior propinquitas in vno, quàm in alio, & multò magis hoc militat quando alterum extremum eſt immediatus terminus vnionis: ſicut eſt Verbum reſpectu humanitatis; Sed ſi vnio eſſet tantùm intrinſecè in vno extremo, hoc eſſet magis vnitum, quàm alterum; & confirmatur, quia Verbum per ſe ipſum terminat humanitatem; ergo per ſe ipſum debet vniri: ergo per intrinſecam vnionem.

Ad implicantiam variis modis reſpondetur à Doctoribus; Primus modus reſpondendi eſt aliquorũ aſſerentium cum Auguſtino eſſe rem inexplicabilem, & cum Chryſ. hom. 4. in Matthæũ, eſſe incõprehenſibilem & cum Cyrillo de Incarnatione Vnigeniti, c. 7. excedere captum humanum, & cum Concilio Toletano XI. in confeſſ. fid. vbi dicitur, quòd ſi ratione colligi poſſet hoc myſterium, non eſſet mirabile. 2. Variæ reſpõſiones ad implicanti. Primus modus reſpondendi. Aug. Chryſoſt. Cyrill. Conc. Tol.

Sed hic primus modus reſpondendi non omnino ſatisfacit; nam quamuis hoc myſterium ſit mirabile, & incomprehenſibile, vt dicunt Patres, & Concilia allegata, hoc tantùm probat non poſſe lumine naturali euidenter cognoſci, non autem quòd non poſſint ſolui implicantiæ, quæ afferuntur ex lumine naturali in oppoſitum. Confutatur hic primus modus.

Secundus modus reſpondendi eſt aliorum apud Carthuſianum in 3. diſt. 1. q. 1. quòd hæc vnio Verbi cum humanitate potiùs eſt aſſociatio, quàm compoſitio ex Auguſt. de Eccleſ. dogm. cap. 2. aſſociatio autem poteſt fieri per mutationem, quæ fit tantùm in vno extremo. 3. Secundus modus reſpondendi. Carthuſian. Auguſt.

Sed contrà, quia incarnatio non eſt aſſociatio accidentalis aut moralis, ſed ſubſtantialis, & phyſica, hæc autem habet rationem veræ compoſitionis; ſuprà enim oſtendimus ex Conciliis, Chriſtum eſſe ſubſtantiam verè compoſitam; debet ergo ſolui implicantia, quomodo poteſt hæc vnio, per quam formaliter fit hoc compoſitum ſubſtantiale eſſe, tantùm in humanitate tanquam in vno extremo. Confutatur.

Tertius modus reſpondendi eſt aliorum apud Scot. in 3. diſtinct. 1. quòd hæc vnio eſt ratio dependentiæ, ſufficit autem, vt dependentia ſit in illo extremo, quod indiget, hoc autem eſt humanitas; ſicut dependentia creaturæ à Deo eſt ſolùm in ipſa creatura. 4. Tertius modus reſpondendi.

Sed contrà, quia vel per ipſam dependentiam intelligunt productionem humanitatis, & hæc non poteſt eſſe illa vnio, de qua loquimur, tum quia hæc eſt à tota Trinitate, tum quia præter hanc dependentiam, debet dari alia dependentia à ſubſiſtentia, quæ eſt terminus humanitatis: Vel per iſtam dependentiam, intelligunt dependentiam tanquam à ſuſtentante: & hæc dependentia non ſufficit, quia præter hanc debet dari vnio, quæ habet diſtinctum conceptum à ſuſtentatione, quia vnio eſſentialiter eſt nexus, per quem tanquam per rationem formalem fit vnum ſubſtantiale compoſitum, & per hanc vnionem præcisè Chriſtus eſt ſubſtantia compoſita; ſi enim intelligeretur humanitas ſuſtentata à Deo in genere efficientis, & remaneret vnio ſubſtantialis inter Verbum & humanitatem, adhuc diceretur vna ſubſtantia compoſita, quod eſt Chriſtus. Confutatur.

Quartus modus reſpondendi eſt Gabrielis in 1. diſtinct. 30. quæſt. 4. quòd in naturalibus vnio dicit tantùm præſentiam localem vnitorum; ſed quia videbat ex hac doctrina ſequi, quòd Verbum eſſet ſemper vnitum cum omni natura, quia eſt indiſtans à quocumque, ideo dixit, quòd in myſterio incarnationis, quod eſt ſupernaturale, præter indiſtantiam vnitorum, requiritur quædam qualitas producta à tota Trinitate, quæ habet quandam ſpecialem 5. Quartus modus reſpondendi Gabrielis.

Digitized by Google

lem habitudinem ad Verbum, & per hanc dicitur humanitas vniri Verbo.

Confutatur.

Sed contra, quia hæc reſponſio quantùm ad id quòd dicit vnionem, nihil aliud eſſe quàm indiſtantiam localem, ſuprà impugnauimus in quarta diſputatione philoſophica in prima quæſtione, ex eo præcipuè quòd anima, & corpus poſſunt eſſe indiſtantia, & tamen non propterea vnirentur ſubſtantialiter, quia illa præſentia eſt accidentalis, nec per illam præſentiam complerentur anima, & corpus in ratione principij ſufficientis ad diſcurrendum per phantaſma: & præterea duo ligna contigua habent præſentiam localem quia nihil mediat; & quamuis fortè naturaliter ſemper mediet aër, fieri tamen poteſt per diuinam potentiam, vt nihil mediet, & tamen non propterea illa duo ligna dicerentur habere vnionem continuationis, quia non copularentur vno termino communi; quantùm verò ad illam qualitatem, quàm ponit in myſterio incarnationis præter indiſtantiam, impugnatur, quia ſequeretur, quòd talis vnio eſſet accidentalis, & propterea communiter hæc opinio reiicitur à Doctoribus, vt infrà dicetur.

6.
Quintus modus reſpondendi.
An detur vnio increata identificata cum Verbo?

Quintus modus reſpondendi eſt aliquorum aſſentientium non ſolùm in humanitate eſſe intrinſecè vnionem cum Verbo, ſed etiam in ipſo Verbo eſſe intrinſecè vnionem, non quidem creatam, ſed increatam; explicari autem ſolet hæc vnio increata, dupliciter; Primò, vt hæc tantùm dicat reſpectum præcisè Verbi ad naturam creatam; ita vt ſtatim, ac fit mutatio in humanitate per vnionem ſupernaturalem creatam receptam in ipſa humanitate, illa vnio increata Verbi fiat actualis, & vniat Verbum cum humanitate; ſicut cognitio Dei ſtatim, ac res contingens fit præſens, terminatur ad illam vt præſentem. Secundo modo, vt ipſa vnio non reſpiciat præcisè naturam creatam, ſed vt dicit Caietan. 3. part. quæſt. 2. art. 3. ſit ipſa vnitas, ſeu identitas, qua Verbum vnitur cum natura diuina, & per eandem poſtea facta mutatione in natura creata vniatur natura creata cum Verbo.

Sed hic modus reſpondendi non ſatisfacit, quia, vt fuſiùs oſtendetur corollario quinto in prima dubitatione, hæc vnio creata in Verbo non poteſt eſſe primo modo, ita vt præcisè dicat reſpectum ad naturam creatam; Vnio enim, vt probatum eſt, diſput. 4. q. 1. eſt actualis, ita vt eſſentialiter conſiſtat in actuali exercitio vniendi; non poteſt igitur talis vnio eſſe in Verbo; quia ab æterno non vniebat: Nec poteſt eſſe ſecundo modo, ita vt ſit illamet vnitas, & identitas, quia Verbum vniebatur cum natura diuina; quia quicquid ſit, an poſſit eſſe actualis reſpectu naturæ diuinæ, & potentialis reſpectu naturæ creatæ, adhuc repugnat iſta vnio, ſeu vnitas in ordine ad naturam creatam; quia ex Verbo, & natura humana fit vnum compoſitum ſecundùm Concilia, & Patres, vt dicetur infrà; at verò ſi vnitas & identitas communicetur naturæ humanæ, non faceret vnum compoſitum, ſed omnino idem; hic eſt enim effectus formalis identitatis; ſicut enim facit idem cum Verbo, & natura diuina, ita etiam deberet facere vnum & idem cum natura humana, & Verbo.

7.
Sextus, & verior modus reſpondendi, ex principio philoſophico ſeu præ-

Quare ad implicantiam reſpondetur ſextò ex principio noſtro philoſophico in prædicam. ſubſt. diſput. 4. philoſoph. quæſt. 4. vnionem ad hoc vt vniat duo extrema, ſufficere ſi ſit in vno extremo, imò ſuperuacaneum eſt, ſi ponatur in duobus extremis; Et ratio eſt, quia cùm vnio eſſentialiter ſit actualis nexus duorum, ſi intelligitur recepta in

A vno extremo, iam intelligitur vnire illud alteri extremo, ergo ex vi illius vnionis alterum extremum eſt vnitum, ſuperuacanea igitur eſt alia vnio in hoc alio extremo, quare cùm ponatur vnio in humanitate, illa eſt ſufficiens ad vniendum humanitatem cum Verbo, & Verbum cum humanitate abſque aliqua alia vnione, quæ ponatur intrinſecè in Verbo.

dicamento ſubſtantiæ.

Præterea quidquid ſit, an in humanis inter materiam, & formam ſit duplex vnio, certum tamen eſſe debet, vt probauimus in tertia, & quarta diſputatione philoſophica, quòd inter naturam, & ſubſiſtentiam creatam, non poteſt intercedere duplex vnio, nam ſi ſubſiſtentia vt ſubſiſtentia eſt, quæcumque illa ſit, haberet vnionem dependentiæ à natura, B ſequeretur quòd haberet duos modos repugnantes, eſſe ſcilicet, (In) & eſſe (Per ſe;) haberet quidem eſſe (In) quia vt ſupponitur per vnionem receptam in ſe, dependeret a natura, haberet autem etiam eſſe (per ſe,) quia ſi vt (quo) dat perſeitatem, etiam ipſa vt (quod) eſt per ſe: ſicut actio ſe ipſa fit, & quantitas ſe ipſa extenditur; Si igitur inter naturam, & ſubſiſtentiam creatam non intercedit niſi vnica vnio, quæ intrinſecè eſt in ipſa natura, multò magis hoc dici debet inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam diuinam. 8.

Restat modò reſpondere ad argumenta ſeu rationes, quibus initio huius dubitationis probabatur illa Maior ſyllogiſmi, quòd, ſcilicet, vnio neC ceſſariò deberet eſſe in vtroque extremo.

9.
Reſpóſio ad argumenta initiò allata.
Ad primum.

Ad primum igitur argumentum, ſeu probationem reſpondetur; quòd ſi vnio comparetur ad extrema inter ſe, non ex æquo reſpicit illa, quia in vno extremo eſt intrinſecè, in alio extrinſecè; ſi verò comparetur ad conſtitutionem vnius tertij, tunc ex æquo reſpicit illa in ordine ad cauſandum tertium, & per hæc patet ad confirmationem; Negatur enim quòd ad conſtituendum hoc tertium ſit neceſſe, vnionem modificare intrinſecè vtrumque extremum; quia cùm per vnicam vnionem, vt probatum eſt, exiſtentem intrinſecè in vno extremo, vniatur etiam alterum extremum, fit vt tam vnum extremum, quàm alterum intrinſecè concurrat ad D cauſationem vnius tertij; quamuis enim alterum extremum extrinſecè vniatur cum alio extremo; non tamen propterea ſequitur, quòd non intrinſecè conſtituat tertium; Et ratio eſt, quia ſiue per vnionem intrinſecam receptam in ſe; ſiue per vnionem receptam in alio extremo, trahitur ad conſtitutionem tertij eo modo, quo ipſum eſt.

Exempli gratia, Si in homine detur vnio tantùm in materia prima, hæc vnio, vt probatum eſt in prædicamẽto ſubſtantiæ diſput. quarta quæſt. quarta, ſatis eſſet ad vniendam ſibi animam, & quidem vniret ſibi animam tanquam actum, quia ſub hac ratione vnio, quæ eſt in materia, reſpicit animam, & materia vnitur vt potentia; Conſtitutum igitur, ſeu E compoſitum quod reſultat, conſtat intrinſecè ex actu, & potentia, tanquam ex duabus partibus cauſantibus, ex æquo intrinſecè vt (quod;) vnio enim non ingreditur intrinſecè vt (quod) quia non eſt pars conſtituens, ſed ingreditur vt (quo) tanquam nexus: Extrema igitur ex æquo, & intrinſecè conſtituunt ſeu cauſant totum, præbendo ſe ipſa, quamuis non ex æquo habeant vnionem, quia vnum extremum vt ſupponitur, habet intrinſecam vnionem; alterum verò extrinſecè.

10.
Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur vnionem non eſſe propriè vinculum; Propriè enim vinculum intermediat, vt quod, inter duo extrema, & vnitur immediatè cum vtroque ſicut gluten. Sed vnio eſt

i 3 modus

Digitized by Google

modus quidam,& ratio qua duo extrema vniuntur immediatè,vt quod; ad vniendum autem hoc modo iſta duo extrema, ſatis eſt, vt vnio ſit in vno extremo, non enim poteſt intelligi quòd vnio ſit in vno extremo, & non vniat aliud, vt ſuprà probatum eſt.

11. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur quòd quando cauſa formalis eſt talis naturæ, vt per modificationem vnius extremi poſſit denominare aliud, non eſt neceſſe vt ſit intrinſecè in vtroque extremo, vt patet de relatione: nam relatio, quæ eſt tantùm intrinſecè in creatura, denominat etiam creatorem.

Ad primam confirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, negando, quòd de ratione modi ſit intrinſecè modificare extremum, quod denominat; ſed potiùs modus abſtrahit à modificare intrinſecè, & modificare extrinſecè; de ratione autem talis modi eſt, vt modificet intrinſecè tantùm vt eſt ſeſſio, non enim per ſeſſionem meam poteſt alius ſedere; at verò non ita eſt de vnione, de intrinſeco enim conceptu vnionis eſt, vt ſit in vno extremo intrinſecè, & vniat aliud extrinſecè, quia eſt eſſentialiter nexus duorum.

12. Reſpõſio ad ſecundã cõfirmationẽ. Ad ſecundam confirmationem de relatione, reſpondetur concedendo quòd ſi ſola relatio paternitatis eſſet in generante, & nulla alia relatio eſſet in genito, adhuc genitus denominaretur filius extrinſecè à paternitate, vel fundamentaliter. Quòd verò reſultet relatio filiationis in genito, & non vnio in forma, ex eo eſt, quia paternitas, quæ eſt in generante, non ex æquo reſpicit vtrumque extremum; nam genitum reſpicit vt terminum paternitatis; at verò vnio quæ eſt in materia, quamuis reſpiciat formam vt terminum vnionis, quia tamen tam materia, quàm forma ordinantur per vnionem ad conſtitutionem vnius tertij, ad quam materia, & forma concurrunt ex æquo, tanquam partes intrinſecæ, non eſt neceſſe, vt reſultet alia vnio in forma; ad conſtituendum enim vnum tertium ſufficit vt vnio ſit tantùm in vno extremo; per illam enim trahitur vtrumque extremum ex æquo ad conſtituendum intrinſecè tertium.

13. Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur, quòd Verbum ex vno capite dicitur magis vnitum humanitati, quàm è contra; quia eſt terminus immediatus vnionis humanitatis cum ipſo; ex alio verò capite humanitas dicitur magis intrinſecè vnita Verbo, quatenus vnio eſt intrinſecè in ipſa tanquam in ſubiecto, & tanquam indigens ea vnione, vt perſonaliter terminetur; vtrumque autem extremum tam humanitas, quàm Verbum dicitur intrinſecè vnitum ad conſtitutionem tertij.

14. Ad ſimilitudinem autem allatam de duobus corporibus vnitis, reſpondetur quòd in illis corporibus, ideo vnum non eſt magis propinquum alteri, quàm alterum alteri, quia propinquitas ſumitur ex indiſtantia, quæ quidem ex æquo eſt in illis duobus corporibus, tùm quia vtrique eſt extrinſeca, tum quia reſpicit illa duo corpora ſub eadem ratione; at verò vnio inter humanitatem, & Verbum non reſpicit vtrumque extremum ex æquo, ex vno enim capite, vt dictum eſt ſuprà, humanitas debet dici magis vnita, quia ipſa ſola intrinſecè habet vnionem, ex alio capite Verbum videtur magis vnitum, quia vnitur vt terminus & actus naturæ.

15. Ad quintũ. Ad quintum reſpondetur concedendo Verbum per ſe ipſum terminare humanitatem, & per ſe ipſum etiam eſſe vnitum, vt(quod)non tamen hinc ſequitur per ſe ipſum eſſe vnitum, vt (quo) quia ad hoc vt ſit per ſe vnitum, vt (quod,) ſufficit vt vnio ſit recepta tantùm in humanitate, quia, vt dictum A eſt, eſſentialiter illa vnio reſpicit Verbum & terminum naturæ, non poteſt igitur intelligi quòd humanitas ſit terminata per illam vnionem, & quòd Verbum non ſit vnitum vt terminus.

Multa alia ſunt quæ dici poſſunt de hac vnione hypoſtatica, ſed differuntur infrà ad proprium & commodiorem locum.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm repugnet Incarnatio Verbi ex parte humanitatis aſſumptæ.

B VIDETVR Incarnatio repugnare ex parte humanitatis ex ſex capitibus. 1.

PRIMA implicãtia eſt, quia humanitas eſt natura completa, & integra; ergo non poteſt ſubſtantialiter coniungi Verbo, quia tunc non eſſet natura completa, & integra, ſed incompleta tanquam pars. Prima implicantia.

SECVNDA implicantia, Humanitas non poteſt eſſe in potentia ad recipiendam vnionem hypoſtaticam; nam hæc vnio eſt ordinis ſupernaturalis; humanitas autem ſecundùm omnem ſuam entitatem eſt res naturalis, quia producitur actione naturali; nam materia & anima ſunt producta per creationem; vnio autem eſſentialis harum partium C fit per generationem; at verò vnio hypoſtatica nullo modo poteſt attingi ab agente naturali. Secũda implicantia.

Quòd ſi dicas, humanitatem eleuari ſupernaturaliter ad recipiẽdam vnionem hypoſtaticam; Contrà argumentor, quia vel hæc eleuatio eſt intrinſeca per aliquod intrinſecum ſupernaturale ſuperadditum humanitati, & tunc redit eadem difficultas, quomodo, ſcilicet, poteſt hoc ſupernaturaliter recipi in potentia naturali; Vel hæc eleuatio eſt extrinſeca, per imperium diuinum, & tunc contrà; quia, quicquid ſit, an hæc potentia obedientialis repugnet potentiæ actiuæ, videtur tamen ſpecialiter repugnare potentiæ, ſeu entitati naturali receptiuæ: nam entitas receptiua ſua entitate recipit formam; D ſi ergo eſt naturalis intrinſecè, cùm non mutetur intrinſecè per hoc imperium extrinſecum Dei, non poteſt per illam ſuam entitatem intrinſecam naturalem recipere formam ſupernaturalem.

TERTIA implicantia, Sequeretur quòd natura humana violentaretur, quia careret propria ſubſiſtentia ad quam haberet appetitum; Et confirmatur, & augetur difficultas, quia in Verbo haberet eſſe (In;) at verò per propriam ſubſiſtentiam haberet eſſe(per ſe.) Tertia implicantia.

QVARTA implicantia, Non poteſt humana natura priuari propria exiſtentia; ergo nec propria ſubſiſtentia. Antecedens probatur, quia natura, & exiſtentia ſunt vna actualis entitas. Conſequentia E probatur, quia ſubſiſtentia nihil aliud eſt, quàm ipſa exiſtentia per ſe. Quarta implicantia.

QVINTA implicantia, Si daretur incarnatio Verbi, ſequeretur quòd ſubſiſtentia humana conuerteretur in perſonã Verbi; nam ſubſiſtentia humana deſinit, vel potiùs non reſultat, quia ſubſiſtentia diuina ſuccedit loco ipſius. Sed quòd ſubſiſtentia humana conuertatur in perſonam Verbi, ab omnibus Theologis habetur vt abſurdum, ergo, &c. Quinta implicantia.

SEXTA implicantia, quia incarnari nihil aliud eſt quàm naturam humanam perſonari perſonalitate Verbi; Sed hoc eſt impoſſibile, nam vel perſonalitas humanitatis non diſtinguitur à parte rei ab humanitate, & tunc non poteſt aſſumi à parte rei humanitas, Sexta implicantia.

Digitized by Google

humanitas, quin aſſumatur vt perſonata; hoc autem eſt impoſſibile, quia perſona eſt inaſſumptibilis, ſequeretur enim quòd eſſet vltimò terminata, & non eſſet vltimò terminata. Vel perſonalitas diſtinguitur à parte rei à natura, & tunc non poteſt dici quòd diſtinguatur vt realitas, quia tunc humanitas non haberet eſſe (per ſe) ſed potiùs eſſe (in.)

Dicendum eſt igitur, quòd diſtinguatur vt modus, & tunc vel non poteſt ſeparari à re modificata, vel ſi poteſt ſeparari, non poteſt ſuppleri, niſi per alium modum, vt patet de figura, & vbi; Quamuis enim quantitas poſſit eſſe ſine hac figura, debet tamen ſuppleri, & figurari per aliam figuram, quæ etiam ſit modus quantitatis; & quamuis corpus poſſit eſſe ſine hoc vbi, debet tamen ſuppleri per aliud vbi, quod ſit modus; Sed perſonalitas Verbi non eſt modus, ſed realitas; ergo non poteſt humanitas perſonari à Verbo.

Et confirmatur, nam ſi perſonalitas humanitatis non ſuppleretur per alium modum perſonalitatis, ſed per realitatem, ſequeretur, quòd non ſuppleretur id, quod amiſit; nam antea per modum ſuum erat per ſe, at verò quia iam aſſumitur à perſonalitate, tanquam à realitate diſtincta, non eſt per ſe, ſed potiùs in alio ad modum accidentis.

Sed his non obſtantibus dicendum eſt, non repugnare incarnationem ex parte humanitatis, quod quidem ex principio noſtro philoſophico poſito in tertia diſputatione de ſubſiſtentia, facilè deducitur, & patebit clariùs ex reſponſione ad implicantias.

1. Reſpõſio ad primam implicantiam. Ad primam igitur implicantiam reſpondetur breuiter ex diſputatione tertia philoſophica, quòd natura humana eſt integra, & completa in ratione naturæ ſubſtantialis; eſt tamen quid incompletum in ratione ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis, nam ex perſonalitate, & natura fit vnum tertium per ſe.

Inſtantia contra reſponſionem. Quòd ſi inſtes, Si natura humana in ratione ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis eſt quid incompletum, & pars; ergo deberet vniri cũ altero extremo incompleto tanquam cum comparte; at Verbum non poteſt eſſe huiuſmodi, quia in ratione ſubſiſtentis eſt vltimò completum.

Soluitur inſtantia. Ad hanc inſtantiam dicunt aliqui recentiores, quòd, quia Verbum non recipit vnionem in ſe, poteſt eſſe vltimò completum in ſe, & terminare naturam alienam.

Sed hæc reſponſio non ſoluit difficultatem, nam ſiue Verbum habeat vnionem receptam, ſiue identificatam, ſiue nullo modo habeat, ſemper componit cum natura humana ad faciendum vnum tertium, quod eſt Chriſtus. Ergo ſi natura humana eſt quid incompletum, & pars in ordine ad hoc tertium, erit etiam Verbum incompletum, & pars.

Reſpondetur igitur ad inſtantiam, quòd Verbum in ſe eſt vltimò completum, quatenus non poteſt terminari ab alio, ſicut terminatur natura, non tamen hinc ſequitur, quòd non poſſit componere tanquam terminus cum natura, imò quia eſt vltimò completum, poteſt componere vt terminus.

Inſtantia ſecunda. Quòd ſi adhuc inſtes ſecundò, Verbum venit in compoſitionem tertij, ergo vt ſic habet rationem incompleti & partis, quod dicit imperfectionem,

Soluitur. ordinaretur enim ad aliud: Reſpondetur quòd, vt diximus in priori dubitatione, Verbum non ingreditur compoſitionem vt pars propriè dicta, quia non eſt ordinatum eſſentialiter ad conſtitutionem huius tertij, nec conſequenter antequam vniretur, dicebatur priuatum hac perfectione vnionis, ſicut dicitur anima rationalis priuata, cùm eſt extra cor-

A pus ſed dicebatur negatum, quod nullam dicit imperfectionem.

Quòd ſi inſtes tertiò, Si humanitas eſt vnibilis Verbo, eſſet vnibilis tanquam forma, quia dat eſſe humanum Verbo. Implicat autem, eſſe vnibilem vt formam, quia humanitas eſt integra in ratione naturæ, ergo non poteſt eſſe forma. Et inſtatur magis, quia Verbum non eſt capax huius informationis. Reſpondetur, quòd hæc vnio non eſt tanquam ex forma, & ſubiecto, ſed tanquam ex natura, & ſuppoſito, & ideo nec repugnat ex parte humanitatis, nec ex parte Verbi; Non ex parte humanitatis, quia eſt forma totalis dando ſe ipſam Verbo, tanquam ſuppoſito, hoc autem non repu- *Inſtatur tertiò contra eandem reſponſionem.* *Soluitur inſtantia.*

B gnat naturæ integræ; imò neceſſariò debet concurrere, vt ens integrum, & completum in ratione naturæ, ad hoc vt det eſſe humanum Verbo; Nec repugnat ex parte Verbi, vt aliquo modo informetur ſecundùm hoc eſſe humanum, quia Verbum non concurrit vt ſubiectum, ſed vt ſuppoſitum; quomodo autem ſuppoſitum diuinum non dicatur mutari ex eo quòd intrinſecè fiat homo, ſuprà fuſiùs in prima dubitatione explicatum eſt.

3. Reſpõſio ad ſecundam implicantiam.

Responsio ad ſecundam implicantiam petit illam difficultatem, Vtrùm poſſit dari potentia obedientialis. Quam difficultatem quoniam ſuprà fusè tractauimus in primo tomo in ſecundo principio

C Philoſophico in primo Corollario, ideo hîc prætermitto, ſolùm breuiter attingam illud, quod facit ad ſolutionem argumenti; Ad quod reſpondeo, quòd potentia, ſiue illa ſit actiua, ſiue paſſiua, quamuis ſit naturalis, in ordine ad terminos naturales, in ordine tamen ad terminos ſupernaturales, vel præter naturam, eſt ſupernaturalis incompletè, id eſt talis naturæ, quatenus ens creatum eſt, quod ſtat ſub Dei dominio, vt poſſit à Deo aſſumi ad quemcunque terminum non implicãtem contradictionem; Completur autem extrinſecè in ratione ſupernaturali per imperium Diuinum, quod fuit ab æterno pro illo tempore in quo decreuit Deus aſſumere illam naturam creatam ad opus ſupernaturale; itaque intrinſece habet vim ad opus ſupernaturale, vt ſtat ſub

D ordinatione diuina, & concurſu Dei ſupernaturali, qui ſimul eſt cum concurſu potentiæ creatæ ad eundem effectum, ſiue concurſus potentiæ creatæ ſit effectiuus, ſiue ſuſtentatiuus, qualis eſt potentia receptiua, de qua eſt ſermo in argumento.

4. Reſpõſio ad tertiam inſtantiam ex eodem principio.

Ad tertiam implicantiam patet reſponſio ex his quę diximus ſuprà in principio Philoſophico diſput. tertia quæſtione quinta, vbi oſtendimus naturam non violentari cùm perſonatur aliena ſubſiſtentia perfectiori, & multò magis non violentari naturam humanam, cùm perſonatur perſona Verbi infinitè perfectè, ad quam dicit potentiam obedientialem.

Ad confirmationem, cùm dicitur, quòd natura humana in proprio ſuppoſito habet eſſe (Per ſe,) in

E ſuppoſito verò diuino habet eſſe (In,) ex quo inferunt, quòd ſemper habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, quia cùm eſt in ſuppoſito diuino, habet modum repugnantem; Reſpondent aliqui graues recentiores qui tenent ſubſiſtentiam diſtingui formaliter à natura tanquam modum rei à re, negando conſequentiam, quia quamuis (inquiunt) natura humana habeat in ſuppoſito diuino eſſe (In) & in proprio ſuppoſito eſſe (Per ſe) quia tamen vterque modus perficit naturam humanam, ideo natura humana, cùm eſt in ſuppoſito diuino, non habet appetitum ad proprium ſuppoſitum; Si verò teneatur ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura tanquam rem à re, vt nos tenuimus in diſputatione

tertia philoſophica quæſt. ſeptima faciliùs reſpondetur ad inſtantiam; Quamuis enim certum ſit ſiue teneatur ſubſiſtentiam diſtingui modaliter, ſiue realiter à natura, naturam humanam facere vnũ per ſe cũ perſonalitate Verbi, nihilominus ſi ſubſiſtẽtia diſtinguitur modaliter, tunc natura humana, cùm ſubſiſtit propria ſubſiſtentia, nullo modo habet eſſe (in) quia ſubſiſtentia ſi eſt modus, ſe ipſo vnitur cum natura; at verò ſi ſubſiſtentia diſtinguitur realiter à natura, quamuis faciat illam exiſtere ſeorſim à quocumque alio, vt infrà probabitur in ſeptimo corollario, vnitur tamen cum natura non ſeipſa, ſed per vnionem diſtinctam, ac proinde eſt aliqua affinitas inter naturam perſonatam propria perſonalitate, & perſonatam aliena, nam vtrobique intercedit vnio, B & vtrobique natura innititur ſuppoſito, ac proinde natura humana vnita Verbo non videtur habere modum omnino repugnantem cum modo, quo eſt in proprio ſuppoſito.

5. Reſpōſio ad quartā implicantiam.

Ad quartam implicantiam reſpondent aliqui graues recentiores concedendo antecedens, non poſſe, ſcilicet naturam humanam priuari propria exiſtentia, & exiſtere per alienam; negant tamen conſequentiam, quòd, ſcilicet, non poſſit priuari propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtere per alienam; Et rationem diſparitatis aſſignant, quia eſſentia, inquiunt, ſit actualis entitas, etiam in ratione eſſentiæ per exiſtentiam; tenent enim, vt vidimus ſuprà in prædicamento ſubſtantiæ, diſputatione prima, quæſtione prima, eſſentias rerum non habere eſſe eſſentiæ ante exiſtentiam, niſi potentiale in cauſa; non ergo poteſt actualis entitas ſpoliari propria exiſtentia; at verò ſubſiſtentia eſt modus ſuperadditus.

Sed mihi videtur poſſe negari antecedens, & conſequentiam: Conſequentiam quidem, quia ſubſiſtentia non ſolùm eſt modus ſuperadditus naturæ exiſtenti, ſed etiam realitas diſtincta, vt probauimus ſuprà in tertia diſputatione Philoſophica. Antecedens verò etiam negatur, quia ex ſecunda diſputatione Philoſophica, exiſtentia eſt modus ſuperadditus eſſentiæ, eſſentia enim habet ſuum eſſe eſſentiæ actuale ab æterno, vt in prima diſputatione Philoſophica probatum eſt; quare exiſtentia aduenien illi in tempore, aduenit tanquam modus ſeparabilis; Ex hoc igitur capite non repugnat humanitatem aſſumi à Verbo, etiamſi concederetur, ſubſiſtentiam eſſe ipſam exiſtentiam per ſe; poteſt enim natura humana exiſtere exiſtentia Verbi, vt ſuo loco oſtendetur.

6. Reſpōſio ad quintam.

Ad quintam implicantiam reſpondetur, quòd ad hoc vt aliquid dicatur conuerti in aliud, tanquam in terminum, debet terminus mutari, ſicut patet in conuerſionibus naturalibus, & etiam in corpore Chriſti, in quod conuertitur panis; at Verbum, vt probatum eſt, nullo modo mutatur; non igitur ſubſiſtẽtia humana poteſt dici cõuerſa in perſonā Verbi. Adde quòd ſubſiſtentia humana non deſiit ex vi conuerſionis, quia nunquam extitit, & hoc etiam fortè requiritur ad veram conuerſionem.

7. Prima reſponſio ad ſextam implicantiam.

Responsio ad ſextam implicantiam petit illam difficultatem, quo modo ſuppoſitum diſtinguatur à natura, A quam fusè examinauimus in diſputatione tertia Philoſophica, quæſtione ſeptima, & iuxta varias opiniones de diſtinctione, ſunt etiam varij modi reſpondendi. Nam qui tenent, vt Erueus quodlib. 3. quæſt. 6. & Ocham in 3. q. 1. ſuppoſitum creatum non diſtingui à natura a parte rei, magnam habent difficultatem in ſoluendo argumentum, ſeu implicantiam: quomodo enim natura humana potuit a parte rei aſſumi à Verbo, & non perſona, ſi natura, & perſona à parte rei ſunt vna ſimplex entitas. Reſpondent tamen, quòd quando ſimplex entitas fundamentaliter eſt conceptibilis, & multiplex, non impedit, quin à parte rei vnus conceptus communicetur, & non alius; Et afferunt duo exempla in diuinis. Sicut, (inquiunt) Paternitas, & eſſentia diuina ſunt vna entitas ſimplex à parte rei, & tamen a parte rei Pater communicat totam eſſentiam Filio, & non communicat Paternitatem. Secundum exemplum eſt in incarnatione Verbi, nam Verbum (inquiunt) & eſſentia diuina ſunt vna ſimplex entitas, & tamen Verbum eſt incarnatum, & non eſſentia diuina.

Eru. Ocha.

8. Confutatur hæc prima reſponſio.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſimplex entitas quamuis ſit fundamentaliter conceptibilis, & multiplex, quia tamen à parte rei eſt vna ſimplex, & non diſtinguibilis, ſi communicatur à parte rei, neceſſariò communicatur ſecundùm ſe totam identicè ſaltem & mediatè; at verò non poteſt dici, quòd ſubſiſtentia humana identicè ſaltem & mediatè fuerit C aſſumpta à Verbo. Quare ad primum exemplum reſpondetur, quòd cùm Pater communicat eſſentiam Filio, cõmunicat etiam identicè paternitatem, quamuis illam non communicet formaliter, vt diximus in priori tomo. At verò perſona humana nec identicè fuit aſſumpta à Verbo. Ad ſecundum exemplum dicitur, quòd eſſentia diuina ſaltem mediatè dicitur incarnata; at verò perſona humana nec mediatè dicitur aſſumpta à Verbo.

Secunda reſponſio.

Qui verò tenent ſuppoſitum creatum diſtingui à parte rei formaliter a natura, minorem quidem habent difficultatem in ſoluendo argumentum factum, quia facilè ſaluant, quo modo fuerit aſſumpta D à Verbo natura humana, & non perſona.

Confutatur.

Sed adhuc remanet illis alia difficultas ſoluenda, tacta in argumento, quòd ſcilicet, ſubſiſtentia humana cùm ſit modus, non videtur poſſe ſuppleri niſi per modum, ſicut figura non poteſt ſuppleri niſi per figuram quæ eſt modus. Et confirmatur, quia natura humana per propriam perſonalitatem, tanquam per modum ſuum ſubſiſtit in ſe & per ſe, at per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtit in alio, & ſic variatur modus ſubſiſtendi.

Verior reſponſio.

Quare faciliùs reſpondetur ad argumentum, ſi dicatur ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura, tanquam rem à re; ſicut nos tenuimus in diſputatione tertia Philoſophica quæſt. ſeptima; tunc enim E facilè intelligitur quomodo aſſumi potuit natura non aſſumpta perſonalitate humana, & quomodo poterit ſubſiſtentia creata realiter diſtincta à natura ſuppleri per ſubſiſtentiam Verbi, quæ etiam eſt realitas diſtincta à natura humana.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA THEOLOGICA CIRCA SECVNDVM COROLLARIVM,

De cognoſcibilitate Incarnationis.

De hac materia S. Thom. in 3. diſtinct. prima quæſt. prima art. 1.

HÆc quæſtio conſequitur ad ſuperiorem, oſtenſum eſt enim ſuprà in hoc myſterio incarnationis nullam videri contradictionem, ſed poſſe ſolui ex principio philoſophico omnes implicationes, quæ afferuntur. Vnde poſſet dubitari, an ſaltem ab Angelo poſſit euidenter cognoſci poſſibilitas huius myſterij; quamuis enim aliud ſit nullam videri contradictionem in hoc myſterio, aliud videri poſitiuè nullam eſſe contradictionem, quia ad hoc ſecundum requiritur, vt Angelo eſſent nota omnia principia, etiam ſupernaturalia, tamen hæc duo habent magnam affinitatem: Ad huius igitur rei intelligentiam mouetur hæc quæſtio. Quoniam autem multas inuoluit difficultates, vt diſtinctè procedatur, diuidimus illam in quatuor dubitationes.

I. *An exiſtentia Incarnationis poſſit naturaliter euidenter cognoſci.*
II. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci euidenter naturaliter.*
III. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci naturaliter probabiliter.*
IV. *Vtrùm ipſa exiſtentia Incarnationis poſſit cognoſci lumine naturali probabiliter.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm exiſtentia Incarnationis poſſit cognoſci naturaliter euidenter.

1. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.

QVòAD primam dubitationem, ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia Angelus euidenter cognoſcit in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam creatam; hæc enim negatio eſt ordinis naturalis, quia opponitur ſubſiſtentiæ, quæ eſt naturalis; ergo euidenter cognoſcit naturam humanam in Chriſto ſubſiſtere, per ſubſiſtentiam increatam, quia naturaliter cognoſcit, non poſſe naturam humanam exiſtere ſine ſubſiſtentia, & euidenter cognoſcit, non ſubſiſtere ſubſiſtentia creata, ergo increata.

2. Vnica concluſio negatiua. S. Thom.

HIs tamen non obſtantibus, reſpondetur ad dubitationem VNICA concluſione negatiua cum S. Thoma in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 2. & cum communi Doctorum ibidem.

Probatur primò ratione.

Ratio eſt, quia exiſtentia incarnationis nec intuitiuè, nec abſtractiuè eſt cognoſcibilis naturaliter. Non intuitiuè, quia non poteſt dari ſpecies naturalis, quæ repræſentet exiſtentiam incarnationis, cùm hæc ſit ordinis ſupernaturalis; Non abſtractiuè, quia non eſt cognoſcibilis per aliquem effectum, qui ſit proprius incarnationis; nam ſi aliquis eſſet effectus, eſſent miracula Chriſti; hæc autem non oſtendunt euidenter incarnationem Verbi, quia potuiſſent fieri ab alio Propheta, niſi acceſſiſſet conteſtatio ipſius Chriſti, quòd illa miracula faciebat ad oſtendendum ſe eſſe Filium Dei.

2. Secundò probatur ex Scripturis.

Secundò probatur ex Scripturis, in quibus habetur, myſterium Incarnationis eſſe ſecretum Dei. Ioannis 1. hoc myſterium numeratur inter ſecreta Dei. *Vnigenitus*, inquit, *qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit.* Per hunc autem ſinum intelligitur ſecretum Dei & ex Ambroſ. de benedict. Patriarcharum cap. 10. Et Paulus 1. ad Timotheum 3. appellat hoc myſterium *magnum ſacramentum*, *quod* (inquit) *apparuit Angelis*, ac ſi diceret, quod apparuit ſupra eorum naturam. Præterea patet ex prima ad Corinth. 2. vbi dicitur quòd ea, quæ habentur per gratiam, eiuſmodi eſt beneficium incarnationis, non poſſunt cognoſci, niſi per ſpiritum Dei. *Quæ ſunt* (inquit) *Dei, nemo nouit, niſi ſpiritus Dei; nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Præterea ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 1. *Myſterium*, inquit, *hoc eſt abſconditum à ſæculis*, vbi eſt ſermo de exiſtentia incarnationis, & gratiarum diſtributione.

Ioann 1. Ambroſ. Ad Tim. Ad Corint. Ad Epheſ. Ad Coloſſ.

3. Tertiò probatur ex Patribus.

Tertiò probatur ex Patribus, & primò hoc habet Dionyſ. cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi expreſsè dicit intelligentia incarnationis priuari etiam ipſos Angelos. & 7. de Cœleſti Hierarchia dicit, inferiores Angelos cognoſcere hoc myſterium incarnationis à ſuperioribus. Et Cyrillus Alexandrinus lib. de incarnat. cap. 7. Hilarius 4. de Trinitate, vbi ad hoc propoſitum explicat illud Ioannis 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Et Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. Et Chryſoſt. ſerm. de ſancto Ioanne Baptiſta.

Cyrillus Alexandr. Hilar. Ambroſ. Chryſoſt. Toler.

Vltimò ſolet probari ex Toletano XI. in confeſſione fidei, vbi dicitur, quòd ſi hoc myſterium ratione colligeretur, non eſſet mirabile; ſi exemplo, non eſſet ſingulare. Sed hæc vltima probatio nulla eſt;

Digitized by Google

SEPTIMVM COROLLARIVM,

De vnione ex parte perſonæ creatæ aſſumentis, per vnicam dubitationem.

Perſona creata poteſt hypoſtaticè per diuinam potentiam terminare alienam naturam.

S. Thom. 3. p. quæſt. 4.

OCTAVVM COROLLARIVM,

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ, per duas dubitationes.

Natura ſubſiſtens in propria perſonalitate, non poteſt aſſumi reduplicatiuè à Verbo: poteſt autem ſpecificatiuè: Accidens autem, nec vt inhærens in ſubiecto, nec vt ſeparatum à ſubiecto, poteſt aſſumi hypoſtaticè.

S. Thom. 3. p. q. 5. & 6.

NONVM COROLLARIVM,

De modo, quo partes naturæ humanæ fuerũt aſſumptæ, per vnicã dubitationem.

Anima, & corpus naturæ humanæ in Chriſto, fuerunt aſſumptæ per diuerſas partiales vniones: Præter autem hanc aſſumptionem partium fuit adhuc aſſumptio totius humanitatis.

S. Thom. 3. p. q. 3. & 1. p. quæſt. 27.

DECIMVM COROLLARIVM,

De exiſtentia humanitatis, per vnicam dubitationem.

Per vnicam exiſtentiam abſolutam eſſentiæ diuinæ, potuiſſet exiſtere natura humana in Chriſto, quamuis non exiſtat de facto niſi per propriam creatam.

Ex 1. p. q. 29.

VNDECIMVM COROLLARIVM,

De ſubſiſtentia Verbi, per duas dubitationes.

Non datur ſubſiſtentia abſoluta in Deo, ſed ſi daretur, potuiſſet natura humana per illam terminari.

DVODECIMVM COROLLARIVM,

De ſatisfactione Chriſti, per quinque dubitationes.

DECIMVM TERTIVM COROLLARIVM,

De impeccabilitate Chriſti, & quomodo concilietur cum libertate, per quatuor dubitationes.

DECIMVM QVARTVM COROLLARIVM,

Si Adam non peccaſſet Verbum non fuiſſet incarnatum ex vi primi decreti ſaltem in carne paſſibili, per duas dubitationes.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA THEOLOGICA CIRCA PRIMVM COROLLARIVM,

De poſſibilitate Incarnationis.

De hac materia S.Thom. 3.part.quæſt.1.art.2.ſchol.in 3.

Sunt in hac quæſtione tres dubitationes.

I. *Vtrùm Incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ diuinæ aſſumentis.*
II. *Vtrùm repugnet ex parte vnionis hypoſtaticæ.*
III. *Vtrùm repugnet ex parte humanitatis aſſumptæ.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm ſcilicet Incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ diuinæ aſſumentis.

1. VIDETVR implicare primò, quia non poteſt eſſe ſubſtantialis vnio Dei cum natura humana ſine mutatione Dei, ergo incarnatio eſt impoſſibilis. Antecedens probatur, quia mutari nihil aliud eſt, quàm aliter ſe habere: ſed cùm Verbum fit homo, aliter ſe habet, quàm priùs, quia antè non erat homo ſubſtantialiter. Hoc argumentum eſt Hæreticorum, qui negant de facto incarnationem; In hac hæreſi, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 25. fuerunt à tempore Apoſtolorũ Carpocrates, Ebion, & Cerinthus, contra quos teſte Hieronymo Ioannes ſcripſit Euangelium, & poſt annos quadringentos eandem hæreſim ſuſcitauit Neſtorius, vt habetur in epiſtolis Cæleſtini Papæ, & meminit etiam huius hæreſis Auguſt. 10. de ciuit. cap. 19. (Iren. Hieron. Cæleſt. Auguſt.)

SECVNDA implicantia, quia Verbum diuinum perficeretur per humanitatem, quia humanitas verè dat Verbo eſſe hominem.

TERTIA implicantia, quia effectus formalis primarius formæ, non poteſt ſuppleri à Deo, nam huiuſmodi effectum præbet forma præbendo ſeipſam; cùm ergo Deus non ſit forma, non poteſt præbere effectum formalem primarium alicuius formæ; ſed effectus primarius formalis ſubſiſtentiæ creatæ, eſt dare ſubſiſtere, vt ſuprà oſtendimus in quæſtione tertia philoſophica; ergo non poterit Verbum ſeipſo ſupplere hunc effectum formalẽ ſubſiſtentiæ creatæ.

QVARTA implicantia, Deus non poteſt venire in compoſitionem cum natura, ex S. Thom. 1. p. q. 3. art. 8. & ratio eſt, quia Deus haberet rationem partis, & imperfecti, quia compoſitum intrinſecè includit componentia vt vnita, ex quibus fit vnum; ergo neceſſariò iſta componentia habent rationem partis, quia faciunt vnum totum. Et confirmatur ex Ariſt. 5. Metaph. cap. 25. vbi ait, partes vno modo dici ea, ex quibus aliquid componitur: ſed ſi daretur Incarnatio Verbi, componeret cum humanitate faciendo vnum per ſe, ergo, &c. (S.Thom. Ariſtot.)

QVINTA implicantia, quia ſequeretur, Verbum ex vi actionis, ſeu rei creatæ neceſſariò vniri humanitati: hoc autem videtur abſurdum, quòd Deus neceſſitetur ex vi alicuius rei creatæ. Maior probatur, quia ſtante actione vnitiua in humanitate, & ipſa vnione tanquam forma, neceſſariò Verbum ſit vnitum humanitati, non enim poteſt intelligi, quòd ipſa humanitas vniatur Verbo, & quòd Verbum non vniatur cum humanitate, ſicut implicat inhærentiam eſſe in ſubiecto, & non eſſe id quod inhæret ſubiecto.

SEXTA implicantia, quia non poteſt concipi Verbum incarnari, niſi concipiatur vnitum intrinſecè humanitati: eſt enim vnio eſſentialiter nexus duorum; debet ergo intrinſecè afficere illud extremum, quod vnit, & copulat cum alio. Sed eſt impoſſibile, vt aliquid creatum de nouo intrinſecè recipiatur in Deo, quia Deus intrinſecè mutaretur, ergo eſt impoſſibilis hæc incarnatio.

SEPTIMA implicantia, quia ſubſiſtentia humana eſt modus, non ergo poteſt ſuppleri per ſubſiſtentiam diuinam, quæ eſt realiter diſtincta, ſicut figura non poteſt ſuppleri, niſi per figuram, quæ ſit modus: Et confirmatur, quia natura per propriam ſubſiſtentiam eſt per ſe; at cùm eſt vnita Verbo, habet modum repugnantem, ſcilicet, eſſe in Verbo, tanquam in alio realiter diſtincto.

HIS tamen non obſtantibus, dicendum eſt non repugnare, Verbum incarnari, immò de fide certum eſt reipſa Verbum fuiſſe incarnatum, vt patet ex illo loco Ioann. 1. *Et Verbum caro factum eſt*: quem locum inter alios bene interpretatur Cyrillus in epiſt. ad Ægypt. Mon. & alia teſtimonia Patrum habentur tomo 2. Concil. in Concilio Epheſ. vbi eſt damnata hæreſis Neſtorij in oppoſitum, quam infrà referemus. (Ioann. Cyrill. Concil. Epheſ.)

Sed in hac quæſtione de facto non immoror, tum quia paſſim habetur apud omnes Doctores, tum quia non eſt noſtri inſtituti; non enim poteſt probari Verbum eſſe incarnatum de facto lumine naturali: Solùm igitur reſtat oſtendere, quòd non repugnet lumine naturali Verbum potuiſſe incarnari, quod oſtenditur ſoluendo implicantias allatas. (Suar.)

Digitized by Google

RESPONSIO AD IMPLICANTIAS.

2. Prima reſponſio ad primam inſtantiam. AD primã reſpondent aliqui recẽtiores, primò, ad mutari neceſſariò, requiri vt perfectio, quæ de nouo acquiritur, non præhabeatur in acquirente eminentiori modo; quia ſi eſt eminentiori modo, iam non dicitur acquirens eſſe in potentia, & priuatus illa perfectione, ſed potiùs habet illam in actu eminentiori: At perfectio humanitatis,quæ de nouo aduenit Verbo, per incarnationem, erat in ipſo Verbo eminentiori modo, quia poterat facere ipſam humanitatem,& etiam facere efficienter omnia ſine humanitate, quæ cum ipſa humanitate facere poteſt.

Confutatur. SED hæc reſponſio non ſatisfacit, & impugnatur primò,quia quamuis perfectio,quæ de nouo acquiritur, habeatur eminentiori modo, habetur tamen ſolùm virtute,non autem habetur actu, & formaliter; igitur acquirens tranſit de potentia, & à priuatione perfectionis, quæ non habetur formaliter ad actum, & ad habitum, quod eſt noua perfectio,cuius adhuc erat capax ipſum acquirens; ex.gr. in caſu difficultatis, quamuis Verbum eminentiori modo contineat humanitatem, quia poteſt illam producere,& ſibi vnire, non tamen per hanc poteſtatem dicitur intrinſecè, & ſubſtantialiter homo ſicut dicitur quando eſt incarnatum.

Secundò impugnatur, quia aſſumptum non bene applicatur;negatur enim, quòd Verbum ſine humanitate, poterat efficere, quidquid poteſt efficere per humanitatem, nam per humanitatem poteſt facere operationem, quam vocant Deiuirilem, operationem, nimirum, infiniti valoris ad ſatisfaciendum, & merendum, quam non poteſt facere ſolus Deus ſine humanitate.

3. Quòd ſi contra hanc ſecundam impugnationem, aliquis inſtet, quòd inde ſequeretur Deum non continere eminenter humanitatem, contra id quod paulò ſuprà conceſſum eſt; Sequela probatur, quia ad continentiam eminentialem non ſolùm requiritur, vt Deus poſſit producere humanitatem, ſed inſuper, vt poſſit facere ſine humanitate, quicquid facturus eſſet cum humanitate; ſicut à ſimili Angelus non dicitur continere eminenter ſuam intellectionem, ſed tantùm virtute, quia quamuis Angelus poſſit producere ſuam intellectionem, non tamen ſine intellectione à ſe diſtincta poteſt facere, quod facit cum intellectione.

Aliqui propter hoc exemplum de Angelo, concedunt Deum non continere humanitatem. Sed iſti non bene dicunt; eſt enim in exemplo de Angelo diſpar ratio, quia quòd Deus non poſſit facere ſine humanitate, quod poteſt facere cum humanitate, vt ſatiſfacere,& mereri,hoc prouenit ex perfectione Dei, quia ratio meriti & ſatisfactionum dicit perfectionem in Deo,at in Angelo prouenit ex imperfectione, quòd non poſſit ſine intellectione à ſe diſtincta facere, quod facit per intellectionem,& ideo poteſt dici quòd Angelus non continet ſuam intellectionem eminenter, non autem poteſt dici quòd Deus non contineat humanitatem eminenter.

4. Secunda reſponſio ad primam inſtantiam. Secundò reſpondent alij ad eandem primam implicantiam, quòd Verbum non dicitur mutari per incarnationem; quia aliter ſe habet ſolùm per denominationem extrinſecam;Verbum enim,inquiũt, ſuſtentando naturam humanam & terminando illam,non recipit aliquid intrinſecum in ſe; ſuſtentatio enim cùm ſit dependentia, eſt tantùm in humanitate,quæ dependet; terminatio verò fit per vnionem, quæ tantùm intrinſecè eſt in humanitate, hanc enim ſatis eſſe ad vniendum aliud extremum fusè oſtenſum eſt in diſputatione quarta philoſophica; Cùm enim vnio ſit eſſentialiter nexus duorum, non poteſt intelligi, quòd ſit in vno extremo intrinſecè, & per eandem non vniatur extrinſecè aliud extremum;Cùm igitur Verbum nihil recipiat in ſe intrinſecè, ſequitur quòd per incarnationem aliter ſe habeat ſolùm per denominationem extrinſecam, ita vt dicatur ſuſtentare & terminare & vniri per ſuſtentationem & vnionem, quæ ſolùm eſt in humanitate, ſicut à ſimili, quamuis Deus ex non creante ſit de nouo creans; non tamen propterea dicitur Deus mutari, quia denominatur creans per mutationem factam in creatura, & non in ſe ipſo. Hanc reſponſionem ſequuntur aliqui graues recentiores, & colligunt illam ex S. Thom. 3.p.q.1.art.1. & q.16.art.6.& 4.contra gentes cap.47. S.Thom.

Confutatur ſecunda reſponſio. SED neque hæc reſponſio omnino ſatisfacit, nam quamuis verum ſit quòd ſi vnio reciperetur in Verbo,Verbum intrinſecè mutaretur, quia de nouo reciperet aliquod in ſe intrinſecè,non tamen ſequitur è contra,quòd ſi ſuſtentatio, vel vnio non recipiatur in Verbo, ſed ſolùm in humanitate, quòd propterea ex hoc capite præcisè Verbum nullo modo poſſet dici mutari; Sed ex alio capite oſtendendum eſt Verbum non mutari, quamuis non recipiat vnionem intrinſecè in ſe.

Probatur, nam ſi daretur anima rationalis ante vnionem creata, & poſtea vniretur materiæ per vnionem receptam in materia,diceretur adhuc anima mutari, quamuis enim extrinſecè diceretur vnita per vnionem, quæ eſt in materia, quia tamen fieret intrinſecè pars vnius compoſiti eſſentialis,diceretur mutari, vt omnes concedunt. Similiter etiam poſſet dici quòd quamuis Verbum dicatur vnitum extrinſecè cum humanitate per vnionem quæ eſt in humanitate, quia tamen per illam vnionem intrinſecè facit vnum compoſitum ſubſtantiale cum humanitate, & intrinſecè eſt homo, poſſet aliquis dicere quòd ex hoc capite Verbum dicatur mutari, quamuis non recipiat intrinſecè vnionem in ſe; aliunde igitur oſtendendum eſt,quare Verbum non dicatur mutari,& anima in caſu dato dicatur mutari.

5. Tertia & verior reſponſio ad primam inſtantiam. Ratio igitur diſparitatis eſt, (& ſit tertia reſponſio ad implicantiam) quia Verbum ante vnionem non erat quid imperfectum,& ordinatum eſſentialiter ad humanitatem; ſicut anima ad materiam: vnde quamuis ante incarnationem diceret negationem vnionis cum humanitate, non tamen dicebat illam negationem vnionis tamquam cum natura ſibi debita, & conſequenter non poterat dici priuatum humanitate, nec habere appetitum ad illam; per vnionem igitur nullam imperfectionem intrinſecam amiſit, nec acquiſiuit aliquam intrinſecam perfectionem, quia vnio non recipitur in ipſo, ſed tantùm in humanitate, vt ſupponimus ex quarta diſputatione Philoſophica; quare nullo modo poteſt dici per vnionem Verbum eſſe mutatum: Et idem exiſtimo dicendum de Angelo, ſi vniretur naturæ humanæ, quia eadem eſt ratio quantùm ad hoc; ſecus autem eſt ſi daretur ſubſiſtentia hominis ſeparata,& vniretur humanitati, quia illa ſubſiſtentia dicit ordinem eſſentialem ad totam naturam, & conſequenter ante vnionem eſt priuata perfectione naturæ,& habet appetitum connaturalem ad illam, per vnionem autem tollitur priuatio,& ſatiatur appetitus;quare quamuis ſit verum, quòd ſi vnio reciperetur in Verbo,ſufficiens eſſet ratio, cur Verbum diceretur mutari, non tamen è contra ſequitur ex hoc

Digitized by Google

hoc præcisè, quòd ſi vnio non recipiatur intrinſecè in Verbo, quòd Verbum non dicatur mutari, ſed ex eo non dicitur mutari, quia non dicit ordinem eſſentialem, & appetitum ad vniri cum humanitate.

6. **Ad ſecundam implic. Alenſ.**

Ad ſecundam implicantiam reſpondet Alenſis 3. part. quæſt. 2. mem. 2. quòd Verbum non eſt perfectibile per incarnationem; quia eſt infinitè perfectum, & ideo quamuis incarnatio ſit aliqua perfectio ſubſtantialis, non tamen poteſt per illam Verbum perfici.

Confutatur prima reſpõſio Alenſis.

Sed contrà, quia ſi vniri cum humanitate faciendo vnum per ſe cum illa, eſt ex natura ſua aliqua perfectio ſubſtantialis, ſequitur quòd vel Verbum non poteſt vniri, quia non poteſt recipere nouam perfectionem; vel ſi poteſt vniri, non eſt infinitè perfectum.

Quòd ſi dicas primò, quòd contineat eminenter hanc perfectionem: contra quicquid ſit an contineat eminenter, tamen, vt ſuprà dictum eſt, de nouo continet formaliter, & vt ſic formaliter eſt perfectio quædam.

Quòd ſi dicas ſecundò, diuinitatem dici vnibilem à potentia actiua, quia potens eſt vnire. Cõtrà, quia hęc potentia actiua eſt communis toti Trinitati: ſed humanitas eſt vnita formaliter Verbo tantùm, ergo aliquid aduenit Verbo de nouo, quod non aduenit cæteris perſonis, hoc autem quod aduenit, eſt perfectio quædam ſubſtantialis.

Quòd ſi dicas tertiò pro Alenſi, quòd tota Trinitas dicitur eſſe vnibilis cum natura creata per vnionem increatam cum natura creata, quam quælibet perſona habet ſibi identificatam, ad hoc igitur, vt hæc vel illa perſona vniatur, ſolùm requiritur vt ſit vnio creata in ipſa natura creata, dicens ordinem ad hanc perſonam, & non ad illam: Contrà, quidquid ſit de illo aſſumpto, quòd, ſcilicet, quælibet perſona habeat vnionem ſibi identificatam, de qua re in ſequenti dubitatione dicemus, adhuc tamen hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſi ſemel concedatur quòd vniri cum humanitate ſit ex natura ſua perfectio ſubſtantialis, neceſſariò ſequitur id, quod dicebamus, quòd vel Verbum non eſt infinitè perfectum, vel quòd non poteſt vniri.

7. **Verior reſpõſio ad ſecũdam implic. ex principio philoſophico. S. Thom. S. Athan.**

Quare ad hanc ſecundam implicantiam reſpondetur ex S. Thom. 3. par. quæſt. 3. art. 1. & S. Athanaſio in epiſt. ad Epict. eo fere modo quo reſponſum eſt ad primam, quòd vniri cum humanitate non dicit perfectionem in ipſo Verbo, ſed tantùm in humanitate, tum quia vnio tantùm recipitur in ipſa humanitate, vt dictum eſt in quarta dubitatione philoſophica, tum quia per hanc vnionem ipſa humanitas eſt quæ perficitur, ipſa enim eſt quæ ſuſtentatur, & terminatur, & perſonatur; at verò Verbum potiùs dat perfectionem ſubſtantialem, & terminando, & perſonando naturam humanam, non autem perficitur, quia quamuis antequam vniretur cum humanitate, eſſet aliquo modo in potentia ad vnionem, non tamen dicebat priuationem, & appetitum, ſicut dicit ſubſiſtentia creata vt dictum eſt.

8. **Reſpõſio ad tertiam.**

Ad tertiam implicantiam reſpondetur, quòd Verbum eſt formaliter ſubſiſtentia, & ideo poteſt ſupplere vices ſubſiſtentiæ creatæ; Et cum inſtatur quòd Deus non poteſt ſupplere effectum cauſæ formalis, reſpondetur quòd ſubſiſtentia creata non eſt propriè cauſa formalis, hæc enim dicit imperfectionem partis, ſed terminatiua, quam Deus poteſt ſupplere ſeipſo, quia in ſe eſt ſubſiſtens formaliter.

9. **Reſpõſio ad quartam.**

Ad quartam implicantiam reſponſio petit illam difficultatem; An Chriſtus ſit verè ſubſtantia compoſita; de qua re infrà dicetur; Breuiter nunc reſpõdetur quantùm facit ad ſolutionem implicantiæ: & primò reſpondet Caietanus quòd ſubſiſtentia creata non componit cum natura, quia eſt terminus naturæ; ſicut enim terminus lineæ non componit cum linea, ita multò magis non componit ſubſiſtentia increata cum natura humana. Caiet.

Confutatur prima reſpõſio Caie.

Sed hanc reſponſionẽ Caietani ſuprà confutauimus in diſputatione tertia philoſophica, quia ſi eſſe (In) dicit compoſitionem cum accidente, multò magis ſubſiſtentia dicit compoſitionem cum natura, præſertim cum ipſa ſubſiſtentia creata non ſolùm in opinione noſtra, ſed etiam in opinione Caietani diſtinguatur realiter à natura; ex potentia autem & actu realiter diſtinctis neceſſariò fit vnum compoſitum.

Nec obſtat exemplum de puncto, quia quamuis punctum non componat vt pars lineæ, componit tamen, vt terminus, ſi datur diſtinctum à linea; ſic etiam ſubſiſtentia componit cum natura vt terminus naturæ, non autem vt pars propriè dicta, vt mox infrà dicetur.

Confutatur ſecunda reſpõſio S. Bonau. Ricc. & aliorum.

Secundò reſpondent alij, vt Bonauentura in 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 2. Riccar. art. 2. quæſt. 3. Scot. quæſt. vlt. Dur. quæſt. 3. vnionem humanitatis cum Verbo non eſſe propriam compoſitionem, quia ſubſiſtentia deberet habere rationem partis ad hoc vt faciat veram compoſitionem: at verò Verbum non poteſt habere rationem partis, quia diceret imperfectionem, ergo non propriè componit cum natura.

Sed contrà, quia vt dicemus infrà in propria quæſtione de hac re, Chriſtus eſt verè ſubſtantia compoſita ex Dionyſio c. 1. de diuinis nominibus, & communi Patrum, & ex V. ſynodo, actione octaua can. 4. vbi dicitur, vnionem ex natura humana & Verbo eſſe compoſitionem, & in Conc. Later. ſub Martino I. conſult. 5. c. 17. dicitur eſſe propriè compoſitionem. S. Dionyſi. Quinta ſynod.

10. **Tertia & verior reſpõſio ad implicantiam.**

Quare reſpondeo ad hanc quartam implicantiam, concedendo Minorem, ſcilicet, inter humanitatem & Verbum eſſe veram & propriam compoſitionem ſubſtantialem, vt probatum eſt ex Patribus & Conciliis; negatur tamen Maior de omni compoſitione, quia Deus poteſt venire in compoſitionem ſubſtantialem; Nec oppoſitum dicit S. Thomas allatus in prima parte, quia ibi loquitur de compoſitione eſſentiali, in quam Deus non poteſt venire ſicut principium formale, vel materiale; Et cùm inſtatur, quia componentia ex Ariſtotele 5. Met. cap. 21. habent rationem partis, quia conſtituunt vnum totum: repugnat autem Deo hæc ratio partis: S. Thom. Ariſt.

Soluitur inſtantia.

Reſpondent aliqui, quòd Verbum componit vt terminus non vt pars; Sed contrà, quia quamuis ſit terminus naturæ, eſt tamen pars componens totam ſubſtantiam, quod eſt Chriſtus.

Secundò reſpondent alij ex S. Thoma, quòd pars componens in compoſitione ſubſtantiali dicit imperfectionem, quia cùm partes ſint finitæ, ſunt minùs perfectæ quàm totum; ſed in hac compoſitione Verbi cum natura humana non eſt ſic, quia Verbum, quod eſt componens, non eſt minùs perfectum quàm totum compoſitum. S. Thom.

Adde ex eodem S. Thoma 3. par. quæſtione 2. quòd Verbum quamuis verè componat cum humanitate faciendo vnum totum ſubſtantiale, quod eſt Chriſtus, non tamen eſt ſubſiſtentia Verbi ordinata eſſentialiter ad faciendum hoc vnum, ſicut eſt ordinata ſubſiſtentia creata, & ita ſubſiſtentia creata habet rationem imperfecti eſſentialiter; Nec opus S. Thom.

Digitized by Google

eſt ad hoc vt Verbum faciat vnum per ſe cum humanitate, quòd eſſentialiter ſit ordinatum ad faciendum vnum, quia non facit vnum per ſe eſſentialiter, ſed vnum per ſe ſubſtantialiter, ad quod non oportet vt Verbum ſit imperfectum ſecundùm ſuum eſſe, & eſſentialiter ordinatum, ſicut ordinatur vera pars ad compartem, quia Verbum componit dando complementum, & perſonando humanitatem per ſeipſum, ad quod nihil obſtat vt ſit ens perfectè completum.

Ariſt. Ad Ariſtotelem autem dicitur quòd vel loquitur de componentibus, quæ ad inuicem ordinantur eſſentialiter, quæ quidem habent veram rationem partis, vel ſi loquitur de omni componente, non ſumit ita propriè rationem partis; ſed de hac re infrà in proprio corollario.

11. Reſpõſio ad quintã implicantiam. Ad quintam implicantiam reſpondetur hanc neceſſitatem eſſe ex ſuppoſitione liberè volita à Deo.

Ad ſextam. Ad ſextam implicantiam reſponſio petit illam difficultatẽ, an repugnet Incarnatio Verbi ex parte vnionis, de qua mox dicetur in ſequẽti dubitatione.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm repugnet Incarnatio Verbi ex parte vnionis hypoſtaticæ.

1. Videtvr quòd Incarnatio repugnet ex parte ipſius vnionis, & omiſſis aliquibus implicantiis, quarum ſolutio facilè pendet ex ſuperiori dubitatione, vnica & præcipua implicantia eſt ex parte vnionis, quia vnio ex ſuo conceptu videtur requirere, vt ſit intrinſecè in vtroque extremo, ſiue ſit vna vnio afficiens intrinſecè vtrumque extremum, ſiue duplex; quodcumque autem dicatur, repugnat Verbo affici intrinſecè vnione, ergo repugnat incarnatio Verbi, quia incarnatio non poteſt eſſe ſine vnione. Minor eſt clara.

Maior probatur, quia vnio ex æquo reſpicit componibilia; ergo vtrumque debet modificare. Et confirmatur, quia extrema debent intrinſecè cauſare totum, ergo debent habere vnionem intrinſecè.

Secundò, quia vnio communiter concipitur vt nexus, & vinculum duorum, ergo debet eſſe in vtroque extremo.

Tertiò, quia vnio eſt cauſa formalis, ergo, vt præbeat effectum formalem vniendi, debet præbere ſeipſam intrinſecè; non enim cauſa formalis, quæ eſt cauſa intrinſeca, alio modo dat effectum formalem, quàm præbendo ſe ipſam; in hoc enim differt à cauſa extrinſeca.

Et confirmatur, quia de ratione modi eſt, vt intrinſecè modificet extremum quod denominat; non enim per ſeſſionem meam poteſt dici alius ſedere. Confirmatur ſecundò, quia relatio paternitatis, quæ eſt intrinſeca in generante, reſpicit etiam genitum, & ab illa paternitate genitus poteſt extrinſecè denominari filius; non enim poteſt intelligi pater quin habeat filium, & tamen in genito reſultat relatio filiationis, per quam reſpicitur pater tamquam terminus: ita etiam quamuis per vnionem, quæ eſt in vno extremo, v. g. in materia, intelligatur forma vnita extrinſecè, non tamen propterea non debet reſultare alia vnio, per quam reſpiciatur materia, præſertim cùm vnio materiæ, & formæ ſint diuerſæ rationis, & idem dicẽdum eſt de natura, & ſuppoſito.

Quartò probatur, quia vnum extremum non poteſt eſſe perfectius vnitum quàm alterum; ſicut inter duo corpora indiſtantia non poteſt eſſe maior propinquitas in vno, quàm in alio; & multò magis

A hoc militat quando alterum extremum eſt immediatus terminus vnionis: ſicut eſt Verbum reſpectu humanitatis; Sed ſi vnio eſſet tantùm intrinſecè in vno extremo, hoc eſſet magis vnitum, quàm alterum; & confirmatur, quia Verbum per ſe ipſum terminat humanitatem; ergo per ſe ipſum debet vniri: ergo per intrinſecam vnionem.

2. Variæ reſpõſiones ad implicantiã. Primus modus reſpondendi. Aug. Chryſoſt. Cyrill. Conc. Tol. Ad implicantiam variis modis reſpondetur à Doctoribus; Primus modus reſpondendi eſt aliquorũ aſſerentium cum Auguſtino eſſe rem inexplicabilem, & cum Chryſ. hom. 4. in Matthæũ, eſſe incõprehenſibilem, & cum Cyrillo de Incarnatione Vnigeniti, c. 7. excedere captum humanum, & cum Concilio Toletano XI. in confeſſ. fid. vbi dicitur, quòd ſi ratione colligi poſſet hoc myſterium, non eſſet B mirabile.

Confutatur hic primus modus. Sed hic primus modus reſpondendi non omnino ſatisfacit; nam quamuis hoc myſterium ſit mirabile, & incomprehenſibile, vt dicunt Patres, & Concilia allegata, hoc tantùm probat non poſſe lumine naturali euidenter cognoſci, non autem quòd non poſſint ſolui implicantiæ, quæ afferuntur ex lumine naturali in oppoſitum.

3. Secundus modus reſpondendi. Carthuſian. Auguſt. Secundus modus reſpondendi eſt aliorum apud Carthuſianum in 3. diſt. 1. q. 1. quòd hæc vnio Verbi cum humanitate potiùs eſt aſſociatio, quàm compoſitio ex Auguſt. de Eccleſ. dogm. cap. 2. aſſociatio autem poteſt fieri per mutationem, quæ ſit tantùm in vno extremo.

Confutatur. C Sed contrà, quia incarnatio non eſt aſſociatio accidentalis aut moralis, ſed ſubſtantialis, & phyſica, hæc autem habet rationem veræ compoſitionis; ſuprà enim oſtendimus ex Conciliis, Chriſtum eſſe ſubſtantiam verè compoſitam; debet ergo ſolui implicantia, quomodo poteſt hæc vnio, per quam formaliter fit hoc compoſitum ſubſtantiale eſſe, tantùm in humanitate tanquam in vno extremo.

4. Tertius modus reſpondendi. Tertius modus reſpondendi eſt aliorum apud Scot. in 3. diſtinct. 1. quòd hæc vnio eſt ratio dependentiæ, ſufficit autem, vt dependentia ſit in illo extremo, quod indiget, hoc autem eſt humanitas; ſicut dependentia creaturæ à Deo eſt ſolùm in ipſa creatura.

Confutatur. D Sed contrà, quia vel per ipſam dependentiam intelligunt productionem humanitatis, & hæc non poteſt eſſe illa vnio, de qua loquimur, tum quia hæc eſt à tota Trinitate, tum quia præter hanc dependentiam, debet dari alia dependentia à ſubſiſtentia, quæ eſt terminus humanitatis: Vel per iſtam dependentiam, intelligunt dependentiam tanquam à ſuſtentante: & hæc dependentia non ſufficit, quia præter hanc debet dari vnio, quæ habet diſtinctum conceptum à ſuſtentatione, quia vnio eſſentialiter eſt nexus, per quem tamquam per rationem formalem fit vnum ſubſtantiale compoſitum, & per hanc vnionem præciſè Chriſtus eſt ſubſtantia compoſita; ſi enim intelligeretur humanitas ſuſtentata à Deo in genere efficientis, & remaneret vnio ſub-E ſtantialis inter Verbum & humanitatem, adhuc diceretur vna ſubſtantia compoſita, quod eſt Chriſtus.

5. Quartus modus reſpondendi. Gabriel. Quartus modus reſpondendi eſt Gabrielis in 1. diſtinct. 30. quæſt. 4. quòd in naturalibus vnio dicit tantùm præſentiam localem vnitorum; ſed quia videbat ex hac doctrina ſequi, quòd Verbum eſſet ſemper vnitum cum omni natura, quia eſt indiſtans à quocumque, ideo dixit, quòd in myſterio incarnationis, quod eſt ſupernaturale, præter indiſtantiam vnitorum, requiritur quædam qualitas producta à tota Trinitate, quæ habet quandam ſpecialem

Digitized by Google

lem habitudinem ad Verbum, & per hanc dicitur humanitas vniri Verbo.

Confutatur. Sed contrà, quia hæc reſponſio quantùm ad id quòd dicit vnionem, nihil aliud eſſe quàm indiſtantiam localem, ſuprà impugnauimus in quarta diſputatione philoſophica in prima quæſtione, ex eo præcipuè quòd anima, & corpus poſſunt eſſe indiſtantia, & tamen non propterea vnirentur ſubſtantialiter, quia illa præſentia eſt accidentalis, nec per illam præſentiam compleremur anima, & corpus in ratione principij ſufficientis ad diſcurrendum per phantaſmata: & præterea duo ligna contigua habent præſentiam localem quia nihil mediat; & quamuis fortè naturaliter ſemper mediet aër, fieri tamen poteſt per diuinam potentiam, vt nihil mediet, & tamen non propterea illa duo ligna dicerentur habere vnionem continuationis, quia non copularentur vno termino communi; quantùm verò ad illam qualitatem, quàm ponit in myſterio incarnationis præter indiſtantiam, impugnatur, quia ſequeretur, quòd talis vnio eſſet accidentalis, & propterea communiter hæc opinio reiicitur à Doctoribus, vt infrà dicetur.

6. *Quintus modus reſpondendi. An detur vnio increata identificata cum Verbo?*

Quintus modus reſpondendi eſt aliquorum aſſentientium non ſolùm in humanitate eſſe intrinſecè vnionem cum Verbo, ſed etiam in ipſo Verbo eſſe intrinſecè vnionem, non quidem creatam, ſed increatam; explicari autem ſolet hæc vnio increata, dupliciter; Primò, vt hæc tantùm dicat reſpectum præciſè Verbi ad naturam creatam; ita vt ſtatim, ac fit mutatio in humanitate per vnionem ſupernaturalem creatam receptam in ipſa humanitate, illa vnio increata Verbi fiat actualis, & vniat Verbum cum humanitate; ſicut cognitio Dei ſtatim, ac res contingens fit præſens, terminatur ad illam vt præſentem. Secundo modo, vt ipſa vnio non reſpiciat præciſè naturam creatam, ſed vt dicit Caietan. 3. part. quæſt. 2. art. 3. ſit ipſa vnitas, ſeu identitas, qua Verbum vnitur cum natura diuina, & per eandem poſtea facta mutatione in natura creata vniatur natura creata cum Verbo.

Sed hic modus reſpondendi non ſatisfacit, quia, vt fuſiùs oſtendetur corollario quinto in prima dubitatione, hæc vnio creata in Verbo non poteſt eſſe primo modo, ita vt præciſè dicat reſpectum ad naturam creatam; Vnio enim, vt probatum eſt, diſput. 4. q. 1. eſt actualis, ita vt eſſentialiter conſiſtat in actuali exercitio vniendi; non poteſt igitur talis vnio eſſe in Verbo; quia ab æterno non vniebat: Nec poteſt eſſe ſecundo modo, ita vt ſit illamet vnitas, & identitas, quia Verbum vniebatur cum natura diuina; quia quicquid ſit, an poſſit eſſe actualis reſpectu naturæ diuinæ, & potentialis reſpectu naturæ creatæ, adhuc repugnat iſta vnio, ſeu vnitas in ordine ad naturam creatam; quia ex Verbo, & natura humana fit vnum compoſitum ſecundùm Concilia, & Patres, vt dicetur infrà; at verò ſi vnitas & identitas communicetur naturæ humanæ, non faceret vnum compoſitum, ſed omnino idem; hic eſt enim effectus formalis identitatis; ſicut enim facit idem cum Verbo, & natura diuina, ita etiam deberet facere vnum & idem cum natura humana, & Verbo.

7. *Sextus, & verior modus reſpondendi, ex principio philoſophico ſeu prædicamento ſubſtantiæ.*

Quare ad implicantiam reſpondetur ſextò ex principio noſtro philoſophico in prædicam. ſubſt. diſput. 4. philoſoph. quæſt. 4. vnionem ad hoc vt vniat duo extrema, ſufficere ſi ſit in vno extremo, imò ſuperuacaneum eſt, ſi ponatur in duobus extremis; Et ratio eſt, quia cùm vnio eſſentialiter ſit actualis nexus duorum, ſi intelligitur recepta in

A vno extremo, iam intelligitur vnire illud alteri extremo, ergo ex vi illius vnionis alterum extremum eſt vnitum, ſuperuacanea igitur eſt alia vnio in hoc alio extremo, quare cùm ponatur vnio in humanitate, illa eſt ſufficiens ad vniendum humanitatem cum Verbo, & Verbum cum humanitate abſque aliqua alia vnione, quæ ponatur intrinſecè in Verbo.

Præterea quidquid ſit, an in humanis inter materiam, & formam ſit duplex vnio, certum tamen eſſe debet, vt probauimus in tertia, & quarta diſputatione philoſophica, quòd inter naturam, & ſubſiſtentiam creatam, non poteſt intercedere duplex vnio, nam ſi ſubſiſtentia vt ſubſiſtentia eſt, quæcumque illa ſit, haberet vnionem dependentiæ à natura, ſequeretur quòd haberet duos modos repugnantes, eſſe ſcilicet, (In) & eſſe (Per ſe;) haberet quidem eſſe (In) quia vt ſupponitur per vnionem receptam in ſe, dependeret a natura, haberet autem etiam eſſe (per ſe,) quia ſi vt (quo) dat perſeitatem, etiam ipſa vt (quod) eſt per ſe: ſicut actio ſe ipſa fit, & quantitas ſe ipſa extenditur; Si igitur inter naturam, & ſubſiſtentiam creatam non intercedit niſi vnica vnio, quæ intrinſecè eſt in ipſa natura, multò magis hoc dici debet inter naturam humanam, & ſubſiſtentiam diuinam. 8.

Restat modò reſpondere ad argumenta ſeu rationes, quibus initio huius dubitationis probatur illa Maior ſyllogiſmi, quòd, ſcilicet, vnio neceſſariò deberet eſſe in vtroque extremo.

9. *Reſpōſio ad argumenta initiò allata. Ad primum.*

Ad primum igitur argumentum, ſeu probationem reſpondetur, quòd ſi vnio comparetur ad extrema inter ſe, non ex æquo reſpicit illa, quia in vno extremo eſt intrinſecè, in alio extrinſecè; ſi verò comparetur ad conſtitutionem vnius tertij, tunc ex æquo reſpicit illa in ordine ad cauſandum tertium, & per hæc patet ad confirmationem; Negatur enim quòd ad conſtituendum hoc tertium ſit neceſſe, vnionem modificare intrinſecè vtrumque extremum; quia cùm per vnicam vnionem, vt probatum eſt, exiſtentem intrinſecè in vno extremo, vniatur etiam alterum extremum, fit vt tam vnum extremum, quàm alterum intrinſecè concurrat ad cauſationem vnius tertij; quamuis enim alterum extremum extrinſecè vniatur cum alio extremo; non tamen propterea ſequitur, quòd non intrinſecè conſtituat tertium; Et ratio eſt, quia ſiue per vnionem intrinſecam receptam in ſe; ſiue per vnionem receptam in alio extremo, trahitur ad conſtitutionem tertij eo modo, quo ipſum eſt.

Exempli gratia, Si in homine detur vnio tantùm in materia prima, hæc vnio, vt probatum eſt in prædicamēto ſubſtantiæ diſput. quarta quæſt. quarta, ſatis eſſet ad vniendam ſibi animam, & quidem vniret ſibi animam tanquam actum, quia ſub hac ratione vnio, quæ eſt in materia, reſpicit animam, & materia vnitur vt potentia; Conſtitutum igitur, ſeu compoſitum quod reſultat, conſtat intrinſecè ex actu, & potentia, tanquam ex duabus partibus cauſantibus, ex æquo intrinſecè vt (quod;) vnio enim non ingreditur intrinſecè vt (quod) quia non eſt pars conſtituens, ſed ingreditur vt (quo) tanquam nexus: Extrema igitur ex æquo, & intrinſecè conſtituunt ſeu cauſant totum, præbendo ſe ipſa, quamuis non ex æquo habeant vnionem, quia vnum extremum vt ſupponitur, habet intrinſecam vnionem; alterum verò extrinſecè.

Ad ſecundum reſpondetur vnionem non eſſe propriè vinculum; Propriè enim vinculum intermediat, vt quod, inter duo extrema, & vnitur immediatè cum vtroque ſicut gluten. Sed vnio eſt 10. *Ad ſecundū.*

i 3 modus

modus quidam, & ratio qua duo extrema vniuntur immediatè, vt quod; ad vniendum autem hoc modo iſta duo extrema, ſatis eſt, vt vnio ſit in vno extremo, non enim poteſt intelligi quòd vnio ſit in vno extremo, & non vniat aliud, vt ſuprà probatum eſt.

11. Ad tertium. AD tertium reſpondetur quòd quando cauſa formalis eſt talis naturæ, vt per modificationem vnius extremi poſſit denominare aliud, non eſt neceſſe vt ſit intrinſecè in vtroque extremo, vt patet de relatione: nam relatio, quæ eſt tantùm intrinſecè in creatura, denominat etiam creatorem.

Ad primam confirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, negando, quòd de ratione modi ſit intrinſecè modificare extremum, quod denominat; ſed potiùs modus abſtrahit à modificare intrinſecè, & modificare extrinſecè; de ratione autem talis modi eſt, vt modificet intrinſecè tantùm vt eſt ſeſſio, non enim per ſeſſionem meam poteſt alius ſedere; at verò non ita eſt de vnione, de intrinſeco enim conceptu vnionis eſt, vt ſit in vno extremo intrinſecè, & vniat aliud extrinſecè, quia eſt eſſentialiter nexus duorum.

12. Reſpōſio ad ſecundā cōfirmationē. Ad ſecundam confirmationem de relatione, reſpondetur concedendo quòd ſi ſola relatio paternitatis eſſet in generante, & nulla alia relatio eſſet in genito, adhuc genitus denominaretur filius extrinſecè à paternitate, vel fundamentaliter. Quòd verò reſultet relatio filiationis in genito, & non vnio in forma, ex eo eſt, quia paternitas, quæ eſt in generante, non ex æquo reſpicit vtrumque extremum; nam genitum reſpicit vt terminum paternitatis; at verò vnio quæ eſt in materia, quamuis reſpiciat formam vt terminum vnionis, quia tamen tam materia, quàm forma ordinantur per vnionem ad conſtitutionem vnius tertij, ad quam materia, & forma concurrunt ex æquo, tanquam partes intrinſecæ, non eſt neceſſe, vt reſultet alia vnio in forma; ad conſtituendum enim vnum tertium ſufficit vt vnio ſit tantùm in vno extremo; per illam enim trahitur vtrumque extremum ex æquo ad conſtituendum intrinſecè tertium.

13. Ad quartū. AD quartum reſpondetur, quòd Verbum ex vno capite dicitur magis vnitum humanitati, quàm è contra; quia eſt terminus immediatus vnionis humanitatis cum ipſo; ex alio verò capite humanitas dicitur magis intrinſecè vnita Verbo, quatenus vnio eſt intrinſecè in ipſa tanquam in ſubiecto, & tanquam indigens ea vnione, vt perſonaliter terminetur; vtrumque autem extremum tam humanitas, quàm Verbum dicitur intrinſecè vnitum ad conſtitutionem tertij.

14. Ad ſimilitudinem autem allatam de duobus corporibus vnitis, reſpondetur quòd in illis corporibus, ideo vnum non eſt magis propinquum alteri, quàm alterum alteri, quia propinquitas ſumitur ex indiſtantia, quæ quidem ex æquo eſt in illis duobus corporibus, tùm quia vtrique eſt extrinſeca, tum quia reſpicit illa duo corpora ſub eadem ratione; at verò vnio inter humanitatem, & Verbum non reſpicit vtrumque extremum ex æquo, ex vno enim capite, vt dictum eſt ſuprà, humanitas debet dici magis vnita, quia ipſa ſola intrinſecè habet vnionem, ex alio capite Verbum videtur magis vnitum, quia vnitur vt terminus & actus naturæ.

15. Ad quintū. AD quintum reſpondetur concedendo Verbum per ſe ipſum terminare humanitatem, & per ſe ipſum etiam eſſe vnitum, vt (quod) non tamen hinc ſequitur per ſe ipſum eſſe vnitum, vt (quo) quia ad hoc vt ſit per ſe vnitum, vt (quod,) ſufficit vt vnio ſit recepta tantùm in humanitate, quia, vt dictum eſt, eſſentialiter illa vnio reſpicit Verbum & terminum naturæ, non poteſt igitur intelligi quòd humanitas ſit terminata per illam vnionem, & quòd Verbum non ſit vnitum vt terminus.

Multa alia ſunt quæ dici poſſunt de hac vnione hypoſtatica, ſed differuntur infrà ad proprium & commodiorem locum.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm repugnet Incarnatio Verbi ex parte humanitatis aſſumptæ.

VIDETVR Incarnatio repugnare ex parte humanitatis ex ſex capitibus. 1.

Prima implicantia. PRIMA implicãtia eſt, quia humanitas eſt natura completa, & integra; ergo non poteſt ſubſtantialiter coniungi Verbo, quia tunc non eſſet natura completa, & integra, ſed incompleta tanquam pars.

Secūda implicantia. SECVNDA implicantia, Humanitas non poteſt eſſe in potentia ad recipiendam vnionem hypoſtaticam; nam hæc vnio eſt ordinis ſupernaturalis; humanitas autem ſecundùm omnem ſuam entitatem eſt res naturalis, quia producitur actione naturali; nam materia & anima ſunt producta per creationem; vnio autem eſſentialis harum partium fit per generationem; at verò vnio hypoſtatica nullo modo poteſt attingi ab agente naturali.

Quòd ſi dicas, humanitatem eleuari ſupernaturaliter ad recipiēdam vnionem hypoſtaticam; Contrà argumentor, quia vel hæc eleuatio eſt intrinſeca per aliquod intrinſecum ſupernaturale ſuperadditum humanitati, & tunc redit eadem difficultas, quomodo, ſcilicet, poteſt hoc ſupernaturaliter recipi in potentia naturali; Vel hæc eleuatio eſt extrinſeca, per imperium diuinum, & tunc contrà; quia, quicquid ſit, an hæc potentia obedientialis repugnet potentiæ actiuæ, videtur tamen ſpecialiter repugnare potentiæ, ſeu entitati naturali receptiuæ: nam entitas receptiua ſua entitate recipit formam; ſi ergo eſt naturalis intrinſecè, cùm non mutetur intrinſecè per hoc imperium extrinſecum Dei, non poteſt per illam ſuam entitatem intrinſecam naturalem recipere formam ſupernaturalem.

Tertia implicantia. TERTIA implicantia, Sequeretur quòd natura humana violentaretur, quia careret propria ſubſiſtentia ad quam haberet appetitum; Et confirmatur, & augetur difficultas, quia in Verbo haberet eſſe (In;) at verò per propriam ſubſiſtentiam haberet eſſe (per ſe.)

Quarta implicantia. QVARTA implicantia, Non poteſt humana natura priuari propria exiſtentia; ergo nec propria ſubſiſtentia. Antecedens probatur, quia natura, & exiſtentia ſunt vna actualis entitas. Conſequentia probatur, quia ſubſiſtentia nihil aliud eſt, quàm ipſa exiſtentia per ſe.

Quinta implicantia. QVINTA implicantia, Si daretur incarnatio Verbi, ſequeretur quòd ſubſiſtentia humana conuerteretur in perſonā Verbi; nam ſubſiſtentia humana deſinit, vel potiùs non reſultat, quia ſubſiſtentia diuina ſuccedit loco ipſius. Sed quòd ſubſiſtentia humana conuertatur in perſonam Verbi, ab omnibus Theologis habetur vt abſurdum, ergo, &c.

Sexta implicantia. SEXTA implicantia, quia incarnari nihil aliud eſt quàm naturam humanam perſonari perſonalitate Verbi; Sed hoc eſt impoſſibile, nam vel perſonalitas humanitatis non diſtinguitur à parte rei ab humanitate, & tunc non poteſt aſſumi à parte rei humanitas,

Digitized by Google

humanitas, quin aſſumatur vt perſonata; hoc autem eſt impoſſibile, quia perſona eſt inaſſumptibilis, ſequeretur enim quòd eſſet vltimò terminata, & non eſſet vltimò terminata; Vel perſonalitas diſtinguitur à parte rei à natura, & tunc non poteſt dici quòd diſtinguatur vt realitas, quia tunc humanitas non haberet eſſe (per ſe) ſed potiùs eſſe (in.)

Dicendum eſt igitur, quòd diſtinguatur vt modus, & tunc vel non poteſt ſeparari à re modificata, vel ſi poteſt ſeparari, non poteſt ſuppleri, niſi per alium modum, vt patet de figura, & vbi; Quamuis enim quantitas poſſit eſſe ſine hac figura, debet tamen ſuppleri, & figurari per aliam figuram, quæ etiam ſit modus quantitatis; & quamuis corpus poſſit eſſe ſine hoc vbi, debet tamen ſuppleri per aliud vbi, quod ſit modus; Sed perſonalitas Verbi non eſt modus, ſed realitas; ergo non poteſt humanitas perſonari à Verbo.

Et confirmatur, nam ſi perſonalitas humanitatis non ſuppleretur per alium modum perſonalitatis, ſed per realitatem, ſequeretur, quòd non ſuppleretur id, quod amiſit; nam antea per modum ſuum erat per ſe, at verò quia iam aſſumitur à perſonalitate, tanquam à realitate diſtincta, non eſt per ſe, ſed potiùs in alio ad modum accidentis.

Sed his non obſtantibus dicendum eſt, non repugnare incarnationem ex parte humanitatis, quod quidem ex principio noſtro philoſophico poſito in tertia diſputatione de ſubſiſtentia, facilè deducitur, & patebit clariùs ex reſponſione ad implicantias.

2. Reſpōſio ad primam implicantiam. Ad primam igitur implicantiam reſpondetur breuiter ex diſputatione tertia philoſophica, quòd natura humana eſt integra, & completa in ratione naturæ ſubſtantialis; eſt tamen quid incompletum in ratione ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis, nam ex perſonalitate, & natura fit vnum tertium per ſe.

Inſtantia contra reſponſionem. Quòd ſi inſtes, Si natura humana in ratione ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis eſt quid incompletum, & pars; ergo deberet vniri cũ altero extremo incompleto tanquam cum comparte; at Verbum non poteſt eſſe huiuſmodi, quia in ratione ſubſiſtentis eſt vltimò completum.

Soluitur inſtantia. Ad hanc inſtantiam dicunt aliqui recentiores, quòd, quia Verbum non recipit vnionem in ſe, poteſt eſſe vltimò completum in ſe, & terminare naturam alienam.

Sed hæc reſponſio non ſoluit difficultatem, nam ſiue Verbum habeat vnionem receptam, ſiue identificatam, ſiue nullo modo habeat, ſemper componit cum natura humana ad faciendum vnum tertium, quod eſt Chriſtus. Ergo ſi natura humana eſt quid incompletum, & pars in ordine ad hoc tertium, erit etiam Verbum incompletum, & pars.

Reſpondetur igitur ad inſtantiam, quòd Verbum in ſe eſt vltimò completum, quatenus non poteſt terminari ab alio, ſicut terminatur natura, non tamen hinc ſequitur, quòd non poſſit componere tanquam terminus cum natura, imò quia eſt vltimò completum, poteſt componere vt terminus.

Inſtantia ſecunda. Quòd ſi adhuc inſtes ſecundò, Verbum venit in compoſitionem tertij, ergo vt ſic habet rationem incompleti & partis, quod dicit imperfectionem, ordinaretur enim ad aliud: Reſpondetur quòd, vt

Soluitur. diximus in priori dubitatione, Verbum non ingreditur compoſitionem vt pars propriè dicta, quia non eſt ordinatum eſſentialiter ad conſtitutionem huius tertij, nec conſequenter antequam vniretur, dicebatur priuatum hac perfectione vnionis, ſicut dicitur anima rationalis priuata, cùm eſt extra corpus ſed dicebatur negatum, quod nullam dicit imperfectionem.

Quòd ſi inſtes tertiò, Si humanitas eſt vnibilis Verbo, eſſet vnibilis tanquam forma, quia dat eſſe humanum Verbo. Implicat autem, eſſe vnibilem vt formam, quia humanitas eſt integra in ratione naturæ, ergo non poteſt eſſe forma. Et inſtatur magis, quia Verbum non eſt capax huius informationis. Reſpondetur, quòd hæc vnio non eſt tanquam ex forma, & ſubiecto, ſed tanquam ex natura, & ſuppoſito, & ideo nec repugnat ex parte humanitatis, nec ex parte Verbi; Non ex parte humanitatis, quia eſt forma totalis dando ſe ipſam Verbo, tanquam ſuppoſito, hoc autem non repugnat naturæ integræ; imò neceſſariò debet concurrere, vt ens integrum, & completum in ratione naturæ, ad hoc vt det eſſe humanum Verbo; Nec repugnat ex parte Verbi, vt aliquo modo informetur ſecundùm hoc eſſe humanum, quia Verbum non concurrit vt ſubiectum, ſed vt ſuppoſitum; quomodo autem ſuppoſitum diuinum non dicatur mutari ex eo quòd intrinſecè fiat homo, ſuprà fuſiùs in prima dubitatione explicatum eſt. Inſtatur tertiò contra eandem reſponſionem. Soluitur inſtantia.

Responsio ad ſecundam implicantiam petit illam difficultatem, Vtrùm poſſit dari potentia obedientialis. Quam difficultatem quoniam ſuprà fusè tractauimus in primo tomo in ſecundo principio Philoſophico in primo Corollario, ideo hîc prætermitto, ſolùm breuiter attingam illud, quod facit ad ſolutionem argumenti; Ad quod reſpondeo, quòd potentia, ſiue illa ſit actiua, ſiue paſſiua, quamuis ſit naturalis, in ordine ad terminos naturales, in ordine tamen ad terminos ſupernaturales, vel præter naturam, eſt ſupernaturalis incompletè, id eſt talis naturæ, quatenus ens creatum eſt, quod ſtat ſub Dei dominio, vt poſſit à Deo aſſumi ad quemcunque terminum non implicātem contradictionem; Completur autem extrinſecè in ratione ſupernaturali per imperium Diuinum, quod fuit ab æterno pro illo tempore in quo decreuit Deus aſſumere illam naturam creatam ad opus ſupernaturale; itaque intrinſecè habet vim ad opus ſupernaturale, vt ſtat ſub ordinatione diuina, & concurſu Dei ſupernaturali, qui ſimul eſt cum concurſu potentiæ creatæ ad eundem effectum, ſiue concurſus potentiæ creatæ ſit effectiuus, ſiue ſuſtentatiuus, qualis eſt potentia receptiua, de qua eſt ſermo in argumento. 3. Reſpōſio ad ſecundam implicantiam.

Ad tertiam implicantiam patet reſponſio ex his quę diximus ſuprà in principio Philoſophico diſput. tertia quæſtione quinta, vbi oſtendimus naturam non violentari cùm perſonatur aliena ſubſiſtentia perfectiori, & multò magis non violentari naturam humanam, cùm perſonatur perſona Verbi infinitè perfectè, ad quam dicit potentiam obedientialem. 4. Reſpōſio ad tertiam inſtantiam ex eodē principio.

Ad confirmationem, cùm dicitur, quòd natura humana in proprio ſuppoſito habet eſſe (Per ſe,) in ſuppoſito verò diuino habet eſſe (In,) ex quo inferunt, quòd ſemper habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, quia cùm eſt in ſuppoſito diuino, habet modum repugnantem. Reſpondent aliqui graues recentiores qui tenent ſubſiſtentiam diſtingui formaliter à natura tanquam modum rei à re, negando conſequentiam, quia quamuis (inquiunt) natura humana habeat in ſuppoſito diuino eſſe (In) & in proprio ſuppoſito eſſe (Per ſe) quia tamen vterque modus perficit naturam humanam, ideo natura humana, cùm eſt in ſuppoſito diuino, non habet appetitum ad proprium ſuppoſitum; Si verò teneatur ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura tanquam rem à re, vt nos tenuimus in diſputatione

Digitized by Google

tertia philoſophica quæſt.ſeptima faciliùs reſpondetur ad inſtantiam; Quamuis enim certum ſit ſiue teneatur ſubſiſtentiam diſtingui modaliter, ſiue realiter à natura, naturam humanam facere vnũ per ſe cũ perſonalitate Verbi, nihilominus ſi ſubſiſtẽtia diſtinguitur modaliter, tunc natura humana, cùm ſubſiſtit propria ſubſiſtentia, nullo modo habet eſſe (in) quia ſubſiſtentia ſi eſt modus, ſe ipſo vnitur cum natura; at verò ſi ſubſiſtentia diſtinguitur realiter à natura, quamuis faciat illam exiſtere ſeorſim à quocumque alio, vt infrà probabitur in ſeptimo corollario, vnitur tamen cum natura non ſe ipſa, ſed per vnionem diſtinctam, ac proinde eſt aliqua affinitas inter naturam perſonatam propria perſonalitate, & perſonatam aliena, nam vtrobique intercedit vnio, & vtrobique natura innititur ſuppoſito, ac proinde natura humana vnita Verbo non videtur habere modum omnino repugnantem cum modo, quo eſt in proprio ſuppoſito.

5. Reſpõſio ad quartã implicantiam.

Ad quartam implicantiam reſpondent aliqui graues recentiores concedendo antecedens, non poſſe, ſcilicet naturam humanam priuari propria exiſtentia, & exiſtere per alienam; negant tamen conſequentiam, quòd, ſcilicet, non poſſit priuari propria ſubſiſtentia, & ſubſiſtere per alienam; Et rationem diſparitatis aſſignant, quia eſſentia, inquiunt, ſit actualis entitas, etiam in ratione eſſentiæ per exiſtentiam; tenent enim, vt vidimus ſuprà in prædicamento ſubſtantiæ, diſputatione prima, quæſtione prima, eſſentias rerum non habere eſſe eſſentiæ ante exiſtentiam, niſi potentiale in cauſa; non ergo poteſt actualis entitas ſpoliari propria exiſtentia; at verò ſubſiſtentia eſt modus ſuperadditus.

Sed mihi videtur poſſe negari antecedens, & conſequentiam: Conſequentiam quidem, quia ſubſiſtentia non ſolùm eſt modus ſuperadditus naturæ exiſtenti, ſed etiam realitas diſtincta, vt probauimus ſuprà in tertia diſputatione Philoſophica. Antecedens verò etiam negatur, quia ex ſecunda diſputatione Philoſophica, exiſtentia eſt modus ſuperadditus eſſentiæ, eſſentia enim habet ſuum eſſe eſſentiæ actuale ab æterno, vt in prima diſputatione Philoſophica probatum eſt; quare exiſtentia aduenienſ illi in tempore, aduenit tanquam modus ſeparabilis; Ex hoc igitur capite non repugnat humanitatem aſſumi à Verbo, etiamſi concederetur, ſubſiſtentiam eſſe ipſam exiſtentiam per ſe; poteſt enim natura humana exiſtere exiſtentia Verbi, vt ſuo loco oſtendetur.

6. Reſpõſio ad quintam.

Ad quintam implicantiam reſpondetur, quòd ad hoc vt aliquid dicatur conuerti in aliud, tanquam in terminum, debet terminus mutari, ſicut patet in conuerſionibus naturalibus, & etiam in corpore Chriſti, in quod conuertitur panis; at Verbum, vt probatum eſt, nullo modo mutatur; non igitur ſubſiſtẽtia humana poteſt dici cõuerſa in perſonã Verbi. Adde quòd ſubſiſtentia humana non deficit ex vi conuerſionis, quia nunquam extitit, & hoc etiam fortè requiritur ad veram conuerſionem.

7. Prima reſponſio ad ſextam implicantiam.

Responsio ad ſextam implicantiam petit illam difficultatem, quo modo ſuppoſitum diſtinguatur à natura, quam fusè examinauimus in diſputatione tertia Philoſophica, quæſtione ſeptima, & iuxta varias opiniones de diſtinctione, ſunt etiam varij modi reſpondendi. Nam qui tenent, vt Erucus quodlib.3.quæſt.6. & Ocham in 3.q.1. ſuppoſitum creatum non diſtingui à natura à parte rei, magnam habent difficultatem in ſoluendo argumentum, ſeu implicantiam: quomodo enim natura humana potuit à parte rei aſſumi à Verbo, & non perſona, ſi natura, & perſona à parte rei ſunt vna ſimplex entitas. Reſpondent tamen, quòd quando ſimplex entitas fundamentaliter eſt conceptibilis, & multiplex, non impedit, quin à parte rei vnus conceptus communicetur, & non alius; Et afferunt duo exempla in diuinis. Sicut, (inquiunt) Paternitas, & eſſentia diuina ſunt vna entitas ſimplex à parte rei, & tamen à parte rei Pater communicat totam eſſentiam Filio, & non communicat Paternitatem. Secundum exemplum eſt in incarnatione Verbi, nam Verbum (inquiunt) & eſſentia diuina ſunt vna ſimplex entitas, & tamen Verbum eſt incarnatum, & non eſſentia diuina.

Eru. Ochã.

8. Confutatur hæc prima reſponſio.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſimplex entitas quamuis ſit fundamentaliter conceptibilis, & multiplex, quia tamen à parte rei eſt vna ſimplex, & non diſtinguibilis, ſi communicatur à parte rei, neceſſariò communicatur ſecundùm ſe totam identicè ſaltem & mediatè; at verò non poteſt dici, quòd ſubſiſtentia humana identicè ſaltem & mediatè fuerit aſſumpta à Verbo. Quare ad primum exemplum reſpondetur, quòd cùm Pater communicat eſſentiam Filio, cõmunicat etiam identicè paternitatem, quamuis illam non communicet formaliter, vt diximus in priori tomo. At verò perſona humana nec identicè fuit aſſumpta à Verbo. Ad ſecundum exemplum dicitur, quòd eſſentia diuina ſaltem mediatè dicitur incarnata; at verò perſona humana nec mediatè dicitur aſſumpta à Verbo.

Secunda reſponſio.

Qui verò tenent ſuppoſitum creatum diſtingui à parte rei formaliter à natura, minorem quidem habent difficultatem in ſoluendo argumentum factum, quia facilè ſaluant, quo modo fuerit aſſumpta à Verbo natura humana, & non perſona.

Confutatur.

Sed adhuc remanet illis alia difficultas ſoluenda, tacta in argumento, quòd ſcilicet, ſubſiſtentia humana cùm ſit modus, non videtur poſſe ſuppleri niſi per modum, ſicut figura non poteſt ſuppleri niſi per figuram quæ eſt modus. Et confirmatur, quia natura humana per propriam perſonalitatem, tanquam per modum ſuum ſubſiſtit in ſe & per ſe, at per ſubſiſtentiam Verbi ſubſiſtit in alio, & ſic variatur modus ſubſiſtendi.

Verior reſponſio.

Quare faciliùs reſpondetur ad argumentum, ſi dicatur ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura, tanquam rem à re; ſicut nos tenuimus in diſputatione tertia Philoſophica quæſt. ſeptima; tunc enim facilè intelligitur quomodo aſſumi potuit natura non aſſumpta perſonalitate humana, & quomodo poterit ſubſiſtentia creata realiter diſtincta à natura ſuppleri per ſubſiſtentiam Verbi, quæ etiam eſt realitas diſtincta à natura humana.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO SECVNDA THEOLOGICA CIRCA SECVNDVM COROLLARIVM,

De cognoſcibilitate Incarnationis.

De hac materia S. Thom. in 3. diſtinct. prima quæſt. prima art. 1.

HÆc quæſtio conſequitur ad ſuperiorem, oſtenſum eſt enim ſuprà in hoc myſterio incarnationis nullam videri contradictionem, ſed poſſe ſolui ex principio philoſophico omnes implicationes, quæ afferuntur. Vnde poſſet dubitari, an ſaltem ab Angelo poſſit euidenter cognoſci poſſibilitas huius myſterij; quamuis enim aliud ſit nullam videri contradictionem in hoc myſterio, aliud videri poſitiuè nullam eſſe contradictionem, quia ad hoc ſecundum requiritur, vt Angelo eſſent nota omnia principia, etiam ſupernaturalia, tamen hæc duo habent magnam affinitatem: Ad huius igitur rei intelligentiam mouetur hæc quæſtio. Quoniam autem multas inuoluit difficultates, vt diſtinctè procedatur, diuidimus illam in quatuor dubitationes.

I. *An exiſtentia Incarnationis poſſit naturaliter euidenter cognoſci.*
II. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci euidenter naturaliter.*
III. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci naturaliter probabiliter.*
IV. *Vtrùm ipſa exiſtentia Incarnationis poſſit cognoſci lumine naturali probabiliter.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm exiſtentia Incarnationis poſſit cognoſci naturaliter euidenter.

1. Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.

QVOAD primam dubitationem, ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia Angelus euidenter cognoſcit in Chriſto non eſſe ſubſiſtentiam creatam; hæc enim negatio eſt ordinis naturalis, quia opponitur ſubſiſtentiæ, quæ eſt naturalis; ergo euidenter cognoſcit naturam humanam in Chriſto ſubſiſtere, per ſubſiſtentiam increatam, quia naturaliter cognoſcit, non poſſe naturam humanam exiſtere ſine ſubſiſtentia, & euidenter cognoſcit, non ſubſiſtere ſubſiſtentia creata, ergo increata.

2. Vnica concluſio negatiua. S. Thom. Probatur primò ratione.

HIS tamen non obſtantibus, reſpondetur ad dubitationem VNICA concluſione negatiua cum S. Thoma in 3. diſtinct. 1. q. 1. art. 2. & cum communi Doctorum ibidem.

Ratio eſt, quia exiſtentia incarnationis nec intuitiuè, nec abſtractiuè eſt cognoſcibilis naturaliter. Non intuitiuè, quia non poteſt dari ſpecies naturalis, quæ repræſentet exiſtentiam incarnationis, cùm hæc ſit ordinis ſupernaturalis; Non abſtractiuè, quia non eſt cognoſcibilis per aliquem effectum, qui ſit proprius incarnationis; nam ſi aliquis eſſet effectus, eſſent miracula Chriſti; hæc autem non oſtendunt euidenter incarnationem Verbi, quia potuiſſent fieri ab alio Propheta, niſi acceſſiſſet conteſtatio ipſius Chriſti, quòd illa miracula faciebat ad oſtendendum ſe eſſe Filium Dei.

2. Secùdò probatur ex Scripturis.

Secundò probatur ex Scripturis, in quibus habetur, myſterium Incarnationis eſſe ſecretum Dei. Ioannis 1. hoc myſterium numeratur inter ſecreta Dei. *Vnigenitus*, inquit, *qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit.* Per hunc autem ſinum intelligitur ſecretum Dei & ex Ambroſ. de benedict. Patriarchatum cap. 10. Et Paulus 1. ad Timotheum 3. appellat hoc myſterium *magnum ſacramentum, quod* (inquit) *apparuit Angelis*, ac ſi diceret, quod apparuit ſupra eorum naturam. Præterea patet ex prima ad Corinth. 2. vbi dicitur quòd ea, quæ habentur per gratiam, eiuſmodi eſt beneficium incarnationis, non poſſunt cognoſci, niſi per ſpiritum Dei. *Quæ ſunt* (inquit) *Dei, nemo nouit, niſi ſpiritus Dei; nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Præterea ad Epheſ. 5. ad Coloſſ. 1. *Myſterium*, inquit, *hoc eſt abſconditum à ſæculis*, vbi eſt ſermo de exiſtentia incarnationis, & gratiarum diſtributione.

Ioann 1. Ambroſ. Ad Tim. Ad Corint. Ad Epheſ. Ad Coloſſ.

3. Tertiò probatur ex Patribus.

Tertiò probatur ex Patribus, & primò hoc habet Dionyſ. cap. 2. de Diuinis nominibus, vbi expreſsè dicit intelligentia incarnationis priuari etiam ipſos Angelos. & 7. de Cœleſti Hierarchia dicit, inferiores Angelos cognoſcere hoc myſterium incarnationis à ſuperioribus. Et Cyrillus Alexandrinus lib. de incarnat. cap. 7. Hilarius 4. de Trinitate, vbi ad hoc propoſitum explicat illud Ioannis 1. *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Et Ambroſ. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. Et Chryſoſt. ſerm. de ſancto Ioanne Baptiſta.

Cyrillus Alexandr. Hilar. Ambroſ. Chryſoſt. Tolet.

Vltimò ſolet probari ex Toletano XI. in confeſſione fidei, vbi dicitur, quòd ſi hoc myſterium ratione colligeretur, non eſſet mirabile; ſi exemplo, non eſſet ſingulare. Sed hæc vltima probatio nulla eſt;

eſt; nam ibi eſt ſermo de partu Virginis, vt patet legenti, ſed poteſt ſumi argumentum à ſimili ſeu à minori ad maius.

4. Reſpõſio ad ratione dubitandi. AD rationem dubitandi initiò poſitam reſpondetur, & quidem qui tenent negationem non cognoſci ab Angelo poſitiuè proprio, & quidditatiuo conceptu, facilè reſpondent ad rationem dubitandi; quòd quamuis Angelus videat ſe non videre ſubſiſtentiam creatam, non tamen poteſt hinc certò colligere, quòd ibi non ſit ſubſiſtentia creata, quia poſſet arguere, quòd impediatur à Deo, ne videat ſubſiſtentiam creatam.

QVI verò tenent negationem formæ naturalis cognoſci ab Angelo poſitiuè, proprio, & quidditatiuo conceptu, quia huiuſmodi negatio eſt intra latitudinem intellectus creati, maiorem habent difficultatem, nam euidenter cognoſcunt ibi non eſſe ſubſiſtentiam creatam, vident enim poſitiuè, & proprio conceptu negationem ſubſiſtentiæ creatæ.

Reſpondere tamen poſſent ad argumentum ex noſtro principio philoſophico, quòd adhuc non videt Angelus, an illa natura humana in Chriſto ſubſiſtat ſubſiſtentia increata, quia poſſet dubitare an conſeruetur nouo influxu à Deo, tanquam ab efficiente. Quòd autem hoc modo conſeruari poſſit natura humana, probauimus in tertia diſputatione philoſophica quæſtione tertia vbi probauimus cum Caier. in 3. p. q. 4. art. 2. contra Capreolum in 3. & Fonſecam lib. 5. cap. 8. q. 6. & Suarium in Metaph. diſput. 34. ſect. 6. nullam dicere implicantiam, poſſe ſcilicet dependentiam naturæ à propria ſubſiſtentia tanquam à cauſa formali ſuppleri à Deo in genere cauſæ efficientis; nam hic effectus dependentiæ, non eſt primarius effectus ſubſiſtentiæ, ſed ſecundarius; effectus enim primarius eſt facere vnum ſuppoſitum per ſe cum natura.

Quòd autem ſuppoſitum ſuſtentet naturam, eſt ſecundarius effectus, quod patet ex eo, quia non reperitur in Deo, cùm tamen in Deo ſit verè ſuppoſitum; effectus autem ſecundarius poteſt ſuppleri à Deo in genere cauſæ efficientis, ſicut Deus poteſt conſeruare materiam ſine forma, quamuis depẽdeat à forma in ſuo eſſe ſecundùm Thomiſtas tanquam à cauſa formali; & præterea ſupplere poteſt concurſum ſubſtantiuum materiæ, qui eſt effectus ſecundarius, effectus enim primarius eſt facere vnum cum forma.

Quòd ſi quæras quomodo in hoc caſu natura eſſet terminata, cùm careat ſubſiſtentia propria, & ſubſiſtentia aliena, reſpondeo quòd diceretur terminata negatiuè, ſicut linea ſi non eſſet terminata puncto poſitiuo, eſſet terminata negatiuè per negationem vlterioris protenſionis.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci euidenter naturaliter.

1. Prima ratio dubitandi pro parte affirmatiua. PRIMA ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia nihil obſtat, quin Angelus cognoſcat naturaliter tum ex parte diuinæ perſonæ, tum ex parte humanitatis, incarnationem eſſe poſſibilem. Non obſtat ex primo capite, ſcilicet, ex parte diuinæ perſonæ, quia naturaliter cognoſcit Angelus, potentiam Dei eſſe infinitam, non ſolùm in ratione efficiendi, ſed etiam in ratione terminandi, & præterea cognoſcit ipſum terminare non dicere aliquam imperfectionem in Deo, nam ex duobus capitibus poſſet oriri hæc imperfectio, vel ex eo, quia Deus suppleret vices perſonalitatis creatæ; vel ex eo, quia perſonalitas Dei ſuſtentaret humanitatem.

A

Sed nullo ex his capitibus terminare dicit imperfectionem. Non ex primo, quia potentia actiua Dei ſupplet vices cauſæ efficientis creatæ ſine vlla imperfectione. Non ex ſecundo quia ſuſtentare, vt ſic, non dicit imperfectionem, vt bene probat Baſſolus in 3. diſtinct. 1. q. 1. nam in ſubſtantia ſuſtentare accidentia dicit perfectionem, ſolùm autem dicit imperfectionem, quatenus connotat receptionem, & mutationem; Sed huiuſmodi imperfectiones non ſunt in perſona diuina ſuſtentante naturam humanam, vt ſuprà probatum eſt in primo coroll. Præterea nihil obſtat ex ſecundo capite, ſcilicet ex parte humanitatis, quin Angelus videat poſſibilitatem incarnationis, quia ſi quid obſtaret, illud eſſet ſi ſubſiſtentia humana non poſſet ſeparari à natura, ſed hæc non obſtat, quia Angelus euidenter cognoſcit, ſubſiſtentiam creatam, eſſe diſtinctam à parte rei à natura, quod nos ſuprà probauimus in diſput. 3. philoſophica q. 3. euidenter igitur cognoſcit ſubſiſtentiam eſſe ſeparabilem. Baſſ.

B

Secunda ratio dubitandi, quia nihil obſtat ad cognitionem naturalem, quòd hoc opus incarnationis ſit ſupranaturale, nam multa alia ſupernaturalia cognoſcuntur naturaliter ab Angelo, ſicut reſurrectio, & modus, quo accidens conſeruari poteſt ſine ſubiecto; Omitto alia argumenta, quæ parui ſunt momenti, & habentur paſſim apud Scotum in ſuo quodlibeto q. 19. art. 2. & apud Baſſol. in 3. diſt. 1. q. 1. 2. Secunda ratio dubitandi. Scot. Baſſ.

C

HIS tamen non obſtantibus reſpondendum eſt ad dubitationem VNICA concluſione negatiua cum communi Scholaſticorum in 3. diſtinct. 1. 3. Vnica concluſio negatiua. Scholaſt.

Adduci ſolent ad hoc probandum multa loca ex Scripturis. Iſaiæ 9. vbi dicitur hoc myſterium eſſe ***magnum conſilium***, & Iſaiæ 12. dicitur eſſe ***adinuentio Dei***, & ad Epheſ. 3. ***myſterium inueſtigabile***, & ad Coloſſ. 1 ***myſterium abſconditum à ſæculis***, & alia huiuſmodi; hæc tamen loca non multùm probant, quia videntur loqui de exiſtentia incarnationis. Probatur primò authoritate. Iſai. 9. & 12.

D

Præterea ad idem probandum ſolent adduci multi Patres: Sed neque authoritas iſtorum multùm probat, quia, vt viſum eſt in ſuperiori dubitatione, loquuntur de exiſtentia incarnationis; Solùm inter Patres Ambroſ. 2. ad Corint. 2. innuit impoſſibilitatem, cùm inquit, hoc myſterium non eſſe humana ratione poſſibile, & Cyrill. epiſtola ad Neſtorium, & Dionyſius de diuinis nominibus, lib. 3. cap. 1. qui docent, hoc myſterium eſſe ſupra omnem captum.

Secundò probatur ratione. Ratio autem fundamentalis eſt, quia incarnatio ſecundùm eſſentiam, & ſubſtantiam ſuam eſt ſupernaturalis, ergo non poteſt cognoſci per lumen naturale. Probatur conſequentia, quia ſi ſecundùm eſſe eſt ens ſupernaturale, ergo ſecundùm cognoſcibilitatem erit ſupernaturale, quia cognoſcibilitas eſt paſſio conſequens naturam rei, & præterea ſi obiectum eſt ſupernaturale, non poteſt dari ſpecies quæ repræſentet naturaliter. Probatur Antecedens, tum quia hoc myſterium incarnationis eſſe ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale, ſupponitur à ſcholaſticis tanquam certum, tum quia vnio eſt ſupranaturalis. 4. Secũdò probatur ratione.

E

Sed certè difficultas eſt in aſſignanda ratione quare vnio ſit ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiã; Et ratio difficultatis eſt, quia quæ ſunt ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalia, debent participare aliquo modo proprium modum eſſendi in Deo, vt fusè probauimus in priori tomo in primo principio philoſophico 5. An vnio hypoſtatica ſit ſupernaturalis.

Digitized by Google

philoſophico, in Corollario ſecundo. Exempli gratia, Viſio beatificata dicitur ordinis ſupernaturalis, quia per illam videtur Deus, qui eſt actus purus in ſe ipſo, & non per aliquod medium creatum, vt prius cognitum: hic autem modus videndi eſt proprius Dei. At verò non videtur, quòd modus vnionis Verbi cum natura humana ſit proprius Dei, hic enim modus vniendi reperitur tantùm in creatura; In Deo autem non repetitur vnio, ſed identitas; Ergo vnio non videtur pertinere ad ordinem diuinum.

Sed hoc non obſtante dicendum eſt, humanitatis vnionem cum Verbo eſſe ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalem, quia participat proprium modum eſſendi in Deo; nam ſicut natura diuina à ſola perſonalitate diuina immediatè terminatur; ita natura humana à ſola etiam perſonalitate diuina immediatè, (vt quod,) terminatur mediante vnione, (vt quo.)

Quòd autem natura diuina terminetur identicè, non autem natura humana, ſed per vnionem ſuperadditam, hoc nihil obſtat, quin vnio humanitatis cum Verbo participet proprium modum eſſendi in Deo; Sufficit enim quòd per hanc vnionem, tanquam per rationem formalem humanitas terminetur à perſonalitate Verbi immediatè (vt quod) ſicut terminatur ab eadem perſonalitate Verbi immediatè (vt quod) ipſa natura diuina, quamuis vnio, mediante qua terminatur humanitas à perſonalitate Verbi, ſit quid creatum, & diſtinctum ab vtroque extremo, natura autem diuina identicè terminetur, ſicut à pari viſio beatifica creata, quamuis non ſit infinita, & incomprehenſiua, ſicut eſt in Deo; eſt tamen intra quaſi latitudinem genericam viſionis increatæ, vt dictum eſt; quia ſicut per viſionem increatam attingitur Deus vt eſt in ſe ipſo, tanquam (vt quod) ita etiam per viſionem creatam attingitur ipſe Deus tanquam obiectum (vt quod) vt eſt in ſe ipſo. Imò hæc vnio eſt in ſuperiori ordine ſupernaturali, quàm ſit viſio beatifica, quia in viſione beatifica Deus tanquam obiectum non redundat in actum viſionis ſecundùm ſe totum, ſed attemperatur actui iuxta tendentiam actus. At verò tota dignitas perſonæ diuinæ redundat in naturam humanam moraliter, quia ſe immediatè communicat naturæ, & mediatè actui; Vnde quilibet actus Chriſti, quamuis remiſſus, eſt infinitè meritorius, vt diximus in priori Tomo in primo principio Philoſophico Corol. 18.

6. Quòd ſi dicas, quamuis incarnatio non poſſit cognoſci ab Angelo proprio conceptu per propriam ſpeciem, poteſt tamen cognoſci naturaliter, per cognitionem ſcilicet extremorum, quia ab Angelo poteſt perfectè comprehendi vnum extremum, quod eſt natura humana ſecundùm omnes ipſius modos connaturales; poteſt etiam cognoſcere aliud extremum, quod eſt potentia infinita Dei in terminando, & quòd hoc nullam dicat imperfectionem in Deo, quia naturaliter cognoſcit illam eſſe infinitam in terminando; Reſpondetur, quòd neque etiam hoc modo poteſt euidenter cognoſcere, vt mox dicetur in reſponſione ad primam rationem dubitandi.

7. *Reſponſio ad primam rationem dubitandi.* Ad primam rationem dubitandi reſpondetur, Angelum non poſſe euidenter cognoſcere myſterium incarnationis, nec ex parte diuinæ potētiæ, nec ex parte humanitatis. Non ex parte diuinæ potentiæ, quia, vt aliqui dicunt, quamuis Angelus cognoſcat potentiam Dei eſſe infinitam in terminando, non tamē hinc colligere poteſt poſſe terminare naturam alienam, quia poſſet dici, quòd illa potentia

A terminatiua infinita eſt adæquata naturæ diuinæ, quæ etiam eſt infinita, atque adeò exhauritur terminatione infinita.

Sed hæc ratio meo iudicio non conuincit, quia non requiritur maior vis intenſiua ad terminandum naturam diuinam, & humanam ſimul, ſed tantùm extenſiua, ſicut potentia infinita productiua in Deo non exhauritur ex productione perſonarum diuinarum, ſed extendi poteſt ad productionem creaturarum, quod quidem multò magis dici debet de potentia terminatiua, quia per illam perſona diuina dat ſe ipſam ad modum formæ, quare aliter probandum eſt.

B Dico igitur, quòd quamuis Angelus cognoſcat potentiam Dei effectiuam, & terminatiuā eſſe infinitam, non tamen illam cognoſcit in ordine ad opera ſupernaturalia, quia non poteſt euidenter cognoſcere, an dicat imperfectionem, quòd Verbum veniat in compoſitionem cum creatura, quare neque poteſt euidenter cognoſcere, quòd Deus poſſit operari hoc myſterium, vel efficienter, vel terminatiuè.

Quòd verò nec ex parte humanitatis poſſit Angelus cognoſcere euidenter hoc myſterium, probatur; quia quamuis concedatur, quòd Angelus cognoſcat humanitatem perfectè, & illam comprehendat, non tamen comprehendit illam ſecundùm C potentiam obedientialem, ſed tantùm ſecundùm potentiam naturalem; vnde non poteſt euidenter cognoſcere an illa humanitas poſſit vniri hypoſtaticè Verbo, quia hæc vnio cùm ſit ſupra naturam, eſt ſecundùm potentiam obedientialem in humanitate.

Ad ſecundam rationem dubitandi reſpondetur, reſurrectionem poſſe cognoſci ab Angelo, quia non eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, ſed in fieri, ſicut eſt illuminatio cæci. 8. *Reſponſio ad ſecundā rationē dubitandi.*

De modo verò exiſtendi accidentium, ſine ſubiecto, maior eſt difficultas an poſſit ab Angelo cognoſci; nam qui tenent accidens non conſeruari à Deo ſine ſubiecto tanquam à cauſa efficiente, ſed communicari accidenti modum perſeitatis, dicunt D hunc modum eſſe ſupernaturalem, etiam ſecundùm ſubſtantiam, quia nulli ſubiecto poteſt competere connaturaliter. Non quidem ſubſtantiæ, quia hic modus, quamuis eſſet ſimilis modo ſubſtantiali, eſſet tamen accidentalis, quia accidens non eſt capax modi ſubſtantialis; neque hic modus eſſet connaturalis accidenti, quia modus connaturalis accidentis eſt eſſendi in ſubiecto.

Sed quidquid ſit de hac difficultate, ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd ſi hic modus eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, non poteſt ab Angelo cognoſci naturaliter; ſi verò eſt tantùm ſupernaturalis in fieri, tunc cognoſcetur quidem ab Angelo; Sed nihil contra nos, quia incarnationem dici- E mus eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, & conſequenter, vt probatum eſt, non eſſe cognoſcibilem ab Angelo naturaliter.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm poſſibilitas incarnationis poſſit cognoſci naturaliter probabiliter.

Hæc dubitatio poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, an ſuppoſita reuelatione incarnationis, poſſint inueniri rationes probabiles naturales ad illam confirmandam, & iuxta 1. *Senſus dubitationis.*

Digitized by Google

& iuxta hunc ſenſum communiter à Scholaſticis in 3. diſtinct. 1 quæſt. 1. reſpondetur affirmatiuè.

Secundus ſenſus eſt, an cognita priùs per reuelationem ipſa incarnatione, poſſit lumen naturale via inuentionis probare poſſibilitatem incarnationis ſaltem probabiliter; & iuxta hunc ſenſum eſt præſens difficultas.

Aliqui recentiores tenent partem negatiuam, & addunt, quòd ſi Angelo proponeretur hoc myſterium, tunc vel Angelus in neutram partem inclinaret aſſenſum, vel ſi cogeretur inclinare in vnam partem, potiùs inclinaret iudicando hoc myſterium eſſe impoſſibile, quàm probabiliter iudicando eſſe poſſibile.

Probant primò ex Scripturis. Ad Epheſ. 3. dicitur hoc myſterium *inueſtigabile*, Iſaiæ 12. dicitur *adinuentio Dei*.

Ambroſ. Secundò probant ex Patribus ex Ambroſio 2. ad Corinth. 2. vbi dicit hoc myſterium non eſſe humana ratione poſſibile. Damaſcenus lib. 3. cap. 1. & Cyrillus epiſt. ad Neſtorium dicunt hoc myſterium eſſe ſupra cogitationem intellectus creati. Damaſcen. Cyril.

Tertiò probant ratione, quia ex principiis naturæ videtur potiùs colligi oppoſitum; nam primò natura humana ſubſiſtit in ſe, & per ſe. At verò ſi daretur Incarnatio, natura humana haberet oppoſitum modum exiſtendi, tum quia exiſteret in alio, & inniteretur alteri, tum quia ſubſiſtentia creata eſſet modus; at ſubſiſtentia diuina non modificaret.

2. Vnica concluſio. Dur. Scotus. S. Thomas. His tamen non obſtantibus reſpondetur affirmatiuè Vnica concluſione. Et hęc videtur eſſe ſententia Durandi, Scoti, & aliorum in 3. diſtinct. 1. & S. Thom. 3. p. q. 1.

Probatur primò. Probatur ex oppoſito principio; nam nos ſuprà in principio Philoſophico, dubitatione 3. punct. 10. oſtendimus ſubſiſtentiam creatam non eſſe modum, ſed realitatem diſtinctam à natura, & conſequenter naturā inniti ſuo ſuppoſito, ex quo probabiliter poteſt inferri, quòd poſſibile ſit naturam humanam poſſe inniti etiam ſuppoſito alieno, præſertim diuino, quod habet infinitam virtutem in ratione terminandi, nec opus eſt vt ſuppoſitum diuinum modificet naturam humanam, quia nec in rebus creatis, vt dictum eſt, ſuppoſitum eſt modus, ſed realitas, nec opus eſt, vt ſit vnio recepta in ſuppoſito diuino, quia in quarta dubitatione Philoſophica oſtendimus, etiam in rebus creatis vnionem eſſe tantùm in vno extremo: nec aliunde videt vllam implicantiam, vt probauimus ſuprà; ergo poteſt inferri probabiliter ſaltem ab Angelo, quòd hoc myſterium ſit poſſibile.

3. Secũdò probatur. Secundò probatur, quia hoc myſterium poſſet intellectus creatus probabiliter cognoſcere ex vnione animæ cum corpore, per quam anima ſpiritualis vnitur corpori, & præſertim in opinione noſtra, ſecundùm quam tenuimus in quarta diſputatione Philoſophica, quæſt. quarta, in homine eſſe tantùm vnam vnionem, per quam & anima vnitur corpori, & corpus animæ, & fit vnum per ſe ex rebus maximè diſtantibus. Vnde etiam poteſt colligi, quòd Verbum quamuis maximè diſtet ab humanitate, poteſt vniri humanitati per eandem vnionem, quæ eſt in humanitate, & facere vnum per ſe cum illa; & hac ſimilitudine ſæpius vtuntur ſancti Patres, Athanaſius in ſymbolo, Leo epiſt. 11. Synodus Alexandrina in epiſtol. ad Neſtorium. Athan. Leo.

4. Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur. Ad primum ex Scripturis, quòd Scripturæ allatæ intelliguntur de exiſtentia Incarnationis.

Ad ſecundum ex Patribus reſpondetur, vel in-

A telligendos eſſe de cognitione euidenti, vel de exiſtentia Incarnationis.

Ad tertium reſpondetur ex dictis, quòd ratio naturalis potius ſuadet oppoſitum, quia natura humana in Verbo non habet oppoſitum modum; ſicut enim habet eſſe, In, per innitentiam in proprio ſuppoſito, ita habet eſſe, In, per innitentiam in Verbi ſuppoſito, nec opus eſt vt Verbum modificet, quia nec in rebus creatis ſubſiſtentia eſt modus, vt probatum eſt.

QVARTA DVBITATIO.

B. *Vtrùm ſuppoſita poſſibilitate Incarnationis cognita, ſaltem probabiliter poſſit lumine naturali probabiliter cognoſci ipſa exiſtentia Incarnationis.*

Ratio dubitandi pro parte affirmatiua colligitur ex ratione quam affert S. Thomas 3. p. q. 1. art. 1. Quia actus communicandi ſe eſt conueniens bono vt bonum eſt: Sed communicatio per Incarnationem eſt ſumma communicatio, ergo per lumen naturale cognoſci poteſt quòd eſt conueniens ſummo bono, quod eſt Deus; ergo ſaltem probabiliter cognoſci poteſt lumine naturali quòd actu ſit facta iſta communicatio. 1. Ratio dubitãdi pro parte affirmatiua. S. Thom.

Maior eſt communiter recepta, & probari poteſt,
C quia de natura boni vt bonum eſt, eſt vt ab aliis appetatur; hic autem appetitus inanis eſſet, niſi fundaretur in ipſa natura boni ſecundùm ſe communicatiui.

Minor probatur, quia per hanc communicationem incarnationis Deus vnitur creaturæ immediatè & intrinſecè; in aliis autem effectibus ſiue naturæ ſiue gratiæ communicatur extrinſecè, & mediatè, vel vt obiectum, ſicut in viſione, vel vt cauſa, vt in creatione.

Prima conſequentia probatur, quia Deus cùm ſit ſummum bonum, eſt ſecundùm naturam ipſius, & ſecundùm inclinationem ſummæ bonitatis, ſe ſummè communicare non ſolùm efficienter, ſed
D etiam quaſi formaliter per intrinſecam coniunctionem ſe communicando perſonaliter; ſicut enim ratiocinari eſt proprius actus naturæ rationalis, & reducitur ad quartum modum dicendi per ſe, ita ſe ſummè communicare eſt actus ſummæ bonitatis, & reducitur ad quartum modum dicendi per ſe, conſequitur enim eſſentialem inclinationem ipſius ſummæ bonitatis.

Vltima conſequentia probatur, quia hic actus ſe ſummè communicandi per Incarnationem, eſt proprius Dei, quare quamuis non ſit neceſſarius, poteſt tamen probabiliter ex eo inferri, quòd liberè ſit in Deo talis actus ſe ſummè communicandi à parte rei, quia videtur hoc ſpectare ad bonitatem ipſius, præ-
E ſertim cùm videamus ſe liberè communicaſſe per efficientiam extrinſecè & mediatè.

His tamen non obſtantibus reſpondetur Vnica concluſione, quòd etiam ſuppoſita cognitione probabili de poſſibilitate Incarnationis, non poteſt intellectus creatus probabiliter deuenire ad cognitionem exiſtentiæ Incarnationis. 2. Vnica concluſio.

Probatur primò, ex Scripturis. Iſ. 12. hoc myſterium Incarnationis dicitur *adinuentio Dei*, ergo non poteſt intellectus creatus via inuentionis ad illud peruenire, Et Iſa. 9. dicitur hoc myſterium *magnum* Dei *conſilium*, ſic enim legunt Septuaginta, quem locum Athan. de Beatit. Filij, Hilar. 4. de Trinit. & Tertull. de carne Chriſti, interpretantur de exiſten- Probatur primò ex ſcripturis. Iſaias c. 12. & 9. Atha. Hil. Tertullian.

Ephеſ. 3. 1.Tim.3. exiſtentia Incarnationis. Et ad Epheſ. 3. dicitur *inueſtigabile*: & 1.ad Timoth.3.dicitur *magnum Sacramentum*.

Probatur ſecundò ex Patribus, qui communiter dicunt hoc myſterium eſſe admirabile, & ſupra captum intellectus creati: Solet citari locus ſecundæ ad Corinth. 2. ſed in hoc loco videtur negari euidens cognitio, non de exiſtentia, ſed de poſſibilitate Incarnationis: Clarior locus eſt 1.ad Corinth. 2. vbi dicitur quòd nec in cor hominum aſcendit, Deum fieri hominem. Auguſt. Nazianz. Auguſt. epiſt. 3. Nazianz. epiſt. 2.ad Chelidonium, & orat. 1. in Paſcha, dicunt hoc myſterium eſſe admirabile: quòd ſi ratione aliqua probari poſſet, profectò non eſſet mirabile,& inueſtigabile, vt ſimili loquẽs Cõc. Tolet. Concilium Toletanum XI. in confeſſione fidei de Partu Virginis dicit, quòd myſterium partus Virginis ſi ratione inueniri poſſet, non eſſet mirabile.

3\. Probatur tertiò ratione. Probatur præterea tertiò ratione, nam hic actus ſe communicandi per Incarnationem, eſt omninò in Deo liber, ergo non poteſt probari, quòd de facto ſit facta hæc communicatio, niſi fortè dixeris probari poſſe ex ſumma benignitate Dei, cui conueniens eſt ſe ſummè communicare, vt dicebatur in ratione dubitandi: Sed ad hanc mox infrà reſpondebimus.

4\. Prima reſponſio ad rationẽ dubitandi initio poſitam. Ad rationem igitur dubitandi aliqui reſpondent, primò quòd ex illa ratione non bene deducitur intentum, quia alioqui ex illa adhuc ſequeretur, quòd etiam Deus debuiſſet ſe communicare omnibus creaturis, vel quòd omnes tres Perſonæ debuiſſent ſe communicare vni humanitati, quia hæc communicatio eſt maior, quàm ſit ſola Incarnatio Verbi, ergo fuiſſet magis conueniens ſummæ bonitati.

Confutatur. Sed hæc reſponſio non omnino euacuat argumentum, quia illa maior communicatio eſt extenſiua tantùm, & non intenſiua, nam vel omnes tres Perſonæ aſſumerent eamdem humanitatem, & tunc non eſſet maior intenſiuè communicatio, quia vt Auguſt. bene notauit Auguſtinus 6. de Trinit. cap. 10. non plus ſunt tres perſonæ intenſiuè, quàm vna; ſi verò aſſumerentur plures naturæ creatæ, nec communicaretur maior perfectio intenſiua, quia ita perfectio intenſiùs eſſet in vna ac in omnibus naturis, quia vnus actus vnius naturæ eſſet ita intenſiuè meritorius, ac omnes actus aliarum naturarum ſimul, vt probauimus in priori tomo in primo principio philoſophico, coroll. 10. Adde quòd communicando ſe naturæ humanæ, communicauit ſe omnibus creaturis, quia homo participat eſſe omnium creaturarum.

5\. Ad rationem igitur dubitandi reſpondetur, tantùm ex illa probari, quòd ſuppoſita reuelatione Incarnationis intellectus creatus inuenit conuenientiam; ante verò reuelationem, de quo eſt controuerſia, non poteſt intellectus creatus probabiliter iudicare ex ratione dubitandi allata, incarnationem eſſe factam, quia occurrerent intellectui creato alia abſurda, quæ ex illa incarnatione ſequerentur, quæ non poſſet facilè ſoluere: & ideo ex Scripturis & Patribus ſuprà citatis habetur, quòd hoc myſterium ſit *inueſtigabile*, & *adinuentio Dei*; Immò multi ex Scholaſticis tenent, quòd Deus non fuiſſet incarnatus, ſi non fuiſſet peccatum: ſuppoſito autem peccato, incarnatio Chriſti erat conueniens in carne paſſibili, & hoc modo non poterat ratione naturali probari, quia viſa eſt gentilibus Philoſophis (vt inquit Paulus) ſtultitia. — *Secunda reſponſio verior.* *Schol.* *Paulus.*

6\. Dubium. Sed vt pleniùs hæc ratio dubitandi, quæ aſſertur à S.Thoma, explicetur, occurrit vnum dubium circa illam, quia videtur per illam probari hanc ſummam communicationem per incarnationem eſſe actum neceſſarium in Deo, quia ſi eſt actus proprius Dei, vt probatur in argumento, ergo neceſſariò conuenit Deo. Vnde vlteriùs infertur, quòd talis communicatio poteſt lumine naturali cognoſci. Et confirmatur, quia Deus intrinſecè ordinatur ad communicandum ſe perfectiſſimo modo, eſt enim per eſſentiam infinitè bonus; ſi ergo ſe non communicaret, faceret contra ſuam inclinationem naturalem, & eſſentialem.

Solutio. Sed ad hoc dubium reſpondetur, quòd inclinatio Dei eſt ad volendum ſicut petit natura obiecti; Obiectum autem ad extra non poteſt neceſſitare Deum, quia non eſt medium neceſſarium ad ipſum tanquam ad finem, quia alioqui in Deo eſſet indigentia, & imperfectio, quare non ſequitur, quòd ſi Deus non ſe communicaret ad extra, faceret contra ſuam inclinationem, quia inclinatio ad communicandum ſe ad extra eſt libera.

7\. Inſtantia. Sed vrges, inclinatio in Deo eſt eſſentialiter actualis per modum actus ſecundi, non enim poteſt dari in Deo potentia, cùm ſit actus puriſſimus, quia eſſentialiter actualiter inclinatur ad volendum ſe ſummè communicare.

Soluitur. Reſpondetur, quòd inclinatio, quæ eſt eſſentialis in Deo, concipitur per modum actus primi, & per modum quaſi cuiuſdam potentiæ; inclinatio verò vt eſt actus ſecũdus, eſt quidem actus neceſſarius in Deo, quatenus terminatur ad volendum ſe ipſum; quatenus verò idem actus terminatur ad volendum creaturas, eſt liber, vt fusè explicatum eſt in primo tomo, in ſexto principio philoſophico corollario ſecundo.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA THEOLOGICA CIRCA TERTIVM COROLLARIVM,

De compoſitione Chriſti.

De hac materia S. Thom. 3. par. q. 2. art. 3. & Scholaſtici in 3. diſtinct. 6.

In hac quæſtione ſunt quinque dubitationes.

I. *Vtrùm ex natura diuina, & humana, conſtituatur vna tertia natura in Chriſto.*

II. *Vtrùm perſona Chriſti poſt incarnationem ſit ſimplex, vel propriè compoſita ex perſona Verbi, & humanitate.*

III. *Vtrùm perſona Chriſti verè, & propriè ſit compoſita ex duabus naturis.*

IV. *Vtrùm perſona Chriſti ſit ſubſtantialiter compoſita.*

V. *Vtrùm compoſitio, ſeu vnio humanitatis cum Verbo, ſit ſubſtantialis.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm ex natura diuina, & humana, conſtituatur vna tertia natura in Chriſto.

1. Duplex ſenſus dubitationis. Primus.

DVPLEX poteſt eſſe ſenſus huius dubitationis. Primus ſenſus eſt, Vtrùm ex diuinitate, & humanitate fiat vna natura per conuerſionem alterius in alteram, & iuxta hunc ſenſum ſit

2. Prima concluſio. Eutyches. Ambroſius. Auguſtin.

PRIMA concluſio. De fide eſt, ex diuinitate, & humanitate non fieri vnam naturam per conuerſionem alterius in alteram; Eſt contra multos hæreticos præſertim Eutychet. qui quidem non fuit author huius hæreſis; nam ante ipſum huius meminerunt Ambroſius lib. de incarnatione cap. 6. & Auguſt. in libro de Trinit.

Primò probatur. Cõcil. Chalcedon.

Probatur primò concluſio, quia oppoſitum damnatum fuit in Concilio Chalcedonẽſi, actione quinta, d. finitione ſecunda fidei.

Secũdò probatur. Ambroſius. Auguſtinus. Leo Papa.

Secundò probatur authoritate Patrum, præſertim Ambroſij, & Auguſtini locis citatis, & Leonis Papæ epiſtola decima.

Tertiò probatur ratione.

Tertiò probatur ratione, quia quando vnum conuertitur in aliud, ex vi conuerſionis deſinit vnum, & fit aliud; ſi ergo diuinitas conuerſa eſt in humanitatem, aut humanitas in diuinitatem, vel in Chriſto non erit diuinitas, vel non erit humanitas, contra Paulum ad Rom. 9. vbi dicitur quòd *Chriſtus eſt ſecundùm carnem*, & *eſt ſuper omnia Deus.* Ad Rom. 9.

3. Obiectio contra primam concluſionem. Ioann. 1.

Obiicies verba Ioannis 1. *Verbum caro factum eſt*, quæ verba videntur ſignificare conuerſionem Verbi in carnem; ſicut ſimilia verba Ioan. 2. *aquam vinum eſſe factam*, ſignificant conuerſionem aquæ in vinum.

Solutio. Damaſcen.

Reſpondetur ex Damaſceno, quòd ſenſus illorum verborum eſt, quòd Verbum, id eſt, perſona Verbi, factum eſt caro, id eſt, perſona hominis conuerſa eſt, (vt ita dicam) in perſonam Verbi; nam perſona hominis deſiit eſſe, ſeu potiùs non reſultauit, & loco illius ſucceſſit perſonalitas Verbi. Dixi (vt ita dicam) quia non eſt propriè conuerſio; quia perſona Verbi non eſt mutata, vt ſuprà probatum eſt, quod requiritur ad veram conuerſionem.

A Contra hunc errorem videndus eſt Cardinalis Bellarminus lib. 3. de incarnat. cap. 2. vbi optimè, vt ſolet, impugnat hunc errorem, & Caſtro contra hæreſes. Cardinalis Bellarmin. Caſtro.

Secundus ſenſus dubitationis.

Secundus ſenſus, qui eſt proprius huius præſentis dubitationis, eſt, Vtrùm ex humanitate, & diuinitate, conſtituta ſit in Chriſto vna tertia natura per vnionem, ſeu compoſitionem humanitatis cum diuinitate; ſicut in naturalibus ex materia, & forma per vnionem conſtituitur vna tertia natura hominis, & iuxta hunc ſenſum ſit

4. Secunda cõcluſio.

SECVNDA concluſio. De fide eſt, ex duabus naturis in Chriſto non conſtitui per vnionem vnam tertiam naturam.

Probatur primò. Concilium Epheſinum.

Probatur primò ex Concilio Epheſino canon. 4. B vbi habetur ex hypoſtatica vnione reſultare potiùs vnam perſonam in duabus naturis; non igitur reſultat vna tertia natura.

Probatur ſecundò. Ambroſius. Auguſtinus. Leo Papa.

Secundò probatur authoritate Ambroſij, Auguſtini, & Leonis Papæ, qui locis ſuprà citatis oppoſitam opinionem de conſtitutione vnius naturæ confutant tamquam errorem hæreticum.

Tertiò probatur ratione philoſophica.

Tertiò probatur ratione philoſophica, quia vnio naturæ humanæ cum diuina non poteſt eſſe immediata: ergo non poteſt reſultare vna tertia natura, vt mox infrà fuſiùs explicabitur.

Prima obiectio.

Obiicies primò, Humanitas in Chriſto eſt vnita cum diuinitate; ergo nihil obſtat, quin conſtituatur tertia natura. Antecedens eſt ab omnibus conceſ- C ſum; Conſequentia probatur, quia ſi quid obſtaret, illud eſſet, quòd per conſtitutionem vnius naturæ corrumperentur illæ duæ naturæ, humana, & diuina.

Sed hoc non obſtat; quia per hanc conſtitutionem non eſt neceſſe vt corrumpantur illæ duæ naturæ, ſed poſſunt remanere in diuerſitate: ſicut materia, & forma, cùm conſtituunt compoſitum eſſentiale, non corrumpuntur.

Nec obſtat diuerſitas naturarum, quin conſtituatur

Digitized by Google

tur vna tertia natura; quia materia, & forma faciunt vnam tertiam naturam compoſiti, & tamen remanent in ſua diuerſitate.

6. Prima reſponſio. Ad hanc obiectionem reſpondent primò aliqui, aſſignando diſparitatem: quare ex vnione diuinitatis cum humanitate non poſſit reſultare vna tertia natura: ſicut reſultat natura hominis ex materia, & anima rationali; Diſparitas autem ea eſt, quia ex duabus naturis integris, inquiunt, non poteſt reſultare vna tertia natura, quia illa tertia natura ex Ariſtotele habet eſſe principium motus, & quietis; ſicut natura hominis, quæ reſultat ex materia, & anima rationali, eſt principium ratiocinandi, quæ quidem ratiocinatio non poteſt exerceri à corpore ſolùm, quia ratiocinatio eſt intrinſece ſpiritualis; nec ab anima ſolùm, quia eſt diſcurſus per phantaſmata; ſi autem naturæ ſunt integræ, poſſunt per ſe exercere ſuas operationes: neque quantùm ad hoc, iuuat aliquid vnio; Vnio enim non poteſt eſſe ratio, vt conſtituatur vnum principium operandi remanentibus duabus naturis in ſua integritate. (Ariſt.)

Confutatur prima reſponſio. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia poſſet dici quòd ex vnione diuinitatis cum humanitate reſultat tertia natura, quæ ſit principium aliquarum operationum, & proprietatum, quæ non poſſunt competere nec ſoli Diuinitati, nec ſoli humanitati, ſed tertiæ naturæ conſtitutæ ex illis: Exempli gratia, infinita ſatisfactio, & infinitum meritum, quæ operationes dicuntur à Theologis Deiuiriles, quia competunt ſolùm Deo homini, & præterea impeccabilitas, & ius ad omnia ſupernaturalia, & ſimiles proprietates.

7. Verior reſponſio ad obiectionẽ. Reſpondetur igitur ſecundò veriùs, ex diuinitate & humanitate non fieri tertiam naturam; quia ad hoc, vt fiat tertia natura, requiritur vt vnio ſit immediata inter extrema, ex quibus reſultat tertia natura, vt patet in aliis compoſitis; At verò inter diuinitatem & humanitatem non poteſt eſſe vnio immediata, ſed mediata, tum quia arguendo Theologicè, ſi hæc vnio eſſet immediata, omnes tres perſonæ fuiſſent incarnatæ; tum quia arguendo Philoſophicè, ex tertia diſputatione philoſophica, hæc vnio immediata inter humanitatem & diuinitatem non eſt dabilis, non enim poteſt eſſe accidentalis, vt ſupponitur ex his quæ dicentur infrà in tertia dubitatione; nec poteſt eſſe eſſentialis, quia talis vnio diceret imperfectionem in Deo, competit enim parti, quæ eſt eſſentialiter pars: nec poteſt eſſe ſubſtantialis; quia ſubſiſtere, ſeu ſuſtentare, non poteſt competere naturæ, ſed ſuppoſito; vt oſtendimus in tertia diſputatione Philoſ. Non poteſt igitur hæc vnio immediatè fieri in natura diuina; erit igitur vnio mediata, mediante, ſcilicet, ſuppoſito diuino: Ergo ex hac vnione non reſultat vna tertia natura, ſed potiùs, vt dictum eſt, vna perſona in duabus naturis, vt definitur in Concilio Epheſino ſuprà citato. (Concilium Epheſinum.)

8. Inſtantia contra reſpõſionem. Sed adhuc inſtabis contra reſponſionem; humanitas & diuinitas vniuntur ſaltem mediatè; ergo ſaltem natura diuina poteſt dici mediatè compoſita ſicut dicitur mediatè incarnata, ergo ſaltem mediatè poteſt reſultare vna tertia natura.

Solutio. Reſpondetur eſſe diſparem rationem cur poſſit dici naturam Diuinam mediatè incarnatam non tamen mediatè compoſitam, quia dum dicitur natura Dei mediatè incarnata, ſenſus huius propoſitionis eſt, quòd ſit vnita cum humanitate mediante perſona Verbi; at verò cùm dicitur mediatè compoſita, hæc propoſitio deſtruit ſe ipſam, nam ſi eſt compoſita mediante ſuppoſito, ergo ſuppoſitum eſt com-

A poſitum ex duabus naturis, & non ipſa natura eſt compoſita.

Secundò obiicies contra hanc ſecundam concluſionem authoritatem Cyrilli 1. lib. de fide ad Reginas, vbi docet in Chriſto non eſſe duas naturas, vnam, quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur, ſed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne ſua vna adoratione. (Secũda obiectio. Cyrillus.)

Obiicies præterea Damaſcenum lib. 3. de fid. cap. 3. & in Dialectica, cap. vltimo, vbi docet naturas vnitas per vnionem hypoſtaticam efficere vnam naturam compoſitam. (Damaſcen.)

Ad hanc obiectionem reſpondent aliqui, per naturam Cyrillum intellexiſſe perſonam; Sed hanc reſponſionem ex verbis ipſius Cyrilli bene confutat B Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 11. (9. Reſponſio. Damaſcen.)

Verior igitur reſponſio eſt, nunquam Cyrillum abſolutè dixiſſe eſſe in Chriſto vnam naturam, ſed vnam naturam Dei incarnatam; & hoc verum eſt; quia natura diuina, vt paulò antè dictum eſt, eſt mediatè incarnata, & hanc dicit Cyrillus eſſe adorabilem ſimul cum humanitate.

Ad Damaſcenum reſpondetur, legendum eſſe, vt patet ex Græco (non naturam) ſed hypoſtaſin compoſitam; imò in illo loco confutat Damaſcenus illam propoſitionem, quòd, ſcilicet, ſit vna tertia natura compoſita. (Damaſcen.)

C SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm perſona Chriſti poſt incarnationem ſit ſimplex, vel propriè compoſita ex perſona Verbi, & humanitate.

PRo intelligentia huius dubitationis notandum eſt, in Chriſto vnam tantùm intercedere primariam & immediatam compoſitionem; ea autem eſt ſubſiſtentiæ diuinæ cum humanitate; nam per Incarnationem proximè & immediatè vnitur humanitas ſubſiſtentiæ Verbi: terminus igitur, qui propriè & immediatè reſultat ex D Incarnatione tanquam ex actione vnitiua, conſtat ex illis duobus extremis, ſubſiſtentia, ſcilicet, Verbi, & humanitate, vnde conſequenter poſtea fit compoſitio duarum naturarum in vno ſuppoſito; quia eo ipſo quòd Chriſtus conſtat ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, conſtat etiam ex duabus naturis, diuina, ſcilicet, & humana vnitis in eadem ſubſiſtentia Verbi, ex quibus reſultat terminus, cuius extrema ſunt duæ naturæ; In præſenti autem dubitatione controuerſia eſt, de priori, & immediata compoſitione ſubſiſtentiæ Verbi cum natura humana; in tertia verò dubitatione diſputabitur de ſecunda & mediata compoſitione Chriſti ex duabus naturis. (1. Notandum pro intelligentia dubitationis.)

E Circa hanc igitur ſecundam dubitationem eſt prima ſententia aſſerentium inter ſubſiſtentiam Verbi & humanitatem non poſſe intercedere verè, & propriè compoſitionem, & conſequenter perſonam Chriſti poſt incarnationem non eſſe propriè compoſitam. Eſt Bonau. in 3. diſt. 6. art. 1. quæſt. 2. Scoti ibidem quæſt. vltima, Riccardi ibidem art. 2. quæſt. 3. qui, quamuis expreſsè loquantur de compoſitione ex duabus naturis, tamen argumenta etiam procedunt de hac priori compoſitione, ſcilicet ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate: Eſt præterea hæc opinio Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. qui quoniam tenet vt oſtendimus in prædic. Subſtan. diſp. 3. quæſt. 9. (2. Prima ſententia. Bonau. Scotus. Riccar. Caiet.)

Digitized by Google

quòd ſubſiſtentia creata, quamuis realiter diſtinguatur à natura, non tamen verè componat cum natura, tener conſequenter perſonam Verbi non componere cum natura humana.

3. *Primum argumentum huius primæ ſententiæ.* Probatur primò hæc ſententia, Terminus lineæ, inquit Caietanus, non componit cum linea, vt patet ex communi Philoſophorum aſſerentium punctum non componere cum linea, quia non efficit lineam: ſed ſubſiſtentia ſiue creata ſiue increata, eſt terminus naturæ, ergo non componit cum natura.

Secũdum argumentum. Secundò probatur ſpecialiter in caſu difficultatis, quòd etiam ſi ſubſiſtentia creata poſſit componere cum natura, non tamen ſubſiſtentia increata; quia omnis compoſitio eſt ex partibus; compoſitum enim vt compoſitum dicit neceſſariò relationem ad duo componentia, quæ partes ſunt ipſius compoſiti: at ſubſiſtentia diuina non poteſt eſſe pars, quia ratio partis eſſentialiter inuoluit imperfectionem, ergo non poteſt eſſe compoſitio ex ſubſiſtentia diuina, & humanitate. Et confirmatur ex D. Thoma 1. par. q. 3. art. 8. vbi ait, Deum non poſſe venire in compoſitionem alterius. *S. Thom.*

Tertium argumentum. Tertiò, Compoſitum, quod reſultat ex partibus, eſt perfectius ſingulis partibus: ſed quod reſultat ex ſubſiſtentia Verbi & humanitate, non eſt perfectius ipſo Verbo, quia tunc daretur aliquod productum in tempore perfectius Deo; ergo ex ſubſiſtentia Verbi & humanitate non reſultat terminus, qui ſit verè & propriè compoſitum ex illis terminis.

Quartũ argumentum. Quartò ſi daretur compoſitio inter ſubſiſtentiam Verbi & humanitatem, ſequeretur quòd in Chriſto eſſent duæ perſonæ diſtinctæ, quod eſt contra fidem. Probatur ſequela, quia ex ſubſiſtentia Verbi & huhumanitate reſultat ſubſtantia compoſita, quæ non eſt natura, vt probatum eſt in ſuperiori dubitatione; erit igitur perſona. Sed hæc perſona, quæ reſultat, eſt diſtincta à perſona Verbi, tum quia hæc perſona reſultat in tempore, tum quia eſt compoſita: at verò perſona Verbi neque reſultat, neque eſt compoſita, ſed ſimplex: patet igitur ſequela quòd erunt in Chriſto duæ perſonæ diſtinctæ, altera perſona Verbi, altera, quæ reſultat ex vnione humanitatis cum ſubſiſtentia Verbi.

4. *Secũda ſententia. Durand.* Secunda ſententia eſt Durandi in 3. diſt. 6. quæſt. 3. qui, vt ſe extricet ab his, & ſimilibus argumentis, dicit compoſitionẽ ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate non eſſe compoſitionem huius ex his, ſed vnius cum alio, ſeu huius ad hoc, ſicut eſt (inquit) accidentis ad ſubiectum, in qua vnione ſubiectum non conſurgit ex compoſitione accidentis, ſed accidens cum illo componitur, ſeu illi adiungitur. Et probat Durandus, quia in omni compoſitione propriè dicta, compoſitum eſt poſterius componentibus, & pendet ex illis: at verò ſuppoſitum Chriſti, quod eſt diuinum, non eſt poſterius humanitate, neque pendet ab illa.

5. *Tertia ſententia. D. Thom. Alenſ.* Tertia ſententia communis abſolutè concedit perſonam Chriſti eſſe compoſitam. Eſt S. Thomæ in 3. par. quæſt. 2. art. 4. Alenſ. 3. par. quæſt. 6. mem. 2. art. 5. & hanc ſequuntur communiter Recentiores.

6. Pro huius tertiæ ſententiæ, quæ verior eſt, explicatione, ſit

Prima concluſio contra primam ſententiam. Prima concluſio, Perſona Chriſti eſt verè, & propriè compoſita ex ſubſiſtentia Verbi & humanitate.

Primò probatur. Probatur, quia, vt dictum eſt in prædicamen. ſubſtan. diſput. 3. quæſtione nona, compoſitio nihil aliud eſt, quàm vnio plurium rerum ad conſtituendum aliquid; ſed de fide eſt, humanitatem quæ eſt A diſtincta à Verbo, vniri ſubſiſtentiæ Verbi ad conſtituendam vnam perſonam, quæ eſt Chriſtus; ergo in Chriſto eſt vera compoſitio ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate.

Probatur ſecundo, quia terminus huius vnionis non poteſt eſſe ſimplex, ergo eſt compoſitus. Conſequentia eſt clara; Antecedens probatur, quia terminus reſultat in tempore, ergo non poteſt eſſe ſimplex. Et confirmatur, terminus reſultans eſt conflatus ex multis, quia conflatur ex ſubſiſtentia Verbi, quæ dat eſſe perſonæ, & humanitate, quæ dat eſſe hominis; ergo terminus reſultans non eſt ſimplex, ſed compoſitus. 7. *Secũdò probatur.*

Tertiò probatur ex Conciliis, quæ infrà citabun- 8. *Probatur tertiò.*
B tur in 3. dubitat. in quibus expreſsè habetur, in Chriſto eſſe compoſitionem ex duabus naturis: hæc enim teſtimonia quamuis non probent directè hanc compoſitionem ex ſubſiſtẽtia & humanitate, de qua eſt ſermo; probant tamen indirectè; quòd, vt ſuprà dictũ eſt, radicatur compoſitio ex duabus naturis. Directè tamen probatur hæc compoſitio ex ſubſiſtentia & humanitate ex V. ſynodo collatione 8. can. 3. vbi dicitur (Si quis non confitetur vnitatem Verbi Dei ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali ſecundùm compoſitionem, ſicut ſecundùm ſubſtantiam, factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, anathema ſit.) Idem habetur in eadem ſynodo act. 8. can. 4. Neque poteſt dici quòd Concilium *Quinta ſyn.* *Quinta ſyn.*
C non propriè accipiat compoſitionem; nam in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo conſultat. 5. cap. 17. damnantur illi, qui negant ea, quæ in hac 5. ſynodo circa hoc myſterium dicuntur, propriè & ſecundùm veritatem non dicta eſſe: & præterea non videntur Patres illius Concilij appellare Chriſtum impropriè compoſitum, quia ex inſtituto explicant compoſitionem in hoc myſterio Incarnationis. *Later. Concil.*

Secunda concluſio contra Durandum, Hæc compoſitio non eſt compoſitio tantùm huius ad hoc, ſeu vnius cum alio, ſed huius ex his. 10. *Secunda concluſio contra ſecundã ſententiam.*

Probatur primò ex dictis, quia ex ſubſiſtentia Verbi & humanitate conflatur vnum; quod eſt ex multis, ſcilicet, ex ſubſiſtentia, & humanitate, ita
D vt ſubſiſtentia det eſſe perſonæ, & humanitas det eſſe hominis, ex quibus conflatur vna ſubſtantia compoſita, quæ eſt Chriſtus. *Primò probatur.*

Secundò probatur, Oſtenſum eſt ex V. ſynodo, eſſe veram & propriam compoſitionem, ergo eſt huius ex his, ſicut aliæ compoſitiones propriæ. 11. *Secundò probatur.*

Tertiò probatur philoſophicè contra Durandum, quia non poteſt eſſe compoſitio huius ad hoc, niſi etiam ſit compoſitio huius ex his, quia quando vnum coniungitur alteri, non fit alterum, ſed manet vtrumque; ergo terminus, qui reſultat, conſtat ex vtroque: vnde fit, quòd in ea compoſitione, quam appellat Durandus huius ad hoc, terminus adæquatus eſt compoſitum ex his, ſcilicet, ex extremis,
E quæ inter ſe vniuntur. 12. *Tertiò probatur philoſophicè.*

Quod confirmari poteſt exemplo, quod pro ſe adducit Durandus, accidens enim, v.g. albedo, quæ componit cum ſubiecto, non ſolùm eſt compoſitio huius ad hoc, ſeu cum hoc ſubiecto, ſed etiam eſt compoſitio ex his, quia quamuis ex tali compoſitione non reſultet ipſum ſubiectum, quod eſt vnum extremum, vt bene probat Durandus, tamen adæquatè reſultat album, quod eſt conflatum ex ſubiecto, & albedine; ita etiam quamuis ex humanitate vnita Verbo non reſultet Verbum, reſultat tamen ex vtroque adæquatè ſubſtantia compoſita, quæ eſt Chriſtus, vt Patres loquuntur in V. ſynodo locis citatis.

Et

Digitized by Google

Inſtantia Durandi. Et cùm inſtat Durandus, quòd in compoſitione A huius ex his compoſitum eſt poſterius componentibus, & pendet ex illis: at verò ſuppoſitum Chriſti, quod eſt ſuppoſitum Verbi, non poteſt eſſe poſterius humanitate, nec pendere ab illa.

Solutio. Reſpondetur primò negando hoc verum eſſe in omni compoſitione, ſed tantùm in naturali, præſertim ex materia & forma.

Secundò reſpondetur, quòd illud, quod reſultat præciſè ex vi huius compoſitionis, non eſt ſuppoſitum diuinum vt ſic, quia ſuppoſitum diuinum in hac compoſitione ſe habet ſpecificatiuè, quod autem reſultat reduplicatiuè ex hac compoſitione eſt ſuppoſitum humanum vt humanum, vt terminans ſcilicet naturam humanam, vt ſic autem ſub hac B formalitate præciſè vt eſt terminans, eſt poſterius humanitate, & pendet ab illa, quamuis abſolutè, & ſimpliciter dicendum non ſit, quia propoſitio faceret ſenſum falſum, quòd ſcilicet ſuppoſitum Chriſti, quod eſt ſuppoſitum Verbi, ſit poſterius humanitate, & pendeat ex illa; hoc autem argumentum Durandi maiorem habet vim in compoſitione Chriſti ex duabus naturis, vt videbimus in tertia dubitatione.

13. Quæſitum. Petes hîc vnum, vtrùm dici poſſit Verbum ſeu perſonam Chriſti quatenus eſt compoſita ex humanitate, eſſe ſuppoſitum humanum.

Reſponſio. Reſpondetur, quòd ſimpliciter hoc non eſt di- C cendum, ſed potiùs eſt dicendum eſſe ſuppoſitum diuinum terminans humanitatem. Et ratio eſt, quia cùm ſimpliciter profertur illa propoſitio, facit ſenſum quòd illud ſuppoſitum humanum connaturaliter reſultat ex humanitate, quod eſt falſum, quia non debetur humanitati tanquam terminus illius ſubſtantialis, neque reſultat ex humanitate: Poteſt tamen Verbum, ſeu Perſona Chriſti dici ſuppoſitum humanum cum addito, ſcilicet, in terminando, quia poſt incarnationẽ illud ſuppoſitum diuinum cœpit in tempore terminare naturam humanam, & iuxta hunc ſenſum interpretandi ſunt Baſſolus in 3. q. 6. art. 3. & Riccard. diſtinct. 10. ar. 1. q. 1. ad 5. cùm admittunt perſonam Chriſti eſſe ſuppoſitum humanum. Hoc etiam modo interpretandi ſunt aliqui Patres, D vt Ambroſ. epiſt. 40. cùm dicit perſonam Verbi factam eſſe perſonam carnis, & Damaſc. lib. 3. de fide cap. 11. cùm dicit, perſonam Verbi factam eſſe perſonam hominis.

Baſſ. Riccar. Ambroſ. Damaſc.

RESPONSIO AD ARGVMENTA.

14. Reſpõſio ad primum argumentum primæ ſententiæ. AD primum primæ opinionis reſpõdetur, quòd punctum non componit lineam efficiendo lineam, non tamen negant Philoſophi non componere cum linea terminando lineam, ſi detur punctum à parte rei diſtinctum à linea, quia ex linea & puncto reſultat quantitas terminata, ſicut ex albedine & ſubiecto reſultat album.

15. Ad ſecundũ prima reſponſio. Nicet. Nazianz. Iuſtinian. Ariſt. Ad ſecundum, aliqui concedunt ſubſiſtentiam Verbi eſſe partem huius ſubſtantiæ compoſitæ, quæ eſt Chriſtus, ita habet Niceta in orat. 42. Nazianz. & Iuſtinianus in edicto fidei ſuæ in principio. Et ratio eſt quia ſubſiſtentia Verbi eſt vnum ex componentibus, ergo habet rationem partis: & hoc modo videtur accepiſſe nomen partis Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 25. vbi ait partes vno modo dici eas, ex quibus aliquid componitur.

Confutatur. Sed hæc reſponſio non eſt ſimpliciter aſſerenda, quia pars, vt pars, inuoluit eſſentialem imperfectionem, dicit enim eſſe eſſentialiter ordinatam ad componendum, & conſequenter dicit ſe eſſe imperfectiorem toto: at verò ſubſiſtentia Verbi non eſt eſſentialiter ordinata ad faciendum totum, nec eſt imperfectior ipſo toto, quod reſultat, eſt enim impoſſibile quòd terminus qui reſultat in tempore, & conflatur ex ſubſiſtentia Verbi & humanitate, ſit perfectior ipſo Verbo, quod eſt ens increatum, non igitur Verbum componens cum humanitate poteſt dici propriè pars.

Reſpondendum eſt igitur ſecundò cum S. Thoma in 3. part. quæſt. 2. art. 4. compoſitionem hanc non eſſe ratione partium, ſed ratione numeri, id eſt, omne illud, in quo duo conueniunt, poteſt dici compoſitum, ſiue illa conueniant per modum partium, ſiue alia ratione, ſicut linea componit ſuperficiem cum aliis partibus, & tamen ipſa non eſt pars. 16. Secunda reſponſio verior. S. Thom.

Ad confirmationem reſpondetur, S. Thomam non negaſſe Deum non poſſe venire in compoſitionem alterius, ſed non poſſe venire in compoſitionem alterius, ſicut forma, & materia, ita vt componant vnam naturam. Vnde colligit S. Thom. ibi, quòd Deus non eſt anima mundi, quia non poteſt componere per modum formæ.

Ad tertium reſpondetur, quando componentia ſunt ordinata ex ſe ad componendum, tunc compoſitum, quod reſultat ex illis, eſt perfectius intrinſecè ſingulis componentibus, & hic modus compoſitionis dicit imperfectionem; at Verbum non eſt ex natura ſua & eſſentialiter ordinatum ad componendum, & ideo non requiritur vt compoſitum, quod reſultat, ſit perfectius intenſiuè altero componentium, ſcilicet Verbo; ſed tantùm ſequitur ex vi argumenti, quòd ſit perfectius extenſiuè, quia includit extrinſecè vnum extremum, quod non continetur formaliter in altero extremo. Hoc autem non dicit imperfectionem in ipſo Verbo, quia quamuis Chriſtus intrinſecè includat Verbum, & humanitatem, & humanitas non includatur in Verbo formaliter, ſufficit, quòd includatur in Verbo eminenter: ſicut Deus & creatura ſimul non dicunt maiorem perfectionem intenſiuam, quàm Deus ſolus, ſed maiorem perfectionem extenſiuam. 17. Ad tertium.

Ad quartum, quod eſt difficilius, reſpondetur, quòd præciſè ex hac ſubſiſtentia Verbi cum humanitate, non reſultat niſi vna perſona reduplicatiuè, ſuppoſitum, ſcilicet, humanum, quamuis ſpecificatiuè ſuppoſitum illud ſit etiam diuinum. Maiorem autem difficultatem habet argumentum in compoſitione Chriſti ex duabus naturis, quia ex illa compoſitione reſultat reduplicatiuè ſuppoſitum humanum, & diuinum, reſultat enim terminus terminans vt ſic naturam humanam, & diuinam: at verò in compoſitione ex ſubſtantia Verbi, & humanitate, de qua eſt ſermo, non reſultat vt ſic præciſè, niſi ſuppoſitum vt terminans humanitatem, quamuis etiam ſpecificatiuè illud terminet diuinitatem. E Quomodo autem ſoluatur argumentum in compoſitione ex duabus naturis, dicetur infrà in tertia dubitatione. 18. Ad quartũ.

Sed contra hanc reſponſionem noſtram inſtant quidam recentiores primò, quia poſſet dici, quòd perſona Chriſti ſit facta, quia reſultat ſuppoſitum humanum. 19. Prima inſtantia contra reſponſionem.

Solutio. Reſpondetur, quòd quamuis compoſitum ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate ſit factum, non tamen bene dicitur perſonam Chriſti eſſe factam, quia ſignificaretur ipſam ſubſiſtentiam Verbi eſſe factam, quod eſt falſum.

Secunda inſtantia. Secundò inſtant, Suppoſitum humanum dicit præciſè terminare naturam humanam, vt ſic autem

Digitized by Google

non includit naturam humanam in recto, ſed potiùs in obliquo: ergo non componit cum natura humana, quia compoſitio æquè, & in recto dicit vtrumque extremum ſeu componibilia.

Solutio.

Reſpondetur, quòd quamuis ſuppoſitum humanum ſub ea conſideratione quatenus dicit habitudinem quandam termini ad naturam humanam, reſpiciat illam in obliquo: quatenus tamen ex vnione humanitatis cum ſubſiſtentia Verbi reſultat ſubſtantia compoſita ex ſubſiſtentia & humanitate, vt ſic, includit naturam humanam in recto tanquam vnum extremum ex componentibus.

Reſpõſio ad argumẽtum ſecũdæ ſententiæ. Durand.

Ad argumentum ſecundæ ſententiæ Durandi, reſponſio patet ex his, quæ diximus in ſecunda concluſione.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrum perſona Christi verè, & propriè ſit compoſita ex duabus naturis.

1\. Recolendvm eſt quod dictum eſt ſuprà in ſecunda dubitatione, quòd hæc compoſitio ex duabus naturis radicatur in priori compoſitione ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate; ex eo enim, quòd humanitas eſt vnita ſubſiſtentiæ Verbi, ſequitur compoſitio duarum naturarum in vno ſuppoſito. Extrema autem huius compoſitionis ſunt duæ naturæ, humana, ſcilicet, & diuina. Prioris autem compoſitionis extrema ſunt ſubſiſtentia Verbi & humanitas.

2\. Prima ſententia. Bonauent. Scot. Ricc. Durand.

Circa hanc tertiam dubitationem eſt Prima ſententia Bonauent. Scot. Riccard. & Durandi, quos citauimus in ſuperiori dubitatione, qui expreſsè negant compoſitionem ex duabus naturis eſſe verè, & propriè compoſitionem.

Pro hac ſententia faciunt ſecundum, & tertium argumentum, quæ attulimus in ſuperiori dubitatione, in prima ſententia, tum quia natura diuina non poteſt eſſe pars ordinata ex natura ſua ad faciendum vnum, tum quia non eſt imperfectior toto compoſito: quæ duo videntur eſſe de ratione veræ compoſitionis, ſicut ſunt de ratione veræ partis; Sed quia hæc argumenta non indigent noua ſolutione præter eam, quam attulimus in ſuperiori dubitatione ad ſaluandam propriam compoſitionem ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate: ideo ne eadem repetantur, hîc omitto.

Afferam hîc tantùm ea argumenta, quæ vel peculiariter militant ſolùm contra compoſitionem ex duabus naturis, vel quæ ſaltem indigent noua ſolutione.

Primum argumentum pro prima ſententia. Durand.

Probatur igitur primò ab Durando. In re non eſt niſi vna compoſitio tantùm, ex ſubſiſtentia, ſcilicet, & humanitate, quia natura diuina non componit cum Verbo: ergo in re non eſt hæc compoſitio ex duabus naturis.

Secundum argumentũ. Durand.

Secundò probatur ab eodem Durando in 3. diſt. 6. q. 3. Compoſitio ex duabus naturis nec eſt huius ad hoc, ſicut eſt compoſitio humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi, nec poteſt eſſe compoſitio huius ex his, quia hæc eſſentialiter includit imperfectionem, quia compoſitum eſt poſterius componentibus, & pendet ex illis; at ſuppoſitum Chriſti in quo vniuntur duæ naturæ, non eſt poſterius, nec pendet ex natura diuina, & humana, nec poteſt dici, ſicut fortè dici poteſt in compoſitione ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, de qua diximus in priori dubitatione, quòd ſuppoſitum Chriſti, quatenus terminat naturam humanam, vt ſic, quatenus humanum eſt, ſit poſterius ipſis componentibus ſcilicet ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, non, inquam, hoc poteſt dici in hac compoſitione ex duabus naturis, quia in hac compoſitione ſuppoſitum Chriſti in quo vniuntur duæ naturæ, non eſt poſterius natura ipſis componentibus, nec pendet ab illis, non quidem eſt poſterius natura humana, vt patet, nec eſt poſterius natura diuina, nec pendet ex illa, quia in diuinis non datur prius & poſterius natura, quia huiuſmodi prioritas includit dependentiam, quæ dicit imperfectionem.

Tertium argumentum.

Tertiò, Si duæ naturæ vniuntur tanquam extrema; ergo quod reſultat ex duabus naturis non eſt perſona, ſed vna natura, quod eſt contra fidem.

Quartum argumentum.

Quartò, Si ex hac compoſitione ex duabus naturis reſultat perſona, & non natura, quod quidem dicendum eſt ſecundùm fidem, ſequitur quòd in Chriſto erunt duæ perſonæ diſtinctæ, quod eſt contra fidem. Probatur ſequela, quia perſona, quæ reſultat ex hac compoſitione, non eſt perſona Verbi, quia hæc eſt ſimplex & æterna: at verò quæ reſultat ex hac compoſitione, eſt compoſita, & reſultat in tempore, eſt igitur perſona humana. Sed præter hanc perſonam humanam datur in Chriſto perſona diuina, ergo ſi perſona Chriſti eſſet compoſita ex duabus naturis, darentur in Chriſto duæ perſonæ diſtinctæ.

Hoc argumentum quamuis, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, militet etiam in priori compoſitione ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate; tamen habet maiorem, & nouam vim in hac poſteriori compoſitione ex duabus naturis, nam ex priori compoſitione reſultat reduplicatiuè tantùm ſuppoſitum humanum, nam quamuis ſpecificatiuè ſit ſuppoſitum diuinum, tamen reduplicatiuè reſultat ex illa priori compoſitione, vt terminans naturam humanam: at verò in poſteriori compoſitione deberent eſſe duæ perſonæ diſtinctæ, altera diuina, altera humana; ex vi enim huius compoſitionis concipi debet, perſonam Verbi terminare naturam diuinam, terminat autem vt perſona diuina eſt, & præterea ex vi eiuſdem compoſitionis reſultat perſona humana reduplicatiuè, quatenus ſcilicet eſt terminans naturam humanam: vt ſic enim hæc perſona, quæ reſultat, eſt compoſita, & reſultat in tempore, quod non poteſt competere perſonæ diuinæ, vt diuina eſt; quare ſi daretur in Chriſto compoſitio ex natura diuina & humana, cùm ex hac compoſitione non reſultet tertia natura, ſed perſona, ſequeretur, quòd reſultarent reduplicatiuè duæ perſonæ in Chriſto, altera diuina & altera humana.

Quintum argumentũ.

Quintò, Tres perſonæ diuinæ inter ſe realiter ſunt diſtinctæ, & vniuntur in vna natura diuina, & tamen non componunt aliquod vnum, ergo nec duæ naturæ in Chriſto.

3\. Secũda ſententia Caietani.

Secvnda ſententia eſt Caiet. in 3. p. q. 2. art. 4. & 1. p. q. 3. ar. 12. qui propter aliqua ex argumentis non audet hanc compoſitionem appellare ſimpliciter compoſitionem, ſed ineffabilem compoſitionem. Fauet huic opinioni Caietani præter alios Dionyſ. cap. 1. de diuinis nomin. vbi hanc compoſitionem appellat ineffabilem. Fauet etiam Nazianz. orat. 42. vbi appellat hanc compoſitionem nouam mixturam, & admirandam temperationem. Pro reſolutione dubitationis, ſit

Dionyſ. Nazianz.

4\. Vnica concluſio. S. Thom.

Vnica concluſio. Dicendum eſt cum S. Thom. in tertia par. quæſt. 2. art. 3. & cum communi, perſonam Chriſti eſſe verè, & propriè compoſitam ex duabus naturis.

Probatur

Digitized by Google

Primò probatur ratione.

Probatur primò ratione. De fide eſt, quòd duæ naturæ vniuntur in Chriſto, & faciunt vnum ſubſiſtens in duabus naturis, ergo Chriſtus eſt verè, & propriè compoſitus ex duabus naturis; Conſequentia probatur, quia ex diſp. 3. Philoſ. compoſitio eſt vnio plurium. Et confirmatur, quia terminus qui reſultat ex hac compoſitione, conſtatur ex duabus naturis, quarum altera dat Chriſto eſſe Dei, & altera dat eſſe hominis.

Secũdò probatur ex Patribus. Dion Greg. Damaſcen.

Secundò probatur ex Patribus, ex Dionyſio, cap. 1. de diuin. nomin. Gregor. hom. 39. in Euang. Damaſcen. lib. 1. cap. 4. & 17.

Tertiò probatur ex cõcilijs. Quinta ſyn. Sexta ſyn.

Tertiò probatur ex conciliis In V. ſynod. collat. 3. can. 7. dicitur Chriſtus eſſe compoſitus ex duabus naturis, & in VI. ſynod. can. 6. idem V. & VI. ſynod. B habetur. (Si quis non confitetur ex duabus naturis, Deitate ſcilicet, & humanitate, Chriſtum ſiue vnam ſubſtantiam compoſitam, quæ eſt ipſe Dominus Ieſus Chriſtus, anathema ſit) & ne quis fortè dicat Concilia non accipere propriè, accedit Conc. Later. ſuprà citatum ſub Martino primo conſult. quinta cap. 17. in quo habetur, quòd ea, quæ in V. ſynodo circa hoc myſterium dicuntur, verè, & propriè accipienda ſunt.

Conc. Later.

6. Quæſitum an Chriſtus ſit diuinitas & humanitas vnita.

Petes hîc an Chriſtus compoſitus ex duabus naturis, diuina, & humana, nihil aliud ſit, quàm ipſæ duæ naturæ vnitæ, ita vt vera ſit hæc propoſitio (Chriſtus eſt humanitas, & diuinitas inter ſe vnita.)

Reſponſio ad quæſitũ.

Primus modus dicendi eſt aliquorum, qui quamuis C concedant in aliis compoſitis nihil aliud eſſe compoſitum, quàm ſuas partes vnitas; negant tamen in hoc compoſito, quod eſt Chriſtus, quia hæc propoſitio videtur damnata in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. vltima; Oppoſitum tamen cum communi tenet Vualdenſis tom. 1. cap. 42. & 45. Et ratio eſt, quia non eſt maior ratio in hoc, quàm in reliquis compoſitis, in quibus compoſitum nihil aliud eſt, quàm reliqua componentia.

Concil. Cõſtant. Vualdenſ.

Mihi videtur dicendum, quòd hæc propoſitio (Chriſtus eſt humanitas, & Diuinitas ſimul vnita) non ſit bona propoſitio, ſicut nec in aliis compoſitis, ſi propoſitio accipiatur in ſenſu formali, quia abſtracta non prædicantur de concretis. In ſenſu verò D identico eſt vera, & ideo clariùs, & rectiùs protulerunt hanc propoſitionem in concreto Patres. B. Leo epiſt. 11. cùm dixit, Verbum, & carnem, & animam, vnum eſſe Chriſtum, & S. Bernard. ſerm. 3. in vigilia Natiuit. Verbum carnem, & animam, hæc tria vnum eſſe, perſonam, & hoc vnum tria.

B. Leo. S. Bernar.

Ad locum autem citatum ex Concil. Conſtantienſi reſpondetur, locum illum contra neutrum dicendi modum facere, quia ibi tantùm damnatur error Ioannis Hus aſſerentis Chriſtum eſſe humanitatem, & diuinitatem, & quamlibet earum ſeorſim.

7. Reſponſio ad argumẽta primæ ſententiæ quæ ſunt contra veritatem cõcluſionem noſtram. Ad primum.

Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum Durandi concedimus in re eſſe vnam tantùm compoſitionem humanitatis cum Verbo, E quia natura diuina non componitur: quia tamen iſtæ duæ naturæ, diuina, & humana, vniuntur ſimul à parte rei mediatè in vno ſuppoſito Verbi, ideo poteſt dici, quòd Chriſtus eſt verè, & realiter compoſitus ex duabus naturis.

8. Ad ſecundũ.

Ad ſecundum Durandi reſpondetur, Quicquid ſit, an poſſit dari compoſitio huius ad hoc, quin ſit compoſitio huius ex his, de qua re diximus contra Durandum in ſuperiori dubitatione, concedimus Durando compoſitionem ex duabus naturis in Chriſto eſſe huius ex his.

Cùm verò inſtat, quòd huiuſmodi compoſitio includit imperfectionem, quia in huiuſmodi compoſitione compoſitum eſt poſterius componentibus, & pendet ex illis, quod quidem dici non poteſt de ſuppoſito Chriſti, in quo vniuntur iſtæ duæ naturæ, quia illud eſt diuinum.

Reſpondetur, & quidem, quamuis hoc argumentum, vt bene probatum eſt in ipſo argumento, multò magis militat in compoſitione Chriſti ex duabus naturis, quàm in compoſitione ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, vt ibidem in hoc argumento facto probant Aduerſarij: Reſpondetur tamen dupliciter; & primò negando, vt ſuprà diximus, compoſitionem, vt compoſitionem, includere hanc imperfectionem, ſed illam includere compoſitionem naturalem, præſertim ex materia, & forma.

Secundò reſponderi poteſt quòd Chriſtus quatenus includit (vt ſic) illam vnionem mediatam inter naturam diuinam, & humanam, eſt quid poſterius natura diuina, & humana; ſimpliciter autem non poteſt dici Chriſtum eſſe quid poſterius, quatenus ſupponit pro ſuppoſito Verbi.

9. Reſponſio ad tertium.

Ad tertium, reſponſio petit illam difficultatem, Vtrùm ex duabus naturis in Chriſto reſultet vna tertia natura, quam ex profeſſo examinauimus ſuprà in prima dubitatione. Breuiter nunc reſpondetur; quòd quia hæc vnio immediatè fit inter humanitatem, & ſubſiſtentiam Verbi, ex qua vnione conſequitur mediatè vnio duarum naturarum in Chriſto, hinc fit, vt illæ duæ naturæ vniantur in ſuppoſito, & non in vna tertia natura.

10. Ad quartũ. Suarius.

Ad quartum, Circa ſolutionem huius quarti multa ſatis acutè (vti ſolet) cumulat Suarius. Mihi videtur diſtinguendum; quòd ſi argumentum fiat de compoſitione immediata inter ſubſiſtentiam Verbi, & humanitatem, tunc dico quòd ex vi huius compoſitionis vt ſic, non reſultat reduplicatiuè, niſi ſuppoſitum, vt humanum, id eſt, vt præciſè terminans naturam humanam, vt dictum eſt in ſecunda dubitatione.

Si verò argumentum procedat, vt de facto procedit de compoſitione mediata ex duabus naturis, tunc argumentum maiorem habet vim, quia, vt ſubtiliter inſtant aduerſarij, ex tali cõpoſitione reſultat ſubſiſtẽs in duabus naturis, & conſequẽter in Chriſto ex vi incarnationis, eſt duplex ſuppoſitum reduplicatiuè, diuinum, & humanum; Diuinum, quatenus terminat naturam diuinam, & humanum, quatenus terminat humanitatem. Reſpondetur tamen, quòd reſultat ex vi incarnationis ſuppoſitum ſubſtantiale, quod eſt perſona diuina, & humana ſimul; ità tamen, vt ſecundùm rem ſit vna, & eadem perſona Verbi, vt indicat duplicem rationem terminandi, diſtinctam tantùm ſecundùm rationem, quia in quantum terminat naturam diuinam, eſt ſuppoſitum diuinum, & eadem perſona in quantum terminat naturam humanam, eſt ſuppoſitum humanum. Colligitur reſponſio ex S. Thom. in 3. p. q. 2. art. 4. & Marſil. in 3. q. 6. art. 6. dub. 3. Caiet. 3. p. q. 2. art. 5. Et eſt etiam hæc reſponſio conformis ſanctis Patribus; nam S. Ambroſ. ep. 40. & Damaſcen. lib. 3. de fide, cap. 11. dicunt perſonam Verbi eſſe perſonam hominis, vel carnis, quatenus terminat naturam humanam.

S. Tho. Marſil. Caiet. S. Ambroſ. Damaſc.

Quòd ſi inſtes, ex hac reſponſione ſequeretur, quòd compoſitio ex duabus naturis ſit compoſitio rationis, ex duplici, ſcilicet, ratione terminandi, vnde ſequitur, quòd Chriſtus non ſit ſubſtantia realiter compoſita ex duabus naturis.

Reſpondetur ex S. Thom. quòd quamuis in ipſa ſubſiſtentia Verbi hæc duplex ratio terminandi, diſtinguatur ratione, quia tamen ſumitur per ordinem

ad duas naturas realiter diſtinctas, & in illa vnica ſubſiſtentia Verbi coniunctas, ideo non obſtat, quin ex illa duplici ratione ſubſiſtendi, diſtincta ratione bene inferatur, perſonam Verbi vt ſubſiſtentem in duabus naturis eſſe verè à parte rei compoſitam; ſatis eſt enim ad verificandam hanc propoſitionem, quòd extrema componentia ſint realia.

11. Ad quintũ. Ad quintum reſpondetur, quòd eſt diuerſa ratio in perſonis Diuinis. Nam quamuis ſint inter ſe realiter diſtinctæ, & vniantur in vna natura; non tamen componunt aliquod vnum, quia illæ tres perſonæ cum natura diuina, ſunt vnum, & idem; Sed natura humana non eſt idem cum Verbo.

Replica. Quòd ſi replices, Natura diuina eſt idem cum Verbo, ergo non poteſt dici Verbum compoſitum ex duabus naturis, ſed potiùs dicetur compoſitum ex natura humana, & Verbo, quæ eſt prior, & immediata compoſitio, de qua diximus ſuprà in ſecunda dubitatione.

12. Soluitur. Reſpondetur quòd quia natura diuina ſubſiſtit eadem ſubſiſtentia, quâ ſubſiſtit humanitas, ideo dici poteſt Chriſtum eſſe compoſitum ex duabus naturis, cùm tamen re vera compoſitio ſit tantùm ex parte humanitatis, ſufficit enim ad hoc, vt vnum extremum ſit diſtinctum à Verbo, in quo vniuntur duo extrema, & quòd extrema ſint realiter diſtincta inter ſe, quod quidem non contingit in Trinitate; Nam quamuis tres perſonæ ſint diſtinctæ inter ſe realiter, tamen omnes tres ſunt vnum, & idem in eſſentia, in qua vniuntur.

QVARTA DVBITATIO.

Vtrùm perſona Chriſti ſit ſubſtantialiter compoſita.

1. Prima ſententia. Durandus. Fundamentum huius ſententiæ. PRIMA ſententia eſt Durandi in 3. diſt. 3. q. 4. humanitatem adueniſſe Verbo accidentaliter. Fundamentum eſt, quia ſicut veſtis aduenit rei veſtitæ accidentaliter; collocatur enim in prædicamento (habere) quod eſt prædicamentum Accidentis; Et ratio eſt, quia quamuis veſtis ſit ſubſtãtia, aduenit tamen enti completo, tum quia poteſt veſtis adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem: ita ſimiliter quamuis humanitas ſit ſubſtantia, aduenit tamen Verbo, quod eſt ens completum; Et confirmatur, quia adde quòd humanitas poteſt adeſſe & abeſſe præter Verbi corruptionem; ideo ex hac compoſitione non reſultabit compoſitum ſubſtantiale, ſeu perſona Chriſti ſubſtantialiter compoſita. Pro reſolutione ſit

Confirmatio.

2. Vnica concluſio. VNICA concluſio, Perſona Chriſti eſt ſubſtantialiter compoſita ex humanitate & ſubſiſtentia Verbi; ac proinde humanitas non aduenit Verbo accidentaliter ſed ſubſtantialiter; Hæc concluſio eſt communis ſcholaſticorum in 3. diſt. 6. præſertim Riccard. ar. 3. quæſtione 2. & Bonauent. in 3. ar. 1. q. 3. S. Thom. 3. p. q. 2. ar. 6.

Riccard. Bonauent. S. Thom.

Probatur primò. Probatur primò ratione, nam ex diſputat. tertia philoſophica ex ſubſiſtentia, & natura ſit vnũ per ſe ſubſtantiale, ergo ex ſubſiſtentia Verbi, & humanitate, fiet etiam vnum ſubſtantiale.

Inſtatur cõtra primam probationẽ. CONTRA hanc rationem fundamentalem inſtant primò aliqui aſſignãdo diſparitatem inter humanitatem, & ſubſiſtentiam propriam, & inter humanitatem & ſubſiſtentiam Verbi, quia humanitas dicit inclinationem naturalem ad propriam ſubſiſtentiam, & ideo ex natura, & propria ſubſiſtentia, poteſt fieri vnum per ſe; at verò quia humanitas non dicit inclinationem naturalem ad ſubſiſtentiam Verbi, ideo non facit vnum ſubſtantiale cum illa.

Reſpondetur, per hanc inſtantiam tantùm probari, compoſitum, quod eſt Chriſtus, non eſſe compoſitum naturale ſubſtantiale, non autem, quòd non ſit compoſitum ſupernaturale ſubſtantiale, ad hoc enim ſufficit inclinatio obedientialis, per quam humanitas ſit proximè capax, vt ſubſtantialiter terminetur per ſubſiſtentiam Verbi. Solutio.

Secundò inſtant alij, quòd cùm humanitas coniungitur cum propria ſubſiſtentia, non coniungitur cum illa, tanquam cum ente completo: at verò cùm coniungitur humanitas cum Verbo, coniungitur cum illo tanquam cum ente completo. 3. Inſtatur ſecundò.

Reſpondetur, quòd humanitas propriè, & immediatè coniungitur cum ipſa ſubſiſtentia Verbi tanquam ratione quaſi formali præciſè, & vt ſic; quatenus diſtincta à natura diuina, quare vt ſic, quatenus coniungitur cum Verbo, non coniungitur cum illo, quatenus dicit ſubſiſtentiam, & naturam diuinam ſimul, ſed coniungitur cum ſubſiſtentia Verbi, vt ſic præciſè ſumpta, & vt ſic non coniungitur ſecundùm noſtrum modum concipiendi cum Verbo tanquam cum ente completo. Solutio.

Secundò probatur hæc concluſio, ex Conciliis ſuprà citatis in ſuperiori difficultate, in quibus dicitur, quòd in Chriſto eſt vnum ſuppoſitum ex duabus naturis, ſeu vna perſona compoſita, ergo Chriſtus eſt vnum ſubſtantiale, cùm ſit vna perſona. 4. Secũdò probatur.

Tertiò probatur ex Concilio Lateranenſi ſub Martino I. conſultat. quinta can. 6. vbi damnatur ille qui non confitetur propriè ſecundùm veritatẽ ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis eſſe vnum Dominum; quæ diffinitio primò Latinè tradita eſt, quidquid ſit poſtea de tranſlatione Græca, ſecundùm quam aliqui verbum illud, ſubſtantialiter, vertunt, ſecundùm hypoſtaſim. 5. Tertiò probatur.

Ad argumentum primæ ſententiæ primò reſpondent aliqui, quòd id, quod aduenit enti completo ex natura ſua, vt veſtis homini veſtito, aduenit accidentaliter, non autem id quod aduenit enti completo ſupra ſuam naturam. 6. Prima reſponſio ad argumentũ primæ ſententiæ.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, nam ſiue adueniat enti completo ſecundùm naturam, ſiue ſupra naturam, nihil facit ad hoc, vt compoſitum reſultans ſit ſubſtantiale, vel accidentale; nam ratio fundatur in hoc, quòd id, quod aduenit enti completo, non poteſt conſtituere vnum per ſe cum illo, quia ens completum eſt in actu perfecto; at verò extrema, quæ faciunt vnum per ſe, debent ex illis vnum eſſe potentia, & alterum, actus imperfectus, ad hoc, vt fiat vnum perfectè. Confutatur prima reſponſio.

Reſpondetur igitur ſecundò ad argumentum ex dictis, quòd præciſè, & proximè humanitas non coniungitur cum Verbo, tanquam cum ente completo conſtituto ex natura diuina & perſonalitate Verbi, ſed cum ipſa perſonalitate ſeu ſubſiſtentia Verbi tanquam cum ratione quaſi formali. 7. Secunda & verior reſpõſio ad argumentum.

Nec obſtat quòd ſubſiſtentia ſit identificata cum natura Diuina, quia ſatis eſt, vt ſit diſtinctio rationis cum fundamento in re, quia vt ſic, ſubſiſtentia Verbi ſecundùm noſtrum modum concipiendi, non concipitur vt ens completum, quia non concipitur vt conſtitutum ex ſubſiſtentia ſeu perſonalitate, & natura diuina.

Ad confirmationem reſpondetur, veram eſſe illam definitionem accidentis quinti prædicabilis, illud ſcilicet, eſſe accidens quinti prædicabilis, quod abeſt, & adeſt præter ſubiecti corruptionem; ſed non bene applicatur propoſito, quia humanitas non 8. Ad cõfirmationem.

Digitized by Google

non aduenit Verbo tanquam ſubiecto, quod ab ipſa humanitate perfici debeat, ſed aduenit Verbo tanquam termino, à quo ſuſtentetur, & terminetur. Præterea per ſubiectum intelligitur ipſum compoſitum ſubſtantiale, ita vt, quod aduenit compoſito ſubſtantiali præter corruptionem ipſius compoſiti, adueniat accidentaliter; at verò humanitas non aduenit compoſito ſubſtantiali, quod eſt Chriſtus, ſed potiùs conſtituit, & componit ipſum compoſitum ſubſtantiale, vt probatum eſt, quare non poteſt de humanitate verificari definitio quinti prædicabilis.

QVINTA DVBITATIO.

Vtrùm compoſitio, ſeu vnio humanitatis cum Verbo ſit ſubſtantialis.

1. Duplex ſenſus quæſtionis ſeu dubitationis. Primus.

NOTANDVM quòd dupliciter poteſt agitari hæc dubitatio. Primò contra Neſtorium & alios hæreticos, qui quoniam aſſerebant eſſe in Chriſto duas perſonas ſeu ſuppoſita, vel hypoſtaſes, conſequenter dicunt iſtas duas perſonas vniri accidentaliter. Et quidem Neſtorius aſſerit hanc vnionem accidentalem non eſſe à parte rei, ſed per vnionem extrinſecam, à ſingulari amore quo Deus proſequitur Chriſtum, & à ſpecialibus quibuſdam donis Chriſto conceſſis, ratione quorum Chriſtus dicitur Filius Dei; contra quem errorem ſcripſerunt graues recentiores, inter veteres verò Paludanus, & Durandus loco ſuprà citato. *Paludan. Durand.*

Cautè tamen legendus eſt Durandus, quia, vt ſoluat obiectiones hæreticorum, concedit humanitatem aduenire Verbo accidentaliter, qui quidem modus loquendi eſt cauendus, fauet enim Neſtorianis, & etiam eſt falſus, vt ſuprà in quarta dubitatione oſtendimus contra Durandum, & mox infrà oſtendemus.

2. Secundus ſenſus proprius huius dubitationis.

Secundò agitari poteſt quæſtio contra aliquos Scholaſticos, qui, quamuis teneant contra hæreticos in Chriſto eſſe vnam perſonam, & Verbum eſſe ſecundùm ſubſtantiam vnitum humanitati, videntur tamen aſſerere, & ex eorum fundamentis colligitur vnionem eſſe accidentalem; Et iuxta hunc ſenſum agitatur hîc quæſtio.

3. Prima ſententia. Gabriel.

PRIMA ſententia eſt Gabrielis in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 5. qui dat quandam qualitatem ſupernaturalem, per quam humanitas formaliter vnitur Verbo per formalem quandam habitudinem, quam habet hæc qualitas ſpecialiter ad Verbum, & non ad alias perſonas.

Fundamentum primæ ſententiæ.

Motus eſt autem Gabriel ad dandam hanc qualitatem, quia in 1. diſtinct. 30. quæſt. 4. conc. 5. tenuerat vnionem formæ, & materiæ in naturalibus nihil aliud dicere, quàm intimam vnitorum præſentiam in eodem loco; vnde infert in quantitate tunc duo continuari, quando ſunt ſimul; quare ſi duo, inquit, corpora dura poſſent tangere ſe, non mediante aëre, aut aqua, fore illa duo corpora continua, & non contigua.

HIS poſitis, quia videbat Durandus ex his ſequi, quòd Verbum, quia ſemper eſt intimè vnitum per præſentiam localem cuilibet naturæ creatæ, aſſumpſiſſet omnem naturam creatam ſibi hypoſtaticè, coactus eſt dicere ibidem in 1. diſt. 3. quòd præter præſentiam localem, requiritur inter humanitatem, & Verbum, quædam qualitas ſupernaturalis, quæ dicat formalem habitudinem ad Verbum, per quam formaliter humanitas vniatur Verbo, hanc autem qualitatem ideo dicit requiri in Chriſto, & non in aliis compoſitis naturalibus, quia Chriſtus eſt compoſitum ſupernaturale.

Ex hoc autem fundamento Gabrielis, manifeſtè ſequitur, vnionem eſſe accidentalem, quia ſecundùm hanc opinionem, vnio eſſet per qualitatem vnitiuam. *Gabriel.*

4. Secunda ſententia. Scot. Baſſ.

SECVNDA ſententia eſt Scoti in 3. diſt. 1. q. 1. & Baſſoli ibidem diſtinct. 1. qui tenent hanc vnionem eſſe dependentiam humanitatis à Verbo, quam vocat Scotus relationem extrinſecùs aduenientem; quam opinionem probabilem exiſtimat Gabr. ibidem, & tenent eam multi recentiores. Ratio eſt, quia ſicut humanitas ſeipſa pendet à propria ſubſiſtentia, & ſic illi vnitur, ita pari ratione pendet à Verbo ſeipſa, & ſic illi vnitur, quia Verbum ſupplet vices propriæ ſubſiſtentiæ. *Fundamentum ſecundæ ſententiæ.*

Ex quo fundamento tenentur iſti Doctores conſequenter dicere hanc vnionem eſſe accidentalem, quia dependentia alicuius rei à ſuis cauſis, formaliter eſt actio; eſt enim ipſum eſſe rei, quatenus eſt in fieri, vel conſeruari à ſuis cauſis: Sicut igitur dependentia ab efficienti eſt accidens, quia non eſt de conſtitutione ſubſtantiali rei, quæ fit, ſed eſt quaſi via, qua illi communicatur eſſe ſubſtantiale, ita ſimiliter dependentia, qua humanitas pendet à Verbo, non eſt de conſtitutione ſubſtantiali humanitatis, ſed potiùs eſt via ad recipiendum eſſe à Verbo.

5. Tertia ſententia. Palud.

TERTIA ſententia eſt aliquorum apud Paludanum in 3. diſt. 5. quæſt. 1. ar. 3. aſſerentium, vnionem eſſe relationem realem prædicamentalem; ex qua opinione ſequitur manifeſtè vnionem eſſe accidentalem.

6. Quarta ſententia. Durand.

QVARTA ſententia eſt Durandi in 3. diſtinct. 6. qui tenet humanitatem accidentaliter aduenire Verbo, quia aduenit tanquam enti completo, & quia poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem. Ex hac autem ſententia Durandi, videtur manifeſtè ſequi, vnionem eſſe accidentalem, tum quia ſi humanitas ſecundùm ipſum, aduenit accidentaliter, ſequitur conſequenter, quòd vnio ſit accidentalis, tum quia ſi hæc vnio aduenit Verbo, vt ipſe inquit, tanquam enti in actu completo, erit forma accidentalis, quia in hoc differt forma accidentalis à ſubſtantiali. Pro reſolutione ſit

7. Vnica concluſio S. Thom. Schol. in 3.

VNICA concluſio. Dicendum eſt, vnionem humanitatis cum Verbo eſſe ſubſtantialem. Eſt communis ſententia Scholaſticorum in 3. diſt. 6. cum S. Thom. q. 2. art. 6.

Aliqui probant, quia vnio non poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem; nam ſi pro ſubiecto ſumatur ipſa humanitas, quod eſt ſubiectum inhæſionis, tunc non poteſt abeſſe præter humanitatis corruptionem, nam ſublata vnione, remaneret humanitas interminata, quod non poteſt ſtare naturaliter; Si verò ſumatur pro ſubiecto ipſum compoſitum ſubſtantiale, quod reſultat, non poteſt vnio abeſſe præter ſubiecti corruptionem.

Sed hæc probatio poteſt facilè impugnari, nam multa ſunt accidentia, quæ ſi abſunt, corrumpitur ſubiectum, vt ſi deſtruatur calor vitalis, deſtruitur vita.

Probatur igitur ſecundò hæc ſententia ex dubitatione ſuperiori, probatum eſt enim ex Conciliis, Chriſtum eſſe compoſitum, ergo vnio eſt ratio ſubſtantialis. Probatur conſequentia, quia, vt dictum eſt, inter naturam & propriam ſubſiſtentiam, eſt vnio ſubſtantialis, quia ex illa reſultat perſona ex vtroque

Digitized by Google

vtroque compoſita, quæ perſona eſt vnum ſubſtantiale; ſed ex vnione humanitatis cum Verbo, reſultat vnum ſubſtantiale, quod eſt Chriſtus, quia perſonalitas Verbi ſupplet, quod perſonalitas propria præſtaret humanitati, ergo hæc vnio eſt ſubſtantialis.

8. Tertiò probatur, quia forma, ſeu modus accidentalis à ſubſtantiali, in eo differunt, quòd quamuis vtraque forma perficiat ſubiectum, tamen forma ſubſtantialis perficit ſubſtantialiter; at verò accidentalis, accidentaliter. At vnio in Chriſto eſt modus, ſeu forma, quæ perficit ipſum Chriſtum ſubſtantialiter, eſt enim ratio formalis, per quam humanitas terminatur à Verbo ſecũdùm hypoſtaſim.

Mart. Probatur hæc ſententia ex Concilio Lateranenſi ſub Martino primo conſult. 3. vbi, cùm in can. 6. condemnaſſet illos, qui non confiterentur propriè, & ſecundùm veritatem eſſe vnum Dominum Ieſum Chriſtum ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, poſtea in Can. 8. qui facit ad noſtrum propoſitum, condemnat eos, qui propriè, & ſecundùm veritatem non confitentur in Chriſto duarum naturarum ſubſtantialem vnitionem, quæ definitio primùm Latinè, vt ſuprà dictum eſt, edita eſt, quidquid ſit poſtea ſecundùm tranſlationem Græcam, ſecundùm quam Verbum illud (ſubſtantialem) vertunt aliqui, ſecundùm hypoſtaſim.)

9. Gabr. Ad fundamenta aliarum opinionum reſpondetur. Et ad fundamentum primæ opinionis Gabrielis dicitur eſſe falſum id, quod aſſumit, humanitatem, ſcilicet, per qualitatem ſupernaturalem vniri Verbo, hinc enim bene inferretur vnire accidentaliter: Nec probatio Gabrielis multùm vrget, cùm enim dicit, ideo inter Verbum, & humanitatem, requiri qualitatem ſupernaturalem vnientem, quia in naturalibus, cùm extrema vniantur per præſentiam localem, ſi humanitas non vniretur Verbo per qualitatem ſupernaturalem, ſequeretur ſemper eſſe vnitam, quia ſemper Verbum eſt illi præſens localiter; non, inquam, hæc probatio vrget, ſupponit enim Gabriel falſum, extrema ſcilicet vniri per præſentiam localem, quia anima, & corpus poſſunt eſſe ſimul localiter, & tamen non vnita ſubſtantialiter, non enim poteſt aliquid conferre præſentia localis in eſſe naturæ, ſeu principij ſubſtantialis in ordine ad tertiam operationem, qualis eſt intellectio per phantaſmata.

Ad fundamentum ſecundæ opinionis Scoti, reſpondetur, negando, vnionem inter humanitatem & Verbum, eſſe dependentiam humanitatis à Verbo, quia tunc bene inferretur, hanc vnionem eſſe accidentalem, vt ibidem probatum eſt: quòd verò hæc vnio non ſit dependentia, infrà oſtendetur in ſequenti corollario. 10.

Ad fundamentum tertiæ opinionis reſpondetur, negando vnionem eſſe relationem prædicamentalem, vt infrà dicemus in ſequenti corollario. 11.

Ad fundamentum quartæ opinionis Durandi, negatur humanitatem aduenire Verbo accidentaliter. Ratio autem negationis eſt, quia humanitas, vt ſuprà dictum eſt, non aduenit Verbo tanquam ſubiecto; de ſubiecto autem (quamuis oppoſitum videatur innuere Suarius 3. par. diſput. 8. ſect. 2. & alij recentiores) intelligitur illa definitio accidentis apud Porphyrium, Quod adeſt, & abeſt, præter ſubiecti corruptionem: Sed humanitas aduenit Verbo tanquam termino, & conſequenter aduenit ſubſtantialiter, quia ex Verbo, & humanitate fit vnum compoſitum ſubſtantiale tanquam ex termino, & natura. Ex quo ſequitur (quicquid dicant recentiores) quòd humanitas non eſt accidens quinti prædicabilis reſpectu Verbi. 12.

Et cùm vrgetur, aduenit humanitas Verbo tanquam enti completo, ergo aduenit accidentaliter ſaltem ſecundùm accidens quinti prædicabilis. Reſpondetur quòd humanitas, vt dictum eſt ſuprà, non aduenit proximè & immediatè ipſi naturæ diuinæ, ſeu Verbo, vt conſtituto reduplicatiuè ex natura diuina & perſonalitate, ſed proximè, & immediatè aduenit ipſi perſonalitati Verbi, vt perſonalitati reduplicatiuè, quatenus diſtinctæ ſecundùm noſtrum modum concipiendi ab ipſa natura diuina, perſonalitas autem vt ſic, non eſt ens completum.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA THEOLOGICA CIRCA QVARTVM COROLLARIVM,

De termino Incarnationis.

De hac materia S.Thom.3.part.quæſt.2.art.8.Scholaſtici in 3.diſt.1.& 2.& in 1.diſt.2.

In hac quæſtione ſunt quatuor dubitationes.

I. *Vtrùm vnio ſit terminus vt (quo,) immediatè productus per incarnationem.*

II. *Vtrùm vnio tamquam terminus immediatus vt (quo,) ſit quid diſtinctum ab humanitate & Verbo.*

III. *Vtrùm terminus formalis & vltimatus incarnationis vt (quod,) ſit humanitas.*

IV. *Qui ſit terminus à quo incarnationis.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm vnio ſit terminus vt (quo,) immediatè productus per incarnationem.

1. Notãda differentia inter aſſumptionem, Incarnationẽ, & vnionem, & vnitionẽ.

PRo intelligentia huius primæ dubitationis notanda ſunt duo.

PRIMO notandum eſt ex S.Thom. 3.part. quæſt.2. art.4. & 8. quòd hæc quatuor nomina, Vnio, Aſſumptio, (hypoſtatica) Incarnatio, & Vnitio diſtinguuntur inter ſe; nam vnio ſignificat aliquid in facto eſſe, modum, ſcilicet, coniunctionis ſubſtantialis; aſſumptio verò, & vnitio, & Incarnatio ſignificant aliquid in fieri, ſeu in via, & ſic habent conceptum actionis.

Diſtinguitur autem actio aſſumptionis & incarnationis ab actione vnitionis, quia vnitio tantùm dicit actionem, per quam producitur vnio; at verò aſſumptio non ſolùm dicit actionem coniunctionis, ſed etiam importat extremum, cui fit coniunctio, & præterea importat, quòd illud extremum habeat rationem agentis; eſt enim aſſumptio ad ſe ſumptio, vnde ſolum Verbum dicitur aſſumere, quia ſolum Verbum eſt illud, quod ſimul eſt agens & extremum vnitum: at verò ad actionem vnitionis tota Trinitas dicitur concurrere, incarnatio verò dicit etiam actionem coniunctionis, & præterea importat aliud extremum, quod aſſumitur, & in hoc differt ab aſſumptione. In hac verò dubitatione quæritur quis ſit terminus immediatè productus per vnitionem. Pro quo

2. Secũdò nota, vbi ſitus eſt punctus difficultatis.

NOTA ſecundò, duo eſſe certa in hac dubitatione.

Primò certum eſt, dandam eſſe aliquam actionem, per quam natura humana vnitur Verbo. Probatur primò, quia ante inſtans Incarnationis humanitas non erat vnita cum Verbo, & in illo inſtanti eſt vnita, ergo in illo inſtanti aliquid factum eſt, ergo ex vi alicuius actionis. Secundò probatur ex Scripturis, Ioann.1. *Verbum caro factum eſt.* Tertiò ex V. ſynodo act. 8. & vltima can. 4. & 8. & ex VI. ſynodo act. 8. vbi dicitur vnionem hanc eſſe factam, ergo per aliquod fieri, ſeu per aliquam actionem, quæ eſt ipſemet terminus in fieri.

Ioan.

V.& VI. ſyn.

Secundò certum eſt, quòd hæc actio vniendi, ſeu Incarnatio in genere cauſæ efficientis, eſt à tota Trinitate ex Concilio Lateranenſi cap. Firmiter. de ſumma Trinitate: & ex VI. ſynodo act.8. & ex communi Patrum, quia opus ad extra eſt à tota Trinitate efficienter, ſpecialis autem concurſus, quo Verbum concurrit in ratione terminandi in genere cauſæ quaſi formalis, eſt à ſolo Verbo. Et hæc quidem ſunt certa. 3.

Conc Later.

Quod autem controuertitur eſt, An vnio ſit terminus immediatus, qui fit per hanc vnitionem, ſeu Incarnationẽ, & ſermo eſt de termino vt (quo) nam de termino formali vltimato vt (quod) diſputabitur in tertia dubitatione.

Circa quam dubitationem eſt

4. Prima ſententia.

PRIMA ſententia recentiorũ Thomiſtarum, quæ aſſerit terminum quo, & immediatũ Incarnationis, ſeu vnitionis, eſſe ipſam humanitatem in Verbo, ita vt per ipſam actionem vniendi & producatur humanitas ſecundùm ſe, & in Verbo.

Primum argumentum.

Probatur primò, quia humanitas in doctrina S. Thomæ exiſtit exiſtentia Verbi, ergo per eandem actionem, per quam humanitas habet exiſtentiam Verbi, habet eſſe extra cauſas ſuas in Verbo, quod eſt produci ſecundùm ſe, & habere ſimul eſſe in Verbo.

Secundũ argumentum. Leo primus.

Secundò, quia ex Leone I. epiſt. 11. humanitas Chriſti non fuit priùs creata quàm aſſumpta, ſed ipſa aſſumptione creata eſt, ergo ipſa aſſumptio fuit productio humanitatis, & idem habetur in Fulgentio lib. de Incar. cap. 3. Ipſa (inquit) acceptio carnis fuit conceptio virginalis.

Fulgent.

5. Secũda ſententia. Scot. Baſſ. l. Recẽtiores.

SECVNDA ſententia eſt Scoti in 1. & 3. diſtinct.1. quæſt.1. art. 3. Baſſoli ibidem, & grauium recentiorum, aſſerentium duo;

Primò quòd terminus vt (quo) productus immediatè per incarnationem non eſt humanitas in Verbo, contra primam ſententiam, ſed eſt vnio;

huma

Digitized by Google

humanitas enim in priori ſigno intelligitur producta, & in poſteriori ſigno vnita Verbo; quod igitur immediatè producitur per incarnationem, eſt ipſa vnio tanquam terminus (quo.)

6. *Primum argumentum.* Secundò dicunt hanc vnionem non eſſe diſtinctam à dependentia humanitatis à Verbo, ſed eſſe formaliter ipſam dependentiam.

Probant præſertim recentiores, primò hoc ſecundum dictum, Subſiſtentia Verbi ſupplet propriam ſubſiſtentiam creatam; ſed humanitas non aliter vnitur cum propria ſubſiſtentia, quàm per dependentiam, ergo vnio in Chriſto nihil eſt aliud quàm ipſa dependentia humanitatis à Verbo. Maior eſt manifeſta: Minor probatur, quia humanitas per dependentiam à propria ſubſiſtentia eſt in ſe, & per illam expletur indigentia ipſius; ſufficiens eſt igitur iſta dependentia ad vniendam humanitatem cum propria ſubſiſtentia.

7. *Secundũ argumentum.* Secundò probatur, Superflua eſt diſtinctio à parte rei vnionis à dependentia, quia Verbum non habet influxum actiuum, ſed terminatiuum, ſeu ſuſtentatiuum tantùm, hunc autem habet ex vnione, quia vnio per ſe ipſam terminatur ad Verbum; ergo ex illa habet Verbum influxum perſonalem ſufficientem ad ſuppoſitandam naturam humanam abſque alia dependentia media; ergo dependentia & vnio idem ſunt.

8. *Tertium argumentum.* Tertiò, ſi intelligatur vnio ad Verbum abſque alia dependentia, intelligitur humanitas exiſtens in Verbo vt in ſuppoſito; ergo ex vi illius formaliter pendet perſonaliter à Verbo, quia nihil aliud eſt, inquiunt, hoc modo pendere à Verbo, niſi eſſe in illo vt in perſona, ergo dependentia formaliter eſt vnio.

9. *Quartum.* Quartò, Iſta dependentia aut eſt per modum viæ, aut eſt in facto eſſe: ſi per modum viæ, non poteſt concipi fieri aliquid per illam niſi vnio; hæc igitur dependentia in fieri eſt vnitio: ſi in facto eſſe, tunc eſt modus ſubſtantialis, & quidem non alius excogitari poteſt, niſi vnio.

Quintum. Quintò, Sicut per dependentiam actiuam vnitur effectus cum ſua cauſa efficienti; ita per dependentiam perſonalem vnitur humanitas cum Verbo; ergo ipſa dependentia eſt vnio.

10. *Tertia ſententia. Gabr.* Tertia opinio Gabr. in 3. diſt. 1. qu. 1. quam ſuprà retulimus, aſſerentis, terminum (quo) Incarnationis, ſeu vnitionis eſſe qualitatem ſupernaturalem, quæ licèt à tota Trinitate cauſetur efficienter, tamen formaliter habet quandam habitudinem ſpecialem ad Verbum, per quam dicitur vniri Verbo, & non Patri, aut Spiritui ſancto. Neque ex hoc ſequitur (inquit) quòd vnio ſit reſpectus; Nam anima vt gratificata, refertur ad Deum gratificantem, & tamen non per aliquem reſpectum diſtinctum à charitate.

Fundamentum opinionis. Fundamentum Gabrielis eſt, quia vnio in Incarnatione Verbi eſt ſupernaturalis, ergo non poteſt intelligi eſſe per ſolam præſentiam localem vnitorum, ſicut intelligitur eſſe vnio duorum extremorum naturalium, quæ, cùm ſint proportionata, ſtatim ac ſunt præſentia inuicem intelliguntur vnita.

11. *Quarta ſententia. Med. Caiet. Palud. Scotus.* Quarta ſententia aſſerit hunc terminum vnionis eſſe relationem realem exiſtentem in humanitate. Hæc ſententia eſt aliquorum apud Medin 3. p. q. 2. a. 8. & Caiet. ibidem. & Palud. in 3. diſt. 5. q. 1. a. 3. Falsò autem hæc opinio adſcribitur Scoto, & Scotiſtis. Nam ipſi, vt vidimus in prima opinione, loquuntur de relatione extrinſecus adueniente, quæ eſt dependentia. *Bonauent. Riccard.* Tribuitur hæc opinio Bonau. in 3. diſt. 1. a. 1. q. 1. & 2. & diſt. 2. a. 3. q. 2. & Riccar. diſt. 5. a. 3. q. 1. & 2. qui vnionem vocant relationem.

Fundamentum huius opinionis. Fundamentum huius opinionis eſt, quia vnio eſt reſpectus ad vnita, & non poteſt eſſe tranſcendentalis, quia hic non requirit extrema exiſtentia, ſicut requirit vnio ergo eſt prædicamentalis.

Reſolutio huius dubitationis pendet ex diſputatione quarta Philoſophica, præſertim ex prima quæſtione.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

TERMINVS immediatus vt (quo,) incarnationis in fieri, ſeu vnitionis naturæ humanæ cum Verbo, non eſt humanitas in Verbo. 12.

Hæc concluſio eſt communis ſententia Doctorum in 3. diſt. 5. & 9. & S. Thom. q. 4. ar. 2. & 3. & q. 6. artic. 4.

Probatur, quia aſſumptio, ſeu incarnatio ſupponit productionem humanitatis, ergo non poteſt habere pro termino ipſam humanitatem. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur. Et ſuppono ex his, quæ infrà dicemus humanitatem non exiſtere per exiſtentiam Verbi; quo ſuppoſito neceſſariò ſequitur quòd alia eſt actio, per quam humanitas in priori quodam ſigno habet exiſtentiam propriam, & alia, per quam in poſteriori ſigno vnitur perſonalitati Verbi, quia perſonalitas Verbi, vt perſonalitas, non poteſt terminare productionem humanitatis, ſed humanitas ſecundùm propriam exiſtentiam fit immediatè à tota Trinitate per creationem, creando partes, animam ſcilicet & materiam, & ab efficienti naturali fit producendo totum, vniendo ſcilicet animam cum corpore. *Probatur primò.*

Et confirmatur, ſi humanitas Chriſti fuiſſet producta cum propria ſubſiſtentia, & poſtea aſſumpta à Verbo, profectò in hoc caſu terminus aſſumptionis eſſet vnio cum perſonalitate Verbi, & non ipſa humanitas ſecundùm ſe, quia ipſa humanitas ſecundùm ſe præcederet tempore ipſam aſſumptionem, ergo vt aſſumptio eſt modò de facto, præſupponit priùs natura humanitatem eſſe extra cauſas ſuas, ſiue per creationem partium, ſiue per generationem totius. *Cõfirmatio.*

Secundò probatur concluſio, etiam ſi daremus humanitatem exiſtere exiſtentia Verbi, adhuc aſſumptio non haberet pro termino humanitatem ſecundùm ſe, quia aſſumptio eſt ad perſonalitatem Verbi, vt diſtinctã ſaltem ratione ratiocinata ab exiſtentia, ergo deberet dari conceptus vnionis vt terminus aſſumptionis, ſaltem diſtinctus ratione ratiocinata ab ipſa humanitate, tanquam termino productionis per exiſtentiam Verbi, & multò magis hoc militat ſi exiſtentia Verbi eſt exiſtentia abſoluta communis aliis perſonis. *Secũdò probatur.*

CONTRA hanc concluſionem faciunt argumenta, quæ attulimus pro prima ſententia, ad quæ quidem oportet nunc reſpondere, vt magis eluceſcat veritas concluſionis. 13. *Reſponſio ad argumenta in oppoſitum.*

AD primum igitur reſpondetur, falsò ſupponi humanitatem exiſtere exiſtentia Verbi, & etiam ſi concedatur, adhuc incarnatio non haberet pro termino immediato, vt (quo,) humanitatem, vt probauimus ſuprà in hac concluſione.

Ad ſecundũ. AD ſecundum reſpondetur, S. Leonem, & Fulgentium ſolùm aſſerere contra hæreticos, non priùs tempore fuiſſe productam humanitatem, quàm aſſumptam, non tamen negant quòd priùs natura fuerit producta, quàm aſſumpta.

SECVN

Digitized by Google

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

14. *Secunda cõcluſio.* TERMINVS incarnationis non eſt vnio in ſenſu, explicato à ſecunda ſententia ita vt vnio ſit formaliter ipſa depẽdentia humanitatis à Verbo.

Prima probatio. Vnio nõ eſt formaliter dependẽtia. Probatur primò Iſta dependentia eſt actio, ergo non poteſt eſſe terminus vnitionis, ſeu Incarnationis. Probatur conſequentia, quia terminus eſt ſubſtantialis, at iſta dependentia, cùm ſit actio, eſt accidentalis. Quòd ſit actio, probatur, quia dependentia nihil aliud eſt, quàm ipſum eſſe rei, vel conſeruari à ſua cauſa; hic autem conceptus eſt conceptus actionis. Quòd verò ſit accidentalis, probatur, quia actio, ſiue ſit in genere cauſæ efficientis, ſiue ſit in genere cauſæ terminatiuæ, non eſt de conſtitutione ſubſtantiali rei, ſed eſt via, qua rei communicatur eſſe ſubſtantiale, ergo eſt accidentalis. At verò ſuprà corol. 2. dubitatione 5. probauimus vnionẽ eſſe de conſtitutione ſubſtantiali rei, ſeu compoſiti, neque hoc negant authores ſecundæ ſententiæ.

15. *Secũda probatio.* Secundò probatur, quia præter hanc dependentiam, quæ eſt in ordine ad recipiendum exiſtentiam à Verbo, tanquam à cauſa terminatiua, requiritur adhuc vnio, cuius formalitas conſiſtit in ordine ad componendum vnum ex Verbo & humanitate, vt dictum eſt ſuprà, ergo præter dependentiam debet dari terminus vnitionis, ſeu incarnationis, per quem fiat vnum ſubſtantiale: hic autem eſt vnio.

Quòd ſi dicas, per hanc dependentiam vnitur. Reſpondetur, quòd dependentia non poteſt eſſe formaliter vnio, quia poteſt ſtare vnio ſine dependentia, vt eſt vnio eſſentialis animæ rationalis cum corpore ſine dependentia quoad eſſe à corpore; & præterea poteſt ſtare dependentia ſine vnione, vt cùm dependet effectus à cauſa efficiente, vel vnum relatiuum ab alio.

16. *Quæſitum. Vnio nõ eſt terminus dependẽtiæ.* QVOD ſi quæras, an vnio, licèt non ſit formaliter dependentia, poſſit tamen eſſe terminus huius dependentiæ à Verbo, præſertim cùm ipſa dependentia ſit actio vt probatum eſt. Reſpõdetur, quòd non.

Sed circa probationem eſt diuerſitas, nam aliqui recentiores aſſignant rationem, quia ante dependentiam intelligitur vnio, nam mediante vnione humanitas dependet à Verbo.

Prima ratio confutatur. Sed contra hanc rationem mihi occurrit dubium: nam dependentia eſt ab aliquo tanquam à cauſa in ordine ad recipiendum exiſtentiam in rerum natura: Vnde humanitas non exiſteret in rerum natura, ſi non penderet à Verbo, quod ſupplet concurſum ſubſiſtentiæ propriæ tanquam cauſæ terminatiuæ; at verò vnio formaliter eſt in ordine ad faciendum vnum compoſitum: Non poteſt autem intelligi fieri vnum compoſitum in rerum natura ex humanitate, & Verbo, niſi intelligatur humanitas exiſtens in rerum natura; Hoc autem eſſe adæquatum habet humanitas partim à Deo tanquam ab efficienti, partim à Verbo tanquam à cauſa terminatiua: ergo dependentia à Verbo potiùs præſupponitur vnioni, quàm vnio ipſi dependentiæ.

Secunda ratio verior. Ratio igitur, quare vnio non poſſit eſſe terminus dependentiæ, eſt, quia præſupponi debet dependentia humanitatis ante vnionem: erit igitur terminus immediatus huius dependentiæ ipſum eſſe humanitatis, quod partim pendet à Verbo tanquam à termino, partim à Deo tanquam à cauſa efficienti.

Quòd ſi vrgeas, quòd in illo priori, in quo pen-

A det humanitas à Verbo, iam debet eſſe vnita Verbo. Reſpondetur, quod non intelligitur adhuc vnita vnione illa ſecundùm quam fit vnum ſubſtantiale, ſed intelligitur dependere à Verbo tanquam à termino, per modum quendam dependentiæ diſtinctum ab vnione, ſicut effectus materialis dependet à cauſa materiali, & tamen hic concurſus diſtinguitur ab vnione, vt patet in anima rationali, quæ vnitur materiæ, & non dependet ab ea ſecundùm eſſe; & è contra, vbi extenſum pendet materialiter ab Angelo, quod non repugnare oſtendimus in diſputatione quarta philoſophica quæſtione vltima, & tamen non vnitur Angelo per informationem, nec denominat illum extenſum. Erit igitur vnio B terminus, non quidem dependentiæ, ſed alterius actionis diſtinctæ, quæ dicitur vnitio.

17. *Reſponſio ad argumenta.* CONTRA hanc ſecundam concluſionem faciunt argumenta, quæ attulimus pro ſecunda ſententia, ſed nihil obſtant.

Ad primum. AD primum enim cùm dicitur, quòd ſicut humanitas vnitur cum propria ſubſiſtentia per depẽdentiam, ita etiam vnitur Verbo. Reſpondetur negando, humanitatem vniri cum propria ſubſiſtentia per dependentiam, ſed aliud eſt vnio, & aliud dependentia in quacumque opinione, ſiue teneatur ſubſiſtentiam eſſe modum naturæ, ſiue realitatem diſtinctam.

Qui tenent propriam ſubſiſtentiam eſſe modum, C dicunt ſubſiſtentiam ſeipſa vniri cum humanitate, quia cùm ſit modus, habet ſibi identificatam vnionem; & iuxta hanc opinionem vnio eſt in ſubſiſtentia, dependentia verò in humanitate. Nos verò qui tenemus, ſubſiſtentiam diſtingui realiter ab humanitate, vt in diſputatione tertia philoſophica quæſtione prima fusè probauimus, dicimus quòd tam dependentia, quàm vnio eſt in humanitate, tanquam duæ formalitates diſtinctæ, & eodem modo ſunt in ipſa humanitate aſſumpta à Verbo, quia per dependentiam, tanquam per actionem, vt ſuprà dictum eſt, dependet humanitas à ſubſiſtentia recipiendo exiſtentiam à ſubſiſtentia, tanquam à cauſa terminatiua: per vnionem verò naturæ cum ſubſiſtentia D ſit vna perſona humana tanquam principium completum operandi; quare verò ponamus vnionem in ipſa humanitate, & non in ſubſiſtentia, mox dicemus in ſequenti corollario.

18. *Ad ſecundũ.* AD ſecundum cùm dicitur, non alio modo Verbum concurrere ad ſuſtentandum humanitatem quàm per vnionem, ac proinde vnionem nihil aliud eſſe formaliter quàm ipſam dependentiam. Reſpondetur negando antecedens, nam hunc concurſum habet Verbum in priori quodam ſigno, quàm ſit vnio: Priùs enim intelligitur humanitas exiſtens adæquatè per concurſum Dei efficientis, & per concurſum ſuſtentatiuum Verbi, quàm vnita: vnde Deus vt oſtendimus in tertia diſputatione philo- E ſophica quæſtione tertia poſſet ſupplere per efficientiam concurſum ſuſtentatiuum, non autem vnionem.

Et cùm inſtatur, hic influxus ſuſtentatiuus non eſt actiuus, ſed terminatiuus, ergo eſt per vnionem cum Verbo tanquam cum termino. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia, vt dictum eſt in diſputat. 3. philoſophica quæſtione ſecunda, duplex eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ, alter ſuſtentare naturam creatam, & hic eſt ſecundario intentus, alter terminare naturam & facere vnum per ſe cum illa; & hic eſt primarius; ſubſiſtentia igitur Verbi concipitur in priori ſigno ſuſtentare humanitatem; & in poſteriori vnire ſe cum humanitate ad faciendum vnum

vnum per ſe ex natura humana & ipſo Verbo tamquam termino.

19. Ad tertium. Ad tertium eiuſdem, cùm dicitur, quod ſi intelligatur vnio cum Verbo, intelligetur abſque alia dependentia humanitas exiſtens in Verbo, ergo ex vi vnionis pendet à Verbo. Reſpondetur illud antecedens facere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, vt intelligatur humanitas exiſtens in Verbo, præcisè ex vi vnionis tantùm, & hoc modo negatur; quia ſi tolleretur dependentia, tolleretur vnio, quia tolleretur exiſtentia humanitatis ſecundùm ſe, quam præſupponit vnio, & patet ex dictis. Secundus ſenſus eſt, quòd ſi intelligatur vnio humanitatis cum Verbo, intelligeretur exiſtens ſine alia dependentia ſubſequenti vnionem; Et hoc modo verum eſt; quia non poteſt intelligi humanitas exiſtens vnita cum Verbo, niſi præſupponatur dependentia in aliquo priori; Non igitur dependentia eſt formaliter vnio.

20. Ad quartũ. Ad quartum cùm dicitur, quòd iſta dependentia ſi concipiatur per modum viæ, ſeu fieri, poteſt concipi aliud fieri, quàm ipſa vnio: quare ſolùm terminus dependentiæ in facto eſſe, eſt vnio. Reſpondetur, quòd iſta dependentia eſt per modum viæ, ſeu fieri; fit autem per ipſam, non vnio, ſed ipſum eſſe humanitatis: quòd autem vnio non poſſit eſſe terminus dependentiæ, ſatis probatum eſt ſuprà in hac eadem concluſione circa finem.

21. Ad quintũ. Ad quintum cùm dicitur, quòd ſicut per dependentiam actiuam ſeu efficientis vnitur effectus cum ſua cauſa, nec requiritur alia vnio diſtincta, ita per dependentiam perſonalem, vnitur humanitas cum Verbo. Reſpondetur, per dependentiam actiuam effectus à cauſa non fieri vnum compoſitum ſubſtantiale ex cauſa, & effectu intrinſecè vnitis, tanquam ex partibus pertinentibus ad conſtitutionem ipſius compoſiti, ſicut fit ex vnione humanitatis cum Verbo; ac proinde in compoſito ſubſtantiali præter dependentiam naturæ à ſuppoſito requiritur vnio; quod quidem probatur etiam à poſteriori, quia ſi humanitas Chriſti dependeret à Deo ſolùm vt effectus efficientis, non propterea operaretur operationes, quæ dicuntur à Theologis Deiuiriles, ſicut operatur per vnionem terminatiuam Verbi, cuiuſmodi ſunt ſatisfacere ad æqualitatem, & mereri ex iuſtitia, &c.

TERTIA CONCLVSIO CONTRA TERTIAM SENTENTIAM.

22. Tertia concluſio contra tertiam opinionem. Probatur ex Concilio & ratione. Conc. Later. Terminvs (quo) Incarnationis non eſt qualitas ſupernaturalis, per quam tanquam per habitudinem quandam ſpecialem ad Verbum, vnitur humanitas Verbo.

Probatur, quia tunc vnio eſſet accidentalis, quod eſt contra Concilium Lateran. ſub Martino primo conſultatione 5. can. 8. vbi dicitur hanc vnionem eſſe ſubſtantialem. Et ratio eſt, vt fuſiùs diximus in quæſtione ſuperiori, quia ex humanitate, & Verbo reſultat compoſitum ſubſtantiale, quod eſt Chriſtus, vnio autem eſt de conceptu eſſentiali huius compoſiti, ita vt formaliter Chriſtus ſit vnum per vnione; non quòd vnio ſit pars conſtitutiua, ſed quia eſt de conceptu conſtituti.

Quòd ſi dicas, & eſt fundamentum tertiæ ſententiæ, ſi non requireretur qualitas ſupernaturalis in humanitate Chriſti, ſequeretur Verbum eſſe vnitum cum qualibet natura creata; Probatur ſequela; quia vnio nihil aliud eſt quàm indiſtantia localis, A Verbum autem neceſſariò eſt indiſtans à qualibet natura, ergo, &c. Reſpondetur falſo ſupponi vnionem nihil aliud eſſe, quàm indiſtantiam contra communem philoſophorum, vt fusè oſtendimus in diſputatione quarta philoſophica, quæſt. prima, tũ quia indiſtantia localis eſt accidentalis, tum quia ſe queretur, quòd duo ligna diuiſa contigua facerent vnum continuum, contra Ariſt. & contra experientiam.

QVARTA CONCLVSIO CONTRA QVARTAM SENTENTIAM.

B Terminvs Incarnationis non eſt relatio realis prædicamentalis exiſtens in humanitate. 23. Quarta cõcluſio cõtra quartã ſententiam.

Probatur, quia relatio ſupponit extrema conſtituta; ergo quando refert humanitatem ad Verbum, debet ſupponere humanitatem eſſe vnitam. Non enim refert humanitatem ſecundùm ſe, quia tunc humanitas non magis determinatur ad perſonam Verbi, quàm ad aliam perſonam; Præterea quia debet in humanitate fieri aliqua mutatio ad hoc, vt ex non vnita fiat vnita, ſed ad relationem non eſt primò mutatio, ergo debet eſſe ad terminum vnionis tanquam fundamentum relationis.

Quòd ſi dicas, hæc relatio refert humanitatem vt dependentem à Verbo, atque adeò vnit humanitatem cum Verbo. C Reſpondetur verum eſſe, quòd ex humanitate dependente reſultat relatio prædicamentalis dependentiæ humanitatis à Verbo: hæc tamen relatio non eſt vnio, per quam formaliter fiat vnum compoſitum ſubſtantiale, vt ſæpe probatum eſt; oportet igitur dari aliam actionem, per quam fiat vnio tanquam terminus ipſius, & ad hanc vnionem reſultet alia relatio prædicamentalis humanitatis ad Verbum, nam prior relatio fundata in dependentia, eſt diſquiparantiæ, quia diuerſo modo denominat extrema; Poſterior verò eſt æquiparantiæ, quia eodem modo denominat vtrumque extremum ex Caiet. 3. p. q. 2. art. 8. dub. 3. Qui verò tenent eſſentialiter dependentiam includere vnionem, tenent conſequenter vnam eſſe relationem à parte rei. Caiet. Suar. D

Secundò probatur, quia relatio prædicamentalis eſt accidentalis, vnio autem eſt ſubſtantialis, vt ſuprà probatum eſt ex Concilio Lateranenſi ſub Martino primo & ſpecialiter hoc reiectum eſt ex V. Synodo act. vltima can. 4. in qua damnantur Hæretici dicentes vnitionem Verbi ad carnem factam eſſe ſecundùm relationem; Loquitur autem Concilium de relatione accidentali contra Neſtorium, non autem de relatione ſubſtantiali, & tranſcendentali, qualis eſt vnio. 24. Secũda probatio. Conc. Later. Quinta Synodus.

Pro pleniori autem intelligentia huius concluſionis, & pro reſponſione ad argumenta in oppoſitum, quæ fieri poſſunt, & præſertim ad argumentum allatum in quarta ſententia, ſunt proponenda E aliqua quæſita.

Quæres primò, In quo differt vnio à relatione prædicamentali, quæ eſt reſpectus ad vnita; & ratio dubitandi eſt, quia ſicut vnio dicit reſpectum ad vnita; ſic relatio prædicamentalis. Et præterea ſicut vnio requirit extrema exiſtentia; eſt enim nexus actualis, nam ſi eſſet potentialis, adhuc vt exiret in actum vniendi, requireretur alia vnio, & ſic in infinitum: ita etiam relatio eſt actualis reſpectus ad vnita, & requirit extrema exiſtentia. 25. Primũ quæſitum.

Reſpondetur, vnionem & relationem prædicamentalem ad vnita conuenire in reſpectu actuali ad vnita, vt dicitur in ratione dubitandi. Differt autem vnio

vnio à reſpectu prædicamentali ad vnita, quia vnio non eſt purus reſpectus, nec reſpicit purum terminum, ſed vnit extrema; at verò relatio prædicamentalis ad vnita, ſicut cæteræ relationes, ſunt puri reſpectus, nec cauſant aliquid in termino, ſed purè reſpiciunt illum, ac proinde vnio eſt fundamentum relationis prædicamentalis, & potiùs eſt relatio tranſcendentalis, & hinc patet quare à Scoto vnio dicatur relatio extrinſecùs adueniens; conuenit enim cum relatione prædicamentali, quia vtraque eſt actualis reſpectus, & requirit extrema exiſtentia, quia tamen non ſtatim conſurgit poſitis extremis; imò cauſat aliquid in extremis indiſtantibus, ideo dicitur relatio extrinſecus adueniens, ad differentiã relationis prædicamentalis, quę ſtatim conſurgit poſitis extremis fundamento, ſcilicet & termino; Et ratio eſt, quia nihil debet cauſare in extremis, ſed tantùm illa purè reſpicere, ac proinde poſitis illis, ſtatim cõſurgit, & ideo dicitur intrinſecùs adueniẽs.

16. *Secundum quæſitum.* QVÆRES ſecundò, An detur relatio prædicamentalis realis ad vnita conſequens ad vnionem.

Reſpondent aliqui recentiores affirmatiuè, & citant S. Thomam in 3. diſt. 2. a. 2. q. 3. & hæc quidem opinio eſt valde probabilis; poteſt tamen ſuſtineri, non dari hanc relationem prædicamentalem vnionis, nam eſt ſuperflua; vnio enim ſubſtantialis eſt conceptus relationis tranſcendentalis, ex vi cuius ſupponuntur extrema exiſtentia, & intelliguntur actualiter relata per illam vnionem, non ergo opus eſt alio conceptu relatiuo accidentali: Et hanc ſententiã exiſtimo eſſe illorum Doctorum, quos citauimus pro quarta ſententia, Bonau. Riccar. & præterea omnium illorum Doctorum, qui hanc vnionem vocant relationem. Scot. in 3. & in 1. locis cit. Alenſ. 3. p. q. 2. membr. 4. Durand. in 3. diſt. 5. q. 2. & S. Tho. in 3. p. q. 2. per totam, vbi hanc vnionem ſemper vocat relationem; quicquid dixerit in tertio. *Bona. Ricc. Scot. Alenſ. Durandus. S. Thom.*

17. Nec obſtat quod obiiciunt recentiores contra hanc probationem, quòd hinc ſequeretur, inquiunt, vnionem inter materiam, & formam, & alias vniones non fundare relationem prædicamentalem, hoc enim conceditur.

Non obſtat ſecundò, quod obiiciunt, hinc, ſcilicet, ſequi actionem non fundare relationem, ex eo, quia etiam hæc requirit extrema exiſtentia; & ipſa actio eſt reſpectus trãſcendentalis, non, inquam, obſtat, tũ quia totum hoc conceditur ab aliquibus, tum quia poteſt negari; poteſt enim aſſignari diuerſa ratio; nam per actionem producitur terminus, qui remanet trãſacta actione; debet ergo dari relatio prædicamentalis, quæ ſaltem tranſacta actione referat cauſam efficientem ad ſuum effectum, tamquam ad terminum; remanet autem relatio. Quamuis enim dependeat in fieri ab actione, non tamen dependet in conſeruari, ſatis eſt enim pro fundamento relationis ipſe terminus productus ad hoc, vt cauſa referatur ad effectum à ſe productum; actio autem non poteſt remanere niſi aliquid agat; ſi igitur poſt inſtans productionis effectus non conſeruatur à cauſa, corrumpitur actio productionis.

Nec etiã obſtat quod obiiciunt tertiò de actu viſionis, quòd, ſcilicet, ſequeretur viſionem non fundare relationem prædicamentalem ad obiectum, quod eſt contra communem. Sequelam probant, quia etiam viſio eſt relatio tranſcendentalis ad obiectum exiſtens, non, inquam, obſtat, quia poteſt eſſe viſio per potentiam diuinam ſine obiecto exiſtenti; non repugnat enim contra Caiet. cum S. Thom. 3. par. quæſt. 77. remanere viſionem alibi, ſi remaneat ſpecies albi in oculo etiam corrupto albo, & in hoc caſu eſſet viſio, & non eſſet obiectum exiſtens.

28. *Tertium quæſitum.* Quæres tertiò, Si datur hæc relatio prædicamentalis realis, eſſet ne inter naturam diuinam, & humanam, an inter perſonalitatem Verbi, & humanitatem? Caiet. dicit eſſe primo modo, & conſequenter fundamentum eſſe perſonam Verbi. Communis ſententia, quam ſatis bene defendit Suar. tenet poſteriori modo, & conſequenter fundamentum eſſe vnionem, quia, vt diximus in coroll. tertio, vnio eſt immediatè facta inter humanitatem, & perſonalitatem Verbi, mediatè autem inter naturam humanam, & diuinam. Quare etiam natura diuina, & humana referrentur mediatè per iſtam relationem, quæ eſſet inter perſonalitatem, & humanitatem. *Caiet. Communis ſententia. Suarius.*

29. *Quartum quæſitum. Ratio dubitandi.* Quæres quartò, An præter hanc relationem vnionis detur alia relatio ſimilitudinis, ſeu conuenientiæ inter naturam diuinam, & humanam? Ratio dubitandi eſt, quia conueniunt in eadem ſubſiſtentia Verbi.

Aliqui, quos ſequuntur graues recentiores, negant, & afferunt rationem ſatis acutam, & probabilem, quiá fundamentum, inquiunt, eſt vnum, & idẽ numero, ſcilicet, ſubſiſtentia Verbi, ergo in fundamento dicunt potiùs relationẽ identitatis; Sicut, inquiunt, ſi eadem albedo numero poneretur in duobus ſubiectis, non fundaret relationem ſimilitudinis, ſed potiùs identitatis, quæ eſt relatio rationis; Si verò ſpectetur modus, quo iſtæ naturæ vniuntur, potiùs dicunt relationem diuerſitatis, quia natura diuina vnitur identicè, humana verò mediante vnione, quæ ſupponit extrema diſtincta.

30. Videtur tamen dicendum, poſſe dari relationem aliquo modo ſimilitudinis, quia ſimilitudo partim dicit idem, partim diuerſum, ſicut duo alba conueniunt in vna, & eadem albedine ſpecie, quia tamen hoc album, & hoc album ſunt diſtincta, fundant relationem ſimilitudinis, & quemadmodum ſicut eſt vna albedo ſpecie, eſſet vna albedo numero in diuerſis ſubiectis, adhuc ſecundùm aliquos eſſet relatio ſimilitudinis inter illa, quia quantùm ad effectus formales haberent diſtinctionem, eſſent enim duo alba; & quamuis communiter Doctores dicant, inter illa duo alba non eſſe relationem ſimilitudinis, intelligendi ſunt, quòd non eſt relatio ſimilitudinis, tanquam inter duo indiuidua diſtincta; non poteſt tamen negari quòd inter illa alba ſit ſimilitudo, quatenus ſunt duo effectus formales eiuſdem albedinis, & ſic eſt in caſu noſtro, & per hæc patet ad rationem dubitandi.

QVINTA CONCLVSIO SECVNDVM VERIOREM SENTENTIAM.

31. *Quinta cõcluſio.* TERMINVS immediatus (quo) incarnationis in fieri, ſeu vnitionis eſt vnio; Suppono autem ex dictis ſuprà in diſput. 4. Philoſophica, quæſt. 1. & ex Concilio Lateranenſi ſub Martino primo, conſultatione vltima, can. 8. & ex VI. ſynodo, actio. vltima, cano. 4. hanc vnionem eſſe nexum ſubſtantialem. Hæc concluſio eſt communis ſcholaſticorum præter paucos ſuprà citatos.

Prima probatio. Probatur primò ex confutatione aliarum opinionum, Cùm enim inter humanitatem, & Verbum intercedere debeat aliqua vnio quæ ſit terminus vnitionis, ſeu incarnationis, & hæc non poſſit eſſe, vt ex dictis conſtat, nec humanitas ſecundùm ſe, nec dependentia humanitatis à Verbo, nec aliqua qualitas ſupernaturalis, nec relatio prædicamentalis,

Digitized by Google

iis, ſequitur, quòd terminus, qui immediatè producitur per vnitionem, ſeu incarnationem, ſit vnio ſeu nexus ſubſtantialis,& actualis humanitatis cum Verbo.

Secũda probatio ex diſputatione quarta Philoſophica.

Secundò probatur ex his, quæ diximus de vnione in diſput.quarta philoſophica, vbi aſſeruimus in generatione hominis terminum immediatè productum eſſe vnionem, quia nec anima rationalis, nec materia, fiunt per generationem, ſed per creationem;quod ergo immediatè fit ex vi generationis, eſt vnio, & ea mediante, fit vnitum, quod eſt homo; Ita pariter in hoc myſterio incarnationis terminus immediatus (vt quo) incarnationis eſt vnio, quia per incarnationem nec fit humanitas, nec Verbum, ſed præſupponuntur Incarnationi tanquam extrema; quod ergo fit immediatè, eſt vnio; Et hac ſimilitudine generationis hominis vtũtur Patres, vt Athanaſ.& Auguſt.22.de ciuit. cap.4.& de ſpiritu,& an.c.18.& Damaſcen.lib.1. de fide, cap.19. & 2.c.12. vbi productionem, & corruptionem hominis, ponit in productione & corruptione huius vnionis.

Patres. Athan. Aug. Damaſcen.

Reſponſio ad argumẽta contra hanc cõcluſionem patet ex dictis.

Argumenta quæ fieri ſolent contra hanc concluſionem,ſoluta ſunt in ſuperioribus concluſionibus.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm hæc vnio ſit aliquid diſtinctum à parte rei ab humanitate, & Verbo.

MATERIA huius dubitationis habetur fuſiùs apud veteres ſcholaſticos, quàm apud recẽtiores: nam iſti videntur potiùs ſupponere vnionẽ diſtinguià parte rei ab extremis;habet tamen hæc dubitatio non paruam difficultatem. Eſt igitur

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aſſerentium vnionem humanitatis cum Verbo non eſſe aliquid diſtinctum, ſed eſſe ipſamet extrema, Verbum ſcilicet, & humanitatem ſe ipſis vnita, vel ſaltem per vnionem identificatam cum ipſis extremis.Eſt multorum ſcholaſticorum in tertio,Greg. diſt. 28. q.2. Maior.diſt. 1.q.1. Baccon. ibidẽ & etiam diſt. 2.q. 2. tribuitur Ocham in 3. diſt. 30. ſed immeritò. Nam in 1. diſt. 30.q. 4. & in 3.q.1.aſſerit inter humanitatem,& Verbum eſſe aliquod vinculum ligans,quod quidem dicit eſſe reſpectiuum. Eſt præterea hæc ſententia expreſsè Caiet. 3.p. q. 2.art. 7. qui tenet vnionem eſſe ipſam hypoſtaſim increatam Verbi communicatam humanitati.

Scholaſtici Gre. Maior. Bacc. Ochã.

Caiet.

2. Primum argumentum.

ISTI Doctores mouentur primò ad hoc dicendum, quia in rebus creatis, vt ſuprà retulimus in diſputatione quarta philoſoph. quæſt. prima,exiſtimant vnionem inter materiam & formam, non eſſe aliud niſi extrema ſe ipſis vnita, quatenus materia eſt potentia,& forma eſt actus, ex 8.Met. c. vltimo; ſi autem vnio diſtincta à parte rei mediaret inter extrema, tunc forma, quatenus actus, non vniretur immediatè materiæ tanquam potentiæ contra Ariſtotelem loco citato.

Ariſtot.

Secundum argumentũ.

Secundò, quia ſi vnio daretur diſtincta, deberet eſſe in vtroque extremo; vel partialiter in materia, & partialiter in forma, vel ſolùm tanquam vnus modus ſimplex, afficiens intrinſecè vtrunque extremum, quia cùm vtrunque extremum vniatur, vtrunque debet intrinſecè affici vnione. Non enim poteſt vnio dare ſuum effectum formalem alteri extremo niſi intrinſecè afficiat illud: ſed impoſſibile eſt, quòd Verbum vniatur cum humanitate, per vnionem,quæ ſit intrinſeca ipſi,quia caderet in Verbo mutatio; ſi ergo poteſt Verbum vniri humanitati per vnitatem ſuæ hypoſtaſis ſine aliqua vnione de nouo ſuperaddita, cur etiam non poterit humanitas ſe ipſa vniri Verbo?

VNICA CONCLVSIO CONTRA SENTENTIAM PRÆDICTAM.

VNIO humanitatis cum Verbo eſt modus diſtinctus à parte rei ab humanitate & Verbo. Et hæc concluſio eſt communis ſententia Doctorum præter paucos citatos pro prima ſententia.

3. Prima probatio huius cõcluſionis ex principio philoſophico.

Probatur primò concluſio ex prædicamento Subſtantiæ diſputat. quarta philoſophica quæſt. tertia vbi oſtendimus, quòd quando extrema non ſunt realiter diſtincta, ſed ſe habent vt modus, & res, tunc non apparet manifeſtè quòd debeat dari vnio diſtincta à parte rei, ſed poteſt dici quòd identificatur cum illo extremo, quod eſt modus: quia cùm modus non poſſit ſeparari à re cuius eſt modus, non poſſumus à ſeparabilitate tanquam à ſigno arguere vnionem eſſe diſtinctam à parte rei. At verò quando extrema ſunt realiter diſtincta, vt eſt materia, & forma in naturalibus, & in caſu noſtro humanitas, & Verbum,ex ſeparabilitate tanquam ex ſigno optimè arguitur diſtinctio vnionis à parte rei ab extremis.Nam poſſunt extrema remanere, & non remanere vnio, ſicut patet in naturalibus, cùm ſeparatur anima à corpore, Et in caſu noſtro poterat dari humanitas exiſtens ſine vnione ad Verbum.

Inſtatur cõtra primam probat. cõc. Primò.

SED contra hanc primã probationẽ inſtant aduerſarij; ſupponunt autem ex philoſophia vnionem nihil aliud eſſe intrinſecè, quàm ipſa extrema ſe ipſis vnita, connotando aliquam rem extrinſecam; ac proinde diſtingui vnionem ab extremis ex natura rei; non quidem intrinſecè,ſed tantùm penes illud connotatum extrinſecum, ex quo fit vt tunc dicatur corrumpi vnio, quando deperditur illud connotatum extrinſecum: ſicut in naturalibus, inquiunt,tunc dicitur deperdi vnio,quãdo deperditur connotatum extrinſecum, quod eſt indiſtantia localis.

Hoc ſuppoſito, dicunt tunc deperdi vnionem inter humanitatem, & Verbum; quando deperditur, non quidem vnio intrinſeca in aliquo extremorum, ſed quando deperditur connotatum extrinſecum; hoc autem in compoſito ex humanitate & Verbo non poteſt eſſe indiſtantia localis, quia Verbum ſemper eſt indiſtans à quacumque natura, ſed eſt independentia humanitatis à Verbo. Quare his poſitis, non bene, inquiunt, infertur, humanitas poterat exiſtere ſine Verbo; ergo vnio diſtinguitur ab humanitate & Verbo; quia poteſt dici quòd vnio nihil aliud ſit intrinſecè, quàm ipſa humanitas & Verbum ſe ipſis vnita, & tamen quòd diſſoluto compoſito & remanentibus humanitate & Verbo deperdatur vnio non quidem intrinſecè, ſed quia deperditur connotatum extrinſecum, quod erat dependentia humanitatis à Verbo.

4. Soluitur prima inſtantia.

Sed hæc inſtantia facilè ſoluitur ex oppoſito principio philoſophico, quod poſuimus ſuprà in quæſtione quarta philoſophica quæſtione tertia, vbi oſtendimus præter connotatum extrinſecum debere dari intrinſecè in ipſis extremis aliquam vnionem, quia ipſa extrema non ſunt formaliter vnio, neque ſatis eſt ad vniendum indiſtantia localis;quia vt fusè probatum eſt ſuprà diſputat. quarta philoſophica quæſtione prima,indiſtantia eſt valde extrinſeca, & præterea inde ſequeretur, duo ligna contigua eſſe vnum per continuationem, contra Ariſtot. neque

Digitized by Google

neque ſatis eſt dependentia; quia neque hæc eſt formaliter vnio, vt fusè probatum eſt ſuprà in prima dubitatione,& etiam quæſtione quarta philoſophica quæſtione citata; neceſſe eſt igitur præter extrema & connotata extrinſeca dari aliquam vnionem intrinſecam in ipſis extremis.His igitur poſitis bene inferebamus in prima probatione, quòd vnio in Chriſto diſtinguitur à parte rei ab humanitate, & Verbo, quia poſſunt ſeparatim exiſtere humanitas & Verbum.

5. *Secunda inſtantia contra primam probationē.* Secundò inſtant alij contra eandem primam probationem, Non bene, inquiunt, infertur (poſſunt ſeparatim exiſtere humanitas.& Verbum,ergo vnio diſtinguitur à parte rei;) Et ratio non bonæ illationis eſt,quia poteſt dari vnio omnino idẽtificata cum humanitate, & tamen cùm diſſoluitur compoſitum ex humanitate & Verbo, non ſequitur quòd deperdatur vnio identificata cum humanitate, ſed quòd deperdatur exercitium vnionis.

Soluitur. Sed hæc inſtantia facilè ſoluitur ex quæſtione quarta philoſophica,quæſtione prima; ex qua ſupponimus vnionem eſſe eſſentialiter nexum actualem, ac proinde importare, ſicut cæteros modos, actualem ſubiecti actuationem: ita vt eſſentialiter conſiſtat in actuali exercitio vniendi; ſi enim vnio eſſet nexus potentialis, requireretur quando exit in actum vniendi alia vnio ſuperaddita, quæ actu vniret, & de hac rurſus quæreretur, an ſit actualis, vel potentialis; Si dicas eſſe potentialem, datur proceſſus in infinitum; ſi dicas eſſe actualem, ergo ſiſtendum erat in priori vnione. His ſuppoſitis euidenter colligitur falſum aſſumi vnionem eſſe identificatam cum humanitate, & diſſoluto compoſito remanere cum humanitate,& tantùm deperdi exercitium vniendi: nam ex dictis patet vnionem nihil aliud eſſe eſſentialiter, quàm ipſum exercitium vniendi.

6. *Tertia inſtantia contra eandem primã probationem. Caiet.* Tertiò,contra eandem primam probationem.inſtant ſubtiliùs aliqui ex Caietano tertia par.quæſtione ſecunda art. 7.Supponunt autem cum Caiet.non dari in Chriſto aliam vnionem præter illam vnitatem increatam,per quam vnitur perſona Verbi cum natura diuina, hanc autem vnitatem, inquiunt, ſuppoſita dependentia humanitatis à Verbo, tanquam connotato extrinſeco, ſatis eſſe ad vniendum humanitatem cum ipſa perſonalitate Verbi. His poſitis dicunt non bene inferri in illa prima noſtra probatione, (poſſunt ſeparatim exiſtere humanitas & Verbum; ergo vnio diſtinguitur à parte rei ab humanitate, & Verbo;)dicunt enim quòd facta ſeparatione remanet vnitas in Verbo,& tantùm deperdatur exercitium vniendi, quod illa vnitas habuit in tempore cum humanitate:neque hîc obſtat, inquiunt, id quod opponebatur contra ſecundam inſtantiam,quia quamuis concedatur quòd vnio ſit actualis nexus, & eſſentialiter conſiſtat in actuali exercitio vniendi, vnde non poteſt deperdi exercitium, quin deperdatur ipſa vnio; in hac tamen tertia inſtantia hoc nihil obſtat,quia illa vnio ſeu vnitas in Verbo ſemper eſt in actuali exercitio vniendi Verbum cum natura diuina. Quòd autem non vniat humanitatem,eſt ex defectu alicuius requiſiti in humanitate.

Soluitur. Sed hæc inſtantia facilè ſoluitur ex his quæ dicemus infrà corollario ſeptimo in prima dubitatione, vbi oſtendemus vnitatem per quam Verbum vnitur cum natura diuina, non ſatis eſſe ad vniendum humanitatem cum Verbo, quia hæc vnitas non propriè vnit, ſed identificat perſonam Verbi cum natura diuina; eſt igitur eſſentialiter potiùs

A identitas, quàm vnio; at verò per vnionem humanitatis cum Verbo non fit vnum idem, ſed vnum compoſitum; non poteſt igitur per vnitatem increatam ſuppleri formaliter vnio humanitatis cum Verbo; ſicut lumen, quamuis ſit calor eminenter, non facit ſubiectum calidum, quia ipſum non eſt formaliter calidum, ita ſimiliter vnitas increata, quamuis ſit altioris ordinis, quia tamen non eſt vnio formaliter, non poteſt facere formaliter vnitum.Et confirmatur, quia anima identificatur cum hæcceitate,& tamen hæc vnio non eſt ſufficiens ad vniendum animam cum corpore.

Secundò probatur eadem concluſio, & eſt probatio Ochami apud Gabrielem in 1. diſtinct.3.q.1. Si vnio, inquit, nihil diceret diſtinctum ab vnitis, 7. *Secũda probatio eiuſdem concluſionis. Ocham. Gabr.*
B ſequeretur, quòd æqualiter vna natura eſſet Verbo vnita, ſicut & alia, quod eſt contra fidem. Conſequentia probatur.Omnis denominatio non importans aliquid vltra denominata, ſiue exiſtentiam eorundem, ſi conuenit alicui, conuenit etiam omnibus indiuiduis eiuſdem rationis (niſi aliquid ſit, quod conueniat indiuiduo, & non alteri, propter quod competit ſibi illa denominatio, & non alteri)ſicut ſimilitudo duorum alborum, quia nihil dicit vltra duo alba, ideo qua ratione duo alba ſunt ſimilia,eadem ratione omnia alba.

Dicitur (niſi aliud conueniat,&c.)quia etiã ſi paternitas in creaturis nihil dicat fortè additum extremis denominatis patri ſcilicet, & filio: Aliquid
C tamen dicit pater reſpectu vnius hominis, quod non dicit reſpectu cuiuſlibet alterius, quia aliqua actio conuenit ſibi reſpectu vnius indiuidui, ratione cuius dicitur pater, quæ non conuenit reſpectu alterius.

At verò nulla actio, vel proprietas conuenit Verbo reſpectu naturæ aſſumptæ quæ non æqualiter etiam reſpectu naturæ non aſſumptæ poterat conuenire, quia per aduerſarios non dantes vnionem diſtinctam, nulla alia actio poteſt aſſignari in natura aſſumpta, quæ non poterat cõuenire naturæ non aſſumptæ;ſi qua enim eſſet actio,illa fuit in natura aſſumpta quòd produxerit humanitatem de Virgine,&c.

D Hoc autem poterat facere alteri naturæ, & per hanc non fuiſſet aſſumpta. Oportet igitur præter hanc actionem dari aliam actionem de nouo, quæ ſit vnitio humanitatis cum Verbo, cuius terminus ſit vnio,quam oportet ponere diſtinctam ab humanitate,quia fit per nouam actionem. Nam humanitas ex ſe non habet hanc vnionem identificatam, quia tunc omnis humanitas haberet, & ſic omnis humanitas eſſet aſſumpta.

Quòd ſi quis dicat, vt tangitur à Gabriele in 1. diſtinct. 30. q.4. quòd in aſſumptione humanitatis à Verbo intercedit deperditio propriæ ſubſiſtentiæ, quæ non intercedit in alia humanitate.

Contrà eſt,quia non ex eo quòd natura humana impeditur à propria ſubſiſtentia, neceſſariò aſſumi-
E tur à perſona diuina.

Quòd ſi quis dicat ſecundò,humanitatem Chriſti dicere de nouo dependentiam à Verbo tanquam à termino, quam non dicit alia humanitas, ac propterea dicitur aſſumpta à Verbo, & non alia humanitas; at dependentia non dicit aliquid diſtinctum, ſed eſt ipſa entitas rei,quæ eſt ipſa humanitas, quæ ſupponit ad ſuam exiſtentiam, Verbum tanquam terminum.

Contra hoc eſt, quia iam paulò ſuperiùs oſtenſum eſt, dandam eſſe aliquam vnionem, & hanc non poſſe eſſe dependentiam,contra Scotum.

Digitized by Google

Tertia probatio eiuſdē cōcluſionis. Ockham. Scotus.

8. Tertiò probatur eadem concluſio argumento Ockhami,& Scoti, quia ſequeretur,inquiunt, quòd in hac aſſumptione, quæ eſt nouum opus ad extra, fieret nouus tranſitus phyſicus à parte rei ex contradictorio in contradictorium ſine vlla mutatione. Sed hoc eſt impoſſibile,vt ſupponitur.

Probant ſequelam Maioris, quia Verbum caro factum eſt; Eſt igitur nouus tranſitus phyſicus à parte rei,& tamen ſi vnio nō datur diſtincta à parte rei, nec humanitas, nec Verbum mutarentur,quia nihil de nouo acquirerent. Et præterea ſi Verbum dimitteret naturam humanam, natura humana non mutaretur,quia nihil acquireret de nouo,neque deperderet,nec intercederet motus localis,ratione cuius diceretur mutari,aut aliqua diſtantia, quia ſemper Verbum eſſet indiſtans ab illa humanitate. Nec ſucceſſio temporis aliquid facit. Nam etiam ſi detur hæc ſucceſſio temporis, non tamen eſt in cauſa vt fiat dimiſſio.

Inſtatur primò contra tertiam probationem. Gabriel. Primū exemplum.

Ad hanc tertiam probationem eſt prima inſtantia aliquorum apud Gabrielem in 3.diſtinct. 1. q. 5. negantium non poſſe eſſe tranſitum ſine mutatione. Probant autem tribus exemplis. Quia ſecundùm Magiſtrum poteſt dari Spiritus ſanctus ſine dono creato.

Secundum exemplum.

Secundò, quia poteſt aliquis fieri de albo non albus abſque mutatione, ſi poſtquam albedo inhæſit ſubiecto,conſeruetur in eodem ſubiecto ſine inhæſione.

Quòd ſi dicas,fit mutatio, quia deſtruitur inhæſio.Contrà,inquiunt, quia poteſt conſeruari inhæſio abſque eo quod inhæreat, ſicut conſeruari poteſt albedo,non enim eſt maior ratio de vno, quàm de alio,cùm vtrumque ſit accidens.

Tertium exemplum.

Tertiò probant exemplo de lumine conſeruato partialiter à candela; in quo caſu ſi Deus immota candela ſolus conſeruaret lumen, tunc lumen ex conſeruato à candela fit non conſeruatum à candela, & tamen nulla mutatio fit in lumine ſiue candela.

Quòd ſi dicis,corrumpitur illa conſeruatio,quia lumen conſeruabatur à candela; Contrà, inquiunt, quia conſeruatio non eſt aliquid diſtinctum à conſeruato, ſi igitur non eſt corruptum conſeruatum, non eſt corrupta conſeruatio.

Soluitur inſtantia.

9. Sed hæc inſtantia ſoluitur, negando (vt fusè oſtendimus in primo tomo) poſſe dari tranſitum ex contradictorio in contradictorium ſine aliqua mutatione.

Reſpōſio ad primū exemplum allatū in inſtantia. Gabr.

Ad exempla verò in oppoſitum allata reſpondet Gabriel loco citato, ſed multa ſupponit, quæ indigent diſcuſſione; Breuiter igitur reſpondetur,& ad primum de Spiritu ſancto reſpondent primò aliqui, negando poſſe dari Spiritum ſanctum ſine aliquo dono creato,vt ſupponunt ex prima ſecundæ.

Reſpondent ſecundò alij admittendo quòd poteſt dari Spiritus ſanctus ſine dono creato, ſed negant hoc fieri ſine aliqua mutatione in tempore; ſucceſſio enim temporis eſt in cauſa,vt ex non grato, ſeu ex non habente Spiritum ſanctum, fiat gratus extrinſecè, ſeu habens Spiritum ſanctum pro tali tempore ex volitione Dei terminante extrinſecè talem nouum tranſitum temporis. Sed hæc reſponſio non placet, quia poſſet etiam dici quòd Verbum vnitur humanitati, ſine aliqua vnione intrinſeca, & quòd ſatis ſit mutatio temporis; ita vt ſucceſſio temporis ſit cauſa cur humanitas ex non vnita fiat vnita.

Quare tertiò reſpondetur diſparem eſſe rationem, quare homo ex non grato, fieri poſſit gratus A ſine aliquo dono creato; non autem poſſit humanitas vniri Verbo ſine aliqua vnione creata, Et ratio diſparitatis eſt, quia volitio Dei eſt formaliter dilectio, ac proinde per ipſam volitionem increatam poteſt aliquis extrinſecè eſſe gratus, ſeu dilectus Deo;at verò volitio Dei non eſt formaliter vnio,ac proinde non poteſt per ipſam volitionem Dei humanitas vniri Verbo.

Ad ſecundū exemplum.

Ad ſecundum exemplum de inhæſione reſpondetur, quòd inhærentia eſt modificatio actualis, quæ ex ſua imperfectione importat actualem ſubiecti actuationem, vt paulò ſuperiùs oſtenſum eſt de vnione,& omnibus aliis modis. Quare non poteſt conſeruari abſque ſuo effectu formali inhærendi; B non poteſt ergo concipi ſubiectum, de albo fieri non album, abſque corruptione inhærentiæ ipſius albedinis. 10.

Ad tertium exemplum.

Ad tertium exemplum de lumine reſpondetur, quòd conſeruatio diſtinguitur à parte rei formaliter à re conſeruata. Et ideo ſi lumen,quod conſeruabatur à candela, conſeruetur à Deo ſe ſolo, corrumpitur conſeruatio, quæ fiebat à candela. Nec poteſt concipi quòd remaneat conſeruatio, quæ eſt actio, & non faciat effectum conſeruandi, eſt enim actualis modificatio rei conſeruatæ. 11.

Quòd ſi velis tenere conſeruationem non diſtingui à parte rei à re conſeruata, tunc dicendum eſt quòd lumen conſeruatum à candela non poteſt C idem numero conſeruari à Deo ſe ſolo; ſed oportet quòd prius lumen, quod conſeruabatur à candela, corrumpatur,& producatur aliud lumen,quod conſeruetur à Deo ſolo. Quomodocumque ergo dicatur,ſemper intercedit mutatio.

Secunda inſtantia contra eandem tertiā probationem.

Secundò & ſubtiliùs inſtari ſolet contra hanc tertiam probationem, Sicut potentia, inquiunt, naturalis actiua, aut paſſiua ex non potente agere, vel recipere effectum ſupernaturalem, fit phyſicè potens ſecundùm potentiam obedientialem ex ſola determinatione Dei determinantis illam potentiam ad efficiendum, vel recipiendum, ſine aliqua qualitate ſupernaturali de nouo, ſemper Verbum eſſet indiſtans ab illa humanitate, nec ſucceſſio D temporis aliquid facit;nam etiam ſi detur hæc ſucceſſio temporis, non tamen eſt in cauſa vt fiat dimiſſio. 12.

Prima reſponſio ad ſecūdam inſtantiā contra tertiam probationē.

Reſpondent primò aliqui, negando dari huiuſmodi potentiam obedientialem.

Sed hæc reſponſio non placet, vt oſtendimus in primo tomo in ſecundo principio philoſophico corollar. primo,tum quia hæc potentia obedientialis non videtur poſſe negari in potentia receptiua; ad recipiendum enim quamcumque qualitatem ſupernaturalem eſt inſufficiens; ergo debet eleuari extrinſecè per imperium diuinum, ad recipiendum primam qualitatem ſupernaturalem; tum quia neque videtur poſſe negari in potentia actiua; nam E etiamſi intellectus noſter ſit informatus lumine gloriæ, non tamen adhuc videtur perfectè conſtitutus ad eliciendam viſionem beatificam; lumen enim gloriæ non facit intrinſecè actiuum intellectum,quem informat, ſicut calor informans materiam non facit materiam intrinſecè actiuam ſeu calefactiuam; requiritur igitur vt intellectus noſter eleuetur ſaltem partialiter per imperium diuinum, ad hoc vt ex ſuo principio intrinſeco actiuo eleuato extrinſecè per imperium diuinum ad ſupernaturalitatem elicere poſſit viſionem beatificam.

Secunda reſponſio.

Secundò reſpondent alij ad eandem inſtantiam negantes non fieri mutationem quando eleuatur potentia obedientialis, exiſtimant enim potentiam 13.

eleuari

Digitized by Google

eleuari per concurſum Dei identificatum cum concurſu creaturæ, ac proinde fieri mutationem non in ipſa potentia, ſed in concurſu potentiæ.

Sed neque hæc reſponſio placet, nam in priori ſigno naturæ debet intelligi potentia eleuata, antequam concurrat; concurſus enim debet eſſe ſupra vires ipſius potentiæ naturalis, ad hoc vt ſit proportionatus effectui ſupernaturali: debet igitur prius potentia eleuari per imperium diuinum, & fieri potens in actu primo, & poſtea exire in actũ ſecundum.

Neque poteſt dici quòd concurſus creaturæ fiat ſupernaturalis per coniunctionem cum concurſu Dei; nam per coniunctionem ſeu identificationem non mutatur ipſa entitas concurſus, ſicut quamuis potentia identificetur cum anima, non tamen propterea perdit conceptum accidentis.

Tertia reſponſio verior. Tertiò igitur & veriùs reſpondetur ad inſtantiã, concedendo dari potentiam obedientialem quæ ſine aliqua qualitate intrinſeca ſuperaddita eleuetur extrinſecè per imperium diuinum ad eliciendum vel recipiendum actum ſupernaturalem, nulla facta mutatione in ipſa potentia: negatur tamen poſſe ſimiliter eleuari humanitatem per imperium diuinum ad faciendum vnum cum Verbo ſine aliqua mutatione in ipſa humanitate.

Et ratio diſparitatis eſt, quia quando potentia ſiue actiua ſiue receptiua eleuatur extrinſecè ad eliciendum vel recipiendum actum ſupernaturalem, ſupponitur in ipſa potentia principium intrinſecum actiuum vel receptiuum, quamuis incompletum, & ſolùm requiritur tanquam conditio, eleuatio extrinſeca ſiue imperium diuinum. Creatura enim ſecundùm ſuum principium intrinſecum eſt eſſentialiter ſubordinata ſubdita Deo ad operandum quidquid non implicat contradictionem; at verò hoc non contingit in caſu noſtro, quia humanitas non eleuatur ad agendum vel recipiendum, ſed ad vniendum ſe formaliter cum Verbo, & faciendum vnum cum ipſo.

Quantùm autem ad hoc, non habet humanitas intrinſecè in ſe ipſam rationem formalem, per quam vniat, quia ipſa humanitas non eſt formaliter vnio, ac proinde debet ſuperaddi intrinſecè in ipſa humanitate forma aliqua quæ vniat, ac proinde debet intrinſecè mutari humanitas recipiendo intrinſecè aliquam formam per quam vniatur cum Verbo; hæc autem eſt vnio; nec poteſt Deus vnionem ſupplere per imperium ſuum, quia imperium diuinum non eſt formaliter vnio; ſicut Deus non poteſt facere parietem album per ſuum imperium, niſi producat formam albedinis, quæ communicando ſe ipſam, faciat parietem album formaliter.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm terminus incarnationis vltimatus, & formalis ſit humanitas, vel perſonalitas Verbi.

1. Explicatur ſtatus dubitationis. HIc non quæritur quis ſit terminus immediatus formalis vt (quo) vnitionis, ſeu incarnationis in fieri; certum eſt enim, vt in ſuperiori dubitatione probatum eſt, hunc eſſe, vnionem in facto eſſe: ſicut in generatione hominis terminus, qui immediatè per productionem attingitur ab agente naturali, eſt vnio: & huc tendunt argumenta Scoti in 3. diſtinct. 1. quæſtione 1. & Durandi ibidem diſtinct. 5. quæſtione 2. & Suarij diſputat. 8. ſect. 3. in tertia edit.

Neque hîc quæritur quis ſit terminus vltimatus, A & totalis vt (quod) incarnationis; certum eſt enim hunc eſſe Chriſtum compoſitum ex humanitate, & perſonalitate Verbi: ſicut in eadem generatione hominis terminus vltimatus & totalis vt (quod) qui fit ab agente, ſeu qui reſultat ad vnionem in facto eſſe, eſt homo; compoſitum ſcilicet ex corpore, & anima rationali.

Quod igitur controuertitur in hac dubitatione eſt, an ſicut in generatione hominis terminus partialis, & formalis vnionis in facto eſſe in ipſo homine eſt anima, quia hæc eſt forma totius compoſiti; ita terminus partialis, & formalis vnionis ſeu incarnationis in facto eſſe in ipſo Chriſto, quod eſt compoſitum ex humanitate & Verbo, ſit humanitas, vel potiùs perſonalitas Verbi. *Punctus difficultatis.*

B Prima ſententia tribuitur Caietano in 3. par. quæſtione 2. art. 8. & Capreolo in 3. diſt. 5. quæſt. 1. qui dicunt terminum formalem aſſumptionis, ſeu incarnationis eſſe perſonalitatem Verbi. *2. Prima ſententia. Caiet. Capr.*

Fundamentum eſt, quia natura eſt aſſumpta ad hypoſtaſim tanquam ad terminum ad quem; ergo hypoſtaſis, ſeu perſonalitas eſt terminus formalis. *Fundamentum huius ſententiæ.*

Confirmatur, quia in termino totali, qui eſt Chriſtus, ſubſiſtentia ſe habet per modum actus perficientis naturam humanam: ſicut à ſimili, quia in reſurrectione, anima vnitur corpori tanquam actus illius, ideo anima eſt terminus formalis reſurrectionis.

Secvnda ſentẽtia communior aſſerit terminum C formalem incarnationis eſſe humanitatem. Pro cuius explicatione ſit *Secũda ſententia.*

Prima concluſio. Terminus formalis incarnationis, ſeu vnionis in facto eſſe, eſt humanitas non abſolutè ſumpta, ſed vt vnita Verbo. *3. Prima concluſio.*

Prima pars huius concluſionis, quòd ſcilicet terminus formalis incarnationis in facto eſſe ſit humanitas, probatur: Sicut in generatione naturali terminus formalis eſt ille, qui eſt forma termini totalis, vt in generatione hominis terminus formalis eſt anima, quia hæc eſt forma totius; ita ſimiliter in hoc myſterio terminus incarnationis, ſeu vnionis in facto eſſe eſt humanitas, quia hæc eſt forma totius compoſiti ex humanitate, & Verbo; forma enim totius debet eſſe natura, quæ eſt principium D operationum; perſonalitas autem diuina non eſt natura ſed humanitas; hæc enim eſt, quæ effectiuè elicit operationes; ſicut à ſimili in generatione Verbi in diuinis, terminus formalis generationis non eſt perſonalitas Verbi, ſed natura diuina, quæ per generationem communicatur Verbo. *Probatur prima pars concluſionis.*

Secunda verò pars concluſionis, quòd ſcilicet humanitas ſit terminus formalis non abſolutè ſumpta, ſed vt vnita, probatur, quia humanitas per vnionem non producitur, ſed per vnionem trahitur ad componendum cum Verbo; eſt igitur terminus vnionis in facto eſſe vt vnita Verbo. *4. Probatur ſecũda pars primæ concluſionis.*

Secvnda concluſio, Humanitas vnita Verbo non ſolùm eſt terminus formalis incarnationis, ſeu E vnionis in facto eſſe, ſed etiam poteſt dici quòd ſit terminus vnionis, ſeu incarnationis, in fieri, quia, quamuis per vnitionem, ſeu per incarnationem in fieri immediatè producatur vnio, vt dictum eſt ſuprà; tamen per ipſam actionem vnitionis, ipſa humanitas mediatè trahitur ad componendum extremaliter cum Verbo mediante vnione in facto eſſe. *5. Secũda concluſio.*

Probatur, quia tota Trinitas dicitur concurrere ad vniendum efficienter humanitatem cum Verbo, vnde S. Thom. in 3. part. quæſt. 2. art. 8. docet quòd Pater vniuit naturam humanã Filio, non autem ſibi: ac propterea, inquit, dicitur Pater vniens, & non *S. Thom.*

aſſumens; debet igitur dari actio, quæ fit à to- A ta Trinitate; hæc autem alia non eſt, niſi ipſa incarnatio in fieri, ſeu vnitio per quam immediatè fit vnio, & ea mediante ex vi illius actionis vniendi, ſeu vnitionis trahitur humanitas, vt vnita ad componendum cum Verbo; & hoc modo poteſt dici quòd terminus immediatus vt (quo) vnitionis ſit vnio; terminus verò vt (quod) ſit humanitas; hæc enim eſt quæ ex vi actionis trahitur ad componendum cum Verbo; non autem vnio, vt mox dicetur in ſequenti concluſione, quamuis ex alio capite, à Theologis humanitas vt vnita Verbo id, catur terminus formalis vt (quo,) quatenus eſt principium operationum, eſt igitur vt (quod) reſpectu actionis agentis, eſt autem vt (quo) reſpectu ſuarum operationum, (vt quod) enim eſt totum compoſi- B tum, homo enim dicitur diſcurrere per animam tanquam per principium quo.

6. *Tertia cõcluſio.* TERTIA concluſio; Vnio, quamuis, vt dictum eſt, ſit terminus immediatus formalis vt (quo) vnitionis, quatenus per vnitionem immediatè attingitur vnio; ſi tamen conſideretur hæc actio, vt eſt à tota Trinitate agente ſecundùm id, ad quod ipſa vltimatè ordinatur ſecundùm ordinem intentionis: tunc vnio non eſt terminus formalis vnitionis, ſed potiùs conditio.

Probatur, quia Chriſtus tamquam terminus totalis compoſitus ex perſonalitate Verbi, & humanitate, terminat vt (quod) totaliter actionem agentis, ſecundùm ea quæ dicit formaliter conſtitutiuè tanquam extrema componentia; ex his enim conſtitui- C tur compoſitum; ergo ſecundùm ordinem intentionis formaliter terminat actionem agentis per illud extremum, quod eſt forma in iſto compoſito; hoc autem eſt humanitas, & non vnio; nam vnio non ingreditur vt pars conſtitutiua compoſiti, ſed ipſa humanitas, non quidem ſecundùm ſe, ſed humanitas vt ſtat ſub vnione: itaque vnio potiùs eſt conditio neceſſaria ad hoc, vt humanitas ſit pars conſtituens compoſitum, quia ſit ratio formalis ipſius compoſiti.

7. *Obiectio.* Quòd ſi dicas, Vnio eſt de conceptu compoſiti; ergo non eſt conditio.

Soluitur. Reſpondetur vnionem eſſe quidem rationem formalem per quam extrema vniuntur ad inuicem, non tamen eſt pars formalis conſtitutiua compoſi- D ti; hæc enim eſt humanitas, & quantùm ad hoc, vnio ſe habet vt conditio requiſita, quatenus humanitas non eſſet pars formalis in compoſito, ſi non eſſet vnita; quòd autem ſit pars formalis, non habet formaliter ex vnione, ſed ex ſe, ſeu ex ſuis principiis, quatenus ipſa eſt natura, & principium formale operandi in compoſito: quare vnio in ratione terminandi formaliter vt (quo) actionem agentis, non ſe habet vt ratio formalis, ſed vt integrans rationem formalem cum humanitate; integrat autem tamquam neceſſarium requiſitum, ſeu conditio neceſſaria, quia actio agentis ſecundùm ordinem intentionis per ſe ordinatur vltimatè ad trahendum humanitatem in compoſitionem, tamquam formam E illius compoſiti: quòd autem ſit forma, & vt ſic terminet actionem agentis, non habet ex vnione, vt dictum eſt, ſed ex ſe, & ex ſuis principiis, ſuppoſita vnione tamquam neceſſariò requiſita.

8. *Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.* AD fundamentum primæ ſententiæ quod eſt contra primam concluſionem, per quod probatur terminum formalem eſſe perſonalitatem Verbi, reſpondetur, quòd ſi vnitio conſideretur vt eſt quædam aſſumptio, tunc bene probat argumentum factum, perſonalitatem Verbi eſſe terminũ ad (quem) quia aſſumptio ex S.Tho. 3. p. q. 2. a.8. eſt ſumptio *S.Thom.* ab alio tamquam termino à (quo) ad ſe tamquam ad terminũ ad (quem;) non tamen ex hoc ſequitur quòd terminus formalis in compoſito, ſit perſonalitas; ſicut ſi materia haberet vim aſſumendi ad ſe formam, non propterea diceretur materia eſſe principium formale in compoſito, quia adhuc ipſa non eſſet actus, ſed potentia, nec ipſa eſſet principium operationis.

AD confirmationem, cùm dicitur, quòd ſubſiſtentia ſe habet ad modum actus, quia perficit humanitatem; reſpondetur quòd non perficit vt terminus formalis, quia tantùm perficit in ratione ſuſtentandi, & terminandi, non autem in ratione operandi: ſicut eſt humanitas in toto compoſito; *Ariſtot.* principium autem operandi ſecundùm Ariſtotelem 2. de anima, habet propriè rationem actus. 9.

QVARTA DVBITATIO.

Quis ſit terminus à quo Incarnationis.

HÆc quæſtio ſequitur ex præcedentibus, & mouetur propter S.Thomam, qui in 3. part. q.2.art.8. vbi docet aſſumptionem eſſe quaſi ab alio ad ſe ſumptionem; quæ verba dederunt occaſionem Thomiſtis variè opinandi de termino (à quo.)

1. *Prima ſententia. Caiet.* PRIMA ſententia Caietani 3 p.q.2.art.8. in fine, vbi quàm breuiſſimè ſe expediens ab hac dubitatione dicit humanitatem, quæ aſſumitur à perſonalitate Verbi, eſſe terminum à quo. Hanc ſuam opinionem non probat, niſi ex verbis citatis S.Thomæ; contra quam ſententiam ſit

2. *Prima concluſio.* PRIMA concluſio, Humanitas non poteſt eſſe terminus à quo huius actionis; nam terminus à quo eſt incompoſſibilis cum termino ad quem: at verò humanitas remanet cum termino ad quem, ſiue terminus ad quem ſit vnio, ſiue perſonalitas; ergo, &c.

Soluitur argumentum primæ ſententiæ. AD fundamentum Caietani reſpondetur S.Thomam non dicere humanitatem eſſe terminum à quo: ſed potiùs dicere iuxta opinionem noſtram, quam infrà afferemus in quinta concluſione.

3. *Secũda ſententia. Medin.* SECVNDA ſententia Medin. 3. p. q. 2. art. 8. terminum à quo eſſe perſonalitatem humanitatis, quam humanitas habuiſſet ſi non fuiſſet impedita per præſentiam Verbi.

Fundamentum eſt, quia ex vi huius actionis ſit tranſitus à perſonalitate propria, quam habuiſſet humanitas ſi non fuiſſet impedita ad perſonalitatem Verbi, ſicut cùm producitur ignis ex aqua, terminus poſitiuus à quo eſt aqua. Et hæc opinio eſt conformior dictis S. Thomæ, quàm ſit opinio Caietani: quia cùm dicit S. Thomas quòd aſſumptio eſt ab alio ad ſe ſumptio, facere poteſt ſenſum clariorem quòd ſit ſumptio humanitatis à propria ſubſiſtentia ab ſubſiſtentiam Verbi. Contra quam ſententiam ſit

4. *Secũda concluſio.* SECVNDA concluſio, Perſonalitas creata, quam habuiſſet humanitas, ſi non fuiſſet impedita per præſentiam Verbi, non eſt terminus à quo.

Probatur, quia terminus à quo poſitiuus debet præcedere ſecundùm durationem ipſum terminum ad quem: Sed humanitas nunquam fuit ſub propria ſubſiſtentia, vt ſupponitur: ergo propria ſubſiſtentia non poteſt eſſe terminus à quo, quia eſſet terminus poſitiuus.

Probatur Maior: Nam à termino à quo poſitiuo, ſubie

Digitized by Google

ſubiectum tranſit ad terminum ad quem: Neceſſe eſt igitur vt terminus à quo, & terminus ad quem ſucceſſiuè aliquando ſint in ſubiecto. Sicut ſi Deus creaſſet, vt multi tenent, ſecundam aëris regionem frigidam, non poſſet dici quòd terminus à quo poſitiuus eſſet calor, quia non poteſt concipi aër tranſiiſſe de calore ad frigus.

5. Quòd ſi dicas primò pro hac opinione, hoc verum eſſe quando terminus à quo non eſt debitus connaturaliter ſubiecto; ſicut ſi Deus crearet hominem album, non poteſt dici quòd terminus à quo ſit nigredo, quia non poteſt concipi prioritas naturæ, quæ ſaltem fundaretur in debito: at verò quando terminus à quo poſitiuus eſt debitus ſubiecto, ſicut eſt in exemplo allato de aëre, & in caſu noſtro de ſubſiſtentia creata, tunc quamuis terminus à quo non præcedat ſecundùm durationem, poteſt tamen præcedere ſecundùm naturæ ordinem, ſicut à ſimili in termino negatiuo. Poteſt enim concipi aër in aliquo priori non frigidus, non quidem quòd ſit aliquando negatio frigidi, ſed tantùm ſecundùm præciſionem intellectus. Ita ſimiliter poteſt concipi humanitas in aliquo priori cum ſubſiſtentia propria & ſibi debita, quam ſcilicet habuiſſet ſi non fuiſſet impedita.

Reſpondetur hoc eſſe impoſſibile in termino à quo poſitiuo, quia in illo priori deberet concipi humanitas cum propria ſubſiſtentia, quod quidem eſt falſum: ſolùm enim concipitur cum debito ad propriam ſubſiſtentiam: quare ipſa ſubſiſtentia creata non poteſt eſſe terminus.

Et in hoc conuenit terminus poſitiuus cum negatiuo, quia neque terminus negatiuus præcedens tantùm ſecundùm prioritatem naturæ, poteſt concipi in ſubiecto, ita vt ſubiectum dicatur habere illam negationem à parte rei; ſolùm in hoc differt terminus negatiuus à poſitiuo, quia terminus negatiuus poteſt concipi conceptu præciſiuo, id eſt, conſiderando ſubiectum ſecundùm ſe præſcindendo an habeat illam negationem, vel ne.

Et hoc modo poteſt conſiderari ſecundùm ordinē naturæ præciſiuè ſubiectum in aliquo priori ſigno ſine negatione termini ad quem, hoc autem non poteſt dici in caſu noſtro de termino poſitiuo, quia ſubiectum deberet concipi cum ipſa ſubſiſtentia creata; ſi enim intellectus præſcinderet; tunc ſubſiſtentia creata non eſſet terminus poſitiuus, ſed potiùs negatiuus, quia humanitas conciperetur ſine propria ſubſiſtentia, ſaltem præciſiuè.

6. Quòd ſi dicas ſecundò, Subſiſtentia partialis, quæ immediatè præfuit in materia prima humanitatis Chriſti, deſinit eſſe: poterit ergo ab hac tanquam à termino à quo fieri tranſitus ad perſonalitatem Verbi.

Sed contrà, quia non aſſignatur terminus à quo adæquatus, ſed partialis. Et præterea in opinione noſtra, quam tenuimus in diſputatione tertia philoſophica, neque in ſubſiſtentia, quæ præfuit in materia humanitatis Chriſti poteſt dici terminus à quo partialis, quia ibi probatum eſt in homine dari vnam ſubſiſtentiam totalem ſimplicem, per quam & ſubſiſtit anima, & ſubſiſtit materia: Terminus ergo à quo deberet eſſe iſta ſubſiſtentia totalis ſimplex, quæ deberetur humanitati Chriſti, quia immediatus tranſitus ad perſonalitatem Verbi fieri debet à ſubſiſtentia, quæ connaturaliter deberetur humanitati.

7. Soluitur argumentum ſecundæ ſententiæ quod

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, ſi perſonalitas propria præfuiſſet in humanitate Chriſti, bene concluderet argumentum, falſum non repugnare illam perſonalitatem eſſe terminum à quo poſitiuum, ſicuti eſt aqua cum ex ea fit tranſitus ad ignem.

eſt contra ſecundam concluſionem.

8. Tertia ſententia.

Tertia ſententia aſſerit terminum à quo eſſe tantùm negatiuum, & hunc eſſe negationem perſonalitatis Verbi. Huic ſententiæ videntur fauere graues quidam recentiores dum dicunt, quòd ſi actio incarnationis conſideretur quatenus per illam communicatur humanitati ſubſiſtentia diuina, tunc terminus à quo illius erit carentia ſubſiſtentiæ perſonalitatis diuinæ.

Fundamentum eſt, quia terminus à quo eſt negatio termini ad quem; ſed ſecundùm iſtos Doctores terminus ad quem eſt perſonalitas diuina, ergo conſequenter ſecundùm iſtos terminus à quo erit negatio illius perſonalitatis. Contra quam ſententiam ſit

9. Tertia concluſio.

Tertia concluſio. Terminus à quo non eſt negatio perſonalitatis Verbi.

Primò, quia terminus ad quem, non eſt perſonalitas Verbi, ſed humanitas vt ſtat ſub vnione, vt oſtenſum eſt ſuprà in ſuperiori dubitatione; Ergo ex oppoſito fundamento terminus à quo, non poteſt eſſe negatio perſonalitatis diuinæ, quia ex Ariſt. 5. Phyſ. debet eſſe contradictorius termino ad quem. Ariſtot.

Secundò probatur, quia iſta negatio nunquam præfuit in humanitate Chriſti, ſemper enim humanitas fuit vnita cum Verbo; ergo non poteſt eſſe terminus à quo. Debet enim terminus à quo immediatè antè præextitiſſe ſecundùm Ariſtotelem. Ariſtot.

Quòd ſi dicas, ſufficit in mutatione ſupernaturali, vt concipiatur præexiſtere in aliquo priori. Contrà, quia neque in aliquo priori poteſt concipi, quia nunquam intellectus poteſt affirmare, eſſe negationem perſonalitatis Verbi in humanitate Chriſti.

Quòd ſi dicas, concipit intellectus quòd præfuiſſet iſta negatio, ſi humanitas fuiſſet relicta ſuæ naturæ. Contrà, quia ſicut argumentabamur de propria ſubſiſtentia, quòd non poſſit eſſe terminus à quo quatenus reſultaſſet ſi non fuiſſet impedita, quia in tali caſu terminus à quo non eſſet propria ſubſiſtentia, ſed debitum ad habendam propriam ſubſiſtentiam. Ita in hoc caſu terminus à quo non eſſet negatio perſonalitatis Verbi, ſed potiùs debitum connaturale ad habendum illam negationem.

Sed Suarius ſubtiliter, vt ſolet, reſpondet, differentiam eſſe inter terminum poſitiuum, & negatiuum, quòd poſitiuus terminus non poteſt concipi in ſubiecto conceptu præciſiuo, vt oſtenſum eſt ſuprà, terminus autem negatiuus poteſt concipi, quia poteſt concipi humanitas exiſtens abſque eo quòd conſideretur vnita Verbo. Suarius.

Sed contrà, quia tranſitus, qui fit à parte rei, eſt à termino à quo vt eſt in re, at in re non poteſt concipi humanitas in aliquo priori cum illa negatione. Quòd verò ab intellectu non conſideretur per præciſionem illa vnio cum Verbo, non facit quòd humanitas ſit ſine vnione, & conſequenter potiùs tranſitus eſſet à non conſideratione ad conſiderationem, quàm à negatione perſonalitatis ad poſitionem perſonalitatis à parte rei, & hinc etiam habetur, quòd non bene ponitur terminus ad quem, perſonalitas diuina, quia non poteſt poni terminus à quo, negatio ipſius perſonalitatis: & tamen ſecundùm Ariſtotelem, omnis mutatio, quæ fit in tempore, debet habere terminum à quo.

Ariſtot. Soluitur argumentum tertiæ ſententiæ contra hanc tertiam concluſionem.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ patet ex dictis.

10. Quarta ſententia.

Quarta ſententia recentiorum, aſſerit terminum à quo, eſſe negationem vnionis, quia humani-

tas

tas de non vnita, fit vnita, ita vt ſubiectum ſit humanitas. Ratio iſtorum eſt, quia pro termino ad quem, ponant vnionem, vt vidimus in ſuperiori dubitatione. Contra quam ſententiam ſit

Quartum dictum. QVARTA concluſio. Terminus à quo, non eſt negatio vnionis.

Probatur, quia terminus vltimatus ad quem non eſt vnio, ſed humanitas vnita, ita vt humanitas ſit terminus formalis, & vnio connotatum, vt fuſiùs in ſuperiori dubitatione oſtenſum eſt.

Secundò probatur, quia negatio vnionis, non poteſt eſſe terminus à quo, non enim præceſſit immediatè antè, quia ſemper humanitas, in qua tanquam in ſubiecto ponitur vnio, fuit vnita Verbo: nec poteſt concipi iſta negatio præcedens in aliquo priori naturæ, vt ſuprà argumentati ſumus contra ponentes negationem perſonalitatis.

Vtrùm autem vnitio, quatenus conſideratur vt via ad vnionem, tanquam ad immediatum terminum per illam productum, poſſit habere terminum à quo ipſam negationem vnionis, infrà videbimus in quinta concluſione in reſponſione ad ſecundam obiectionem.

11. Quinta concluſio. QVINTA & vltima concluſio. Terminus à quo, totalis eſt, non Chriſtus, terminus verò à quo partialis, & formalis eſt negatio humanitatis in Verbo, ita vt Verbum ex non habente humanitatem, tanquam ex termino à quo transeat ad habens humanitatem vnitam Verbo, tanquam ad terminum ad quem.

PRIOR pars probatur, quia terminus ad quem totalis, vt ſuprà dictum eſt, eſt Chriſtus: terminus autem à quo, debet eſſe contradictorius termino ad quem, ex 5. phyſic. tex. 6. & 9.

12. SECVNDA pars huius concluſionis, quòd ſcilicet, terminus partialis formalis ſit negatio humanitatis in Verbo.

Probatur primò, quia in priori dubitatione probauimus terminum partialem formalem & vltimatum vt (quod) ſeu (ad quem) eſſe humanitatem, vt ſtat ſub vnione, ergo terminus à quo, cùm debeat eſſe contradictorius termino ad quem, ex Ariſtot. loco citato, erit negatio humanitatis in Verbo, ſeu non eſſe humanitatem vnitam Verbo; ita vt Verbum ſit loco quaſi ſubiecti, ſiue ſuſtentatiui in terminando, quod ſine vlla ſui mutatione, ſed mutatione tantùm facta in humanitate, vt in primo corollario oſtenſum eſt, tranſit de non habente humanitatem ſibi vnitam, ad habens illam, vt formam totius compoſiti ex ipſo Verbo & humanitate, quod eſt Chriſtus. *(Ariſtot.)*

Secundò probatur, quia ceſſat in hac noſtra ſententia inſtantia, quam fecimus contra alias opiniones, quòd ſcilicet terminus à quo ſaltem negatiuus, debet præeſſe immediatè antè, nam in hac ſententia noſtra, hic terminus à quo, præcedit immediatè ante illud inſtans, in quo humanitas vnitur Verbo.

Et hanc exiſtimo eſſe ſententiam S. Thom. in illo loco citato tertiæ partis q. 2. art. 8. vbi dicit (quòd natura humana ſignificatur, vt in termino ad hypoſtaſim diuinam.) Ex quibus verbis, non videtur benè colligere Caietan. quòd natura humana ſit terminus à quo, ſed potiùs colligitur oppoſitum, quòd A natura humana ſit terminus ad quem: hypoſtaſis autem ſit terminus cui: negatio autem humanitatis in Verbo, ſit terminus à quo. *(S.Thom. — Caietan.)*

Obiicies primò contra hanc concluſionem. Humanitas per iſtum tranſitum fit vnita Verbo, ergo fit tranſitus de non vnione ad vnionem, ergo negatio vnionis erit terminus à quo. 13. *Prima obiectio contra hanc quintã concluſionem.*

Reſponſio. Reſpondetur, quòd humanitas eſt terminus formalis ad quem, vnio autem eſt connotatum, quia humanitas eſt forma tanquam principium operandi in toto compoſito, quod eſt Chriſtus: eſt autem forma quatenus ſtat ſub vnione tanquam connotato, vt fuſiùs oſtenſum eſt in ſuperiori dubitatione in tertia concluſione, quare terminus à quo formaliter, eſt negatio humanitatis, vt ſtat ſub vnione cum Verbo. B

Quòd ſi adhuc replices ex dictis in ſuperiori dubitatione, terminus ad quem, qui immediatè producitur per vnitionem, tanquam per viam, eſt vnio, ergo negatio vnionis erit terminus à quo, quia hic eſt contradictorius termino ad quem, in quo caſu, vt dicebat quarta opinio, ſubiectum erit humanitas, terminus à quo negatio vnionis, terminus ad quem vnio, terminus verò cui, Verbum. 14. *Secunda obiectio.*

Reſponſio. Reſpondetur, quòd ſi hoc modo ſpectetur vnitio, non habet rationem veri tranſitus, quia non poteſt aſſignari terminus à quo: Nam negatio vnionis, non præcedit immediatè antè: ſupponitur enim, C quòd humanitas ſemper fuerit vnita Verbo, neque poteſt præcedere in aliquo priori ſigno ſecundùm eſſe negationis, vt patet ex tertia, & quarta concluſione. Quare vt vnitio tanquam via habeat terminum à quo, debet conſiderari in ordine ad terminum formalem vltimatum ad quem: hic autem, vt patet ex ſuperiori dubitatione, eſt formaliter humanitas, vt ſtat ſub vnione, tanquam connotato, & tunc terminus à quo, erit negatio humanitatis in Verbo, ita vt ſubiectum non ſit humanitas; hæc enim nunquam præfuit ſine vnione ad Verbum, ſed potiùs ipſum Verbum ſit loco quaſi ſubiecti, quod tranſit per hanc viam vnitionis à negatione humanitatis ad habitionem humanitatis.

Quæſitum. D Quæres pro maiori explicatione eorum quæ dicta ſunt, an ſicut in naturalibus, datur in forma priuatio materiæ, tanquam terminus à quo tranſit forma ad habendum materiam, ita poteſt aſſignari in humanitate Chriſti, tanquam in forma, negatio Verbi, tanquam ſui ſubiecti, ſeu ſuſtentaculi in terminando.

Reſponſio. Recentiores affirmant; ſed tamen quidquid ſit an in naturalibus, in forma detur priuatio materiæ, hoc tamen non eſt concedendum in humanitate Chriſti; & ratio patet ex dictis, quia in humanitate Chriſti nunquam præfuit negatio Verbi; ſemper enim humanitas fuit vnita Verbo, nec potuit præcedere in aliquo priori ſigno, vt oſtenſum eſt in E tertia concluſione, ergo non poteſt dici negatio Verbi eſſe tanquam terminus à quo in humanitate, ſicut dicitur negatio humanitatis eſſe terminus à quo in Verbo; Et ratio diſparitatis eſt, quia in Verbo, quod fuit ante humanitatem præceſſit immediatè humanitatis negatio, at verò in humanitate nunquam præfuit negatio Verbi.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA THEOLOGICA CIRCA QVINTVM COROLLARIVM,

De ſubiecto vnionis hypoſtaticæ.

De hac materia S. Thom. 3. part. quæſt. 2. Scholaſtici in tertio.

Sunt in hac quæſtione duæ dubitationes.

I. *Vtrùm vnio hypoſtatica ſit tantùm intrinſecè in humanitate, an intrinſecè etiam in Verbo.*

II. *An vnio hypoſtatica ſit maxima vnionum.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm vnio hypoſtatica ſit tantùm intrinſecè in humanitate, an intrinſecè etiam in Verbo.

1. QVANTVM ad primā dubitationem, certum eſt apud omnes ſcholaſticos, non dari vnionem creatam in Verbo, tum quia daretur mutatio in Deo, tum quia daretur compoſitio ex vnione creata & Verbo; eſſet enim hæc vnio diſtincta à parte rei à Verbo, quia Verbum ab æterno fuit ſine illa vnione; ergo ſignum eſt euidens illam vnionem diſtingui à parte rei; hoc enim eſt ſignum diſtinctionis à parte rei communiter receptum à Philoſophis, vt probauimus ſuprà diſput. 3. philoſophica, qu. 7. Vbi autem eſt diſtinctio, ibi eſt compoſitio; at compoſitio repugnat Deo, qui eſt natura ſimpliciſſima.

2. *Senſus dubitationis.* Quod igitur controuertitur eſt, An præter vnionem creatam, quæ eſt in humanitate, debeat dari vnio increata in Verbo? & circa hoc eſt

Prima ſententia. PRIMA ſententia aliquorum, qui ponunt duas vniones, alteram creatam in humanitate, alteram increatam in Verbo, & identificatam cum perſonalitate Verbi: quam vnionem ita explicant, vt illa ſit eſſentialiter reſpectus ad naturam creatam tantùm. Hæc ſententia ab aliquibus tribuitur Caietano 3. p. q. 2. art. 7. ſed immeritò, vt videbimus infrà in ſecunda ſententia.

Fundamentum primæ ſententiæ. Fundamentum huius primæ ſententiæ, cuiuſcumque illa ſit, hoc eſt. Impoſſibile eſt per vnionem, quæ intrinſecè ponitur, ſolùm in humanitate vniri Verbum, ergo oportet dare duas vniones, alteram in humanitate, alteram in Verbo.

Conſequentia probatur, quia ex vi antecedentis vel oportet dare vnam vnionem afficientē intrinſecè vtrumque extremū, vel dare duas vniones, alteram in Verbo, alteram in humanitate: Non primum, non ſolùm propter multas implicantias, quas ſecum affert iſte modus dicendi in quolibet compoſito naturali, ſed peculiariter repugnat in hoc myſterio Incarnationis, quia vel iſta vnio eſſet creata, & tunc non poſſet afficere intrinſecè Verbum, vel eſſet increata, & tunc non poſſet afficere intrinſecè humanitatem, ergo eſt aſſerendum dari duas vniones, alteram in humanitate, alteram in Verbo.

A Antecedens probatur, quòd ſcilicet ſit impoſſibile dari vnam vnionem, quæ tantùm afficiat intrinſecè humanitatem, quia vnio eſt ratio formalis, dat igitur ſuum effectum formalem intrinſecè, in hoc enim differt cauſa intrinſeca ab extrinſeca, quia cauſa intrinſeca, qualis eſt ratio formalis, dat effectum formalem dando ſe ipſam: non igitur poteſt vnio, quæ tantùm intrinſecè afficit humanitatem, dare effectum formalem Verbo, ita vt illud faciat à parte rei vnitum cum humanitate; oportet igitur dare aliam vnionem intrinſecam Verbo.

Et confirmatur, quia vnio non ſolùm reſpicit extrema tanquam terminos, ſicut mera relatio, ſed reſpicit illa tanquam componibilia, & vnibilia, ac proinde ex æquo reſpicit vtrumque extremum; B petit igitur ex natura ſua, vt ſit in vtroque extremo, erit igitur vnio in Verbo.

Vlteriùs ſi in Verbo, vt probatum eſt, danda eſt vnio, vel hæc erit creata, vel increata: non creata, quia daretur mutatio in Verbo, quod implicat, erit igitur increata.

Quòd autem non repugnet dari vnionem increatam in Verbo, probatur primò, quia hæc vnio increata non habet implicantias; quas habet vnio creata, quia illa ponitur æterna, increata, & identificata cum perſonalitate Verbi; per hanc igitur vnionem increatam non mutaretur Verbum, ſed ſolùm per mutationem humanitatis, ratione vnio-C nis creatæ in ipſa receptæ, fieret vt illa vnio increata, quæ antea non vniebat, poſtea vniret; Sicut ſcientia Dei, quæ in priori quodam ſigno ante determinationem voluntatis diuinæ non terminabatur ad obiectum contingens futurum, poſita in determinatione diuinæ voluntatis, & facta aliqua mutatione in obiecto contingenti, ſtatim terminatur ad illud.

Sic etiam immenſitas Dei, quæ eſt præciſè reſpectus ad coëxiſtendum creaturis, ex ſola productione creaturarum denominatur præſens, & coëxiſtens cum creaturis; Eodem igitur modo poteſt concipi, quòd hæc vnio creata in Deo per mutationem

Digitized by Google

nem ſolam factam in creatura, fiat actualis, & exerceat actum vniendi cum creatura. Nec obſtat quòd iſta vnio increata ſit eſſentialiter reſpectus ad naturam creatam, quia hic reſpectus non ſupponit fundamentaliter imperfectionem, ſed potiùs perfectionem in Verbo, quod eſt vnibile ex abundantia perfectionis.

Sed contra hanc primam ſententiam ſit

2. *Prima concluſio contra hãc primam ſententiam.* PRIMA concluſio cum communi Scholaſticorum & Patrum, Vnionem hypoſtaticam tantùm eſſe in humanitate.

Probatur primò. Probatur primò ex diſput. quarta Philoſophica, quæſt. 4. & 5. vbi ex profeſſo oſtendimus ſuperfluum eſſe ponere duas vniones in extremis, ſed ſufficere tantùm vnam, quæ intrinſecè afficiat vnum tantùm extremum, & aliud extrinſecè; ſed hæc vnica vnio non poteſt eſſe in Verbo; neceſſariò igitur ponenda eſt tantùm in humanitate.

DVO ſunt probanda in hac prima ratione. Primum quòd ſufficiat tantùm vnica vnio afficiens intrinſecè tantùm vnum extremum. Secundum, quòd hæc talis vnio repugnet Verbo.

Probatur primum multipliciter. Primò & fundamentaliter, ex principio noſtro philoſophico ſuprà citato, quia vnio, vt ſæpe dictum eſt, eſt eſſentialiter actualis nexus duorum, ergo ſi tantùm concipiatur vnio in vno extremo, iam ſufficienter intelligitur aliud extremum vnitum; quomodo enim poteſt concipi humanitatem vnitam Verbo per vnionem, quæ eſt in ſe, & ex vi huius vnionis, non concipi Verbum vnitum humanitati?

Et confirmatur, quia quomodocumque conſideretur vnio, ſufficit vt ſit in vno tantùm extremo; Nam vel conſideratur vt ordo, & vt ſic non exigit vt ſit in vtroque extremo; nam ordo ſiue tranſcendentalis, ſiue prædicamentalis, non requirit ex natura ſua correlatiuum formaliter, vt patet in Deo, & creatura, ſcientia & ſcibili; Vel conſideratur vt nexus, & tunc neque requirit, vt ſit in vtroque extremo, nam ex vi poſitionis in vno extremo iam intelligitur affectum aliud extremum extrinſecè; Vel conſideratur quatenus eſt vnio faciens vnum per ſe, & neque ex hoc capite requiritur vt ſit in vtroque extremo; nam extrema ſeipſis vt quod, vniuntur immediatè, quatenus, vt inquit Ariſtoteles, vnum eſt actus, & alterum potentia. Vel conſideratur quatenus eſt ratio formalis, quæ intrinſecè debet dare ſuum effectum formalem, & neque vt ſic petit eſſe in vtroque extremo; ſatis enim eſt, vt intrinſecè afficiat vnum extremum, dando illi effectum formalem, & denominando aliud extremum extrinſecè, quia non poteſt concipi denominare vnum intrinſecè quin denominet aliud extrinſecè.

4. *Probatur ſecundò.* Secundò probatur, quia ſi daretur vnio in vtroque extremo, adhuc aſſignanda eſſet tertia vnio, quæ afficiat intrinſecè vtramque vnionem vniendo illas duas vniones ad inuicem.

Sed hæc ratio poſſet ſolui ſi diceretur, quòd ſicut extrema ſe ipſis immediatè vniuntur vt quod, propter proportionem, quam habent tanquam actus eſſentialis ſeu ſubſtantialis, & potentia, ita pariter illæ duæ vniones ſunt diuerſæ rationis, & ſe habent tanquam actus, & potentia, ac proinde poſſunt ſe ipſis vniri abſque illa tertia vnione.

5. *Probatur tertiò.* Tertiò igitur probatur ſpecialiter in vnione naturæ cum ſubſiſtentia, quia etiam ſi admittatur in compoſito eſſentiali duplex vnio eſſentialis, altera in materia, altera in forma, adhuc repugnat dari duas vniones in compoſito ſubſtantiali, alteram in natura, alteram in ſubſiſtentia, vel vnam afficien-

A tem intrinſecè vtrumque extremum, vt patet ex his, quæ diximus in eadem quæſtione quarta, in prima difficultate.

Et ratio eſt, quia ſubſiſtentia dicit intrinſecè rationem perſeitatis, ſeu per ſe ſubſiſtentis, non ſolùm vt quo, quatenus facit naturam per ſe ſubſiſtentem, ſed etiam vt quod, quatenus illa ſeipſa per ſe ſubſiſtit, ſicut accidit in aliis rationibus formalibus, nam extenſio ſe ipſa extenditur, & actio ſe ipſa fit, vt inquit Ariſtoteles: ſi autem vnio intrinſecè afficeret ſubſiſtentiam, tunc ſubſiſtentia haberet eſſe, In, ſcilicet in natura.

Quòd ſi dicas, ex hac ratione etiam concluderetur quòd natura ſubſiſtens non haberet eſſe per ſe, ſed haberet eſſe, In, quia natura vnitur ſuppoſito.

B Reſpondetur, & quidem illi Doctores, qui tenent in rebus creatis ſubſiſtentiam eſſe modum, facilè reſpondent, ſubſiſtentiam non vniri naturæ per vnionem diſtinctam, ſed per ſe ipſam tanquam modum naturæ. Nos verò qui tenemus, vt patet ex diſputat. tertia philoſophica, ſubſiſtentiam à natura eſſe realiter diſtinctam, quia ſi ſubſiſtentia eſſet modus, dependeret à natura, & haberet eſſe, In, conſequenter etiam dicimus naturam vniri ſubſiſtentiæ per vnionem ſuperadditam, & habere vt ſic præcisè eſſe, In, ſuppoſitum verò quod componitur ex natura, & ſubſiſtentia, eſſe per ſe ſubſiſtens, & incommunicabile.

Secundum verò quod erat probandum, repugnare ſcilicet vnionem eſſe intrinſecam Verbo, probatur ex multis implicantiis. 6.

C Prima autem, & fundamentalis eſt, quia hæc vnio nec poteſt eſſe creata nec increata: non creata, vt ab omnibus conceditur, etiam ab aduerſariis, quia daretur mutatio in Verbo: quòd verò non poſſit eſſe increata, de qua eſt quæſtio, probatur

Primò, quia, vt ſæpiùs dictum eſt in diſputat. quarta Philoſophica, in prima difficultate, vnio eſt eſſentialiter nexus actualis, ſi enim eſſet potentialis, requireretur alia actualis, quæ actualiter nectat extrema: ſtandum eſt igitur potiùs in priori vnione, & dicendum, quòd illa eſt actualis: ſi ergo vnio eſt actualis nexus, quomodo poteſt iſte nexus concipi ab æterno in Verbo, & non nectere, ſeu vnire Verbum actualiter cum natura creata?

D Secundò probatur, quia hæc vnio diceret tantùm ordinem ad naturam creatam, ergo dependeret ab illa, eſt autem abſurdum vt res increata totum ſuum eſſe habeat dependenter ab aliquo creato, quia non haberet maiorem neceſſitatem quàm ens creatum. Quòd verò talis vnio diceret ordinem eſſentialem ad creaturam, probatur, nam non poteſt intelligi ratio extremi vnius vnionis cum altero ſine intrinſeco & tranſcendentali reſpectu ad illud aliud.

Quartò probatur, quia ratio actualis vnionis ex ſua eſſentia eſt quid incompletum, & ordinatum ad alterum; eſt enim eſſentialiter coniunctio E duorum ad conſtitutionem vnius tertij: non ergo poteſt Deo conuenire formaliter & intrinſecè quin dicat imperfectionem in Deo, à qua non poteſt abſtrahere. 7. *Quartò probatur.*

Remanet igitur ex dictis probatum, quòd quia vnio nõ poteſt afficere intrinſecè niſi tantùm vnum extremum, & quoniam hoc extremum non poteſt eſſe Verbum, ſequitur quòd afficiat intrinſecè tantùm humanitatem.

AD fundamentum primæ opinionis reſpondent aliqui, propterea hoc myſterium dici ineffabile à Patribus. 8. *Reſpõſ. ad fund.*

Digitized by Google

mentum primæ ſententiæ.

Patribus, potiſſimè à Chryſoſtomo hom.4.in Matt. A Cyrillo de Incarnat. vnig.c.1.& à Conc. Tolet. XI.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſoluenda adhuc eſt à Theologo implicantia allata in argumẽto,in quo probabatur non poſſe dari vnam vnionem afficientem tantùm intrinſecè vnum extremum:Nec bene fundatur iſta prima reſponſio in Patribus, quia Patres citati ſolùm intendunt hoc myſterium eſſe incomprehenſibile, non quia datur vnio tantùm in humanitate, ſed quia non poteſt lumine naturali cognoſci, vt diximus in primo Corollario, in ſecunda dubitatione.

Quare reſpondetur ex principio noſtro Philoſophico, paulò ſuperiùs in hac dubitatione allato non implicare dari vnam vnionem afficientẽ intrinſecè tantùm vnũ extremũ;imò ſuperfluum eſſe dari duas B etiam in compoſito naturali:Adde quòd in hoc myſterio peculiariter repugnat,vt probatũ eſt, quia nec vnio creata,nec increata poteſt aſſignari in Verbo.

9. Reſponſio ad exempla in oppoſitũ allata. Ad primum de cognitione Dei.

Ad exempla verò allata in oppoſitum de cognitione diuina, & immenſitate Dei reſpondetur, & ad primum de cognitione diuina dicitur, eſſe diſparem rationem in cognitione,& vnione Dei in ordine ad creaturas, tum quia actualis ratio cognitionis in Deo ſemper habet primarium obiectum ad quod terminatur, quod eſt eſſentia Diuina, ac proinde ſiue detur obiectum creatum futurum, ſiue non detur,ſemper illa cognitio eſt actualis reſpectu primarij obiecti, quod eſt ipſemet Deus;At verò vnio increata pro termino primario & ſolo haberet naturam creatam;eſt enim ſecundùm hanc ſententiam C eſſentialiter reſpectus præcisè ad hanc naturam creatam, & tamen ab æterno hæc vnio non eſſet in actuali exercitio vniendi cum natura creata,quod eſt contra rationem vnionis,vt probatum eſt,tum quia cognitio in Deo non habet conceptum modi; ſicut neque in nobis, ac propterea etiam ſi diuina cognitio non eſſet actualis, adhuc non eſſet contra rationem cognitionis,vt cognitio eſt,quamuis quatenus diuina eſt, debeat eſſe actualis reſpectu obiecti primarij;At verò vnio quatenus modus eſt, neceſſariò debet eſſe in actuali exercitio; de ratione enim modi eſt vt actualiter modificet;nam ſi non eſſet actualis,ſed potentialis,requireretur alius modus quando tranſit ad actuale exercitium, & tunc de illo modo quæritur;an ſit actualis,vel potentialis;quòd ſi dica- D tur eſſe potentialis,requireretur alius modus,quando tranſit ad actum, & ſic daretur proceſſus in infinitum; Si dicatur eſſe actualis, tunc potiùs ſiſtendum erat in illo priori modo.

10. Ad ſecundũ exemplum de immenſitate Dei.

Ad ſecundum exemplum de immenſitate dicitur, quòd Deus per ſuam immenſitatem eſt in omnibus ſpatiis imaginariis, ſeu in omni illo ſpatio infinito inani; Quando igitur producitur corpus, negatur Deum fieri præſentem alicui loco, in quo priùs non erat; Corpus enim productum ſe penetrat cum aliqua parte illius interualli inanis in qua erat Deus,& quidem hoc ſpatium imaginarium, ſeu inane negari non poteſt, vt fusè probabitur in prædicamento Vbi; ſi enim hoc non daretur; in quo non ſit Deus E ab æterno, ſequeretur Deum mutari cùm producit corpus,nam eſſet in corpore,vbi priùs non erat.

Quòd ſi dicatur ſatis eſſe quòd mutatio ſit tantùm ex parte corporis, quod producitur de nouo; ſicut cùm Deus ex non creante fit creans, ſatis eſt mutatio in creatura. Contra hoc eſt, quia cùm Deus ſecundùm ſubſtantiam ſuam de nouo fit præſens alicubi,vbi priùs non erat, variatur ſecundùm ſuam ſubſtantiam, nec eſt ſimile quod adducitur de creatione, quia Deus in creatione non recipit aliquam variationem in ſua ſubſtantia, ſed tota mutatio eſt ex parte creaturæ. Et hæc ſatis dicta ſint circa primam ſententiam.

11. Secũda ſententia Caiet.

Secunda ſententia Caietani 3.part.quæſt.2.a.7. aſſerentis hanc vnionẽ increatam idẽtificatam cum Verbo non eſſe vnionẽ,quæ tantùm reſpiciat naturam creatam, tamquam alterum extremum, vt dicebat prima opinio,ſed eſſe ipſam vnitatem increatam perſonæ Verbi, ſecundùm quam perſona Verbi eſt vnum cum natura diuina, & per hanc communicatam in tempore humanitati Verbum facit vnum cum humanitate. Et iuxta hunc dicendi modum ſolui poſſunt implicantiæ, quas attulimus contra vnionem identificatam cum Verbo.

Primò quidem, quia ex hoc modo dicendi non ſequitur illud abſurdum, quòd ab æterno ſit vnio, quia eſſentialiter eſt nexus actualis, & non vniat; nam per hanc vnitatem ſemper ab æterno ſit vnum ex Verbo,& natura Diuina.

Aliæ verò implicantiæ ſoluuntur, quia hæc vnitas cùm non reſpiciat ipſam naturam creatam, ſed naturam diuinam, non videtur dicere aliquam imperfectionem; imò potiùs ex abundantia perfectionis videtur poſſe communicari naturæ creatæ: nec eſt aliqua repugnantia ex parte naturæ creatæ, quia non debet afficere intrinſecè ipſam naturam creatam,ſed tantùm extrinſecè; ſicut nos dicebamus de vnione, quæ ſufficit vt tantùm intrinſecè afficiat naturam creatam,& extrinſecè Verbum.

Sed contra hanc ſecundam ſententiam ſit

12. Secũda concluſio.

Secunda concluſio, Non poteſt per vnitatem, per quam Verbum ſit vnum cum natura diuina,vniri ipſum Verbum cum natura humana.

Probatur vnica ratione.

Probatur, quia hæc vnitas Verbi, vt alibi retigimus,cum natura diuina eſt idem per identitatem;at verò vnio Verbi cum natura humana eſt per compoſitionem, vt oſtendimus ſuprà ex Conciliis, & Patribus; ergo non poteſt per illam vnitatem ſeu identitatem Verbi cum natura diuina vniri Verbum per compoſitionem cum natura humana.

Concilia. Patres.

Conſequentia probatur, quia vnitas, ſeu identitas vnius extremi non eſt ſufficiens ad componendum cum alio extremo; v. g. vnitas quam habet anima rationalis,vt multi tenent,cum potentiis ſibi identificatis, non eſt ſufficiens ad componendum cum corpore,etiam ſi eſſet ſubſtantialis;Et ratio eſt, quia effectus formalis identitatis eſt facere vnum omnino idem;non ergo poteſt per identitatem fieri vnum ſecundùm compoſitionem, quæ dicit diſtinctionem extremorum.

13. Inſtantia contra probationem.

Quòd ſi inſtes contra hanc rationem, Vnitas,ſeu identitas Verbi cum natura diuina, quia eſt altioris ordinis,continet eminenter vnionem; quare poteſt facere quicquid facit vnio; ſicut anima rationalis, quia eminenter continet animam ſenſitiuam, facit quicquid facit anima ſenſitiua, tum dando eſſe formaliter ſenſitiuum corpori, tum producendo operationes ſenſitiuas.

Soluitur.

Soluitur inſtantia, quia falsò aſſumitur identitatem continere eminenter vnionem; ita vt poſſit facere formaliter quicquid facit vnio;nam, vt tribuat formaliter,debet eſſe in ſe formaliter, vnde lumẽ quamuis contineat eminentèr calorem, non tamẽ facit per ſe ipſum ſubiectũ formaliter calidum.

Ad exemplum de anima rationali reſpondetur, quòd anima rationalis continet eminenter animam ſenſitiuam in hoc ſenſu, quatenus poteſt eminenter facere quicquid faceret anima ſenſitiua, ſi daretur; non autem continet eminenter gradum ſenſitiuum, quem dat formaliter corpori, ſed continet formali-

A teri; eſt enim anima rationalis formaliter ſenſitiua; quia formaliter in ſe habet principium ſentiendi; identitas igitur per quam Verbum identificatur cum natura diuina, dicitur continere eminenter vnionem creatam, in hoc ſenſu tantùm, quatenus eſt vnitas altioris ordinis; non autem quòd poſſit facere formaliter id quod facit vnio; remanet igitur in hac dubitatione probatum, vnam tantùm eſſe vnionem, quæ intrinſecè afficit humanitatem Chriſti, & extrinſecè Verbum.

14. *Quæſitum.* VNVM poſſet hîc quæri, an vnio quæ eſt in ſola humanitate, ſit vna ſimplex in tota humanitate, vel partialiter vna in materia, & altera in forma, quæ vtramque partem vniant, tamquam vnum extremum cum alio extremo perſonalitatis Verbi, tamquam cum actu ſubſtantiali. B Sed de hoc quæſito commodiùs agemus infrà in quinto corollario.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm vnio hypoſtatica ſit maxima vnionum.

S. Thom. Scholaſt. De hac S. Thom. 3. p. q. 2. art. 9. Schol. in 3. diſt. 5. & nonnulli diſtinctione ſecunda.

1. NOTA quòd comparatio ſit inter ea, quæ ſunt vnum per compoſitionem, non quæ ſunt vnum per identiatem, ſicut eſt in diuinis ex Alenſ. 3. p. q. 2. memb. 2. art. 3. Sunt in hac quæſtione, vt diſtinctiùs procedamus, tres difficultates, C quarum reſolutio pendet ferè ex dictis.

I. Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione entis, ſeu perfectione eſſendi ſit maxima.

II. Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione vnionis, quatenus coniungit mediatè naturam diuinam, & humanam in vno ſuppoſito Verbi ſit maxima vnionum.

III. Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione vnionis quatenus proximè, & immediatè coniungit naturã humanam cum perſonalitate Verbi, ſit omnium vnionum maxima.

Prima difficultas. Prima opinio. Durand. Marſil. QVANTVM ad primam difficultatem de qua parua, aut nulla eſt controuerſia, eſt prima opinio Durandi in 3. diſtinct. 2. q. 2. Marſil. quæſt. 3. qui exiſtimant donum beatitudinis per quod vnitur anima D Deo, eſſe perfectius hac vnione hypoſtatica.

2. *Prima ratio pro Durãd.* Fundamentum eſt, quia vnio beatitudinis reddit formaliter beatum, & explet omne deſiderium. Secundò, quia beatitudo includit perfectionem vitalem, quam non includit vnio hypoſtatica. Contra quam ſententiam ſit

3. *Prima concluſio contra primam opinionem Durandi.* PRIMA concluſio, Dicendum eſt cum communi, vnionem hypoſtaticam eſſe donum perfectius in ratione eſſendi quolibet alio dono gratiæ.

Probatur primò. Scotus. Ratio eſt, quia vt benè aduertit Scot. in 3. diſtinct. 2. quæſt. 1. per vnionem hypoſtaticam confertur humanitati perfectio ſubſtantialis in actu primo, vt ſuprà probatum eſt, ex qua quaſi fluunt connaturaliter omnia alia dona gratiæ tanquam proprietates; E ergo eſt perfectior quolibet alio dono creato.

Probatur ſecundò. Secundò probatur, hæc vnio reſpicit tanquam terminum ipſum Chriſtum, qui eſt perfectior omni creato; ergo vnio eſt perfectior.

Probatur conſequentia, quia vnio accipit perfectionem à ſuo termino; eſt enim eſſentialiter reſpectus tranſcendentalis ad illum. Secundò, quia alia dona gratiæ vniunt animam cum Deo tanquam cum obiecto: at verò vnio hypoſtatica vnit humanitatem cum Verbo tanquam cum termino ſubſtantiali, ex quo fit vt operationes Chriſti ſint in infinitum perfectiores, quàm cuiuſcunque creaturæ A conſtitutæ in quocunque dono gratiæ, ſeu gradu ipſius.

Et per hæc patet ad rationes in oppoſitum allatas in prima opinione; probant enim tantùm donum beatitudinis eſſe perfectius ſecundùm quid. 4.

Secũda difficultas. QVANTVM ad ſecundam difficultatem, Vtrùm ſit vnio hypoſtatica in ratione vnionis, quatenus mediatè coniungit naturam diuinam, & humanam in vno ſuppoſito Verbi, ſit maxima vnionum.

Nota. Nota ex dictis ſupra, per vnionem hypoſtaticam immediatè, & proximè vniri humanitatem cum perſonalitate Verbi præcisè, mediatè verò vniri naturam humanam cum diuina in vno ſuppoſito, tanquã in vno tertio. Hîc igitur quæritur de hac vnione mediatè in vno tertio, Vtrùm ſit maxima vnionum; B *Doctores.* Doctores autem hanc ſecundam difficultatem videntur confundere cum tertia, cùm tamen maxima ſit differentia inter illas, vt mox patebit.

Prima opinio. Durandus. CIRCA igitur hanc ſecundam difficultatem expreſsè Durandus in 3. diſtinct. 5. quæſt. 3. aſſerit vnionem materiæ cum forma eſſe maiorem vnionem, quàm duarum naturarum in ſuppoſito.

Probat, quia in priori vnione materiæ cum forma extrema fiunt magis vnum, & indiuiſum, quàm fiant vnum ex duabus naturis in ſuppoſito Verbi, quia materia, & forma, ſunt vnum natura, & ſuppoſito. At verò duæ naturæ in Chriſto fiunt vnum ſuppoſito tantùm. Contra quam ſententiam ſit

5. *Secũda concluſio.* SECVNDA concluſio, Vnio duarum naturarum C in Chriſto eſt maxima in ratione vnionis. *Scholaſtic. S. Tho. Cai. Tho. Augu. Bernardus.* Eſt communis ſententia Scholaſticorum in 3. diſt. 5. S. Thom. 3. p. q. 2. a. 9. Caiet. & aliorum Thomiſt. hîc; Eſt etiam Sanctorum Patrum, præſertim Auguſt. 1. de Trinit. c. 10. S. Bernard. de conſideratione ad Eugen.

Probatur. Ratio fundamentalis eſt ex S. Bernardo ibidẽ, quia per hanc vnionem efficitur, vt ſuprà probatum eſt, vt vinculum naturæ humanæ, & diuinæ, ſit eadem perſonalitas Verbi, quæ eſt ſimpliciſſima, ex hac autem vnitate ſuppoſiti ſequitur tanta vnio, vt idem ſit Deus, & homo, quod non contingit in aliis vnionibus: non enim ex vnione eſſentiali ſequitur quòd materia ſit forma, & forma materia.

6. *Obiectio.* D Obiicies ex Caiet. loco citat. Accidentia etiam in Chriſto vniuntur in vno ſuppoſito; ergo ſequeretur quòd haberent eandem vnionem, quam habent duæ naturæ; & quòd conſequenter excederent vnionem eſſentialem ex materia, & forma ſubſtantiali, quod eſt abſurdum.

Reſponſio. Reſpondetur ex eodem, quòd illa accidentia vniuntur in ſuppoſito, ſed non ſecundùm modum hypoſtaticum, quia non vniuntur ſubſtantialiter.

Quòd ſi inſtes, ſi duæ naturæ creatæ vnirentur per potentiam Dei in vno ſuppoſito creato, ſequeretur, quòd illæ duæ naturæ haberent eandem vnionem, quam habent natura humana, & diuina in perſona Verbi.

E Reſpondetur negando ſequelam, & ratio negationis eſt, quia quamuis conuenirent in communicatione idiomatum, tamen tertium, in quo vniuntur natura humana, & diuina, quod eſt ſuppoſitum Verbi, eſt ſimplicius, quàm ſuppoſitum creatum, & præterea in hac vnione ſaltem vnum extremum, quod eſt natura diuina, identificatur cum ſuppoſito. Et per hæc patet ad argumentum Durandi in oppoſitum.

7. *Tertia difficultas.* QVANTVM ad tertiam difficultatẽ, Vtrùm ſcilicet hæc vnio hypoſtatica, quæ immediatè, & proximè vnit humanitatem cum perſonalitate Verbi, tamquam

quam duo extrema in ratione, ſeu virtute vniendi ſit maxima vnionum.

Circa hoc tertium maior eſt difficultas, quàm circa ſecundum.

8. Prima opinio huius tertiæ difficultatis. Durandus. PRIMA opinio tenet hanc vnionem hypoſtaticam inter humanitatem, & Verbum non eſſe maximam. Tribuitur Durando in 3. diſt. 5 loco citato. Sed Durandus potiùs videtur loqui de vnione duarum naturarum in Verbo; de quo diximus in ſuperiori difficultate, non autem loquitur de vnione humanitatis cum Verbo, de quo eſt præſens difficultas; Sed hæc opinio cuiuſcumque ſit, poteſt probari.

Primò, Hæc vnio ex natura & ſuppoſito creato eſt maior, quàm hęc vnio hypoſtatica cũ Verbo, quia illa facit magis vnum: nam ſuppoſitum creatum cùm ſit modus naturæ, minùs diſtinguitur, quàm Verbum ab humanitate, quæ ſunt realiter diſtincta. Et confirmatur, quia quantùm ad hoc, figura cum quantitate videtur facere magis vnum propter rationem dictam, quia minùs diſtinguuntur, quamuis ex alio capite vnio humanitatis cum Verbo ſit maior quàm figuræ cum quantitate, quia illa eſt accidentalis, hæc ſubſtantialis.

Secundò probatur, quia vnio materiæ cum forma eſt maior, quàm hæc vnio hypoſtatica cum Verbo, tum primò, quia minùs diſtinguuntur, quia non diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè ſicut humanitas, & Verbum, ſed realiter tantùm, ſicut albedo, & paries: tum ſecundò, quia ex natura ſua ſunt magis ordinatæ ad compoſitionem vnius: tum quia tertiò intrinſecè recipiunt vnionem, quam non recipit Verbum: tum quartò, quia vnio materiæ cum forma facit vnum eſſentiale, vnio autem humanitatis cum Verbo vnum perſonale; maior autem eſt vnitas eſſentiæ, quàm perſonæ; Sed contra hanc opinionem ſit

9. Tertia concluſio. Alen. Palud. Caiet. Med. TERTIA concluſio in oppoſitum, cum ſententia communi Doctorum. Ita Alenſ. 3. p. q. 2. membr. 2. a. 3. Palud. in 3. diſt. 5. q. 3. art 3. Caiet. & Medin. 3. p. q. 2. a. 9. quos ſequuntur aliqui graues recentiores, ſed in aſſignanda ratione eſt magna controuerſia.

Prima ratio. Et prima ratio eſt aliquorum recentiorum, qui dicunt hanc vnionem dici maximam, quia ſit cum Verbo tanquam extremo ſimpliciſſimo: Probant primò authoritate S. Thom. 3. p. q. 2. a. 9. (S. Thom.) Secundò probant, quia cùm Verbum ſit ſimplicius; ſimpliciori modo vnitur humanitati, & meliùs illi, & intimiùs ſe accommodat.

Confutatur. Sed hæc ratio non ſatisfacit, nam ex vnitate extremi non ſequitur maior vnio in ratione vniendi: nam alioquin ſequeretur, quòd vnio intellectus cum anima eſſet maior vnione materiæ cum ipſa anima, quia in illa priori vnione vtrumque extremum eſt ſimplex, & tamen vnio animæ cum materia eſt maior, quia eſt eſſentialis.

Ad ſanctum Thomam reſpondetur, quòd in eo loco non loquitur de vnione humanitatis cum Verbo, ſed expreſsè loquitur de vnione duarum naturarum in Verbo. Et iuxta hunc modum iam conceſſimus in ſecunda difficultate, vnionem duarum naturarum in Verbo eſſe maximam, quia Verbum tanquam tertium, in quo coniunguntur, eſt ſimpliciſſimum.

Non autem eſt eadem ratio de vnione humanitatis cum Verbo, quia Verbum in hac vnione non ſe habet vt tertium, ſed vt extremum; ex ſimplicitate autem extremi non oritur maior vnio, ſicut oritur ex ſimplicitate vnius tertij; & ratio eſt, quia quamuis vnum extremum, cuiuſmodi eſt Verbum, ſit ſimplicius, non tamen ſimpliciori modo vnitur

A humanitati; vnitur enim media vnione, vnde ex ipſa ſpectari debet ratio magis vniendi, hæc autem non eſt ſimpliciſſima, ſed potiùs compoſita, quia partim eſt in materia, & partim in forma; & etiam ſi detur vna ſimplex vnio in humanitate, adhuc iſta non eſt ſimplicior quàm ſit naturæ angelicæ cum propria perſonalitate; & per hæc patet ad ſecundam probationem.

Secunda ratio eſt Alenſis, & aliorum recentiorum, quòd hæc vnio hypoſtatica eſt maior, quia ex ſua natura eſt talis, vt non poſſit diſſolui ex vi alicuius agentis creati. Citatur pro hac ratione S. Leo ſerm. 12. de paſſione, & S. Bernard. lib. 5. de conſid. ad Eugenium. 10. Secũda ratio. Alenſis. S. Leo. S. Bernard.

B Sed hæc ratio quamuis ſit probabilis, & melior priori, non tamen omnino ſatisfacit; nam vt bene aduertit Capreolus in 3. diſt. 5. aliud eſt probare vnionem eſſe firmiorem aliud, eſſe maiorem in ratione vniendi; nam inſeparabilitas poteſt aliunde prouenire, ſicut cælum non dicitur magis vnum, quàm ſit aliud compoſitum naturale, quamuis vnio formæ cæli cum materia naturaliter non poſſit diſſolui, nec vnio intellectus cum anima eſt maior, quàm ſit animæ cum corpore, quamuis illa ſit indiſſolubilis, hæc diſſolubilis. Adde quòd partes aliquæ corporis Chriſti diſſoluebantur per calorem naturalem, & diſſoluebatur vnio, non tamen propter hoc dicendum eſt quòd vnio illarum partium non fuerit maxima. Confutatur. Capreol.

C Ad Sanctos Patres Leonem, & Bernardum reſpondetur, ſolùm illos Sanctos Patres voluiſſe, quòd ratione indiſſolubilitatis vnio hypoſtatica cum Verbo ſit maior, non autem quòd ſimpliciter ſit maior in ratione vniendi: ſed aliunde probat S. Bernardus loco citato, hanc vnionem in ratione vniendi eſſe maiorem, & adducit ibi tres rationes, loquitur autem præcipuè loco citato de vnione duarum naturarum in Verbo. 11.

Tertia igitur ratio mihi videtur efficacior, & eſt illa quam tradit Paludanus in 3. diſt. 5. q. 3. art. 3. ex parte extremorum maximè diſtantium; vnit enim vnio hypoſtatica humanitatem cum Verbo, quæ maximè & in infinitum diſtant. 12. Tertia ratio efficacior. Palud.

D Quæ ratio vt bene intelligatur aduertendum eſt, quòd maior vnio non eſt ſumenda, ſimpliciter & abſolutè, nec ex maiore ſimplicitate extremi, vt dicebat prima ratio, nec ex inſeparabilitate, vt dicebat ſecunda, nec ex eo quia extremum eſt magis vnum, ſeu minùs diſtinctum, vt dicunt quidam iuniores, hoc enim prouenit in rebus creatis ex imperfectione extremorum, non autem ex perfectione vnionis; quòd enim modus ſit magis vnitus cum ſua realitate, quàm ſint duæ realitates, non prouenit ex maiori vnione, ſed quia modus, & realitas ſunt ex natura ſua, minùs diſtincta, quàm ſint duæ realitates, vnio autem quia vnit extrema, vt inuenit;

E ideo vnio non facit maiorem vnionem, ſed potiùs ſupponit in extremis minorem diſtinctionem; non igitur hæc maior vnio prouenit ex perfectione vnionis, attendi igitur debet maior vnio ex virtute vniendi, maior autem virtus eſt vnire extrema magis diſtantia, quia eſſentia vnionis, vt dictum eſt in quarta diſputatione philoſoph. conſiſtit in ratione nexus. Cùm igitur hæc vnio hypoſtatica ſit talis naturæ, vt formaliter vniat humanitatem cum Verbo, quæ maximè, & infinitè diſtant, ſequitur quòd hæc vnio in virtute vniendi ſit maxima.

Obiicies contra hanc tertiam rationem primò S. Thomam in 3. par. q. 2. art. 9. vbi dicit, hanc vnionem non eſſe maximam ex parte extremorum, quæ per 13. Obiectio contra tertiam rationem.

per illam coniunguntur, ſed ex parte Verbi in quo coniunguntur.

Solutio. Reſpondetur S. Thomam ibi expreſſè loqui de vnione duarum naturarum in Verbo, ex quo tanquam ex tertio, in quo vniuntur, habet quòd ſit maxima, vt diximus in ſecunda difficultate, non autem loquitur de vnione humanitatis cum Verbo.

Quòd ſi inſtes, ſi hæc ratio extremorum diſtantium valeret, valeret etiam ibi. Reſpondetur ita eſſe, ſed S. Thomas attendit tantùm illud, ex quo primò & præcipuè ſumitur maioritas vnionis duarum naturarum, hoc autem eſt tertium, in quo vniuntur.

14. Secũda obiectio contra eandem tertiam rationem. Obiicies ſecundò, hinc ſequeretur, quòd maior eſt vnio animæ rationalis cum materia, quàm ſit aliarum formarum, quia illa, cùm ſit ſpiritualis, magis diſtat à materia.

Solutio. Reſpondetur, quòd ſi vnio materiæ cum anima rationali reſpicit animam rationalem, vt forma eſt, ita, vt ſi per impoſſibile poſſit remanere illa vnio, & poni alia forma, vniret etiam cum illa, tunc non eſt maior vnio animæ rationalis cum materia quàm aliarum formarum: ſi verò illa vnio reſpicit animam rationalem ſecundùm conceptum ſpecificum talis formæ, tunc concedendum eſt illam vnionem eſſe maiorem, non quidem quatenus facit magis vnum, ſeu minùs diſtinctum, ſed ex virtute vniendi, penes quam attendi debet maioritas formaliter in vnione, vt dictum eſt.

Tertia obiectio cõtra eandem tertiam rationem. Obiicies tertiò, maior vnio eſt formæ ſubſtantialis cum materia, quàm vnio accidentis cum ſubiecto ſubſtantiali, & tamen magis diſtat accidens à ſubiecto ſubſtantiali, quàm forma ſubſtantialis.

15. Solutio. Reſpondetur quòd non ſumus in caſu, quia comparatio fieri debet inter vniones ſubſtantiales, maior enim virtus requiritur ad faciendum vnum per ſe, quàm ad faciendum vnum per accidens: Si verò præciſè ſpectetur maior diſtantia, tunc concedi poſſet illam vnionem cum ſubiecto eſſe maiorem, & hæc quantùm ſpectat ad ſolutionem obiectionis. Addo vlteriùs quòd nunquam ex hoc capite præciſè erit maior vnio accidentis cum ſubiecto, quàm ſit vnio humanitatis cum Verbo, quia magis diſtat humanitas à Verbo, quàm quodcumque accidens à ſubiecto.

16. Quarta obiectio cõtra eandem tertiam rationem. Obiicies quartò, ſequeretur quòd ſi Verbum aſſumeret naturam irrationalem, haberet maiorem vnionem, quàm modò habet cum humanitate, quia natura irrationalis magis diſtat à Verbo.

Solutio. Reſpondetur primò, quòd quamuis natura rationalis, & irrationalis comparatæ inter ſe, videatur minùs vna diſtare, quàm alia, tamen comparatæ ad Verbum, vna non dicitur magis, & minùs diſtare, quia eſt infinita diſtantia; ſicut numerus finitus additus infinito non facit quid maius.

Sed quicquid ſit de hoc, quod eſt diſputationis phyſicæ, dico quòd vnio, quæ habet vim vniendi humanitatem cum Verbo, eſt talis naturæ, vt in virtute poſſit vnire omnem creaturam, quia ſumit infinitatem ſecundùm quid ab ipſo Verbo, & ſolùm adderetur perfectio extenſiua, ſi vniret alias naturas: ſicut viſio qua videtur Deus, eſt ſufficiens ſecundùm inteſinonem ad videndum creaturas in ſuo proprio genere, & ſolùm requireretur extenſio, vt ſupponimus ex dictis in priori tomo in primo principio philoſophico in corollariis de viſione beatifica.

17. Reſpõſio ad argumenta tertiæ difficultatis quæ ſunt contra hanc tertiã concluſionem. Ad argumenta tertiæ difficultatis, quibus probabatur contra hanc tertiam concluſionem, vnionem hypoſtaticam cum Verbo non eſſe maximam, reſpondetur ad omnia, vnica ſolutione, quòd maioritas vnionis, vt ſuprà oſtenſum eſt, ſumenda eſt ſimpliciter, & abſolutè tantùm ex virtute vniendi extrema, quæ magis diſtant. Breuiter tamen pro maiori claritate reſpondetur ad ſingula.

Ad primum. Ad primum igitur cùm dicitur quòd vnio naturæ cum ſuppoſito creato eſt maior, quia ſuppoſitalitas eſt modus, &c. reſpondetur primò negando, ſubſiſtentiam creatam eſſe modum naturæ, nam in tertia diſputatione philoſoph. quæſt. ſeptima oſtendimus ſubſiſtentiam creatam eſſe realiter diſtinctam à natura. Secundò reſpondetur, etiam ſi concedatur ſubſiſtentiam creatam ſecundùm aliorum opinionem eſſe modum naturæ, adhuc negatur eſſe maiorem vnionem inter naturam creatam, & ſubſiſtentiam propriam, quàm inter humanitatem, & Verbum; maioritas enim in vnione non debet attendi ex eo; quia extrema ſunt magis vnum, ſeu minùs diſtincta, hanc enim maiorem diſtinctionem non habent extrema ex vi vnionis, ſed ex natura ſua; ſumi igitur debet maior vnio ex virtute vniendi; maior autem virtus vniendi colligitur ex maiori diſtantia extremorum, quæ ex vi talis vnionis trahuntur ad vniendum; Et per hæc patet ad confirmationem.

18. Ad ſecundũ. Ad ſecundum in quo probabatur vnionem materiæ cum forma eſſe maiorem, reſpondetur; Et ad primam rationem huius argumenti dicitur; quòd quamuis minùs diſtinguantur materia & forma, quàm Verbum, & humanitas, hæc enim diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè, & illa realiter tantùm; non tamen ſumenda eſt maioritas vnionis ex maiori, vel minori diſtinctione extremorum, ſed ex virtute vniendi ea, quæ ſunt magis diſtantia, vt dictum eſt.

19. Ad ſecundam rationem dicitur, quòd quamuis materia & forma, ſint magis ordinata ad componẽdum vnum, quàm humanitas, & Verbum, tamen ſunt minùs diſtantia: ex maiori autem diſtantia extremorum colligenda eſt maior virtus in vnione.

20. Ad tertiam rationem dicitur primò, quòd ſecundùm opinionem noſtrã, vt dictũ eſt in diſputatione quarta philoſophica, quæſt. quarta, vnio tantùm eſt in vno extremo, ſcilicet, in materia, vel forma, ſed dato quòd ſit intrinſecè in vtroque extremo, non tamen hinc colligitur maioritas in vnione, quia non propterea fit magis vnum ex eo, quia intrinſecè vnio recipitur in vtroque extremo; nam ita intrinſecè forma fit pars totius ſi habeat vnionem in ſe, ac ſi vniatur per vnionem receptam in materia.

Ad quartam rationem reſpondetur, quòd maioritas in vnione non ſumitur ex eo, quia facit vnum eſſentialiter, vel quia facit vnum perſonaliter, ſed ex maiori diſtantia terminorum, vt probatum eſt.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO SEXTA THEOLOGICA CIRCA SEXTVM COROLLARIVM,

De perſona aſſumente.

De hac materia S. Thomas 3. par. quæſt. 3.

Pro maiori intelligentia huius Corollarij, pono tres dubitationes.

I. *Vtrùm plures diuinæ perſonæ aſſumere poßint eandem numero humanitatem.*

II. *Vtrùm ſit neceſſariũ quòd aſſumente vna perſona diuina humanitatem, aſſumant reliquæ eandem.*

III. *Vtrùm ſi plures perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, poſſent dici vnus homo, vel è conuerſo, ſi vna perſona aſſumeret plures humanitates, poſſet dici vnus homo.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm plures diuinæ perſonæ poßint aſſumere eandem numero humanitatem.

1. Prima ſententia negatiua. Scotus.

PRIMA ſententia eſt nonnullorum Scholaſticorum in 1. diſtinct. 1. & præcipuè Scoti ibidem quæſt. 11. §. ad quæſtionem igitur. Qui tenent implicare plures diuinas perſonas poſſe aſſumere eandem numero humanitatem.

Primum argumentum ſeu prima implicãtia.

Prima implicantia eſt Scoti in d.q. 2. Vnus effectus (inquit) non poteſt ſimul dependere à pluribus cauſis totalibus totaliter concurrentibus, ergo eadẽ humanitas non poteſt dependere à pluribus diuinis perſonis, quia ab vnaquaque dependeret tanquam à cauſa ſufficienti totali, & adæquata.

Secũda implicantia.

Secunda implicantia, Sequeretur quòd natura terminata aſſumeretur ab alia perſona; vt patet, hoc autem repugnat, quia ideo communiter dicunt B Theologi, quòd natura ſubſiſtens propria ſubſiſtentia non poteſt aſſumi à Verbo, quia eſt terminata. Et confirmatur ex S. Anſelmo lib. 2. cur Deus homo, cap. 9. vbi docet ideo Incarnationem factam fuiſſe in vna perſona, quia non poterant plures perſonæ aſſumere eandem naturam in vnitate perſonæ.

Anſel.

2. Secũda ſententia affirmatiua. Ocham. Gabr. Caietan. Durand. Alenſ. Henric.

SECVNDA ſententia communior aſſerit poſſe plures perſonas diuinas aſſumere eandem naturam. Eſt Nominalium Ocham, & Gabr. in 3. d. 1. q. 1. Communis Thomiſtarum, præcipuè Caietani cum S. Thoma in 3. part. q. 3. art. 6. Durand. in 1. diſtin. 1. q. 3. Alenſ. 3. part. q. 2. mem. 4. Henr. quodl. 6. q. 7. & aliorum in 3. d. 1.

3. Reſolutio quæſtionis. Not. primò.

PRO explicatione huius dubitationis, ſupponendum ex primo principio philoſophico diſputatione tertia quæſtione ſecunda, duplicem eſſe effectum formalem ſubſiſtentiæ vt ſubſiſtentia eſt, abſtrahendo à completa & incompleta, alium primarium, alium ſecundarium; Primarius, & proprius non eſt inſeitas, id eſt, facere naturam independentem ab alio tanquam à ſubiecto, quia anima Chriſti in priori quodam ſigno intelligitur creata à Deo ex nihilo, & conſequenter independens à ſubiecto, A & vt ſic aliquo modo ſubſiſtens, & tamen non intelligitur adhuc, nec cum propria perſonalitate, nec cum perſonalitate Verbi, effectus igitur formalis primarius, & proprius ſubſiſtentiæ vt ſubſiſtentia eſt, eſt facere naturam, cui communicatur, incommunicabilem, non incommunicabilitate oppoſita inhærentiæ, vt dictum eſt, ſed incommunicabilitate oppoſita communicabilitati alteri, tanquam ſuppoſito, ſeu ſubſiſtenti.

NOTA ſecundò circa effectum ſecundarium, omnes Doctores admittere aliquam dependentiam naturæ creatæ à propria ſubſiſtentia, & conſequenter à Verbo, ſupplente vices propriæ ſubſiſtentiæ creatæ. Sunt autem varij modi explicandi. 4. Nota ſecundò.

B Primus modus explicandi eſt, naturam dependere à ſubſiſtentia propria naturaliter tanquam à conditione ſine qua, non in ordine ad finem, quatenus efficiens naturam non communicat illi naturaliter exiſtentiam, niſi cõiunctæ ſuppoſitalitati, quia finis producentis naturam eſt, vt natura operetur; non poteſt autem operari, niſi ſuppoſitata: ſed hic modus communiter reiicitur, quia natura creata cùm ſit finita, & limitata ob ſui imperfectionem, requirit non ſolùm ad operandum, ſed etiam ad ſui exiſtentiam, vt ſit terminata.

Secundus modus explicandi eſt eorum, qui dicunt naturam dependere in ſuſtentari à ſubſiſtentia tanquam à termino, & cauſa ſine qua non ſuæ C exiſtentiæ, ſicut dependet relatio à ſuo termino, & actus ab obiecto, & linea à puncto, & hoc modo dicitur ſubſiſtentia ſuſtentare naturam: ſicut à ſimili vnum corpus dicitur ſuſtentare aliud, non quia vbi illius producat, ſed quia tantùm illi ſupponitur, ſine qua ſuppoſitione deperderetur vbi illius corporis, quod ſupponitur; Ita dicunt ſubſiſtentiam terminare naturam nihil aliud eſſe, quàm ſupponi per terminationem media vnione, & hoc modo etiam dicunt dependere formam à materia, 5.

quia non omnis dependentia (inquiunt) eſt cauſari à cauſa; Sic tenet Med. 3. part. q. 5. art. 1. eſt etiam Scoti in 3. diſt. 1. q. 1. §. vltimo; quamuis oppoſitum videatur in primo diſtinct. 1. q. 2. ita tenet Gabr. in 3. loco citato art. 1. coroll. 4. & omnes illi, qui negant materiam eſſe cauſam formæ, & formam materiæ, vt Albertus 2. Phyſ. tract. 2. cap. 1. Greg. in 2. diſtinct. 12. q. 1. art. 2. Bonauen. in 2. diſtin. 2. art. 1. q. 1. Henric. quodl. 1. q. 10. & Scot. in 2. diſtinct. 12. q. 2. circa finem, & hic ſecundus modus eſt probabilis & communior.

Medina. Scotus. Gabr. Albert. Gregor. Bonauent. Henric.

6. Tertius modus eſt eorum, qui tenent effectum ſecundarium habere rationem veri effectus, & actionis; Eſt autem hæc actio ſuſtentare cauſaliter naturam, & conſequenter dicunt, naturam creatam B dependere cauſaliter à ſuo ſuppoſito, non tanquam à cauſa ſine qua non, vel tanquam à conditione, ſed tanquam à vera cauſa influente. Ita Capr. in 1. d. 23. q. 1. ar. 1. ad arg. contr. 1. concluſ. Soncinn. 5. Metaphyſ. q. 2. quam opinionem valdè probabilem exiſtimauimus in diſputatione tertia philoſophica quæſtione prima; Et ratio eſt, quam ibidem attulimus, quia cùm natura creata ſit finita, & limitata, indiget ſubſiſtētia tanquā aliquo adminiculo diſtincto realiter à natura; ſi igitur ſuppoſitum eſt realiter diſtinctum, probabile eſt concurrere cauſaliter in ſuſtentando naturam, ſicut ex communi opinione Philoſophorum concurrit materia in ſuſtentando formam.

Capreol. Soncinn.

7. Quòd ſi quæras, In quo diſtinguitur iſte concurſus ab efficienti? C Et ratio dubitandi eſt, quia ex vi concurſus vtriuſque cauſæ communicatur effectui eſſe realiter diſtinctum ab ipſis cauſis.

Reſpondetur, quòd diſtinguitur ex eo, quòd efficiens non poſtulat ex natura ſua, vt efficiens eſt, vnionem cum effectu: Dixi (vt efficiēs,) quia potentia vitalis in productione habitus ſeu actus eſt coniuncta cum actu, qui eſt ipſius potentiæ effectus non quatenus efficiens, ſed quatenus eſt ſimul receptiua, non autem debet intelligi prius receptiua quàm productiua: at verò iſte concurſus ſubſiſtentiæ tanquam cauſæ formalis, & concurſus materiæ reſpectu formæ, poſtulat ex natura ſua vnionem D cauſæ cum ipſo effectu, ita vt iſtæ cauſæ prius intelligantur, media vnione, communicare ſe ipſas ipſi effectui, & poſtea mediante hac communicatione concurrere ad ſuſtentandum cauſaliter.

Nec obſtat quòd vniri ſubſiſtentiam cum naturam ſupponat ipſam naturam prius ſuſtentatam, & è contra ſuſtentare ſupponit ipſum vniri, non (inquam) obſtat, quia iſti cōcurſus ſunt diuerſi, & ideò poteſt concipi vnus concurſus eſſe prior altero in diuerſo modo cauſandi.

Tertiò nota. Tertiò nota, quòd quæcunque opinio teneatur, poteſt iſta ſecundaria dependentia, quò ad ſuſtentari, ſuppleri à Deo remanente primario effectu, qui eſt terminare naturam per ſe ſeu incommunicabiliter; nam ſi teneatur iſtam dependentiam in ſuſtentari eſſe cauſalem, clarè patet poſſe ſeparari à E primario effectu, quia à parte rei iſte effectus ſecundarius eſt diſtinctus à primario; Sicut enim de facto corpus vnitur animæ, & tamen non ſuſtentat animam, ita per potentiam ſuam poſſet facere Deus, vt materia vniatur formæ materiali, & non ſuſtentet illam ſupplendo Deus illam dependentiam in genere cauſæ efficientis.

Si verò teneatur cum Medina, Gabriele, Scoto ſuprà citatis, & aliis, quòd natura dependeat à ſubſiſtentia tanquam à cauſa ſine qua non, tunc etiam poſſet Deus ſupplere iſtam cauſam, ſicut Deus ſupplet quantitatem corporis Chriſti ſine extenſione in ordine ad locum, & poſſet ſupplere proximitatem in cauſa efficiente, & ſecundùm eoſdem Doctores poteſt Deus ſupplere dependentiam formæ materialis à cauſa materiali, & tamen ſecundùm eoſdem locis ſuprà citatis, forma materialis non dependet à materia, niſi tanquā à cauſa quā ſine non.

Si verò teneatur quòd natura dependeat à ſubſiſtentia naturaliter tanquam à conditione naturali in ordine ad finem operandi, tunc faciliùs dici poteſt, quòd poteſt ſuppleri à Deo, quia in hac opinione, producens naturam, requirit illam terminatam non ex aliqua indigentia, ſed ex ratione finis naturalis, qui eſt operatio, non enim poſſet natura operari, niſi eſſet terminata, poteſt autem Deus tanquam agens ſupernaturale intendere alium finem independentem ab hac conditione naturali & conſequenter producere naturam exiſtentem ſine ſuo termino. His poſitis ſit

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

POTEST eadem numero humanitas pendere à pluribus diuinis perſonis quò ad terminari ſecundùm perſeitatem, ſeu incommunicabilitatem, qui eſt effectus primarius. Eſt contra Scotum, & alios relatos pro prima opinione. 8. Prima concluſio.

Probatur primò ratione S. Thomæ 3. part. q. 3. art. 6. Tres perſonæ diuinæ terminant eandem numero naturam diuinam, ergo poſſent terminare naturam creatam. Conſequentia probatur, quia nulla poteſt aſſignari ratio diſparitatis quantum ad hoc, ſi qua enim eſſet, eſſet infinitas in natura diuina, ratione cuius poſtulat tres perſonalitates, natura autem creata, cùm ſit limitata, non poſtulat niſi terminari ab vna perſonalitate, & conſequenter per illam expletur, hæc, inquam, ratio diſparitatis non militat, tantùm enim probat quòd ſecundùm potentiam naturalem natura creata non poſſit ſuppoſitari niſi ab vno ſuppoſito, non autem ſecundùm potentiam ſupernaturalem, quia poteſt Deus ſecundùm potentiam ſuam infinitam, facere in creatura quicquid non implicat contradictionem; Quòd autem non implicet contradictionem probatur primò ex exemplo allato, quia, ſi implicaret contradictionem ex terminis, nec in Deo poſſet natura ſuppoſitari à tribus; nec poſſet dici quòd implicat ex parte creaturæ, quia ſi ex ipſa natura terminorum non implicat, non poteſt finitudo, & limitatio naturæ impedire; quin Deus ſecundùm potentiam infinitam faciat in creatura quidquid velit ſecundùm potentiam obedientialem ipſius creaturæ. Prima probatio.

9. Poſſet inſtare Scotus ſecūdùm opinionem ſuam, quòd ratio diſparitatis in Deo, & in creatura eſt, quia natura diuina ob ſui infinitam perfectionem non dependet à tribus ſuppoſitis in ſuſtentari: at verò natura creata ob ſui imperfectionem dependet à ſuppoſito in ſuſtentari; eadem autem numero exiſtentia in natura creata non poteſt dependere à tribus totaliter.

Sed hæc inſtantia Scoti eſt contra aliquos Thomiſtas, qui non diſtinguunt terminationem ſecundùm vnionem, ſeu perſeitatem, à terminatione ſecundùm ſuſtentationem: at verò ſecundùm noſtram ſententiam facilè reſpondemus, quòd inſtantia nihil facit ad caſum difficultatis, quia loquimur in eo caſu, in quo tres perſonæ terminarent eandem numero naturam ſecundùm primarium effectum,

tribuendo

Digitized by Google

tribuendo, nimirum naturæ perſeitatem; in quo caſu, vt mox dicemus, reſultarent tres effectus formales. An autem natura creata ſecundùm eandem numero exiſtentiam poſſit dependere quoad ſuſtentari à tribus perſonis, dicemus in ſecundo dicto noſtræ ſententiæ.

10. *Secũda probatio ex ſolutione implicantiarũ. Scotus.*

Secundò probatur, quia nulla eſt implicantia, quod patet ſoluendo implicantias, quas afferunt Scotus & alij.

S. Anſelm.

Prima implicantia quæ affertur à Scoto, eſt, quia vnus effectus non poteſt ſimul pendere à pluribus cauſis totalibus, & ideo negauit S. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 9. plures perſonas potuiſſe aſſumere eundem hominem.

Soluitur prima implicantia.

Sed hæc implicantia, quamuis habeat vim contra dependentiam quoad ſuſtentari, quia eadem numero exiſtentia humanitatis ſuſtentaretur à tribus, vt dicemus in ſecunda concluſione; nullam tamen habet vim contra hanc primam concluſionem, quia eſſent tres effectus formales, ſeu tres perſonæ; eſſet autem implicantia ſi aſſumeretur eadem humanitas numero à tribus perſonis in vnitate perſonæ, & hoc voluit S. Anſelmus, vt patet ex verbis ipſius, dicit enim non potuiſſe aſſumi eundem hominem à tribus perſonis in vnitate perſonæ, & ideo factam eſſe aſſumptionem ab vna perſona, ſubintelligendo ſcilicet, quòd diuinum decretum fuerit aſſumendi humanitatem Chriſti in vnitate perſonæ.

Suarius.

Quare autem reſultent tres effectus formales, ſeu tres perſonæ, rationem ſatis bonam aſſignare videtur noſter Suarius, quia eſſent tres vniones, quarum ſingulæ penderent à ſuo termino; Et probari poteſt, quia vnio, qua natura humana modò de facto vnitur Verbo, eſt talis naturæ, vt non dicat ordinem niſi ad Verbum: quare ſi Pater vniretur eidem humanitati, vniri deberet alia diſtincta vnione.

Sed ego exiſtimo, quòd ſi per vnam, & eandem vnionem (quæ quidem in tali caſu foret nobilioris ſpeciei, quàm eſſet ſingulæ vniones, quia eminenter contineret illas) exiſtimo (inquam) quòd ſi per hanc vnam vnionem tres perſonæ eidem humanitati vnirentur, adhuc eſſent tres effectus formales, quia reſultarent tria compoſita ex tribus ſubſiſtentiis; nam aliud eſſet compoſitum ex ſubſiſtentia Patris & humanitate, aliud ex ſubſiſtentia Filij, & eadem humanitate; Quòd verò vnio ſit eadem, nihil facit, tum quia talis vnio ſimplex virtualiter eſt multiplex, tum præcipuè, quia quamuis vnio ſit de conceptu compoſiti vt quo, non tamen ingreditur vt pars conſtitutiua vt quod; quare ſufficit ad diuerſificationem compoſiti, vt vna ſubſiſtentia, quæ eſt pars compoſiti, ſit diſtincta ab alia.

11. *Soluitur ſecunda implicantia.*

Secunda implicantia, quam alij afferunt, eſt, quia implicat, naturam humanam terminatam propria ſubſiſtentia, terminari ab alio ſuppoſito; Ex hoc enim colligunt Patres humanitatem Chriſti non habere porpriam perſonalitatem; ergo à pari humanitas terminata à perſonalitate Verbi, non poteſt ampliùs terminari à perſonalitate Patris: Tenet paritas, quia non alia ratione natura terminata propria ſubſiſtentia non poteſt terminari aliena, niſi quia reperitur terminata & ſubſiſtens: hæc autem ratio etiam militat in natura humana perſonata à Verbo, ergo non poteſt aſſumi ab alia perſona.

Ad hanc inſtantiam reſpondent aliqui, naturam ſuppoſitatam propria ſubſiſtentia non reddi incommunicabilem ſpecificatiuè, ſed reduplicatiuè; & idem, inquiunt, dicendum eſt de natura ſuppoſitata

A à ſuppoſito Verbi, poſſe videlicet illam aſſumi ab alia perſona ſpecificatiuè, non autem reduplicatiuè.

Sed contra, quia tunc non viderentur Patres bene collegiſſe, humanitatem non fuiſſe aſſumptam cum propria ſubſiſtentia, ſi potuiſſet aſſumi vt ſubſiſtens ſpecificatiuè, quia tunc aſſumpta fuiſſet ipſa natura, quæ fuiſſet ſubſiſtens, non tamen aſſumpta fuiſſet ipſa ſubſiſtentia, vt fuſiùs dicemus in ſeptimo corollario.

Reſponſio ad argumẽta primæ ſententiæ.

Reſpondetur igitur ſecundò, bene collegiſſe Patres, humanitatem Chriſti non habere propriam ſubſiſtentiam, quia habuiſſet duos modos oppoſitos per ſe, & in alio; at verò hæc ratio ceſſat ſi natura humana in Chriſto aſſumeretur à Patre, quia haberet tantùm duos modos eſſendi (In.) Et per hæc patet ad argumenta relata in prima opinione, quæ militabant contra hanc primam concluſionem.

B

SECVNDA CONCLVSIO.

12. *Secũda concluſio.*

Non poteſt eadem numero humanitas dependere à pluribus diuinis perſonis quò ad ſuſtentari, tanquam à cauſis totalibus, ſiue hæc dependentia ſit ab illis tanquam à vera cauſa, ſiue tanquam à cauſa ſine qua non.

Probatur prima pars cõcluſionis. Scotus.

Probatur prima pars ex Scoto in 1. diſt. 1. contra aliquos Thomiſtas relatos pro ſecũda opinione. Non
C poteſt idem effectus numero dependere ſimul cauſaliter à duabus cauſis totalibus: ſed in hoc caſu eadem numero exiſtentia humanitatis dependeret ſimul in ſuſtentari cauſaliter à pluribus cauſis totalibus, vt ſupponitur, ergo, &c.

Caiet.

Minor eſt clara. Maior quãuis inter Doctores relatos pro prima opinione ſit controuerſa, mihi tamen videtur certa, vt fusè oſtendam infrà in prædicamento actionis. Et ratio eſt ipſiuſmet Caietani in 1. part. quia omnis dependentia cauſalis dicit intrinſecè indigentiam, quæ per ipſam dependentiam cauſalem expletur. Ex quo ſequitur quòd ſit impoſſibile eundem effectum numero dependere ſimul à pluribus cauſis; nam ſi ab vna eſt expleta totaliter
D indigentia, eſt impoſſibile, vt expleatur ab alia.

Quòd ſi dicas, eundem effectum in tali caſu pendere bis, & habere plures dependentias extenſiuè à duabus cauſis totalibus. Contrà adhuc vrget argumentum, quia iſta dependentia A, per quam dependet effectus à cauſa A, intrinſecè includit indigentiam in effectu; ſed ſupponitur iam indigentia in eodem inſtanti expleta per dependentiam à cauſa B, ergo cauſa A, non poteſt concurrere in eodem inſtanti ad terminandum effectum ad ſe per ſuam dependentiam cauſalem, quia hæc dependentia non eſſet expletiua alicuius indigentiæ, cùm tamen intrinſecè depẽdentia cauſalis ſit expletiua indigentię, imò actu deberet explere, quia cùm dependẽtia ſeu
E concurſus ſit modus, conſiſtit eſſentialietr in actuali exercitio; Et hoc etiam admittit Caietanus in quacunque dependentia cauſali, quamuis nẽget in dependentia terminatiua, vt terminatiua: Sed contra Caietanum erit ſecunda pars huius concluſionis. *Caiet.*

13. Probatur ſecunda pars huius concluſionis, non poſſe, ſcilicet, eandem numero exiſtentiam humanitatis pendere à pluribus diuinis perſonis, etiamſi concurrerent tanquam cauſa ſine qua non; & ſuppono hîc, quòd quamuis iuxta hanc opinionem nulla ſit actio perſonalitatis, quæ expleat indigentiam in humanitate, tamen perſonalitas, tanquam terminus, eſt conditio neceſſariò requiſita ad hoc, vt exiſtentia humanitatis ſit in rerum natura, vnde ſi

Digitized by Google

auferretur à Deo iſta conditio, deberet illam ſupplere per nouum concurſum efficientis.

Hoc poſito, militat idem argumentum factum contra dependentiam cauſalem, quia perſonalitas vnita humanitati, quamuis non per nouam actionem diſtinctam à ſe, tamen per ſe ipſam, vt vnitam naturæ humanæ, ex natura ſua explet indigentiam, quam ſupponit in humanitate, ergo non poteſt expleri per alienam perſonalitatem, quia expleret, & non expleret, vt argumentabamur ſuprà contra dependentiam cauſalem.

14. Vnvm poſſet dici limitando hanc ſecundam concluſionem, quoad primam & ſecundam partem, quòd quamuis eadem numero exiſtentia humanitatis non poſſit pendere in ſuſtentari à tribus perſonis diuinis, tanquam terminis totalibus, poſſet tamen ab illis dependere, ſi concurrerent partialiter ad ſuſtentandum attemperando concurſum. Mihi tamen videtur probabilius, hoc non poſſe fieri, quia perſona vt perſona ſuſtentat non efficienter, ſicut poteſt ſuſtentare Deus per ſuam voluntatem, ſed terminatiuè & quaſi formaliter per ſuam perſonalitatem, tanquam per quaſi formam; ac proinde ſi ſuſtentat, dicendum eſt, quòd totaliter ſuſtentat, explendo totaliter indigentiam naturæ: nec poteſt diuina perſona dimidiare huiuſmodi concurſum, quia eſt concurſus à diuina perſona tanquam à forma.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm aſſumente vna perſona diuina humanitatem ſit neceſſarium reliquas perſonas eandem aſſumere.

1. *Vnica concluſio.* Qvantvm ad ſecundam dubitationem, quæ conſequitur ad præcedentem, reſpondetur Vnica cōcluſione negatiuè, & eſt de fide. Eſt definita in quodam Concilio Rhenenſi apud S. Anſelm. lib. de Incarnat. cap. 1. & probatur, quia de facto Verbum tantùm perſonaliter aſſumpſit humanitatem, & non alia perſona, vt ex Conciliis ſatis eruditè probat noſter Sua. 3. p. diſp. 12. ſect. 1.

2. *Tres difficultates cōtra hanc cōcluſionem.* Sed contra hanc concluſionem tres occurrunt difficultates.

Prima ex Gabr. in 3. diſt. 1. q. 1. ar. 3. dub. 2. quia vna perſona non poteſt creare ſine alia, ergo nec terminare. Antecedens eſt de fide, quia opera efficientis ad extra ſunt communia toti Trinitati. Conſequentia probatur, quia Verbum ſuſtentare humanitatem, eſt concurrere efficienter, ergo hic cōcurſus eſt communis tribus perſonis ſicut ipſum creare, Quòd verò ſuſtentare ſit concurſus efficientis probatur, quia Verbum ex vi ſuæ perſonalitatis cōmunicat eſſe diſtinctū realiter à ſe ad extra ipſi humanitati, ergo non videtur quomodo diſtinguatur à concurſu effectiuo.

Quòd ſi dicas, in eo diſtingui, quia vnio efficientis cum effectu non eſt neceſſaria ad concurſum effectiuum: ſed effectus ſuſtentationis, vt eſt ex vi perſonalitatis, neceſſariò exigit vnionem perſonalitatis diuinæ cum humanitate, quæ ſuſtentatur; ſicut concurſus materialis, quo ſuſtentatur forma materialis, requirit vnionem materiæ cum forma, alioquin non poſſet ſuſtentare, & per hoc diſtinguitur, à concurſu efficientis.

Contrà adhuc inſtatur, quia potentia vitalis in genere cauſæ efficientis producit ſuum habitum, ſeu actum, & tamen indiget in illa productione vnione cum ſuo habitu, ſeu actu.

3. Ad hanc primam difficultatem reſpondetur; & A primò reſpondet Gabriel in 3. diſt. 1. loco citato, non poſſe de hoc reddi naturaliter rationem, ſed ſola fide eſſe credendum. *Reſpond. ad primã difficultat. Gabriel.*

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia pertinet ad Theologum ſoluere implicantiam contra hæreticos. *Impugnatur prima reſponſio.*

Secundò reſpondent alij, ſubſiſtentiam nullo modo concurrere in ſuſtentando naturam, ſeu explendo aliquam indigentiam naturæ quò ad exiſtentiam, vt ſupponit argumentum, ſed tantùm requiri ſubſiſtentiam ad operandum, & quia finis producentis naturam eſt vt ipſa natura operetur, ideo non producit illam naturaliter niſi vt ſuppoſitatam. *Impugnatur ſecunda.*

B Hæc reſponſio, ſi opinio, quam ſupponit de ſubſiſtentia, eſſet vera, ſolueret argumentum. Sed illam non exiſtimo veram, quia dictum eſt in dubitatione ſuperiori, quòd natura creata, & limitata indiget aliquo termino tanquam adminiculo.

Tertiò reſpondent alij, quòd propter argumentum factum dicendum eſt, quòd non datur hic ſecundarius concurſus ſuſtentandi cauſaliter diſtinctus à primario, ſed ſuſtentare naturam nihil aliud eſt, quàm naturam dependere à ſuppoſito tanquam à cauſa ſine qua non, ſine aliqua actione ad extra, & hoc modo etiam dicunt formam dependere à materia; Ita tenent Bonauent. in 2. diſt. 2. Aureol. & Gregor. diſt. 12 & alij citati in ſuperiori dubitatione. *4. Verior reſponſio.* *S. Bonau.*

C Hic modus dicendi, quamuis ſit probabilis, quia tamen multi tenent contra Soncin. & etiam Scotum, in 1. diſt. 1. (quamuis oppoſitum videatur dicere in tertia) naturam ſcilicet creatam dependere cauſaliter à ſuppoſito; ideo *Soncin. Scotus.*

Quartò iuxta hanc opinionem reſpondendum eſt ad difficultatem in dubitatione tertia philoſophica quòd concurſus ſubſiſtentiæ circa naturam, ſicut etiam concurſus materiæ circa formam materialem (quamuis per illum fiat aliquid diſtinctum realiter à ſua cauſa, ſicut fit per concurſum efficientis) diſtinguitur tamen ab illo, vt diximus in dubitatione ſuperiori, quia hic concurſus ex natura ſua poſtulat vnionem cum effectu, quam non poſtulat efficiens, & quamuis aliqua cauſa efficiens ſimul ſit vnita cum D ſuo effectu, vt potentia vitalis cum ſuo habitu, & aqua cum ſua frigiditate, quam ſibi producit, non tamen hoc requirit ex vi, & ratione efficientis, ſed quia eadē eſt cauſa receptiua & efficiens; & præterea quamuis potentia vitalis, eliciat actum ſibi vnitum; vnio tamen non prærequiritur ad efficientiam, ſicut prærequiritur in ſubſiſtentia, & materia.

Adde quòd etiam ſi admittatur iſtum concurſum ſuſtentandi naturam, eſſe efficienter à tota Trinitate, non tamen inde ſequeretur, quòd vna perſona non poſſet aſſumere humanitatem ſine alia, quia poſſet dare per ſuam perſonalitatem ſolum effectum primarium humanitati, faciendo illam ex vi ſuæ perſonalitatis ſubſiſtentem; poteſt enim hic effectus E primarius ſeparari à ſecundario, vt in ſuperiori dubitatione probatum eſt.

Secvnda difficultas contra eandem concluſionem. Sicut vna diuina perſona non poteſt videri ſine alia, ita videtur à ſimili, quòd neque poteſt vna perſona terminare ſine alia. 5. *Secūda difficultas.*

Ad hanc difficultatem reſpondent primò aliqui, quòd diſparitas eſt, quia ratio videndi vnum correlatiuum, eſt etiam ratio videndi aliud, totum enim eſſe relatiui eſt ad aliud, & ideo non poteſt videri vnum correlatiuum ſine alio; at verò ratio terminandi in vna perſona, non pendet in ratione terminandi ab alia, & ideo poteſt vna terminare ſine alia. *Reſpōſio ad ſecundā difficultatem.* *Impugnatur prima reſponſio.*

Sed hæc reſponſio non omnino ſatisfacit, quia poſſ-

poſſet dici, quòd ſufficeret ad videndum vnum relatiuum diſtinctè, ſi videatur aliud correlatiuum cõfuſè, quamuis ad totalem comprehenſionem requiratur diſtincta viſio alterius correlatiui.

6. Impugnatur ſecunda. Secundò reſpondent alij, negando paritatem rationis, quia de intrinſeca ratione cognitionis intuitiuæ eſt, vt res cognoſcatur ſicuti eſt, dummodò illa alia, quæ ſunt in re viſa, ſint cognoſcibilia per illam eandem cognitionem; Quod ideo dicitur, quia cùm intuitiuè videtur ab oculo album, non videtur dulce coniunctum cum illo, quia non eſt viſibile per oculum; cùm igitur videtur vna perſona, neceſſariò videtur eſſentia, quæ identificatur cum perſona, eſſentia autem non poteſt videri intuitiuè, niſi ſicuti eſt cum tribus perſonis.

Sed neque hęc reſponſio omnino ſatisfacit, quia poſſet aliquis negare, quòd de ratione cognitionis intuitiuæ eſt vt videatur res cum omnibus, quæ in illa ſunt, & iam ſi ſint idẽtificata, Secundò quia alioquin cùm videtur diuina eſſentia, deberet penetrari totaliter ſecundùm omnem modum infinitatis, qui in ipſa eſt, & cum ipſa identificatus. Sufficit igitur ad viſionem intuitiuam diuinæ eſſentiæ, ſi videatur natura diuina ſecundùm ſuam eſſentiam, & exiſtentiam tantùm, reddenda eſt igitur ratio quare viſa diuina eſſentia videantur omnes perſonæ.

Tertia, & verior reſponſio ad ſecundã difficultatem. Ratio autem hæc eſt, & eſt tertia reſponſio, quia viſio diuinæ eſſentiæ eſt ratio videndi perſonas, & non è contra; quia ratio entis, & cõſequenter intelligibilis, non poteſt conuenire eſſentiæ ratione relationis, ſed potiùs eſt è cõuerſo, eſſentia enim cùm ſit infinita, ſimpliciter continet etiam ipſas relationes; at hæc eſſentia viſa eſt æqua ratio videndi omnes perſonas propter identitatem; non poteſt igitur videri vna perſona ſine alia; At verò in ratione terminandi ſecus eſt, natura enim diuina non eſt ratio terminandi vnionem hypoſtaticam, ſed immediata ratio eſt ipſa perſonalitas, vnde vnio immediatè fit cum perſonalitate, & mediatè cum natura, vt dictum eſt ſuprà; & quia vna perſonalitas opponitur relatiuè alteri perſonalitati in ratione perſonæ, fit, vt in ratione terminandi naturam, vna perſona poſſit terminare ſine alia, non autem videri ſine alia.

7. Inſtantia contra tertiam reſponſionem. Sed hîc occurrit inſtantia ſuperiùs tacta, quia quæretur, quòd per cognitionem intuitiuam Beatus comprehenderet Deum totaliter, quia modus ille infinitatis in eſſentia eſt magis identificatus cum eſſentia, quàm ſint tres perſonæ cum eadem eſſentia; Si igitur tres perſonæ videntur in ipſa eſſentia, multò magis videri debet ille modus infinitatis, ſecundùm totalitatem ſuam.

Reſpondetur, qui tenent eſſentiam diuinam non videri clariùs ex parte obiecti, ſed ex parte luminis, facile reſpondent, quòd ad penetrandũ magis diuinã eſſentiam requiritur maius lumen, quod non requiritur ad videndas perſonas; ſufficit enim ipſum lumen, quo videtur eſſentia, quia cognitio, qua videtur eſſentia, & perſonæ, potiùs eſt extenſiua, quàm intenſiua.

Qui verò tenent Deum penetrari magis intenſiuè ex parte obiecti, ſicut cùm videtur ſol palmaris, totus videtur, ſed non totaliter ſecundùm omnem modum extenſionis, cùm verò videtur bipalmaris, magis penetratur ſecundùm eũdem modum, videtur igitur aliud in obiecto, quod non videbatur priùs: Sic etiam ſimiliter dicendum in diuina eſſentia; quæ quamuis nõ habeat formaliter partes, habet tamen virtualiter gradus perfectionis in vna ſimplici entitate, ſaltem ſecundùm noſtrum modum concipiendi; qui, inquam, tenent hanc opinionem, maiorem habent difficultatem.

A Reſpondetur tamen eodem modo, quòd eſſentia diuina, quæ eſt ratio videndi ſe ipſam, eſt etiam ratio ſufficiens ad videndum ſe cum eadem intenſione luminis, & omnia quæ ſunt in ipſa quaſi ſpecie diſtincta, & extenſiuè; vt ſunt attributa, & perſonæ, nec requiritur perfectior modus extenſionis ad videndum eſſentiam, & perſonas ſimul, quàm ad videndum eſſentiam tantùm, quia perſonæ ſunt identificatæ cum eſſentia: At verò ad penetrandum magis ipſam naturam ſeu aliquod attributum ſecundùm rationem infinitatis identificatam, requiritur maius lumen intenſiuè, eſt enim hæc cognitio intenſiua circa idem obiectum, & ideò, quantùm ad hoc, eſſentia diuina, vt viſa, non eſt æqua ratio videndi ſe ipſam vt duo, & videndi ſeipſam vt quatuor,

B ſicut eſt æqua ratio videndi ſe ipſam, & perſonam, vt dictum eſt.

8. Tertia difficultas. Sed hîc inſurgit tertia difficultas. Tres diuinæ perſonæ identificantur in tertio, ſcilicet, cum eſſentia diuina, ergo non poteſt vna terminare ſine alia.

Reſpondetur, quòd ratio terminandi immediatè eſt perſonalitas, eſſentia autem diuina cum qua identificatur perſona, vnitur mediatè cum natura humana, vt ſuprà probatum eſt.

TERTIA DVBITATIO.

C *Vtrùm ſi plures diuinæ perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, poſſint dici vnus homo, vel è conuerſo, ſi vna perſona aſſumeret plures humanitates, poſſet dici vnus homo.*

1. Vnica concluſio S.Th. QVANTVM ad tertiam dubitationem, quæ potiùs eſt de modo loquendi, quàm de re, ſit VNICA concluſio cum S.Tho. in 3.part. quæſt.3.art.6.ad 1.& 1.part. quæſt.39.art.3. in vtroque caſu dici vnum hominem. Hanc ſequuntur communiter Thomiſtæ in 3. & 1. part. locis citatis, & Ferrarienſ.3.contra Gentes, cap.11. & communiter recentiores, quos ſequitur Suarius 3.p. diſp. 3. ſect.2. & 3. Thomiſt. Ferrarienſ. Suar.

D Fundamentum huius noſtræ ſententiæ. Fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex communi modo loquendi Theologorum in vtroque caſu; & quidem in primo caſu probatur, nam vera eſt hæc propoſitio, (Tres perſonæ ſunt vnus Deus;) quæ quidem propoſitio, vt bene aduertit noſter Suar. non verificatur tantùm in diuinis propter identitatem diuinæ eſſentiæ cum perſonis, vt volunt Nominales, quia identitas nihil facit ad huiuſmodi prædicationem in concreto, quia concretum dicit habens Deitatem per modum rei diſtinctæ: Conferret autem identitas ad prædicationem in abſtracto, vt poſſit dici (Tres perſonæ ſunt vna Deitas;) neque hæc propoſitio verificatur in Deo, vt vult Caiet. 3. par. quæſt 6. ar.6. ratione huius Dei, qui eſt vnum ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, tum quia hæc ſubſiſtentia non datur, vt probabitur infrà, tum quia de E tribus perſonis ſubſiſtentibus relatiuè verificatur ſecundùm Theologos hæc propoſitio, ſicut & illa (Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator.) In ſecundo verò caſu probatur, quia vera eſt hæc propoſitio apud Theologos, (Chriſtus eſt vna ſubſtantia,) quamuis in Chriſto ſint duæ naturæ, humana, & diuina, & præterea ſi aliquis habeat plura dominia ex communi loquendi modo, dicetur vnus dominus, & non plures domini, & ſi habeat plures artes, dicitur vnus artifex. Nominales. Theologi.

2. Confirmatio. Et confirmatur, quia multitudo neceſſariò ſignificat diuiſionem, & negationem, per quam vnum poſſit

Digitized by Google

poſſit negari de altero, ſed quando vna diuina perſona aſſumeret tres humanitates, vnus homo non poteſt de aliò negari, ſicut modò in Incarnatione Verbi, Deus non negatur de homine, propter vnitatem ſuppoſiti, ergo vna perſona aſſumens tres humanitates, dici poteſt vnus homo.

3. *Difficultas contra hanc ſententiam noſtram.* EST autem contra hanc ſententiam non parua difficultas, nam iſti duo caſus videntur ſibi contradicere, nam ex triplici capite ſumi poteſt vnitas ſimpliciter ſubſtantiui, vel ex vnitate formæ, ſeu naturæ, vel ex vnitate ſuppoſiti, vel ex vtroque.

Si ex primo capite, ex vnitate ſcilicet naturæ, ex eo quia terminus naturæ in concreto ſignificat naturam in habente, & ideo ſolùm numeratur natura, & non ſuppoſitum, tunc benè concluditur, quòd in primo caſu tres perſonæ aſſumentes eandem numero humanitatem dicuntur vnus homo.

4. Sed in ſecundo caſu quando vna perſona aſſumit tres humanitates, deberet concludi oppoſitum, quòd videlicet dicuntur pluraliter tres homines, quia ſunt tres naturæ aſſumptæ. Et propter hoc, ita tenent eſſe dicendum in hoc ſecundo caſu *Scotus.* Scotus in 2. diſt. 12. q. vnica circa finem. *Durand.* Durand. in 3. diſt. prima quæſt. 2. art. 5. ad ſecundum & tertium.

Si verò ſumatur vnitas ex ſecundo capite, ſcilicet ex vnitate ſuppoſiti, tunc quia, quando vna perſona aſſumit plures humanitates, vnitas ſuppoſiti impedit, quòd vnus homo negetur de alio, ſicut de facto in incarnatione Verbi, Deus non negatur de homine propter vnitatem ſuppoſiti, ideo bene concluditur, quòd in ſecundo caſu, quando vna perſona aſſumit tres humanitates, dicatur vnus homo: Sed in primo caſu, in quo tres perſonæ aſſumunt vnam humanitatem, deberet concludi eſſe tres homines, & propter hoc ita tenent eſſe dicendum in *Marſil.* primo caſu, Marſil. in 3. q. 2. art. 3. dub. 2. & Gabriel *Gabriel.* ibidem diſtinct. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. & communiter *Nominales. Caietan.* Nominales, & etiam Caietan. 3. p. q. 3. art. 6. qui non bene interpretatur S. Thomam, qui clarè loquitur.

Vel tertiò vnitas ſimpliciter ſumitur ex vtroque, ex natura videlicet, & ſuppoſito, & tunc deberet concludi, quòd in vtroque caſu debet dici vnus homo, & plures homines ſecundùm quid, ſimpliciter autem neque vnus, neque plures, & propter hoc ita tenent eſſe dicendum in vtroque caſu, *Riccard.* Riccard. in 3. diſtinct. 1. art. 1. q. 5. & q. 4. ad ſecundum *Durand.* Durandi.

Sed his non obſtantibus, tenenda eſt tanquam *S.Thom.* probabilior ſententia S. Thomæ propter fundamentum allatum, ex quo etiam vt patet intuenti, confutari poſſunt varij modi dicendi aliorum Doctorum ſuprà allati.

5. *Prima reſponſio ad difficultatẽ ex Suario, & aliis Thomiſtis.* AD difficultatem autem reſpondent communiter Thomiſtæ, quod vnitas ſubſtãtiui ex nullo illorum trium capitum ſumitur præciſè, neque ex vnitate naturæ, neque ex vnitate ſuppoſiti, neque ex vtroque, ſed ex alterutro, vel ſcilicet ex vnitate naturæ, vel ex vnitate ſuppoſiti, ita vt vnitas ſiue naturæ ſiue ſuppoſiti ſufficiat ad vnitatem ſubſtantiui, rationem autem aſſignat *Suar.* Suar. loco citato, quia ad hoc, vt aliqua ſint vnum ſub aliqua ratione, ſufficit, vt ſub illa ratione vniantur: at verò vt ſint plura requiritur vt ſimpliciter diuidantur: ſiue igitur ſuppoſitum ſit vnum & naturæ plures, ſiue ſuppoſita ſint plura, & natura vna, ſufficit ad prædicationem ſingularem.

Inſtatur cõtra hãc primam reſpõſionem. Et hæc quidem ratio eſt ſatis acuta, & accommodata; ſed habet inſtantiam, tum quia videtur tantùm probare vnitatem ſecundùm quid, vt dice- *Riccard.* bat Riccard. in 3. diſtin. 1. ar. 1. q. 5. & q. 4. loco citato,

A quia vnio non eſt ſimpliciter, & abſolutè vnio, ſed ſecundùm quid, ergo prædicatio erit etiam ſecundùm quid, tum quia, quando adiectiuè prædicatur natura, ſeu forma de ſuppoſito, ſupponit aliquam vnitatem per adiacentiam, & tamen quando ſunt tria ſuppoſita, & vna natura, prædicatio non eſt ſingulariter, ſed pluraliter, adiectiuè etiam in diuinis, tres enim perſonæ dicuntur tres ſapientes adiectiuè, & è contra ſi eſt vnum ſuppoſitum, & tres formæ, ſemper prædicatio adiectiuè fit ſingulariter. Ver. gr. Si eſt vnum ſuppoſitum putà Petrus, qui habeat tria dominia, nunquam dicetur tres dominantes adiectiuè, ſed vnus dominans adiectiuè.

Quare mihi videtur dicendum ad difficultatem B propoſitam, magis explicando præcedẽtem reſponſionem, quòd propter inſtantias factas vnitas in prædicando terminum ſubſtantiuum, ſingulariter non ſumitur ex aliquo dictorum modorum, ſed præciſè ſumitur ex vnitate habentis.

PRO quo nota, quòd terminus formalis in concreto, qui ſubſtantiuè prædicatur de ſuppoſito, includit, vt patet ex Logica, in ſe duo, formam, ſeu naturam, & hanc dicit diſtinctè, & habens talem naturam, & hoc dicit in confuſo, ex. gr. homo dicit habens humanitatem, ex quo fit, ſi vna perſona diuina aſſumeret tres humanitates, dicerentur vnus homo, quia eſt vnum habens. Si verò tres perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, vt dice- C batur in primo caſu, tunc eſt maior difficultas, quia videntur eſſe tres habentes. 6. *Verior reſponſio. Nota.*

Sed dicendum eſt, quòd etiam in hoc caſu dicuntur vnus homo, quia quamuis ſint tres habentes ex parte ſuppoſiti, eſt tamen vnum habens in confuſo, ex parte termini in concreto ſubſtantiuè ſumpti, nam homo, vt dictum eſt, dicit habens humanitatem, tanquam vnum in confuſo, ſiue ſit vnum, ſiue plura ſuppoſita, ita vt per ſe ſumptus ille terminus (homo) quodammodo videatur abſtrahere ab vnitate ſeu pluralitate ſuppoſitorum, ſemper enim dicit habens in confuſo humanitatem.

QVÆRES primò, quare adiectiuè prædicando dicitur, tres perſonæ habentes humanitatem, & non D habens humanitatem? 7. *Explicatur magis reſponſio. Primũ quæſitum.*

Reſpondeo, quòd tunc terminus formalis (humanitas) non includit habens ſicut homo, ly igitur, habentes, quod ponitur in propoſitione adiectiuali, ſe tenet ex parte ſuppoſiti; & quia tria ſunt ſuppoſita, tria ſunt habentia, & hoc modo etiam verificatur in diuinis, quòd tres perſonæ ſunt vnus Deus, & quòd tres perſonæ ſunt vnus ſapiens ſubſtantiuè, & tres ſapientes adiectiuè, & rurſus quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator ſubſtantiuè, & duo ſpirantes adiectiuè.

QVÆRES ſecundò, Si tres perſonæ aſſumerent tres humanitates, & quælibet illarum humanitatum aſſumeretur ab omnibus, an in hoc caſu dicen- E dum ſit, quòd tres perſonæ ſint vnus homo, vel tres homines? 8. *Secundum quæſitum.*

Reſpondetur, vt bene aduertit Suarius, & clariùs patet in explicatione noſtra, quòd ex ea parte, *Suar.* qua tres perſonæ aſſumunt tres humanitates, dicuntur tres homines, quia ſunt tres habentes non ſolùm ex parte ſuppoſitorum, ſed etiam ex parte terminorum formalium, quia quælibet humanitas diſtincta comparata ad diſtinctam perſonam, dicit vnum habens, ex ea verò parte, qua tres perſonæ aſſumunt eandem humanitatem, dicuntur vnus homo, quia terminus formalis in concreto, qui eſt homo, dicit vnum habens in confuſo, vt dictum eſt.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO SEPTIMA THEOLOGICA CIRCA SEPTIMVM COROLLARIVM,

De vnione ex parte perſonæ creatæ aſſumentis.

Vtrùm ſcilicet ſit verum, quòd perſona creata poſsit terminare alienam naturam per diuinam potentiam.

De hac materia S. Thomas 3. part. quæſt. 3. Scholaſtici in tertio diſtinct. 5. & prima.

1. Prima ſententia. PRIMA ſententia negat poſſe ſubſiſtentiam creatam terminare naturam alienam, etiam per diuinam potentiam. Eſt Paludani in 3. diſtinct. 1. ar. 2. Duran. ibid. q. 5. Henr. quodl. 11. q. 10. Sot. in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 2. Caietan 3. par. quæſt. 3. art. 1. & Med. 3. par. quæſt. 3. art. 1. & tribuitur S. Thomæ, in eodem loco ad 2. vbi inquit proprium eſſe diuinæ perſonæ propter eius infinitatem; vt fiat in ea concurſus naturarum ſecundùm ſubſiſtentiam. Idem videtur dicere in 3. diſt. 1. q. 2. art. 3. ad 1. & quia Caiet. 3. par. q. 3. art. 1. idem dicit, quod dicit S. Thomas ibidem, ideo etiam citatur pro hac opinione. Sed neque S. Thomas, neque Caietanus ſunt huius opinionis, quamuis illam videantur inſinuare vt infra dicemus.

2. Secũda ſententia. SECVNDA ſententia affirmat hoc fieri poſſe ſaltem per diuinam potentiam. Eſt Ochami in 3. q. 5. dub. vlt. ad 13. & 14. Maior. in 3. diſtin. 5. q. 5. Baſſol. q. 6. Scot. in 3. diſt. 1. q. 4. Marſil. in 3. q. 2. dubit. 3. Gabriel verò in 3. d. 1. q. 2. dub. 5. eſt dubius in hac re.

Probari ſolet, quia non videtur repugnantia cur Deus non poſſit producere vnionem in natura creata vniendo efficienter illam cum alieno ſuppoſito creato.

Sed hæc opinio, quæ eſt verior & S. Thomæ, vt infrà videbimus, deberet duo explicare; Primum, Vtrùm ſuppoſitum creatum poſſit terminare alienam naturam quoad vtrumque effectum, primarium ſcilicet qui eſt perſeitatis, ſeu incommunicabilitatis; & effectum ſecundarium qui eſt ſuſtentationis.

Secundum, Vtrùm effectum primarium tribuat in genere cauſæ formalis propria, & naturali virtute, ſecundarium verò in eodem genere cauſæ, non, niſi ſupernaturaliter, quam quidem differentiam expreſsè auctores citati non ponunt.

Pro explicatione igitur huius dubitationis nota, duplicem eſſe effectum formalem ſubſiſtentiæ, alterum primarium, qui eſt reddere naturam per ſe & incommunicabilem alteri ſuppoſito, alterum ſecundarium, qui eſt ſuſtentare naturam, ſiue concurrendo cauſaliter per influxum, ſiue tanquam cauſa ſine qua non, de qua re fuſiùs diximus in ſuperiori Corollario, & in tertia diſputatione philoſophica.

PRIMA CONCLVSIO.

CERTVM eſt apud omnes Doctores, ſuppoſitũ creatum non poſſe efficienter propria virtute naturali producere vnionem cum aliena natura, & conſequenter nec aſſumere, quia aſſumptio non ſolùm dicit terminum, ſed efficientiam, & ideo bene dixit S. Thomas 3. part. q. 3. art. 1. hoc eſſe proprium ſuppoſiti diuini: ſed difficultas eſt in aſſignanda huius rei ratione, nam rationes, quæ communiter aſſignantur, non omnino mihi ſatisfaciunt. 3. Prima concluſio.

Prima ratio, quæ aſſignari ſolet, hæc eſt, quia ſi ſuppoſitum (inquiunt) creatum poteſt efficere vnionem inter ſe, & naturam alienam, non eſſet mirabile myſterium Incarnationis, immò poſſet cognoſci ab Angelo vnio inter Verbum & humanitatem. Prima ratio.

Sed hæc ratio non eſt efficax, quia hæc vnio inter humanitatem, & Verbum, eſt ſupernaturalis, quia terminus eſt ſupernaturalis, at vnio inter ſuppoſitum creatum & naturam eſt naturalis. Confutatur.

Secunda igitur ratio, quæ afferri ſolet, eſt, quòd perſona extranea non poteſt vniri alteri naturæ, niſi excluderet ſubſiſtentiam alterius, quia repugnat aſſumi naturam cum propria ſubſiſtentia, vt colligitur ex Patribus, qui hinc colligunt humanitatem fuiſſe aſſumptam à Verbo ſine propria perſonalitate: Sed nullum agens naturale poteſt dari, quod immediatè corrumpat naturalem connexionem inter ſubſiſtentiam & naturam propriam, quia nec habet contrarium, nec dependet in conſeruari, niſi à ſolo Deo. 4. Secunda ratio efficax.

Tertia ratio eſt, quia ſubſiſtẽtia creata cùm ſit adæquata ſuæ naturæ, vel ſaltẽ ab agente illi connaturaliter accõmodata, non videtur, quòd poſſit ab aliquo agente naturali appropriari per vnionem alteri extrinſecæ naturæ, quia etiam illa alia natura habet ſuam adæquatam ſubſiſtentiam; fruſtra igitur daretur hoc agens naturale, quia non poteſt aſſignari commodè finis huius actionis, ſicut aſſignari poteſt productio qualitatis contrariæ in ſubiecto innaturali ob finem mixtionis. 5. Tertia ratio efficax.

Adde quòd etiam repugnat ex parte effectus ſecũdarij ſcilicet ſuſtentationis, quia non poteſt, vt dictum eſt ſuprà, idem effectus dependere à duabus ſubſiſtentiis in ſuſtentando: nec poteſt dici, quòd corrumpi poteſt propria ſubſiſtentia naturæ à ſuppoſito alieno, quia, vt probatum eſt, connexio inter ſubſiſtentiam propriam, & naturam, non habet contrarium,

Digitized by Google

trarium, & ſolùm dependet in conſeruari à Deo, non ergo poteſt naturaliter immediatè corrumpi ab aliquo ſuppoſito creato; nec poteſt dici, quòd poſſit impediri concurſus illarum duarum ſubſiſtentiarũ, vel attẽperari, quia cùm concurrant in genere cauſæ formalis, concurrunt neceſſariò faciendo quantum poſſunt: Nec eſt ſimile de luminoſo ſolari, quod eſt vt ſexdecim, & tamẽ illuminat vt octo, quia illud luminoſum vt ſexdecim, naturaliter attemperatur concurrendo partialiter, quia eſt vnum agens: at in caſu noſtro illæ duæ ſubſiſtentiæ eſſent duo agentia, non enim habent illam vnitatem; quam habet luminoſum vt ſexdecim: Nec eſt ſimile de duobus bobus trahentibus trabem, quia agunt per ſenſum, & neceſſariò attemperant concurſum, quia neceſſariò faciunt, quod illis eſt magis delectabile.

Sunt etiam & non nullæ aliæ rationes, quas infrà afferemus, quæ quamuis non probent implicantiam, probant ſaltem non poſſe fieri naturaliter.

6. *Pũctus difficultatis.* SVPPOSITO igitur tanquam certo, perſonam creatam propria naturali virtute non poſſe aſſumere efficienter naturam alienam; quæ modo cadunt in controuerſiam ſunt duo.

Primum, Vtrùm per diuinam potentiam poſſit ſuppoſitum creatum terminare alienam naturam.

Secundum, Vtrùm in genere cauſæ formalis ſuppoſitum creatum terminet naturaliter, an ſupernaturaliter. Et quia, vt dictum eſt, duplex eſt effectus ſubſiſtentiæ, alter primarius, qui eſt terminare incommunicabiliter, alter ſecundarius, qui eſt terminare ſuſtentando naturam: de vtroque in præſenti eſt quæſtio.

SECVNDA CONCLVSIO.

7. *Secũda concluſio.* NON repugnat, ſubſiſtentiam creatam terminare alienam naturam per ſe, & incommunicabiliter tribuendo huiuſmodi effectum formalem primarium, An autem propria & naturali virtute in genere cauſæ formalis, dicemus conſequenti aſſertione. Neque oppoſitum dicit S. Doctor 3. par. q. 3. art. 1. ad 2. Quamuis enim ibi dicat, quòd proprium eſt diuinæ perſonæ terminare alienam naturam, intelligendus eſt tantùm in genere cauſæ efficientis, quòd, ſcilicet, non poteſt ſuppoſitum creatum ex propria virtute terminare alienam naturam, quia, vt dictum eſt, requiritur diuina potentia ad vniendum efficienter ſuppoſitum creatum cum aliena natura, & ideo dixit hoc eſſe proprium diuinæ perſonæ, & hoc etiam modo intelligendus eſt Caietanus ibi.

8. *Duplex ſenſus concluſionis explicatur.* HÆC concluſio habet duplicem ſenſum: Primus ſenſus eſt, quòd ſi ſubſiſtentia ponatur in aliena natura ſeparata à propria natura, non repugnat huic ſubſiſtentiæ ſeparatæ terminare alienam naturam.

Secundus ſenſus eſt, quòd ſubſiſtentia etiam ſi nõ ſeparetur à propria natura, ſed ſit terminans propriam naturam, poteſt etiam terminare alienam.

9. HIS poſitis, dico quæſtionem non agitari iuxta primum ſenſum; ſupponimus enim ſubſiſtentiam non poſſe per diuinam potentiam ſeparari à natura, & quidem ſi ſubſiſtentia eſt modus naturæ diſtinctus tantùm ex natura rei, certum eſt non poſſe ſeparari à natura, quia modus conſiſtit in actuali exercitio modificandi; Si enim eſſet aliquid potentiale, requireretur alius modus ad hoc vt fiat actualis; ſiſtendum eſt igitur in priori modo; Si verò ſubſiſtentia diſtinguitur realiter, quamuis ſit maior difficultas, an poſſit per Diuinam potentiam ſeparari: tenuimus tamen in diſputatione tertia philoſophica

A quæſtione ſeptima partem negatiuam, non enim quicquid diſtinguitur realiter, poteſt ſeparari, nam relatio diſtinguitur realiter à termino, quæ tamen non poteſt exiſtere ſine termino, & potentia intellectiua diſtinguitur realiter ab anima, & tamen ſecundùm Thomiſtas non poteſt ſeparari ab anima: Similiter igitur, quia ſubſiſtentia eſt terminus naturæ, non poteſt ſeparari à natura; quòd ſi ſubſiſtentia poſſet ſeparari à natura, poſſet ſine dubio, præſertim ſi eſt realitas diſtincta, terminare formaliter alienam naturam, ſi à Deo vniatur illi naturæ.

QVANTVM verò ad ſecundum ſenſum, de quo eſt controuerſia inter Doctores, dico poſſe ſubſiſtentiam terminantem propriam naturam terminare adhuc alienam naturam. 10. *Secundus ſenſus.*

B Probatur primò, quia nulla eſt repugnantia, neque ex parte naturæ, quæ terminatur, quia hæc eſt capax vt ſuppoſitetur in alieno ſuppoſito, vt patet in humanitate Chriſti; nec ex parte perſonæ terminãtis, quia ſi diuina perſona, quæ plus diſtat à natura creata, quàm ſuppoſitum creatum, poteſt terminare, ergo ſuppoſitum creatũ, præſertim ſi ſit realitas, & non modus, poterit etiam terminare. Probatur conſequentia, quia commendant Patres vnionem humanitatis cum Verbo ex nimia diſtantia; 11. Nec obſtat ſi dicas, perſonam diuinam poſſe terminare, quia eminenter continet perfectionem perſonalitatis creatæ, non, inquam, obſtat, quia hæc eminentia non neceſſariò requiritur ad hoc, vt terminus vnius C naturæ poſſit ſupplere alium terminum, quia formaliter terminat, tanquam terminus vltimus incommunicabilis; ſi igitur coniungitur cum alia natura, neceſſariò dando ſe ipſum illam terminat, ſicut vna figura poteſt terminare quantitatem, quæ ab alia figura terminabatur, cùm tamen vna figura non contineat alteram eminenter, ſed ex eo terminat præciſè, quia eſt terminus quantitatis.

Secundò probatur, quia aliqui cenſuerunt de facto aliquando Angelos aſſumpſiſſe hypoſtaticè corpoream naturam, vt refert Hieron. ſuper primum c. Aggæi, & in prologo Malachiæ, quam ſententiam Hieronymus non impugnat quaſi impoſſibilem, ſed quaſi non neceſſariam ſine ſufficienti fundamento.

D Tertiò probatur, quia in noſtra ſententia, ſecundùm quam tenemus ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura, nulla poteſt aſſignari implicantia, quòd non poſſit ſuppoſitum creatum terminare propriam, & alienam naturam; patet diſcurrendo per implicantias, quæ ſolent afferri. 12.

PRIMA & præcipua eſt, quæ affertur à grauibus recentioribus, illa eſt, quia modus cùm non ſit diſtinctus realiter à re modificata, non poteſt, niſi rem illam modificare. 13.

Sed hæc implicantia nihil facit contra nos, nam etiam ſi concedamus non poſſe modum modificare niſi rem, cuius eſt modus, non ſequitur, quòd ſubſiſtentia non poſſit terminare alienam naturam, quia ex principio noſtro Philoſophico, ſubſiſtentia di- E ſtinguitur realiter à natura, vt oſtenſum eſt in diſp. tertia philoſophi. quæſtione ſeptimà.

VNVM hìc petes; Si ſubſiſtentia diſtingueretur à natura tanquam modus rei à re, an repugnaret modificare alienam naturam. Suar. 3. p. diſpu. 13. vt dictum eſt, exiſtimat implicare. Primò quia de eſſentia, inquit, modi eſt, eſſe adæquatum rei, quam modificat, & idem cum illa, quia modus nihil eſt aliud, quàm res ipſa, cuius eſt modus taliter ſe habens, non igitur poteſt actuare alienam naturam, cùm non poſſit eſſe modus intrinſecus alterius naturæ. 14. *Quæſitum. Suar.*

Probat

Digitized by Google

Probat conſequentiam duobus exemplis. Primum eſt de inhærentia, quæ cùm ſit modus accidentis, non poteſt eſſe alteri ratio inhærendi. Secundò probat exemplo formæ, quæ quoniam eſt entitas diſtincta à materia, non poteſt eleuari vt actuet materiam tanquam modus intrinſecus, ergo è contrario non poteſt eleuari modus, qui eſſentialiter actuat rem, cuius eſt modus, intrinſecè per vnionem ſibi identificatam, non poteſt, inquam, eleuari vt actuet alienam naturam, per vnionē diſtinctam.

15. Alii verò moderni tenent contra Suarium 3. par. diſput. 13. non implicare, ſubſiſtentiam, etiam ſi ſit modus naturæ, terminare alienam naturam, & dicunt hoc poſſe fieri duobus modis. Primò, ſi produceretur à Deo vnio, per quam natura vniretur cum aliena ſubſiſtentia. Secundò, ſi Deus initio creationis duarum naturarum produceret vnum modum ſubſiſtentiæ identificatum cum vtraque natura, in quo caſu modus illæ ſubſiſtentiæ dependeret ab vna & altera natura partialiter.

Quòd ſi dicas, quomodo poſſet iſte modus modificare vtramque naturā, ſi vna natura eſſet corporalis, & altera ſpiritualis; reſpondent non repugnare, tum quia ille modus poſſet eſſe ſpiritualis, ac proinde eſſet totus in toto, & totus in qualibet parte, tum quia non repugnat illum modum eſſe extenſum, vt fusè oſtenſum eſt in diſputat. quarta Philoſophica, quæſt. 7. Et exemplum afferri ſolet de vbi Angelico, quod eſt extenſum in ordine ad ſpatium, & eſt ſubiectiuè in Angelo, non tamen extendit Angelum ſecundùm partes, quia Angelus eſt incapax huiuſmodi extenſionis, ita ſimiliter poteſt dici quòd ille vnus modus ſubſiſtendi ſit extenſus, & ſubiectetur ſimul in natura corporali, & ſpirituali.

Probant autē hanc ſuam ſententiam iſti moderni. Primò, quia quamuis modus ſit adæquatus propriæ naturæ ſecundùm potentiam naturalem, non tamen eſt adæquatus ſecundùm potentiam obedientialem, ſicut à ſimili corpus palmare eſt adæquatum loco palmari ſecundùm potentiam naturalem, & tamen ſecundùm potentiam obedientialem poteſt replicari in pluribus palmis, quod etiam probari poteſt in multis aliis ſimilibus exemplis.

Secundò probant, Non repugnat modo, vt modus eſt, modificare vtrumque extremum ſaltem vnum intrinſecè, & alterum extrinſecè, ſicut vnica vnio quæ eſt in humanitate Chriſti vnit humanitatem cum Verbo, & præterea per vnicam relationem paternitatis ſecundùm Thomiſtas pater refertur ad plures filios, & per eandem ſimilitudinem vna albedo refertur ad aliam, & illa ſimilitudo eſt ſimilis alteri ſimilitudini.

16. His tamen non obſtantibus mihi videtur probabilior, & verior ſententia noſtri Suarij propter rationes quas, vt ſolet, ſatis bonas affert loco citato.

Ad argumenta verò quæ moderni afferunt in oppoſitum, reſpondetur, Ad primum, negando quòd per potentiam obedientialem poteſt modus eleuari ad terminandum alienam naturam, quia, vt dictum eſt, modus nihil eſt aliud, quàm res ipſa, cuius eſt modus taliter ſe habens; eſſentialiter igitur petit vt ſit modus identificatus intrinſecus eius rei, cuius eſt modus; non igitur fieri poteſt per diuinam potentiam, quòd modus, qui ſecundùm ſuam naturam & virtutem eſt identificatus & intrinſecus vnius rei, ſit identificatus & intrinſecus alienæ naturæ, quod exemplo fiet manifeſtum; non enim poteſt concipi, quod per ſeſſionem meam alius ſedeat; nam ſeſſio mea nihil eſt aliud quàm

A exercitium ſedendi corporis mei, ſeu ipſum meummet corpus, taliter ſe habens, ſeu cum tali ſitu partium.

Ad ſecundum de vnione reſpondetur, eſſe diſparem rationē de vnione, ac de aliis modis; nam vnio intrinſecè, & eſſentialiter eſt nexus vtriuſque extremi; vnde intulimus in diſputatione quarta Philoſophica, non ſolùm in Chriſto, ſed in quocumque compoſito naturali eſſe vnicam vnionem, quæ modificat intrinſecè tantùm vnum extremum, vniendo illud cum alio extremo; Vel ſecundùm alios eſt vnica vnio modificans vtrumque extremum, quia ſecundùm naturam ſuam, inquiunt, eſt intrinſecus nexus vtriuſque extremi: at verò de B aliis modis hoc dici non poteſt, quia alij modi, cùm non ſint nexus ex natura ſua, modificant tantùm vnum extremum cuius ſunt intrinſecè modi; Ad illud verò quod dicitur de relatione paternitatis, eſt diſpar ratio, nam paternitas non modificat niſi vnum extremum, ſcilicet, patrem, non autem modificat alterum extremum, ſcilicet, filium, nec intrinſecè nec extrinſecè, nam filius per paternitatem non refertur ad patrem; ſolùm igitur paternitas intrinſecè modificat patrem referendo ad filium.

TERTIA CONCLVSIO.

C Svppositvm, virtute propria, & naturali, tribuit in genere cauſæ formalis naturæ alienæ effectum primariū terminandi per ſe, & incommunicabiliter. 17. Tertia concluſio.

Probatur, quia concurrit vt cauſa principalis in ſuo genere ad terminandum, nec requiritur aliqua eleuatio in iſto genere: Non enim requirit maiorem virtutem cauſa formalis ad informandum præcisè ſecundùm propriam ſuam virtutem vnum ſubiectum, quàm duo, ſi eadem numero per diuinam potentiam effectiuè ponatur indiſtāter in duobus ſubiectis, & producatur vnio cum illis, & ratio eſt, quia informat dando ſe ipſam, nec meliùs poſſidetur ab vno ſubiecto quàm à multis.

Hæc aſſertio eſt contra Durandum ſuprà citatum, qui quamuis teneat, quòd actu terminare plu- Durandus. D res naturas non dicat maiorem perfectionem, ſicut patet in Verbo; poſſe tamen terminare dicit maiorem, & conſequenter terminare infinitas; dicit infinitam perfectionem, vnde concludit ſuppoſitum creatum non ſolùm non poſſe terminare plures naturas ſecundùm propriam virtutem, ſed nec ſecundùm potentiam diuinam, vt videbimus in ſecundo dicto.

Eſt etiam contra Suarium loco citato, qui tenet requiri maiorem virtutem in anima ad viuificandum corpus tripalmare, quàm bipalmare, quod quidem verum eſt, quantùm ad poſitionem, ſeu vnionem effectiuam, non autem quantùm ad formalem, quia E in quantocunque corpore bene diſpoſito ponatur anima per diuinam potentiam, illud informaret, quia nihil aliud eſt informare, quàm dare ſe ipſam.

QVARTA CONCLVSIO.

Non repugnat, ſubſiſtentiam creatam ſuſtentare alienam naturam, tribuendo ſecundarium effectum formalem ſuſtentandi non propria virtute, ſed diuina; In hac quarta concluſione videntur concordare auctores citati pro ſecunda opinione, quamuis non expreſsè loquantur de ſuſtentatione, quæ eſt effectus ſecundarius, ſed tantùm de terminatione 18. Quarta concluſio.

Digitized by Google

quæ eſt effectus primarius, de quo diximus in primo dicto.

Probatur hæc quarta aſſertio, quo ad vtramque partem: Prima pars probatur, quia nulla eſt implicantia, vt mox videbimus.

19. Secunda pars, ſcilicet, quòd huiuſmodi ſuſtentatio fiat ſupernaturaliter, poteſt habere duplicem ſenſum; Primus ſenſus eſt, quòd ſubſiſtentia creata per diuinam potentiam ſeparetur à propria natura, & ponatur in aliena non habente propriam ſubſiſtentiam; & iuxta hũc ſenſum exiſtimo, quòd quamuis illa ſeparatio, & poſitio ſubſiſtentiæ ſit ſupernaturalis, ea tamen poſita ſuſtentatio ſequatur virtute naturali, quia non requiritur maior vis ad ſuſtentandum propriam, quàm alienam naturam, ſicut ſi calor qui eſt in igne tanquam in proprio ſubiecto, poneretur in aqua, tunc propria virtute calefaceret aquam; ita etiam dicendum de ſubſiſtentia, ſiue ſubſiſtentia concurrat ſuſtentando cauſaliter, ſiue multò magis, ſi concurrat tanquam cauſa ſine qua non.

20. Secundus ſenſus eſt, quòd ſubſiſtentia creata ſuſtentet propriam, & alienam naturam ſimul; & de hoc ſecundo ſenſu eſt quæſtio, & in hoc caſu dixi non poſſe ſubſiſtentiam creatam ſuſtentare alienam naturam propria, & naturali virtute, ſed ſupernaturaliter.

Probatur, quia perſonalitas creata ob ſui limitationem eſt adæquata propriæ naturæ, ergo ad ſuſtentandum alienam naturam, requiritur maior virtus.

Quòd ſi dicas non requiritur maior virtus, vt dictum eſt, in terminando naturam, incommunicabiliter, & in componendo vnum per ſe, ergo nec in ſuſtentando.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia in terminando non agit, nec adhibet maiorem conatum, quia terminat incommunicabiliter & componit cum alio per ſe ipſam; at verò in ſuſtentãdo plures naturas, adhibet maiorem conatum, quia agit ſecundùm probabiliorem opinionem, quam tenuimus in alio corollario, & in dubitatione tertia philoſophica, ſicut etiam materia in ſuſtentando plures formas requirit maiorem virtutem, quia natu- A raliter eſt adæquata vni formæ; Nec eſt ſimile de igne, quia ideo efficienter poteſt producere calorem in diuerſis materiis, quia eſt adæquatus toti materiæ ad producendum ſibi ſimile, at verò materia eſt adæquata vni formæ, quia per illam tantùm expletur, quantùm eſt ex ſe, ita ſubſiſtentia ſimiliter eſt adæquata propriæ naturæ. Quòd ſi quis teneat aliam opinionem, quæ non eſt ita probabilis, quòd ſcilicet ſubſiſtentia ſuſtentando naturam, non agat, ſed tantùm ſit cauſa ſine qua non, quod multi etiam tenent de materia, vt ſuprà vidimus, tunc poſſet fortè ſuſtinere, quòd non requiratur maior virtus ad ſuſtentandum plures, quàm ad ſuſtentandum vnam, quia tunc non ageret, & conſequenter non adhiberet maiorem conatum.

B SED contra hanc aſſertionem iuxta ſecundum ſenſum arguitur, quia ſequeretur, vt argumentatur Durandus, quòd ſubſiſtentia deberet habere virtutem infinitam in ſuſtentando, quia ſi poteſt ſuſtentare duas naturas, poteſt ſuſtentare infinitas, vel in infinitum, quia eſt eadem ratio; poſſe autem ſuſtentare plures naturas dicit maiorem perfectionem, (quamuis actu ſuſtentare non dicat maiorem perfectionem) quod ex eo patet, quia ſi Verbum actu ſuſtentaret plures humanitates, quod non repugnat, non propterea diceretur habere maiorem perfectionem; at dare virtutem infinitam in creatura, repugnat etiam per virtutem diuinam. 21. Primum argumentum.

Reſpondetur, quòd ſuſtentando plures naturas, ſubſiſtentia non eleuatur intrinſecè, tunc enim re- C quireretur virtus infinita ad ſuſtentandum creaturas in infinitum, ſed eleuatur extrinſecè, de qua eleuatione plura diximus in priori tomo. Solutio.

Vel poteſt dici, quòd Deus temperaret concurſum ſuſtentatiuum, quem habet ſubſiſtentia ad propriam naturam, vt ſi eſt vt duo, concurrat vt vnum, ad propriam naturam, & vt vnum ad alienam; Et hoc modo temperante Deo concurſum ſubſiſtentiæ per partes proportionales, & ipſo ſupplente in genere cauſę efficientis concurſum ſuſtentatiuum, poſſet ſubſiſtentia ſuſtentare infinitas naturas, abſque eo, quòd ſit potentia infinita in ipſa, ſed tantùm ſupponatur virtus infinita in Deo.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO OCTAVA THEOLOGICA CIRCA OCTAVVM COROLLARIVM,

De modò vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

De materia huius Corollarij agit S.Thom. 3.part. quæſt.4. Scotus in quodlibetis quæſt. 19. artic.3. Henricus quodlibeto 6. quæſt. 7.

Sunt in hoc corollario duæ dubitationes.

I. *Vtrùm natura ſubſiſtens in propria perſonalitate nec reduplicatiuè, nec ſpecificatiuè aſſumi poteſt à Verbo.*

II. *Vtrùm accidens poſſit aſſumi hypoſtaticè.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm natura humana potuerit aſſumi à Verbo hypoſtaticè retenta propria perſonalitate.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. Not. primũ. NOTA primò, quæſtionem non eſſe de A facto, ſed de poſſibili; eſt enim de fide, humanitatem non fuiſſe de facto aſſumptam retenta propria perſonalitate. Ita definitum eſt in V. ſynodo, collat.8. can.4. & in VI. ſynodo, act.11. in epi. Sophronij ante medium, idem dicunt communiter Patres, præſertim Cyrill. Alex. in Apolog. in defenſ.9. Anathem. & in epiſt. ad Neſtorium, tom.1. Conc. Epheſino.

Not. ſecundũ. Nota ſecundò, quæſtionem non eſſe ſecundùm potentiam naturalem, quia hoc repugnat, de hac enim ſaltem intelligenda ſunt Concilia & Patres, quæ infrà citabimus.

Not. tertiũ. Nota tertiò, quæſtionem non eſſe de effectu ſecundario ſubſiſtentiæ, ſeu perſonalitatis; vtrùm, ſcilicet, B potuerit humanitas aſſumi a Verbo retenta propria perſonalitate ſuſtentante ipſam humanitatem, quia de hac dictum eſt ſuprà, quòd ſiue humanitas ſit perſonata propria perſonalitate, ſiue aliena Verbi, non poteſt aſſumi ab alia perſona, quæ ſimul adæquatè ſuſtentet, quia tunc vnus effectus dependeret à pluribus cauſis totaliter, quod repugnat; poſſet tamen aſſumi, ſi Deus vel tolleret concurſum ſuſtentatiuum vnius perſonæ, vel temperaret vtrumque, ita vt vterque concurrat partialiter; Prĩus difſcultatis. Sed quæſtio eſt de primario effectu. Vtrùm, ſcilicet, humanitas potuerit aſſumi à Verbo retenta propria perſonalitate dante eſſe per ſe ipſi naturæ, & componente vnum cum illa: His notatis eſt

2. Prima ſententia. PRIMA ſententia communis Doctorum in 3. diſt. C 2. & 5. locis ſuprà citatis, quæ aſſerit naturam humanam non potuiſſe aſſumi à Verbo retenta propria perſonalitate. S. Thom. Hæc opinio ab aliquibus tribuitur S. Thomæ 3.p.q.4. art.5. ad 3. vbi dicit naturam Angelicam exiſtentem cum propria perſonalitate aſſumi non poſſe, niſi illius perſonalitas deſtruatur; Eſt etiam Suarij, diſp.14. ſect.1. Suarius.

Mai. Bacc. Nominal. OPPOSITA ſententia eſt Maioris in 3.d.3. Bacch. d.5. q.1. ar.2. eſt præterea Nominalium, qui tenent ſubſiſtentiam eſſe identificatam cum natura.

PRIMA concluſio, Natura ſubſiſtens propria perſonalitate non poterat aſſumi à Verbo hypoſtaticè reduplicatiuè, ita vt perſonalitas ipſa ſimul aſſumatur cum natura. 3. Prima concluſio.

Probatur, & quidem ab his, qui tenent, vt Scot. in 3.d.1.q.1. & Baſſ. ibidem ar.1. & Mayron. quæſt. 11. Aureol. apud Capreol. in 3.d.5. q.3. ſuppoſitum ſupra naturam addere tantùm duplicem negationem dependentiæ actualis, ſcilicet, & aptitudinalis, quam opinionem fusè examinauimus in diſp.3. Philoſ. Ab his, inquam, facilè probatur; nam huiuſmodi negatio eſt inaſſumptibilis, non ſolùm quia eſt negatio, ſed quia talis negatio; eſt enim contradictoria dependentiæ à Verbo. Prima aſſertio. Scot. Baſſ. May. Aureo.

Sed quia hanc opinionem in quæſtione tertia Philoſophica confutauimus; ideo ſuſtinendo, quòd ſubſiſtentia ſit quid poſitiuum, maior eſt difficultas ad probandum hoc primum dictum. Et quidem exiſtimo non poſſe bene ſaluari, niſi teneatur principium noſtrum Philoſophicum, ſubſiſtentiam, videlicet, diſtingui realiter à natura, vt fusè probauimus in diſput. tertia Philoſophica, quæſt. 7. & probo, quia qui tenent ſubſiſtentiam eſſe quid poſitiuum, vel tenent non diſtingui à parte rei, ſed eſſe identificatam cum natura, & tunc habent difficultatem ad ſoluendum, quomodo humanitas potuerit à parte rei aſſumi à Verbo, & non etiam ipſa perſona reduplicatiuè, ſi à parte rei perſona vt perſona non diſtinguitur à natura: Hanc autem difficultatem variè ſoluunt iuxta tres diuerſos modos ponendi identificationem ſuppoſiti cum natura.

Primus modus eſt Durandi, qui tenet in 1. d. 3. 4. Durandus. q.1. ſuppoſitum creatum eſſe idem cum natura, & diſtingui tantùm per diuerſum modum ſignificandi, quatenus ſuppoſitum concipitur vt habens, natura vt quid habitum; & iuxta hunc modum conatur reſpondere ad difficultatem, quòd ex modo ſignificandi perſona humana non ſignificatur in aſſum-

ptione vt habens, ſed vt innitens alteri; & ideo ex modo ſignificandi non fuit aſſumpta, quia ex modo ſignificandi, quatenus ſignificatur vt diſtincta à natura, debet ſignificari per modum habentis, & non per modum innitentis.

Sed hæc reſponſio non ſoluit difficultatem, adhuc enim vrget difficultas, quia à parte rei perſona humana fuiſſet aſſumpta, quia ſignificatio, ſeu conceptio per modum habentis, & habiti nihil ponit à parte rei.

5. Erucus. Secundus modus dicendi eſt Eruci, qui quodl. 3. quæſt. 6. ponit maiorem diſtinctionem inter ſubſiſtentiam, & naturam, quàm ponit Durandus, ponit enim diſtinctionem rationis ratiocinatæ: & iuxta hunc modum reſpondet ad difficultatem, quòd ſufficit hæc diſtinctio rationis ratiocinatæ ad hoc, vt à parte rei aſſumatur natura, & non perſona.

Et confirmat duobus exemplis. Primum eſt; Pater communicat à parte rei totam naturam Filio, & tamen non communicat formaliter perſonalitatem Patris, quæ à parte rei eſt idem cum natura diuina, & tamen diſtinguitur ratione ratiocinata. Secundum exemplum eſt, quia Verbum, & non eſſentia diuina aſſumpſit naturam humanam, & tamen ipſa eſſentia non diſtinguitur niſi ratione ratiocinata à Verbo.

Sed neque hæc reſponſio ſoluit difficultatem; nam ſi perſona, & natura humana ſunt vna ſinplex entitas, ſequitur, quòd ſi à parte rei communicetur natura ipſi Verbo, neceſſariò etiam communicabitur ipſa perſona humana ſaltem identicè: Nec obſtat exemplum primum allatum de Patre in diuinis, quia quamuis Pater non communicet formaliter Filio paternitatem, communicat tamen identicè. Adde quòd in diuinis propter infinitatem poteſt ſtare, quòd communicando identicè paternitatem, non communicet illam à parte rei formaliter: tamen in humanis ſi aſſumitur natura humana, quæ eſt ſubſiſtentia identicè, aſſumitur etiam ipſa ſubſiſtentia ſecundùm totum ſuum conceptum formalem, qui eſt à parte rei. Nec obſtat ſecundum exemplum allatum de Verbo, nam eſſentia diuina, quæ eſt eadem cum Verbo, mediatè aſſumpſit naturam humanam, ergo à ſimili non poterat Verbum aſſumere naturam humanam, niſi etiam aſſumendo perſonalitatem humanam ſaltem mediatè, & tamen nec immediatè, nec mediatè conceditur perſonalitatem poſſe aſſumi.

6. Ocham. Nominales. Tertius modus dicendi eſt Ocham in 3. q. 1. & aliorum Nominalium in 3. diſt. 25. qui ponunt maiorem diſtinctionem inter ſubſiſtentiam & naturam, quàm ponit ſecundus modus: ponunt enim diſtinctionem penes connotatum extrinſecum, quatenus ſuppoſitum connotat negationem dependentiæ; Sicut, inquiunt, ſimilitudo diſtinguitur ab albedine ex eo ſolùm, quia connotat terminum, quem non dicit albedo, & iuxta hunc modum ſoluunt difficultatem, quòd cùm aſſumitur natura humana, non eſt neceſſe, vt aſſumatur perſona, imò neceſſariò deperditur perſona humana, quia deperditur connotatum extrinſecum, ſcilicet negatio dependentiæ ab alio, ſicut, inquiunt, dicitur deperdi ſimilitudo, cùm deperditur terminus.

Sed neque hæc reſponſio ſoluit difficultatem. Nam ſi nihil deperditur intrinſecè de reali ſubſiſtentia, quæ eſt identificata cum natura, ſed ſolùm deperditur connotatum extrinſecum, negatio ſcilicet dependentiæ ab alio, ergo non poterat aſſumi natura à Verbo, quin aſſumatur quicquid eſt intrinſecum de reali ſubſiſtentia.

A Qui verò tenent ſubſiſtentiam diſtingui à parte rei modaliter, quamuis bene poſſent ſoluere difficultatem factam contra illos, qui non tenent hanc diſtinctionem, quia poſſunt dicere quòd à parte rei aſſumitur natura, & non perſonalitas, quia perſonalitas eſt diſtincta à parte rei, non tamen poſſunt omnino ſaluare, quomodò non poſſit ipſa perſonalitas aſſumi, ſi non admittant ſubſiſtentiam diſtingui à parte rei à natura, non ſolùm modaliter, ſed etiam realiter, vt nos tenuimus in quæſt. tertia philoſophica; Et probatur, quia ſecundùm iſtam opinionem, quamuis ſubſiſtentia vt, quo, ſit per ſe quatenus eſt ratio formalis perſeitatis, eſt tamen vt, quod, dependens à natura tanquam modus B ipſius, ergo non repugnat ipſam ſubſiſtentiam vt, quod, aſſumi ab alieno ſuppoſito; probatur conſequentia, quia vt ſic non eſt per ſe ſed in alio. 7. Non bene probatur hæc prima concluſio ab his, qui tenent perſonalitatẽ diſtingui à natura modaliter.

8. Quare ad probandum hanc primam concluſionem ſupponendum eſt, ex diſp. 3. philoſoph. quæſt. ſeptima principium noſtrum philoſophicum, ſubſiſtentiam videlicet, diſtingui realiter à natura, quia tunc non poteſt ipſa ſubſiſtentia aſſumi; eſt enim vt, quo, & vt, quod, per ſe & incommunicabilis: vt, quo, quidem, quatenus eſt ratio formalis perſeitatis: vt quod, autem, quia ſe ipſa eſt per ſe; hæc eſt enim natura rationis formalis, vt ſe ipſa ſit talis, ſicut actio ſe ipſa fit, ſecundum Ariſtotelem, & Vbi ſe ipſo eſt in loco. Et iuxta hoc noſtrum principium C ceſſant inſtantiæ, quas attulimus contra illos, qui tenent ſubſiſtentiam eſſe identificatam cum natura, vel contra illos, qui tenent ſubſiſtentiam diſtingui modaliter à natura.

Maior autem difficultas eſt, an natura ſubſiſtens poſſit aſſumi ſpecificatiuè, hoc eſt an natura ipſa ſubſiſtens poſſit aſſumi, etiam ſi ipſa ſubſiſtentia non aſſumatur, hoc enim ſignificat hic terminus ſpecificatiuè apud ſcholaſticos, vt videre licet apud Vaſquez 3. part. diſput. 65. cap. 3.

9. Secunda concluſio. Secunda concluſio. Repugnat nõ ſolùm per Dei potentiam ordinariam, ſed etiam abſolutam, naturam ſubſiſtentem aſſumi poſſe ſpecificatiuè.

Probat primò hanc concluſionem Scotus, qui D tenet perſonam formaliter importare negationem dependentiæ, ſeu negationem vnionis cum alio ſuppoſito, repugnat enim, inquit, contradictoriè cum actuali ſuppoſitatione alieni ſuppoſiti.

Secundò probant eamdem concluſionem illi qui, quamuis teneant perſonam ſeu ſubſiſtentiam non eſſe negationem contra Scotum, ſed eſſe aliquod reale poſitiuum diſtinctum à parte rei à natura, dicunt tamen non diſtingui ſicut rem à re, ſed ſicut modum rei à re, vt diſtinguitur ſeſſio à ſedente. Secũda probatio Suarij in Metaph. diſp. 34.

Probant autem hoc modo, Eſſe per ſe, inquiunt, & eſſe in alio, ſunt modi oppoſiti, & æquipollent contradictoriè, quia eſſe per ſe dicit intrinſecè negationem eſſendi in alio, vnde accidens repugnat E eſſe per ſe & in alio, & propter hanc tandem rationem repugnat virgam eſſe curuam & rectam, quamuis enim curuitas & rectitudo ſint modi poſitiui, æquipollent tamen contradictoriis; Sed ſi natura retenta propria perſonalitate poſſet aſſumi ſpecificatiuè, eſſet per ſe & in alio, per ſe quidem, quia non ſubſiſteret innixa alicui realitati, ſed eſſet in ſe & per ſe, eſſet autem in alio, quia inniteretur alieno ſuppoſito.

10. Tertia probatio. Difficiliùs autem hæc concluſio probatur in ſententia noſtra, ſecundùm quam tenuimus in diſput. tertia philoſophica quæſtione ſeptima, ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura tanquam rem à re.

Probatur

Digitized by Google

Probatur tamen tertiò, Subſiſtentia etiam ſi diſtinguatur realiter à natura, adhuc eſt terminus naturæ, ergo conſtituit naturam ſeorſim ab omni alio ſuppoſito; de ratione enim termini eſt vt ipſum nomen indicat, vt res terminata non vlteriùs extendatur ſeu communicetur, ſicut enim linea terminata puncto terminatiuo, eſt impoſſibile vt vlteriùs extendatur, quamuis ipſum punctum non extenderetur; ita ſimiliter eſt impoſſibile, vt natura terminata proprio termino quaſi extendatur ſeu communicetur alteri ſuppoſito.

Et confirmatur, quia ſi ſubſiſtentia eſſet negatio communicabilitatis, vt tenet Scotus, implicaret illam naturam aſſumi à Verbo, remanente in natura illa negatione; ergo ſimiliter repugnat aſſumi poſſe naturam remanente ſubſiſtentia poſitiua, quia propria ſubſiſtentia intrinſecè includit illam negationem, conſequitur enim illa negatio tanquam paſſio.

11. Quartò probatur authoritate Conciliorum & Patrum: inferunt enim humanitatem Chriſti non habere propriam ſubſiſtentiam, ex eo, quia fuit aſſumpta à Verbo. Ita habetur expreſsè præcipuè in quinta Synodo collat. 8. Canone 4. & 5. vbi damnatur ille, qui non confitetur Verbum fuiſſe vnitum carni ſecundùm ſubſiſtentiam, & propter hoc vnam ſubſiſtentiam Domini noſtri & in ſexta Synodo actione vndecima in epiſtola Sophronij circa medium dicitur, quòd vnitas ſecundùm ſubſiſtentiam ſubſtantialem diuiſionem non agnoſcit, & prorſus illam expellit, diuiſionem, ſcilicet, in hominem & Deum, ita vt duæ intelligantur ſubſiſtentiæ in Chriſto, & idem habet Cyrillus Alexandrinus in apolog. in defenſ. 9. anathem.

Quinta Synodus. Sexta Synodus. Cyrillus.

SED contra hanc quartam probationem inſtant aduerſarij, quòd Patres & Concilia non loquuntur de repugnantia per potentiam abſolutam Dei, ſed de repugnantia naturali; ſicut à ſimili, inquiunt, Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 4. ex præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, infert deſitionem ſubſtantiæ panis, cùm tamen de potentia abſoluta poſſit ſtare ſubſtantia panis cum corpore Chriſti. Sicut igitur, inquiunt, ſatis eſt repugnantia naturalis ad hoc, vt Concilium inferat deſitionem panis, ex præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, ita etiam ſatis eſt, vt naturaliter repugnet duas perſonalitates eſſe ſub eadem natura, vt optimè inferri poſſit à Conciliis & Patribus, ſi humanitas eſt in perſona diuina, ergo non habet propriam perſonalitatem; Et ratio eſt, quia vtramque habere non poteſt ſine nouo miraculo, quod quidem miraculum cùm non conſtet per reuelationem, ſatis ſufficienter Concilia inferunt humanitatem Chriſti carere propria perſonalitate.

Inſtantia contra quartam probationem.

12. Sed ſoluitur inſtantia, nam quicquid ſit de deſitione panis, in caſu noſtro, hoc non poteſt dici, quia Concilia præſertim ſexta Synodus actio. 11. in epiſtola Sophronij citata ſignificat, non potuiſſe etiam per potentiam Dei abſolutam humanitatem aſſumi perſonatam propria perſonalitate, etiam ſi ipſa perſonalitas non aſſumatur; Vtitur enim verbis ſignificantibus ſimpliciter repugnantiam, cùm dicit, quòd (vnitas ſecundùm ſubſiſtentiam diuiſionem non agnoſcit, ac prorſus illam expellit.)

Solutio. Sexta Syn.

13. CONTRA hanc concluſionem tenent aliqui recentiores & apud ipſos Mayron in 3. diſtinct. 1. quæſt. 3. Bacchonus diſtinct. 1. q. 1. art. 2. Nacla. theor. 2. & obiiciunt primò. Non repugnat humanitatem Chriſti poſſe aſſumi à pluribus perſonis diuinis, vt ſuprà oſtendimus, ergo neque repugnat A camdem humanitatem aſſumi à Verbo retenta propria perſonalitate.

Prima obiectio contra hanc ſecundam concluſionem. Mayron. Bacchon. Nacla.

AD hanc primam obiectionem reſpondent aliqui primò, & hanc reſponſionem tribuunt Caietano, Subſiſtentia, inquiunt, creata eſt modus naturæ, & ideo non poteſt aſſumi natura, quin aſſumatur reduplicatiuè ipſa ſubſiſtentia; Sed repugnat naturam ſubſiſtentem aſſumi reduplicatiuè, vt probatum eſt, ergo, &c. Maior probatur, quia ſubſiſtentia ſi eſt modus, identificatur cum natura, ergo non poteſt aſſumi natura quin aſſumatur ſubſiſtentia.

Prima ſolutio.

Sed hæc reſponſio non videtur conformis doctrinæ Caietani, nam apud Caietan. ſubſiſtentia eſt realitas diſtincta à natura, vt refert Bannes 1. part. B quæſt. 3. art. 3. dubio 1. Præterea non eſt efficax, quia etiam ſi eſſet modus, adhuc non eſſet neceſſarium, vt aſſumpta natura aſſumatur modus, ſicut nec ipſa vnio aſſumitur; & ratio eſt, quia ſubſiſtentia non eſt aſſumptibilis: Ad ſummum autem obiectio haberet locum, ſi ſubſtantia nullo modo diſtingueretur à parte rei, ſed eſſet omnino identificata cum natura, vt tenent Nominales, & Durandus in 1. quæſt. 3. diſtinct. 1. & Erueus quodlibeto 3. quæſt. 6.

Caietan. Bannes. Nominales. Durand. Erueus.

14. Secundò reſpondet Suarius aſſignando diſparitatem, quòd ſi humanitas perſonata à Verbo aſſumeretur à Patre, illa humanitas non haberet duos modos repugnantes, eſſet enim bis in alio: at verò ſi humanitas perſonata à propria perſonalitate aſſumeretur à Verbo, C haberet duos modos repugnantes per ſe & in alio, qui duo modi æquipollent contradictoriis, vt ſuprà dictum eſt, & hæc quidem reſponſio eſt ſatis efficax, ſi teneatur ſubſiſtentiam diſtingui à natura tamquam modum rei à re; ſicut ipſe tenet.

Secunda ſolutio. Suar.

Si verò teneatur ſubſiſtentiam diſtingui à natura tamquam rem à re, vt nos tenemus, maior eſt difficultas in aſſignanda diſparitate, quare humanitas perſonata propria perſonalitate non poſſit aſſumi ſpecificatiuè à Verbo, poſſit autem perſonata perſonalitate Verbi aſſumi ſpecificatiuè à Patre.

15. Diſparitatem autem aſſignat Caiet. tertia part. quæſt. 3 art. 6. & Capreol. in 3. diſtinct. 1. quæſt. 3. D ad primum Scoti contra ſecundam concluſionem; Subſiſtentia creata propria, inquiunt, terminat naturam totaliter intenſiuè & extenſiuè, & ideo non poteſt admittere aliam ſubſiſtentiam, ſiue creatam, ſiue diuinam; at verò ſubſiſtentia aliena terminat totaliter intenſiuè, ſed non extenſiuè.

Tertia ſolutio. Caiet. Capreol.

Similem ferè diſparitatem aſſignat Medina ibidem, Ex eo, inquit, quia ſubſiſtentia propria eſt intrinſeca naturæ, ſubſiſtentia verò diuina eſt extrinſeca, fit vt humanitas perſonata à Verbo poſſit aſſumi à Patre, non tamen perſonata à propria perſonalitate poſſit aſſumi ab alieno ſuppoſito.

Medina.

16. Sed hæ reſponſiones reiici ſolent, quaſi petentes principium, nam hoc eſt quod quæritur, quare E ſubſiſtentia propria, & intrinſeca terminat totaliter extenſiuè naturam; ita vt faciat illam inaſſumptibilem etiam ſpecificatiuè ab alieno ſuppoſito, non autem hoc idem præſtet ſubſiſtentia aliena.

Verùm optima eſt reſponſio horum Doctorum, & diſparitas, quæ aſſignatur eſt ſatis efficax, ſi bene intelligatur: Diſparitas autem eſt, quia ſubſiſtentia propria habet peculiarem effectum formalem faciendi exiſtere propriam naturam ſeorſim à quolibet alieno ſuppoſito; Et ratio eſt, quia eſt propria ſuæ naturæ, & fluit ab ipſius principiis, ac propterea facit exiſtere ſuam naturam in ſe, & per ſe, quod quidem repugnat cum exiſtentia in alio ſuppoſito, hunc autem effectum formalem inſeitatis non tribuit

Explicatur tertia ſolutio.

buit ſubſiſtentia aliena, tribuit autem tantùm effe-ctum perſeitatis quatenus facit ſubſtantialiter vnum per ſe cum natura; ſicut à ſimili intellectus, quia fluit ab ipſa anima, facit animam potentem intelligere; quòd ſi poneretur per impoſſibile in lapide, faceret quidem lapidem habentem intelle-ctum, non tamen potentem intelligere, quia intel-lectus non eſt proportionatus lapidi, & explicatur magis diſparitas allata.

Fingamus quòd à natura non fluat aliqua enti-tas poſitiua ſubſiſtentiæ, ſed, vt dicit Scotus, fluat tantùm negatio communicabilitatis cum alieno ſuppoſito, tunc eſſet impoſſibile vt aſſumatur natu-ra ſpecificatiuè habens hanc negationem, quia na-tura eſſet communicata & non communicata; Ita ſimiliter dicendum eſt, etiam ſi ſubſiſtentia ſit en-titas realis, nam iſta ſubſiſtentia propria includit intrinſecè negationem communicabilitatis cum alieno ſuppoſito, ex eo, quia propria eſt & fluit in-trinſecè à principiis ipſius naturæ; ſi enim non re-ſultaret ſubſiſtentia realis, reſultaret adhuc illa ne-tio communicabilitatis cum alieno ſuppoſito tan-quam debita naturæ, ergo etiam ſi reſultet ſubſi-ſtentia realis, debet adhuc intelligi illa negatio in-cluſa in ipſa ſubſiſtentia, ita vt illa ſubſiſtentia faciat id quod faceret illa negatio, ſicut à ſimili ſi non re-ſultaret punctum reale in linea, reſultaret adhuc negatio vlterioris extenſionis, ex quo fit, vt etiam ſi reſultet punctū reale, reſultet includendo intrinſecè illam negationē vlterioris extenſionis, ita vt ſe ipſo faciat lineam vlteriùs non extendi, vnde oritur illa negatio quam intrinſecè includit punctum, hanc verò negationem communicabilitatis cum alieno ſuppoſito, non includit ſubſiſtentia aliena, quia eſt extranea & extrinſeca. Hinc igitur eſt quòd poteſt humanitas perſonata à Verbo, perſonari à Patre, non autem perſonata perſonalitate propria perſo-nari à Verbo.

17. Secunda obiectio cōtra ſecundā cō cluſionem.

Obiicitvr ſecundò contra eandem ſecun-dam concluſionem; Natura diuina perſonata per paternitatem poteſt perſonari per filiationem, ergo humanitas perſonata propria perſonalitate poteſt perſonari à perſonalitate aliena: ſi qua enim eſſet repugnantia, quòd natura perſonata propria perſo-nalitate non poſſit perſonari ab aliena, ea eſt, quòd perſonalitas propria dat eſſe in ſe & per ſe, ſeu eſſe incommunicabile, quia ipſa eſt formaliter inſeitas & perſeitas.

Sed hæc repugnantia etiam militat in perſona-litatibus diuinis, perſonalitas enim diuina eſt pro-pria naturæ diuinæ, debet igitur dare diuinæ na-turæ eſſe per ſe, & in ſe, ſeu eſſe incommunicabile; quòd ſi ſuppoſitum diuinum hoc non præſtat na-turæ diuinæ, poteſt enim natura diuina perſonata perſona Patris perſonari adhuc ſpecificatiuè à per-ſona Filij; ergo neque eſt dicēdum, quòd humanitas perſonata à propria perſonalitate præſtet vt nō poſ-ſit ſaltē ſpecificatiuè perſonari à perſonalitate Verbi.

18. Prima ſolutio ad ſecūdam obiectionem. Henric.

Reſpondet primò ad hanc obiectionem Henri-cus quodlibeto 6. quæſt. 7. aſſignando diſparitatem, quia ſuppoſita diuina quamuis ſint diſtincta inter ſe, ſunt tamen identificata omnino à parte rei cum natura diuina, at verò ſuppoſitum creatum non identificatur cum humanitate.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, nam ſi ratio proprij ſuppoſiti facit naturam exiſtere naturam in-communicabiliter, nihil obſtat identificatio ſuppo-ſiti cum natura, quin ſuppoſitum tribuat hunc effe-ctum formalem incommunicabilitatis ipſi naturæ, nam ſuppoſitum dat naturæ hunc effectum forma-

A lem præbendo ſe ipſum, magis autem præbet ſe-ipſum per identificationem; quòd ſi ratio proprij ſuppoſiti non habet vt faciat exiſtere naturam in-communicabiliter, tunc ſiue ſit identificatū, ſiue di-ſtinctum à natura, nō poterit præbere hunc effectū.

Secundò reſpondet ad obiectionem Durandus in 1. q. 3. & Palud. in 3. d. 1. q. 3. ſuppoſitum abſolutum, cuiuſmodi eſt creatum, excludere omne aliud ſup-poſitum à natura: ſuppoſitum verò relatiuum, cuiuſ-modi eſt diuinum, admittere aliud relatiuum; Et ra-tio poteſt eſſe, quia ſuppoſitum abſolutum creatum terminat adæquatè naturam, non autem relatiuum increatum propter infinitatem naturæ. 19.

Secunda ſolutio ad eādem ſecundam obiectionem. Durand. Paludan.

Sed neque hæc reſponſio omnino ſoluit obie-ctionem factam, tantùm enim probat, quòd ſuppo-B ſitum creatum, quod eſt abſolutum, terminat adæ-quatè vnam naturam ſecundùm capacitatem na-turalem, non autē quòd ſecundùm potentiam obe-dientialē, ſecundùm quam natura eſt ſubdita diuino imperio, non poſſit perſonari à pluribus ſuppoſitis.

Tertia igitur & verior reſponſio eſt, ideo nōn repugnare naturam diuinam perſonari à tribus per-ſonis, quia omnes tres perſonæ dant naturæ diuinæ effectum formalem perſeitatis, & inſeitatis, & in-communicabilitatis cum alieno ſuppoſito; at verò ſi humanitas eſſet perſonata perſonalitate Verbi, retenta propria perſonalitate, haberet duos modos oppoſitos, nam quatenus eſt perſonata propria per-ſonalitate, eſt per ſe, & in ſe, & ſeorſim exiſtit ab C alieno ſuppoſito, hic enim eſt effectus formalis propriæ perſonalitatis, vt ſuprà probatum eſt; qua-tenus verò eſſet perſonata perſonalitate Verbi, eſſet in alio ſuppoſito. 20.

Tertia & verior ſolutio ad ſecūdam obiectionē.

Tertio obiicitur, nihil obſtat quòd humanitas retenta propria perſonalitate, perſonetur à Verbo, ſi quid enim obſtaret, illud eſſet quòd propria perſo-nalitas eſſet terminus adæquatus naturæ; ſed hoc nihil obſtat, nam poteſt eſſe terminus adæquatus ſecundùm potentiam naturalem, non tamen ſecun-dùm potentiam obedientialē, ſicut à ſimili potentia materiæ ſecundùm potētiam naturalem, non poteſt informari niſi vna forma totali; at verò per poten-tiam obedientialē poteſt informari pluribus formis. 21.

Tertia obiectio contra eaſ... ſecundā cōcluſionem.

D Reſpondetur, dupliciter poſſe intelligi, quòd propria perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia ſit terminus adæquatus naturæ.

Solutio tertiæ obiectionis.

Primus modus eſt quatenus propria ſubſiſtentia terminat naturam totaliter intenſiuè, & ſecundùm hunc modum poſſet fortè dici, vt obiicitur in argu-mento, quòd poteſt natura eleuari, & fieri ſecun-dùm potentiam obedientialem capax, vt poſſit ter-minari à pluribus ſuppoſitis; ſicut materia poteſt eleuari, & reddi ſecundùm potentiam obedientia-lem capax ad recipiendum plures formas.

Secundus modus eſt quòd propria perſonalitas ſit terminus adæquatus, quatenus terminat naturam totaliter extenſiuè, quia, vt dictum eſt ſuprà, pro-pria perſonalitas habet pro ſuo effectu formali E reddere naturam exiſtentem in ſe & per ſe ſeu ſeor-ſim ab alieno ſuppoſito; & iuxta hunc ſecundum modum non poteſt per potentiam Dei abſolutam eleuari natura, vt perſonetur ab alieno ſuppoſito, quia ſequeretur, quòd natura eſſet ſeorſim & non ſeorſim, quod implicat: Sequelam probauimus ſuprà in reſponſione tertia ad primam obiectionem.

Qværi poſſet hîc, ſi Deus corrumperet pro-priam ſubſiſtentiam humanitatis, & conſeruaret il-lam efficienter per nouum influxum, quod quidem fieri poſſe à Deo oſtendimus in prædicamento ſub-ſtantiæ, in diſputat. tertia de ſubſiſtentia, quæſt. ter-tia, 22. Quæſtio.

Digitized by Google

tia, an in hoc caſu poſſet illa humanitas conſeruata à Deo aſſumi à Verbo.

Aliqui negant, quia ſequeretur quòd eadem humanitas ſuſtentaretur à Deo, & ſimul à Verbo; repugnat autem eundem effectum dependere à duabus cauſis totalibus: alij verò affirmant.

Pro reſolutione huius quæſiti notandum eſt, quòd humanitas conſeruata à Deo ſine propria ſubſiſtentia, non eſt per ſe poſitiuè, ſicut eſt cùm habet propriam ſubſiſtentiam, ſed tantùm eſt negatiuè, vt oſtenſum eſt in Prædicamento Subſtantiæ, diſp. tertia, dicit autem duas negationes.

Prima negatio eſt vnionis cum perſonalitate propria, vel aliena, & hæc negatio eſt negatio primarij effectus ſubſiſtentiæ. Secunda negatio eſt negatio ſuſtentationis à proprio vel alieno ſuppoſito, quæ ſuſtentatio ſuppletur à Deo ſufficienter per nouum influxum, & hæc negatio eſt negatio ſecundarij effectus ſubſiſtentiæ. His poſitis reſpondeo ad quæſitum, & ſit

13. Tertia concluſio. TERTIA concluſio: Impoſſibile eſt humanitatem conſeruatam à Deo aſſumi poſſe à Verbo retenta prima negatione; Et ratio eſt, quia cùm aſſumitur à Verbo formaliter, excluditur ipſa prima negatio, ſicut excluderetur ſi perſonaretur à propria perſonalitate; aſſumi tamen poteſt humanitas cõſeruata à Deo, retenta poſteriori negatione, quę eſt negatio ſuſtentationis; nam poſſet perſonalitas Verbi terminare humanitatem faciendo vnum per ſe cum illa; & tamen non ſuſtentare, quia ſuſtentatio eſt ſecundarius effectus: quòd ſi teneatur eundem effectum poſſe per potentiam Dei abſolutam dependere à duabus cauſis totalibus, tunc poſſet dici quòd poſſet humanitas ſuſtentari à Deo efficienter, & etiã à Verbo.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm accidens poſſit aſſumi hypoſtaticè à perſona diuina.

1. Prima ſententia affirmans. Maior Gab. Almain. PRIMA ſententia tenet partem affirmatiuam. Eſt Maioris in 3. diſtinct. 2. quæſt. 3. & Gabr. d. 1. q. 2. art. 2. ad ſeptimum. Almain. d. 2. q. 2. loquuntur autem de accidente ſeparato à ſubiecto.

2. Secũda ſententia. Baſſ. Suar. SECVNDA ſententia negat. Eſt Baſſol. in 3. diſt. 2. quæſt. 1. art. 2. quam ſequitur Suarius in 3. par. diſp. 14. ſect. 4. & communiter recentiores.

Reſolutio quæſtionis. Sed videtur diſtinguendum, aut eſt ſermo de primario effectu perſonalitatis, vtrùm ſcilicet accidens poſſit terminari per ſe à perſonalitate diuina, componendo vnum per ſe cum illa, aut eſt ſermo de ſecundario effectu, vtrùm accidens poſſit ſuſtentari à perſonalitate diuina. Si ſermo eſt de primario effectu, ſit

Prima concluſio. PRIMA concluſio cum Baſſolo, Suario, & aliis recentioribus citatis pro ſecunda ſententia; Accidens non poſſe terminari perſonalitate diuina.

Probatur primò, quia non eſt capax ſubſiſtendi per ſe, non enim poteſt componere vnum ſubſtantialiter, & per ſe, cum perſonalitate diuina, quia componentia debent eſſe in eodem genere: at Accidens non eſt in eodem genere cum perſonalitate, quia illud eſt modus accidentalis, hæc ſubſtantialis.

Secundò probatur, Modus inhærendi nullo modo poteſt conuenire ſubſtantię, ergo nec modus exiſtendi per ſe, poteſt conuenire accidenti.

3. Obiectio. Quòd ſi obiicias, in ſanctiſſima Euchariſtia quantitas exiſtit per ſe ſine ſubiecto.

Prima ſolutio. Reſpondent aliqui recentiores, quantitatem exiſtere per ſe per modum accidentalem, cui videtur fauere S. Thomas in 4. diſt. 12. q. 1. a. 1. quæſtiuncula 3.

Sotus. Palud. S. Thom. Sed hæc reſponſio aliquibus non ſatisfacit; Citantur Sotus in quarto diſtinct. decima ar. ſecundo. Palud. diſtinct. 12. quæſt. ſecunda. citatur etiam S. Thomas 3. par. quæſt. 77. art. 9. nec oppoſitum dicit in 4. loco citato, quia vbi tantùm dicit, quòd quantitas conſeruata à Deo in Euchariſtia, eſt tantùm per ſe negatiuè, hoc eſt ſine ſubiecto, non autem per modum poſitiuum perſeitatis. Hanc etiam reſponſionem fusè impugnauimus in diſputatione philoſophica de accidenti ſeu inhærentia.

Impugnatur. Breuiter autem nunc impugnatur, Primò quia, ſi hic modus eſſet accidentalis, non poſſet carere ordine ad ſubiectum; non ergo videtur poſſe dari accidenti eſſe per ſe.

Quòd ſi dicas, materialiter eſſe accidentalem, formaliter tamen habere ſimilitudinem cum modo ſubſtantiali: Contra, ſi formaliter hic modus non eſt verè ſubſtantialis, ſed ſimilitudinariè, ergo non poteſt dare eſſe per ſe verè à parte rei accidenti: ſi verò non eſt ſimilitudinariè, ſed verè ſubſtantialis, tunc militat argumentum factum, quomodo poteſt dare accidenti eſſe per ſe, cùm ipſe modus petat connaturaliter eſſe in alio.

Secundò impugnatur, quia nullo modo modus eſſendi in alio poteſt competere ſubſtantiæ: ergo neque modus eſſendi per ſe poteſt competere accidenti.

Impugnatur tertiò, quia nihil ſubſtantiale eſt in ſpeciebus panis, vt communiter dicitur à Doctoribus, qui non ſe reſtringunt ad negandum eſſe in Euchariſtia tantùm indiuiduum ſubſtantiæ panis, ſed abſolutè negant eſſe aliquid ſubſtantiale.

4. Secunda & verior ſolutio. Reſpondetur igitur ſecundò cum Doctoribus citatis, Accidens ſeparatum in Euchariſtia conſeruari à Deo in genere cauſæ efficientis, ſeu à corpore Chriſti tanquam inſtrumento: Poteſt enim Deus ſupplere concurſum cauſæ materialis; conuenit enim concurſus materialis cum concurſu efficientis, quia vterque eſt per actionem ad extra, ſolùm differunt, vt patet ex dictis ſecundùm probabiliorem opinionem, quòd concurſus materialis in ratione agendi prærequirit vnionem cum effectu, quam non prærequirit efficiens vt ſic; quamuis enim potentia vitalis producat actum, ſeu habitum verè vnitum cum ipſa potentia, non tamen in ratione agendi prærequiritur illa vnio, vt prærequiritur in cauſa materiali: ſed hanc conditionem cauſæ materialis poteſt Deus tollere, quia oritur ex imperfectione cauſalitatis materialis, & ſupplere efficienter illum concurſum ad extra, in quo cauſa materialis conuenit cum efficiente.

Si verò ſermo eſt de ſecundario effectu perſonalitatis, ſit

SECVNDA concluſio cum Maiore, Gabriele, & aliis citatis pro prima ſententia, non poſſe accidens ſuſtentari à perſonalitate diuina: Ratio eſt, quia perſonalitas ex dictis ſuprà concurrit ad ſuſtentandum naturam per vnionem ſubſtantialem cum natura; ita vt priùs in aliquo ſigno ſecundùm diuerſum genus cauſandi intelligatur vnita ſubſtantialiter, & poſtea ſuſtentare terminatiuè ipſam naturam; & in hoc differt cauſalitas ſubſtantiæ à cauſalitate efficientis, ſicut paulò antè dicebamus de concurſu materiali; & quamuis ipſa ſuſtentatio prærequiratur ad terminandum per ſe, prærequiritur tamen in alio ſigno ſecundùm diuerſum genus cauſandi; & idem dicendum eſt, ſi ſubſiſtentia concurrat ad ſuſtentandum tanquam cauſa ſine qua non, quia etiam prærequi-

Digitized by Google

rit in aliquo ſigno illam vnionem ſubſtantialem cum natura: at non poteſt intercedere vnio ſubſtantialis inter naturam accidentalem, & perſonalitatem diuinam, quia natura accidentalis non eſt capax vnionis ſubſtantialis, vt dictum eſt; non enim A poteſt componere vnum per ſe cum perſonalitate, quia ſunt in diuerſo genere; non poteſt igitur accidens ſuſtentari à perſonalitate diuina, vt perſonalitas eſt, poſſet tamen ſuſtentari à Deo efficienter, ſed tunc non ſumus in caſu.

QVÆSTIO NONA THEOLOGICA CIRCA NONVM COROLLARIVM.

Primum ſcilicet ſit verum, quòd fuerint in humanitate Chriſti duæ vniones partiales, altera in anima, & altera in corpore, quæ per aliam tertiam vnionem indiuiſibilem totius naturæ humanæ vniebantur, &c.

De hac materia S. Doctor 3. part. quæſt. 5. art. 6. Scholaſtici in tertio diſtinct. 2.

1. Prima ſententia. Scotus. Durand. Medina.

CIRCA hanc quæſtionem eſt PRIMA B ſententia Scoti in 3. diſtinct. 2. q. 2. §. Ideo Durandi ibidem quæſt. etiam 2. num. 14. Barth. Medinæ 3. part. quæſt. 6. art. 5. aſſerentium non eſſe duas vniones, alteram in corpore, & alteram in anima Chriſti, ſed per vnicam & indiuiſibilem vnionem fuiſſe aſſumptam totam humanitatem ad hypoſtaſim Verbi.

Fundamentum.

Fundamentum huius opinionis eſt, quia in homine datur vna perſonalitas, per quam immediatè terminatur tota humanitas, & per eandem perſonalitatem indiuiſibilem terminatur mediatè corpus & anima, ergo etiam in humanitate debet dari vna tantùm vnio indiuiſibilis correſpondens vnicæ ſubſiſtentiæ creatæ.

Et confirmatur, quia materia non eſt capax perſonalitatis cùm non ſit intellectualis, danda eſt igitur vna perſonalitas totius; ſicut igitur in homine non ſunt partiales vniones, altera in corpore, & altera in anima, ita idem dicendum eſt in Chriſto, quia perſonalitas Verbi ſupplet perſonalitatem humanam; ſicut igitur in homine non ſunt duæ ſubſiſtentiæ, ita neque in Chriſto duæ vniones.

2. Secũda ſententia.

SECVNDA ſententia aſſerit dari duas vniones in Chriſto, alteram in corpore, & alteram in anima, & has vniones vniri ſine alia vnione ſuperaddita; ſed ſe ipſis ad faciendum vnum compoſitum ſubſtantiale, ſeu vnam perſonam. Eſt opinio Abulenſis paradoxo 2. cap. 24. & nonnullorum Recentiorum.

Primum argumentum.

Probari poteſt primò, quia vnio eſſentialis, per D quam fit vnum compoſitum eſſentiale, eſt ſufficiens ad hoc, vt illæ duæ vniones ſubſtantiales partiales, quarum altera eſt in corpore, altera in anima, ſe ipſis vniantur ad faciendum vnum compoſitum ſubſtantiale, vel perſonale.

Secundũ argumentum.

Secundò probari poteſt, quia illa vnio ſuperaddita non poteſt dari, quia deberet afficere intrinſecè vtramque partem, animam ſcilicet & corpus, vt ſtant ſub vnione partialium vnionum ipſarum partium in ordine ad perſonalitatem Verbi: ſed hoc eſt impoſſibile, quia tunc vna vnio indiuiſibiliter eſſet in duobus ſubiectis realiter diſtinctis, in anima ſcilicet, & corpore.

Tertium argumentum.

Tertiò, quia vel hæc tertia vnio eſſet diuiſibilis, vel indiuiſibilis: non diuiſibilis, quia recipitur in anima, quæ eſt ſpiritualis; nec indiuiſibilis, tum quia recipitur in corpore, quod eſt extenſum, tum quia ſecundò ſi eſſet indiuiſibilis, ſequeretur, quòd cùm in Chriſto corrumpebatur aliqua pars carnis, tota vnio corrumpebatur, quod eſt abſurdum: Et præterea quòd in nutritione vel deberet addi noua vnio reſpiciens partem, quæ de nouo aggeneratur, & ſic hæc vnio non eſt indiuiſibilis, vt ſupponitur, vel deberet corrumpi tota prior vnio, & produci alia perfectior, quod videtur abſurdum, præſertim in Chriſto, quia infinities corrumperentur & producerentur vniones hypoſtaticæ ad Verbum.

C Reſolutio huius Quæſtionis pendet ex quarta diſputatione philoſophica quæſt. quarta, vbi ex profeſſo agitauimus quæſtionem, An vnio ſit vna vel multiplex. Ex illo autem principio, quod fuſiùs ibi probauimus, colligenda ſunt hîc breuiter quæ faciunt ad propoſitum huius Quæſtionis.

PRIMA concluſio, Non poteſt eſſe vnica vnio in vna tantùm parte, in corpore nimirum, vel in anima. 3. Prima concluſio.

Ratio eſt manifeſta, quia tam anima, quàm corpus in ordine ad ſubſiſtentiam ſe habet vt potentia ad actum; non poteſt igitur anima per eandem vnionem quæ eſt in corpore, vniri cum ſubſiſtentia, nec è conuerſo, quia iſtæ partes ſunt realiter diſtinctæ.

Quòd ſi dicas, dictum eſt ſuprà ſæpius quòd in compoſito ſubſtantiali ſufficit vnica vnio in materia, ad hoc vt vniatur formæ, ergo etiam in caſu quæſtionis. 4

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam quando materia vnitur animæ, vnitur tanquam potentia actui; atque adeò cùm vnio ſit eſſentialiter nexus duorum extremorum, non poteſt concipi materia, tanquam vnum extremum potentiale, vnita animæ, quin etiam intelligatur quòd anima tanquam aliud extremum vt actus non ſit vnita materiæ.

At verò in caſu quæſtionis anima & corpus ſunt tanquam vnum extremum vt potentia, quæ vniuntur perſonalitati Verbi tanquam alteri extremo, quod

Digitized by Google

quod ſe habet vt actus: non poteſt igitur vnio, quæ eſt in vna parte tantùm, verbi gratia, in corpore, vnire animam, quia non dicit ordinem ad animam; non enim eſt nexus corporis cum anima, ſed vtriuſque cum perſonalitate: quare argumentum probat non requiri vnionem in ipſa perſonalitate; non autem probat non requiri duas vniones partiales, alteram in anima, alteram in corpore, tanquam in duabus partibus realiter diſtinctis, facientibus vnum extremum adæquatum. Quare ex dictis ſequitur, quòd debet eſſe in Chriſto vel vna vnio afficiens vtramque partem, animam, ſcilicet, & corpus, vel duæ vniones, altera in anima, in corpore altera: quarum autem iſtarum fuerit mox videbimus.

5. Secūda conclusio. SECVNDA concluſio. Non repugnat, neque eſt improbabile, dari in Chriſto vnam vnionem afficientem intrinſecè vtramque partem, animam ſcilicet, & corpus, in ordine ad perſonalitatem Verbi.

Probatur primò, nam vnio eſt nexus duorum extremorum, ergo eadem vnio debet afficere immediatè & intrinſecè vtrumque extremum: & præterea in Chriſto in illo triduo erat vnio animæ cum perſonalitate Verbi, & corporis cum eadem perſonalitate, non tamen erat vnio humanitatis cum Verbo, quia non erat hæc vnio afficiens immediatè & intrinſecè animam & corpus. Dicendum eſt igitur, quòd in Chriſto viuente erat hæc vnica vnio afficiens vtramque partem, & quòd in morte diſſoluta fuit hæc vnio, & quòd fuerint productæ duæ vniones, altera in corpore, altera in anima.

Quòd ſi obiiciatur, quòd Verbum nunquam dimiſit quod aſſumpſit. Reſpondetur, intelligi de partibus præcipuis, non autem de modis cuiuſmodi eſt vnio: Immò ſi teneretur alia opinio, quòd fuerint, duæ vniones, altera in anima, altera in corpore, adhuc danda eſt alia vnio, quæ vniat has duas vniones, quæ tamen in morte Chriſti fuit diſſoluta.

6. Quòd verò non repugnet vnionem afficere poſſe immediatè, & intrinſecè vtramque partem, animam nimirum, & corpus, probatur, quia nulla repugnantia eſt ex eo, quia hæc vnio eſſet intrinſecè in corpore, & in anima tanquam in duobus ſubiectis realiter diſtinctis; hoc enim nihil obſtat, quia vtrumque ſubiectum eſt tanquam vnum adæquatum, ſicut punctum continuatiuum ſubiectatur in duabus partibus lineæ.

Nec eſt repugnantia ex eo, quia hæc vnio neque poteſt eſſe indiuiſibilis, neque diuiſibilis: non indiuiſibilis, quia ſubiectari debet in corpore, quod eſt diuiſibile: neque poteſt dici quòd ſit diuiſibilis, quia ſubiectari debet in anima, quæ eſt indiuiſibilis, & ſpiritualis; non (inquam) hoc obſtat, quia ſi dicatur eſſe indiuiſibilis, nihil obſtat, quin ſubiectari poſſit in corpore tota in toto, & tota in qualibet parte, ſicut anima rationalis eodem modo recipitur in corpore, quamuis non dependeat à corpore in ſuſtentari.

Neque obſtat ſi dicatur, hanc vnionem eſſe diuiſibilem, & ſubiectari in anima ſpirituali: neque enim inde ſequitur quòd impartiatur extenſionem ipſi animæ; nam extenſio ſe habet per accidens ad vnionem, & propterea ſufficit quòd vnio informet animam ſecundùm primarium effectum, quod eſt vnire, non autem quòd informet ſecundùm extenſionem: Neque hoc eſt abſurdum in Philoſophia, nam Thomiſtæ tenent accidentia naturalia ſubiectari in toto compoſito, non ſolùm denominatiuè, ſed etiam inhæſiuè, atque adeò partialiter in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis; & multi Theologi tenent, Vbi, per quod Angelus ponitur diuiſibiliter in

A loco diuiſibili, eſſe extenſum, & ſubiectari in ipſo Angelo: Vide fuſiùs quæ circa hæc diximus in primo principio Philoſophico, in diſput. quarta in 6. quæſtione.

7. Tertia cōclusio. TERTIA concluſio contra primam ſententiam. Probabilius dicitur eſſe duas vniones in Chriſto, alteram in corpore, alteram in anima. Hæc eſt ſententia Caietani in 3. part. quæſt. 6. art. 5. in fine, vbi dicit Verbum aſſumpſiſſe animam & corpus prius natura in ſe ipſis; & clariùs Capr. in 2. diſt. 15. q. 1. art. 3. ad argumenta 2. loco adducta contra 3. concl. verſ. ad aliud: & colligitur ex S. Thoma 3. par. quæſt. 50. art. 3. Caiet. Capreol. S.Thom.

ET ratio Caietani eſt fundamentalis, quia corpus & anima Chriſti manſerunt vnita tempore B mortis, & quidem non per vnicam vnionem ſuperadditam afficientem immediatè vtramque partem, quia hæc fuit diſſoluta tempore mortis, ergo per duas vniones, & quidem non de nouo productas, ergo per illas, quæ fuerunt priùs. Quòd verò de nouo tempore mortis anima & corpus non fuerint aſſumpta ad hypoſtaſim Verbi, ſolet ab aliquibus probari, quia in homine ſunt duæ ſubſiſtentiæ partiales, altera in anima, altera in corpore; ergo in Chriſto erant duæ vniones reſpondentes illis duabus ſubſiſtentiis partialibus.

Sed hæc ratio non militat in noſtra ſententia; oſtendimus enim in diſputat. tertia Philoſophica, quæſt. ſexta vnicam tantùm eſſe ſubſiſtentiam in compoſito: Nec obſtat Cyrillus Alexandrinus in C epiſt. ad Ægypti Monachos, vbi dicit quòd quia anima eſt à corpore diuerſa, propria ratione ſubſiſtit, hoc enim verum eſt, quia anima ſubſiſtit vt actus, & corpus vt potentia, quamuis per eandem ſubſiſtentiam indiuiſibilem, vt ibidem probauimus. S.Cyril.Ale.

Probatur igitur ex Patribus, præſertim ex Leone ſerm. 17. de Paſſione, qui dicit tantam fuiſſe vnitatem naturæ diuinæ cum humana, vt neque ſupplicio, neque morte potuerit dirimi, atque diſiungi: quod quidem non poteſt intelligi de vnione, qua humanitas fuit vnita Verbo; Conſtat enim, & eſt de fide, humanitatem in triduo ſeparatam fuiſſe à Verbo, ergo intelligendum eſt de vnione partium naturæ humanæ, quæ in illo triduo remanſerunt vnitæ cum Verbo, & per illam vnionem per quam D priùs erant vnitæ Verbo, vt patet ex loco allegato. Eſt etiam hæc ſententia S.Thomæ 3. part. quæſt. 50. art. 3. vbi dicit Verbum non aſſumpſiſſe de nouo humanitatis partes quaſi illas aliquando reliquerit, ſed aſſumpſiſſe de nouo humanitatem. S.Leo.

DVBIVM tamen eſt, An præter has duas vniones requiratur alia vnio, quæ vniat cum perſonalitate Verbi has duas vniones diſtinctas inter ſe. Circa quod ſit

QVARTA concluſio contra ſecundam ſententiam, cum Capreolo in 2. diſt. 11. loco citato, & Caietano 3. par. quæſt. 6. art. 5. §. ad alia dubia, & Suario 3. par. in 3. ædit. diſp. 17. ſect. 5. præter illas duas vniones ſubſtantiales, quarum vna eſt in aniE ma, & altera in corpore, in ordine ad perſonalitatem Verbi, dandam eſſe tertiam vnionem, quæ vniat has duas vniones in ordine ad perſonalitatem Verbi. Hanc exiſtimo eſſe ſententiam S.Thomæ 3. par. quæſt. 50. art. 3. vbi poſtquam dixerat remanſiſſe in corpore, & in anima vniones ſubſtantiales, ſubdit (denuo in reſurrectione fuiſſe aſſumptam humanitatem) & citat S. Athanaſium. 8. Capr. Caiet. Suar. S.Thom.

Probatur, quia illæ duæ vniones in corpore & in anima cum perſonalitate Verbi remanſerunt in triduo illo mortis, & tamen non erat vnita humanitas

Digitized by Google

partiales, altera in corpore, & altera in anima in ordine ad perſonalitatem Verbi.

Et ad confirmationem, cùm dicitur quòd materia non eſt capax perſonalitatis, quia non eſt intellectualis, reſpondent quòd ſufficit, vt in materia ſit partialis ſubſiſtentia, quæ ſimul cum alia ſubſiſtentia partiali animæ, quæ eſt intellectualis, componant vnam ſubſiſtentiam totalem, quæ dicitur perſonalitas quatenus connotat naturam intellectiuam reſpectu formæ, quæ eſt anima rationalis.

Sed in doctrina noſtra, quam fusè tradidimus in tertia diſputatione philoſophica quæſtione ſexta admittendum eſt antecedens, dari, ſcilicet, vnam ſubſiſtentiam ſimplicem & indiuiſibilem in homine; ſed neganda eſt conſequentia, quòd, ſcilicet, in humanitate Chriſti debeat dari tantùm vnica vnio indiuiſibilis correſpondens vnicæ ſubſiſtentiæ creatæ; Et ratio negationis eſt, quia ſubſiſtentia ex intrinſeco ſuo conceptu dicit inſeitatem non ſolùm vt quo, quatenus facit naturam eſſe in ſe, ſed etiam vt quod, quia etiam ipſa per ſe ipſam eſt in ſe, ſicut quantitas non ſolùm vt quo, ſed etiam vt quod, ſe ipſa eſt extenſa, & ideo ibidem oſtendimus quòd non poſſunt dari duæ ſubſiſtentiæ partiales, quæ vniantur ad inuicem, quia haberent aliquo modo eſſe, In, quod repugnat inſeitati: at verò non repugnat, quòd duæ vniones in Chriſto vniantur per tertiam vnionem; nam de conceptu vnionis non eſt eſſe in ſe: Adde quòd etiam in homine fortè ſunt duæ vniones ſubſtantiales, altera in anima, & altera in corpore, per quas vniuntur cum ſubſiſtentia, quam ſupponimus eſſe entitatem realiter diſtinctam à natura, vt probauimus in eadem tertia diſputatione philoſophica.

14. Reſpõſio ad argumenta ſecũdæ ſententiæ cõtra quartã concluſionem.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt contra quartam noſtram concluſionem.

Ad primum & ſecundum.

Ad primum patet ex dictis in eadem concluſione.

Ad ſecundum patet ex his, quæ diximus in ſecunda concluſione, non repugnare, ſcilicet eandem indiuiſibilem vnionem, per quam tota humanitas vnitur perſonalitati Verbi ſubiectari inadæquatè in anima, vt ſtat ſub ſua vnione partiali, & inadæquatè in corpore, vt ſtat ſub ſua partiali vnione; ſubiectari verò in toto, tanquam in vno ſubiecto adæquato, ſicut punctum continuatiuum ſubiectatur in duabus partibus lineæ realiter diſtinctis.

15. Ad tertium.

Ad tertium reſpondetur, quòd hæc tertia vnio, qua vnitur tota humanitas Verbo, non repugnat quòd ſit diuiſibilis, vt oſtendimus in ſecunda concluſione.

Probabilius tamen exiſtimo eſſe indiuiſibilem.

Nec obſtat quòd primò obiicitur quòd non poſſit ſubiectari in corpore; non obſtat (inquam) quia A poteſt hæc vnio eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte.

Nec obſtat quòd obiicitur ſecundò, hinc ſcilicet, ſequi, quòd cùm in Chriſto corrumpebatur aliqua pars carnis, corrumpebatur tota vnio, & quòd præterea in nutritione vel debuiſſet addi noua vnio, quæ vniret partem carnis de nouo aduenientem, & ſic prior non erat indiuiſibilis, vel corrumpi prior & de nouo produci alia, quod videtur abſurdum præſertim in Chriſto, vt tot vniones producantur & corrumpantur. 16.

Reſpondetur ad hanc replicam ex his, quæ diximus in quarta diſputatione philoſophica, primò poſſe dici quòd in vtroque caſu corrumpitur prior B vnio, & producitur alia de nouo à Deo: ſed quia hæc reſponſio videtur inuoluere abſurdum quòd continuò infinities deperdantur, & producantur nouæ vniones in nutritione, ideo

Secundò poteſt reſponderi, quòd ſit vna vnio indiuiſibilis & ſimplex, æquiualens pluribus partibus gradualibus diuerſæ rationis in ordine ad diuerſas partes materiæ: Quare cùm producitur noua pars carnis, tunc illa vnio ſecundùm illam partem gradualem, quam habebat in ſe virtute, reſpicit illam partem carnis de nouo aduenientem, & vnit illam cum aliis partibus; Cùm verò corrumpitur aliqua pars carnis, tunc non opus eſt, vt corrumpatur vnio, ſed ſufficit quòd deſinat informare illam partem.

C Sed hæc reſponſio habet illam difficultatem, quòd iam vnio ſit eſſentialiter nexus, ſeu quòd ratio formalis vniendi, conſiſtit in exercitio vniendi; vnit igitur actu omnes partes, quas reſpicit: non poteſt igitur reſpicere actu ſecundùm ſuam rationem formalem partem carnis corruptam, & non illam vnire, neque partem carnis, quæ de nouo eſt addenda per nutritionem, & illam actu non vnire: & tamen ſecundùm hanc reſponſionem dicendum eſſet, quòd quia vnio virtute continet plures partes graduales, quòd ſecundùm vnam partem gradualem virtualem reſpiciat partem carnis corruptam, & actu non vniat, & ſecundùm aliam partem gradualem virtualem reſpiciat partem carnis, quæ de nouo eſt aggeneranda, & tamen non vniat.

D Reſpondetur igitur quòd hæc vnio eſt indiuiſibilis in partes extenſas, eſt autem diuiſibilis in partes graduales & heterogeneas; quare cùm fiunt nouæ partes viuentis per nutritionem, tunc producuntur nouæ partes graduales reſpicientes nouas partes viuentis; cùm verò corrumpuntur aliæ partes viuentis, tunc etiam corrumpuntur partes graduales vnionis reſpicientes illas partes viuentis, vt dictum eſt in ſexta quæſtione philoſophica in quarta diſputatione.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMA THEOLOGICA CIRCA DECIMVM COROLLARIVM.

Vtrùm ſententia noni Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet humanitas Chriſti intrinſecè exiſtat per exiſtentiam propriam creatam, & non potuerit exiſtere per exiſtentiam increatam Verbi.

1. *Prima ſententia.*

CIRCA hanc quæſtionem PRIMA ſententia tenet, non ſolùm de facto, ſed nec de poſſibili humanitatem Chriſti poſſe exiſtere exiſtentia diuina; Eſt Scoti, Durandi, Gabr. Bonauent. in 3. diſtinct. 5. Alberti ibidem diſt. 6. & Eru. diſtin. 9. & Palud. ibidem quæſt. 3. vbi probat hanc opinionem eſſe S.Thom. hanc etiam ſequitur Suarius in 3. part. diſp. 36. ſect. prima, aliique recentiores. *(Durand. Gabr. Bonauent. Albert. Paludan. S.Thom.)*

Fundamentum primæ ſententiæ. Fundamentum huius opinionis eſt, quia exiſtimant iſti auctores, (vt latè dictum eſt in prædicamento de ſubſtantia diſputatione prima quæſtione prima, quòd eſſentiæ rerum non habeant eſſe actuale reale quidditatiuum, antequam exiſtant, ſed tantùm habere eſſe in potentia cauſæ, & ſecundùm hoc eſſe verificari propoſitiones ab æterno, quòd ſcilicet homo ſit animal rationale, &c. Quare dicunt, quòd cùm producitur homo, producitur ſecundùm eſſe actuale reale etiam eſſentiæ, quam actualitatem habet eſſentia per ipſam exiſtentiam tanquam per rationem conſtitutiuam entitatis actualis, quia per exiſtentiam intrinſecè, & formaliter conſtituitur eſſentia extra nihil; nam cùm eſſentia non habeat eſſe, niſi in potentia cauſæ, tunc eſt extra nihil, cùm eſt extra cauſas: cùm autem eſt extra cauſas, hoc ipſo intelligitur actu exiſtens.

Ex quo vlteriùs deducunt, non poſſe exiſtentiam diſtingui à parte rei ab ipſa eſſentia, vt retulimus in ſecunda quæſtione philoſophica, quia non eſt modus, inquiunt, ſuperadditus eſſentiæ tanquam actualitati diſtinctæ: ſed formaliter facit illam eſſe actualem entitatem; non poteſt igitur concipi entitas actualis, vt ſic, quin in illa intrinſecè includatur non ſolùm habitudo ad exiſtentiam, ſed ipſa exiſtentia: Et ex hoc fundamento concludunt conſequenter humanitatem Chriſti non poſſe exiſtere per exiſtentiam Verbi, quia non poteſt formaliter, & intrinſecè conſtitui in eſſe entitatis actualis per exiſtentiam diuinam; non enim poteſt exiſtentia diuina omnino identificari à parte rei cum eſſentia creata.

Et confirmatur, quia humanitas Chriſti ante aſſumptionem ſupponitur ordine naturæ, vt actualis entitas, ergo per propriam exiſtentiam. Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens probatur ex Conciliis, quæ dicunt in Chriſto eſſe compoſitionem vnius perſonæ ex duabus naturis realibus, & actualibus, & ex S.Tho. 3. par. quæſt. 6. ar. 4. ad tertium, vbi dicit humanitatem priùs natura eſſe ens, quàm ſit Verbo formaliter vnita. Et probatur ratione, quia eſſe ordine naturæ priùs eſt, quàm vniri, quando vnio recipitur in forma, quæ vnitur, ſicut eſt in caſu noſtro, quia vnio recipitur in humanitate, & non in ſuppoſito diuino, quod non eſt ſimile de forma accidentali, quæ non priùs natura eſt, quàm inſit, nam vnio, & mutatio non eſt in ipſa forma accidentali, ſed in ſubiecto. *(S.Thom.)*

Afferuntur pro hac opinione multi Patres, ſed illi loquuntur de facto, vt dicemus in ſecunda noſtra concluſione.

SECVNDA ſententia tenet, humanitatem Chriſti non exiſtere exiſtentia propria creata, ſed de facto aſſumptam eſſe ad exiſtendum per ipſam exiſtentiam diuinam. Eſt Henrici quodlibeto 3. q. 2. & inter Thomiſtas eam tenet Capreolus in 3. diſtin. 6. Caiet. 3. part. quæſt. 17. art. 2. Ferrar. 4. contra Gentes cap. 35. & 41. & hanc opinionem exiſtimant eſſe S.Thomæ 3. par. quæſt. 7. art. 2. vbi dicit, ſecundùm humanam naturam non aduenire Filio Dei nouum eſſe, ſed ſolùm habitudinem eſſe præexiſtentis Verbi ad naturam humanam. 2. *(Secũda ſententia. Henric. Capreol. Caietan. Ferrar. S.Thom.)*

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ex parte humanitatis poteſt ſeparari exiſtentia ab eſſentia, quia diſtinguuntur realiter: ex parte verò Dei nihil obſtat, quòd exiſtentia diuina poſſit ſupplere exiſtentiam creatam, quia eſt infinita, & eminenter continet illam, ſicut ſubſiſtentia increata poteſt ſupplere ſubſiſtentiam creatam. *(Fundamentum ſecũdæ ſententiæ.)*

Quòd ſi poteſt ſupplere, dicendum eſt, inquit, quòd de facto ſuppleuerit, primò, quia non poteſt ſeparari exiſtentia creata à ſubſiſtentia, quia vel ſunt omnino idem, vel ſaltem ſubſiſtentia eſt modus intrinſecus eſſentiæ; ſi igitur in humanitate non eſt ſubſiſtentia propria, neque erit exiſtentia. Secundò, quia alioqui vnio humanitatis ad Verbum eſſet accidentalis, quia non traheretur humanitas ad vnum eſſe, ſed in Chriſto eſſent duo eſſe, humanum, & diuinum non ſubordinata. Tertiò huic opinioni fauent Patres, Sophronius in ſexta ſynodo act. 11. Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 22.

PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Non repugnat humanitatem Chriſti potuiſſe carere propria exiſtentia creata, & aſſumi ad exiſtendum exiſtentia diuina vt dicebamus in ſecunda parte corollarij.

Primũ ſuppoſitum. Suppono hîc ex prædicamento relationis coroll. 7. perſonas diuinas non habere proprias exiſtentias relatiuas, ſed exiſtere vnica exiſtentia abſoluta & communi tribus: quo ſuppoſito faciliùs probatur concluſio, quia hoc eſſe eſt infinitum ſimpliciter, cuiuſmodi non eſſet eſſe relatiuum, quamuis nulla etiam appareret repugnãtia, ſi dicatur humanitatem potuiſſe aſſumi ad eſſe relatiuum Verbi, quia tale eſſe

Digitized by Google

eſſe eſſet infinitum in ſuo genere.

4. Secundum ſuppoſitum.

Secundò ſuppono, humanitatem habere exiſtentiam à ſe diſtinctam à parte rei; Probatio huius ſecundi ſuppoſiti pendet ex illo principio Philoſophico, penitus oppoſito fundamento primæ ſententiæ, quod quidem principium fusè oſtendimus in prima diſputatione Philoſophica, quæſtione prima, eſſentias, ſcilicet, rerum habere ſuum eſſe actuale, reale, intrinſecum eſſentiæ ab æterno, quam opinionem diximus eſſe probabilem cum Capreolo in dicta diſputatione Philoſophica, & illam tenet Henricus in ſumma art. 2. quæſt. 13. & quodlib. 8. quæſt. 1. Ægidius in opuſc. de ente & eſſentia capite 11. & S. Thomas in 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. art. 1. & quodlib. 8. & breuiter hîc eſt probanda, quia hinc pendet veritas ſecundi ſuppoſiti, probatur autem tali pacto.

Ante creationem ideo humanitas poterat creari, quia intrinſecè habet hoc eſſe actuale.

Quòd ſi dicas, poterat creari, quia habet eſſe in potentia cauſæ, vt dicebat prima ſententia. Contrà peto, quare chimæra non poteſt creari? Non poteſt dici quòd hoc proueniat ex impoſſibilitate cauſæ, quia cauſa ſupponitur infinita; prouenit igitur quia chimæra habet intrinſecè impoſſibilitatem terminorum: ſicut igitur negatio eſt cauſa negationis, ita dicendum eſt quòd affirmatio eſt cauſa affirmationis: quare ſi propter incompoſſibilitatem terminorum chimæra non poteſt eſſe in potentia cauſæ infinitæ, ſequitur quòd humanitas erit in potentia cauſæ infinitæ propter poſſibilitatem terminorum intrinſecam; Quare hæc præſupponitur intrinſecè in eſſentia antequam ſupponatur in potentia cauſæ, quia eſt ratio, quare ſit in potentia cauſæ: hæc autem compoſſibilitas terminorum cùm ſit quædam vnio, debet fundari in aliquo eſſe actuali reali ipſius eſſentiæ, & non in eſſe potentiali, quia debet præcedere, vt dictum eſt.

Sed obiicies, (& eſt præcipuum fundamentum aduerſariorum) quòd ipſa exiſtentia habet rationem eſſentiæ, & quidditatis, ergo etiam eſt ab æterno.

Quòd ſi reſpondeas, quòd exiſtentia ſecundùm eſſe quidditatiuum eſt ab æterno, ſed non ſecundùm exercitium; Adhuc inſtatur, quia illud exercitium habet eſſe quidditatiuum, ergo habet eſſe ab æterno.

Quòd ſi dicas in ipſo exercitio concipi quidditatem, & rationem etiam exercitij in actu. Contrà adhuc inſtatur, quia illa ratio eſt à parte rei; ergo adhuc in illa poteſt cócipi ratio quidditatiua diſtincta à ratione exercitij; atque adeò poteſt fieri idem argumentum, & ſic in infinitum.

5. Quare reſpondetur ad hanc inſtantiam, quòd non opus eſt, vt exiſtentia, cuius ratio formalis conſiſtit in ipſo exercitio actuali, habeat eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, ſicut habent cæteræ eſſentiæ. Et ratio diuerſitatis eſt, quia ceſſat illa ratio, quam attulimus ad probandum eſſentias rerum habere eſſe actuale ab æterno, & non in potentia cauſæ, quia eſſentia includit intrinſecam poſſibilitatem terminorum; hæc autem debet fundari in eſſe actuali eſſentiæ, non enim poteſt fundari in eſſe quod eſt in potentia cauſæ, quia præcedit illud: at verò ceſſat hæc ratio, vt dixi, in ipſa exiſtentia; nam poteſt dici quòd exiſtentia eſt in potentia cauſæ. Et cùm quæritur ratio quare eſt in potentia cauſæ, reſponderi poteſt, quia datur eſſentia ſecundùm eſſe actuale eſſentiæ, cui non repugnat quòd illi ad- A ueniat exiſtentia, tanquam modus ipſius eſſentiæ.

Sed multa alia poſſent dici, quæ fuſiùs vide in dicta 1. diſput. Philoſophica, quæſt. prima. Et ex hoc principio deduximus vlterius veritatem ſecundi ſuppoſiti, quam latiùs oſtendimus in ſecunda diſputat. Philoſophica, quòd ſcilicet exiſtentia quæ aduenit de nouo eſſentiæ, non ſit identificata cum ipſa eſſentia, ſed à parte rei diſtincta, quia non dat illi eſſe actuale eſſentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ: Quare exiſtentia erit modus extrinſecus eſſentiæ faciens eſſentiam extra cauſas, ſecundùm eſſe exiſtentiale; Et hæc eſt doctrina S. Thomæ, & communis Thomiſtarum, qui communiter aſſerunt exi- S. Thom. B ſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, quod ſaltem intelligi debet ex natura rei & formaliter, tanquam modum extrinſecum à re cuius eſt modus.

Ex quo principio benè inferunt Thomiſtæ, vt Caietanus, Capr. & Ferrar. relati ſuprà in ſecunda ſententia ſaltem de poſſibili, potuiſſe humanitatem Chriſti carere propria exiſtentia, & aſſumi ad exiſtentiam Verbi cum S. Thoma 3. par. q. 6. art. 4. ad 3. Non conſentio autem cum iſtis Doctoribus, quatenus dicant ſic fuiſſe de facto: neque hoc dixit S. Thomas locis citatis, vt mox infrà oſtendam in ſecunda concluſione. 6. Caiet. Capr. Ferrar.

Quòd ſi obiicias contra hac concluſionem, ad hoc vt humanitas aſſumi poſſit ad exiſtentiam Verbi, neceſſe eſt, vt intercedat vnio per quam vniatur cum illa exiſtentia Verbi diſtincta realiter ab humanitate: ſed hoc eſt impoſſibile, quia non poteſt ſubiectari in Verbo, quia diceret imperfectionem, debet igitur ſubiectari in humanitate: at in humanitate ſubiectari non poteſt, quia non præſupponitur exiſtens, exiſtentia autem naturæ eſt prima actualitas. 7. Inſtantia. C

Reſpondetur, quòd in vno genere cauſæ vnio eſt prior exiſtentia, & in alio prior eſt exiſtentia ipſa vnione; priùs enim intelligitur humanitas vniri quàm exiſtere in genere cauſæ quaſi formalis; priùs autem exiſtere in genere cauſæ quaſi materialis, quia exiſtentia naturæ eſt fundamentum, in quo D fundantur omnia alia, quæ adueniunt de nouo ipſi naturæ. Et per hæc patet ad argumenta primæ ſententiæ. Solutio.

8. Secunda concluſio, De facto humanitas Chriſti exiſtit exiſtentia propria creata, & non exiſtentia diuina ſiue abſoluta, ſiue relatiua Verbi, & in hoc conuenio cum Erueo, Paludano, Scoto, Durando, Bonauentura, Alberto, & Gabriele ſuprà citatis in ſecunda opinione; quamuis iſti Doctores negent etiam de poſſibili, quibus non aſſentior, vt dixi in prima concluſione. Hanc noſtram concluſionem exiſtimo eſſe S. Thomæ 3. p. q. 4. art. 2. & 3. & clariùs quæſt. 6. art. 4. ad 3. vbi dicit quòd humanitas priùs natura eſt ens quàm ſit Verbo perſonaliter vnita. E Nec obſtat S. Thom. 3. part quæſt. 17. art. 2. vbi dicit in Deo eſſe tantùm vnum eſſe, nam ibi non intelligit de vno eſſe exiſtentiæ præcisè, quia hæc ſunt duo, alterum humanitatis, alterum deitatis, ſed de vno eſſe per ſe ſeu perſonali, ad quod terminantur illa duo eſſe exiſtentiæ. Eru. Palud. Scot. Dur. Bonau. Alb. Gabriel. S. Thom. S. Thom.

Quòd ſi dicas, non poteſt dici quòd in Chriſto duæ naturæ ſint vna, ergo neque quòd duo eſſe ſint vnum eſſe. Reſpondetur, propter hoc argumentum Durandus & Scotus, in 3. diſt. 6. quæſt. 2. tenent eſſe dicendum in Chriſto, quòd ſint duo eſſe; tamen reſpondetur quòd eſt diſpar ratio, quia duæ naturæ non vniuntur in vnam: & illa duo eſſe exiſtentiæ termi-

Digitized by Google

terminantur, & vniuntur per vnum eſſe perſonale, vt latiùs, & bene diſputat noſter Suarius in 3. part. diſp. 36. ſect. 2.

Suar.

9. Prima probatio. Primò probatur, quia ſi ſupponetur, vt ſuprà oſtendimus, Verbum non exiſtere exiſtentia propria relatiua, ſed exiſtentia abſoluta communi tribus, facilè probatur ex Conciliis hæc ſecunda concluſio; nam in Concilio Toletano XI. in conf. fid. dicitur Verbum non ſuſcepiſſe humanitatem in aliquod, quod ſit commune Trinitati; ſed ſolùm in eo quod eſt proprium Filij, & in VI. Synodo, act. 8. dicitur quòd Pater & Spiritus ſanctus non communicant in aſſumptione humanitatis, niſi ſecundùm benigniſſimam voluntatem efficiendo, ſcilicet, vnionem: Sed ſi humanitas aſſumpta fuiſſet ad exiſtentiam diuinam, in hac aſſumptione non ſolùm communicaſſent Pater, & Spiritus ſanctus efficiẽter, ſed etiam formaliter, quia formaliter communicaſſent exiſtentiam.

Toletan.

10. Secũda probatio. Secũdò probatur, quia ſi hæc vnio facta eſt in exiſtentia, quæ ſupponitur eſſe abſoluta, facta eſt etiam in natura, quod tamen negant Concilia citata, & Patres, quæ nunquam dixerunt hanc vnionem eſſe eſſentiæ cum exiſtentia, ſed naturæ cum ſuppoſito. Omitto alias rationes, quia probant non ſolùm de facto, ſed nec etiam de poſſibili potuiſſe humanitatem Chriſti aſſumi ad exiſtentiam Verbi. Cuius oppoſitum oſtendimus in prima concluſione.

11. Reſponſio ad argumẽta ſecundæ ſententiæ. Ad argumenta autem ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt contra hanc ſecundam concluſionem, reſpondetur.

Ad primum. Ad primum, concedendo Antecedens, quòd ſcilicet humanitas potuiſſet aſſumi ad exiſtentiam Verbi; negatur tamen conſequentia, quòd de facto fuerit aſſumpta; Et ad primam probationem reſpondetur negando quòd in creaturis ſubſiſtentia non poſſit ſeparari ab exiſtentia: & ratio negationis eſt, quia eſt modus extrinſecus, & multò magis in noſtra ſententia, tenuimus enim in tertia diſputatione Philoſophica, cum Caietano, & aliis ſubſiſtentiam diſtingui ab exiſtentia realiter.

12. Ad ſecund. Ad ſecundum reſpondetur, quòd quamuis exiſtentiæ ſint duæ in Chriſto non ad inuicem ſubordinatæ, ſufficit tamen ad hoc, vt dicatur in Chriſto eſſe vnum eſſe, vt eſſe ſubſiſtentiæ ſit vnum de facto, eſt enim vnio ſubſtantialis in ſuppoſito, & hoc voluit S. Thom. cùm dixit in Chriſto eſſe tantùm vnum eſſe, quia illa duo eſſe ſecundùm duas exiſtentias ſunt vnum eſſe per ſe.

Quòd ſi inſtes, ex hoc ſequi B. Virginem non dici Matrem Dei, ſed humanitatis tantùm, quia generatio fuit terminata ad eſſe creatum. Reſpondetur ex dictis, dici Matrem Dei; nam quamuis formalis terminus ſit humanitas exiſtens exiſtentia creata, vltimus tamen terminus, qui generatur, non eſt humanitas, ſed hic homo, quia humanitas non facta eſt in ſe, ſed in Verbo, & ideo dicitur Verbum generari.

13. Ad tertium. Ad tertium, cùm obiicitur Sophronius in VI. Synodo, art. 11. vbi dicit humanitatem Chriſti habuiſſe exiſtentiam non in ſe, ſed in Verbo; In illo, inquit, id eſt, in Verbo, vt patet ex antecedentibus, & non in ſe habuit exiſtentiam vnam: Et cùm obiicitur Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 22. vbi idem dicit, quod Sophronius, humanitatem ſcilicet exiſtere in Verbo; Reſpõdetur ad Sophronium, verum eſſe, quòd humanitas Chriſti habuit exiſtentiam non in ſe, ſed in Verbo, quia nunquam extitit per ſe propria ſubſiſtentia, ſed ſubſiſtentia Verbi, & hoc tantùm intendit Sophronius. Ad Damaſcenum reſpondetur idem dicere, & intendere quod Sophronius; quamuis aliqui falsò citent Damaſcenum, quaſi dicentem humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Verbi.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO VNDECIMA
THEOLOGICA CIRCA VNDECIMVM COROLLARIVM,

De ſubſiſtentia Verbi vt eſt terminus humanitatis.

De hac materia S. Thomas 3. part. quæſt. 17. & Scholaſtici in 3. diſt. 6. & diſt. 1. & 23.

1. In hac quæſtione ſunt duæ dubitationes.

I. *Vtrùm in Deo detur ſubſiſtentia vna abſoluta communis tribus Perſonis.*

II. *Vtrùm ſi concedatur hæc ſubſiſtentia abſoluta in Deo, potuiſſet humanitas aſſumi ad hanc ſubſiſtentiam.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm in Deo detur aliqua ſubſiſtentia abſoluta communis tribus Perſonis.

2. Explicatur ſenſus dubitationis. Primũ ſuppoſitum.

SVPPONO primò, quod nomen ſubſiſtentię apud Theologos vſurpatur communiter præſertim in Conciliis in concreto pro ipſa, ſcilicet, re ſubſiſtente in natura, ſeu perſona; conuentum enim fuit inter Patres, vt nomen hypoſtaſis, quod videbatur ſignificare idem, quod eſſentia, ſeu ſubſtantia, vſurpetur ad tollendum æquiuocationem, ad ſignificandum nomen perſonæ in concreto, & Latinè vertatur ſubſiſtentia. & hoc ſignificare nomen hypoſtaſis, docet Athanaſius in epiſt. ad Epiſc. African. & idem habetur ex Concilio Sardinenſi; ad ſignificandum verò naturam Concilia vtuntur nomine vſiæ, ita fuſiùs docet Vaſq. 1. part. diſp. 114. Non tamen eſt negandum, vt bene aduertit Suarius in 1. part. lib. 4. c. 10. quòd communi vſu inter Scholaſt. eſt receptum, quòd nomen ſubſiſtentiæ vſurpetur in abſtracto pro ratione ſubſiſtendi, & præter Hieronymum, Auguſtinum, & alios Patres, quos citat, inuenio hoc nomen ita eſſe vſurpatum in abſtracto, in duobus Conciliis, tum in VI. Synodo, actione 11. in epiſt. ad Sophronium, in qua dicitur Deitatem eſſe numerabilem perſonalibus ſubſiſtentiis, tum in VII. Synodo in quadam epiſtola Synodali, in qua dicitur Trinitatem eſſe diuiſam numerabilibus ſubſiſtentiis, & perſonalibus alteritatibus. Conſtat autē in his locis ſermonē eſſe de ſubſiſtentia in abſtracto, tum quia in concreto non dicitur perſonalis, ſed perſona, tum quia hæc Concilia loquuntur de forma per quam diſtinguuntur perſonæ inter ſe: quare ſecundùm Scholaſticorum vſum ſubſiſtentiam nos hic accipimus in abſtracto.

(Athanaſ. Conc. Sard. Vaſq. Suar. Hier. Aug. VI. ſynod. VII. ſynod.)

3. Secundum ſuppoſitum.

Secundò ſuppoſito tria eſſe certa in natura diuina. Primùm, naturam diuinam eſſe independentem à ſuſtentante tanquam à ſubiecto, quia eſt natura ſubſtantialis, & in hoc conuenit analogicè cum naturis ſubſtantialibus creatis. Secundò certum eſt, naturam diuinam eſſe independentem à ſubſiſtentia, tanquam à termino ſuſtentante, & in hoc differt à natura creata, quæ propter ſui limitationem, & imperfectionem indiget ſubſiſtentia propria tanquam termino ſuſtentante, vt ſupponimus ex dictis in tertia diſputat. Philoſophica. Tertiò certum eſt, naturam diuinam, etiam ſublatis perſonalitatibus diuinis, ita eſſe in ſe, vt non ſit vnibilis alieno ſuppoſito; eſt enim ens completum incapax ex natura ſua, vt terminetur alieno termino, cum quo ſi vniretur, faceret compoſitionem, quod in Deo dicit imperfectionem: at verò cum propria perſonalitate non facit compoſitionem, quia neceſſariò identificatur cum illa.

Quod igitur conuertitur, eſt, an in natura diuina detur ratio ſubſiſtentiæ abſolutę ſuperaddita ſecundùm rationem eſſentiæ, per quam ipſa eſſentia diuina exiſtat in ſe, & fiat incommunicabilis alieno ſuppoſito. 4. Punctũ controuerſiæ.

Prima ſententia affirmat dari vnam ſubſiſtentiam abſolutam communem tribus Perſonis. Ita tenet Palud. in 3. d. 1. q. 2. Capr. q. 1. art. 3. & in 1. d. 23. q. 1. art. 1. & 3. Medina 3. par. q. 2. ar. 2. & q. 3. ar. 3. Caiet. 1. part. q. 3. art. 3. & q. 39. art. 4. & 3. p. q. 2. a. 2. & q. 3. ar. 3. Fonſ. 1. met. c. 8. q. 1. Suar. 3. p. Ad hanc accedunt Ocham, Gabriel, & Mayronus in 3. d. 1. a. 1. Sed iſti Doctores diuiſi ſunt, nam Capreol. & Palud. tenent non dari ſubſiſtentias relatiuas ſub hac ratione, quatenus ſubſiſtentiæ ſunt, ſed dari quatenus perſonalitates ſunt, quatenus ſcilicet natura à relationibus accipit incommunicabilitatem; à ſubſiſtentia verò abſoluta accipit ſubſiſtere in ſe: at verò Caiet. Med. Fonſ. & Suar. Ocham, Gabr. & Mayronus tenent propter ſubſiſtentiam abſolutam dari tres ſubſiſtentias relatiuas; omnes tamen conueniunt dari ſubſiſtentiam abſolutam communem tribus perſonis, per quam redditur natura diuina incommunicabilis alieno ſuppoſito. 5. Prima ſententia. Capr. Caiet. Med. Och. Gabr. Mayr.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia vt dictum eſt in ſecundo ſuppoſito, exiſtentia diuina, ſeclufis perſonalitatibus relatiuis, exiſtit in ſe ſine aliquo ſuſtentante tanquam ſubiecto, vel termino ſuſtentante, & eſt incommunicabilis alieno ſuppoſito, 6. Fundamentum primæ ſententiæ.

Digitized by Google

ſito, ergo includit in ſe rationem ſubſiſtentiæ: Et confirmari poteſt primò, quia ſubſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſubſiſtere enim in ſe eſt melius ipſum, quàm oppoſitum; hæc autem eſt definitio perfectionis ſimpliciter ſimplicis. Confirmatur ſecundò ex S. Thom. 4. cont. Gent. c. 28. & 1. p. q. 3. quibus in locis videtur admittere eſſentiam ſe eſſe ſubſiſtentem.

7. *Prima aſſertio.* PRIMA concluſio. Præter tres ſubſiſtentias relatiuas non datur in Deo ſubſiſtentia abſoluta communis tribus Perſonis. Eſt communis ſententia veterum Scholaſticorum, *Alenſ.* Alenſis 1. p. q. 57. mem. 3. & 3. p. q. 7. mem. 5. *Bonauent.* Bonauent. in 3. d. 1. art. 1. q. 4. *Henric.* Henrici quodl. 5. q. 8. *Riccard.* Riccard. in 1. d. 26. art. 1. q. 1. nec oppoſitum dicit in 3. d. 1. ar. 1. q. 2. loquitur enim hoc in loco de eſſe abſoluto exiſtentiæ, quod nos admittimus in Deo, non autem de eſſe abſoluto ſubſiſtentiæ, quod negauit in 1. loco cit. Eſt etiam *S. Thom.* hæc ſententia S. Thom. 1. p. q. 29. & hanc opinionem *Vaſq.* tanquam Thomiſticam defendit noſter Vaſq. 1. par. diſput. 125.

Prima probatio. Probari ſolet hæc ſententia ex communi modo loquendi Conciliorum, quæ tantùm ponunt tres *I. Syn. Cõſt.* ſubſiſtentias relatiuas, præſertim in I. Synodo Conſtantin. in epiſt. ad Damaſum Papam, in qua dicitur neceſſariò eſſe credendum diuinitatem vnam in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentiis. Sed hæc teſtimonia non conuincunt; poſſent enim aduerſarij dicere, quòd Concilia loquuntur de ſubſiſtentiis in concreto, ſeu de perſonis, vt patet ex primo ſuppoſito; *VI. Syn.* Et quamuis in VI. Synodo act. 11. in epiſtola Sophronij ſit ſermo de ſubſiſtentiis in abſtracto, ibi tamen eſt ſermo de ſubſiſtentiis, quæ faciunt numerum, hæc autem ſunt, quæ realiter diſtinguuntur, cuiuſmodi non eſt ſubſiſtentia abſoluta, quæ identificatur cum relatiuis.

8. *Secũda probatio.* Probatur igitur hæc noſtra ſententia ex principio philoſophico in tertia diſputatione philoſophica quæſtione ſecunda & nona, quòd ſubſiſtentia ſecundùm rationem ſubſiſtentiæ eſt eſſentialiter terminus naturæ exiſtentis, vt patet ex communi acceptione omnium Philoſophorum, & Scholaſticorum, & multò magis apud Scotiſtas, qui dicunt ſubſiſtentiam eſſe negationem: Sed terminus, vt terminus eſt, dicit incommunicabilitatem ex *Ariſtot.* Ariſtotele 5. Metaph. t. 18. vbi partem quantitatis non terminatam, ſed vnitam, non dicit eſſe actu, ſed potentia, quia non eſt hoc aliquid in ſe tanquam indiuiduum extra quodlibet aliud, non enim habet terminum, per quem fiat hoc aliquid ſeorſim ab alio, & non vlteriùs extendibile, quod quidem habet quantitas per terminum indiuiſibilem ſiue ille ſit poſitiuus ſiue negatiuus; Et confirmatur ex eodem Ariſtotele 5. Metaph. t. 22. vbi definiens terminum ait eſſe finem, extra quem non eſt eſſe. Concluditur igitur, quòd quia natura diuina quatenus exiſtit in ſe ſecundùm omnia abſoluta, eſt communicabilis propriis ſuppoſitis, non includat aliquam ſubſiſtentiam abſolutam, quia tunc per illam terminaretur, & non fieret communicabilis.

9. *Reſpõſio ad fundamentũ primæ ſententiæ contra primam concluſionem.* AD fundamentum autem primæ ſententiæ, quod eſt contra hanc primam concluſionẽ, reſpondetur, quòd tam exiſtere in ſe independenter à ſubiecto, quàm exiſtere independenter à termino, tanquam à ſuſtentante, quàm denique eſſe incommunicabilem alieno ſuppoſito, habet natura diuina ſecundùm ſua eſſentialia ex proprio conceptu naturæ, & non per aliquam rationem ſubſiſtentiæ abſolutæ ſuperadditam.

De primo probatur, quia etiam in rebus creatis

A anima rationalis eſt independens à ſubiecto, & vt ſic creatur, & hoc non habet à ſubſiſtentia, quia in illo primo ſigno, in quo creatur, vnitur, & tamen vnitur independenter à ſubiecto, vt fusè probauimus in tertia quæſtione philoſophica. De ſecundo probatur, quia natura diuina ſecluſa omni ſubſiſtẽtia eſt independens à termino; ſi enim indigeret termino tanquam ſuſtentante, eſſet ſecundùm ſe limitata, & imperfecta, vt eſt natura creata. De tertio probatur, quia, ſecluſa quacumque ratione ſubſiſtentiæ ſuperaddita, eſſentia diuina eſt ens completum, & non poteſt facere compoſitionem cum alio; ergo ſecundùm ſe ex proprio conceptu non eſt communicabilis alieno ſuppoſito.

B Ad primam confirmationem reſpondetur concedendo, quòd in Deo exiſtere in ſe independenter à ſubiecto, & à termino, & eſſe incommunicabile alieno ſuppoſito, dicat perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſed hæc tria habet natura diuina ex propriis eſſentialibus: at verò exiſtere incommunicabiliter in proprio ſuppoſito, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. 10. *Reſpõſio ad primam cõfirmationem.*

Ad ſecundam confirmationem ex S. Thom. reſpondetur ſubſiſtentiam accipere S. Thomam locis citatis impropriè pro exiſtentia in ſe independenter ab alio, tanquam à ſubiecto. 11. *Ad ſecũdam confirmationem.*

SECVNDA concluſio. Etiam ſi daretur ſubſiſtentia abſoluta, adhuc non eſſet negandum dari in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, vt bene dicit Caietanus, Medina, & ſatis bene, vt ſolet, Cardinalis noſter C Bellarminus hæreticorum malleus, tomo primo controuerſiarum controuerſia ſecunda libro ſecundo cap. 11. & alibi graues recentiores. 12. *Secunda cõcluſio. Caietan. Medin. Bellarm. Fonſ. Suar.*

Probari ſolet, quia relationes perſonales non ſunt tanquam modi inexiſtentes in eſſentia, ſed formaliter includunt eſſentiam diuinam: ergo ſunt per ſe ſubſiſtentes. Et hæc quidem ratio optima eſt, ſupponit tamen eſſentiam diuinam includi in conceptu relationis, quod quidem aliqui negant aſſerentes in conceptu relationis diuinæ non includi eſſentiam diuinam, vt eſt principium operationum; ſed includi eſſe increatum quod eſt eſſe tranſcendentale.

Probatur igitur ſecundò præcipuè ex Conciliis. *Syn. Conſt.* Primò ex Synodo Conſtantin. in epiſtola ad Damaſum D Papam, in qua dicitur neceſſariò eſſe credendum diuinitatem vnam in tribus perfectiſſimis ſubſiſtentiis. Idem habetur in VI Synodo act. 4. approbata à tota eadem Synodo act. 17. & act. 10. & 11. *VI. Syn.* in Epiſtola Sophronij, & in edicto fidei Iuſtiniani Imperatoris.

SED ad hæc teſtimonia reſpondent aduerſarij intelligenda eſſe de ſubſiſtentiis in concreto, ſcilicet de perſonis, quia quælibet perſona ſubſiſtit, non autem de ſubſiſtentiis in abſtracto, quòd ſcilicet ſint tres ſubſiſtentiæ, id eſt, tres formæ ſubſiſtendi, hoc enim, inquiunt, eſt falſum, quia eſt vna ſubſiſtentia, qua ſubſiſtunt omnes perſonæ. 13.

Sed contrà, quia ſicut non poteſt dici eſſe tres E ſapientes; quamuis quælibet perſona ſit ſapiens, quia hæc vox pluraliter prolata ſignificat plures formas in abſtracto, ita ſi eſſet vna tantùm ſubſiſtentia communis tribus, neque in concreto poſſet dici tres ſubſiſtentes, & præterea clariùs eſt definitum hoc in VI. Synodo act. 11. in epiſtola Sophronij, in qua dicitur Trinitatem eſſe numerabilem *VI. Syn.* perſonalibus ſubſiſtentiis, quo in loco apertè patet ſubſiſtentiam non ſumi in concreto, ſed in abſtracto, nam ſubſiſtentia in concreto non eſt perſonalis, ſed perſona, ac propterea obtinuit vſus Scholaſticorum,

Digitized by Google

laſticorum, vt pro ſubſiſtentia intelligatur forma in abſtracto, vt diximus in ſecundo ſuppoſito.

SECVNDA DVBITATIO

Vtrùm humanitas potuerit terminari ſubſiſtentia abſoluta ſi daretur in Deo.

DE hac materia S. Thomas 3. part. quæſt. 17. Scholaſtici in 3. diſtinct. 6.

1. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia non ſolùm negat in Deo, vt diximus in ſuperiori dubitatione ſubſiſtentiam abſolutam, ſed præterea negat quòd ſi daretur in Deo ſubſiſtentia abſoluta, poſſet per illam terminari humana natura. Ita tenet Alenſ. 3. part. quæſt. 2. mem. 3. & quæſt. 7. mem. 1. art. 2. & 3. Henr. quodl. 3. quæſt. 8. & 1. p. ſum. art. 53. quæſt. 6. Bonau. in 3. diſtinct. 1. art. 1. quæſt. 4. Riccard. in 3. diſtinct. 5. art. 1. quæſt. 2. & in 1. diſtinct. 26. art. 1. quæſt. 1. Citatur etiam Capr. qui quamuis admittat ſubſiſtentiam abſolutam videtur tamen negare per illam potuiſſe terminari humanitatem Chriſti; ſed ſententiā Capreoli referemus in ſecunda opinione increata. *Alenſ. Henric. Bonauent. Riccard. Capreol.*

Fundamentum huius opinionis eſt, quia ſi daretur talis ſubſiſtentia creata, non eſſet perſonalitas, eſſet enim communicabilis tribus Perſonis, quia nullam haberet oppoſitionem, vt in ſuperiori dubitatione probatum eſt: Sed vnio debet eſſe in perſona, quod probatur dupliciter.

Primò quia Patres præſertim Anſelmus de Incarnat. Verb. cap. 4. referunt vnionem humanitatis eſſe in perſona ex eo, quia non eſt in natura: ſi igitur poſſet eſſe hæc vnio cum ſubſiſtentia abſoluta, hæc illatio nulla eſſet.

Secundò probatur, quia illa ſubſiſtentia abſoluta cùm non ſit perſonalitas, non impediret perſonalitatem creatam, ergo nec poſſet ſupplere vices illius; vel ſi impediret, ſequeretur quòd à parte rei daretur ſic homo, & non eſſet perſona humana, quia illa ſubſiſtentia abſoluta non eſſet perſonalitas.

2. *Secūda ſententia. Durand.* SECVNDA ſententia eſt Durandi in 3. diſt. 1. quæſt. 2. aſſerentis humanitatem Chriſti de facto terminari per duas vniones. Primò ad diuinam ſubſiſtentiam abſolutam, in qua vnitur natura humana per vnam vnionem: Secundò ad perſonalitatem relatiuam Verbi, cùm qua vnitur humanitas per aliam vnionem, & per hanc dicitur quòd perſona Verbi fuit incarnata, quia per hanc Verbum terminauit humanitatem incommunicabiliter; per priorem autem vnionem habuit natura humana, vt tantùm ſubſiſtat. Ad hanc opinionem accedit Capreol. in 3. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 3. ad argum. Dur. contra quartam concl. *Capreol.*

Fundamentum huius opinionis eſt, quia exiſtimat hæc opinio naturam diuinam ſubſiſtere in ſe per ſubſiſtentiam tantùm abſolutam communem tribus Perſonis; terminari verò incommunicabiliter per perſonalitatem relatiuam: quia ergo natura humana ſecluſa propria ſubſiſtentia indiget, & vt ſubſiſtat, & vt incommunicabiliter ſubſiſtat, ideo neceſſe fuit, vt habeat dependentiam, & vnionem tum à diuina ſubſiſtentia abſoluta, per quam ſubſiſtat tum à perſonalitate relatiua Verbi, per quam habeat incommunicabilitatem.

Sed controuerſia eſt inter Capreolum, & Durandum, An prior fuerit vnio humanitatis cum ſubſiſtentia abſoluta quàm cum perſonalitate relatiua: Et quidem Capreolus tenet priorem fuiſſe vnionem cum perſonalitate relatiua; Durandus verò priorem fuiſſe vnionem cum ſubſiſtentia abſoluta, & hic congruentius loquitur, quia natura debet priùs ſubſiſtere in ſe quam eſſe alteri incommunicabilis.

3. *Tertia ſententia.* TERTIA ſententia negat de facto humanitatem fuiſſe terminatam duplici ſubſiſtentia diuina, abſoluta, & relatiua, concedit tamen nullam eſſe repugnantiam, quòd potuiſſet humanitas per duas dependentias, aut vniones terminari, per vnionem ſcilicet cum ſubſiſtentia abſoluta diuina, & cum perſonalitate relatiua Verbi; Hoc dicunt communiter qui tenent dari hanc ſubſiſtentiam abſolutam: Ita Scotus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. & diſtinct. 5. quæſt. 1. Gabriel in 3. diſtin. 1. quæſt. 1. art. 3. dubit. 4. Ocham quæſt. 4. Almainus quæſt. 1. art. 3. dubit. vlt. Caiet. & Medin. 3. part. 4. 3. art. 3. *Scotus. Gabr. Ocham. Almain. Caiet. Medina.*

4. *Prima concluſio.* PRIMA concluſio de facto contra Durand. & Capreol. Humanitas Chriſti non eſt aſſumpta ad ſubſiſtentiam abſolutam diuinam, quicquid ſit an talis ſubſiſtentia detur in Deo, vel non. Hæc concluſio eſt expreſſè S. Thom. par. 3. quæſt. 3. art. 1. & 2.

Prima probatio ex Cōciliis. Tolet. VI. Probatur hæc Concluſio manifeſtè ex Conciliis. Primò ex Conc. Tolet. VI. in confeſſ. fidei dicitur quòd quamuis tres perſonæ fuerint cooperatæ in Incarnatione, ſolus tamen Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate naturæ: Quo in loco tria dicit Concilium, primò totam Trinitatem efficienter concurriſſe ad vnionem hypoſtaticam: Secundò dicit, quòd terminus aſſumptionis fuit tantùm perſona Filij: Tertiò, quòd non fuit natura diuina, quæ omnia dicit S. Thomas loco citato. Suſcepit igitur Filius naturam humanam in eo quod proprium eſt Filij, non quòd commune eſt Trinitati: at ſi natura humana aſſumpta fuiſſet ad ſubſiſtentiam abſolutam; non fuiſſet aſſumpta in id quod eſt proprium Filij, ſed in id, quod eſt commune Trinitati.

Quòd ſi dicatur, quòd Concilium loquatur humanitatem non fuiſſe aſſumptam ad vnitatem naturæ, vt natura eſt, non autem ad vnitatem naturæ, vt eſt ſubſiſtens in ſe abſolutè. Contra hoc eſt, quia bene explicatur Concilium, quod tantùm vult tres perſonas diuinas cooperatas fuiſſe efficienter, & non terminatiuè, & præterea hoc magis explicatur in Concilio Toletano XI. in confeſſ. fid. vbi expreſsè habetur Filium non ſuſcepiſſe humanitatem in aliquo quod ſit commune Trinitati, ſed ſolùm in eo, quod eſt proprium Filij, & præterea habetur in VI. Synodo act. 8. quòd Pater, & Spiritus ſanctus non communicant in aſſumptione humanitatis, niſi ſecundùm benignam voluntatem, efficiendo ſcilicet Incarnationem per potentiam diuinam, quæ eſt communis tribus: at ſi humanitas ſubſiſteret ſubſiſtentia abſoluta, quæ eſt communis tribus, omnes tres perſonæ dicerentur ſuſcepiſſe humanitatem in vnitatem ſubſiſtentiæ, & non ſolùm concurrere ſecundùm voluntatem per efficientiam tantùm, vt dicit Concilium. *5. Tolet XI.*

6. *Obiectio.* Quòd ſi obiicias, (quod erat argumentum ſecundæ ſententiæ Durandi) naturam diuinam non ſubſiſtere in ſe niſi ſubſiſtentia abſoluta, & incommunicabilitatem tantùm habere à perſonalitate relatiua, ergo cùm humanitas in Verbo ſubſiſtat ſine propria perſonalitate, dicendum eſt quòd ſubſiſtat ſubſiſtentia diuina abſoluta.

Reſpondetur negando antecedens, quia Verbum ſubſiſtit etiam per perſonalitatem relatiuam; quare etiamſi concedatur ſubſiſtentia abſoluta, adhuc dicendum eſt quòd de facto natura humana fuerit

Digitized by Google

aſſumpta ad ſubſiſtentiam relatiuam: Vtrùm autem humanitas potuiſſet ſubſiſtere ſubſiſtentia abſoluta, mox in ſecunda concluſione dicemus.

7. SECVNDA concluſio. Si daretur ſubſiſtentia abſoluta in Deo tanquam terminus ſuperadditus ſaltem ſecundùm rationem ipſi naturæ diuinæ, per quē diuina natura exiſteret in ſe, hoc eſt, ſine alio ſuſtentante, quod quidem non eſt concedendum, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, quia natura diuina ex intrinſecis principiis habet vt exiſtat in ſe ſine alio ſuſtentante, ſiue ſubiecto, ſiue termino ſuſtentante, quod quidem propter imperfectionem non conceditur ſubſtantiæ creatæ, quæ quamuis exiſtat ſine alio ſuſtentante vt ſubiecto, non tamen B exiſtit ſine alio ſuſtentante, vt termino: ſed dato, inquam, quòd in natura diuina concedatur talis terminus ſubſiſtentiæ abſolutæ, dico quòd humanitas potuiſſet, vt patet ex 3. diſp. philoſophica, aſſumi ad talem ſubſiſtentiam, quia talis ſubſiſtentia terminaret dependentiam naturæ humanæ, quatenus natura humana indiget ſuſtentante tanquam termino, & tunc in tali caſu quamuis Verbum potuiſſet hanc ſuam dependentiam terminare per ſuam perſonalitatem, quia perſonalitas Verbi eſt etiam ratio ſubſiſtentiæ; de facto tamen non terminaret, quia inueniret in aliquo priori ſigno terminatam à ſubſiſtentia abſoluta, ſed tantùm redderet illam incommunicabilem.

C Quòd ſi dicas; potuiſſet natura humana ſubſiſtere per duplicem ſubſiſtentiam abſolutam, & relatiuam; reſpondetur, hoc eſſe impoſſibile, quia tunc idem effectus dependeret à duabus cauſis totalibus adæquatis, quod ſuprà oſtendimus repugnare.

8. Primum quæſitum. Sed ad Maiorem huius concluſionis explicationem QVÆRES primò, vtrùm ſi facta eſſet vnio humanitatis in hac ſubſiſtentia abſoluta, neceſſariò fieret etiam vnio cum Perſona. Ratio dubitandi eſt, quia non poteſt videri natura diuina ſine perſonis propter identitatem, ergo nec communicari ſubſiſtentia abſoluta ſine perſonalitate relatiua propter identitatem. Sed reſpondendum eſt potuiſſe fieri vnionem in ſubſiſtentia abſoluta, & in perſonalitate relatiua: Ita tenēt communiter Doctores D citati pro ſecunda opinione, ſicut facta eſt vnio cum perſonalitate relatiua, & non cum ſubſiſtentia abſoluta ſecundùm illos qui tenent dari hanc ſubſiſtentiam abſolutam, & Pater communicat eſſentiam Filio, & non paternitatem, & tamen paternitas eſt idem cum eſſentia, & ratio eſt quia diſtinctio virtualis ſufficit ad hoc.

9. Ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd eſt diuerſa ratio in vnione, quia de ratione viſionis intuitiuæ eſt, vt videatur quicquid formaliter eſt in re viſa, ſi aliunde non eſt impedimentum: at verò non poteſt eſſe impedimentum vt videatur natura diuina, & non videantur perſonæ, quia eadem in- E tenſio luminis, quæ ſufficit ad videndum naturam diuinam, ſufficit ad videndum perſonas; non enim ſupponimus videri perſonas ex vi eſſentiæ diuinæ magis penetratæ; neque requiritur maius lumen

A extenſiuè, quia tunc hoc requiritur quando obiecta ſunt diſtincta, ſicut ſunt creaturæ: at perſonæ ſunt identificatæ cum eſſentia.

QVÆRES ſecundò vtrùm ſi humanitas terminetur ſubſiſtentia abſoluta, repugnaret terminari ſubſiſtentia relatiua, per quam redderetur natura humana non quidem ſubſiſtens (ſupponitur enim ſubſiſtere per abſolutam) ſed redderetur incommunicabilis. Ratio dubitandi eſt, quia eadem natura eſſet communicabilis, & incommunicabilis. Reſpondetur, nullam eſſe repugnantiam, quia propter diuerſas rationes ſubſiſtendi diſtinctas virtualiter, fieri poteſt, vt eadem natura ſit communicabilis quatenus ſubſiſtit per abſolutam, & incommunicabilis quatenus terminatur perſonalitate relatiua: ſicut ſi poneretur ſubſiſtentia abſoluta in Deo, ſecundùm ſubſiſtentiam abſolutam eſſet communicabilis, & ſecundùm ſubſiſtentiam relatiuam eſſet incommunicabilis. 10. Secundum quæſitum.

QVÆRES tertiò, An humanitas ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta eſſet perſona ſeu hic homo. Reſpondetur quòd eſſet quidem hic homo, quia ſupponit pro ſingulari indiuiduo, non tamen eſſet perſona, quia perſona includit incommunicabilitatem. 11. Tertiō quæſitum.

Quòd ſi vrgeas, ſubſiſtentia abſoluta identificatur cum perſonalitate, ergo non poteſt terminare humanitatem quin faciat illam eſſe perſonam. Reſpondetur quòd identificatio nihil obſtat, quia ex vi immediati termini, quæ eſt ſubſiſtentia abſoluta, non erit perſona.

Quòd ſi quæras, eritne in illo priori ſigno perſona diuina, vel humana? Reſpondetur, quòd nec diuina nec humana. Non diuina, quia adhuc non intelligitur terminata perſonalitate diuina incommunicabiliter: non humana, quia ſupponitur impeditam fuiſſe perſonalitatem humanam, nec reſultare, ſed eſſet hic homo ſupponendo pro indiuiduo.

QVOD ſi quæres quartò, potuiſſet ne natura humana aſſumi ſecundùm hāc ſubſiſtentiam diuinam cum propria perſonalitate. Reſpondetur ex dictis quòd propria perſonalitas duos habet effectus circa naturam humanam. Primò ſuſtentando illam, & eſt ſecundarius effectus. Secundò terminando illam incommunicabiliter, & eſt primarius effectus, & hunc primarium diximus ſuprà in tertia dubitatione philoſophica ſeparari poſſe à ſecundario, ſicut de facto ſeparatur in Deo. 12. Quartum quæſitum.

Hoc ſtante, reſpondendo ad quæſitum dicimus, quòd potuiſſet aſſumi per potentiam Dei humanitas ad hanc ſubſiſtentiam diuinam abſolutam, remanente propria perſonalitate, quia per ſubſiſtentiam abſolutam communicatur tantùm humanitati ſuſtentatio, quæ eſt ſecundarius effectus, propria verò perſonalitas creata terminaret ſecundùm incommunicabilitatem, quæ eſt primarius effectus.

Et per hæc patet ad argumenta primæ & ſecundæ opinionis. Ad argumenta quidem primæ opinionis per ea, quæ dicta ſunt in primo dicto; ſecundæ verò opinionis per ea, quæ dicta ſunt in ſecundo dicto.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO DVODECIMA THEOLOGICA CIRCA DVODECIMVM COROLLARIVM,

De ſatisfactione Chriſti.

De hac materia S.Thom. 3.part. quæſt. 1. artic. 2.

Poſſunt circa hoc Corollarium quæri quinque.

I. *Vtrùm offenſa facta Deo ſit ſimpliciter finita.*
II. *Vtrùm valor ſatisfactionis Chriſti non ſolùm adæquauerit, ſed exceſſerit offenſam.*
III. *Vtrùm ſatisfactio Chriſti fuerit de toto rigore iuſtitiæ.*
IV. *Vtrùm valor moralis actuum Chriſti fuerit infinitus ſimpliciter in genere valoris.*
V. *Vtrùm contritio puræ creaturæ ſit formaliter ſanctificatio, vel remiſſio peccati.*

SED quia hæc omnia fusè diſputata ſunt in primo tomo in primo principio Philoſophico Corollar. 18. ideo ne eadem repetantur, hic omitto, quamuis hæc etiam deduci poterant ex hoc prædicamento Sub- A ſtantiæ; ſatisfactio enim infinita conſequitur ſubſiſtentiam Verbi tanquam terminum humanitatis, & ipſam vnionem tanquam terminum quo; De ipſa autem ſubſiſtentia in communi & vnione ſatis fusè diſputauimus in Prædicam. Subſtan. diſput. 3. & 4.

QVÆSTIO DECIMATERTIA THEOLOGICA CIRCA DECIMVMTERTIVM COROLLARIVM,

De impeccabilitate Chriſti.

De hac materia S.Thom. 3.part. quæſt. 18. art. 4.

Poſſunt circa hoc Corollarium quæri quatuor.

I. *Vtrùm Chriſto potuerit imponi præceptum à Patre.*
II. *Vtrùm Chriſtus potuerit peccare.*
III. *Quomodo in Chriſto conciliaretur libertas cum impeccabilitate ſeu potentia phyſica ad peccandum ſi Chriſtus non fuiſſet beatus, ſed tantùm fuiſſet viator.*
IV. *Quomodo de facto concilietur in Chriſto libertas cum impeccabilitate, quatenus Chriſtus de facto eſt beatus.*

SED hæc omnia diſputata ſunt in primo tomo, in quinto principio Philoſophico, in tertio Corollario; quamuis etiam hæc B deduci poſſunt ex prædicamento Subſtantiæ. Impeccabilitas enim ſequitur vnionem, de qua diſputauimus in prædicam. Subſtan. in 4. diſp. Philoſoph.

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMA QVARTA THEOLOGICA CIRCA DECIMVM-QVARTVM COROLLARIVM,

De Incarnatione Verbi.

De hac materia agit S. Thomas 3. part. quæſt. 1. ar. 3.

Et de hac materia egimus ſuprà in primo Corollario per multas dubitationes.

Poſſunt circa hoc Corollarium quæri duo.

I. *Vtrùm incarnatio Verbi fuerit poſſibilis.*

II. *Vtrùm ſi Adam non peccaſſet, Verbum fuiſſet incarnatum ex vi primi decreti.*

Sed de hoc ſecundo ſatis fusè diſputatum eſt in primo tomo, in ſexto principio Philoſophico, Corollario primo. Vide ibi ne eadem repetantur.

VOLVI hæc tria vltima corollaria quæ alibi tractantur, ſigillatim breuiter attingere, vt habeatur ante oculos tota materia de incarnatione.

A Et hæc ſatis ſint de primo principio Philoſophico incomplexo; quod eſt prædicamentum Subſtantiæ, & de Corollariis Theologicis ex hoc principio; Nunc accedendum eſt ad ſecundum principium Philoſophieum incomplexum; quod eſt prædicamentum Quantitatis.

PRÆDI

PRÆDICAMENTVM QVANTITATIS, QVOD EST SECVNDVM PRINCIPIVM PHILOSOPHICVM INCOMPLEXVM.

Circa hoc Prædicamentum ſunt quatuor diſputationes.

Prima *Diſputatio de eſſentia Accidentis in communi, ſeu de inhærentia, diuiſa in quatuor quæſtiones.*
Secunda *Diſputatio de quantitate, iuxta literam Ariſtotelis, in qua diſputatur de quantitatę ſub ratione menſuræ, diuiſa in quatuor quæſtiones.*
Tertia *Diſputatio de eſſentia quantitatis, ſub ratione extenſionis, diuiſa in ſeptem quæſtiones.*
Quarta *Diſputatio de infinito, quod eſt proprietas ipſius quantitatis, diuiſa in octo quæſtiones.*

PRIMA DISPVTATIO DE ESSENTIA Accidentis in communi, ſeu de Inhærentia.

In hac diſputatione ſunt quatuor quæſtiones.

I. *Vtrùm de eſſentia accidentis, ſit actualis dependentia à ſubiecto.*
II. *Vtrùm actualis inhærentia diſtinguatur à parte rei ab accidenti realiter diſtincto, verbi gratia, à quantitate.*
III. *An ſeparatio quantitatis à ſubiecto fiat per nouam actionem, & an in quantitate ſeparata detur præter hanc actionem alius modus formalis exiſtendi per ſe.*
IV. *An accidens vt accidens dicat eſſentialiter inhærentiam ſaltem aptitudinalem in ſubiecto.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm de eſſentia accidentis vt ſic ſit actualis dependentia à ſubiecto.

1. Prima ſententia. Niphus.

FVIT ſententia aliquorum A apud Niphum 7.meth.diſ.1. aſſerentium accidens vt ſic, hoc eſt, omne accidens, petere eſſentialiter actualem dependentiam à ſubiecto, ac proinde non poſſe per diuinam potentiam ſeparari à ſubiecto; Hæc ſententia tribuitur Ariſt. 1.phyſ.à textu 19. vbi dicit abſurdum eſſe in his rebus ſeparationem quærere. (Ariſtot.)

Primum argumentum.

Probatur hæc ſententia primò, Sicut de eſſentia ſubſtantiæ eſt, vt non ſolùm non habeat actualem, ſed nec aptitudinalem inhærentiam cum ſubiecto; ita de eſſentia accidentis eſt, vt non ſolùm habeat aptitudinalem, ſed etiam actualem inhærentiam cum ſubiecto.

Secundò probatur, A nulla potentia poteſt accidens ſeparari à ſubiecto, ergo ſignum eſt accidens petere eſſentialiter non ſolùm aptitudinalem, ſed etiam actualem inhærentiam cum ſubiecto; Conſequentia videtur manifeſta, Antecedens probatur, & primò certum eſt hanc ſeparationem, non poſſe fieri per potentiam naturalem. (Secundũ argumentum.)

Quòd autem non poſſit fieri per potentiam diuinam, probatur, quia Deus non poteſt ſupplere concurſum cauſæ materialis, ſed ſubſtantia in ſuſtentando accidens concurrit materialiter, ergo non poteſt hic concurſus ſuppleri à Deo: Minor ab omnibus eſt conceſſa; Maior probatur, quia concurſus cauſæ materialis conſiſtit in hoc quatenus ſe ipſam formaliter communicat per intrinſecam, & formalẽ vnionem cum alia re, ſed Deus non poteſt habere cum vlla re intrinſecam vnionem, ergo, &c.

PRO

Digitized by Google

2\. Pro reſolutione huius quæſtionis diſtinguendum eſt de accidentibus, nam aliqua ſunt tantùm entitates modales, vt ſeſſio, vnio, relatio, &c. alia verò ſunt realitates, & non modi alterius rei, vt quantitas, calor, albedo, &c. vnde autem cognoſcatur aliqua accidentia eſſe modos, aliqua non, diximus in priori tomo. Rurſus aliqua accidentia ſunt paſſiones propriæ, vt intellectus, & voluntas reſpectu animæ; aliqua ſunt accidentia communia, vt albedo, reſpectu hominis, & de omnibus iſtis poteſt eſſe quæſtio ſpecialis.

3\. *Prima concluſio.* Prima concluſio, Certum eſt apud omnes aliqua accidentia, quæ tantùm habent entitatem modalem, habere ſuam exiſtentiam dependentem à re modificata, vt eſt ſeſſio, vnio, relatio, &c. Et ratio eſt, quia ipſorum eſſe conſiſtit in actuali exercitio, ſi enim vnio non haberet actuale exercitium vniendi, requireretur alia vnio vt de potentia exeat in actum vniendi, & idem quæritur de illa ſecunda vnione, an ſit eſſentialiter actualis, vel potentialis; ſi actualis, ergo idem dicendum eſt de priori vnione; ſi ſecundum, ergo requiritur alia vnio cùm de potentia tranſit in actum, & ſic in infinitum; & idem dicendum de aliis modis; Idem etiam ſpecialiter dicendum de relatione prædicamentali quòd non ſolùm dependeat à ſubiecto tanquã à re modificata, ſicut cæteri modi propter eandem rationem, ſed etiam dependeat à termino; Et ratio eſt, quia relatio prædicamentalis eſt purus reſpectus ad terminum, nihil enim aliud, vt oſtendetur in prædicamento relationis, dicit, quàm purè reſpicere terminum, quare corrupto termino, corrumpitur ille purus reſpectus, ſecus autem de relatione tranſcendentali, vt mox dicemus.

4\. *Secunda cõcluſio.* Secunda concluſio, Certum eſt accidens diſtinctum realiter à ſubſtantia non dicere eſſentialiter actualem dependentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ tanquam à termino; An autem dicat eſſentialiter dependentiam actualem à ſubſtantia tanquam à ſubiecto, infrà probabitur in ſequenti concluſione.

Probatio. Probatur hæc ſecunda concluſio, quia accidens non reſpicit ſubſtantiam tanquam purè terminum, non enim eſt relatio prædicamentalis, ſed eſt reſpectus tranſcendentalis, ac proinde aliquid facit circa ſubſtantiam, vel diſponendo, vel extendendo, vel cauſando illam, &c. non requirit igitur eſſentialiter exiſtentiam termini, ſicut requirit relatio prædicamentalis; Et probatur à ſimili, nam materia prima, quamuis reſpiciat formam, non tamen eſſentialiter dependet ab actuali exiſtentia formæ, nec anima rationalis, quamuis reſpiciat materiam, dependet eſſentialiter ab actuali exiſtentia materiæ.

Quod igitur præcipuè controuertitur eſt, vtrùm actualis dependentia à ſubſtantia tanquam à ſubiecto, ſit eſſentialis accidenti realiter diſtincto à ſubſtantia circa quam controuerſia ſit.

5\. *Tertia cõcluſio.* Tertia concluſio, Non eſt de eſſentia accidentis realiter diſtincti inhæſio ſeu vnio cum ſubſtantia, tanquam cum ſubiecto; Eſt communis Doctorum apud Suar. in met. diſputatione 37. ſect. 2.

Prima probatio. Valdenſis. Ariſtot. Probatur primò, ex communi ſententia Philoſophorum etiam gentilium apud Valdenſ. tomo 2. c. 7. nec Ariſt. eſt in oppoſitum, nam quamuis 1. phy. loco citato dicat abſurdũ eſſe quærere in accidentibus ſeparationem, interpretari poteſt naturaliter; alibi enim vt 3. de anima, t. 9. dicit exiſtentiam quantitatis diſtingui ab ipſa quantitate, aliud enim dicit eſſe magnitudinem, & aliud magnitudinis eſſe, ergo multò minùs inhærentia, quæ eſt modus exiſtentiæ, eſt de eſſentia accidentis, & lib. 4. phy. tex. 58. quærit vtrùm ſpatium illud vbi ſolùm eſſet color, aut ſonus, dicendum ſit vacuum. Supponit igitur inhærentiam non eſſe de eſſentia coloris, alioquin quæſtio eſſet inanis.

6\. *Secũda probatio.* Secundò probatur ex aliquibus principiis fidei, nam ſicut non repugnat ſubſtantiæ carere propria ſubſiſtentia, & actualiter non eſſe in ſe, ſed in alio, vt patet in ſanctiſſimo myſterio incarnationis, & tamen bene ſaluatur conceptus ſubſtantiæ per hoc quòd connaturaliter petit eſſe in ſe, & habere propriam ſubſiſtentiam, ita etiam ſimiliter dicendum eſt de accidenti; Præterea calori competit connaturaliter actu calefacere, & tamen, non quia in fornace Babylonica non calefecit actu, propterea amiſit eſſe caloris, & ſic de aliis ſimilibus, ergo ſimiliter etiam ſi accidens petat connaturaliter eſſe in ſubiecto, non propterea eſt dicendum, quòd amittat ſuum eſſe accidentale, ſi aliquando per potentiam ſuperiorem ſeparatur à ſubiecto ſubſtantiali.

7\. *Tertia probatio. S. Thom. Caiet. Sonc.* Probatur tertiò ex lumine naturali; Sed antequam probetur, ſupponendum eſt vnum tanquam certum apud Philoſophos, vt licet videre apud S. Thomam 3. p. q. 75. & Caiet. de ente, & eſſent. c. 7. & Soncin. 7. m. q. 5. accidentia habere exiſtentiam diſtinctam à parte rei ab exiſtentia ſubſtantiæ, nam vel tenetur opinio illorum qui dicunt exiſtentiam cuiuſcumque rei non diſtingui à parte rei ab entitate ipſius, ſeu eſſentia actuali, & tunc certum eſt quodcumque accidens habere ſuam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſicut ipſa eſſentia accidentis cum qua identificatur ſua exiſtentia, eſt diſtincta ab eſſentia ſubſtantiæ; Si verò teneatur alia opinio, quam nos in prædicamento ſubſtantiæ tenuimus probabilem; exiſtentiam, ſcilicet, diſtingui à parte rei ab entitate actuali, tunc etiam dicendum eſt exiſtentiam accidentis diſtingui à parte rei ab exiſtentia ſubſtantiæ, tum quia ſicut eſſentia accidentis diſtinguitur ab eſſentia ſubſtantiæ, ita etiam exiſtentia accidentis quæ eſt modus ipſius accidentis, diſtinguitur ab exiſtentia ſubſtantiæ: tum quia exiſtentia ſubſtantiæ eſt ſimpliciter exiſtentia; exiſtentia verò accidentis eſt exiſtentia imperfecta, ergo diſtinguuntur à parte rei.

8\. *Prima probatio.* His ſuppoſitis probatur concluſio, Accidens realiter diſtinctum, vt quantitas, non dicit eſſentialiter actualem dependentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ, neque, vt accidens eſt, neque vt tale accidens eſt, ergo, &c. non quidem vt accidens eſt, quia ad hoc vt accidens habeat propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubſtantiæ, ſufficit, vt ſupra probatum eſt, quòd eſſentia accidentis ſit diſtincta ab eſſentia ſubſtantiæ; Vt autem eſſentia accidentis diſtinguatur à ſubſtantia, non requiritur vt actu dependeat à ſubſtantia, ſed vt connaturaliter petat dependere à ſubſtantia, cum qua non faciat vnum per ſe; Et hoc ſatis eſt vt diſtinguatur à ſubſtantia, quia neque ſubſtantia completa, neque materia poteſt dependere ab aliquo, tanquam à ſubiecto, neque ipſa forma ſubſtantialis materialis, nam quamuis hæc dependeat à ſubiecto, ita tamen dependet, vt faciat vnum per ſe cum ſubiecto; Quòd ſi aliquando accidens dependeat actualiter à ſubiecto, non eſt ex ratione præciſa accidentis, ſed quia tale accidens eſt, cuiuſmodi eſt vnio, ſeſſio, & cætera huiuſmodi accidentia, quæ ſunt modi.

Quòd verò accidens realiter diſtinctum non dependeat actu eſſentialiter à ſubſtantia, quatenus eſt tale accidens, probatur, nam quantitas, exempli gratia, in ſuo intrinſeco conceptu nihil aliud dicit, niſi eſſe accidens quoddam extenſum, quòd ſit prima radix

Digitized by Google

radix impenetrabilitatis, ſed hunc conceptũ habet, etiam ſi non dependeat eſſentialiter ab actuali exiſtentia ſubſtantiæ, & ſic de reliquis accidentibus quæ non ſunt entitates modales, ergo non eſt aſſerendum, quòd eſſentialiter petat dependere actualiter à ſubſtantia. Et confirmatur à ſimili, quia ſicut grauitas ſufficienter diſtinguitur à leuitate per hoc ſolùm, quia connaturaliter habet inclinationem ad tendendum deorſum, etiam ſi actu non tendat deorſum, ſed per motum violentum tendat ſurſum, ita etiam dicendum, quòd quamuis accidens connaturaliter petat dependere actualiter à ſubiecto, poteſt tamen per potentiam ſupernaturalem actu non dependere.

9. *Secunda probatio.* Secundò probatur, quia ſecundùm omnes Philoſophos dantur aliqua accidentia quæ habent entitates modales, vt eſt ſeſſio, vnio, &c. alia verò quæ ſunt realitates vt quantitas, albedo, &c. ſed accidentia quæ ſunt entitates modales, non per aliud diſtinguuntur ab accidentibus, quæ non ſunt entitates modales, niſi quia illa dependent à ſubiecto actualiter, vt probatum eſt in prima concluſione, ergo alia accidentia non habent dependentiam actualem à ſubiecto.

10. *Tertia probatio.* Tertiò probatur, Sicut in ſubſtantiis datur forma ſubſtantialis materialis, quæ actu dependet à materia tanquam à ſubiecto, quamuis non per inhærentiam, vt oſtenſum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, diſput. tertia, & tamen non propterea ſequitur quòd forma materialis non ſit ſubſtantia, ſeu quòd per hanc dependentiam amittat ſuum eſſe ſubſtantiale; ita à contrario, ſiſtendo præcisè in ratione dependentiæ & independentiæ, ſi per potentiam diuinam detur accidens quod actu non dependeat à ſubiecto ſubſtantiali, non propterea amittet ſuum eſſe accidentale; ſicut enim in ſubſtantiis dependentia actualis à ſubiecto non impedit eſſe ſubſtantiale, ita nec debet impedire independentia actualis à ſubiecto ipſum eſſe accidentis; Dixi, præcisè exiſtendi ratione dependentiæ, &c. quia alia eſt dependentia formæ corporeæ ſubſtantialis à materia, & alia accidentis à ſubiecto; hæc enim eſt per inhærentiam, illa verò non item, ſicut oſtenſum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, diſp. 3. citata.

11. *Quarta concluſio.* QVARTA concluſio, Accidentia non ſolùm non dependent eſſentialiter ab actuali exiſtentia ſubiecti ſubſtantialis, ſed neque ab alio ſubiecto, vnde albedo poteſt per diuinam potentiam ſeparari non ſolùm à ſubiecto ſubſtantiali, vt de facto ſeparatur in ſanctiſſimo Sacramento, ſed etiam ab ipſa quantitate, quæ ſecundùm aliquos eſt immediatum ſubiectum aliorum accidentium materialium.

Probatur iiſdem rationibus, quibus ſuprà probatum eſt accidens non dicere eſſentialiter dependentiam actualem ab exiſtentia ſubſtantiæ; Et confirmatur, quia ſicut quantitas poteſt ſeparari à ſubiecto, quia differt à ſubſtantia, & non eſt modus illius, ita albedo, quia differt à quantitate, & non eſt modus illius, poteſt ſeparari à quantitate; ſimiliter etiam actus differt à potentia, & non eſt modus illius, ergo, &c.

12. *Inſtantia.* Quòd ſi dicas eſſe diſparem rationem, nam albedo eſt eſſentialiter ſenſibilis, hoc autem habet à quantitate, ergo eſſentialiter dicit dependentiam actualem ab exiſtentia quantitatis.

Soluitur. Reſpondetur primò, quòd apud eos qui tenent accidentia habere propriam extenſionem, nullum eſt argumentum: ſi verò teneatur quòd non habeant extenſionem, vt infrà in diſp. 3. q. 3. probabitur, tunc dicendum eſt, quòd albedo petit vt poſſit eſſe ſenſibilis, non autem quòd actu videatur, ſicut corpus Chriſti glorioſum erat lucidiſſimum, & tamen actu non lucebat, imò actu corpus Chriſti non videbatur à Iudeis.

Quòd ſi dicas ſecundò, albedo intenſa vt octo, vniformiter inhęrens in partibus proportionalibus ſubiecti quanti, non poteſt per diuinam potentiam ſeparari à ſubiecto quanto, quia darentur actu infinitæ albedines vt octo, ſine illa confuſione quam habebant in partibus proportionalibus, ergo illa albedo dicit eſſentialiter dependentiam à ſubiecto quanto. 13. *Secunda inſtantia.*

Reſpondetur quiquid ſit de antecedenti, de quo videbimus infrà diſputat. 3. q. 3. ad 4. ad conſequentiam dicitur quòd etiam ſi concederetur illam albedinem non poſſe ſeparari à ſubiecto quanto, non tamen inde ſequeretur albedinem eſſentialiter dependere ab actuali exiſtentia quantitatis, quia in illo caſu eſſet propter peculiarem repugnantiam allatam, vnde poſſet Deus producere vnam albedinẽ vt octo, vel duos, &c. ſeparatam à ſubiecto quanto. *Soluitur.*

Quòd ſi dicas tertiò, accidens indiuiduatur à quãtitate quod eſt ſubiectum immediatum, ergo dependet eſſentialiter à quantitate. 14. *Tertia inſtantia.*

Reſpondetur quòd ſi indiuiduatur à quantitate, indiuiduatur per inhærentiam aptitudinalem, ſicut ipſa quantitas indiuiduatur ab ipſa ſubſtantia per inhærentiam aptitudinalem: ſed maior difficultas eſt de paſſionibus propriis alicuius ſubiecti, vt ſunt intellectus & voluntas reſpectu animæ, an eſſentialiter petant actualem dependentiam ab ipſa anima, circa quod *Soluitur.*

QVINTA concluſio. Paſſiones propriæ alicuius ſubiecti non dependẽt eſſentialiter ab actuali exiſtentia ſubiecti, ſi non ſunt modi illius ſubiecti. 15. *Secunda cõcluſio.*

Probatur iiſdem rationibus, quibus probatum eſt de aliis accidentibus in tertia concluſione, & de facto in ſanctiſſimo Sacramento, proprietates panis ſeparatim exiſtunt à pane.

Quòd ſi dicas, potentiæ animæ, vt intellectus, & voluntas, non poſſunt ſeparatim exiſtere ab anima, vt communiter tenetur. 16. *Inſtantia.*

Reſpondetur hanc inſtantiam non habere locũ apud Scotiſtas, exiſtimãt enim potentias animæ eſſe modos ipſius, ac proinde nõ poſſe ſeparatim exiſtere; inſtantia igitur ſolùm habet locũ apud Thomiſtas, qui tenent potentias eſſe realiter diſtinctas ab anima. *Soluitur.*

Sunt autem Thomiſtæ circa hoc diuiſi. Aliqui enim exiſtimant poſſe per diuinam potentiam, intellectum, & voluntatem ſeparatim exiſtere, ſicut decunt de cæteris accidentibus realiter diſtinctis. Alij verò negant propter peculiarem rationem quæ reperitur in iſtis accidentibus, quæ ſunt potentiæ animæ, quæ ratio non reperitur in aliis accidentibus; potentiæ enim animæ, quia ſunt vitales, dicunt neceſſariam connexionem cum principio vitali; quod inde colligitur, quia intellectus, & voluntas, non poſſunt ſeparatim operari, ſicut poteſt calefacere calor ſeparatus ab igne. Et ratio eſt, quia, vel neceſſariò debet influere ipſa anima in operationem vitalem, vel ſaltem debet operatio recipi in ipſa anima; tenendo autem hanc opinionem conſequenter dicendum eſt, potentias, & actiones vitales eſſentialiter includere actualem dependentiam ab anima tamquam à ſubiecto.

17. *Reſponſio ad primum argumentum primæ ſententiæ.* Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd actualis dependentia à ſubiecto, non repugnat ſubſtantiæ vt ſic, nam forma

ma ſubſtantialis materialiter dependet à materia tamquam à ſubiecto, ſolùm verò repugnat ita dependere à ſubiecto, vt non faciat vnum per ſe cum ſubiecto, & hoc modo conceditur ſubſtantiæ repugnare dependere à ſubiecto, ita vt non faciat vnum per ſe cum ſubiecto, & hoc eſt eſſentiale formæ ſubſtantiali materiali, quia forma eſt vt actus, & materia eſt, vt potentia in eodem genere; Sed ex hoc non concluditur, quòd accidenti ſit eſſentiale dependere actu à ſubiecto, ſed tãtùm cõcluditur, quòd ſit eſſentiale accidenti, vt habeat inclinationem ad inhærendum ſubiecto, cum quo non poſſit facere vnum per ſe cũ ſubiecto, quia per hoc quòd non facit vnum per ſe, ſatis ſufficienter diſtinguitur à forma ſubſtantiali materiali.

18. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum reſpondetur cauſam materialem intrinſecam non poſſe à Deo ſuppleri, reſpectu cõpoſiti, cui eſt intrinſeca per compoſitionem; Deus enim non poteſt intrare tamquam pars in compoſitionem; at verò poteſt Deus ſupplere concurſum cauſæ materialis, quantùm ad ſuſtentationem, quia per ſuſtentationem cauſa materialis non fit intrinſeca compoſito, ſed ſuſtentatio eſt tantùm conditio, quæ poteſt à Deo ſuppleri per concurſum efficientis, vt fuſiùs dicetur infrà in tertia quæſtione in reſponſione ad ſecundum.

SECVNDA QVÆSTIO.

Vtrum actualis inhærentia diſtinguatur à parte rei ab accidenti realiter diſtincto, v. g. à quantitate.

1. *Ratio dubibitandi pro parte negatiua.* VIDETVR quòd actualis inhærentia non diſtinguatur à parte rei à quantitate; & ratio dubitandi eſt, quia Ariſt. 8. Metaph. in fine docet, quando ex duobus vnum eſt potentia, alterum verò actus illius, nullam eſſe quærendam cauſam, propter quam ex illis fiat vnum, præter cauſam agentem, quæ mouet ſubiectum, quia ſe ipſis fiunt vnum, non igitur requiritur actualis inhærentia ad hoc, vt ex ſubiecto & quantitate fiat vnum, præſertim cum Ariſt. ibidem de ſubiecto exemplificet quòd vnum ſit potentia & alterum actus.

HÆC quæſtio breuiter expeditur ex dictis in ſuperiori quæſtione: ſit

2. *Vnica concluſio.* VNICA concluſio. Actualis inhærentia diſtinguitur à parte rei ab ipſa quantitate. Hæc concluſio eſt communis Doctorum, qui contra hæreticos tenent quantitatem in ſacramento exiſtere ſine ſubiecto, & inter recentiores optimè docet illam Cardinalis Bellarm. lib. 3. de Euchariſt. cap. 24. *Cardinal. Bellarm.*

Et probatur, Poteſt quantitas ſine actuali inhærẽtia manere vt ſupponitur, ergo diſtinguitur à parte rei ab actuali inhærentia. Conſequẽtia probatur, ex illa regula Ariſtotelica 7. Topic. cap. 1. circa finẽ, *Ariſt.* quòd quãdo vnũ ſine altero eſſe poteſt, illa duo ſunt diuerſa & diſtincta; & quidem ſufficit, vt vnum ſine altero eſſe poſſit; vt patet ex eodem Ariſt. 7. Met. in fin. vbi ex hac regula probat carnem eſſe aliquid diſtinctum ab elementis, ex quibus componitur, quia quamuis caro non poſſit exiſtere ſine elementis, poſſunt tamen elemẽta manere, diſſoluta carne, & hoc modo hanc regulam intelligunt Alexand. Auerr. & alij in illum locum 7. Topic. Et *S. Auguſt.* ex hac regula Auguſt. de Trinit. cap. 7. colligit magnitudinem diſtingui à figura, & communiter ſcholaſt. vt Scotus in 2. diſt. 1. q. 5. & Durand. in 1. diſt. *Scot. Dur.*

A 3. quæſt. 2. colligunt humanitatem diſtingui à ſubſiſtentia, quia humanitas in Chriſto eſt ſine ſubſiſtentia.

Sed contra hanc rationem, quæ fundamentalis eſt in hac materia, inſtant ſubtiliter nonnulli; Poteſt dici, quod actualis inhærentia ſit idem intrinſecè, quod quantitas, & ſolùm differat penes connotatum extrinſecũ, quatenus ſcilicet actualis inhærentia connotat exiſtentiam ſubſtantiæ, quam non connotat quantitas abſolutè ſumpta, quia poteſt eſſe ſine ſubſtantia; Quòd ſi hoc dicatur, ratio, inquiunt, allata nulla eſſet, nam cùm ſeparatur in Sacramento quantitas à ſubſtantia, non corrumpitur aliqua ratio formalis actualis inhærentiæ, quæ B ſit diſtincta à quantitate; ſed quia deſinit ſubſtantia, quæ eſt terminus extrinſecus cõnotatus, deſinit quantitas denominari inhærens actualiter; ſicut qui tenent ſimilitudinem non eſſe aliquam rationem formalem diſtinctã ab albedine, ſed eſſe ipſammet albedinem, vt connotantem aliud coalbum, tãquam terminum extrinſecum. Dicunt cõſequenter, quòd corrupto coalbo, non corrumpitur aliqua ratio formalis realis, quæ erat in albedine, ſed tantùm deſinit albedo denominari ſimilis ex defectu termini. *3. Inſtantia contra probationem.*

Sed ad hanc inſtantiam reſpondetur, quicquid ſit, an hoc poſſit dici de relationibus prædicamentalibus, quę ſunt puri reſpectus, de qua re infrà dicetur in prædicamento Relationis q. 1. non tamen C poteſt dici in caſu noſtro. Nam ſi teneatur vt tenẽt aliqui, quòd relationes prædicamentales, vt ſimilitudo, nihil aliud dicat, quàm ipſammet albedinem connotando terminum extrinſecum, tunc conſequẽter dicendũ eſt cũ authoribus huius ſententiæ, eſſe impoſſibile quòd exiſtente albedine & alio coalbo tamquam termino, ipſa ſimilitudo non exiſtat, quia nil aliud includit, quàm exiſtentiam albedinis, & termini. In caſu autem noſtro hoc dici non poteſt, nam etiam ſi maneret ſubſtantia panis in Sacramento, quod non repugnat per diuinam potentiam, adhuc quantitas poſſet manere ſeparata à ſubſtantia, quia cùm non ſit purus reſpectus, non de- D pendet ab exiſtentia ſubſtantiæ, tamquam à termino, vt probatum eſt in 1. q. in 2. concluſione, ergo actualis inhærentia quantitatis præter exiſtentiam quantitatis, & exiſtentiam ſubſtantiæ dicit aliquid aliud diſtinctum ab vtroque. *Solutio.*

Hinc colligitur, quòd non ſolùm in quantitate, ſed in omnibus aliis accidentibus, cuiuſmodi ſunt calor, albedo, &c. quæ poſſunt, vt ſuprà probatũ eſt, exiſtere ſine ſubſtãtia, & quãtitate, actualis inhærẽtia diſtinguatur à parte rei ab huiuſmodi accidentibus; at verò in his accidentibus, quæ non poſſunt ſeparata exiſtere à ſubiecto, vt ſunt modi, & etiam actiones vitales ſecundùm aliquos Thomiſtas, E actualis inhærentia, non diſtinguitur ab ipſis accidentibus. 4.

Ad rationem dubitandi ex Ariſtotele reſpondetur in eo loco, Ariſtotelem apertè loqui de forma accidentali, quæ exiſtit in ſubiecto, & actu informat ſubiectum, non autem de forma potente informare, nam hoc modo forma in actu primo ſeu potens informare, & ſubiectũ, non faciunt vnũ, ac propterea ibi dicit Ariſtoteles eſſe neceſſariã cauſam efficientem, quæ moueat ſubiectum ad actum ſecundum; mouet autem vniendo per inhærentiam accidens cum ſubiecto. *5. Reſponſio ad rationẽ dubitandi initiò poſitam.*

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

An ſeparatio quantitatis à ſubiecto, ſeu alterius accidentis realiter diſtincti fiat per nouam actionem Dei, & An præter hanc actionem detur alius modus formalis exiſtendi per ſe.

HÆc quæſtio mouetur præcipuè propter quantitatem, de qua certum eſt poſſe ſeparatam exiſtere ſine ſubiecto, vt patet in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, nam de cæteris qualitatibus non eſt ita certum an poſſint exiſtere ſeparatæ à quantitate, tanquam à ſubiecto, vt ſupra oſtenſum eſt.

1. Explicatur quæſtio.

PRO explicatione quæſtionis notandum eſt; certum eſſe, quòd cùm quantitas ſeparatur à ſubiecto, deſinat actualis inhærentia ipſius qualitatis in ſubiecto, ſeu deſinat illa actio, per quam ante ſeparationem conſeruabatur quantitas dependenter à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali: Quod autem modò quæritur eſt, An præter illam deſitionem inhærentiæ ſeu actionis requiratur noua actio, per quam à Deo conſeruetur quantitas extra ſubiectum: ita vt hęc actio Dei ſubſtituatur loco illius inhærentię; quã habebat quantitas in ſubiecto, ſeu loco illius actionis, per quam ante ſeparationem quantitas conſeruabatur à ſubiecto, tamquam à cauſa materiali.

Punctus difficultatis.

2. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aſſerit ſeparationem quantitatis à ſubiecto, non fieri per aliquam nouam actionem à parte rei diſtinctam ab ipſa quantitate, ſed per actiuam ſeparationem quantitatis à ſubiecto, ſeu deſitionem illius actionis, per quam quantitas priùs conſeruabatur in ſubiecto dependenter à ſubiecto, tanquam à cauſa materiali; Conſeruatio igitur quantitatis ſine ſubiecto ſecundùm hanc ſententiam non eſt noua actio à parte rei diuerſa à quantitate, ſed eſt ſola entitas ipſius quantitatis connotans negationem dependentiæ à ſubiecto; ſicut actio, inquit, qua creatur Angelus, nihil aliud eſt quam ipſa entitas Angeli, cum negatione dependentiæ à ſubiecto.

Primum argumentum.

Probatur primò, quia ſi eſſet noua actio diuerſa ab ipſa entitate quantitatis conſeruatæ ſine ſubiecto, ſequeretur, quòd daretur aliquod accidens, quod nunquam poſſit dependere à ſubiecto; quod quidem eſt contra naturam accidentis; Sequela probatur, quia hæc actio per quam creatur vel conſeruatur quantitas ſine ſubiecto, non poteſt inhærere, neque in quantitate; eſt enim quantitas terminus huius actionis, neque in alio ſubiecto, quia iam illa actio eſt creatio, ſeu conſeruatio ſine ſubiecto.

Secundum argumentum.

Secundò probatur, quia Deus non poteſt ſupplere concurſum cauſę materialis, concurſus enim cauſæ materialis, vt ſuprà dictum eſt, fit per intrinſecam, & formalem vnionem ſubiecti cum forma; Sed hanc vnionem intrinſecam, & formalem, Deus non poteſt habere, quia diceret imperfectionem in Deo; Loco igitur illius actionis, quam habebat ſubiectum circa quantitatem, non poteſt ſubſtitui noua actio Dei.

3. Secũda ſententia.

SECVNDA ſententia extrema tenet, præter nouam actionem requiri modum quendam poſitiuum per quem quantitas per ſe exiſtat; quem vocant formalem ſeparationem à ſubiecto; Ita tenet Ferrarienſis 4. contra gentes, cap. 66. Caiet. 3. part. quæſt. 77.

Ferrarienſ. Caiet.

Primum argumentum.

Probatur hæc ſententia primò authoritate S. Thomæ, qui 3 part. quæſt. 77. art. ſecundo ad ſecun-

A dum, docet accidentibus dari diuinitus, vt ſint per ſe.

Secũdæ ſententiæ. S. Thom. Secundũ argumentum.

Probatur ſecundò, Modus exiſtendi per ſe in ſubſtantia eſt poſitiuus diſtinctus à parte rei à natura, vt probatum eſt in prędicamento ſubſtantiæ, ergo etiam in quantitate, quando ſeparata exiſtit in ſe, hic modus non erit mera negatio dependens à ſubiecto, ſed modus poſitiuus diſtinctus à parte rei ab ipſa quantitate.

Tertium argumentum.

Tertiò, Nulla eſt implicantia ſi concedatur hic modus poſitiuus in quantitate, ergo, &c. Antecedens probatur, quia adhuc quantitas differret à ſubſtantia; ſubſtantia enim illum modum perſeitatis haberet connaturaliter, accidens verò haberet ſupernaturaliter, & miraculosè.

B

Quartũ argumentum.

Quartò, Accidens ſeparatum à ſubiecto ita operatur, ac ſi eſſet præſens ipſi ſubiecto ſubſtantiali, ergo aliquid acquirit de nouo per quod ſuppleatur abſentia ſubiecti.

Quintũ argumentum.

Quintò, Quantitas exiſtebat in ſubiecto per modum poſitiuum inhærentiæ a parte rei diſtinctum à quãtitate, ergo cùm exiſtit in ſe ſeparata à ſubiecto, debet etiam exiſtere per modũ poſitiuum; Probatur conſequentia; quia exiſtere in ſe eſt nobilior modus quàm exiſtere in alio, ergo ſi exiſtentia in alio, eſt modus poſitiuus, multò magis exiſtentia in ſe.

His tamen non obſtantibus tenenda eſt

4. Tertia ſententia verior.

MEDIA ſententia communior ſcholaſticorum C quos infrà citabimus, explicatur autem hæc ſententia tribus concluſionibus.

5. Prima concluſio.

PRIMA concluſio contra primam ſententiam, Quando quantitas, ſeu aliud accidens realiter diſtinctum conſeruatur à Deo ſeparatum à ſubiecto, non ſatis eſt ſola ſeparatio actiua, ſeu negatio dependentiæ quantitatis à ſubiecto, ſed requiritur nouus & maior influxus Dei, per quem conſeruetur quantitas, ſeu aliud accidens.

Probatur, Quantitas quando erat coniuncta cum ſubiecto, conſeruabatur per dependentiam à ſubiecto, ergo ſi ſeparatur à ſubiecto, requiritur noua aliqua actio ſupplens illam dependentiam; Nec poteſt dici conſeruari per actionem antiquam Dei, D per quam conſeruabatur, quando erat coniuncta cum ſubiecto, non, inquam, poteſt dici; quia poſt ſeparationem debet ſuppleri influxus ſubiecti, ergo actio noua Dei debet eſſe maior quidam influxus, quàm priùs erat, non enim poteſt intelligi, quòd effectus, qui priùs non dependebat ſufficienter, & adæquatè ab aliqua cauſa, poſtea ſine aliquo alio ſuperaddito dependeat ab illa; ſed quantitas priùs non dependebat adæquatè à Deo, quia etiam dependebat à ſubiecto, ergo ſi ſeparatur à ſubiecto, non poteſt intelligi quòd adæquatè & ſufficienter dependeat à Deo per priorem concurſum tanquam per principium ſufficiens, ergo requiritur nouus concurſus.

E Diſtinguitur autẽ hic nouus concurſus à parte rei ab ipſa quãtitate ſeparata, quia, vt bene probat Suar. in diſp. 20. Si Deus vniret eandem quãtitatem cum ſubiecto, maneret eadem quantitas, & tamen non maneret actio, per quam quantitas conſeruabatur ſine ſubiecto; ergo actio illa per quam quantitas ſeparata conſeruabatur ſine ſubiecto, diſtinguitur à parte rei à quantitate, quia ſeparabilitas eſt ſignum diſtinctionis.

6. Secũda concluſio.

SECVNDA concluſio, Hæc noua actio Dei per quam quantitas conſeruatur ſine ſubiecto, diſtinguitur eſſentialiter ab actione eiuſdem Dei, per quam quantitas conſeruabatur in ſubiecto.

Probatur, quia hæc habet aliquam ſimilitudi-

nem cum illa actione qua creatur Angelus; vtraque enim eſt ſine ſubiecto, cum hac tamen differentia, quòd actio, qua producitur Angelus ſine ſubiecto, eſt connaturalis Angelo; at verò actio, qua producitur, ſeu conſeruatur quantitas ſine ſubiecto, eſt miraculoſa, quia non debetur quantitati.

7. Dubium.

Supereſt ſolùm dubium, an illa actio Dei, per quam alia accidentia ſeparantur à ſubſtantia, ſed non à quantitate, vt calor, albedo, &c. ſit diſtincta ab illa actione ipſius Dei, per quam priùs conſeruabantur eadem accidentia in ſubſtantia; Et ratio dubitandi eſt, quia illa actio, non eſt creatio ex nihilo; non enim eſt actio ſine ſubiecto; accidentia enim illa conſeruantur per hanc actionem in quantitate, tamquam in ſubiecto.

Reſpondeo tamen, quòd quamuis illa actio, per quam conſeruantur accidentia in quantitate ſine ſubiecto ſubſtantiali, non differat eſſentialiter ab illa actione priori; per quam illa accidentia conſeruabantur in ſubſtantia propter rationem aſſignatam; quia adhuc illa actio eſt cum dependentia à ſubiecto quantitatis: differt tamen ab illa priori actione, quia in hac poſteriori requiritur maior concurſus; debet enim à Deo ſuppleri ille concurſus, quem præbebat ſubſtantia.

Sed quæres, quomodo ille concurſus fiat maior? Reſpondetur, qui tenent concurſum eſſe entitatem ſimplicem, dicunt corrumpi priorem concurſum & fieri alium perfectiorem, non quidem eſſentialiter, quia, vt dictum eſt, vterque concurſus conuenit eſſentialiter in eo, quòd vterque eſt cum dependentia à ſubiecto, ſed ſit perfectior ſecundùm perfectionem indiuidualem. Quòd ſi obiicias hinc ſequi, quòd albedo, quando eſt in ſubiecto, differret numero à ſe ipſa, quando eſſet extra ſubiectum, Reſpondetur, quòd albedo, quando fit extra ſubiectum, non mutatur intrinſecè in ſe ipſa, tunc autem mutaretur, quando fieret magis intenſa, & tunc ſi albedo eſt qualitas ſimplex, vt tenet S. Thomas, tunc dicendum eſt cum Thomiſtis, quòd quando fit albedo magis intenſa, ſeu magis radicata in ſubiecto. corrumpitur prior albedo, & fit alia albedo perfectior, ſecundùm perfectionem indiuidualem; Si verò teneatur quòd concurſus non ſit entitas ſimplex, tunc faciliùs reſpondetur ad quæſitum, concurſum poſteriorem fieri maiorem per additionem. Sed quid dicendum ſit circa hanc materiam, oſtendetur in prædicamento qualitatis.

8. Tertia cõcluſio.

Tertia concluſio contra ſecundam ſententiam; Præter hanc nouam actionem, qua quantitas conſeruatur ſine ſubiecto, non eſt ponendus alius modus poſitiuus per ſe exiſtendi in ipſa quantitate; Ita tenet Sotus in quarto diſt. 10. quæſt. 2. art. 2. Palud. in quarto, diſti. 12. quæſt. 1. Scot. ibidem quæſt. 1. & 2. & alij.

Sotus. Palud. Scot.

Explicatur ſenſus concluſionis. Duo modi explicandi per ſe.

Pro explicatione autem huius concluſionis notandum eſt per rationem formalem exiſtendi per ſe duos modos poſſe ſignificari: Primus eſt exiſtere in ſe abſque ſuſtentatione: Secundus modus eſt, per modum ſuppoſiti, quo conſtituitur ſuppoſitum; hic autem modus non eſt ratio, vt natura ſubſtantialis exiſtat in ſe ſine ſuſtentante, ſed vt per ſe exiſtat; hoc eſt ſeorſim, & incommunicabiliter, vt fusè probauimus in prædicamento ſubſtantiæ; Prior modus dici ſolet à recentioribus inſeitas, ſeu modus exiſtendi in ſe: poſterior verò modus dici ſolet perſeitas, ſeu modus exiſtendi per ſe; Quòd autem hi duo modi diſtinguantur patet, quia natura humana in Chriſto non eſt per ſe, ſed in alio ſecundùm rationem ſuppoſiti, & tamen habet negationem dependentiæ in ſubiecto.

9. Probatur concluſio.

His poſitis, ſi ſermo eſt de priori modo exiſtendi in ſe, dicendum eſt hunc modum nec diſtingui ab ipſa ſubſtantia, nec ab ipſa quantitate ſeparata, nihil enim eſt aliud hic modus exiſtendi in ſe abſque ſuſtentante, quàm ipſa exiſtentia ſubſtantiæ, vel quantitatis ſeparatæ, per quam ipſa ſubſtantia, vel quantitas exiſtunt in rerum natura, & ipſa entitas actionis, per quam accipit ſubſtantia, & quantitas ſeparata ſuam exiſtentiam ſine dependentia à ſubiecto; Solùm autem differt hic modus exiſtendi in ſe, quem habet quantitas ſeparata à modo exiſtendi in ſe, quem habet ſubſtantia, quia ille eſt miraculoſus, hic connaturalis.

Quòd autem præter hanc actionem, non requiratur in quantitate ſeparata, & ſubſtantia aliquis alius modus poſitiuus, & formalis exiſtendi in ſe, probatur, quia productio, ſeu conſeruatio rei ex nihilo eſſentialiter, eſt via per quam res dependet à ſolo Deo ſine dependentia à ſubiecto, hic eſt enim conceptus productionis ex nihilo, vt patet ex terminis, & eſt definitio communiter recepta, ergo per hanc productionem, ſeu conſeruationem ex nihilo res ſiue connaturaliter vt ſubſtantia, ſiue miraculoſè vt quãtitas ſeparata, exiſtit in ſe ſine ſuſtentante; quare præter hanc actionem non requiritur alius modus, vt ſubſtantia ſeu quantitas ſeparata à ſubiecto exiſtat in ſe ſine ſuſtentante.

Si verò ſermo ſit de poſteriori modo exiſtendi per ſe ad modum ſuppoſiti, tunc dicendum eſt hunc modum in ſubſtantia eſſe poſitiuum, & diſtinctum à parte rei à natura ſubſtantiali, vt fusè probauimus in prædicamento ſubſtantiæ. Hunc tamen modum non poſſe reperiri in quantitate ſeparata; Probatur primò, quia vel ille modus eſſet accidentalis, vel ſubſtantialis; Non poteſt dici primum, quia tunc ille modus nõ poſſet dare eſſe per ſe accidẽti; hoc enim eſſe per ſe, eſt eſſe ſubſtantiale; Non ſecundum, tum quia primò ſicut repugnat ſubſtantiam eſſe inhærentem per modum accidentalem; ita repugnat accidenti eſſe per ſe, per modum ſubſtantialem: tum quia ſecundò cùm ſubſtantia ſit perfectior natura, & aptior ad ſubſiſtendum, quàm ſit accidens, non poteſt ille modus ſubſtantialis perſeitatis, qui eſt ſufficiens ad dandum eſſe per ſe ſubſtantiæ, eſſe ſufficiens accidenti, ſed requireretur modus perfectior: tum quia tertiò ille modus perſeitatis conſtitueret accidens tanquam vnum ſuppoſitum, quia accidens non inhæreret in illo modo tanquam in ſubiecto, ſed potiùs per illum accidens eſſet per ſe; quod quidem eſt abſurdum; quia ſequeretur quòd tunc poſſet accidens immediatè aſſumi à Verbo contra communem Theologorum in tertio. 10.

11. Reſpõſio ad argumentum primæ ſententiæ.

Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondetur, concedendo actionem illam per quam quantitas conſeruatur ſine ſubiecto, habere rationem accidentis; Et cùm inſtatur, quòd illa actio non poteſt habere rationem accidentis, quia non inhæret, neque inhærere poteſt in alio tanquam in ſubiecto, quia eſt via per quam ponitur quantitas extra ſubiectum, reſpondetur, ad rationem accidentis ſufficere, vt illa actio ſit via ad terminum accidentalem, & ſit inſeparabilis ſaltem naturaliter à ſuo termino, & non faciat vnum per ſe cum illo, vt fuſiùs oſtendetur infrà quæſt. 4.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur, Deum poſſe ſupplere efficienter concurſum ſuſtentatiuum cauſæ materialis, non autem poteſt ſupplere concurſum, quo materia concurrit tanquam pars ad conſtituendum compoſitum, quia hoc dicit imperfectionem, vt dictum

Digitized by Google

dictum eſt ſuprà quæſt. 1. ad ſecundum.

12. *Ad primum ſecūdæ ſententiæ.* Ad argumenta ſecundæ ſententiæ quæ ſunt contra tertiam concluſionem, reſpondetur, & ad primum ex authoritate S. Thomæ dicitur, quòd per modum eſſendi, in ſe quem diuinitus accidentia acquirunt, intelligat S. Thom. ipſam nouam actionem, ſeu maiorem influxum, per quem quantitas conſeruatur a Deo ſine ſubiecto. *S. Thom.*

Quòd ſi adhuc inſtes, quia S. Doctor loco citato videtur tribuere quantitati poſt ſeparationem, compoſitionem quandam ſubſtantialem cum aliis accidentibus, ex quo loco ſumpſerunt occaſionem aliqui Thomiſtæ dicendi, quantitatem in ſacramento præter nouam actionem habere modum poſitiuum exiſtendi in ſe. Reſpondetur quòd tantùm voluit S. Thom. in illo loco dicere, quòd ex ipſa quantitate, quæ eſt in ſe, hoc eſt ſeparata à ſubiecto, & ex qualitatibus, quæ in ipſa inhærent, fiat vnum compoſitum ſimile compoſito ſubſtantiali, ſcilicet, quia quantitas ſeparata à ſubiecto eſt loco ſubſtantiæ.

Ad ſecundū. Ad ſecundum reſponſio patet ex illa diſtinctione duplicis modi exiſtendi per ſe, quam explicauimus in tertia concluſione: Suppoſita igitur illa diſtinctione dicimus, quòd ſi ſermo eſt de modo exiſtendi in ſe, ſine ſuſtentante, tunc dicendum eſt hunc modum eſſe negationem dependentiæ à ſubiecto, eo modo, quo ſuprà explicatum eſt; quæ quidem negatio eſt connaturaliter in ſubſtantia, & miraculosè in quantitate ſeparata. Si verò ſermo eſt de modo exiſtendi per ſe per modum ſuppoſiti, faciente naturam exiſtere ſeorſim ab aliis, & incommunicabiliter, tunc certum eſt, vt probauimus in prædicamento ſubſtantiæ diſp. 3. hunc modum eſſe poſitiuum, & diſtinctum à natura ſubſtantiali, eſſe tamen impoſſibilem ipſi quantitati ſeparatæ, vt ſuprà probauimus in 3. concluſione.

13. *Ad tertium.* Ad tertium patet ex dictis, probauimus enim hunc modum exiſtendi per ſe, per modum ſuppoſiti implicare quantitati.

Ad quartū. Ad quartum reſpondetur, quòd ad hoc, vt accidens ſeparatum à ſubſtantia operetur, ac ſi eſſet coniunctum cum ſubſtantia, nihil aliud requiritur, niſi noua actio, per quam ſuppleatur ille concurſus, quem habebat ſubſtantia ad accidens, quare alius modus formalis exiſtendi per ſe, eſſet ſuperfluus accidenti, quantùm ad operationem. Quòd ſi teneatur ſubſtantiam concurrere actiuè ſimul cum accidenti, ad ipſam operationem, adhuc non eſt neceſſarius modus formalis exiſtendi per ſe; ſed ſatis eſt vt Deus ſimul cum accidenti maiori influxu concurrat ad ipſam operationem.

14. *Ad quintū.* Ad quintum reſpondetur, concedendo modum exiſtendi in ſe, eſſe nobiliorem, quàm modum exiſtendi in alio; negatur tamen, quòd modus exiſtendi in ſe, non dicat aliquod poſitiuum; nam tam in ſubſtantia, quàm in quantitate ſeparata, hic modus præter negationem dependentiæ, dicit ipſam entitatem ſubſtantiæ, vel quantitatis ſeparatæ, & ipſam actionem Dei per quam connaturaliter producitur ſubſtantia, & miraculosè conſeruatur quantitas ſine dependentia à ſubiecto, vt diximus ſuprà.

QVÆSTIO QVARTA.

An accidēs, vt accidens, dicat eſſentialiter aptitudinalem ſaltem inhærentiam in ſubiecto.

1. *Prima ſententia. Scotus. Ant. Andr.* PRIMA ſententia negat, & eſt Scoti in 4. d. 2. quæſt. 1. & 7. met. quæſt. 1. Ant. Andr. 7. met. quæſt. 1. & inter Thomiſtas Soncin. 7. A mèt. quæſt. 1. & Flāndr. quæſt. 2. *Sonc. Fland.*

Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia neque relatio prædicamentalis vt dicit, Ad, neque actio, qua res producitur extra ſubiectum, dicunt dependentiam à ſubiecto. *Fundamentum primæ opinionis.*

2. *Secūda ſententia. Caiet. Capr. Ariſtot.* SECVNDA ſententia affirmat. Eſt Caietani de ente, & eſſentia cap. 7. quæſt. 15. Capreoli in 1. diſt. 42. quæſt. 1. a. 3 ad 1. contra quintam, & ſextam concluſionem, & aliorum Thomiſtarum.

Fundamentum ſecundæ ſententiæ. Ariſtot. Fundamentum eſt, quia Ariſtoteles 7. met. cap. 1. & cap. 5. definit accidens in ordine ad ſubiectum; ac propterea dicit ſubſtantiam eſſe priorem accidente, & 4. met. dicit accidens eſſe entis ens.

3. *Notandum pro explicatione quæſtionis. Quotmodis accipitur inhærentia.* PRO explicatione notandum inhærentiam accipi duobus modis.

B Primò, eo modo, quo definiuit Ariſtoteles in anteprædicamentis (Inhærere, inquit, dicitur illud, quod non eſt in alio, tanquam pars, nec poteſt ſeparari ab eo in quo eſt.) In qua definitione tres tantùm conditiones videtur requirere Ariſtoteles ad rationem accidentis; Prima eſt, quam videtur Ariſt. ſupponere, vt accidens ſit in alio; quia cùm accidens ſit affectio alterius, ex Ariſtot. 7. met. neceſſariò debet eſſe in eo cuius eſt affectio. Secunda conditio eſt, vt non ſit in alio tamquam pars componens, ſcilicet, vnum per ſe, quia hoc eſt proprium formæ materialis ſubſtantialis, quæ eſt tamquam pars in materia componens vnum per ſe cum illa. Tertia conditio eſt, vt non poſſit ſaltem naturaliter ſeparari ab eo, in quo C eſt, quia ex 4 metaphy. eſt entis ens.

Secundo modo accipi ſolet inhærentia, addendo quartam conditionem ſuper tres prædictas, vt, ſcilicet, accidens dicat actualem, vel ſaltem aptitudinalem dependentiam ab alio, tanquam à ſubiecto, ſeu cauſa materiali.

His poſitis ſit

4. *Vnica concluſio Primum dictum huius cōcluſionis.* VNICA concluſio, in qua dico primò, ſi inhærentia accipiatur primo modo, omne accidens dicit aptitudinalem ſaltem inhærentiam ad id, cuius eſt accidens, quia eſſentialiter ex Ariſtot. 4. & 7. met. eſt affectio alterius, & entis ens; Si verò accipiatur inhærentia ſecundo modo, quatenus dicit dependentiam ab alio tanquam à ſubiecto; tunc dico ſe- D cundò, quòd neque actualis, neque aptitudinalis inhærentia eſt de eſſentia accidentis, vt accidens eſt; neque conſequenter eſt de eſſentia cuiuſlibet accidentis.

Secundum dictum eiuſdem cōcluſionis. Sed difficultas eſt in aſſignando, quodnam ſit illud accidens, quod quidem ſit in alio, tanquam affectio illius, & non poſſit ſaltem naturaliter ſeparari ab illo, & tamen non dicat actualem, vel ſaltem aptitudinalem dependentiam ab illo, tanquam à ſubiecto, ſeu cauſa materiali.

5. *Prima probatio.* Nonnulli aſſignant exemplum de relatione prædicamentali, quæ vt dicit, Ad, eſt accidens, & tamen vt ſic, non dependet, neque poteſt dependere ab alio, tanquam à ſubiecto, quamuis dependeat ab alio, tamquam à termino, quia vt ſic, qua- E tenus dicit eſſe, Ad, non dicit eſſe, In, diſtinguunt enim communiter Philoſophi eſſe, In, ab eſſe, Ad.

Confutatur. Sed hæc ratio non eſt efficax, quia relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe, Ad, eſt etiam realis, vt probauimus in prædicamento relationis, non poteſt igitur præſcindere ab eſſe, In.

Secūda probatio. Secundò ſolet probari exemplo actionis creatiuæ, qua producitur ſubſtantia ſpiritualis independenter à ſubiecto; hæc enim nec eſt, neque poteſt eſſe in ſubiecto; quia eſt via ponendi terminum extra ſubiectum.

Sed neque hæc ratio eſt efficax, quia multi tenent

nent hanc actionem creatiuam non diſtingui à parte rei à creatura, ſed identificari cum illa. A

6. Tertia probatio verior. Probatur igitur tertiò efficaciter, exemplo illius actionis qua quantitas ſeparata vel producitur, vel conſeruatur ſine ſubiecto in ſanctiſſimo Sacramento; hæc enim actio habet veram rationem accidentis, & eſt diſtincta à parte rei à quantitate, & tamen non dependet, neque dependere poteſt ab alio tamquam à ſubiecto ſeu à cauſa materiali; ergo non omne accidens dicit actualem vel aptitudinalem dependentiam tamquam à ſubiecto. Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens probatur, quò ad omnes tres partes.

Prima pars, quòd ſcilicet, hæc actio ſit accidentalis, probatur, quia terminatur tanquam via ad quantitatem quæ eſt accidens, ergo etiam ipſa actio B ſecundùm ſuum conceptum formalem eſt accidens. Præterea habet omnes conditiones accidentis, quas requirit Ariſt. in anteprædicamentis, eſt enim in ipſa quantitate inſeparabiliter; eſt enim via ad producendum ſeu conſeruandum quantitatem ſine ſubiecto, & non eſt in ipſa quantitate tamquam pars componens vnum per ſe cum ipſa quantitate.

Secunda pars Antecedentis, quòd ſcilicet, hæc actio ſit diſtincta à quantitate, probatur, quia poteſt manere entitas quantitatis ſine hac actione; quod quidem ſignum eſt diſtinctionis à parte rei; vt probatum eſt ſuprà quæſt. 2. Quòd verò poſſit entitas quantitatis remanere ſine hac actione, probatur; quia illammet quantitatem, quam Deus in Sacramento conſeruat ſine ſubiecto, poſſet vnire ſubiecto, in quo caſu maneret eadem quantitas, non manente eadem priori actione, quia illa prior actio erat eſſentialiter via, ad ponendum terminum, ſine ſubiecto; Et præterea illa actio eſt eſſentialiter maior influxus, quàm ſit actio, qua conſeruatur quantitas in ſubiecto. C

7. Obiectio contra tertiam probationem. VNVM tamen poſſet obiici contra hanc rationẽ; ſi dicatur quòd actio qua res producitur ſine ſubiecto, non ſit aliquid in creatura, ſed tantùm in ipſo Creatore; ipſe ſcilicet, met actus diuinæ voluntatis.

Sed hoc non obſtat; ſupponimus enim hîc cum communi, creationem pręſertim, qua accidens conſeruatur ſine ſubiecto, eſſe aliquid in re producta.

Soluitur. Ægid. Probat Ægidius de ente, & eſſentia quæſt. 7. & præterea ſaltem negari non poteſt creationem paſſiuam, vt dicit emanationem paſſiuam, non eſſe aliquid in ipſa creatura; quia verè intrinſecè creatura dependet à Deo, tum quia nihil aliud eſt quàm ipſum fieri creaturæ. D

Quòd autem hæc emanatio paſſiua ſit diſtincta à parte rei à termino, probatur ſpecialiter in quãtitate ſeparata à ſubiecto, ſicut probatũ eſt de actione, quia ſi quantitas ſeparata, vniatur cum ſubiecto, remanet eadẽ quantitas, & tamen mutatur illa emanatio paſſiua per quam quantitas dependebat à Deo extra ſubiectum, quia, vt patet ex dictis, differt eſſentialiter ab illa dependentia, qua quantitas vt inhærens in ſubiecto dependet à Deo, maior enim concurſus diuinus requiritur ad conſeruandum quantitatem extra ſubiectum, quàm in ſubiecto. E

Tertia pars Antecedentis, quòd ſcilicet, hęc actio non dependeat ab alio tamquam à ſubiecto, ſeu à cauſa materiali, probatur, quia hæc actio non poteſt pendere à ſubſtantia, quia eſt ſine ſubſtantia, ponit enim quantitatem extra ſubiectum, nec poteſt dependere à quantitate tamquam à ſubiecto, quia eſt via ponẽdi quantitatem ſine ſubiecto, ergo ipſa non poteſt eſſe in ſubiecto.

Quòd ſi dicas vt (quo) eſſe extra ſubiectum; vt (quod) autem eſſe in ſubiecto; Contra hoc eſt, quia ſi eſſentialiter vt (quo) eſt tantæ virtutis, vt ſit ratio ponendi quantitatem extra ſubiectum; ergo ipſa vt (quod) non debet habere imperfectionem dependendi ab alio tamquam à ſubiecto; remanet igitur probatum, dari aliquod accidens, quod neque dicat actualem, neque habitudinalem dependentiam ab alio tamquam à ſubiecto ſeu à cauſa materiali.

TERTIA concluſio, Præter illam actionẽ qua accidens conſeruatur extra ſubiectum, & illam actionem, qua ſubſtantia creatur, ſi ſupponatur quòd illa actio creatiua ſit accidentalis, & diſtincta à ſubſtantia, omnia alia accidentia dicunt aptitudinalem inhærentiam ſecundo modo acceptam, dependentiam, ſcilicet, ab alio tamquam à ſubiecto ſeu cauſa materiali. 8. Tertia concluſio.

Probant nonnulli, quia vel accidens eſt realiter diſtinctum, & tunc, inquiunt, eſt ordinatum ex natura ſua ad informandam ſubſtantiam per inhærẽtiam; vel eſt modus, & tunc dicit actualem affectionem, ſeu coniunctionem cum re, cuius eſt modus.

Sed hæc ratio non eſt omnino efficax; quia non probat, quòd cætera accidentia dependeant à ſubſtantia, tamquam à ſubiecto, è cuius potentia educuntur; poſſet enim dici quòd dependeant à ſubſtantia, tamquam à termino, quatenus tamquam affectiones reſpiciunt ſubſtantiam, vt terminum ipſorum accidentium, ac propterea nõ poſſunt naturaliter ſeparari ab illo, ſicut actio reſpicit effectum ſuũ non tamquam ſubiectum, ſed tamquam terminum, quatenus eſt via ad illum, ac propterea nõ poteſt ſeparari ab illo.

Probandum igitur eſt, quòd non poſſint cætera accidentia dependere à ſubſtantia, tamquam à termino, quod ſic probatur. Non poſſunt, vt oſtenſum eſt ſuprà in 1. quæſtione dependere accidentia à termino, ſicut dependent relationes prædicamentales, quia huiuſmodi relationes ſunt puri reſpectus, atque; adeò exigunt exiſtentiã termini; at accidentia non ſunt puri reſpectus; poſſunt enim aliquid afficiendo ſubſtantiam, vel illam diſponendo, vel extendendo, &c. nec poſſunt cætera accidentia, depẽdere à ſubſtantia, tamquam termino, ſicut dependet actio; quia non ſunt via ad ſubſtantiam, debent igitur naturaliter dependere à ſubſtantia, tamquam à ſubiecto. 9.

QVARTA concluſio, ſi ipſa actio, per quam quantitas ſeparata conſeruatur extra ſubiectum, conſideretur non ſecundùm conceptum formalem, quem habet diſtinctum ex natura rei à quantitate, ſecundùm hunc enim non dependet à ſubiecto, vt probatum eſt, ſed conſideretur ſecundùm realitatem termini, qui per ipſam producitur, & cum quo identificatur realiter, eſt enim modus, & tamquam via ad ipſum, tunc dicendum eſt ipſam actionem dependere à ſubiecto, ſaltem aptitudinaliter, quia terminus, qui eſt quantitas ſeparata; & eſt realitas ipſius actionis, dicit aptitudinalem inhærentiam ad ſubſtantiam, tanquam ad ſubiectum; vnde fit vt omne accidens ſaltem ſecundùm ſuam realitatem dicat inhærentiam aptitudinalem ad ſubſtantiã tanquam ad ſubiectum. 10. Quarta concluſio.

SOLET hîc quæri an illud accidens, quod dicit aptitudinalem inhærentiam ad ſubſtantiam, tanquã ad ſubiectum, habeat ſemper ſubiectum ſibi proportionatum. 11. Quæſitum.

Reſpondetur, quòd hoc quæſitum poteſt habere duplicem Reſponſio.

Digitized by Google

duplicem ſenſum; Primus ſenſus eſt, an accidens ſemper habeat ſubiectum ſibi proportionatum quoad receptionem. Secundus ſenſus eſt, an ſubiectum exigat illud accidens, quod recipit tanquam ſibi commenſuratum.

Quantùm igitur ad primum ſenſum, dico ſufficere, vt ſubiectum ſit receptiuum accidentis, ſiue ſecundùm potentiam naturalem, ſiue ſecundùm potentiam obedientialem; ad eſſentiam enim accidentis nihil aliud ſpectat, quàm quòd poſſit recipi in ſubiecto; quòd autem ſubiectum ſit connaturaliter exigitiuum accidentis, hoc ſpectat ad peculiarem conditionem ſubiecti.

At verò quantùm ad ſecundum ſenſum, dico non ſufficere, vt ſubiectum ſit receptiuum, ſed requiritur, vt habeat connaturalem commenſurationem cum accidenti. Hinc patet, poſſe dari lumen gloriæ, etiam ſi non ſit dabilis ſubſtantia ſupernatu- A ralis creata; & præterea poſſe dari calorem infinitum, etiam ſi non ſit dabilis ſubſtantia infinita, ſic etiam de potentia motiua infinita; ſufficit enim, vt iſta accidentia recipi poſſint in ſubſtantiis, ſaltem per potentiam obedientialem, vt patet ex dictis; ſicut formæ artificiales ſunt vera accidentia, & tamen, quamuis habeant ſubiectum in quo recipi poſſint, non tamen illud ſubiectum eſt connaturaliter exigitiuum ipſarum formarum artificialium.

Ad argumenta primæ & ſecundæ ſententiæ patet ex dictis; & poſſunt conciliari illæ duæ opiniones per diſtinctionem ſuprà datam. 12.

Reliquum eſſet modò agere de vniuocatione ſeu analogia accidentis ad nouem genera accidentium. Sed hæc quæſtio facilè reſoluitur ex dictis de analogia entis, de qua dictum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, in prima diſputatione.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Quantitate circa literam Ariſtotelis.

In hac diſputatione ſunt quatuor quæſtiones literales, quæ breuiter expedientur. *Quæſtio prima literalis.*

I. *Vtrùm quantitas ab Ariſtotele in prædicamento Quantitatis conſideretur ſecundùm rationem extenſionis, vel ſecundùm rationem menſuræ.*

II. *De diuiſionibus Quantitatis, & qualis ſit huiuſmodi diuiſio.*

III. *An rectè numerentur ab Ariſtotele ſeptem ſpecies Quantitatis.*

IV. *De paſſionibus Quantitatis.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm quantitas conſideretur in prædicamento Quantitatis ab Ariſtotele ſecundùm rationem extenſionis, vel ſecundùm rationem menſuræ.

1. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia eſt Burlei, Toleti, & Auerr. ſuper prædicamentum Quantitatis aſſerentium quantitatem conſiderari ab Ariſtotele ſecundùm rationem diuiſibilitatis, ſeu extenſionis.

Primum argumentum. Probatur primò, quia ſecundùm rationem extenſionis conſiderauit quantitatem in 5. Metaph. ergo eodem modo debebat hîc conſiderare. Quòd ſi dicas, ibi conſideraſſe quantitatem ſecundùm eſſentiam, hîc verò ſecundùm propriam paſſionem magis notam, quæ eſt ratio menſuræ. Contra hoc eſt, quia ſi propria paſſio facit diſtinctum prædicamentum, ergo etiam aliæ propriæ paſſiones deberent facere diſtinctum prædicamentum.

Secundũ argumentum. Secundò probatur, ſi quantitas hîc conſideretur, ſecundùm rationem menſuræ, ſequeretur quòd Ariſtoteles debuiſſet inter ſpecies qualitatis, quas hîc ponit, numerare motum, quia motus quamuis in ratione diuiſibilitatis non faciat diſtinctam ſpeciem à tempore, facit tamen diſtinctam ſpeciem B in ratione menſuræ, menſurat enim extenſionem mobilis ſecundum ſpatium; valet enim arguere, quò 1 ſi motus fuit acquiſitio ſpatij palmaris, mobile etiam fuit extenſum per totum illud ſpatium palmare.

Tertiũ argumentum. Tertiò, ſi quantitas conſideraretur in ratione menſuræ, ſequeretur quòd etiam debuiſſet numerari inter ſpecies quantitatis ipſum pondus, quod eſt menſura quædam; per libram enim, & vnciam menſuramus res; Et confirmatur, quia non debuiſſet hæc ſpecies omitti tanquam occulta, vel quia non eſt in vſu, eſt enim manifeſta & communior.

2. His tamen non obſtantibus, ſit

Verior ſententia explicatur vnica cõcluſione. VNICA concluſio. Dicendum eſt probabilius cum Caietan. & Auerr & aliis expoſitoribus ſuper hoc prædicamentum, & S. Thom. opuſ. 42. cap. 2. & Alberto tract. de quantitate cap. 1. conſiderari ab Ariſtotele quantitatem ſub ratione menſuræ. *Caietan. Auer. S. Thom. Alber.*

PRO quo notandum eſt primò, rationem formalem quantitatis eſſe extenſionem impenetrabilem, vt fusè oſtendemus in tertia diſputatione; ex hac autem extenſione fluunt multæ paſſiones, inter quas præcipua eſt æqualitas, & inæqualitas, ex eo enim quòd res eſt extenſa eſt comparabilis per æqualitatem, vel inæqualitatem cum alia; ex hac autem paſſione ſequitur alia paſſio, quæ eſt menſura per quam demonſtratur an res ſit æqualis vel inæqualis, de qua re plura dicemus circa finem huius diſputationis.

3. Probatio. His notatis probatur concluſio. Ariſtoteles hîc aſſignat ſex ſpecies quantitatis, ſcilicet lineã, ſuperficiem, corpus, tempus, orationẽ, & locum; at verò in 5. met. cap. 13. inter ſpecies quantitatis non numerat locum, nec orationem, quod quidem nõ poteſt commodè ſaluari, niſi dicamus Ariſtotelem in 5. Met. conſideraſſe quantitatem ſecundùm rationẽ extenſionis, hîc verò ſecundùm rationem menſuræ. Quòd verò locus in ratione menſuræ ſit diſtincta ſpecies à ſuperficie, & oratio diſtincta ſpecies à numero, infrà oſtendemus in 3. quæſtione.

Ariſtot.

Ad hanc autem rationem reſpõdet Auerr. quòd Ariſt. conſiderauit quantitatem ſub ratione extenſionis, numerauit autem locum, & orationem non tanquam ſpecies diſtinctas à ſuperficie, & numero, ſed ſecundùm famoſum ſermonem.

Sed contrà inſtatur, quia ſi poteſt ſaluari commodè, quòd iſtæ ſpecies ſint diſtinctæ eſſentialiter in ratione menſuræ, non debemus recurrere quòd Ariſt. illas collegerit ex famoſo ſermone, & prætereà quare 5. met. non poſuit illas ſpecies ſecundùm famoſum ſermonem; & confirmatur ex his, quæ mox dicemus in reſponſione ad primum.

4. Reſpõſio ad argumenta. AD argumenta in oppoſitum initiò allata, reſpondetur; & ad primum dicitur, quòd intenſio Ariſtotelis fuit in his prædicamentis res ad quædã capita, & genera reducere ſecundùm manifeſtiores, notioréſque rationes, & quia ratio quantitatis magis innoteſcit nobis per menſuram, ideo in prædicamentis conſiderauit quantitatem ſecundùm rationem menſuræ, in 5. verò met. vbi agit de rerum eſſentiis, conſiderauit quantitatem ſecundùm propriam rationem formalem extenſionis.

Ad inſtantiam reſpondetur, quòd per alias paſſiones non ita innoteſcit nobis ratio eſſentialis quantitatis.

5. Reſpõſio ad ſecundum. Ad ſecundum reſpondent aliqui, motum non differre eſſentialiter à tempore, nec in ratione extenſionis, ſeu diuiſibilitatis, nec in ratione menſurę, vt dicit Sotus.

Sed hoc non eſt dicendum, differt enim ratione vtriuſque; differt quidem motus à tempore in ratione diuiſibilitatis, quia motus, vt fuſiùs oſtendimus in priori tomo, eſt acquiſitio ſucceſſiua ſpatij, quæ modò fit in vna hora, modò in duabus horis, differt ergo à tempore in ratione diuiſibilitatis.

Quòd verò etiam differat à tempore in ratione menſuræ, probatur, quia per tempus menſuratur quantùm durauit mobile ſuper ſpatium; per motum autem menſuratur extenſio mobilis ſupra ſpatium, quia ſi motus eſt extenſus per tãtum ſpatium, etiam mobile eſt extenſum per tantum ſpatium, nam quanta eſt acquiſitio ſpatij, tanta eſt extenſio mobilis ſuper illud.

Ariſtot. Reſpondetur igitur ſecundò ad argumentum, quòd motus meritò non numeratur ab Ariſtotele tanquam ſpecies diſtincta à tempore, ſiue conſideretur quantitas ſecundùm rationem extenſionis, vt in 5. Met. ſiue ſecundùm rationem menſuræ, vt in

A prædicamentis, nam ſi motus conſideratur in ratione extenſionis, ſeu diuiſibilitatis, non poteſt facere nouam ſpeciem, quia habet rationem viæ & conſequenter rationem entis imperfecti, & ideo potiùs debet reduci ad prædicamentum ſui termini, quàm conſtituere nouam ſpeciem; at verò tempus conſtituit nouam ſpeciem, quia in ratione menſuræ non eſt via ad aliud, nec pars alterius, ſed tantùm eſt paſſio motus, eſſe autem paſſionem motus non tollit rationem propriæ ſpeciei, præſertim cùm motus, vnde fluit, non conſtituat nouam ſpeciem; Si verò quantitas conſideratur in ratione menſuræ, tunc motus non conſtituit nouam ſpeciem, non ex eo, quia ſub hac conſideratione haberet rationem B viæ, eſt enim ſub hac conſideratione ens perfectum, ſed quia ſub hac conſideratione habet rationem communem cum omnibus aliis formis, albefactio enim etiam menſurat albefactum, quantò enim maior eſt acquiſitio albedinis in albefactione, tantò magis corpus eſt albefactum, quare omnes aliæ formæ deberent poni tanquam ſpecies quantitatis, quod nullus dicit.

Ad tertium reſpondent aliqui, quòd pondus continetur ſub corpore. 6. Reſpõſio ad tertium.

Sed contrà, quia aliqua corpora habent quantitatem vt cœlum, & ignis, & tamen non habent pondus.

Reſpondetur igitur ſecundò, quòd pondus ſi ac- C cipiatur quò ad magnitudinem, eſt quantitas, ſi verò ſub ratione ponderis, vt pondus eſt, tunc eſt qualitas, nihil enim aliud eſt, quàm grauitas, vnde pondus eſt principium motus deorſum, quare non eſt propriè menſura.

Quòd ſi inſtes, quòd per vnum pondus certificamur de aliis rebus an ſint æqualis ponderis, ergo pondus vt habet rationem menſuræ, eſt diſtincta ſpecies.

Reſpondetur impropriè dici menſurã, quia hæc ratio certificationis reperitur etiam in qualitatibus, nam per vnum calorem intenſum certificamur quantam intenſionem habeãt alij calores, ſic etiam per grauitatem vnius rei, quæ quidem grauitas eſt D qualitas, certificamur de grauitate alterius rei.

SECVNDA QVÆSTIO literalis.

De diuiſionibus Quantitatis, & qualis ſit huiuſmodi diuiſio.

DVPLICEM ponit Ariſtoteles diuiſionem Quantitatis; Vna eſt in continuam, & diſcretam. Secunda eſt in quantitatem, quæ conſtat ex partibus habentibus poſitionem inter ſe, & quantitatem, quæ conſtat ex partibus non ha- E bentibus poſitionem. 1.

Circa primam diuiſionem ſit

PRIMA concluſio. Quantitas continua illa eſt, cuius partes coniunguntur aliquo termino communi; huiuſmodi autem eſt linea, ſuperficies, corpus, tempus, & motus; nam partes lineæ coniunguntur puncto tanquam communi termino, partes verò ſuperficiei coniunguntur linea tanquam termino, corporis verò partes coniunguntur ſuperficie, temporis etiam partes, præteritum ſcilicet & futurum, copulantur inſtanti tanquam termino, ſic etiam locus, qui quamuis in ratione diuiſibilitatis non differat à ſuperficie, differt tamen in ratione menſuræ, vt dicemus infrà, quæſtione tertia. Quantitas 2. Prima concluſio.

Digitized by Google

titas verò diſcreta eſt illa, quæ non copulatur termino communi, vt eſt numerus, & oratio, quomodo autem oratio differat à numero, infra ibidem dicemus.

3. *Secunda cõcluſio. Iauel Tatar. Lorca Sot. Verſor.*

SECVNDA concluſio, Hæc diuiſio Quantitatis in continuam, & diſcretã, eſt vniuoci in vniuocata. Ita Iauellus, Tataret. & Lorcanienſes contra Sotum, & Verſorium, quæſt. 1. aſſerẽtes eſſe analogi in analogata.

Probatur concluſio. Ariſtot. Sotus.

Probatur, quia Ariſt. agit in hoc prædicamento de Quantitate ſub ratione menſuræ, etiam ipſo Soto concedente; ſed ratio menſuræ conuenit vniucè quantitati continuæ, & diſcretæ, nam ita verè menſuratur multitudo per diſcretam, vt magnitudo per continuam, ergò, &c.

Obiectio contra ſecundã concluſionem.

SED contrà obiicies primò Ariſtotelem in met. vbi docet omnem menſuram ſiue ſit diſcreta, ſiue continua, reduci ad vnitatem, quæ eſt principium quantitatis diſcretæ, ergo ratio menſuræ ſecundùm Ariſtotelem per prius, dicitur de quantitate diſcreta, quàm de continua.

Solutio. Ariſtot.

Reſpondetur, quòd noluit dicere Ariſt. quòd omnis menſura ſit vnitas, quę eſt principium quantitatis diſcretæ, ſed tantùm voluit dicere, quòd ad hoc vt certificemur de quauis menſura, debemus accipere aliquam menſuram tanquam rem vnam notam nobis, ac proinde ad menſurandum magnitudinem vtimur vlna, quæ ſe habet ſicut vnum in numeris.

Secunda obiectio.

Obiicies ſecundò eundem Ariſtotelem, qui antequam definiret quantitatem, priùs diuiſit, ergo ſignum eſt quòd quantitas apud Ariſtotelem non eſt vniuoca.

Solutio.

Reſpondetur ideo Ariſtotelem non definiſſe priùs, quia cùm genera generaliſſima non habeant propriè definitionem, innoteſcunt magis aliquando ex diuiſione.

5. Circa verò ſecundam diuiſionem in quantitatem conſtantem ex partibus habentibus poſitionem, & non habentibus, ſit

Tertia concluſio.

TERTIA concluſio, Ex omnibus ſpeciebus quantitatis quas tradit Ariſtotel. in prædicamento quãtitatis, ſolùm quatuor ſpecies habẽt poſitionem, linea ſcilicet, ſuperficies, corpus, & locus; tempus, verò, numerus, & oratio, non conſtant ex partibus habentibus poſitionem.

Pro cuius explicatione ſciendum eſt quatuor requiri, vt colligitur ex Ariſtotele loco citato, & aliis expoſitoribus, ad hoc, vt aliqua quantitas dicatur habere poſitionem partium inter ſe.

Primum, vt partes illius ſint in aliquo tanquam in ſubiecto vel loco. Secundum, vt partes permaneant ſimul, ita vt vna adueniente altera non recedat. Tertium, vt partes illæ ſint inuicem coniunctæ, id eſt, continuæ. Quartum requiritur ſecundùm Ariſtotelem, ſitus. *Ariſtot.*

6. *Quid ſit ſitus de prædicamento Quantitatis.*

Pro quo notandum quòd alio modo accipit Ariſtoteles ſitum hîc in prædicamento Quantitatis, & alio modo in proprio prædicamento Situs, nam hîc in prædicamento Quantitatis accipitur ſitus pro ordine partium, quatenus partes habent relationem ad inuicem, vt vna ſit ſuperior, alia inferior, alia à dextris, alia à ſiniſtris, vt verbi gratia, caput ſit ſupra pectus, &c. Situs verò, qui conſtituit prædicamentum diſtinctum, accipitur in ordine ad locum, vnde inuariato ſitu de prædicamento Quantitatis poteſt variari ſitus, qui conſtituit diſtinctum prædicamentũ, verbi gratia, cùm homo ſedet, ſi poſtea ſtet, variatur ſitus in ordine ad locum, alia eſt enim poſitio ſedendi, & alia ſtandi, non tamen variatur ſitus de prædicamento Quantitatis, nam ſiue homo ſedeat, ſiue ſtet, habet eandem poſitionem partium, caput, ſcilicet, ſupra collum, & collum ſupra pectus, &c.

Nota tamen aliquos velle, quòd hæc conditio ſitus non ſit quarta conditio, ſed potius ſit paſſio fluens ex tribus prioribus conditionibus; ſi enim partes ſunt permanentes, & continuatæ, ſequitur, quòd inter ſe ſunt ordinatæ vna poſt aliam, verbi gratia, caput ſupra collum, & collum ſupra pectus, &c.

Ex his colligitur

7. *Quarta cõcluſio.*

QVARTA concluſio, quatuor tantùm ſpecies quantitatis habere poſitionem in continuo, lineam, ſuperficiem, corpus, & locum, cæteras verò, ſcilicet, tempus, numerum, & orationem non conſtare ex partibus habentibus poſitionem.

Probatio.

Probatur de ſingulis, nam tempus licèt habeat primam, & tertiam conditionem, quia eſt in aliquo tanquam in ſubiecto, & partes ipſius ſunt continuatæ termino communi, ſcilicet inſtanti, non tamen habet ſecundam conditionem, quia partes temporis non ſunt permanentes, nec habet quartam conditionem, quia in tempore non poteſt eſſe ordo partium, cùm partes temporis non permaneant.

Excluditur etiam numerus, quia numerus non habet tertiam conditionem, continuationem, ſcilicet, partium; licèt enim numerus omnes vnitates colligat in vnam formam, verbi gratia, quaternarij, ac proinde partes non ſint diuiſæ, ſed vnitæ; tamen ſingulæ vnitates ſunt ſe inuicem ſeiunctæ, & non continuatæ per aliquem terminum communem, nec habet quartam conditionem, ſcilicet ſitum, quia numerus, vt numerus, non requirit certam collocationem partium, quia etiam ſi tres vnitates ſint in locis maximè diſtantibus, adhuc componunt ternarium.

Excluditur etiam oratio, quia non habet partes habentes inter ſe poſitionem, quia caret ſecunda conditione, partes enim ipſius ſunt ſucceſſiuæ, caret etiam tertia, quia partes ipſius non ſunt continuatæ, caret etiam quarta, ſcilicet ſitu, cùm partes ipſius non ſint permanentes.

8. *Corollariũ ex dictis. Ariſtot.*

Hinc patet verum eſſe quod aſſerit Ariſtot. 5. met. cap. 12. punctum, ſcilicet, habere poſitionem in continuo, vnitatem verò minimè, quia punctum habet certam collocationem, & vnionem cum partibus integrantibus, vnitas verò, quia non indiget aliqua collocatione, & vnione, vt conſtituat numerum, non dicitur habere poſitionem.

Quòd ſi dicas, domus non eſt continua, & tamen requirit certam collocationem partium, vt tectum ſit ſuprà, & fundamentum ſit infrà.

Reſpondetur primò ſecundùm aliquos, quòd continuum ſemper habet ſitum, nõ autem ſequitur, quòd omne illud, quod habet ſitum, ſit continuum. Secundò reſpondetur, quòd domus propter contiguitatem ſeu coniunctionem partium, quam neceſſariò requirit, numeratur inter continua, vt patet ex Ariſt. 5. met. vbi ponit vnum calceum tanquam totum continuum.

9. *Quinta cõcluſio. Ariſtot.*

QVINTA concluſio. Hæc ſecunda diuiſio quantitatis eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, nam conſtare partibus habentibus poſitionem, eſt accidens, ſeu potiùs paſſio quantitatis, & non habere hanc poſitionem, eſt negatio talis accidentis, & ideo neutrum eſt de eſſentia diuiſi.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA literalis.

An rectè numerentur ab Ariſtotele in hoc prædicamento ſeptem ſpecies Quantitatis.

1. NOTANDVM eſt Ariſtotelem numerare in prædicamento Quantitatis quinque ſpecies Quantitatis continuæ, lineam, ſuperficiem, corpus, locum, & tempus; duas autem Quantitatis diſcretæ, numerum, & orationem; Vt autem diſtinctè procedatur, examinabimus aliquas difficultates circa huiuſmodi ſpecies Quantitatis enumeratas; Sed aduertendum, circa diſtinctionem harum ſpecierum, Ariſtotelem procedere probabiliter, nec nos aliter procedere poſſe, quàm ſecundùm quaſdam congruentias.

2. *Prima difficultas.* PRIMA difficultas, quare inter ſpecies Quantitatis non numeretur motus.

Reſpondetur, quia, vt dictum eſt ſuprà in prima quæſt. in ratione diuiſibilitatis, eſt quid imperfectum, & via ad aliud, in ratione verò menſuræ non numeratum vt ſpecies, quia habet rationem menſurandi communem etiam aliis formis, quæ non ſunt quantitates, ſicut enim menſuramus mobile per motum, quatenus cognoſcimus mobile acquiſiuiſſe tantum ſpatium, quia tantus fuit motus per ſpatium, ita per albedinem menſuramus albefactum eſſe tantæ intentionis.

Sed contrà, quia etiam ſuperficies, vt eſt diſtincta ſpecies à loco, eſt menſura intrinſeca menſurans ſubiectum in quo eſt, eſt enim ſubiectum tantùm extenſum ſecundùm latitudinem, quia tanta eſt ſuperficies.

Reſpondetur quòd ſuperficies quamuis ſit menſura intrinſeca, eſt tamen magis nota quàm ſint menſuræ aliarum formarum. Et ratio eſt, quia ipſa materia, quæ ſecundùm ſe inextenſa eſt, fit extenſa per ipſam Quantitatem, ac proinde præter inhærentiam Quantitatis cum ſubiecto eſt alius modus extenſionis intrinſecus in ſubiecto per Quantitatem diſtinctus ab inhærentia, quod non eſt ſimile in albefacto reſpectu albedinis, fit enim album per ſolam inhærentiam albedinis.

3. *Secũda difficultas, An linea, ſuperficies, & corpus ſint diſtinctæ ſpecies.* SECVNDA difficultas eſt circa lineam, ſuperficiem, & corpus, videtur enim, quòd non ſint diſtinctæ ſpecies, quia vna ſpecies non ingreditur definitionem alterius, vt patet per Porphyrium in cap. de communitatibus; Sed linea ingreditur definitionem ſuperficiei, & ſuperficies definitionem corporis, ergo non ſunt ſpecies diſtinctæ. *Ratio dubitandi.*

Prima ſolutio. Reſpondent nonnulli, quòd linea ingreditur definitionẽ ſuperficiei, & ſuperficies definitionem corporis, tanquam continuatiuum, & terminatiuum, non tanquã pars eſſentialis, non repugnat autem terminum ingredi definitionem alterius, ſicut pater ingreditur definitionẽ filij, & è contra. Supponit autem hæc reſponſio, quòd ſuperficies includat longitudinem ſeu lineam, non tanquam partem eſſentialem ſui, ſed tanquam terminum, quatenus linea eſt indiuiſibilis ſecundùm latitudinem, & quia linea eſt diuiſibilis ſecundùm longitudinem, & includitur in ſuperficie tanquam terminus, ideo ratione lineæ ſuperficies habet longitudinem, ſic de corpore reſpectu ſuperficiei.

Secunda ſolutio verior. Nonnulli verò alij, qui probabiliùs tenent ſuperficiem includere longitudinem, & corpus latitudinem, tanquam partem eſſentialem, reſpondent, lineam, & ſuperficiẽ eſſe diſtinctas ſpecies quantitatis mathematicæ, quatenus conſideratur à Mathe-

A matico linea, vt diuiſibilis ſecundùm longitudinem tantùm, ſuperficies verò ſecundùm longitudinem, & latitudinem tantùm, corpus verò ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

TERTIA difficultas eſt circa tempus, quomodo ſit diſtincta ſpecies in ratione menſuræ, & an ſit menſura intrinſeca vel extrinſeca. 4. *Tertia difficultas circa tempus.*

Reſpondetur, quòd in quarto phyſ. Ariſtoteles accepit tempus pro menſura intrinſeca, cùm diffinit tempus eſſe numerum motus ſecundùm prius, & poſterius, id eſt, vt communiter ibi exponitur, eſt menſura intrinſeca per quam motus redditur menſurabilis; In prædicamento verò Quantitatis conſideratur ab Ariſtotele tempus vt menſura extrinſeca, quia eſt magis nota, & hæc eſt duratio motus primi mobilis, per quam reliquos motus inferiores menſuramus, eſt enim motus cœli magis notus & regularis. *Ariſtot.*

B

Dices, in cœlo eſt vna duratio continua, ſicut vnus motus continuus, ergo non poteſt eſſe menſura, quia de ratione menſuræ eſt, vt ſit minima. *Inſtantia.*

Reſpondetur, quòd ſumitur menſura in cœlo ſecundùm conſcriptionem factam ab intellectu, quia quatenus numeramus triginta reuolutiones, facimus menſem, quatenus vnam, facimus diem, & ſic de reliquis, vſque dum deueniatur ad minimam, per quam menſuramus reliquos motus & durationes inferiores. *Solutio.*

C QVARTA difficultas eſt circa locum, an ſit diſtincta ſpecies quantitatis à ſuperficie; Et ratio dubitandi eſt, quia Ariſtot. in quinto met. non numerauit inter ſpecies quantitatis ipſum locum, ergo Ariſt. ſibi contradicit cùm in prædicamento Quantitatis numerat locum tanquam ſpeciem diſtinctam à ſuperficie. 5. *Quarta difficultas circa locum. Ratio dubitãdi pro parte negatiua.*

Reſpondetur, quòd Ariſt. in 5. met. conſiderauit quantitatem ſecundùm rationem diuiſibilitatis, & vt ſic non diſtinguitur à ſuperficie, quia eſt eadem extenſio; in prædicamento verò quantitatis conſiderauit locum in ratione menſuræ, & vt ſic contra Burleum cum Tatareto diſtinguitur à ſuperficie. *Solutio.*

D Sed adhuc inſtatur, quòd etiam ſuperficies in prædicamento Quantitatis conſideratur vt menſura, ergo in ratione menſuræ non diſtinguitur à loco; Burleus, & Tataretus tenent propter hoc argumentum non diſtingui; Sed hoc eſt contra Ariſtotelem. 6. *Inſtantia. Burl. Tatar.*

Reſpondetur igitur, quòd diſtinguuntur ex eo, quòd ſuperficies menſurat rem permanentem intrinſecè, locus verò vt eſt diſtincta ſpecies à ſuperficie, menſurat locatum extrinſecè, quatenus continet, ſeu ambit locatum. *Solutio.*

Sed adhuc inſtatur, quia ex hac reſponſione ſequerentur duo abſurda. Primum, quòd etiam linea deberet facere duplicem ſpeciem quantitatis in ratione menſuræ, quia quatenus menſurat ſubiectum cui inhæret, eſt menſura intrinſeca, quatenus verò E menſurat ſubiectum cui applicatur, vt quando longitudo vlnæ applicatur panno, tunc menſurat extrinſecè. 7. *Secunda inſtantia.*

Præterea ſequeretur ſecundum abſurdum, dari, ſcilicet, duas ſpecies temporis, in ratione menſuræ, quia tempus primi mobilis eſt menſura intrinſeca ipſius motus primi mobilis, reſpectu verò inferiorum eſt menſura intrinſeca. *Solutio.*

Reſpondetur ad primũ abſurdũ de linea, quòd linea in ratione menſuræ intrinſecæ facit diſtinctam ſpeciẽ, in ratione verò menſuræ extrinſecæ comprehenſa eſt ab Ariſtotele ſuo loco; Et ratio eſt, quia ſuperficies continendo, & ambiendo locatum menſurat illud ſecundùm longitudinem, & latitudinem.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum abſurdum de tempore reſpondetur, quòd poſſet propter argumentum factum tempus cœli facere duas ſpecies; Sed quia communiter accipitur tempus vt menſura extrinſeca, ideo non numeratur ab Ariſtotele tanquam ſpecies diſtincta in ratione menſuræ intrinſecæ; Et notandum eſt vt communiter dicunt Expoſitores, quòd in prædicamentis non eſt exigenda tanta exactio, quia Ariſtoteles in prædicamentis non loquutus eſt ſecundùm propriam ſententiam, ſed ſecundùm opinionem aliorum, & ſecundùm opinionem famoſam.

Ariſtot.

8\. Quinta difficultas circa eandem ſpeciem loci, An diſtinguatur à loco phyſico. Ratio dubitandi.

Qvinta difficultas eſt circa eundem locum, an diſtinguatur locus, vt eſt ſpecies Quantitatis, à loco phyſico, de quo agit in 4. phyſ. Et ratio dubitandi eſt, quia locus phyſicus in 4. phyſ. etiam diffinitur per continentiam extrinſecam dum dicitur, (eſt vltima ſuperficies corporis continentis,) & tamen Ariſtoteles hîc, vt infrà videbimus, videtur ponere locum, vt eſt ſpecies quantitatis, diſtinctum à loco phyſico.

Solutio.

Reſpondetur, locum, vt eſt ſpecies quantitatis, diſtingui à loco phyſico, quia Ariſt. 4. phyſ. loquitur de loco phyſico, in prædicamentis verò de loco mathematico, & quamuis vterque locus conueniat in extrinſeca continentia locati, differt tamen locus phyſicus à mathematico, quia locus phyſicus dicit contiuentiam cum reſpectu ad polos mundi, ac proinde dicit immobilitatem.

Hinc fit primò vt ad locum phyſicum non requiratur cõtinuatio, quare locus baculi, cuius dimidia eſt pars in aqua, & alia dimidia in aëre, dicitur eſſe in vno loco, & tamen aqua, & aër ſunt diſtinctæ ſuperficies, & diſtincta loca mathematica, contra Sotum hîc cum communi expoſitorum; dicit enim Ariſtoteles in prædicamento Quantitatis, quòd partes locati continuantur punctis loci, id eſt, ſecundùm communem expoſitionem, cuicumque puncto locati correſpondet punctum in loco, at verò in caſu poſito non ita ſe habent, quia in loco phyſico in caſu poſito puncto locati, nõ correſpondet vnum punctum in loco, ſed duo; Præterea locus mathematicus, qui eſt ſpecies quantitatis, debet eſſe vnus continuus, ſed illæ duæ ſuperficies aquæ, & aëris non ſunt continuæ, ergo non faciunt vnum locum mathematicum, ſed duo, continuum enim ſecundùm Ariſtotelem eſt illud, quod copulatur ad vnum terminum communem.

Ariſtot.

Sequitur ſecundò, quòd ſi in loco phyſico mutetur ſuperficies, dummodo remaneat ratio formalis continentiæ, quæ eſt reſpectus ad polos mundi, erit idem locus phyſicus, vt verbi gratia, turris S. Martini, ſemper eſt in eodẽ loco phyſico, licèt varietur aër; at verò aqua non dicetur mutare locum mathematicum, ſi moueatur intra eandem vaſis ſuperficiem, quamuis mutet locum phyſicum.

9\. Sexta difficultas circa orationem.

Sexta difficultas eſt circa orationem, an ſit diſtincta ſpecies Quantitatis diſcretæ ab ipſo numero.

Prima ſententia. Auer. Confutatur.

Prima ſententia Auerrois aſſerentis non differre à numero, ſed poſitam eſſe ab Ariſtotele diſtinctam ſpeciem ſecundùm opinionem famoſam; ſed contra hanc ſententiam dictum eſt ſuprà.

Secunda ſententia. Caiet. Sot. Tolet.

Secvnda ſententia eſt Caietani, Soti, & Toleti hîc, aſſerentium orationem differre à numero, quia oratio eſt menſura rerum ſucceſſiuarum, id eſt temporum, ſeu tenorum ſyllabarum; numerus autem eſt menſura rerum permanentium.

Ariſtot.

Et cùm arguitur contra iſtos, quòd ſyllaba non eſt ſucceſſiua, & tamen ſecundùm Ariſtotelem oratio menſuratur per ſyllabam longam vel breuem. Reſpondent, quòd quamuis ſyllaba non ſit oratio ſucceſſiua, quia non conſtat ex pluribus tenoribus, eſt tamen principium orationis; ſicut à ſimili vnitas non eſt quantitas diſcreta, eſt tamen principium vnitatis diſcretæ; Dicunt præterea ſpecies orationis eſſe nomina metrorum, ſcilicet, hexametrum, pentametrum, &c. & præterea pedes carminum, vt dicit Sotus hic ex. gr. dactylus, ſpondæus, &c.

10\. Confutatur ſecũda ſententia.

Sed neque hæc ſententia omnino ſatisfacit, quia numerus trium actionum vel trium motuum eſt quantitas diſcreta, cùm ſit numerus, & menſura rerum ſucceſſiuarum, & tamen nõ eſt oratio, vel facienda eſſet tertia ſpecies quantitatis diſcretæ, quæ ſit menſura rerum talium ſucceſſiuarum, id eſt, trium actionum, quod eſt contra Ariſtotelem hîc.

11\. Tertia ſententia verior.

Tertia ſententia, & verior Recentiorum aſſerentium orationem eſſe diſtinctam ſpeciem Quantitatis à numero, in ratione menſuræ, quatenus eſt conſonantia quædam ſucceſſiua, quæ naſcitur ex debita diſpoſitione ſyllabarum ſecundùm longitudinem, & breuitatem.

Explicatur ſententia.

Pro cuius ſententiæ explicatione, & probatione notanda ſunt duo.

Nota primò hîc ſumi orationem vocalem.

Primum, non ſumi hîc orationem mentalem, ſeu ſcriptam, ſed vocalem, nec ſumi hîc vocalem eodem modo, ſicut ſumitur in periher. 1. pro voce ſignificatiua conſtante ex pluribus dictionibus: ſed hîc ſumi pro quauis dictione etiam non ſignificatiua conſtante ex pluribus ſyllabis longis & breuibus.

12\. Secũdò notandum ſex poſſe conſiderari in oratione vocali.

Secundò notandum, quòd in huiuſmodi dictione, ſi conſideretur ipſe ſonus, tunc eſt in prædicamento Qualitatis; ſi verò conſideretur ipſa multitudo ſyllabarum, tunc non eſt diſtincta ſpecies à numero; ſi verò tertiò conſideretur prolatio ſyllabarum tarda, vel velox, tunc non differt à motu; ſi verò quartò conſideretur duratio ſyllabarum, non differt à tempore; ſi verò quintò conſideretur aliquid ipſius vocis, quòd ſit acuta, grauis, ſonora vel rauca, tunc pertinet ad prædicamentum Qualitatis; ſi verò ſextò conſideretur in ipſa oratione quædam extẽſio ipſius vocis, ſeu dilatatio, & eſt veluti quædam corpulentia vocis, & hoc modo ſyllaba dicitur habere tempus longum vel breue, & ſi hæc extenſio fiat cum debita diſpoſitione ſyllabarum ſecundùm longitudinem, & breuitatem, & ſecundùm debitum numerum ipſarum ſyllabarum, tunc oritur quædam conſonantia, oratio igitur, quatenus eſt diſtincta ſpecies, eſt nomen connotatiuum, vel dicens de formali iſtam conſonantiam connotando illam extenſionem, ſeu dilatationem, ſeu corpulentiam plurium vocum, vel potiùs de formali dicit illam extenſionem ſeu corpulentiam vocum, quæ propriè eſt quantitas connotando illam debitam diſpoſitionem, & numerum ſyllabarum ſecundùm longitudinem, & breuitatem, ex quibus oritur conſonantia.

13\. Reſolutio difficultatis.

14\. Et ex dictis patet explicatio, & probatio huius noſtræ ſententiæ, quia hoc modo conſiderata oratio, differt à numero, vt probatum eſt, & confirmatur clarè ex Ariſtotele hîc, vbi dicit orationem eſſe quantitatem, quia menſuratur ſyllaba longa aut breui.

Prima obiectio.

Obiicies primò, Species quantitatis debet eſſe aliquid à parte rei. Sed iſta extenſio, vel conſonantia non eſt aliquid à parte rei; quia quòd ſyllaba ſit longa, vel breuis, eſt inuentum hominum, ergo, &c.

15\. Reſpondetur, quòd ſcilicet ſyllabam eſſe longam, vel breuem, ſit inuentum hominum, tamen illa conſonantia, & concentus, qui reſultat ex tali propor

proportione vocum, eſt quid reale, ita etiam illa A extenſio, ſeu corpulẽtia vocis; ſuppoſito enim quòd ſyllaba eſt longa, debet pronuntiari, cum tali extenſione, ſeu corpulentia vocis.

16. Secũda obiectio. Obiicies ſecundò, Pulſus citharæ habet corpulentiam ſuam, ſeu conſonantiam, ſicut oratio, ergo debet facere aliam ſpeciem quantitatis.

Reſpondetur, quòd reducitur ad orationem: propriæ autem ſpecies orationis, ſunt pedes carminum, dactylus, ſpondæus, &c. vel ipſæ ſpecies carminum, vt hexametrum, pentametrum, &c.

QVARTA QVÆSTIO literalis.

De paſſionibus Quantitatis.

B

QVATVOR numerantur paſſiones quãtitatis ab Ariſt. & expoſitoribus. Si quantitas conſideretur ſecundùm ſuam rationem formalem extenſionis, prima eſt diuiſibilitas, ſecunda hoc diſiunctum finitum, vel infinitum, tertia æqualitas, vel inæqualitas, quarta eſt menſura.

Circa verò ſingulas ſunt ſingulæ difficultates.

1. Prima difficultas circa primã paſſionem quæ eſt diuiſibilitas. Prima ſententia negatiua Sotus. PRIMA difficultas circa diuiſibilitatem. Et prima quidem ſententia eſt Soti 1. Phyſ. q. 4. ar. 3. vbi negat diuiſibilitatem eſſe paſſionem quantitatis, ſed potiùs eſſentiam. C

Secũda ſententia verior. Communis tamen ſententia & verior concedit; Et ratio eſt, quia diuiſibilitas oritur ex extenſione, ſeu extreitate partium, quatenus enim quantitas ponit vnam partem extra aliam, ſequitur, quòd illud quantum poſſit diuidi in illas partes.

Prima obiectio. Ariſtot. Obiicies, minimum naturale, ſecundùm Ariſt. 4. Phyſ. eſt indiuiſibile, item cœlum non poteſt diuidi, & tamen eſt quantum, ergo potentia ad diuiſionem non eſt paſſio quantitatis.

2. Solutio. Caiet. Reſpondetur cum Caiet. 1. p. q. 7. art. 3. quòd iſta paſſio conuenit quantitati per non repugnantiam, non repugnat enim cœlo diuidi, nec minimo naturali, quare à Deo poſſunt diuidi, quomodo non poteſt diuidi Angelus, quia non eſt quantus. Solet alio modo dici, quòd non repugnat illis diuiſio mathematica, repugnat autem illis diuiſio Phyſica, ſeu connaturaliter, quia nimirum minimum naturale ſi diuideretur, corrumperetur, & cœlum propter duritiem, vel aliam qualitatem diuidi non poteſt naturaliter. D

3. Secũda difficultas, vtrùm hoc diſiunctum finitum, vel infinitũ ſit paſſio quantitatis. SECVNDA difficultas eſt circa ſecundam paſſionem quantitatis, vtrùm ſcilicet hoc diſiunctum (finitum, vel infinitum) ſit paſſio quantitatis.

De finito nullus dubitat, quia nihil aliud eſt finitum, quàm habere terminum ſuæ extenſionis. Dubium igitur eſt de infinito, circa quod eſt

Prima ſententia. Soncinn. Sot. PRIMA ſententia Soncinnatis, quæſt. 15. 1. mem. & Soti de quantitate, quæſt. 1. affirmantium finitum vel infinitum eſſe paſſiones quantitatis. E

4. Secũda ſententia. D.Thom. SECVNDA ſententia eſt negantium, & fundant ſe in illa ratione, quia numerus infinitus non eſt numerus, & linea infinita non eſt linea, quia infinitum deſtruit rationem quantitatis. Tribuitur D. Thomæ 5. Met. ſect. 15.

5. Tertia ſententia Caiet verior. Caiet. DICENDVM cum Caietan. in 1. p. q. 7. art. 3. qui modificat primam ſententiam, inquit enim, abſolutè infinitum non eſſe paſſionem quantitatis, quia repugnat dari infinitum; ſub conditione verò eſſe paſſionem, quia ſi daretur, neceſſariò eſſet quantum contra ſecundam ſententiam.

Probatur hæc ſententia Caietani primò ex Ariſt. 1. Phyſic. 15. vbi ait, quòd finitum, & infinitum eſt paſſio quantitatis. Ariſt.

Probatur ſecundò, quia ſi linea eſſet infinita, adhuc etiam conueniret ei definitio lineæ, quia linea nihil eſt aliud niſi longitudo ſine latitudine, quæ definitio competit etiam lineæ infinitæ, & ſic de aliis definitionibus quantitatis.

Hinc colligo, quòd ſi daretur linea infinita, eſſet eiuſdem ſpeciei cum linea finita; Neque hæc cõcluſio eſt contra S. Thomam, licèt enim in 5. met. loco citato, videatur dicere oppoſitum, tamen intelligendus iuxta ſenſum ſententiæ Caiet. quòd ſcilicet linea infinita ſumpta abſolutè ſit ſpecies quantitatis, ſub conditione verò ſit ſpecies, vt idem S. Thom. docet 1. par. q. 3. art. 5. eſt etiam Auic. 2. Met. S.Thom.

Obiicies primò contra hanc concluſionem, repugnat quantitati, eſſe infinitam, ergo repugnat habere hanc paſſionem. Nec valet, ſi dicas, quòd eſt ſpecies ſub conditione, ſuppoſito, videlicet, quòd non repugnet infinitum; non, inquam, valet, quia hinc ſequeretur quod brunellus, ſeu hic equus poſſet poni indiuiduum hominis in linea prædicamentali: quia ſi per impoſſibile brunellus eſſet rationalis, eſſet homo. Hoc argumentum eſt fundamentum ſecundæ ſententiæ. 6. Prima ob iectio.

Pro ſolutione huius Argumenti nota, quòd aliquando prædicatum repugnat ſubiecto, ita vt ex ſe, vt ſic, ſit deſtructiuum ſubiecti, aliquando verò non, ſed repugnat ex alio capite. Solutio.

Exemplum primi, ſi homo eſſet equus, non eſſet homo, equus enim repugnat homini, ita vt ſit deſtructiuum illius: ratio enim formalis hominis, eſt oppoſita rationi formali equi, vnde cùm dicitur, an ſi homo eſſet equus, eſſet homo, ex hac ſuppoſitione impoſſibili, ſequerentur duo impoſſibilia, & eſſe hominem, quia ſupponitur quòd homo ſit equus; & eſſe non hominem, quia ſupponitur eſſe equum, & per conſequens non hominem, quia equus eſt non homo.

Exemplum ſecundi, ſi darentur infinita combuſtibilia, ignis combureret in infinitum, ſtantę iſta ſuppoſitione impoſſibili, nõ ſequeretur quòd ignis eſſet ignis, & non ignis, quia comburere in infinitum, non eſt ex ſe deſtructiuum ignis, licet ſit impoſſibile.

Hoc ſtante reſpondetur ad Argumentum, quòd data hypotheſi, quòd linea eſſet infinita, non ſequeretur, quòd non eſſet linea, quia eſſe infinitum non eſt deſtructiuum lineæ.

Probatur, quia ſtante illa infinitate, adhuc linea illa eſſet extenſa, & diuiſibilis, ergo haberet cãdem rationem formalem quantitatis, ergo ſub conditione eſt verum dicere, ſi daretur infinitum, illud eſſet paſſio quantitatis, quia infinitum poſſet ſtare cum ratione formali quantitatis, & fluere ab illo, ſi aliunde non obſtaret dari infinitum.

Obiicies ſecundò, Linea eſt, quæ duobus clauditur terminis, ſed linea infinita non clauditur duobus terminis, ergo, &c. 7. Secũda obiectio.

Reſpondetur, illam definitionem eſſe definitionem lineæ finitæ.

Obiicies tertiò, Figura eſt paſſio quantitatis, & ab ea inſeparabilis, ſed figura repugnat infinito, quia figura ſecundùm Ariſtotelem eſt illa, quæ vndequaque habet terminum. Tertia obiectio.

Reſpondetur, figuram eſſe paſſionem quantitatis tantùm finitæ, quia infinitudo tolleret terminum, qui eſt de eſſentia figuræ; at verò ſi daretur linea recta infinita, non tolleret neque rationem lineæ, Solutio.

Digitized by Google

neæ, neque rationẽ rectitudinis, ac propterea linea A infinita eſt paſſio ſub conditione quantitatis.

8. quarta obiectio. Obiicies quartò, ratio ſecundùm quam ponuntur in hoc prædicamento ſpecies quantitatis, eſt menſura, vt dictum eſt, ſed infinito repugnat menſura, quia infinitum non poteſt aliquid menſurare, ergo linea infinita, & finita non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei in ratione menſuræ.

9. ſoluitur. inſtatur. Reſpondent aliqui, lineam infinitam menſurare ſecundùm partes, ſed inſtatur cõtra hanc ſolutionẽ, quia ſequeretur, quòd ſecũdùm ſe totam non menſuraret, ergo ſecundùm ſe totam non eſſet menſura, ergo ſecundùm ſe totã non eſſet paſſio quãtitatis.

ſolutio. Sed ſoluitur inſtantia, ſi dicatur, quòd ſecundum ſe totam eſt menſura, quia ſecundùm ſe totam eſt apta, vt poſſit menſurare ſecundùm partes.

B Sed vt ſoluantur omnes inſtantiæ, dicitur ſecũdò, quòd ſecundùm ſe totam, vt ſecundùm ſe totam eſt mẽſura; quia ſi eſſet corpus infinitum, ſeu linea infinita, eſſet menſurabilis per aliam lineam infinitam, ſeu corpus minùs infinitum, datur enim vnum infinitum maius altero, ſi admittatur infinitum, vt probabitur in quarta diſputatione.

inſtatur ſecundò. Quòd ſi inſtes, hæc potentia nullo modo poteſt reduci ad actum, ergo eſt fruſtra ex Ariſt. 1. Cœli cap. 9.

10. Solutio. Reſpondetur, quòd iſta paſſio eſt ſub conditione, id eſt, ſi daretur infinitum, ac proinde non opus eſt, vt reducatur ad actum; & ſecundò ſatis eſt, quòd iſta aptitudo mẽſurandi reducatur ad actũ in aliquo alio indiuiduo eiuſdẽ ſpeciei, ſicut ad hoc, vt anima rationalis dicatur capax beatitudinis, ſufficit, vt talis aptitudo in aliquibus non fruſtretur, ita etiam ſufficit, vt aptitudo menſurandi in linea reperiatur actu aliquando in linea finita, linea autem finita, & infinita, ſunt eiuſdem ſpeciei, tum in ratione extenſionis, tum in ratione menſuræ.

11. Tertia difficultas circa tertiam paſſionem, quæ eſt æqualitas vel inæqualitas. Tertia difficultas eſt circa tertiam paſſionem, quæ eſt æqualitas, vel inæqualitas.

Notandum primò, quòd æqualitas latè loquendo dicitur quæcumque conuenientia in aliqua re vt eſt æqualitas in perfectione & in virtute; ſed propriè dicitur de quantitate; quia conuenientia in quantitate eſt nobis notiſſima.

Notanda pro explicatione ſenſus difficultatis. Notandum ſecundò, quòd ex eo, quòd res eſt extenſa, ſequitur quòd ſit magna, atque adeò, quòd in magnitudine, vel multitudine ſit alteri comparabilis per æqualitatem, vel inæqualitatem.

Notandum tertiò, quòd æqualitas, vel inæqualitas dupliciter poteſt conſiderari. Primò, vt eſt relatio quædam æqualitatis, vel inæqualitatis, qua relatione mediante, vna magnitudo, ſeu multitudo refertur ad aliam, æqualiter, vel inæqualiter, vt bicubitum, ad bicubitum, habet relationem æqualitatis, bicubitum verò ad tricubitum, relationem inæqualitatis. Secundò accipitur æqualitas, vel inæqualitas pro illa aptitudine ad talem relationem fundandam.

12. Dubium difficultatis. Dubium ergo eſt, an paſſio æqualitatis, vel inæqualitatis ſit illa relatio, vel ſit illa aptitudo.

Reſpondetur illam relationem non eſſe paſſionem quantitatis.

Probant nonnulli, quia vnum prædicamentum non poteſt eſſe paſſio alterius.

Sed hæc ratio non habet magnam vim; quia ſecundùm multos vnum prædicamentum poteſt eſſe paſſio alterius; ſitus enim conſequitur ab vbi, & tamen facit diſtinctum prædicamentum; & relatio conſequitur ad eſſe abſolutum, & tamen facit diſtinctum prædicamentum.

Probatur igitur ſecundò efficaciùs, quia relatio æqualitatis vel inæqualitatis, eſt ſeparabilis ab ipſa quantitate, ergo non poteſt eſſe propria paſſio quantitatis.

Conſequentia eſt manifeſta, quia paſſiones ſunt ſaltem naturaliter inſeparabiles ab eſſentia, Antecedens probatur, & ſuppono ex dicendis in cap. de relatione; Relationem realem tunc eſſe, quando terminus actu exiſtit, v. g. tunc eſt paternitas, quando actu exiſtit filius, vnde corrupto filio deſinit paternitas in Socrate patre; quare ſi vnum ſolùm quantum eſſet in Mundo; iſtud quantum non haberet relationem æqualitatis ad aliud quantum; ergo non haberet paſſionem, & ſi producatur aliud quantum, tunc habebit paſſionem, & ſi corrumpatur illud quantum, amitteret paſſionem; ſi ergo poteſt dari aliqua paſſio, quæ ſit inſeparabilis, & magis intima quantitati, iſta erit paſſio æqualitatis, vel inæqualitatis, de qua loquitur Ariſto. Hæc autem poteſt dici quòd ſit illa aptitudo, ſeu fundamentum proximum, ad talem relationem, quæ formaliter diſtinguitur à relatione, & formaliter etiam diſtinguitur à quantitate. Ariſt.

Qvarta difficultas circa quartam paſſionem quantitatis quæ eſt menſura. 13. Quarta difficultas circa quartam paſſionem quantitatis, quæ eſt menſura.

C Notandum eſt, quòd hæc paſſio quantitatis, quæ eſt menſura, oritur ex præcedenti paſſione, ex eo enim quia res extenſa eſt æqualis, vel inæqualis, ſit vt poſſit per menſuram demonſtrari, an ſit æqualis vel inæqualis; de menſura autem plura diximus in prima quæſtione, hìc tantùm breuiter explicabo duo.

Primum eſt, quòd quantitas accipitur aliquando propriè pro quantitate formaliter habente extenſionem, cuiuſmodi eſt magnitudo & duratio ſucceſſiua, aliquando non ita propriè, vt eſt quantitas virtualis, cuiuſmodi eſt duratio permanens, & etiam æternitas; quæ non habet formaliter exiſtentiam, ſed eſt formalitas indiuiſibilis, apta tamen coëxiſtere durationi ſucceſſiuæ; & ideo dicitur quantitas virtualis; aliquando accipitur metaphoricè pro quantitate virtutis quæ eſt metaphoricè quantitas, & hoc modo dicitur Angelus quantus, non quantitate molis, ſed quantitate virtutis, id eſt, in perfectione. D

His poſitis, dicendum eſt primò, quòd ratio menſuræ propriè conuenit quantitati formaliter habenti extenſionem, vt eſt quantitas diſcreta, & quantitas continua ſucceſſiua, v. g. tempus; Et ratio eſt, quia in hac quantitate, cùm illa ſit diuiſibilis, poteſt accipi minimum, per quod poſſunt menſurari reliqua; durationi verò permanenti conuenit impropriè; Quantitati verò virtutis conuenit metaphoricè.

14. Secundò dicendum, quòd ratio menſuræ, duplex eſt, actiua, & paſſiua, ratio menſuræ paſſiuæ conſiſtit in hoc vt poſſit menſurari, per aliam quantitatem; actiuæ verò vt menſuret, dummodo non ſit cauſa formalis ipſius. Dixi, dummodo non ſit ratio formalis ipſius, quia omnis ratio formalis menſurat ſuo modo effectum ſuum formalem, non tamen propter hoc habet veram rationem menſuræ, de qua loquimur; albedo enim menſurat albũ, ſi enim albedo eſt vt octo, album eſt, vt octo, & ſic dicendum de aliis rationibus formalibus, vt patet ex dictis, non tamen albedo eſt propria menſura albi, vt ſuprà dictũ eſt. Et hæc ſatis ſint circa literam Ariſtotelis; nunc deueniendum eſt ad quæſtiones de quantitate, vt dicit extenſionem partium, & de infinitis. E

DISPV

Digitized by Google

DISPVTATIO TERTIA.

De eſſentia Quantitatis ſub ratione extenſionis.

In hac tertia Diſputatione ſunt quæſtiones ſeptem.

I. *Vtrùm extenſio in ordine ad ſe, ſit alia ab extenſione in ordine ad locum.*

II. *Vtrùm quantitas ſit accidens diſtinctum realiter à ſubſtantia.*

III. *Vtrùm extenſio partium in ordine ad ſe, ſit propria quantitatis.*

IV. *Vtrùm ſubſtantia materialis totam ſuam entitatem partium ſubſtantialium habeat actu independenter à quantitate.*

V. *Vtrùm quantitas componatur ex indiuiſibilibus.*

VI. *Vtrùm in continuo ſint partes actu diſtinctæ à parte rei.*

VII. *An in continuo dentur indiuiſibilia.*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm extenſio in ordine ad ſe ſit alia ab extenſione in ordine ad locum.

1. Prima ſententia. Ocham. Gabriel. Aureol. PRIMA ſententia eſt Ocham in 4. A quæſt. 4. & in tractatu de Euchariſtia cap. 17. & quodlib. 4. quæſt. 29. vſque ad 33. & quodlib. 2. quæſt. 25. & Gabrielis in 2. diſt. 10. Aureoli apud Capreolum in 2. diſt. 18. art. 2. aſſerentium extenſionem in ordine ad ſe nihil aliud eſſe quam extenſionem in ordine ad locum.

Primum argumentum. Probatur primò, quia illa extenſio in ordine ad ſe, nihil aliud eſt quàm ordo partium in toto; aut ergo eſt ordo ſitualis, ita vt vna pars ſit ſuperior, alia inferior, aut eſt ordo perfectionis, qua vna pars eſt perfectior altera, aut eſt ordo totius, & partis, ſicut oculus dicitur pars capitis, aut eſt ordo cauſalitatis, ita vt vna pars ſit cauſa alterius, aut eſt ordo originis, ſeu naturæ, ita vt vna pars ſit priùs na- B tura altera, non enim alius poteſt aſſignari ordo partium; ſi eſt primus, habetur intentum, quia ordo ſitualis non poteſt eſſe ſine diſtantia locali partium, alij verò ordines eſſe non poſſunt, quia, vt patet, poſſunt reperiri in ſubſtantia, ſecluſa à quantitate.

2. Secundũ argumentum. Probatur ſecundò, quia data extenſione partium in ordine ad ſe, ibi intelligitur longitudo, latitudo, & profunditas; ergo ibi eſt diſtantia partium; ſed vbi eſt diſtantia partium, poteſt eſſe motus, motus autem reperiri non poteſt ſine ordine partium in loco; ergo rectè concluditur ex dictis, quòd extenſio partium in ordine ad ſe, eſt extenſio localis.

3. Tertiũ argumentum. Probatur tertiò, quia non poteſt intelligi corpus extenſum in ordine ad ſe, niſi intelligatur figura- C tum, figura autem dari non poteſt ſine ordine ad locum, experimur enim in ſedente, & iacente variari figuram ex variatione ordinis partium in loco. His tamen non obſtantibus, ſit

4. Secũda ſentẽtia verior explicatur vnica concluſione. VNICA concluſio. Duplex eſt, vt tenet communis ſententia, extenſio partium, altera in ordine ad ſe, altera in ordine ad locum.

Prima ratio. Probatur primò, quia ſecundùm hanc ſententiam meliùs ſaluatur myſterium Euchariſtiæ, in qua Corpus Chriſti eſt extenſum in ordine ad ſe, non autem in ordine ad locum, vt videbimus in corollariis.

5. Secunda ratio. Probatur ſecundò philoſophicè, & eſt ratio fundamentalis, quia extenſio in ordine ad ſe explicatur per talem rationem partium, per quam formaliter vna pars eſt ſeu concipitur immediatè vnita vni, & mediatè cæteris, ſicut caput eſt immediatè vnitum collo, & mediatè pectori; ſic etiam dicendum eſt de partibus homogeneis, nam in quantitate palmari pars, A, immediatè vnitur parti, B, & mediatè, C, & cæteris, ſiue partes ſint diſtinctæ à parte rei, ſiue ſint ſignatæ per intellectum, nam eſt tale fundamentum, vt intellectus poſſit verè ſignare vnam partem immediatè vnitam vni, & mediatè cæteris, quod non eſt in intenſione partium gradualium, & hæc ſolet appellari extenſio quãtitatiua; extenſio verò in ordine ad locum, quæ ſolet appellari localis, ſeu ſitualis, eſt formaliter ratio partium, per quam vna pars rei extenſæ in ordine ad ſe, extenditur vni parti loci, & altera alteri, & hæc oritur ex extenſione in ordine ad ſe; ergo extenſio in ordine ad ſe eſt alia ab extenſione partium, ſicut eſſentia eſt alia à ſua paſſione.

6. Tertia ratio. Probatur tertiò ad hominem, quia ſecundùm Ocham & alios citatos in prima ſententia, quantitas, ſeu extenſio non eſt diſtincta realiter à ſubſtantia, & aliis accidentibus, ſed identificata cum illis; hoc autem eſt impoſſibile, ſi accidentia habeant extenſionem localem, quia daretur naturaliter penetratio, vnum enim accidens extenſum propria extenſione locali penetraret ſe cum alio accidente ſimiliter extenſo, vt fusè probabimus in ſequenti quæſtione; ergo arguendo ad hominem contra Ocham dicendum eſt, extenſionem accidentium, quæ identificatur cum ſubſtantia, non eſſe extenſionem localem, ſed in ordine ad ſe.

7. Reſpõſio argumẽto... AD argumenta primæ ſentẽtiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, illam extenſionem in ordine ad ſe

non

imæ ſententiæ. ad primum. non eſſe vllam ex illis, quæ in argumento ponuntur ab Ocham; ſed eſſe ordinem partium in ordine ad ſe, quatenus vna pars immediatè vnitur vni, & mediatè aliis: Ex qua ſequitur extenſio in ordine ad locum.

8. Ad ſecundū. Ad ſecundum reſpondetur, concedendo in corpore extenſo in ordine ad ſe eſſe latitudinis, & profunditatis, & conſequenter ibi eſſe diſtantiam partium quantitatiuam in ordine ad ſe, quia ibi eſt diſtantia vnius partis ab alia per alias partes intermedias extenſas; negatur tamen cum communi Doctorum poſſe fieri in illis partibus motum, quia motus exigit diſtantiam localem; eſt enim ſucceſſiua acquiſitio loci. Non deſunt autem qui dicant, quòd ſi manus præſcindatur à corpore extenſo in B ordine ad ſe, quòd poſſit illa manus moueri per illud corpus, quia tunc non eſt ampliùs pars corporis extenſi in ordine ad ſe, cùm non ſit vnita corpori; Quando verò dicitur quòd corpus extenſū in ordine ad ſe non habet extenſionem localem, intelligitur, inquiunt, de extenſione locali paſſiua, quatenus ſcilicet ipſum corpus extenſum in ordine ad ſe non locatur; non autem de extenſione locali actiua: ita vt ipſum corpus extenſum in ordine ad ſe non poſſit eſſe locus alterius corporis, quod per ipſum mouetur, quia cùm dicat diſtantiam partium, non videtur quare non poſſit aliud corpus moueri per ipſum modò acquirendo vnam partem, modò tranſeundo ad aliam diſtantem, nam hæc ratio non eſt C efficax, quia non ſolùm tale corpus non eſt locatum, ſed neque poteſt eſſe locus alterius; ſi enim poſſet eſſe locus alterius, iam ipſum eſſet locatum, quia vna pars eſſet locus alterius, nam vena eſſet locus ſanguinis, & caro circundans oſſa eſſet locus oſſium, & vna pars eſſet locus ſaltem impropria alterius; Et multò magis hoc repugnat ſi illud corpus extenſum in ordine ad ſe, eſſet ita inextenſum in ordine ad locum, vt eſſet totum in toto loco, & totum in qualibet parte: ſicut eſt corpus Chriſti in hoſtia, quia tunc peculiari ratione repugnaret non poſſe fieri motum, nam in ordine ad locum Vbi, eſt vna pars illius corporis extenſi, in ordine ad ſe, eſt alia, & omnes; ac proinde non poteſt eſſe mo- D tus, quia eſſentialiter eſt acquiſitio loci, & exigit neceſſariò diſtantiam localem.

9. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur, quòd figura eſt qualitas quædam abſoluta, quæ poteſt eſſe ſine actuali connumeratione ad locum; ſufficit enim vt ſit in corpore talis partium diſpoſitio, cui ex natura rei debeatur hæc vel illa commenſuratio cum loco, ſicut corpus Chriſti in hoſtia conſecrata habet pupillam oculi figuræ ſphæricæ, quæ tamen pupilla, licèt non ſit extenſa in ordine ad locum, habet tamen partes ita diſpoſitas entitatiuè, ſeu quantitatiuè in ordine ad ſe, vt ſi omnes lineæ pupillæ à centro ducantur ad circumferentiam, eſſent æquales; atque adeò verè oculus Chriſti in hoſtia conſecrata, E eſt figuræ ſphæricæ, quamuis nullam dicat actualem commenſurationem ad locum.

Inſtantia. Et cùm inſtatur, inuariata extenſione partium in ordine ad ſe, variatur figura, vt patet in ſedente, & iacente; ergo figura non eſt qualitas abſoluta; ſed dicit intrinſecè commenſurationem actualem ad locum.

10. Solutio. Reſpondetur, argumentum ſolùm probare quòd figura acquiratur aliquando dependenter à motu locali, non tamen quòd non ſit qualitas abſoluta; nam etiam illa figura, quæ reſultat in iacente ex motu locali, eſt qualitas abſoluta, ſi enim per diuinam potentiam tollatur commenſuratio actualis A ad locum, remanet eadem figura in corpore, quæ erat priùs, quia remanet talis partium diſpoſitio, cui ex natura rei deberetur talis commenſuratio cum loco, quamuis actualiter non ſit illa commenſuratio.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm quantitas ſit Accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia.

PRIMA ſententia dicit duo: Primùm, quantitatem non eſſe vnum accidens realiter diſtinctum, quo cætera accidentia corporea, & ſubſtantia corporea extenduntur; ſed quodlibet accidens, & ſubſtantiam habere proprium modum quantitatis, ſeu extenſionis ſibi identificatum; Sed auctores huius ſententiæ diuiſi ſunt, nam aliqui tenent diſtingui modaliter ex natura rei; alij verò eſſe omnino idem ex natura rei, & tantùm diſtingui per intellectum. 1. Prima ſententia.

Secundò dicit hæc ſententia, hanc quantitatem nihil aliud eſſe, quàm extenſionem localem, nec dari aliam extenſionem in ordine ad ſe, ſed hoc ſecundum dictum in quæſtione præcedenti examinatum eſt.

Hæc ſententia eſt Nominalium, Ocham, in tractatu de corpore Chriſti cap. 17. & in 4. quæſt. 4. & quodlib. 4. quæſt. 29. vſque ad 33. & quodlibet. 2. quæſt. 25. quem ſequitur Gabriel in ſecundo diſt. 10. citatur etiam Maior in ſecundo diſt. 12. ſed oppoſitum dicit in quarto, diſt. 12. eſt etiam hæc ſententia Alberti de Saxonia 1. phyſ. 47. & Aureoli apud Capreolum in ſecundo d. 18. art. 2. Ocham. Gabriel. Maior. Albert. Aur.

PROBAT primò Ocham primum dictum, quia ſecundùm Ariſtotelem in prædicamentis, cap. de ſubſtantia, proprium eſt ſubſtantiæ eſſe ſuſceptiuam contrariorum; at verò ſi daretur inter ſubſtantiam, & accidens, quantitas realiter diſtincta, hæc eſſet ſuſceptiua immediatè contrariorum; non ergo eſſet proprium ſubſtantiæ. 2. Primum argumentum huius primæ ſententiæ.

SECVNDO probatur, Subſtantia ex ſe eſt extenſa; ergo fruſtra datur quantitas realiter diſtincta, quæ extendat ſubſtantiam; Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur dupliciter. 3. Secundum argumentū.

Primò, remota quantitate per Dei potentiam à ſubſtantia, adhuc ſubſtantia remaneret extenſa, quia non poſſunt partes ſubſtantiæ, quæ inter ſe valde diſtant, redigi in inſtanti ad punctum; ergo ſaltem pro aliquo tempore remanent extenſæ ſine quantitate; non repugnat igitur remanere extenſas pro toto tempore; fruſtra igitur datur quantitas realiter diſtincta, quæ extendat ſubſtantiam, cùm ipſa ex ſe ſit extenſa.

Secundò probatur idem Antecedens; nam partes illius quantitatis realiter diſtinctæ debent recipi in partibus ſubſtantiæ, tanquam in ſubiecto; ergo præſupponitur, in aliquo priori ſubſtantiam habere ſuas partes ex ſe; Nec valet ſi dicas, quòd quantitas in diuerſo genere cauſæ, ſcilicet formalis, dat ſubſtantiæ eſſe partium; non, inquam, valet, nam non poteſt accidens, vt dictum eſt ſuprà, dare entitatem ſuo ſubiecto, à quo ipſum accidens dependet in eſſe, quia entitas ſubiecti debet ſimpliciter ſupponi, ſicut à ſimili dicitur, quòd efficiens non poteſt recipere eſſe à ſuo effectu.

TERTIO probatur, Intenſio nō diſtinguitur realiter à qualitate intenſa; ergo nec extenſio ab entitate extenſa. 4. Tertium argumentum.

Digitized by Google

Quartũ argumentum. QVARTO probatur, quia ſicut in Angelo datur modus cuiuſdam extenſionis localis identificatus realiter cum ipſo Angelo, per quem modum Angelus replicatur loco ſine vlla ſuperaddita quantitate; ita etiamſi daretur identificatus cum corpore iſte modus extenſionis localis, eſſet ſufficiens ſine vlla ſuperaddita quantitate ad extendendum ſubſtantiam corpoream ſecundùm ſuas partes in ordine ad locum; Facit igitur iſte modus quidquid faceret quantitas realiter diſtincta, extendit enim ſubſtantiam ſecundùm ſuas partes in ordine ad locum. Et confirmatur, quia hic modus extenſionis habet partes extenſas in ordine ad ſe, & etiam in ordine ad locum; in ordine quidem ad ſe, nam vna pars extenſionis immediatè vnitur alteri parti, & mediatè cæteris; in ordine ad locum, quia partes huius extenſionis correſpondent partibus loci; poteſt igitur hic modus extendere ſubiectum corporeum in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, non quidem quòd extenſio, inquiunt, in ordine ad ſe, ſit alia ab extenſione in ordine ad locum, quia extenſio in ordine ad ſe, non poteſt intelligi ſine extenſione in ordine ad locum, ſed dicunt quòd etiam ſi admittatur hæc extenſio in ordine ad ſe, adhuc poſſet ſuppleri per iſtum modum.

5\. Quintũ argumentum. QVINTO probatur, quia fruſtra datur quantitas diſtincta realiter à ſubſtantia corporea, & accidentibus; omnes enim effectus quos facit illa quantitas quæ ponitur diſtincta realiter, poteſt facere hæc extenſio partium in ordine ad ſe, quæ eſt propria ſubſtantiæ, & propria aliorum accidentium, & identificatur cum illis; nam ab hac extenſione ſubſtantia accipit entitatiuam partibilitatem, & extreitatem partium, & impenetrabilitatem.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA HANC PRIMAM SENTENtiam allatam.

6\. Prima aſſertio. REPVGNAT naturaliter, tam ſubſtantiam, quàm accidens habere propriam quantitatem, ſiue ponat hæc ſententia hanc extenſionem omnino identificatam à parte rei, tam cum ſubſtantia, quàm cum quolibet accidente, ſiue ponat identificatam tantùm realiter, diſtinctam tamen modaliter.

Prima ratio. Probatur primò ad hominem, quia hæc prima ſententia nullam aliam agnoſcit extenſionem, quàm localem, vt patet ex dictis, ſequeretur igitur ex hac opinione illud abſurdum, quòd duo quanta ſe inuicem naturaliter penetrarentur; quo argumento vſus eſt Ariſtoteles lib. 2. de Anima, text. 69. vbi probat lumen non eſſe corpus, quia ſe penetraret cum aëre, & quarto phyſ. probat locum non eſſe illud interuallum trinè dimenſum, quia daretur, inquit, dimenſionum penetratio; at verò accidentia ſecundùm hanc opinionem ſunt quanta, & extenſa in ordine ad locum, & tamen ſe inuicem penetrant cum eodem ſubiecto. (Ariſtot.)

Inſtatur cõtra hãc primam rationem. Sed ad hoc reſpondent Nominales, non poſſe duas quantitates ſe inuicem penetrare, quando ſunt diuerſorum ſubiectorum, non autem quando ſunt vnius ſubiecti, & ideo, inquiunt, non poſſe duo corpora ſe inuicem penetrare, poſſunt autem plura accidentia cum vna materia quanta, atque adeò, inquiunt, bene dixit Ariſtoteles 2. de Anima loco citato, quòd ſi lumen eſſet corpus, non poſſet ſe penetrare cum aëre, quia tunc eſſent duo ſubiecta: bene etiam dixit l. 4. phyſ. nõ poſſe illud interuallum eſſe trinè dimenſum, quia tunc corpus ſe penetraret cum illo, ac proinde duo ſubiecta quanta ſe inuicem penetrarent.

Sed contra hoc eſt primò, quia accidentia ſecundùm Nominales habent extenſionem eiuſdem rationis cum extenſione ſubſtantiæ, vtraque enim eſt extenſio localis, ex qua fluit naturaliter impenetrabilitas, ſiue impenetrabilitas ſit ipſa quantitas dicens de formali negationem, ſiue ſit potentia quædã reſiſtitiua in genere qualitatis, de qua re in præſenti non eſt quæſtio. Sicut igitur quæcumque ſit iſta impenetrabilitas, non poteſt materia ſe penetrare cum illa materia; ita ſimiliter non poteſt accidens ſe penetrare cum alio accidenti, & cum alia materia. 7. Solutio.

Nec valet ſecundò quod aliqui dicunt, quòd ideo duæ materiæ quantæ non poſſunt ſe inuicem penetrare, poſſunt autem duæ formæ, ſiue forma cũ materia, quia materia eſt craſſior, vt & forma eſt ſubtilior, non, inquam, valet, quia non propter hoc tollitur, quin forma ſubſtantialis, ſiue accidentalis ſit impenetrabilis propter extenſionem localem, ex qua fluit impenetrabilitas; Et confirmatur, quia partes vnius hoſtiæ conſecratæ in qua non eſt materia, non poſſunt ſe penetrare cum partibus alterius hoſtiæ conſecratæ. (Inſtatur ſecundò. Solutio.)

Nec valet ſi dicas tertiò, accidentia ſe poſſe penetrare cum ſubſtantia quanta, quia ex illa educuntur; Contra hoc enim eſt, tum quia non propterea fit, quin illa accidentia ſint etiam quanta, ſecundùm hanc opinionem, tum quia accidentia quæ erant in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, ſe penetrant cum ſubſtantia, quæ de nouo producitur, à qua tamen illa accidentia non ſunt educta. 8. Inſtatur tertiò.

Secundò probatur eadem concluſio, quia vt patet in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, quantitas eſt commune ſubiectum reliquorum accidentium corporeorum, ergo eſt ab illis diſtinctum realiter; Conſequentia probatur, quia non poteſt idem ſubiectare ſeipſum: Antecedens verò probatur, tum quia qualitates, vt calor, ſapor, &c. non habent vt in vnum colligantur, niſi ibi eſſet vnum ſubiectum, ratione cuius vniantur; Cùm igitur ibi non ſit ſubſtantia, ſequitur, quòd quantitas erit ſubiectum; tum quia alioquin ſequeretur quòd cùm ignis in illis ſpeciebus ſacramentalibus produceret calorem, crearet, quia produceret independenter à ſubiecto, quod quidem eſt abſurdum; hoc enim vix conceditur creaturæ ſupernaturaliter: tum quia ſi ſubillis ſpeciebus non eſſet commune ſubiectum, ſequeretur quòd contrariæ qualitates non ſe mutuò expellerent, contra experientiam; experimur enim quòd quando introducitur vnus gradus caloris, expellitur alius gradus frigoris; expellunt autem ſe non propter oppoſitionem; experientia enim patet ſtare ſimul, quando non exceditur latitudo (vt octo;) ſignum eſt igitur, quòd ſe expellunt, quia ſubiectum eſt limitatum, & non poteſt eſſe capax vtriuſque qualitatis contrariæ, non enim poteſt dici, vt clarè patet, quòd reſpectu eiuſdem loci illa contraria habeant repugnantiam inter ſe. 9. Secunda ratio pro prima concluſione contra primã ſententiam.

Nec valet, ſi dicas, Deum corrumpere aliam qualitatem contrariam ad præſentiam alterius, non valet, inquam, quia gratis confugitur ad liberam Dei voluntatem operantem contra naturas rerum, illa enim accidentia poſſunt realiter eſſe ſimul, cùm non habeant vim naturalem ſe expellendi.

Tertiò probatur hæc eadem concluſio, præcipuè contra illos Nominales, qui putant quantitatem diſtin- 10. Tertia ratio.

Digitized by Google

diſtingui tantùm per intellectum, à ſubſtantia, & A aliis accidentibus.

Ariſtot. Primò quia hoc repugnat expreſsè Ariſtoteli 1. phyſ. texr. 15. vbi contra Antiquos, qui omnia faciebant vnum ens reale infinitum, arguit hoc non poſſe dici, quia hoc ens infinitum eſſet ſubſtantia quanta, non enim poteſt eſſe quantitas ſine ſubſtantia, nec ſubſtantia infinita ſine quantitate; ſed quantitas & ſubſtantia, inquit Ariſtoteles, ſunt duo entia, ergo non datur vnum ens infinitum, qui locus ſaltem probat quantitatem eſſe ex natura rei diſtinctam à ſubſtantia, & non per intellectum tantùm.

11. Secundò, quia iuxta hunc modum dicendi non poteſt ſaluari condenſatio, nam condenſatio requirit, vt plures partes ſubſtantiæ ſeu qualitatis ſint B ſub minori quantitate, patet enim experientia, quòd calor condenſatus in ferro cādenti, habet maiorem vim agendi; quod quidem non eſſet verum, niſi eſſent plures partes caloris in ferro; ſi enim deperderentur in condenſatione partes aliquæ caloris, tunc maiorem vim agendi haberet calor rarus, quàm haberet calor denſus; at verò cùm fit condenſatio, deperditur quantitas ſecundùm ipſos Nominales, quia deperditur extenſio localis, quæ ſecundùm ipſos eſt quantitas, ergo deperditur ſubſtantia, cum qua ipſa extenſio localis identificatur omnino à parte rei; non ergo erunt plures partes ſubſtantiæ, ſeu caloris, ſub minori quantitate, immò plures partes entitatiuæ ſubſtantiæ, ſeu caloris eſſent C in materia rara, quàm in materia denſa.

Nec valet ſi dicas, quòd partes ſubſtantiæ, ſeu caloris non corrumpuntur, ſed contrahuntur, non, inquam, valet, quia hæc contractio non poteſt dari ſine penetratione, cùm maneant eædem quantitates, nam ſi aliqua pars quantitatis admittitur deperdi, iam deperditur etiam pars ſubſtantiæ cum qua identificatur.

12. Reſponſio ad argumēta primæ ſententiæ quæ ſunt contra concluſionē explicatam. Ad primum. Ad argumenta verò primæ ſententiæ quæ ſunt contra hanc primā concluſionem, reſpōdetur, & ad primum dicitur quantitatem eſſe ſuſceptiuam contrariorum (vt quo) dependenter à ſubſtantia, proprium autem ſubſtantiæ eſt eſſe ſuſceptiuam contrariorum (vt quod) independenter à quocunque D alio ſubiecto.

13. Ad ſecundū. Ad ſecundum reſpondetur ex ſequenti quæſtione, ſubſtantiam non habere propriam extenſionem partium in ordine ad ſe, ſed extendi formaliter à quantitate tanquam à cauſa formali.

Et cum inſtatur primò, quia remotā quantitate non poteſt redigi in punctum in inſtanti; ergo per aliquod tempus habet propriam extenſionem; Reſpondetur quòd in inſtanti redigitur in punctum, quia hæc reductio non fit per motum localem, ſed per ablationem inſtantaneam quantitatis tanquam rationis formalis, vt fuſiùs dicetur in ſequenti quæſt. in reſponſione ad tertium.

Et cùm inſtatur ſecundò, partes ſubſtantiæ debent priùs ſupponi extenſæ ad hoc, vt recipiant par- E tes quantitatis; Reſpondetur, vt fuſiùs dicetur in ſequenti quæſtione, in reſponſione ad ſecundum, ſufficere ſi ſubſtantia habeat partitionem actualem entitatiuam, ad hoc, vt poſſit in diuerſo genere cauſæ & extendi formaliter à quantitate, & recipere ſubiectiuè ipſam quantitatem: Inſtantia autem militat contra Capreolum aſſerentem materiam non habere actu partes entitatiuas, ſed à quantitate accipere tam entitatem actualem partium, quàm extenſionem, quia tunc à quantitate acciperet ſubſtantia ſuam entitatem ſubiectiuam, quod repugnat.

Ad tertium reſpondetur, eſſe diſparitatem, quare 14. Ad tertium. intenſio non diſtinguatur realiter à qualitate intenſa, & extenſio diſtinguatur ab entitate extenſa; & ratio diſparitatis eſt, quia intenſio eſt intrinſeca perfectio, & multitudo partium intranearum ipſius qualitatis; at verò extenſio, ſeu quantitas ſupra multitudinem partium entitatiuarum, & intranearum materiæ ſuperaddit extreitatem, quomodo autem differat hæc multitudo entitatiua, & ſubſtantialis intranea partium materiæ ab intenſione qualitatis, infrà dicetur in quarta quæſtione.

Ad quartum reſpondetur, quòd ille modus ex- 15. Ad Quartū. tenſionis localis in Angelo, qui eſt extenſus in ordine ad locum, facit vt Angelus ſuo modo replicetur indiuiſibiliter totus in toto ſpatio, & totus in qualibet parte ſpatij, & conceditur quòd proportionaliter ſe habet ſicut extēſio localis corporum; Dixi, (proportionaliter,) quia eſt aliqua differentia, nam extenſio localis in corpore facit, vt pars corporis ſit in parte loci, & totum in toto loco.

Sed præter hanc extenſionem localem, quam concedimus non diſtingui realiter ab ipſo corpore, datur adhuc in ſubſtantia corporea extenſio partium in ordine ad ſe, & hanc diximus habere ſubſtantiam corpoream à quantitate realiter à ſe diſtincta; Hinc eſt quòd etiam ſi Angelus haberet partibilitatem partium, ſicut habet ſubſtantia corporea, non eſſet ille modus extenſionis localis ſufficiens ad extendendum Angelum ſecundùm partes in ordine ad ſe, ſed requireretur quantitas realiter diſtincta, & per hæc patet etiam ad confirmationem.

Ad quintum patet reſponſio ex his, quæ diximus 16. Ad quītū. in prima concluſione contra hanc primam ſententiam.

EXAMINATVR SECVNDA SENTENTIA.

SECVNDA ſententia partim conuenit cum pri- 17. Secūda ſententia. ma ſententia, partim differt ab illa; Conuenit quidem, quatenus aſſerit quantitatem non eſſe accidens diſtinctum à ſubſtantia, & ab aliis accidentibus corporeis, ſed identificari cum illis; differt autem quatenus aſſerit quantitatem non eſſe extenſionem in ordine ad locum, vt dicebat prima ſententia, ſed eſſe extenſionem partium in ordine ad ſe, vnde fluit extenſio in ordine ad locum.

Quòd ſi ab hac ſententia quæratur an illa extenſio in ordine ad ſe ſit penetrabilis, vel impenetrabilis; Reſpondetur extenſionem illam partium in ordine ad ſe eſſe impenetrabilem in actu primo, non autem in actu ſecundo, tunc autem eſt impenetrabilis in actu ſecundo; cùm actu ex illa fluit extenſio in ordine ad locum, quæ dicit actualem impenetrationem.

Fundamentum huius ſententiæ præcipuè ſitum 18. Fundamentum huius ſecūdæ ſententiæ. eſt in ſoluendo abſurda, quæ contra primam ſententiam obiecimus.

Soluit enim primò illud abſurdum, quod primo loco obiecimus contra primam ſententiam, quomodo, ſcilicet, accidentia, quamuis ſint extenſa, ſe penetrant cum proprio ſubiecto, & tamen vnum ſubiectum non poteſt ſe penetrare cum alio ſubiecto; dicit enim hæc ſecunda ſententia, quòd accidentia, ſicut etiam ſubſtantia, habent ſibi identificatam extenſionem partium in ordine ad ſe, tanquam ſibi propriam; Hæc autem extenſio in ordine ad ſe, cùm ſit penetrabilis cum alia ſimili exten-

Digitized by Google

ſione, non repugnat ex vi huius extenſionis accidentia ſe penetrare cum ſubſtantia.

Nec repugnat ratione extenſionis localis, quia accidentia dum ſunt in ſubiecto, non habent propriam extenſionem localem, quia extenduntur localiter ad extenſionem localem ſubiecti, trahuntur enim ad vbi ſubiecti; & quia extenſio localis eſt illa quæ includit actualem impenetrationem; ideo non mirum eſt, inquiunt, ſi accidentia ſe penetrant cum proprio ſubiecto, non autem vnum ſubiectum poteſt ſe penetrare cum alio ſubiecto, quia ſubiecta habent propriam extenſionem localem: Prima autem ſententia Nominalium non poteſt hoc commodè ſaluare, quia non agnoſcit aliam extenſionem præter extenſionem localem; quare bene arguebatur contra primam ſententiam quòd ſi accidentia habeant propriam extenſionem, quæ nihil aliud eſt ſecundùm illam opinionem, quàm extenſio localis, non poſſunt ſe penetrare cum ſubiecto.

19. Soluit ſecundò illud aliud abſurdum de condenſatione, quod erat tertium argumentum, quod obiecimus contra eandem primam opinionem; nam etiam ſi teneat hæc ſecunda ſententia, extenſionem partium in ordine ad ſe omnino identificari cum ſubſtantia, & cum quolibet accidenti; dicit tamen quòd cùm res condenſatur, deperditur extenſio localis; extenſio autem partium in ordine ad ſe contrahitur, poteſt enim ſe penetrare cum alia extenſione, atque adeò poſſunt eſſe plures partes materiæ, ſeu caloris ſub minori quantitate, quod eſt de ratione condenſationis; at verò hoc ſaluare non poteſt prima ſententia, ſi ponat extenſionem localem omnino identificatam à parte rei cum ſubſtantia, & cum quolibet accidenti; nam, vt viſum eſt ſuprà, cùm res condenſatur, non poteſt contrahi extenſio localis, quia dicit naturaliter actualem impenetrationem, neque poteſt dici, quòd corrumpatur, quia tunc corrumperetur etiam materia ſeu calor, quia illa extenſio localis identificatur à parte rei cum materia, ſeu calore, hoc autem dici non poteſt, quia non eſſent plures partes materiæ, ſeu caloris ſub minori quantitate. Sed his non obſtantibus ſit

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA HANC SECVNDAM SENTENTIAM.

20. *Secũda concluſio cõtra ſecundam ſententiam. Prima ratio ſecundæ cõcluſionis contra ſecundam ſententiam.*

HÆc ſecunda ſententia hactenus explicata eſt improbabilis.

Probatur primò ex his quæ habemus in ſanctiſſimo myſterio Euchariſtiæ; nam quæro, quare accidentia, cùm ſint extenſa, ſe penetrant cum ſubiecto? Dices, quia accidentia, quamuis habeant extenſionem partium in ordine ad ſe ſibi identificatam; non tamen habent extenſionem localem, quia extenduntur ad extenſionem ſubiecti, extenſio autem localis, vt dictum eſt, eſt illa ſola, quæ includit actualem impenetrationem; Contra hoc eſt, quia accidentia non poſſunt extendi ad extenſionem localem ſubiecti, quia illa extenſio vel eſt identificata à parte rei omnino cum ſubiecto: vel ſaltem eſt modus proprius ſubiecti; non ergo poſſunt per illum modum alia accidentia extendi quorum non eſt modus, quia modus debet ineſſe in re modificata; ergo accidentia præter extenſionem in ordine ad ſe debent etiam habere extenſionem localem ſibi propriam, ergo habent impenetrabilitatem.

21. Secundò, quia accidentia vnius hoſtiæ conſecratæ non poſſunt ſe penetrare cum accidentibus alterius hoſtiæ conſecratæ; ergo naturaliter habent actualem impenetrationem; Quæro igitur quare cum ſubiecto ſe penetrent? Dices, quia accidentia ſeparata à ſubiecto habent propriam extenſionem localem, ſtatim enim ac ſeparantur, fluit naturaliter ex illa extenſione partium in ordine ad ſe extenſio localis, quæ includit actualem impenetrationem. *Secunda ratio.*

Contra hoc eſt, quia ſi hoc eſſet, ſequeretur quòd accidentia, vt calor, & albedo, eiuſdem hoſtiæ conſecratæ non poſſent ſe ſimul penetrare, non enim habent per aduerſarios aliquod commune ſubiectum, ad cuius extenſionem extendantur localiter; quodlibet igitur illorum accidentium habet ſuam extenſionem localem ſibi identificatam; non poſſunt ergo ſe penetrare in eodem loco; quod tamen eſt contra experientiã; Quòd ſi admitteretur quantitas tanquam commune ſubiectum diſtinctum realiter; tunc poſſet bene dici, quòd omnia accidentia extenduntur localiter ad extenſionem quantitatis.

Tertiò probatur argumentis factis ſuprà in prima concluſione, tum quia ſi non daretur quantitas diſtincta ab aliis accidentibus tanquam commune ſubiectum, non poſſet aſſignari cur accidentia in hoſtia conſecrata vniantur, & colligantur in vnum, tum quia calor qui produceretur in hoſtia conſecrata, produceretur independenter à ſubiecto, ac proinde crearetur, quod non competit agenti naturali, niſi fingatur miraculum, quòd Deus eleuet agens naturale ad creandum; imò Thomiſtæ negant etiam poſſe fieri per diuinam potentiam: tum quia quidditates contrariæ in hoſtia conſecrata non ſe mutuò expellerent; expulſio enim fit, non quia vna qualitas contraria remiſſa non poſſit ſtare cum alia remiſſa; ſed quia ſubiectum non eſt capax maioris latitudinis, quàm vt octo, ſiue huius, ſiue illius qualitatis, vt dictum eſt ſuprà. 22. *Tertia ratio.*

Ex dictis igitur in hac prima & ſecunda concluſione ſatis conſtat, quantitatem eſſe accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, ſiue cum prima ſententia teneatur, quantitatem eſſe eſſentialiter extenſionem localem, ſiue cum ſecunda veriùs teneatur, eſſe extenſionem in ordine ad ſe. 23. *Ex dictis colligitur reſolutio quæſtionis*

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm extenſio partium in ordine ad ſe ſit propria quantitatis.

1. *Explicatur titulus ſeu quæſtionis.*

HÆc quæſtio non controuertitur inter illos Doctores in ſuperiori quæſtione citatos, qui tenent quantitatem non eſſe accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia & aliis accidentibus. Certum eſt enim apud iſtos extenſionem partium ſiue in ordine ad ſe, ſiue in ordine ad locum non eſſe propriam quantitatis, tanquam prædicamenti realiter diſtincti. Dicunt enim ſubſtantiam habere propriam extenſionem ſibi identificatam per quam extendatur, ſic etiam aliqua accidentia.

Sed quæſtio agitatur inter illos Doctores in ſuperiori quæſtione citatos, qui tenent quantitatem eſſe accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia & aliis accidentibus, & quæritur, Vtrùm extenſio partium in ordine ad ſe ſit propria huius prædicamenti quantitatis realiter diſtincti, vel præter hanc extenſionem quantitatis, adhuc ſubſtantia & alia accidentia habeant proprias extenſiones partium in

in ordine ad ſe. Circa quam quæſtionem

2. Prima ſententia. PRIMA ſententia negat extenſionem partium in ordine ad ſe eſſe propriam quantitatis realiter diſtinctæ; tenet enim illam conuenire ſubſtantiæ & aliis accidentibus corporeis, etiam ſi ab illis ſeparetur quantitas. Ita tenet Sotus. Sotus.

Diſtinguit autem hæc ſententia triplicem extenſionem partium in ordine ad ſe.

Prima eſt extenſio penetrabilis, & hanc dicit eſſe propiam ſubſtantiæ, & accidentibus corporeis, tum quia ſe penetrat cum extenſione quantitatiua, tum quia ſi à ſubſtantia ſeparetur quantitas per diuinam potentiam, remanet ipſa ſubſtantia extenſa penetrabiliter, quia vbi eſt illa ſubſtantia, poteſt poni aliud corpus quantum.

B Secunda extenſio eſt impenetrabilis, quæ reddit ſubiectum ita extenſum in ordine ad ſe, vt in actu primo ſit occupatiuum loci, ita vt vbi ſit hæc extenſio, vel res effecta hac extenſione, non poſſit eſſe aliud corpus naturaliter, & hæc eſt propria quantitatis.

Tertia extenſio partium in ordine ad ſe eſt abſtrahens à penetrabili, & impenetrabili, & hanc extenſionem dicit hæc ſententia eſſe communem tam quantitati, quàm ſubſtantiæ, & aliis accidentibus corporeis.

3. Primum argumentum primæ ſententiæ. PROBATVR primò hæc ſententia, Subſtantia corporea, & idem dicendum de accidenti; habet partes ſubſtantiales extenſas in ordine ad ſe diſtinctas à partibus accidẽtalibus quantitatis, ergo habet C propriam extenſionem diſtinctam ab actuali extenſione quantitatis. Antecedens admittitur in omnium opinione, vt in ſequenti quæſtione oſtendetur; Breuiter nunc probatur, quia in hoc differt ſubſtantia corporea à ſubſtantia ſpirituali, quòd ſubſtantia ſpiritualis non extenditur quantitati ſecundùm partes entitatiuas, ſed eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; at verò ſubſtantia corporea coëxtenditur quantitati ſecundùm partes ſuas entitatiuas, ita vt pars materiæ, quæ eſt in capite, coëxtendatur quantitati, quæ eſt in capite, & non quantitati, quæ eſt in pede. Conſequentia probatur, quia ſicut partes quantitatiuæ vniuntur inter ſe per vnionem accidentalem propriam, per quam vna eſt immediatè vnita vni, & mediatè cæteris, D ita ſubſtantia corporea, & accidens corporeum, cùm habeant partes diſtinctas à partibus quantitatiuis, debent habere vniones proprias, per quas immediatè vna pars vniatur vni, & mediatè cæteris, quia hæc vnio debet identificari cum illis partibus, quas vnit, ergo eſt diſtincta ab vnione, per quam vniuntur partes quantitatiuæ diſtinctæ à partibus ſubſtantialibus, & a partibus aliorum accidentium; ergo habent proprias extenſiones, quia extenſio nihil eſt aliud quàm vnio, qua vna pars, vt dictum eſt ſuprà, concipitur immediatè vnita vni parti, & mediatè cæteris. Et confirmatur ſpecialiter in partibus ſubſtantialibus, quia hæc vnio in ſubſtantia eſt ſubſtantialis, quia ſubſtantia eſt ens perſe E vnum, ergo debet habere vnionem ſubſtantialem, alioquin ex illis partibus non fieret vnum per ſe, ſicut nec ex materia, & forma fieret vnum per ſe, niſi vnio eſſet ſubſtantialis, at hæc vnio ſubſtantialis per quam vna pars ſubſtantiæ, immediatè vnitur vni, & mediatè cæteris, diſtinguitur ab vnione quantitatiua, quæ eſt accidentalis.

4. Secundũ argumentum. Secundò probatur, & eſt confirmatio prioris argumenti; Subſtantia ſecundùm ſuas partes eſt ſubiectum partium quantitatis, ergo habet partes extenſas antequam intelligatur informari quantitate,

A non ergo poteſt extendi per quantitatem. Antecedens communiter admittitur; Conſequentia probatur, quia non poteſt intelligi receptio partium quantitatis in ſubſtantia, niſi priùs intelligatur præſentia ſubſtantiæ ſecundum ſuas partes.

Tertiò probatur, quia ſi ſubſtantia haberet extenſionem ſuarum partium à quantitate tanquam à cauſa formali, ſequeretur quòd ablata quantitate, ſubſtantia redigeretur ad punctum; ſed hoc dici non poteſt, ergo, &c. Sequela Maioris probatur, quia non poteſt eſſe effectus formalis ſine ſua cauſa formali. Minor probatur, quia hic confluxus in vnum, & idem punctum non poſſet fieri in inſtanti, quia fieret per motum localem, ergo ſaltem illa ſubſtantia per aliquod breue tempus remaneret extenſa ſecundùm ſuas partes ſubſtantiales ſine quantitate. Et confirmatur, quia vel ablata quantitate per diuinam potentiam remaneret illa ſubſtantia extenſa ſecundùm partes diſtinctas, & vnitas inter ſe in ordine ad totum, vel non; Si dicas primum, habetur intentum, ſecundum autem dici non poteſt, quia tunc illæ partes, quæ erant realiter diſtinctæ, identificarentur cum vna ſimplici ſubſtantia, atque adeò non conſeruaretur eadem ſubſtantia, ſed fieret conuerſio in vnam tertiam entitatem. 5. Tertium argumentum.

Quòd ſi dicas, Deum non poſſe conſeruare illam indiuiduam ſubſtantiam corpoream quæ priùs erat ſub quantitate. Contra hoc eſt, quia hoc diceretur ſine fundamento, tum quia ſubſtantia eſt realitas diſtincta à quantitate, tum quia ſi poteſt quantitas conſeruari ſine ſubſtantia, multò magis ſubſtantia ſine quantitate, maiorem enim dependentiam debet dicere accidens à ſubſtantia, quàm ſubſtantia ab accidenti.

Quartò probatur ſpecialiter in accidentibus, ſequeretur enim ex oppoſita opinione dari albedinem infinitam actu, vel quod eſt magis abſurdum, finitam in infinitam actu ſecundùm partes æquales. Probatur ſequela, ſit quantitas palmaris alba vniformiter vt octo, & ſeparetur iſta albedo per diuinam potentiam, non enim repugnat, nam albedo eſt realitas diſtincta à quantitate, tunc ſequeretur, quòd ſi albedo non haberet propriam extenſionem, tota illa albedo redigeretur in punctum, in quo eſſet vel infinita albedo intenſiuè ſecundùm partes æquales, vel ſaltem infinitæ numero albedines æquales vt octo, nam in quacumque parte proportionali illius quantitatis eſt albedo vt octo, & omnes illæ eſſent vnitæ in puncto, quod quidem repugnat. 6. Quartum argumentũ.

Quintò probatur ex Scoto apud Capreol. in 2. diſt. 3. q. 1. concl. 2. ſi ſubſtantia non haberet ex ſe partium extenſionem, ergo ex ſe repugnaret diuidi in partes, ergo nec per quantitatem aduenientem poſſet diuidi in partes, repugnat enim quòd id, quod ex ſe eſt tale, poſſit eſſe per aliquod adueniens non tale. 7. Quintum argumentũ. Scot. Capr.

Sextò probatur, Ratio partium ſubſtantialium in ſubſtantia non eſt data à natura ipſi ſubſtantiæ propter intenſionem, quia non ſuſcipit magis, & minus, ſicut qualitas, ergo eſt conceſſa propter extenſionem, ergo ſicut ſubſtantia partes habet à ſe, ita extenſionem habet à ſe. 8. Sextum argumentum.

SECVNDA ſententia tenet idem quod prior, extenſionem, ſcilicet, partium ſubſtantiæ corporeæ in ordine ad ſe, ſeu accidentis corporei, non eſſe effectum formalem quantitatis, ſed habere hanc extenſionem à ſe, vt dicebatur in prima ſententia, addit tamen hæc ſecunda ſententia, quòd illa extenſio 9. Secũda ſententia.

Digitized by Google

partium in ordine ad ſe ſiue ſubſtantiæ ſiue alterius accidentis dependet ab extenſione quantitatis tanquam à conditione neceſſariò requiſita, ita vt nec per potentiam diuinam poſſit remanere ſubſtantia extenſa, ſeu aliud accidens extenſum ſecundùm partes in ordine ad ſe, ſi auferatur quantitas; quare in tali caſu ſubſtantia ſeu accidens vel redigeretur ad punctum; vel corrumperetur. A

Argumentũ pro ſecunda ſententia. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia meliùs explicatur, quomodo extenſio quantitatiua ſit radix ſecundùm ſententiam communem philoſophorum, & Theologorum omnis extenſionis in ordine ad ſe tam in ſubſtantia quàm in cæteris accidentibus.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM, ET SECVNDAM *ſententiam.*

10. Tertia ſententia verior explicatur vnica cõcluſione. DICENDVM eſt cum communiori ſententia neque ſubſtantiam, neque vlla accidentia habere à ſe partes extenſas in ordine ad ſe, ſed illam extenſionem eſſe à quantitate tanquam effectum formalem à cauſa formali, atque adeò dicendum extenſionem partium in ordine ad ſe, per quàm vna pars immediatè vnitur vni, & mediatè cæteris, ita eſſe propriam quantitatis, vt nulli rei formaliter conuenire poſſit niſi per ipſam quantitatem. Ita tenet Capreolus in 2.diſt.18.q.1.vbi ait, quòd ſubſtantia ſine quantitate non habet partes, & Sonc. 5. m. quæſt. 19. eſt præterea hæc ſententia Alber. Mag.1.phyſ.tract.2.cap.4.S.Thom. 1.p.q.10.art.2.& 4.cont.Gent.cap.65. Dur. in 1.d.34.q.1.Ferr.5.phyſ. q.4.& communiter Thomiſtarum, & inter recent. idem tenet Tolet.1.phyſ. quæſt. 2. Conim. 1. phyſ. q.2.art.2.Fonſ.5.m.cap.13.ſect.2.&3.præterea Scot. in 2.diſt. 3. q. 4. & eius diſcipuli Baſſ. in 4. diſt. 12. quæſt.1.Lychet.q.3.Mayr.q.1. & inter philoſophos præcipuè Auer.in lib.de ſubſtantia orbis,qui omnes communiter omnem extenſionem partium tribuunt quantitati tanquam primæ radici cuiuſlibet extenſionis.

Probatur authoritate ſcholaſticorum. Capr. Alber. Mag. Durand. Ferr. Tolet. Fonſ. Scot. Baſſ. Lychet. Mayr. Auer.

Neque valet ſi dicatur, quòd iſti auctores interpretari poſſunt iuxta ſenſum ſecundæ ſententiæ, quòd ſcilicet,extenſio partium ſubſtantiæ, & aliorum accidentium ſit à quantitate tanquam à conditione neceſſaria,& non tanquam à cauſa formali, non, inquam, valet, quia non faciunt hanc diſtinctionem, ſed abſolutè dicunt omnem extenſionem eſſe à quantitate, & ſubſtantiam habere partes per quantitatem,tum quia non propriè diceretur, quòd extenſio quantitatis eſſet radix omnis extenſionis, ſi tantùm eſſet conditio, vt clariùs habetur apud Capreolum loco citato. Capreol.

Probatur authoritate Ariſtotelis. Ariſtot. Et etiam hæc noſtra ſententia ipſius Ariſtotelis 1.phyſ. t. 15. vbi dicit ſubſtantiam à ſola quantitate extendi, & illa remota omnem ſubſtantiam fore indiuiſibilem, & 5.m.c. 13. vbi inter proprias affectiones quantitatis numerat hanc, quòd faciat ſubiectum diuiſibile.

11. Probatur rationibus. Solet præterea probari hæc noſtra ſententia variis rationibus,ſed non omnes ſunt efficaces.

Prima ratio. PRIMÒ probari ſolet ex abſurdo, quia ſi ſubſtantia corporea, & alia accidentia corporea haberent extenſionem partium in ordine ad ſe diſtinctam ab extenſione partium ipſius quantitatis, ſequeretur, quòd dari poſſet motus rectus infinitus, quod eſt falſum.

Probatur ſequela, nam ſi detur caſus, quòd ſit lapis tripalmaris in aëre, ita vt partes ſuperiores ſint grauiores, & inferiores minùs graues, tunc auferatur quantitas, remanebit ſubſtantia lapidis extenſa cum ſuis qualitatibus, inter quas erat grauitas, in hoc caſu partes ſuperiores lapidis grauiores incipient deſcendere penetrando reliquas partes minùs graues, (ſupponitur enim in hac opinione, quòd extenſio ſubſtantiæ & aliorum accidentium non ſit impenetrabilis,) ſed non poſſunt omnes partes ſe inuicem penetrare, quia ſubſtantia reduceretur in punctum, ergo continuè per motum rectum in infinitum deſcendent partes inferiores penetrando inferiores.

Reiicitur hæc prima ratio. Sed hæc prima ratio non eſt efficax,nam vel dici B poſſet, quòd remota quantitate non futurus eſſet motus, quia motus dependet à quantitate; vel ſecundò,etiam ſi fieret motus, adhuc motus rectus non eſſet infinitus, quia in iſto caſu partes grauiores deſcenderent deorſum & partes minùs graues aſcenderent ſurſum, hoc eſt ſupra grauiores, ſicut à pari, cùm oleum ex vi alicuius impetus deſcendit deorſum, tunc paulatim partes olei, quæ ſunt leuiores, aſcenderent ſurſum, & partes aquæ, quæ ſunt grauiores, deſcenderent deorſum, & ceſſaret motus.

Sed quæres quid ſi omnes partes lapidis, eſſent æquè graues inter ſe: Reſpondetur, quòd in tali caſu non fieret motus, quia non eſſet maior ratio cur C vna pars deſcenderet, & alia aſcenderet, remanerent igitur in eo ſitu, in quo ante erant, dum erant ſub quantitate.

12. Secunda ratio. SECVNDO probari ſolet, quia cùm rareſit quantitas, & ex bipalmari fit tripalmaris, tunc etiam ſubſtantia fit tripalmaris; Vel ergo producitur noua extenſio ſubſtantialis, & hoc quidem non videtur dicendum, quia ſubſtantia ſecundùm hanc opinionem ex ſe habet ſuam extenſionem; Vel dicendum, quòd de nouo appareat tertius palmus, qui antea latebat.

Sed neque hoc eſt dicendum, vbi enim latebat ille tertius palmus? dicendum eſt igitur quòd ſubſtantia non habet extenſionem partium niſi à quantitate tanquam à ratione formali, atque adeò cùm D rareſit quantitas, & fit maior, tunc per illam maiorem quantitatem, extenditur ſubſtantia.

13. Reiicitur. Sed neque hæc ratio eſt efficax, poſſent enim aduerſarij primò reſpondere, quòd per rarefactionem non acquiritur noua extenſio in ordine ad ſe, ſed in ordine ad locum, atque adeò non opus eſt, vt extenſio ſubſtantiæ in ordine ad ſe fiat maior, ſed tantùm quòd fiat maior in ordine ad locum.

Quòd ſi teneatur ſecundùm veriorem opinionem, quòd per rarefactionem, fiat maior extenſio in ordine ad ſe; reſpondere poſſent adhuc aduerſarij quòd per coniunctionem extenſionis ſubſtantiæ cum extenſione quantitatis poteſt ab eodem agente E calido extendi ſubſtantia, ſicut extenditur quantitas.

14. Tertia ratio verior, & fundamentalis. TERTIO igitur, & veriùs probatur, & eſt fundamentum huius concluſionis, quia ſequeretur, quòd illa extenſio quam ſubſtantia ſecundùm aduerſarios habet ex ſe, & idem dicendum de aliis accidentibus corporeis, neceſſariò eſſet impenetrabilis in ordine ad locum, ergo illa extenſio non poteſt dari; Conſequentia eſt manifeſta, quia ſequeretur, quòd ſubſtantia non poſſet eſſe ſimul cum quantitate. Antecedens probatur quia extenſio localis, ſeu impenetrabilitas in ordine ad locum, non poteſt oriri niſi ab illa extenſione partium in ordine ad ſe, ideo enim Angelus non habet extenſionem

Digitized by Google

ſionem ſecundùm partes in loco, quia non eſt extenſus in ordine ad ſe.

Præterea quæro, quare quantitas non ſe penetrat localiter cum alia quantitate? Non poteſt aliter reſponderi, niſi vel quia dicit negationem penetrabilitatis, vel quia habet potentiam poſitiuam reſiſtendi alteri corpori.

Sed rurſus quæro à quo fluat iſta potentia reſiſtendi; cùm ſit qualitas ſicut eſt figura, vel ſi eſt negatio, quæro in quo poſitiuo fundetur iſta negatio? Certè non poteſt aliter reſponderi, niſi quòd fluat vel fundetur in ipſa extenſione partium in ordine ad ſe; quare ſi admittatur quòd ſubſtantia habeat ex ſe extenſionem in ordine ad ſe, ſequitur, quòd neceſſariò ſit impenetrabilis in ordine ad locum.

15. Inſtatur primò. Quòd ſi dicas primò, hanc impenetrabilitatem oriri ex extenſione locali; Contra adhuc vrget argumentum, quia iſta extenſio localis oritur, vt probatum eſt, ex extenſione in ordine ad ſe, ſi igitur admittatur, quòd ſubſtantia ſit extenſa in ordine ad ſe, ſequitur quòd naturaliter ſit extenſa in ordine ad locum, & conſequenter impenetrabilis. Solutio.

Inſtatur ſecundò. Quòd ſi dicas ſecundò, hanc extenſionem localem impenetrabilem non oriri ex quacumque extenſione partium in ordine ad ſe, ſed ex illa extenſione in ordine ad ſe, quæ eſt in ordine ad ſe impenetrabilis, cuiuſmodi eſt extenſio in ordine ad ſe partium quantitatis. Contra hoc eſt, tum, quia ex extenſione partium in ordine ad ſe, quæcumque illa ſit, ſequitur extenſio localis, ad quam conſequitur naturaliter impenetrabilitas, tum quia omnis extenſio in ordine ad ſe, eſt etiam impenetrabilis in ordine ad ſe, quod neque aduerſarij videntur negare, tum quia remanente eadem præſentia & vnione partium inter ſe, vna non poteſt ſe penetrare cum alia; ita vt caput quod eſt immediatè vnitum collo, non poſſit ſe penetrare cum collo, vel pectore, quia tunc tolleretur extenſio in ordine ad ſe; ſemper enim dicit vnionem immediatam vni parti & mediatam cæteris; tum quia ſubſtantia ſecundùm aduerſarios eſt intrinſece, & ex ſe extenſa in ordine ad ſe, ergo non poteſt redigi ad aliquod indiuiſibile, ergo extenſio in ordine ad ſe dicit ſaltem naturaliter impenetrabilitatem in ordine ad ſe, quia ſi partes ſe penetrarent in ordine ad ſe, iam extenſio in ordine ad ſe naturaliter redigeretur ad aliquod indiuiſibile. Solutio.

Inſtatur tertiò. Quòd ſi dicas tertiò, vt dicunt authores ſecundæ ſententiæ, quòd quia extenſio in ordine ad ſe ſubſtantiæ, & aliorum accidentium dependet ab extenſione quantitatis tanquam à conditione, ideo non mirum ſi impenetrabilitas in ordine ad locum oriatur ex ſola extenſione quantitatis. Contra hoc eſt, tum quia, vt mox infrà probabimus, iſta dependentia nō datur; tum quia etiam ſi daretur, non facit ad propoſitum; impenetrabilitas enim fluit, vt probatum eſt, ex ipſa extenſione partium in ordine ad ſe; quòd autem dependeat ab alio, vel non dependeat, non tollit rationem extenſionis. Solutio.

16. Quarta probatio concluſionis. QVARTO probatur concluſio præcipuè contra ſecundam ſententiam; Et quidem quantùm ad id quod aſſerit ſecunda ſententia, ſubſtantiam, ſcilicet, & alia accidentia habere ex ſe extenſionem in ordine ad ſe, in quo conuenit cum prima ſententia, iam impugnatum eſt, quantùm verò ad id, quod addit, illam extenſionem dependere ab extenſione quantitatis tanquam à conditione neceſſariò requiſita, impugnatur; quia extenſio ſubſtantiæ, & aliorum accidentium, eſt quid diſtinctum A naturaliter à parte rei ab ipſa extenſione quantitatiua, ergo gratis fingitur, quòd dependeat ab extenſione quantitatis, ita vt ſeparata non poſſit exiſtere.

Nec valet quòd dicunt, poni hanc dependentiam ad hoc, vt ſaluetur communis ſententia Philoſophorum & Theologorum aſſerentium, quòd extenſio quantitatis eſt radix omnis extenſionis. Non, inquam, valet, quia ſi hæc ratio habet aliquam vim, probat tantùm contra primam ſententiam, quæ aſſerit ſubſtantiā, & alia accidentia habere à ſe extenſionem ſine vlla dependentia à quantitate, non autem contra ſententiam noſtram, ſecundùm quam tenemus, ſubſtantiam, & alia accidentia nullam à ſe B habere extenſionem, ſed extendi formaliter per ipſam quantitatem; ſecundùm enim hanc ſententiam meliùs ſaluatur dictum illud commune Philoſophorum, quòd quantitas eſt radix omnis extenſionis.

Præterea confirmatur hæc quarta ratio, quia fruſtra datur, ſubſtantiam, & alia accidentia habere extenſionem à ſe, cū dependentia ab extēſione quantitatis; nihil enim obſtat, quin ſubſtantia materialis, & alia accidentia poſſint extendi per ipſam quantitatem tanquam per cauſam formalem, vt mox clariùs patebit ex ſolutione argumentorum; non neceſſe eſt igitur præter extenſionem quantitatis dari aliam extenſionem dependentem à quan- C titate. 17. Cōfirmatio.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

AD primum reſpondetur concedendo antecedens, ſubſtantiam habere partes ſubſtantiales extenſas in ordine ad ſe, diſtinctas à partibus accidentalibus quantitatis, & facere vnum per ſe integrale; negatur tamen conſequentia, quòd propterea debeat habere extenſionem à ſe diſtinctam ab extenſione quantitatis; Et ratio negationis eſt, quia ſufficit vt recipiat extenſionem tanquam effectum D formalem à quantitate, tanquam à cauſa formali. 18. Reſponſio ad primum argumentū primæ ſententiæ.

Et cùm inſtatur, quòd vnio vniens partes ſubſtātiales, debeat eſſe ſubſtātialis, quia ex partibus ſubſtātialibus vnitis ſit vnū per ſe integrale, Reſpondetur, concedēdo fieri vnum per ſe integrale; ad hoc autē ſatis eſt, vt ipſæ partes, quæ vniuntur per extenſionē, ſint ſubſtantiales, quamuis extenſio, quæ eſt loco vnionis, ſit accidentalis, quia non fit vnū eſſentiale, ſicut fit ex materia & forma, neque vnum ſubſtantiale, ſicut fit ex natura & ſuppoſito, ſed fit vnum integrale ex pluribus partibus ſubſtantialibus vnitis per extenſionem: Quomodo autem partes ſubſtantiæ materialis vniantur ad faciendum vnum per ſe integrale, an per partiales ſubſiſtentias, an verò E per vnam ſubſiſtentiam ſimplicem & indiuiſibilem, diximus fusè ſuprà in prædicam. ſubſtant. in tertia diſputat.

Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedens, quòd partes, ſcilicet quantitatis, recipiantur in partibus ſubſtantiæ tanquam in ſubiecto, negatur tamen conſequentia, quòd propterea ipſa ſubſtantia non poſſit extendi à quantitate, tanquam à cauſa formali; Et ratio negationis eſt, quia nihil obſtat quòd cauſæ non poſſint eſſe ſibi inuicem cauſæ in diuerſo genere cauſæ, quando cauſant ſe non ſecundùm idem, ſed ſecundùm diuerſa, quia tunc ceſſat implicantia, quòd daretur prius & poſterius, ſecundùm idem, & ita eſt in caſu noſtro, nam ſub- 19. Reſponſio ad ſecundū.

Digitized by Google

ſtantia in genere cauſæ materialis cauſat quantitatem ſecundùm eſſe exiſtentiæ; Quantitas verò cauſat ſubſtantiam non quantùm ad entitatem partium ſubſtantialium; hanc enim habet ſubſtantia à ſe independenter à quantitate, vt dicetur in quæſtione quarta, ſed dicitur cauſare ſubſtantiam quantùm ad ad extenſionem tantùm, quatenus partes illæ entitatiuæ ipſius ſubſtantiæ recipiunt extenſionem à quantitate, quæ quidem extenſio eſt accidens ſuperadditum ſubſtantiæ.

Inſtatur. Quòd ſi inſtes, ad hoc vt partes ſubſtantiales & entitatiuæ poſſint ſubiectare partes quantitatis, debent eſſe præſentes ipſis partibus quantitatiuis, ergo hæc præſentia ſupponitur antecedenter in ſubſtantia; hæc autem præſentia nihil aliud eſt, quàm ipſa extenſio ſubſtantiæ; ſubſtantia igitur ad hoc vt poſſit ſubiectare quantitatem, debet habere antecedenter extenſionem à ſe.

Solutio. Reſpondetur quòd iſta præſentia ad ſubiectationem requiritur quidem tanquam conditio, non requiritur autem vt antecedat ipſam ſubſtantiam antequam ſubiectet quantitatem, ſed ſatis eſt, vt ſimul ſubſtantia fiat præſens per extenſionem receptam à quantitate tamquam à cauſa formali; & ſimul etiam ipſa ſubſtantia in genere cauſæ materialis ſubiectet ipſam quantitatem, non quidem per ipſam extenſionem receptam tamquam per cauſam materialem; quia hæc, vt dictum eſt, concurrit tamquam conditio, ſed ſubiectet ipſam quantitatem per ipſam entitatem partium ſubſtantialium, tamquam per cauſam materialem, quam entitatem partium ſubſtantialium habet ſubſtantia à ſe, vt dictum eſt, independenter à quantitate.

10. Ad tertium. Capr. Sonc. Fonſ. Ad tertium reſpondetur ex Capreolo in ſecundo diſt. 8. quæſtione vnica, & eſt Soncinnatis 5. m. q. 19. Fonſ. 5. met. cap. 15. quæſtione ſecunda ſect. 9. quòd in caſu argumenti ablata quantitate omnes partes ſubſtantiæ redigerentur ad ſubſtantiam indiuiſibilem ſeu ad indiuiſibile ſubſtantiæ; non quidem per motum localem, ſed quia ablata quantitate in inſtanti, tanquam ratione formali, in inſtanti etiam tollitur effectus formalis, quia erat extenſio partium ſubſtantiæ, ſicut poſito in inſtanti, Vbi replicatiuo, quod replicat Petrum Romæ, in inſtanti Petrus eſt præſens Romæ, vt patet de corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis.

11. Inſtantia. Quòd ſi inſtes, non poteſt aſſignari punctum illius ſpatij, in quo eſſet illa ſubſtantia, quæ eſt redacta ad indiuiſibile entitatiuum, non enim magis petit eſſe in hoc puncto illius ſpatij, quod antè occupabat, quàm in alio.

Solutio. Reſpondetur, quòd Deus determinaret punctum ſiue in illo ſpatio, ſiue extra illud ſpatium; Vel ſecundò reſpondetur, quòd ſublata extenſione quantitatiua peteret illa ſubſtantia, vt ſibi à Deo produceretur aliquod Vbi, per quod illa ſubſtantia eſſet tota in toto illo ſpatio, & tota in qualibet parte illius ſpatij, quod antea occupabat.

12. Reſponſio ad cōfirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, quòd illæ partes ſubſtantiales, quæ erant extenſæ per quantitatem, rediguntur quidem ad vnum indiuiſibile ſubſtantiale, ſeu entitatiuum, nec propterea fieret conuerſio in vnam tertiam entitatem, ſed eſſet eadem indiuidua entitas ſecundùm eaſdem partes entitatiuas; ſolùm enim fuiſſet ſublata extenſio, quæ erat accidentalis huic entitati.

Et cùm inſtatur, quòd omnes illæ partes, quæ erant diſtinctæ identificarentur; Reſpondetur, quòd ſi daretur in continuo diſtinctio actualis partium, dicendum eſt, quòd etiam remanent diſtinctæ, redactæ in illud indiuiſibile, quia remanent eædem partes, quæ erant priùs extenſæ, cum ordine ad ſimilem aliam extenſionem; vel ſi non dantur partes diſtinctæ in continuo, ſed eſt vna ſimplex entitas, dicendum eſt, quòd etiam redactæ ad indiuiſibile, non diſtinguuntur, ſed ſicut quando erant extenſæ & indiſtinctæ, poterant ſeparari per diuiſionem; ita etiam quando ſunt redactæ ad punctum, poſſunt ſaltem per diuinam potentiam illæ eædem partes ſeparari; quia, vt dictum eſt, ita remanent illæ partes ſimul redactæ ad indiuiſibile, vt dicant ordinem ad extenſionem & ſeparationem.

Ad quartum nonnulli propter implicantiam poſitam in argumento, negant albedinem vt octo inhærentem in partibus proportionalibus ſubiecti quanti, poſſe ſeparari, neque inde, inquiunt, ſequi, albedinem non diſtingui realiter à ſubiecto quanto, quia poteſt Deus extra ſubiectum producere vnam albedinem (vt octo) vel duas, &c. Nonnulli verò meliùs dicunt poſſe illam albedinem ſeparari, quia nulla videtur implicantia, non enim illa albedo per ſeparationem fieret infinita intenſiuè; ad intenſionem enim requiritur vnio, qua vna pars vnitur vni, & immediatè omnibus; Sicut igitur hæc vnio non erat in albedine, quando inhærebat in partibus proportionalibus: ita neque eſt in eadem albedine ſeparata, ſed ſolùm eſt multitudo quædam extenſiua redacta in punctum omnium illarum albedinum, quæ erant in partibus proportionalibus; Sicut igitur non repugnabant illæ albedines, quando erant in partibus proportionalibus, quia erant modo quodam confuſo: ita nec repugnant ſeparatæ, quia ſemper remanent cum eadem confuſione, per ordinem, quem dicunt ad eaſdem partes proportionales. 13. Ad quart.

Ad quintum reſpondetur ex Capreolo, quòd id quod repugnat ex ſe diuidi contrariè, per nihil adueniens poteſt diuidi, ſicut eſt ſubſtantia Angeli, quæ quoniam non habet partes entitatiuas, ideo non poteſt per quantitatem diuidi; at verò cui repugnat diuidi priuatiuè, quatenus ex ſe non habet rationem formalem, vt diuidatur, non tamen dicit contrariam formam, cui repugnet diuiſio, poteſt per aduenientem formam diuidi, ſicut eſt ſubſtantia materialis, quæ quamuis ex ſe non habeat formam per quam diuidatur; habet tamen ex ſe partibilitatem partium entitatiuarum; vt in ſequenti quæſtione dicemus, ratione cuius non repugnat per aduenientem quantitatem diuidi, ſicut repugnat parieti quanto per ſe videri priuatiuè, quia non habet colorem, non tamen repugnat contrariè, quia non habet poſitiuè formam contrariam, ratione cuius repugnat vt per aduenientem colorem videatur; hoc autem argumentum magis militat contra Capreolum, qui omnino negat partibilitatem entitatiuam à ſubſtantia, quia tunc, vt in ſequenti quæſtione mox dicetur, non videtur quomodo poſſit ſubſtantia per quantitatem extendi, & habere partes extra partes, ſi priùs non habebat partes entitatiuas intraneas. 14. Ad quint.

Ad ſextum reſpondetur, concedendo quòd per illam rationem partiū ſubſtantia non intenditur, ſicut intenditur qualitas, ſed tantùm eſt extendibilis; negatur tamen conſequentia, quòd ſicut habet partes entitatiuas ſubſtātiales à ſe, ita debeat habere extenſionem; Et ratio negationis eſt, quia cùm extenſio ſit accidens, poteſt per illam accidentaliter extendi ſubſtantia, non autem poteſt per quantitatem quæ eſt accidens, tribui ſubſtantiæ entitas ſubſtantialis partium, vt infrà in ſequenti quæſt. oſtendetur. 15. Ad ſextum.

Ad

Digitized by Google

26. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur ex dictis, quòd ad hoc, vt ſaluetur quòd quantitas ſit radix extenſionis in ſubſtantia, & in aliis accidentibus, ſufficit ſi dicatur, vt nos dicimus, quòd huiuſmodi extenſiones in ſubſtantia, & accidentibus ſint effectus formales quantitatis, imò per hoc meliùs ſaluatur quòd quantitas ſit radix extenſionis.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm ſubſtantia materialis totam ſuam entitatem partium ſubſtantialium habeat ex ſe actu independenter à quantitate.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. Primò notandum. NOTANDVM eſt duo eſſe in ſubſtantia extenſa, & idem proportionaliter dicendum eſt de aliis accidentibus; Primum eſt, ipſa extenſio, ſeu extreitas partium ſubſtantiæ; Secundum eſt ipſa entitas partium ſubſtantialium, quæ eſt ſub illa extenſione, ſeu extreitate; Quantùm autem ad primum, iam probatum eſt in præcedenti quæſtione, ſubſtantiam non habere à ſe extenſionem ſeu extreitatem ſuarum partium, ſed recipere ab ipſa quantitate tamquam à cauſa formali; Quod autem in hac quæſtione quæritur, eſt illud ſecundum, an, ſcilicet, ipſam etiam entitatem partium ſubſtantialium habeat ſubſtantia ex ipſa quantitate, vel habeat à ſe, ita vt ſeparata à quantitate, & redacta ad indiuiſibile ſubſtantiæ, ſeu entitatiuum, habeat adhuc illam entitatem, ſeu partibilitatem partium ſecundùm intreitatem, ſicut eaſdem priùs habebat ſub quantitate ſecundùm extreitatem.

Secùdò notandum. Notandum ſecundò, quòd cùm dicitur ſubſtantiam à ſe, antequam extendatur, habere partes ſubſtantiales, non intelligitur, quòd illæ partes ſint actu diſtinctæ; de hoc enim eſt alia quæſtio, & eſt ſimilis illi quæſtioni, An quantitas habeat partes actu diſtinctas, ſed tantùm ſignificatur quòd ſubſtantia habeat à ſe actu illam entitatem partium, & non in potentia; ita vt à quantitate non recipiat illam entitatem partium, ſed tantùm extenſionem.

2. Capr. Sonc. PRIMA ſententia eſt Capr. in 2. d. 4. q. 1. & d. 19. q. vnica in fine, & diſt. 18. quæſt. vnica, & Sonc. 5. m. q. 22. aſſerentium ſubſtantiam materialem nullam habere à ſe partibilitatem entitatiuam, ſed omnem partibilitatem habere à quantitate.

Primum argumentum. Hæc ſententia probari poteſt primò, quia ſi ſubſtantia ex ſe haberet partibilitatem entitatiuam, non differret à qualitate ſiue ſpirituali, ſiue materiali, nam hæc etiam habet partibilitatem entitatiuam graduum, ac propterea poteſt intendi, & remitti, quod dici non poteſt de ſubſtantia ſecundùm Ariſtotelem. Ariſtot.

Quòd ſi dicas, partes entitatiuas ſubſtantiæ non vniri ad faciendam intenſionem, ſicut vniuntur gradus in qualitate; Contra hoc eſt, quia tunc ſequeretur, quòd ablata quantitate à ſubſtantia, haberet ex ſe partes extra partes, quod in ſuperiori quæſtione impugnatum eſt; nam ſi ſubſtantia eſt partibilis, ergo poteſt accipi vna pars non accepta alia; & hæc non erat intra illam in ordine ad vnum, ſicut ſunt gradus in qualitate, ergo ſimpliciter vna eſt extra aliam in ordine ad ſe.

3. Secundù argumentum. Secundò probatur, ſi ablata quantitate, ſubſtantia haberet ſuas partes entitatiuas inuicem vnitas, & intimè præſentes, ſequeretur quòd haberet infinitas vniones, quia infinitæ eſſent partes.

Solent fieri alia argumenta, quæ non multùm probant; vel ſi quid probant, probant non ſolùm ſubſtantiam habere ex ſe partes entitatiuas, ſed etiam habere illas ſecundùm extreitatem, quod in ſuperiori quæſtione impugnatum eſt.

4. Secũda ſententia. Explicatur. SECVNDA ſententia communior, & verior eſt in oppoſitum.

PRO cuius explicatione notandum eſt triplicem eſſe partibilitatem. Prima partibilitas eſt extenſiua ſecundùm extreitatem, per vnionem, ſcilicet, qua vna pars immediatè vnitur vni, & mediatè reliquis, & hæc, vt dictum eſt in ſuperiori quæſtione, eſt propria quantitatis; ſubſtantiæ autem materiali, & qualitati materiali competit dependenter à quantitate, tanquam à cauſa formali.

Secunda partibilitas eſt intenſiua per intenſionem graduum, & fit per intreitatem, per vnionem, ſcilicet, per quam vna pars immediatè vnitur vni, & omnibus aliis, & hæc eſt propria qualitatis ſiue materialis, ſiue ſpiritualis.

Tertia partibilitas eſt entitatiua, & eſt etiam per intreitatem per vnionem, ſcilicet, per quam vna pars ſubſtantiæ materialis, ſeu qualitatis materialis vnitur immediatè vni parti, & reliquis omnibus.

Differt autem hæc tertia partibilitas entitatiua à ſecunda partibilitate intenſiua primò, quia intenſiua non eſt capax extenſionis, neceſſariò enim qualitas debet habere aliquam intenſionem determinatam; at verò partibilitas entitatiua eſt capax extenſionis, nam omnes illæ partes ſubſtantiæ materialis, ſeu qualitatis materialis, quæ per ablationẽ quantitatis redactæ ſunt in punctum, poſſunt per quantitatem extendi. Secundò, quia partibilitas intenſiua reperitur in qualitate materiali, & ſpirituali; at verò partibilitas extenſiua reperitur ſolùm in qualitate materiali, vel ſubſtantia materiali.

His notatis ſit

PRIMA concluſio, Subſtantia materialis habet ſuas partes entitatiuas ſubſtantiales diſtinctas à partibus quantitatis. In hac autem concluſione non diſputo an iſtas partes ſubſtantia habeat a ſe, vel à quantitate; de qua re dicetur infra. 5. Prima concluſio.

Probatur, quia certum eſt, ſubſtantiam materialem eſſe ſub quantitate, & diſtingui ab illa, vel ergo eſt ſub quantitate diuiſibiliter, & ita habetur intentum, vel eſt indiuiſibiliter, & tunc non differret à ſubſtantia ſpirituali, cuiuſmodi eſt anima rationalis, quæ eſt tota in tota quantitate, & tota in qualibet parte quantitatis. 6.

Quòd ſi dicas primò, quòd ſubſtantia materialis differt à ſubſtantia ſpirituali, quia ſubſtantia ſpiritualis non poteſt diuidi ad diuiſionem quantitatis, ſicut diuiditur ſubſtantia materialis; Contra hoc eſt, quia ideo non poteſt ſubſtantia ſpiritualis diuidi, quia non habet partes; ſi igitur ſubſtantia materialis poteſt diuidi ad diuiſionem quantitatis, ſignum eſt, quòd habeat partes ſubſtantiales. 7.

Quòd ſi dicas ſecundò, ſubſtantiam materialem differre ab anima rationali, quia ad diuiſionem quantitatis palmaris, anima rationalis, quæ eſt ſpiritualis, eſt indiuiſibiliter in vno ſemipalmo, & eadem numero indiuiſibiliter in alio ſemipalmo; at verò ex indiuiſibili entitate ſubſtantiæ materialis ad diuiſionem quantitatis, fiunt duæ indiuiſibiles entitates eiuſdem ſubſtantiæ materialis, quarum vna remanet ſub vno ſemipalmo tota in toto, & tota in qualibet parte ſemipalmi, altera verò remanet ſub alio ſemipalmo etiam indiuiſibiliter, & ratione huius partibilitatis ſubſtantia materialis differt à ſpirituali. 8.

Sed

Sed contra hoc eſt, tum quia hoc videtur dici gratis ſine fundamento, tum quia hoc eſt impoſſibile; nam quomodo illæ duæ entitates indiuiſibiles ſubſtantiæ materialis ſi poſtea ad inuicem vniantur, coaleſcere poſſunt in vnam ſimplicem, & omnino indiuiſibilem entitatem, nam ſicut diuiſæ habebant ſuam propriam indiuiduationem, ita etiam vnitæ debent retinere eandem propriam indiuiduationem, alioquin tranſſubſtantiarentur in vnam tertiam entitatem indiuiduam, quod eſt impoſſibile.

9. *Secunda ratio.* Secundò probatur eadem concluſio, quia ſubſtantia corporea, quæ eſt in capite, non eſt eadem, quæ eſt in pede, ergo ſubſtantia materialis dum eſt ſub quantitate, habet partes ſubſtantiales; Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur, nam ſi eadem ſubſtantia corporea, quæ eſt ſub quantitate capitis, eſſet ſub quantitate pedis, tunc non differret à ſubſtantia ſpirituali, cuiuſmodi eſt anima rationalis.

10. *Tertia ratio.* Tertiò probatur, Nutritio differt ab augmentatione, quia nutritio terminatur ad ſubſtantiam, augmentatio ad quantitatem; ſicut igitur per augmentationem ſucceſſiuam acquiruntur diuerſæ partes quantitatis, ita per nutritionem ſucceſſiuam, acquiruntur diuerſæ partes ſubſtantiæ, partes igitur ſubſtantiæ diſtinguuntur à partibus quantitatis.

Neque valet ſi dicas, quòd in nutritione eadem forma materialis ſubſtantialis informat varias partes ſicut dicitur de anima rationali, non, inquam, valet, nam forma materialis, vt dictum eſt, diſtinguitur à forma ſpirituali, quia forma materialis non poteſt eſſe tota in toto; & tota in qualibet parte; hoc enim proprium eſt ſubſtantiæ ſpiritualis.

11. *Secũda concluſio.* SECVNDA concluſio. Subſtantia materialis habet à ſe illam entitatem partium ſubſtantialium, quæ extenditur per quantitatem, ſolùm autem, vt dictum eſt ſuprà, à quantitate recipit extenſionem.

Prima ratio. Probatur hæc concluſio ex præcedenti concluſione, quia, vt ibi dictum eſt, ſubſtantia materialis dum eſt ſub quantitate, habet partes ſuas entitatiuas ſubſtantiales diſtinctas à partibus quantitatis, ergo à ſe habet illas ſuas partes entitatiuas ſubſtantiales independenter à quantitate; Conſequentia probatur primò, quia, vt dictum eſt ſuprà, non poteſt accidens, cuiuſmodi eſt quantitas, tribuere ſubiecto effectum formalem ſubſtantialem, ſicut albedo non poteſt facere ſubiectum album niſi accidentaliter, ita nec quantitas poteſt facere ſubiectum partibile niſi accidentaliter.

12. *Secunda ratio.* Secundò probatur eadem conſequentia, Partes ſubſtantiæ materialis diſtinguuntur à partibus quantitatiuis; ſed non poſſunt diſtingui per ipſam quantitatem; ergo diſtinguuntur per ſeipſas, ergo à ſe habent ſuam entitatem partibilem. Minor probatur, quia ſubſtantia ſeipſa debet diſtingui ab alia entitate, eſt enim impoſſibile vt vna entitas diſtinguatur ab alia entitate per entitatem diſtinctam à ſe, quia ſicut per ſe ipſam eſt ens, ita per ſeipſam eſt vna, & diſtincta ab alia, & multò magis hoc militat in caſu quæſtionis, quia quantitas eſt vnum extremum, à quo debet diſtingui ſubſtantia, ergo non poteſt diſtingui per quantitatem, diſtinguuntur igitur partes ſubſtantiæ à partibus quantitatis per ſeipſas, ergo à ſe habent ſuam entitatem, & non à quantitate, tanquam à ratione formali, quod erat probandum.

13. *Tertia ratio.* Probatur tertiò, quia partes ſubſtantiales ſunt ſubiectum partium quantitatis, ergo non poſſunt accipere entitatem ſubſtantialem à quantitate, ſed potiùs partes quantitatis ſupponunt partibilitatem partium in ſubſtantia, & ſolùm illam extendunt; quia alioquin ſequeretur, quòd quantitas cauſaret ſibi ſuum ſubiectum, quod eſt impoſſibile, etiam in diuerſo genere, vt ſupponimus ex his, quæ dicemus in prædicamento actionis, quia idem eſſet cauſa ſui ipſius; quantitas enim acciperet exiſtentiam ab illis partibus tanquam à cauſa, & daret exiſtentiam eiſdem partibus, ſicut à pari repugnat quòd principium det euidentiam concluſioni, & accipiat euidentiam à concluſione.

TERTIA concluſio. Sublata quantitate à ſubſtantia, partes ſubſtantiæ, quæ erant ſub quantitate, non rediguntur in vnam omnino entitatem ſimplicem ſubſtantiæ impartibilem, & indiuiſibilem, ſed in entitatem quandam partibilem compoſitam ex pluribus partibus, ſeu entitatibus partialibus entitatiuis ſubſtantialibus, quæ quidem vniuntur ſimul per intreitatem; à quantitate enim ſolùm habebant extreitatem. 14. *Tertia concluſio.*

Suppono in hac concluſione ad maiorem claritatem, ſubſtantiam poſſe ſeparari à quantitate, quia eſt realitas diſtincta à quantitate, vel ſaltem per diuinam potentiam hoc fieri poteſt; ſi enim per diuinam potentiam poteſt ſeparari quantitas à ſubſtantia, multò magis ſubſtantia à quantitate.

Hoc ſuppoſito probatur concluſio. Si remota quantitate omnes illæ partes ſubſtantiales, quæ erant ſub quantitate, redigerentur in vnam indiuiſibilem & omnino ſimplicem ſubſtantiam, quæro quomodo poſtea per quantitatem fiunt plures partes, ſeu entitates ſubſtantiales, & quidem non poteſt dici, quòd quantitas tribuat formaliter entitatem ſubſtantialem, vt ſuprà probatum eſt, quia eſt accidens, neque poteſt dici, quòd illæ partes ſubſtantiales erant in potentia in ſubſtantia materiali, per quantitatem autem fiunt actu, non, inquam, poteſt dici; quia accidens non tribuit formaliter entitatem ſuo ſubiecto, ſunt autem partes ſubſtantiæ materialis, quæ ſunt ſub quantitate ſubiectum partium quantitatiuarum. *Prima ratio.*

Secundò probatur, partes entitatiuæ ſubſtantiales quæ erant ſub quantitate, habebant ſuam propriam entitatem, quod clariùs patet, ſi palmus diuidatur in duos ſemipalmos, nam ſubſtantia, quæ eſt ſub vno ſemipalmo, habet ſuam propriam entitatem, & indiuiduationem; quomodo igitur illæ partes ſubſtantiæ poſſunt remota quantitate coaleſcere in vnam omnino ſimplicem, & impartibilem entitatem; coaleſcerent enim, ſeu tranſubſtantiarentur in vnum tertium, quod videtur impoſſibile. 15. *Secunda ratio.*

Tertiò probatur ex Scoto apud Capreolum in 3. diſt. 3. q. 1. concl. ſecunda. Huic ſubſtantiæ materiali omnino ſimplici, repugnat, inquit, ex ſe diuidi in partes ſubſtantiales, ergo non poteſt per aduenientem quantitatem diuidi in partes ſubſtantiales, quod enim, inquit Scotus, eſt ex ſe tale, non poteſt eſſe per aliquod adueniens non tale. 16. *Tertia ratio. Scot. Capr.*

AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum patet ex primo notabili. *Reſpõſio ad primum argumentum primæ ſententiæ.*

Ad ſecundum reſpondetur non ponendas eſſe huiuſmodi infinitas vniones, ſicut nec in intenſione qualitatis, ſicut enim gradus qualitatis ſe inuicem vniuntur, ita partes entitatiuæ ſubſtantiæ ſeipſis vniuntur; & eadem vnione, qua vna pars immediatè vnitur vni, vnitur cæteris; quia hæc vnio eſt per intreitatem. *Ad ſecundũ.*

* *

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm quantitas componatur ex indiuiſibilibus.

HÆc quæſtio habet duas partes, ſeu duas dubitationes; In prima parte huius quæſtionis dubitatur an quantitas conſtet ex partibus indiuiſibilibus finitis; in ſecunda verò parte dubitatur an conſtet ex partibus infinitis indiuiſibilibus.

DVBITATIO PRIMA CIRCA PRIMAM PARTEM QVÆSTIONIS.

1. Prima ſententia. QVOAD primam dubitationem, eſt prima ſententia Zenonis, & Stoicorum, aſſerentium quantitatem conſtare ex partibus finitis indiuiſibilibus.

Primum argumentum. Probatur primò, Inter punctum quod eſt initium lineæ, cæteráque omnia puncta eiuſdem lineæ nihil mediat; ergo tota linea componitur ex indiuiſibilibus; Conſequentia patet; Antecedens probatur; nam quæro quid mediat inter illa indiuiſibilia: Si dixeris mediare indiuiſibile, iam habetur intentum, quia iam linea conſtaret ex indiuiſibilibus, Si verò dixeris mediare lineam; contra hoc eſt, quia in linea eſſentialiter includuntur indiuiſibilia; ergo poſt indiuiſibile immediatè ſequitur aliud indiuiſibile, incluſum eſſentialiter in linea immediatè ſequente.

2. Secundum argumentū. Secundò in virga, quæ partim eſt in aqua; partim in aëre, neceſſe eſt dare duas lineas immediatè ſe tangentes; ergo continuum conſtat ex indiuiſibilibus. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur; nam illa virga neceſſariò tangitur à duabus lineis aquæ, & aëris; quæ cùm ſint contiguæ, immediatè ſe tangunt; ergo etiam neceſſe eſt dari in virga duas lineas immediatè ſe tangentes, correſpondentes duabus lineis aquæ, & aëris.

3. Tertium argumentum. Tertiò, ſicut ex pluribus vnitatibus indiuiſibilibus fit numerus extenſus; ita etiam non repugnat, ex pluribus partibus indiuiſibilibus ad inuicem vnitis, fieri vnam quantitatem continuam & extenſam; Et confirmatur paritas ex Ariſtotele 1. Top. cap. 14. vbi dicit ita ſe habere punctum ad lineam; ſicut ſe habet vnitas ad numerum.

4. Quartum argumentū. Scotus. Arimin. Quartò arguit Scotus contra ſe ipſum in 2. d. 2. quæſtione 9. & Arim. in 2. d. 2, q. 2. art. 1. in quinto argumento. Poſſibile eſt continuum diuidi in illa omnia, in quæ eſt diuiſibile; ſed hæc propoſitio de poſſibili poteſt poni in eſſe, alioquin non eſſet vera; ſi autem ponatur in eſſe, iam continuum eſſet diuiſum in indiuiſibilia, alioquin non eſſet diuiſum in ea, in quæ poterat diuidi; nam ſi diuiſum eſſet in partes diuiſibiles, adhuc illæ partes poſſent diuidi; non ergo eſſet diuiſum in omnia, in quæ poterat diuidi; conſtat igitur continuum ex indiuiſibilibus.

5. Quintum argumentū. Quintò, Corpus perfectè ſphæricum non poteſt tangere corpus perfectè planum niſi in puncto, vt demonſtrat Euclides lib. 3. Elementorum; ergo ſi tale corpus ſphæricum trahatur ſuper planum, tanget totam lineam, & non aliud niſi puncta; conſtat igitur linea ex punctis.

6. Sextum argumentum. Arimin. Sextò ex eodem Ariminenſi ibidem, omni parte continui datur aliqua pars minor, quia nulla eſt pars in continuo, quæ non habeat minorem; ergo

A datur pars minor tota collectione partium; hæc autem neceſſariò eſt indiuiſibilis, quia ſi eſſet diuiſibilis, non eſſet minor omni parte continui, quia medietas illius eſſet diuiſibilis, quòd ſi eſt indiuiſibilis, continuum conſtabit ex indiuiſibilibus; quia ſublata hac parte à continuo, idem quæro de aliis partibus, & ſic in infinitum; ergo omnes partes continui ſunt indiuiſibiles.

7. Septimum argumentū. Septimò, ſi quantitas componeretur ex partibus diuiſibilibus in infinitum; ſequeretur abſurdum, quod omnes partes eſſent mediæ, ſeu ſecundæ, & mediatæ, & nullæ immediatæ, & nulla prima, quod quidem eſt impoſſibile; nam mediatæ ſupponunt immediatas, & mediæ ſupponunt primas. B Sequela antecedentis probatur; nam ſi partes ſunt diuiſibiles in infinitum; quælibet habet aliam partem priorem & priorem in infinitum; & immediatiorem, & immediatiorem; omnes igitur partes erunt mediæ & mediatæ, & nulla poteſt dari prima & immediata.

8. Octauum argumentū. Octauò hoc idem probatur clariùs in quantitate ſucceſſiua; nam tempus, & motus componuntur ex inſtantibus, & mutatis eſſe; ergo etiam quantitas continua ex indiuiſibilibus; Conſequentia probatur, nam motus eſt diuiſibilis ad diuiſionem ſpatij; & tempus, quod eſt menſura motus, eſt diuiſibile ad diuiſionem motus; Vnde Ariſt. 6. phyſic. eodem modo proportionaliter loquitur de C quantitate continua ſucceſſiua, ac de permanenti; Antecedens verò probatur,

Ariſtot. Primò, nam tempus, & motus nihil aliud ſunt realiter; niſi multa inſtantia, aut mutata eſſe ſibi inuicem ſuccedentia; nam temporis nihil aliud à parte rei exiſtit niſi inſtans; nec ipſius motus niſi mutatum eſſe.

Probatur ſecundò, nam Angelus poteſt quieſcere intrinſecè vſque ad vltimum terminatiuum horæ; & immediatè pòſt moueri motu toto ſimul, acquirendo totum ſpatium ſimul adæquatum ſuæ ſphæræ, non enim videtur quare hoc repugnet; ergo poſt inſtans ſequitur inſtans; nam poſt inſtans quietis, ſequitur inſtans ſimultaneæ acquiſitionis.

D Tertiò, Angelus in inſtanti creatus poteſt immediatè annihilari; hoc enim non videtur repugnare; quia etiam inſtans temporis noſtri non durat niſi per inſtans, & immediatè pòſt corrumpitur; at illa annihilatio fit in inſtanti, non enim fit per partes, ergo poſt inſtans ſequitur inſtans.

Quartò, poteſt vnus Angelus creari in vno inſtanti, & immediatè pòſt poteſt creari alius, qui quidem creatur etiam in inſtanti, cùm ſit indiuiſibilis; ergo poſt inſtans ſequitur inſtans.

VERIOR SENTENTIA EXPLICATVR VNICA CONCLVSIONE.

E

9. Secũda ſententia verior. HIs tamen non obſtantibus, tenenda eſt ſententia communis, magnitudinem non componi ex indiuiſibilibus finitis.

Primò probatur authoritate Ariſtot. & Auguſtini. Probatur primò authoritate Ariſt. & omnium Peripateticorum, & Auguſtini 11. de Trinit. cap. 10. vbi dicit, quòd ratio docet etiam minutiſſima corporalia infinitè diuidi; & præterea idem Aug. tum in lib. de immortalitate animæ cap. 2. tum epiſtola 94. ad Methodium, docet quodlibet corpus in infinitum ſecari poſſe; quæ quidem falſa eſſent, ſi linea conſtaret ex indiuiſibilibus finitis. Et idem dicendum eſt conſequenter de quantitate continua & ſucceſſiua, cuiuſmodi eſt motus, & tempus

Digitized by Google

tempus, & ratio eſt quia motus habet ſuam diuiſionem ad diuiſionem ſpatij ſuper quod fit motus, nam vni parti motus correſpondet vna pars ſpatij; & in dimidia parte ſpatij, fit dimidia pars motus, & ſic in infinitum; tempus autem ſumit ſuam diuiſionem à motu, quia eſt menſura ipſius.

10. Secūdò probatur rationibus mathematicis ex abſurdis quæ ex oppoſita opinione ſequuntur. Con. Tolet. Scot. Arim.

Probatur ſecundò rationibus Mathematicis quæ partim ponuntur à Conimbricenſibus, & Toleto, & à nonnullis aliis recentioribus ſuper ſexti phyſicorum initio, præcipuè verò à Scoto, in 2. diſt. 2. quæſt. 9. & ab Arimin. ibidem quæſt. 2. art. 1. Breuiter autem hîc afferam nonnulla præcipua abſurda, quæ contra Mathematicos ſequuntur, ex opinione ponente continuum conſtare ex indiuiſibilibus finitis.

11. Primum abſurdum cōtra opinionem aſſerentem cōſtare ex indiuiſibilibus finitis. Euclides.

Primum abſurdum eſt, quia contra Euclidem lib. 10. propoſitione vltima, ſequeretur diametrum quadrati, aut eſſe æqualem lateri, aut habere proportionem duplam ad illud; Sequela probatur, quia ſi trahantur lineæ rectæ à quouis puncto vnius lateris quadrati ad puncta alterius lateris oppoſiti; omnes illæ lineæ tranſibunt per puncta diametri, quæ eſt poſita inter illa duo latera; aut igitur inter quaſlibet duas lineas ductas à punctis immediatis laterum, mediat in diametro aliquod indiuiſibile, vel non. Si non, ergo diameter non ſolùm eſt commenſurabilis; ſed etiam eſt æqualis cuilibet lateri, quia conſtaret ex tot punctis, ex quot conſtat latus; nam lineæ ductæ ab vna coſta, ſeu latere quadrati, ad aliam coſtam, tranſiuerunt per omnia puncta diametri: Si verò mediat aliquod indiuiſibile in diametro, ergo lineæ ductæ ab vno latere in aliud, non tranſeunt per omnia puncta diametri, ergo diameter quadrati habebit proportionem duplam ad latus quadrati, erit enim duplò maior latere.

12. Secundum abſurdum. Arimin.

Simile huic eſt aliud ſecundum abſurdum, quod ponit Ariminenſis loco citato; Sit, inquit, ſemicirculus cum ſuo diametro; & à quolibet puncto diametri trahatur vna linea recta perpendicularis vſque ad circumferentiam; tunc quæro vel omnes illæ lineæ finiunt omnia puncta circūferentiæ, vel non; Si ſic, habetur intentum, ex tot punctis, ſcilicet, conſtare diametrum ac circumferentiam ſemicirculi; Si non, ergo remanent adhuc puncta in circumferentia, ad quæ nulla linea perpendicularis à diametro eſt ducta; Ducatur igitur linea recta à tali puncto circumferentiæ ad aliquod punctum diametri, tunc vel illa linea terminabitur ad aliquod punctum diametri, ad quod alia linea non fuit terminata, & hoc eſt contra ſuppoſitum; ſupponimus enim à quolibet puncto diametri ductam fuiſſe lineam ad circumferentiam; vel linea ducta à puncto circumferentiæ incidet in punctum diametri, in quo alia linea terminabatur; & tunc contra Euclidem non poſſet à quolibet puncto diametri duci linea perpendicularis vſque ad circumferentiam; nam in caſu dato illa linea, quæ incidet in punctum, in quo alia linea terminabatur, faciet angulum; ergo non eſt perpendicularis; omnes enim lineæ perpendiculares inter ſe ſunt æquè diſtantes, non facientes angulum.

13. Tertium abſurdum. Conimbric.

Tertiò ſequeretur, lineam intra latera trianguli æquilateri ſupra baſim deſcriptam, ipſa baſi maiorem eſſe contra Euclidem propoſitione 21. lib. 1. vt bene explicant Conimbricenſes lib. 6. phyſ. art. 2.

Quartum abſurdum.

Quartò ſequeretur, quòd recta linea non poſſet diuidi in duas partes æquales; ſit enim linea quinque punctorum, vel debet diuidi in duas partes, quarum vna ſit trium punctorum, altera duorum; atque ita non diuidetur in duas partes æquales; vel

A diuidetur in duas partes æquales, quarum vtraque ſit duorum punctorum cum dimidio; & hoc quidem dici non poteſt, quia punctum eſt indiuiſibile; quòd autem ſit abſurdum, non poſſe rectam lineam diuidi in duas partes æquales, demonſtratur ab Euclide lib. 1. propoſitione 10. & etiam phyſicè Euclides. probari poteſt vt infrà videbitur, quia ſuper quamcunque datam magnitudinem poteſt moueri mobile duplò velociùs, quàm alterum: atque adeò in quo tempore mobile velociùs pertranſibit totam magnitudinem, tum mobile tardum neceſſariò perueniet ad medietatem æqualem.


14. Quintum abſurdum. Euclides.

Quintò ſequeretur non poſſe aliquam quantitatem quantumuis minimam eſſe diuiſibilem in infinitum, cuius oppoſitum demonſtrari poteſt ex B decima ſexta propoſitione libri tertij Euclidis.

15. Sextum abſurdum.

Sextò ſequeretur, circulum maximum eſſe æqualem circulo minori, conſtituto intra eundem circulum maximum; nam lineæ ductæ ab omnibus punctis, quæ (iuxta ſententiam oppoſitam ſupponuntur eſſe finita,) ad circumferentiam circuli maximi vſque ad centrum, neceſſariò tranſibunt per omnia puncta circuli minoris; ergo tot puncta erunt circuli maximi, quot ſunt minoris.

Quòd ſi dicas, quòd lineæ ductæ à circumferentia maximi circuli coincidunt inter ſe in aliquo puncto minoris circuli; Contra hoc eſt, quia tunc ſequeretur, quòd illæ duæ lineæ non eſſent rectæ vſque ad centrum, linea enim faciens angulum non eſt recta; at illæ duæ lineæ proximæ ductæ à duo- C bus punctis circumferentiæ maximi circuli incidentes in idem punctum circuli minoris, faciunt neceſſariò angulum in puncto incidentiæ.



16. Septimum abſurdum. Arimin.

Septimò ſequeretur præcipuè illud abſurdum, quod ponit Ariminenſ. loco citato, quòd ſi continuū conſtaret ex finitis indiuiſibilibus, ſequeretur quòd in continuo eſſer aliquid minus puncto; Sit, inquit, linea aliqua, v. gr. ſex punctorum, & ſit hæc linea (A) (A), & ſuper eam conſtituatur triangulus duorum æqualium laterum per primum corollarium primæ primi Euclidis, & vtrumque latus ſit quindecim punctorum, & conſtituat angulum in puncto (S). Conſtat autem quòd lineæ, conſtituentes triangulum, non ſunt æquè diſtantes; nam æquè diſtantes ſi in infinitum protrahuntur, nunquam concurrunt, hæ autem ambæ ſunt rectæ, & concurrunt in puncto (S); Vnde ſequitur quòd linea (B) & (B) minùs diſtat quàm E (A) & (A), & linea (C) & (C) minùs diſtat quàm (B) & (B), & linea (D) & (D) minùs diſtat quàm (C) & (C), & ſic proportionaliter aſcendendo vſque ad vltimam lineam (R) & (R).

His poſitis demonſtratur abſurdum poſitum, quòd, ſcilicet, ſequeretur, quòd in continuo ſit aliquid minus puncto, ſi linea conſtaret ex punctis finitis; nā ſi linea (A) & (A) habet ex ſuppoſitione ſex puncta; ſequitur quòd (A) ab (A) diſtat per quatuor puncta; Quare in alia linea (B) & (B) ipſa puncta (B) & (B) minùs diſtabunt quàm (A) & (A); ſed (A) &

(A) diſta

(A) diſtabunt per quatuor puncta; ergo (B) & (B) diſtabunt ad plus per tria; ergo (C) & (C) per duo; ergo (D) & (D) per vnum; ergo (E) & (E) diſtabunt per minus puncto, & (I) & (I) multò magis per minus puncto, & ſic aſcendendo vſque ad lineam (R) & (R), & hoc abſurdum ſequitur per aſcenſum.

17. *Octauum abſurdum.* Rurſus ex hac poſitione trianguli ſequitur aliud abſurdum deſcendendo, & eſt octauum abſurdum in ordine; quòd, ſcilicet, punctum ſit maius linea, quod ſic demonſtratur per eundem triangulum deſcendendo; Sumo enim lineam proximam angulo (S) quæ linea eſt (R) & (R), diſtantia in hac linea ad minus, eſt per punctum, linea verò quæ ſequitur, videlicet, (Q) & (Q), cùm debeat magis diſtare quam linea (R) & (R), diſtabit ad minus per duo; & ſic deinceps deſcendendo vſque ad lineam (A) & (A), ſemper inter puncta coppoſita erit diſtantia maior; quare maior diſtantia erit inter puncta lineæ (O) & (O), quàm inter puncta lineæ (P) & (P); & maior diſtantia inter puncta (E) & (E), quàm inter (O) & (O); patet igitur inter (E) & (E) eſſe diſtantiam plurium punctorum; Rurſus deſcendendo, inter lineam (D) & (D) eſt maior diſtantia, quàm inter lineam (E) & (E); ſed ex ſuperiori demonſtratione in ſeptimo abſurdo poſita, probatum eſt (D) & (D) diſtare per punctum, & per hanc aliam demonſtrationem demonſtratum eſt lineam (D) & (D) eſſe maiorem, quàm lineam (E) & (E); ergo ſequitur abſurdum octauum poſitum, quòd punctum ſit maius linea.

18. *Nonum abſurdum.* Rurſus deſcendẽdo in eodem triangulo, ſequitur aliud abſurdum, & eſt nonum in ordine, quòd, ſcilicet, linea minor ſit maior maiore ſe, quod ſic demonſtratur deſcendendo; Linea (C) & (C) eſt maior diſtantia qualibet ſuperiore verſus (S) vt probatum eſt in octauo abſurdo; Quare linea (C) & (C) eſt maior diſtantia lineâ (I) & (I) deſcendendo; ſed demonſtratum eſt in ſeptimo abſurdo, quòd aſcendendo linea (C) & (C) eſt diſtantia duorum punctorum tantùm; & linea (I) & (I) deſcendendo eſt diſtantia nouem punctorum; ergo ſequitur quòd linea (C) & (C) quæ eſt duorum punctorum aſcendendo, ſit maior deſcendendo quàm ſit linea (I) & (I), & conſequenter eſt ſe maior, & maior maiore ſe.

19. Sed aduertendum eſt vnum, quòd omnia hæc tria abſurda à ſeptimo vſque ad nonum, quæ ponit Arimin. & alia ſimilia, ſequuntur ex hoc vno abſurdo, quòd linea in dicto triangulo, quæ aſcendendo eſt minor, deſcendendo eſt maior; quia cùm lineæ conſtituentes triangulum (A S) & (A S), non ſint æquè diſtantes; ambæ enim ſunt rectæ, & concurrunt in puncto (S), ſequitur manifeſtè, quòd incipiendo à linea proxima anguli (S) ſi fiat deſcenſus, ſemper linea, quæ magis diſtat ab angulo (S) eſt maior; nam linea proxima angulo (S) quæ eſt (R) & (R), habet diſtantiam punctualem inter duo puncta; alia verò ſequens diſtabit per duo puncta; & alia per tria; & ſic ſemper maior diſtantia vſque ad lineam (A) & (A). At verò incipiendo à linea diſtantiſſima ab angulo (S), quæ eſt (A) & (A), & aſcendendo vſque ad lineam proximam angulo (S), ſemper linea, quæ magis accedit ad angulum (S), habet minorem diſtantiam; nam linea (A) & (A) habebat diſtantiam vt quatuor, (B) & (B) vt tria, & ſic ſemper aſcendendo erit minor diſtantia; Quare ſequitur abſurdum, quòd eadem linea in eodem triangulo, quæ aſcendendo habet minorem diſtantiam, deſcendendo habeat maiorem; & hinc ſequuntur omnia illa abſurda à ſeptimo vſque ad no-

A num, quæ ponit Ariminenſis loco citato.

Tertiò probatur phyſicè à priori, ab Ariſtotele 6. phyſ. quia vel illud indiuiſibile continuatur cum alio indiuiſibili; vel contiguatur: non poteſt dici, quòd continuatur, quia quando duo extrema vt (A) & (C) continuantur, debent habere medium, putà (B) quod ſecundùm vnam partem ſui vnitur (A), & ſecundùm aliam vnitur (C), ad hoc vt illud continuum fiat maius extenſiuè; ſed ſi magnitudo conſtaret ex indiuiſibilibus, v.gr. linea ex tribus indiuiſibilibus A, B, C; tunc (B) medium ſecundùm eandem ſui particulam vniretur (A) & vniretur (C), quia ſupponitur eſſe indiuiſibile; ſi enim ſecundùm vnam partem ſui vniretur (A), & ſecundùm aliam B (B), tunc eſſet diuiſibile; non ergo (B) medium faciet lineam magis extenſam; Si verò dixeris illa tria indiuiſibilia non continuari, ſed contiguari; tunc non facerent vnum; ſed eſſent plura diſcreta; & præterea ſi contiguantur, debent habere extrema ſimul, & ſe inuicem tangere; Vel igitur illa indiuiſibilia ſe tangent ſecundùm ſe tota, vel ſecundùm ſui partem; ſi ſecundùm ſe tota; ergo ſe ad inuicem penetrant; & conſequenter non occupabit maiorem locum vnum indiuiſibile, quàm duo, & tria; ſicut materia & forma, non maiorem locum occupant vnitæ, quàm ſi non eſſent vnitæ, quia ſecundùm ſe ſunt entitates indiuiſibiles. 20. *Tertiò probatur hæc eadem concluſio phyſicè à priori. Ariſtot.*

Solet ad hoc argumentum reſponderi, punctum C eſſe formaliter indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile, ſicut anima rationalis, quæ eſt indiuiſibilis formaliter; & cùm replicatur quaſi ipſa indiuiſibilis ſibi ipſi indiuiſibili vnitur; & tamen quia eſt virtualiter diuiſibilis, coëxtenditur corpori. 21.

Sed hæc reſponſio maiorem habet locum in opinione illorum, qui dicunt magnitudinem conſtare ex indiuiſibilibus infinitis; anima enim infinities replicata in corpore coëxtenditur; quare quid dicendum ſit de hac reſponſione, in ſequenti dubitatione videbimus.

Quartò probatur ex multis aliis abſurdis, quæ ſunt contra experientiam; Primum eſt, quòd mobile velociſſimum, vt arguebat Zeno, licèt ad aliud D propoſitum, nunquam poſſet aſſequi mobile tardiſſimum; quod quidem argumentum Zenonis non poſſet ſolui, ſi linea conſtaret ex punctis finitis: Sequela probatur; nam ſit magnitudo centum punctorum, & incipiat à decimo puncto moueri mobile tardiſſimum, cuiuſmodi eſt teſtudo; & à primo puncto moueri incipiat mobile velociſſimum; tunc quæro vel eodem tempore, quo mobile velociſſimum peruenit ad ſecundum punctum, mobile tardiſſimum perueniet ad vndecimum, & ſic vſque ad centeſimum; & tunc nunquam mobile velociſſimum aſſequetur mobile tardiſſimum; vel non eodem tempore, quo mobile tardiſſimum acquirat vndecimum, velociſſimum acquirat ſecundum punE ctum, ſed acquiret decimum punctum; & eo tempore quo tardiſſimum acquiret duodecimum, velociſſimum acquiret vigeſimum. Sed hoc dici non poteſt; nam quæro in medietate illius temporis, in qua velociſſimum à primo puncto peruenit ad decimum, quidnam acquirit mobile tardiſſimum, quod in eodem tempore acquiſiuit vnum punctum; profectò non poterit reſponderi, niſi quòd mobile tardiſſimum in medietate illius temporis acquiſiuerit medietatem puncti; ergo punctum non eſt indiuiſibile. 22. *Quartò probatur experientiis. Prima experientia.*

Simile huic abſurdo, eſt illud quod ponit Ariſtoteles 6. phyſ. cap. 2. quòd, ſcilicet, mobile tardum æquali tempore pertranſit idem ſpatium, quo illud 23. *Secunda experientia. Ariſtot.*

Digitized by Google

pertranſit mobile velociſſimum; quod etiam eſt A contra experientiam; Sequela probatur; Sit enim ſpatium centum punctorum, & moueatur à primo puncto mobile velociſſimum, & mobile tardiſſimum; tunc vel mouetur æquali tempore, & acquirent idem ſpatium, & habetur intentum; vel mobile tardiſſimum acquiret idem ſpatium minori tempore; & hoc dici non poteſt; quia tunc mobile tardiſſimum velociùs moueretur quàm mobile velociſſimum; vel tertiò dicendum quòd mobile tardiſſimum acquiret idem ſpatium, quod acquirit mobile velociſſimum in maiori tempore; & tunc ſequitur idem abſurdum ſuprà poſitum; nam priùs mobile velox perueniet ad ſecundum punctum quàm mobile tardum; in illo ergo inſtanti in quo mobile velox eſt in ſecundo puncto, non eſt mobile B tardũ; quæro igitur, in quo puncto eſt: non in primo puncto, quia ſupponitur moueri; vel ergo totum pertranſit, & ſic in eodem tempore erit in ſecundo puncto, in quo eſt mobile velox; vel pertranſit partem, & ſic punctum erit diuiſibile.

24. *Tertia experientia. Arimin.* Tertiò ſequeretur aliud ſimile abſurdum; punctum, ſcilicet, eſſe diuiſibile; quod ex ipſis terminis repugnat; Sequelam probat Ariminenſis loco citato; Sit linea nouem punctorum, & mobile velox moueatur duplò maiore velocitate, quàm tardum; tunc quando mobile velox peruenit ad nonum punctum, mobile tardum neceſſariò deberet peruenire ad quartum punctum cum dimidio; ſupponitur enim mobile velox habere duplò maiorem velocitatẽ, quàm tardum.

25. *Quarta experientia.* ¶ Simile huic abſurdo eſt illud C aliud, quando dantur duo mobilia, quorum vnum altero ſit velocius proportione ſeſquialtera; in hoc enim caſu quando mobile velox peruenit ad ſecundum punctum; tunc mobile tardum deberet peruenire ad tertiam partem primi puncti; nam proportio ſeſquialtera eſt illa, cùm quantitas maior continet minorem, & dimidiam partem illius.

26. *Quinta experientia. Arimin.* Præterea ſequeretur, quòd impoſſibile eſſet aliquod corpus rareſieri naturaliter ſine acquiſitione nouæ quantitatis, cuius tamen oppoſitum tenetur communiter; Probat ſequelam Ariminenſis; rareſiat enim corpus decem punctorum vſque ad magnitudinem centum punctorum; tunc ſi non acquiritur D noua quantitas, vel oportet dicere, quòd punctum fiat extenſius, quàm priùs, quod eſt impoſſibile: vel, quòd idem punctum replicetur in pluribus locis, quod eſt etiam impoſſibile naturaliter: vel, quòd acquiratur noua quantitas conſtans ex nonaginta punctis; quod erat probandum.

27. *Reſpõſio ad argumẽtum primũ primæ ſententiæ.* Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum reſpondent nonnulli, quòd inter quoduis punctum aſſignatum, & cætera puncta incluſa in linea immediatè ſequente poſt illud punctum ſignatum mediat aliquod diuiſibile, quod eſt immediatius puncto, quàm ſit quodlibet punctum incluſum in linea; Sed quicquid ſit de hac reſponſione, faciliùs reſpondetur in opinione noſtra, non dari in continuo huiuſmodi indiuiſibilia, vt infrà E oſtendemus in quæſtione ſexta; nam ſi illud immediatius puncto vt ſic, caret puncto, & eſt diuiſibile, cur etiam tota linea non poteſt carere punctis?

28. *Reſponſio ad ſecundũ.* Ad ſecundum reſpondetur, quòd illis duabus lineis aquæ & aëris, ſufficit vt correſpondeat vna linea in virga; Et ratio eſt, quia illæ duæ lineæ contiguæ non occupant maiorem locum ſimul ſumptæ, quàm ſingulæ per ſe ſumptæ occuparent; ergo ſatis eſt vt illæ duæ lineæ aquæ & aëris correſpondeant vni lineæ ipſius virgæ.

29. Ad tertium reſpondetur eſſe diſparem rationem; nam numerus eſt quantitas diſcreta, & vt ſic non eſt occupatiua loci extenſi; At verò magnitudo eſt extenſa in ordine ad ſe, & etiam eſt occupatiua loci extenſi, & ideo non poteſt conſtare ex indiuiſibilibus, quæ, vt probatum eſt, non poſſunt componere vnum extenſum. *Reſponſio ad tertium.*

30. *Reſponſio ad quartũ Arim. Scoti.* Ad quartum reſpondetur, & videtur reſponſio Ariminenſis in 2. d. 2. q. 2. ar. 1. ad 5. & Scoti loco citato, quòd continuum poteſt diſtributiuè diuidi in illa omnia, in quæ eſt diuiſibile ſigillatim ſumpta: Quare poteſt diuidi in duas medietates, & medietas in alias duas, & ſic in infinitũ; non autem poteſt diuidi in omnes partes collectiuè, quia in toto collectiuo eſt indeterminatio, & confuſio; non autem in ſingulis partibus diſtributiuè ſumptis; A diſtributiuo igitur ad collectiuum non valet conſequentia; quia termini non accipiuntur eodem modo; nam in diſtributiuo accipiuntur determinatè, & in collectiuo indeterminatè. Sed (quidquid ſit de illa propoſitione, quòd a diſtributiuo, ſcilicet, ad collectiuum non valet conſequentia; quæ quomodo intelligatur fusè explicauimus in primo noſtro tomo, in quinto principio Philoſophico.) inſtatur contra hanc reſponſionem, quia adhuc militat argumentum; quæro enim vt continuum diuidatur actu in illa omnia, in quæ eſt poſſibile diuidi actu, hoc enim non videtur poſſe negari. *Reiicitur.*

31. *Secunda reſponſio ad quartum.* Secundò reſpondent alij Scotiſtæ, quòd repugnat continuum diuidi ſimul, ſicut non valet iſta, (poſſibile eſt Petrum eſſe album & nigrum;) ergo poteſt reduci ad actum albedinis, & nigredinis ſimul. Verificanda eſt igitur illa propoſitio (poſſibile eſt Petrum eſſe album, & nigrum) pro diuerſo tempore, ita illa propoſitio (poſſibile eſt continuum poſſe diuidi in illa omnia, in quæ poteſt diuidi) verificanda eſt, non ſimul, ſed per totam æternitatem ſucceſſiuè.

Reiicitur. Sed neque hæc reſponſio placet; videtur enim aliquo modo coincidere cum priori; quare contra eam eodem modo fere arguitur; Diuidat Deus continuum in hoc inſtanti ſimul in ea omnia in quæ poteſt diuidi ſimul; tunc vel erit diuiſum in omnẽ ſui partem, & ſic in indiuiſibilia; vel non erit diuiſum in omnem ſui partem; & tunc non erit diuiſum in omnia, in quæ poterat diuidi pro hoc inſtanti, quia facta quacumque diuiſione, adhuc poteſt magis diuidi.

32. *Tertia reſponſio verior ad quartum.* Tertiò igitur veriùs reſpondetur, quòd cùm petitur, diuidatur continuum in omnia, in quæ poteſt diuidi ſimul in hoc inſtanti. Reſpondeo, quòd hæc, & aliæ ſimiles petitiones, vt eſt illa (fiat à Deo pro hoc inſtanti quicquid poteſt fieri pro hoc inſtanti) dicunt neceſſariò ordinem ad Deum tanquam ad cauſam efficientem liberam, quæ liberè ſe debet determinare ad hunc vel illum numerum finitum.

Et ad hoc probandum ſuppono duo, primum, eſſe impoſſibile, vt terminus ponatur actu totus ſimul; Secundò ſuppono, quòd à cauſa infinita, qualis eſt Deus, poteſt terminus dici in infinitum, puta creare decem Angelos, centum, mille, & ſic in infinitum, nunquam tamen attingendo infinitum, ſed ſemper creando id quod finitum eſt; Ita ſimiliter poteſt Deus diuidere continuum in hoc inſtanti in decem partes, in centum, in mille, & in quemcumque alium numerum, dummodo finitus ſit; non autem poteſt diuidi in omnem ſui partem.

His ſuppoſitis ſequitur neceſſariò, quòd cauſa efficiens debeat eſſe libera, vt poſſit ſe liberè determinare

minare ad producendum, quemcunque numerum finitum voluerit; quare illa propoſitio, quòd (Deus poteſt facere in hoc inſtanti quicquid poteſt facere) illud (quicquid poteſt facere) ſumendum eſt vt ſtat ſub actuali determinatione libera voluntatis diuinæ; Vnde rectè colligunt Theologi, potentiam infinitam Dei, quæ conſequitur voluntatem, tanquam potentia exequens, non poſſe ſtare ſine libertate.

Inſtatur. Quòd ſi adhuc inſtes, cadat lamina ferrea plana, ſuper vitream æquè planam; tunc vitrea diuidetur in omnem ſui partem, quia non eſt maior ratio, cur potiùs in has, quam in illas partes diuidatur, cùm æquè omnes tangantur à lamina ferrea; Reſpondetur eodem modo quòd debent partes diuidendæ determinari à Deo; vnde ex his & ſimilibus caſibus bene colligunt Theologi liberam Dei voluntatem. (Solutio.)

33. Reſponſio ad quintum. Ad quintum, quod magni facit Ariminenſis loco citato, reſpondetur, & primò reſpondetur ſecundùm opinionem noſtram, non dari huiuſmodi puncta in linea; quia cùm ſphæricum tangit planum, non tangit in puncto; ſed dicitur tangere, quatenus eſt ita commenſuratum plano, vt non poſſit eſſe proximius; tangit igitur circulariter aërem, & cùm trahitur, trahitur ſuper lineam circularem ipſius aëris, tangendo diuiſibiliter partes circulares ipſius aëris: Si verò teneatur alia opinio, ſphæricum ſcilicet tangere planum in puncto, tunc argumentum habet vim, & non videtur commodè ſolui.

Aliqui dicunt primò, ſphæricum tangere permanenter planum in puncto adæquatè, ſucceſſiuè verò in motu tractionis tangere lineam, quia mobile ſecundùm Ariſtotelem, per motum ſemper acquirit ſpatium maius ſe, ex vi ipſius motus, qui intrinſecè & eſſentialiter dicit plures partes; eſt enim eſſentialiter diuiſibilis in partes & poſteriores.

Sed contra hanc reſponſionem inſtatur, quia quamuis verum ſit eo modo, quo explicatum eſt, quòd mobile in motu acquirat ſpatium maius ſe, non tamen bene applicatur ad propoſitum; nam ſicut datur motus acquiſitiuus termini ad quem, ita datur motus deperditiuus termini a quo, tantundem igitur corpus acquirit per motum ſucceſſiuum de termino ad quem, quantum deperdit per motum deperditiuum ſucceſſiuum de termino à quo; nunquam igitur acquirit in hoc ſenſu mobile ſpatium maius ſe; & idem cenſeo dicendum de motu rei indiuiſibilis, quando mouetur.

Secundò alij reſpondent, punctum ſphærici in motu ſemper tangere punctum, & non lineam. Contra hoc eſt, nam quæro in eodem tempore, quo pars ſuperior ſphærici mouetur; quæro, inquam, quidnam tangit punctum in parte inferiori, cùm ſphæricum trahitur? Non poteſt dici quòd tangat punctum, quia poſt punctum non ſequitur punctum, ergo tangit lineam: quare ſi teneatur illa opinio, quòd ſphæricum tangat planum in puncto, dicendum conſequenter eſt, quòd tunc non poteſt illud ſphæricum moueri per tractionem; recurrendum eſt igitur ad primam reſponſionem noſtram.

34. Reſponſio ad ſextum. Arimin. Ad ſextum reſpondet Ariminenſis, quòd ambæ illæ propoſitiones, quæ videntur contradictoriæ, ſunt veræ; Prima eſt, (omni parte continui datur aliqua pars minor) ſecunda (omni parte continui non datur aliqua pars minor.) Et ratio eſt, quia termini non eodem modo ſupponunt in vtraque propoſitione; nam in prima propoſitione illud (omni parte continui) ſupponit determinatè, id eſt, qualibet parte continui determinatè: illud verò (aliqua pars) ſupponit confuſè & indeterminatè, ſiue hæc, ſiue illa; quare vera eſt prior propoſitio (omni parte continui ſignata, & determinata, datur aliqua pars minor, hæc vel illa in confuſo, in ſecunda verò propoſitione negatiua, illud (aliqua pars) ſupponit determinatè, & illud (omni) ſupponit diſtributiuè, quare vera eſt etiam ſecunda propoſitio negatiua, quòd omni parte continui diſtributiuè ſumpti, non detur aliqua pars determinata minor, quia hæc eſſet indiuiſibilis; nam ſi eſſet diuiſibilis, medietas illius eſſet minor.

35. Reſponſio ad cõfirmationem. Ad confirmationem eodem modo reſpondetur, vniuerſam illam negatiuam (Nulla, ſcilicet, pars eſt in continuo, quæ non habet minorem) quæ aſſumitur in Antecedenti, dicere confuſionem partium in continuo; & ideo non licet ab illa inferre in conſequenti, quòd detur determinatè in continuo aliqua pars minor tota collectione partium; ſicut enim dicebamus ſuprà verum eſſe quòd omni parte continui non detur aliqua pars determinatè minor; ita falſum eſt, quòd omni parte continui detur aliqua pars determinatè minor; quia hæc affirmatiua eſt contradictoria priori negatiuæ.

36. Reſponſio ad ſeptimũ. Ad ſeptimum reſpondetur, in partibus determinatis dari primam & immediatam; de partibus verò indeterminatis, & inaſſignabilibus conceditur nullam eſſe primam, & omnino immediatam, ſed omnes eſſe medias ſeu mediatas; de ratione enim partis mediæ, non eſt vt habeat primam, ſed vt habeat alteram priorem ſe; & vt habeat alteram immediatiorem ſe; & eodem prorſus modo philoſophandum eſt in iſtis partibus indeterminatis, & inaſſignabilibus continui, ac philoſophatur, in partibus determinatis infiniti cathegorematici, in quo verſus eam partem, quà eſt infinitum, non poteſt aſſignari pars omnino immediata, quà non detur alia immediatior, nec poteſt aſſignari aliqua pars prior, quà non detur alia prior, ſed omnes partes ſunt mediatæ & ſecundæ.

37. Reſponſio ad octauũ. Ad octauum reſpondetur negando quòd temporis ſeu motus, nihil à parte rei exiſtat niſi inſtans, aut mutatum eſſe; exiſtunt enim etiam partes ipſius temporis, non quidem permanenter, ſed ſucceſſiuè; valet enim dicere, ſucceſſiuè eſt motus, & ſucceſſiuè eſt tempus; imò argumentum etiam procedit contra aduerſarios; nam nunquam tempus conſtans ex inſtantibus exiſteret permanenter; nam dum eſt vnum inſtans, non eſt aliud inſtans; tempus autem ſeu motus in horum opinione componitur ex pluribus inſtantibus ſeu mutatis eſſe.

38. Ad ſecundam probationem eiuſdem argumenti reſpondetur, quòd ſi Angelus quieſcit vſque ad vltimum terminatiuum horæ, ita vt terminatiuum inſtantis Angeli diſcreti reſpondeat adæquatè inſtanti terminatiuo horæ, nõ poteſt Angelus immediatè poſt moueri motu indiuiſibili, acquirendo totum locum ſimul; quia cùm hæc acquiſitio quoad primum eſſe, fiat per inſtans Angelicum, formaliter & virtualiter indiuiſibile; ſequeretur quòd poſt inſtans formaliter, & virtualiter indiuiſibile, daretur aliud inſtans immediatum formaliter, & virtualiter indiuiſibile; de qua re multa diximus in primo tomo, in Corollario de motu Angelico.

Ad tertiam probationem reſpondent nonnulli, quòd Angelus in inſtanti creatus, non poteſt immediatè annihilari propter argumentum factum; at verò nonnulli alij tenent poſſe annihilari, non tamen inde ſequeretur, inquiunt, quòd poſt inſtans ſequatur inſtans, ſicut à ſimili inſtans, quod eſt indiuiſibile noſtri temporis, immediatè poſt corrumpitur

Digitized by Google

pitur,& tamen non hinc ſequitur, quòd poſt inſtās ſequitur inſtans,quia corrumpitur in tempore.

Et eodem modo reſpondetur ad quartam probationem eiuſdem argumenti de immediata creatione vnius Angeli poſt aliam: Sed quid dicendum ſit de hac materia,diximus in primo tomo in primo principio philoſophico,in Corollario de motu Angelorum.

SECVNDA DVBITATIO CIRca ſecundam partem quæſtionis.

Vtrùm continuum conſtet ex partibus infinitis indiuiſibilibus.

1. *Prima ſententia explicatur.*

CIRCA hanc ſecundam partem quæſtionis maior eſt dubitatio, quàm circa primam: non nulli enim moderni negātes cum Ariſtotele contra veteres Stoicos continuum componi ex indiuiſibilibus finitis, aſſerunt illud componi ex indiuiſibilibus infinitis: quam opinionem refert Ariminenſis in 2. diſtinct. ſecunda quæſtione 2. art.primo, Ita autem explicant ſuam opinionem.

Primò dicunt, quòd iſta indiuiſibilia, quamuis formaliter ſint indiuiſibilia, virtualiter autem ſunt diuiſibilia: ita vt aliqua infinitudo indiuiſibilium faciat aliquam magnitudinem extenſam, & maior infinitudo, magis extenſam, & ſic in infinitum.

Dicunt ſecundò, quòd quælibet magnitudo extenſa diuidi poteſt in partes minores & minores in infinitum: quæ partes minores, & minores componuntur tanquam ex primis componentibus ex infinitis indiuiſibilibus.

Afferri poteſt exemplum de anima rationali ſpirituali, quæ infinities replicatur in corpore, & coëxiſtit partibus extenſis ipſius corporis, quamuis enim anima ſit formaliter indiuiſibilis, tamen quia eſt virtualiter diuiſibilis, poteſt coëxiſtere corpori, ita vt ipſamet anima indiuiſibilis quaſi extra ſe ipſam poſita per replicationem coëxiſtat infinities partibus corporis, quæ quidem coëxiſtentia diuidi poteſt aliquo modo in partes minores & minores, in ordine ad extenſionem partium corporis, cùm tamen ipſa anima quæ infinities replicatur, ſit indiuiſibilis formaliter.

2. *Primum argumentum pro prima ſententia.* HÆC autem ſententia ſic explicata probari poteſt primò, quia per hanc ſententiam bene ſoluuntur omnia abſurda tam Mathematica, quàm Phyſica, quæ attulimus in ſuperiori dubitatione contra Zenonem, & Stoicos; vt facilè patet intuenti; Omnia enim illa abſurda militant contra opinionem illorum, qui ponunt magnitudinem componi ex indiuiſibilibus finitis; nam ſicut illa abſurda, vt omnes concedunt, non militant contra ponentes magnitudinem conſtantem ex partibus infinitis diuiſibilibus; ita nec militant contra hanc ſententiam, quæ ponit conſtare ex infinitis indiuiſibilibus; nam quælibet magnitudo conſtans ex iſtis infinitis indiuiſibilibus; poteſt etiam eodem modo diuidi in partes minores, & minores in infinitum, & in partes æquales; nec poteſt ſignari pars, qua non detur alia minor, & minor in infinitum; & eodem etiam modo in vtraque opinione inter vnum punctum ſignatum, & aliud punctum ſignatum militant infinita puncta.

3. Quòd ſi petas ab Auctoribus huius opinionis, cur ergo ponunt contra Ariſtotelem, & communem, magnitudinem componi ex infinitis indiuiA ſibilibus; & non potiùs cum communi ex partibus infinitis diuiſibilibus, cùm in vtraque opinione ponantur in magnitudine partes in infinitum diuiſibiles?

Reſpondent, & eſt ſecundum argumentum pro hac ſecunda ſententia, quòd ponendo prima componentia indiuiſibilia, ſaluantur ſatis bene multa, quæ non poſſunt ſaluari in opinione negantium illa; ergo hæc ſententia potiùs eſt tenenda: Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur. 4. *Secundum argumentum.*

Primò, quia per hanc ſententiam ſaluatur primò, quòd partes in continuo ſint à parte rei omnino diſtinctæ; ita vt non ſint ampliùs diſtinguibiles; quod non poteſt ſaluari in alia ſententia; Si enim B continuum conſtat ex partibus indiſtinguibilibus, neceſſariò conſtat ex indiuiſibilibus; nam ſi partes diſtinctæ adhuc eſſent diuiſibiles, adhuc etiam eſſent diſtinguibiles.

Secundò probatur idem antecedens, quia ſaluatur ſecundò, quomodo Deus poſſit diuidere continuum in omnes partes, in quas poteſt diuidi, vel ſaltem ſignari per intellectum Diuinum, ſecundùm omnes partes, in quas poteſt ſignari; quia poteſt ſecundùm hanc ſententiam diuidi, ſeu ſignari in omnem ſui partem; tandem enim deuenitur ad indiuiſibilia, quod non poteſt ſaluari in alia opinione.

Tertiò probatur, quia ſaluatur tertiò quomoC do ſphæricum tangens planum in puncto, poſſit trahi per planum, quia ſemper adæquatè tangeret punctum.

Quartò, quomodo ex ductu puncti fiat linea, vt dicunt Mathematici.

Quintò bene ſaluatur quomodo Angelus indiuiſibiliter poſitus, poſſit moueri; quod multi Theologi præſertim Scotiſtæ concedunt; quod quidem non poteſt bene ſaluari, ſi magnitudo non conſtat ex indiuiſibilibus; nam Angelus poſitus indiuiſibiliter, non eſt immediatè pòſt in loco ſibi adæquato, quia non ponitur replicari; vnde ſequitur conſequenter, quòd Angelus in toto motu non ſe collocauit in omnibus partibus lineæ D pertranſeundo.

Sextò bene ſaluatur, quomodo exiſtant partes temporis ſucceſſiuè, exiſteret enim tempus per inſtantia ſuccedentia; at verò ſi partes eſſent diuiſibiles, non poſſet de illis dici, nunc ſunt, ſed quòd fuerunt, vel erunt.

SECVNDA ET VERIOR SENTENTIA EXPLICATVR VNICA *concluſione.*

E HIs tamen non obſtantibus tenenda eſt ſententia Peripatetica, & communis, continuum non componi ex indiuiſibilibus infinitis; ſed ex partibus infinitis diuiſibilibus; ita vt nunquam perueniatur ad indiuiſibilia. 1. *Secūda ſententia Ariſtotelis verior, & tenenda.*

Hæc tamen ſecunda ſententia, non poteſt ita euidenter demonſtrari, ſicut in ſuperiori dubitatione demonſtratum eſt, magnitudinem non componi ex indiuiſibilibus finitis.

Probari tamen ſolet primò, quia, ſi quantitas componeretur ex infinitis indiuiſibilibus, ſequeretur quòd adhuc eſſet dicendum, quòd talis quantitas componetur ex infinitis partibus diuiſibilibus; ergo idem diceret illa prima ſententia quod dicit noſtra ſententia; Conſequentia eſt manifeſta, 2. *Prima ratio aliquorum pro hac ſecunda noſtra ſententia.*

Digitized by Google

ſta*; ſequelam autem Antecedentis admittunt etiam ipſi aduerſarij, & probatur; nam ſi magnitudo conſtaret ex finitis partibus diuiſibilibus; tunc eſſet impoſſibile quòd conſtaret ex infinitis indiuiſibilibus; nam ſint partes finitæ diuiſibiles centum, & non plures; tunc ſi iſtæ rurſus diuidantur, profectò diuidentur in ducenta indiuiſibilia; ergo magnitudo non conſtabat ex infinitis indiuiſibilibus, vt ſupponebatur, ſed ex ducentis tantùm;

2. ...icitur. Sed hæc ratio quamuis acuta videatur, & communiter à modernis ſit recepta; mihi tamen non probatur; nam admiſſo Antecedenti, negari poteſt conſequentia, quam ipſi dicunt eſſe manifeſtam; Prima enim ſententia tenens magnitudinem conſtare ex infinitis indiuiſibilibus, quamuis concedant conſtare ex partibus in infinitum diuiſibilibus, vt probat argumentum; differt tamen à ſententia noſtra; quia noſtra ſententia, tenet magnitudinem conſtare ex partibus infinitis ſemper diuiſibilibus, ac proinde omnino negat prima componentia eſſe indiuiſibilia; at verò authores primæ ſententiæ, vt ſuprà oſtendimus, dicunt prima componentia eſſe indiuiſibilia atque adeò dicunt, quòd ſi punctum ſeparatum moueretur ſuper lineam conſtantem ex infinitis punctis, ſemper tangeret ſucceſſiuè ſibi adæquatum; dicitur autem ſecundùm hanc primam ſententiam magnitudinem componi ex partibus diuiſibilibus infinitis, quia ſuppoſita infinitate indiuiſibilium componentium nunquam deuenitur ad partes finitas determinatè, exempli gratia ad centum, quia ſi deuenitur ad centum, iam iſta centum non poſſent diuidi niſi in ducenta indiuiſibilia, non igitur magnitudo conſtabat ex infinitis indiuiſibilibus.

3. Secunda ratio Arimin. Probatur ſecundò ab Ariminenſi in 1. diſtin. 2. quæſt. 1. art. 1. initiò, Si aliqua magnitudo, inquit, componeretur ex indiuiſibilibus infinitis in multitudine, ſequeretur quòd ipſa magnitudo eſſet infinita cathegorematicè ſecundùm extenſionem, quod tamen de facto ſupponitur eſſe falſum; quia de facto ſupponitur illa magnitudo eſſe vnius palmi, & tamen ſi eſſet infinita cathegorematicè, deberet occupare infinitum ſpatium verſus Orientem.

Sequela probatur, nam illa magnitudo haberet in ſe partes inuicem æquales ſecundùm magnitudinem, & infinitas ſecundùm multitudinem, ergo eſſet infinita cathegorematicè. Conſequentia probatur, quia hæc eſt definitio quæ traditur de infinito cathegorematico.

Antecedens probatur, nam in illa magnitudine aſſignata eſt infinita multitudo indiuiſibilium, vt ſupponitur ab aduerſariis, in hac autem infinita multitudine indiuiſibilium ſunt infiniti quaternarij indiuiſibilium, & infiniti denarij, &c. & quilibet quaternarius eſt cuilibet alij quaternario dictæ magnitudinis magnitudinis æqualis; ita etiam ſimiliter dicendum de denario & aliis numeris; ergo illa magnitudo aſſignata habet in ſe partes inuicem æquales ſecundùm magnitudinem & infinitas multitudine, ergo eſſet infinita cathegorematicè ſecundùm partes æquales, quod erat probandum, ac proinde ſequeretur abſurdum allatum, quòd magnitudo vnius palmi occuparet totum ſpatium infinitum verſus Orientem.

4. ...icitur ... dire- Sed hæc ratio poteſt eludi ab aduerſariis, primò directè, ſecundò afferendo inſtantiam; Directè quidem, quia ſupponunt aduerſarij, vt viſum eſt ſuprà in ipſorum ſententia, quòd magnitudo, vt pote vnius palmi, quæ componitur ex infinitis indiuiſibilibus, ſit diuiſibilis in infinitum per partes pro- A portionales, ita vt quælibet etiam pars proportionalis conſtet ex infinitis indiuiſibilibus.

Reſpondendo igitur in forma ad argumentum Ariminenſis, concedunt, quòd in illa magnitudine vnius palmi ſint infinitæ aliæ magnitudines æquales, quarum quælibet ſit conſtans ex infinitis quaternariis indiuiſibilium; dicunt tamen quòd illæ magnitudines æquales conſtantes ex illis infinitis quaternariis, ſint partes proportionales illius magnitudinis palmaris, & conſequenter ſunt indeterminatæ quantitatis; ac proinde negant conſequentiam ſequi, ſcilicet, illud abſurdum, quòd, ſcilicet, illa magnitudo vnius palmi eſſet infinitè extenſa cathegorematicè occupans infinitum ſpatium verſus Orientem, nam ad componendam extenſionem, B ſeu magnitudinem infinitam cathegorematicè occupantem infinitum ſpatium verſus Orientem, requiritur vt illa magnitudo conſtet ex partibus æqualibus determinatæ quantitatis; atque adeò vt illæ partes ſint æquales vni magnitudini certæ & determinatæ quantitatis.

Secundò contra eandem rationem Ariminenſis affertur inſtantia, quia etiam contra negantes continuum non componi ex indiuiſibilibus, ſed ex ſemper diuiſibilibus, poſſet fieri idem argumentum quod facit Ariminenſis contra tenentes, continuum componi ex indiuiſibilibus, nam magnitudo vnius palmi conſtat ex infinitis partibus maioribus & minoribus ſemper diuiſibilibus, & quidem ſi ſaltem per intellectum à maioribus auferatur exceſ- C ſus, remanebunt æquales cum minoribus, non tamen hinc licet inferre, quòd ex illis partibus fiat magnitudo infinita cathegorematicè occupans ſpatium infinitum verſus Orientem. 5. Affertur inſtantia contra eandem rationẽ Ariminenſis.

Et ratio eſt, quia illæ partes æquales adhuc ſunt proportionales, quia non ſunt æquales vni parti certæ & determinatæ, ſed omnes ſunt indeterminatæ quantitatis, ac proinde quamuis ſint infinitæ ſecundùm multitudinem, non componunt magnitudinem infinitè extenſam cathegorematicè, ſicut componunt partes æquales determinatæ quantitatis, ſi ſint infinitæ ſecundùm multitudinem.

Probatur igitur tertiò hæc noſtra ſententia à priore, ratione Ariſtotelis 6. phyſic. quam licet ipſe afferat ad probandum contra Stoicos, magnitu- D dinem non conſtare ex indiuiſibilibus finitis; tamen etiam probat non conſtare ex indiuiſibilibus infinitis; Ratio autem hæc eſt, quia indiuiſibile additum indiuiſibili, non facit maius, nam vt indiuiſibilia faciant maius, debent illa indiuiſibilia infinita ſe inuicem tangere: Vel igitur tangunt ſe ſecundùm ſe tota; & tunc omnia illa indiuiſibilia infinita non occuparent maiorem locum, quàm ſingula illorum; quia ad inuicem ſe penetrarent; ſi verò non tangunt ſecundùm ſe tota; ergo habent partem & partem, non ergo ſunt indiuiſibilia. 6. Tertia & verior probatio à priori Ariſt.

Ad hanc autem rationem reſpondent nonnulli, quòd quamuis iſta indiuiſibilia infinita ſint formaliter indiuiſibilia, ſunt tamen virtualiter diuiſibi- E lia, & ideo poſſunt facere magnitudinem extenſam: ita vt quò plures ſunt infinitudines horum indiuiſibilium, eò faciant magis extenſam magnitudinem.

Probant exemplo animæ rationalis, quæ quamuis ſit formaliter indiuiſibilis, quia tamen eſt virtualiter diuiſibilis, poteſt replicari, & quaſi ſibi ipſi infinities vniri: & tamen ipſa anima cum ſeipſa non ſe penetrat, ſed coëxiſtit loco diuiſibili: Idem exemplificari poteſt de Angelo, cùm ponitur diuiſibiliter in loco.

Digitized by Google

7. *Impugnatur reſpōſio aduerſariorum.*

Sed hæc reſponſio, quamuis acuta ſit, poteſt tamen impugnari, quia eſt diſparitas inter animam rationalem, ſeu Angelum, quando replicatur loco, & inter hæc indiuiſibilia; nam anima, ſeu Angelus coëxiſtit, & quaſi coëxtenditur ad extenſionem loci, replendo ſui præſentia illum locum; ita vt non poſſit aſſignari pars loci minor, & minor, in qua non ſit præſentialiter anima, ſeu Angelus, locus autem ſupponitur extenſus ex ſe, vnde ſi per impoſſibile non detur extenſio loci, tunc neque anima, neque Angelus poſſet replicari, & quaſi ſibi infinities vniri, quia non poſſet Angelus extrahi aliquo modo extra ſe; ſed potiùs ſe penetraret per argumentum factum: at verò magnitudo non extenditur ad extenſionem alterius, ſed ſe ipſa extenditur in ordine ad ſe; ergo non poteſt conſtare ex indiuiſibilibus, nam cùm hæc non coëxtendantur ad extenſionem alterius, ſe ipſis deberēt facere extenſionem; quam tamen non poſſent facere, quia ad hoc, vt indiuiſibilia faciant extenſionem, debent ſe inuicem tangere, & quia ſe tangunt ſecundùm ſe tota, non enim habent partes, ſequitur, quòd ſe inuicem penetrent, & conſequenter non faciant extenſum.

RESPONSIO AD ARGVMENTA OPPOSITÆ SENTENTIÆ.

8. *Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primū.*

AD primum dicitur, quòd quamuis hæc ſententia, quæ ponit magnitudinem componi ex indiuiſibilibus infinitis, ſoluat argumenta facta in ſuperiori dubitatione, contra opinionem ponentem magnitudinem componi ex indiuiſibilibus finitis; non tamen bene ſoluit argumenta quæ directè in hac præſenti dubitatione fecimus contra hanc ſententiam.

Ad ſecundum argumentum.

Ad ſecundum verò argumentum cùm dicitur, quòd per hanc ſententiam ſaluantur multa, quæ non poſſunt bene ſaluari in alia ſententia, ergo, &c. reſpondetur negando Antecedens, &

Ad primam probationem reſpondetur concedendo, quòd bene ſaluatur in prima ſententia, quomodo continuum ſit actu diſtinctum in omnem ſui partem, quod non poteſt ſaluari in alia ſententia, quia ſi continuum eſſet actu diſtinctum in omnem ſui partem, componeretur ex indiuiſibilibus, tamen hoc nihil facit contra nos, quia in ſequenti quæſtione oſtendemus non poſſe in quantitate dari à parte rei partes actu diſtinctas, ſed facit fortè contra illos qui dant in continuo partes actu diſtinctas, quia ſequeretur quòd partes non eſſent ampliùs diſtinguibiles, & conſequenter eſſent indiuiſibiles, quia ſi eſſent diuiſibiles, eſſent adhuc diſtinguibiles.

9. Ad ſecundam probationem eiuſdem Antecedentis iam reſponſum eſt ſuprà, non poſſe Deum diuidere continuum in omnem ſui partem, ſed poſſe diuidere in quot partes voluerit; quia potentia infinita Dei eſt ſubordinata liberæ determinationi ſuæ voluntatis: ſicut à ſimili debent etiam aduerſarij concedere, quòd potentia Dei infinita pro hoc inſtanti poteſt producere plures, & plures Angelos, non tamen poteſt omnes, ſed finitos, ad quot voluntas libera Dei ſe determinat.

10. Ad tertiam probationem patet reſponſio ex ſuperiori dubitatione, quòd in magnitudine non dantur puncta: & conſequenter dicitur ſphæricum tangere planum Mathematicè: quia eſt ita propinquum, vt non poſſit eſſe propinquius: non autem quòd tangat phyſicè in puncto: quare cùm trahitur,

A trahitur ſuper lineam aëris circularem, vt ibidem dictum eſt.

Ad quartam probationem reſpondetur, quòd verè ex ductu puncti non fit linea, niſi ſecundùm imaginationem Mathematicam. 11.

Ad quintam probationem probabiliùs dicitur, ſicut dicebamus de puncto ſphærico, quòd Angelus non poteſt moueri continuè, ſucceſſiuè, indiuiſibiliter, ſicut nec punctum ſeparatum: Quòd ſi teneatur poſſe moueri cum Scotiſtis, tunc dicendum eſt, quòd in motu tangit maius ſe, vel quòd inadæquatè tangit lineam. 12. *De motu, ſeu vbi indiuiſibili angelico.*

Sed inſtatur, quia motus ſeu vbi angelicum, eſt indiuiſibile, ergo dantur infinita vbi ſucceſſiuè

B vnum poſt aliud immediatè: ergo neque repugnat motum mobilis corporei, & magnitudinem componi ex indiuiſibilibus: Reſpondetur, propter hoc argumentum aliqui dixerunt motum & vbi angelicum eſſe extenſa.

Sed hæc reſponſio non placet, nam quamuis hoc fortè dici poſſet quando Angelus mouetur diuiſibiliter: quia quodammodo coëxtenditur adæquatè loco: non tamen poteſt dici quando Angelus mouetur indiuiſibiliter motu continuo: quia tunc non coëxiſtit adæquatè loco, ſed inadæquatè: ergo non poteſt habere vbi extenſum: quia tunc haberet rationem formalem adæquatam loco: cùm

C tamen ipſe Angelus tanquam locatus non adæquetur loco.

Alij ſecundò dicunt, dari vnum vbi ſucceſſiuum per totum motum; quod quidem vt (quod) ſeu ſecundùm ſuam exiſtentiam eſt permanens, & durat toto tempore motus; vt (quo) autem, eſt ſucceſſiuum; quia facit formaliter vt Angelus ſucceſſiuè mutet partes loci, quare falſò ſupponebatur in argumento, quòd cùm Angelus mouetur indiuiſibiliter, producantur infinita vbi indiuiſibilia, ſibi inuicem ſuccedentia; Differt autem hoc vbi indiuiſibile ſucceſſiuum, ab vbi, per quod Angelus mouetur diuiſibiliter; quia hoc eſt eſſentialiter ſucceſſiuum adæquatè, quia ponit ſucceſſiuè Angelum adæquatè in ſpatio; at verò illud aliud vbi

D per quod Angelus mouetur indiuiſibiliter, eſt eſſentialiter ſucceſſiuum inadæquatè, quia ponit Angelum inadæquatè ſucceſſiuè in loco; Sed veriùs dicendum eſt, quòd Angelus non poſſit indiuiſibiliter moueri ſupra magnitudinem, tenendo quòd magnitudo non componatur ex indiuiſibilibus; atque adeò argumentum in hac opinione nullam vim habet.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm in continuo ſint partes actu diſtinctæ à parte rei.

E CERTVM eſt entitatem partium actu exiſtere realiter in continuo, & præterea certum eſt, has entitates partium diſtingui poſſe per intellectum, & tunc tota entitas partium eſt à parte rei; diſtinctio verò eſt per intellectum: quòd ergo in præſenti quæritur, eſt, an entitates harum partium ita exiſtant in continuo, vt quælibet entitas habeat ſuum eſſe diſtinctum ab alia entitate: vel totum continuum ſit vna ſimplex entitas ſine vlla diſtinctione partium à parte rei. 1.

PRIMA ſententia tenet, partes quantitatis in continuo eſſe actu & realiter diſtinctas. Hanc ſententiam debent tenere congruenter omnes illi, qui ponunt 2. *Prima ſententia.*

Digitized by Google

ponũt in continuo indiuiſibilia continuatiua: nam quælibet pars pertingeret vſque ad indiuiſibile, & vltra indiuiſibile non eſſet eadem pars, quæ extenditur, ſed alia: illa enim ſecundum ſuam entitatem indiuidualem finitur per ipſum indiuiſibile. Eſt etiam hæc ſententia Ariminenſis in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. quamuis neget indiuiſibilia continuatiua: Tribuitur præterea hæc ſententia Simpl. S. Thom. & Ægid. ſed immeritò, vt infra videbitur.

3. Hæc autem ſententia, antequam probetur, explicanda eſt: dicit autem hæc ſententia quatuor:

Explicatur natura partium diſtinctarum. Primò dicit partes continui eſſe determinatas in ſe dupliciter; Primò ſunt determinatæ quoad ſuas indiuiduationes; ſi enim ſunt actu diſtinctæ, neceſſariò ſunt hæ & non aliæ; Secundò, ſunt determinatæ quoad ſuam extenſionem; quia de ſingulis partibus, quæ ſignantur, verum eſt dicere, pars hæc eſt determinatè tanta, nec maior, nec minor.

4. Secundò dicit, quòd ſecundùm alium ſenſum, partes continui ſunt duobus aliis modis, indeterminatæ, quæ duplex indeterminatio non repugnat cum duplici illa priori determinatione; Prima indeterminatio eſt, quòd quælibet pars ſit indeterminata in minoritate; nulla enim eſt pars aſſignabilis tam parua, qua non ſit aſſignabilis alia minor, & minor in infinitum; Secunda indeterminatio eſt, quia non poteſt ſignari aliqua pars determinatè præciſa à quauis alia; ſicut à ſimili, ſi mundus fuiſſet ab æterno, vt ponit Ariſtoteles; ſinguli homines fuiſſent in ſe ipſis determinati per ſuas indiuiduationes; quia ſinguli fuiſſent diſtincti realiter a ſingulis; & tamen nullus homo potuiſſet ſignari præciſus ab alio; ita vt potuiſſet dici; hic homo fuit ab æterno.

5. Tertiò alij authores huius ſententiæ dicunt iſtas partes proportionales eſſe cathegorematicè infinitas, quoad actualem diſtinctionem, ſupponunt enim, infinitum ſyncathegorematicum ſolùm differre ab infinito cathegorematico; quia hoc eſt actu, illud in potentia; quoad numerum autem nullo modo differre; cùm igitur omnes partes, quæ in potentia ſunt diuiſibiles in infinitum ſyncathegorematice, ſint actu diſtinctæ, ſequitur quòd illæ partes quoad actualem diſtinctionem ſint infinitæ cathegorematicè; & eædem quoad potentialem diuiſionem, ſint infinitæ ſyncathegorematicè.

Nonnulli verò alij Authores eiuſdem ſententiæ ſubtiliùs dicunt, partes actu diſtinctas etiam quoad actualem diſtinctionem, eſſe infinitas ſyncathegorematicè; quia quamuis quoad actualem exiſtentiam & diſtinctionem ſublata ſit omnis potentialitas, remanet tamen potentialitas in obiecto; quia nunquam per hanc actualem diſtinctionem peruenitur ad partes infinitè minimas; Sicut, inquiunt, ſi per impoſſibile omnes creaturæ perfectiores, & perfectiores in infinitum ponerentur actu; adhuc eſſent infinitæ ſyncathegorematicè quoad obiectum, quia non attingeretur infinitum; nulla enim daretur infinitè perfecta, nec vllæ tales cognoſcuntur à Deo; quia nulla talis erat in tota potentialitate creaturarum.

Quartò dicit hæc ſententia, huiuſmodi partes infinitas proportionales non facere magnitudinem infinitam; quia ſunt indeterminatè minores & minores.

6. Probatur prima ſententia. Hæc autem ſententia ſic explicata probatur multis & difficillimis argumentis.

Primum argumentum. Primò, Quæcumque actu inter ſe realiter identificantur; non poſſunt aliquando eſſe diſtincta realiter inter ſe; ſed quælibet duę partes continui poſ-

A ſunt eſſe diſtinctæ realiter inter ſe; ergo quælibet duæ partes continui non ſunt identificatæ realiter inter ſe; Minor eſt manifeſta; quia quælibet duæ partes continui quando ſunt diuiſæ, ſunt realiter diſtinctæ inter ſe; Conſequentia etiam eſt manifeſta, quia eſt in Ceſare; Maior, in qua eſt tota difficultas, probatur; nam quæcumque poſſunt exiſtere diſtincta realiter inter ſe, non habent actu eandem numero entitatem; nulla enim numero eadem entitas, realiter poteſt non eſſe actu eadem numero entitas; idem enim non corruptum, ſemper manet idem; ſed quæcunque ſunt identificata realiter, ſunt eadem numero entitas realis; ergo quæcunque actu inter ſe realiter identificantur, non poſſunt eſſe realiter diſtincta inter ſe.

B Secundò probatur, & eſt confirmatio præcedentis, Duæ partes quantitatis diuiſæ, habent entitates diſtinctas, & indiuiduationes diſtinctas; ergo etiam, quando illæ duæ partes ſunt vnitæ, habẽt ſuas entitates numericè inter ſe diſtinctas; Conſequẽtia probatur, quia per vnionem non corrumpuntur entitates illarũ partium; neque conſequenter hæcceitates illarum; Indiuiduatio enim identificatur cum entitate; ergo ſi diuiſæ ſunt diſtinctæ numericè; erunt etiam diſtinctæ cùm ſunt vnitæ. 7. Secũdum argumentum.

Antecedens ſecundi ſyllogiſmi probatur; nam ſi entitas numerica partium corrumperetur per vnionem, ſequeretur quòd etiam accidentia, quæ in illa C ſubiectantur, corrumperentur; corrupta enim reali entitate ſubiecti, corrumpuntur etiam accidentia, quæ in illa ſubiectantur; ſed ſenſu apparet, quòd accidentia quæ ſubiectantur in duabus partibus diuiſis, non corrumpuntur, cùm illæ duæ partes vniuntur, ergo, &c.

Secundò probatur idem Antecedens; quia alioquin ſequeretur, quòd ex commixtione vnius vini conſecrati cum altero conſecrato, deſineret eſſe Chriſtus ſub illis ſpeciebus vtriuſque vini, quod quidem eſt falſum; Sequela probatur, quia corrupta reali entitate ſpecierum vini, ſub qua primò erat Chriſtus, deſinit eſſe in illa; ſed ex commixtione vnius vini conſecrati cum altero conſecrato, D corrumpitur entitas partium quantitatis illius vini, ergo, &c.

Quòd ſi dicas, illas entitates non corrumpi, iam habetur intentum, quòd ſcilicet per vnionem remanent adhuc illæ entitates vtriuſque vini conſecrati diſtinctæ, ſicut erant priùs, quando erant diuiſæ, Similiter etiam ſequeretur, quòd quando duæ partes materiæ primæ ad inuicem vniuntur, entitas illius materiæ primæ corrumperetur.

Tertiò probatur eadem ſententia; quia ſi quælibet pars continui, eſt idem realiter cum aliis partibus continui ſimul vnitis; ſequeretur quòd eſſet idem realiter cum toto; quia totum nihil aliud eſt, quàm partes ſimul vnitæ; hoc autem eſt abſurdum; E omne enim totum eſt maius ſua parte; & præterea ſequeretur, quòd pars eſſet æqualis toti, quia eſt eadem entitas cum toto, & præterea quòd pars eſſet maior ſeipſa; nam ſi pars eſt idem realiter cum toto, & totum eſt maius ſua parte; ergo ſequitur, quòd pars eſſet maior ſeipſa. 8. Tertium argumentum.

Quòd ſi dicas, in quantitate neque eſſe realiter partem, neque realiter totum; ſed tantùm eſſe vnam ſimplicem entitatem; Contra hoc eſt; nam in quantitate verè & realiter eſt maius & minus; plus enim entitatis habet vna quantitas, vt patet ſenſu, quàm alia, præciſa omni deſignatione intellectus; Sed quod eſt maius & minus, impoſſibile eſt eſſe ſimplicem entitatem; nam eadem entitas non poteſt

habere plus realitatis, quàm re vera habet: Entitas autem maior plus entitatis habet quàm minor: ergo impoſſibile eſt vt eadem ſimplex entitas poſſit eſſe realiter maior & minor; quia eſſet maior ſe ipſa.

9. Quartū argumentum. Quartò, Si in continuo partes non eſſent actu diſtinctæ, ſequeretur quòd eadem entitas eſſet realiter diſtincta à quacunque alia entitate; & eſſet eadem realiter cum alia quantitate quod eſt impoſſibile; Sequela probatur; nam ſit quantitas palmaris in loco (A) hæc eſt diſtincta ab omni alia quantitate, quia eſt diuiſa à quacunque alia; Quòd ſi ponatur hæc quantitas palmaris per Diuinam potentiam in loco (B) vnita cum alia quantitate, tunc fiet eadem entitas cum hac alia quantitate; ergo ſequitur quòd eadem entitas quantitatis palmaris ſit diſtincta à quacunque alia, & identificata cum alia.

10. Quintū argumentum. Quintò, quando agens continuat duas partes, quæ priùs erant diuiſæ; tunc non facit realitates partium, quia antea exiſtebant; neque nouam indiuiduationem, quia indiuiduatio identificatur cum realitate partis: præſertim ſi partes ſint heterogeneæ: ita vt vna ſit pars vini, & altera aquæ: ergo quod de nouo efficitur, non eſt aliud niſi realis vnio: ſed realis vnio non eſt inter ea, quæ ad inuicem omninò identificantur: quia in his potiùs eſt vnitas: ſed inter ea quæ à parte rei ſunt diſtincta, vt eſt inter materiam & formam: ergo partes quæ cùm erant diuiſæ, erant diſtinctæ, non identificantur per vnionem, ſed remanent diſtinctæ; Et confirmatur: quia alioquin nihil differrent partes diuiſæ à partibus diſtinctis: nam cùm non ſunt vnitæ, ſunt diuiſæ: nunquam autem ſunt diſtinctæ, niſi quando non ſunt vnitæ.

11. Sextum argumentum. Sextò, Entitas vnius palmi deſignati in Polo Arctico, non eſt entitas alterius palmi deſignati in Polo Antarctico, ante quamcunque operationem intellectus: ergo illæ duæ entitates diſtinguuntur realiter: Antecedens patet, quia poteſt vna entitas corrumpi non corrupta alia. Conſequentia probatur, quia ad diſtinctionem actualem duo requiruntur, entitas realis, & negatio actualis: quæ duo habet vterque palmus.

12. Septimum argumentū. Septimò, ſicut duo indiuidua diuerſarum ſpecierum ſemper perſeuerant diſtincta ſpecie; quia ſemper perſeuerant eadem in eſſendo: ergo etiam duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quæ quando ſunt diuiſa, ſunt diſtincta numero: cùm eadem realiter perſeuerent in eodem eſſe, quando ſunt vnita, manebunt diſtincta realiter, etiam quando ſunt vnita.

13. Octauū argumentum. Octauò, continuum eſt vnum totum: ſed totum dicitur relatiuè ad partes: ergo totum habet partes.

14. Nonum argumentum. Nonò, ſignum diſtinctionis ſecundùm Ariſtotelem eſt ſeparabilitas: ſed partes in continuo ſunt ſeparabiles: ergo ſunt diſtinctæ.

15. Decimū argumentum. Decimò, & eſt confirmatio præcedentis, Omnia ſigna diſtinctionis realis ſunt in partibus continui: ergo partes in continuo ſunt diſtinctæ realiter. Antecedens probatur, nam

Primum ſignum eſt, quòd vnum ſit extra locum alterius; vna enim, & eadem entitas non poteſt à ſe ipſa diſtare; ſed partes quantitatis ſunt diſtantiſſimæ, vt patet de parte cœli prope Polum Arcticum, quæ maximè diſtat à parte cœli, prope Polum Antarcticum: Et confirmatur, quia illa relatio diſtantiæ quæ idētificatur cum parte Poli Arctici, non identificatur cùm parte Poli Antarctici: ergo hæ partes diſtinguuntur: quia aliquid identifica-

A tur cum vna parte, quod non identificatur cum alia.

Secundum ſignum diſtinctionis realis eſt, quòd poſſint recipere contraria in gradibus intenſis: nam contraria mutuò ſe expellunt in vna & eadem parte ſubiecti: ſed in entitate ſemipalmi, in quam poteſt diuidi quantitas palmaris, poteſt eſſe qualitas caloris in gradu intenſo: & cum alia entitate ſemipalmi poteſt eſſe qualitas contraria frigoris in gradu intenſo: ergo illæ duæ entitates ſemipalmares in quas poteſt diuidi quantitas palmaris, ſunt actu diſtinctæ in ipſo palmo.

Tertium ſignum eſt, ſi vna entitas quieſcit, & alia mouetur, nam vna, & eadem entitas, non poteſt à ſe ipſa recedere; ſed in quantitate continua flexi-

B bili, vna quantitas poteſt moueri altera quieſcente.

Quartum ſignum diſtinctionis realis eſt, cùm vnum poteſt produci, aut corrumpi, non corrupto, aut producto altero, ſine vlla mutatione alicuius extrinſeci; Sed duæ partes quantitatis ita ſe habent, cùm ex bipalmari quantitate à Deo corrumpitur vnus palmus per ſolam ſubtractionem concurſus Diuini; quia ſine vlla extrinſeci mutatione vnus palmus corrumpitur non corrupto altero, ergo, &c.

Quintum ſignum eſt, ſi duo habeant figuras totaliter oppoſitas, v. g. ſi vnum habeat figuram rectam, & alterum rotundam; ſed in quantitate con-

C tinua hominis, vna pars quæ eſt in pede, eſt recta, altera quæ eſt in capite, eſt rotunda, ergo.

Sextum ſignum eſt, ſi vnum actu inhæret alicui ſubiecto; alterum verò nulli inhæret ſubiecto; ſed in quantitate continua poteſt cōtingere quòd vna pars quātitatis nō inhæreat ſubiecto, & altera inhæreat; ergo illæ duæ partes ſūt actu diſtinctæ; Exēplum in quantitate continua poteſt contingere cùm vinum conſecratum miſcetur vino non conſecrato; nam pars vini conſecrati non inhæret in ſubiecto; pars autem vini non conſecrati inhæret.

Vndecimò probatur hæc ſententia; quia entitas (A) ſeu meliùs, ne dicatur ſignari entitas; entitas quæ eſt diuiſibilis in (A), eſt in ipſo continuo, extra entitatem diuiſibilem in (B); ergo eſt diſtincta à 16. Vndecimū argumentū.

D (B). Probatur conſequentia, quia nihil eſt extra ſeipſum.

Duodecimò, Contingit aliquando quòd vna pars ſit cauſa alterius, vt patet in ſucceſſiua ignitione ſtuppæ; nam pars priùs ignita, ignit poſteriorem; ergo non poteſt pars igniens, eſſe identificata cum ea, quæ ignitur; quia nihil cauſat ſe ipſum. 17. Duodecimū argumentū.

Decimotertiò, partes motus diſtinguuntur inter ſe realiter, ſic etiam partes temporis; ergo neque repugnat diſtingui realiter partes magnitudinis; Conſequentia patet, quia iſta ſe habent proportionaliter. Antecedens probatur; nam partes temporis quæ præſentes ſunt, diſtinguuntur à partibus præteritis, & partes præteritæ à futuris; quia alioquin ſi 18. Decimumtertium argumentum.

E eſſent identificatæ huiuſmodi partes, ſequeretur quòd idem ſimul eſſet & non eſſet.

VERIOR SENTENTIA EXPLICATVR VNICA CONCLVSIONE.

PARTES continui non ſunt actu inter ſe diſtinctæ; ſed in potentia: Ita tenent Themiſtius, Simplicius, Auerroës, & S. Thom. in 8. phyſ. text. 68. & idem S. Thomas, Auerroës & Alexander quinto met. text. 31. & idem S. Thomas in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula tertia, ad primum; Ægid. 8. phyſ. lect. 19. Secūda ſententia explicatur vnica concluſione. Thē. Simpl.

Digitized by Google

Auer. Tho. Alex Ægid. Burl. Capr. lect.21.& 6.phyſ.lect.16.& Burleus ibidem t.19.Capreolus in primo diſt.43.art.3.q.1. ad tertium Adami contra tertiam concluſionem;& Aureolus apud Capreolum in ſecundo diſt.12.q.1.& diſt. 18.q.1. Aure. Henr. ad primum Aureoli; Henricus quodlib. 4. q.15.& quodlib.9.q.4.Huius ſententiæ,(quicquid alibi dicat)eſt Fonſeca in 5. met. cap.13. q.6. ſect.4.& 5. vbi etiam conſequenter negat indiuiſibilia continuatiua; quia ſi hæc darentur, iam pars pertingens ad illud indiuiſibile finiretur,& terminaretur; atque adeò diſtingueretur actu ab alia comparte; quæ continuatur cum præcedenti per illud indiuiſibile.

20. Prima ratio fundamẽtalis pro noſtra ſecunda ſententia. Probatur concluſio primò ratione fundamentali, Ad hoc vt entitates, quæ componunt totum homogeneum continuum, v. g. quantitatem palmarem, ſint diſtinctæ inter ſe actualiter à parte rei, requiritur, vt vna dicat negationem ab altera; ad hoc autem requiritur vt quælibet ſit terminata in ſuo eſſe, quia ſi non eſſet ſic terminata, non negaretur ab alia, ſed potiùs eſſet vnum cum illa, ſed huiuſmodi partes ſeu entitates, componentes totum homogeneum continuum, v. g. quantitatem palmarem, non habent negationem extrinſecam vlterioris extenſionis, per quam terminentur in ſuo eſſe, nec negationem intrinſecam: ergo non poſſunt eſſe diſtinctæ à parte rei: ergo totum illud continuum homogeneum palmare eſt vnum numero per negationem termini, ſeu vlterioris extenſionis. Prima & vltima conſequentia ſunt manifeſtæ; Maior etiam eiuſdem ſyllogiſmi eſt manifeſta.

21. Minor autem in qua eſt tota difficultas, (quòd, ſcilicet, partes ſeu entitates componentes vnum continuum homogeneum palmare, non habeant in ſe negationem extrinſecam, nec intrinſecam, per quam terminentur in ſuo eſſe) probatur, & primò quoad primam partem (quòd, ſcilicet, non habeat negationem extrinſecam per quam terminentur in ſuo eſſe) patet, quia vna pars deberet pertingere vſque ad alteram, & ibi finiri, & terminari; non poteſt autem terminari, niſi detur indiuiſibile, v.g. punctum, quod ſit terminus præcedentis,& initium ſequentis, ſiue illud ſit poſitiuum, ſiue negatiuum, hoc eſt actualis negatio vlterioris extenſionis, ſed non poſſunt dari huiuſmodi inuiſibilia ſiue negatiua, ſiue poſitiua, vt infrà probabitur quæſt.7.ergo,&c.

Probatur etiam eadem Minor, quoad ſecundam ſuam partem, (quòd, ſcilicet, partes ſeu entitates componentes vnum continuum, non poſſint habere in ſe negationem intrinſecam, per quam terminentur in ſuo eſſe) quia hanc negationem intrinſecam habent ſolùm duo genera indiuiduorum, vel quæ differunt ſpecie, hæc enim ſemper retinent intrinſecam negationem vnius ab altero; vel ſecundò ſunt illa indiuidua, quæ quamuis non differant ſpecie; tamen vnum ita eſt ſeparatum ab alio, vt non includat in ſuo eſſe aliud; ſed ita vnumquodque eſt vnum, vt non habeat ſuam entitatem cum alio vnibilem; ſic ſunt duo Angeli de facto eiuſdem ſpeciei ſecundùm Scotum; ſic etiam duæ animæ ſeparatæ; præſertim in illo priori ſigno, antequam intelligantur vt vnibiles materiæ; Neutrum autem horum modorum poteſt dici, quòd entitates, quæ componunt totum continuum, habeant illam negationem intrinſecam; Non primo modo; quia hæ entitates, non ſolùm non differunt ſpecie, ſed nec habent heterogeneitatem, ſed ſunt homogeneæ,& habent omnimodam ſimilitudinem; Nec ſecundò modo; quia quælibet entitas continua, habet entitatem cum alia vnibilem; quia entitas continua ſiue ſit aſſignabilis, ſiue inaſſignabilis, non poteſt eſſe ita vna, vt non includat infinitas partes proportionales, in quas poteſt diuidi; Quare concluditur, quòd continuum non poteſt habere aliam vnitatem numericam, quàm per negationem termini, ſeu vlterioris extenſionis.

Hinc fit primò, vt ad actualem completam diſtinctionem numericam entitatum, in quas poteſt diuidi continuum, non ſufficiat, quòd ſint actu in continuo ipſæ entitates,& hæcceitates actuales,& reales, in quas poteſt diuidi ipſum continuum; ſed etiam requiritur negatio per quam entitas, & hæcceitas ita in ſuo eſſe terminetur; vt non vlteriùs ſe extendat.

Hinc fit ſecundò, quòd duo indiuidua quantitatis continuæ, quæ quando erant diuiſa, differebant numero, eo ipſo quòd vniuntur, ſicut perdunt negationem vlterioris negationis; ita etiam perdunt numericam diſtinctionem. Hanc rationem noſtram fundamentalem attigit Ariſtoteles 5. met. tex. 11. Ariſtot. (quotieſcunque, inquit, partes continui non habent diuiſionem, quatenus non habent; eatenus vnum dicuntur;) quaſi diceret, quòd vnum completum in homogeneis, eſt per negationem vlterioris extenſionis.

In hoc fundatur alia ſecunda ratio ſimilis; quælibet pars continui eſt eſſentialiter talis, vt non poſſit ſolitariè ſignari vna, vel inaſſignabiliter dari, quin illa communicet cum infinitis aliis partibus incluſis; ergo quælibet pars continui dicit indeterminationem; non ergo poſſunt eſſe partes continui omnes diſtinctæ; quia vbi eſt omnimoda diſtinctio, non poteſt eſſe indeterminatio. 22. Secunda ratio.

Quòd ſi dicas, partes in continuo inaſſignabiles non eſſe diſtinctas, quia pars inaſſignabilis eſſentialiter, eſt vna per incluſionem plurium; partes autem ſignabiles ſunt diſtinctæ; quia pars ſignabilis non eſſentialiter includit alias; ſed accidentaliter tantùm eſt vna; Sed contrà primò, quia ſequeretur, quòd non omnes partes eſſent actu diſtinctæ, contra ipſos aduerſarios; Secundò, ſicut pars inaſſignabilis poteſt eſſe vna, licèt includat plures per negationem vlterioris negationis; ita etiam pars ſignabilis per negationem etiam vlterioris extenſionis poteſt eſſe vna, quia vtrobique eſt eadem ratio formalis vnitatis; Et confirmatur ex his, quæ dicta ſunt in priori ratione.

Tertiò probatur; quia ſi daretur actualis diſtinctio partium; ſequeretur, quòd pars non eſſet magis vna in ſe, quàm cum ſua comparte; quod quidem eſt abſurdum; quia vnumquodque eſt magis vnum in ſe, quàm cum alio, à quo diſtinguitur; Sequela probatur; quia quælibet pars continui ideo eſt vna in ſe ipſa, quia eſt continua; & conſequenter ideo eſt vna, quia eſt vnita, & continuata cum alia; ſed etiã quælibet pars continui, quamuis ſit diſtincta ab alia comparte, eſt vna cum ſua cõparte, vnitate continuationis, quatenus eſt vnita cum altera: Patet igitur, quòd eſt vera illa ſequela, quòd quælibet pars non eſſet magis vna in ſe, quàm cum ſua comparte; quod oſtendimus eſſe abſurdum. 23. Tertia ratio.

24. Ad hanc rationem reſpondent aduerſarij, diſtinguendo de duplici parte continui, altera aſſignabili, altera inaſſignabili, vt tactum eſt ſuprà; & hoc poſito, dicunt, quòd quælibet pars aſſignabilis continui vnitur cum altera parte accidentaliter;& conſequenter facit vnum accidentaliter cum illa; quia quælibet pars aſſignabilis poteſt ſeparari à qualibet alia parte aſſignabili; pars verò inaſſignabilis vnitur eſſen

Digitized by Google

eſſentialiter cum infinitis aliis partibus inaſſignabilibus; quia quælibet pars inaſſignabilis, non poteſt ſeparari ab infinitis partibus inaſſignabilibus; Hoc poſito, dicunt, quòd pars inaſſignabilis cum aliis inaſſignabilibus incluſis, eſt eſſentialiter vna; pars verò aſſignabilis cum aliis partibus aſſignabilibus, eſt accidentaliter vna; & ita pars continua eſt magis vna in ſe, quàm cum ſua comparte.

Sed hæc reſponſio aduerſariorum non placet, & inſtatur contra illam, primò tam in parte inaſſignabili, quàm aſſignabili, vnitas numerica non eſt per negationem intrinſecam, ſicut differunt duo indiuidua diuerſæ ſpeciei; ſed vtrobique eſt per negationem termini, ſeu vlterioris extenſionis: ratio igitur formalis vnitatis numericæ æquè eſt in parte inaſſignabili, ac aſſignabili; Quòd autem pars inaſſignabilis non poſſit ſeparari ab aliis partibus infinitis inaſſignabilibus; pars autem aſſignabilis poſſit ſeparari ab aliis partibus aſſignabilibus; eſt quid accidentarium vnitati numericæ ipſius continui quæ conſtituitur per negationem vlterioris extenſionis.

Secundò inſtatur contra eandem reſponſionem aduerſariorum, quia pars inaſſignabilis, quatenus includit partes alias infinitas minores & minores, non ſe habebit vt pars, ſed ſe habet vt totum inaſſignabile reſpectu illarum; quia non includit illas vt compartes, ſed vt ſui partes componentes; ita etiam pars aſſignabilis vnita cum aliis partibus aſſignabilibus, eſt vnum totum aſſignabile: ſicut igitur totum inaſſignabile eſſentialiter eſt vnum; quia eſſentialiter dicit ſuas partes vnitas continuatas; ita etiam totum aſſignabile, vt totum tale eſt, eſt vnum eſſentialiter; quia eſſentialiter includit ſuas partes vnitas & continuatas.

25. *Quarta ratio.* Quartò probatur, Si continuum conſtaret ex partibus actu diſtinctis, ſequeretur quòd conſtaret ex partibus indiſtinguibilibus, ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Sequela Maioris probatur, quia per aduerſarios omnes partes in continuo ſunt actu diſtinctæ; non enim maior eſt ratio de vna parte, quàm de alia, vt ſuprà dictum eſt; quod enim ab aliquibus dicitur, partes in continuo, quamuis ſint actu diſtinctæ, inuoluere tamen quandam potentiam indeterminationis, non facit ad propoſitum; nam illa potentia non cadit per illos ſupra diſtinctionem, ſed ſupra diuiſionem, ſi enim caderet ſupra diſtinctionem; tunc non eſſent omnes actu diſtinctæ, contra ſuppoſitum; ſi igitur omnes ſunt à parte rei actu diſtinctæ, omnes ſunt indiſtinguibiles; quia nulla eſt à parte rei ampliùs diſtinguibilis.

Quòd verò hoc ſit abſurdum, vt dicebatur in Minori, probatur; quia ſequeretur, quòd continuum conſtaret ex partibus indiuiſibilibus; nam ſi ſublata eſt potentia ad diſtinctionem; ſublata etiam eſt ad diuiſionem; Nam peto, pars illa quæ ponitur actu diſtincta ſiue aſſignabiliter, ſiue inaſſignabiliter, vel eſt vna vel non; ſi non, ergo non eſt actu diſtincta; ſi ſic; vel includit vt ſic, vna alias partes, vel non; ſi includit, ergo idem poteſt dici de omnibus aliis partibus: quòd, quamuis poſſint diuidi in plures alias, & alias partes, ſint tamen quid vnum numericè, per negationem vlterioris extenſionis; & ita habetur intentum; ſi verò non includit, tunc eſt indiuiſibilis; & ſic de reliquis aliis actu diſtinctis: ergo ſi continuum conſtat ex indiſtinguibilibus, conſtat etiam ex indiuiſibilibus.

26. *Prima reſponſio aduerſariorũ ad hanc quartam rationem.* Sed ad hanc quartam rationem variis modis reſpondent aduerſarij. Primò reſpondent differentiam eſſe inter omnimodam diuiſionem, & omnimodam diſtinctionem: quia omnimoda diuiſio partium tollit omnino omnem partium communicationem; at verò omnimoda diſtinctio, non tollit communicationem partium, quia poteſt ſtare diſtinctio cum vnione, vt patet in compoſito ex materia & forma: materia enim diſtinguitur actu à forma: & tamen communicat cum forma per vnionem: non autem communicaret ſi eſſet actu diuiſa.

27. *Prima reſponſio aduerſariorũ.* Contra hoc eſt, quia non eſt par ratio in exemplo allato; nam materia poteſt communicare cum forma, licèt ſit actu diſtincta ab illa; quia ea ratione, qua diſtinguitur à forma, non eſt ampliùs diſtinguibilis in ratione materiæ; at verò in continuo non poteſt perueniri ad partem, quæ non ſit ampliùs diſtinguibilis; nam illa pars eſt quanta, ergo includit alias; vel ergo non diſtinguitur ab illis incluſis, & ſic dicendum eſt de aliis partibus; vel diſtinguitur; & ſic tandem deueniendum eſt ad indiſtinguibilia; indiſtinguibile autem non poteſt eſſe diuiſibile; quia ſi eſſet diuiſibile, adhuc poſſet diſtingui in illas partes, in quas poteſt diuidi.

28. *Secunda reſponſio aduerſariorũ.* Secundò reſpondent, Sicut per deſignationem intellectus diuini non tollitur continuitas; quia ſemper intellectus diuinus cognoſcit partem diſtinctam minorem, & minorem in infinitum; ſemper tamen ſub ratione partis, & continui; ita etiam poteſt eſſe à parte rei diſtinctio actualis partium in infinitum; ſemper tamen in ratione partis & continui.

Confutatur ſecunda reſponſio. Sed contra hanc ſecundam reſponſionem inſtatur, quia exemplum allatum non valet; quia illa diſtinctio, quæ fit per deſignationem intellectus diuini, cùm per rationem ſit, & non à parte rei; non eſt neceſſe, vt ponatur per rationem omnimoda diſtinctio, ſed diſtinctio in infinitum; ſicut à pari non eſt neceſſe, quòd per intellectum diuinum diuidatur continuum in omnem ſui partem; quamuis per eundem intellectum diuidi poſſit in infinitum, at verò ſi poneretur diſtinctio actualis à parte rei partium continui, illa deberet eſſe omnimoda, & totalis; ita vt partes non ſint ampliùs diſtinguibiles; & conſequenter tolleretur ratio partium, quæ eſſentialiter includunt alias, & alias partes.

29. *Tertia reſponſio aduerſariorũ ad eandem quartam rationem.* Tertiò reſpondent ad eandem quartam rationem noſtram alij recentiores, negando illam paritatem, quare ex omnimoda diſtinctione partium non perueniatur ad partes indiuiſibiles, perueniatur autem ex omnimoda diuiſione; ſupponunt autem vnum, omnes partes in continuo habere rationem totius & partis; partis quidem ſi comparetur ad compartem, totius verò ſi comparetur ad partes incluſas, quia cùm quælibet pars ſit quanta, & extenſa, continet conſequenter in ſe infinitas partes, in quas poteſt diuidi.

Hoc poſito, dicunt, quòd cùm omnimoda diſtinctio non tollat à continuo rationem totius reſpectu ſuarum partium incluſarum, conſequenter fit, vt non tollat diuiſibilitatem in partes incluſas; at verò omnimoda diuiſio tollit rationem totius à qualibet parte, quia facta omnimoda diuiſione, non remanet pars, quæ habeat incluſas alias partes; quando ergo dicitur quòd continuum conſtat ex omnibus partibus diſtinctis, ſic intelligendum eſt, quòd vel pars comparatur ad partem, & hoc modo ita quælibet pars eſt diſtincta à ſua comparte, vt non ſit ampliùs diſtinguibilis; ſi verò illa eadem pars accipiatur, vt totum quatenus, quia eſt quanta, continet infinitas partes incluſas, tunc vel hoc totum

Digitized by Google

tum comparatur ad ſuas partes incluſas, & non eſt diſtinguibile ab illis, quia totum non diſtinguitur à ſuis partibus incluſis; ſi verò comparetur ad aliud totum, ita eſt diſtinctum ab illo, vt non ſit ampliùs diſtinguibile, ſicut diximus de parte comparata ad compartem.

Pro explicatione autem eorum quæ dicta ſunt, afferri ſolet exemplum de homine; Homo, inquiũt, eſt totum conſtans ex materia, & anima; in hoc autem toto, ſi ſpectentur partes, ita materia eſt diſtincta ab anima, & anima à materia, vt non ſint ampliùs diſtinguibiles; ſi verò conſideretur ipſe homo, vt totum, tunc non eſt diſtinguibile, quia totum non diſtinguitur à ſuis partibus incluſis, quia nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes; ſi verò comparetur ad aliud totum, ſeu compoſitum; ita diſtinguitur ab omnibus aliis compoſitis, vt non ſit ampliùs diſtinguibile, & tamen non propterea tollitur, quin homo, vt totum, ſit diuiſibile in ſuas partes.

30. Confutatur tertia reſponſio. Sed contra hanc reſponſionem, quæ videtur coincidere cum prima reſponſione, inſtatur, quia ad hoc vt ſit omnimoda diſtinctio partium, vna pars ita debet eſſe diſtincta ab alia comparte, vt ea ratione, qua diſtinguitur ab alia comparte, non ſit ampliùs diſtinguibilis; Vt enim ſuprà dicebamus contra primam reſponſionem, ideo materia eſt ita diſtincta à forma, vt non ſit ampliùs diſtinguibilis, quia in ratione materiæ, ſecundùm quam diſtinguitur à forma, non eſt ampliùs diſtinguibilis: at verò pars etiam proportionalis & inaſſignabilis continui determinati, v. gr. palmaris, non ita diſtinguitur ab alia comparte, vt ipſa non ſit ampliùs diſtinguibilis etiam in partes, quia cùm eſſentialiter ſit quanta, adhuc includit alias partes, quarum quælibet adhuc eſt diſtinguibilis in partes quantas. Nec valet, ſi dicas, quòd illa pars, quatenus eſt totum, non diſtinguitur a partibus incluſis, non, inquam, valet, quia, quamuis illa pars, vt totum, non diſtinguatur à ſuis partibus incluſis ſimul acceptis, non tamen inde fit, vt non ſit diſtinguibilis in ſuas partes, habet enim partes actu diſtinctas inter ſe, ſicut hoc totum, homo, non diſtinguitur à materia & forma ſimul acceptis, diſtinguitur tamen in materiam & formam, tanquam in ſuas partes actu diſtinctas inter ſe.

Confirmatur alio exemplo, Si homo conſtaret ex materia & anima, & adhuc per impoſſibile anima conſtaret ex alia materia & forma, tunc anima non ita diſtingueretur à materia, tanquam ab alia comparte, vt non ſit ampliùs diſtinguibilis, quia adhuc ipſa poſſet diſtingui in materiam & formam: ita ſimiliter non poteſt dici, quòd continuum conſtat ex partibus ita diſtinctis, vt non ſit ampliùs diſtinguibile, quia quælibet pars adhuc poteſt diſtingui in alias partes; continet enim infinitas partes actu diſtinctas.

Quòd ſi dicant aduerſarij, quòd, quamuis quælibet pars proportionalis includat infinitas partes, non tamen illas partes incluſas eſſe diſtinctas inter ſe.

Contra hoc eſt, quia non poteſt aſſignari alia ratio (vt patet ex ſuprà dictis in quarta probatione) quare partes illæ incluſæ in qualibet parte proportionali, non ſint diſtinctæ, ſed ſint vnum totum, ſeu vna entitas ſimplex inaſſignabilis, niſi quia illa pars proportionalis, ſeu illud totum inaſſignabile, quod includit infinitas partes, pertingit vſque ad alteram partem proportionalem, ſeu totum inaſſignabile, & ibi finitur, & terminatur, ſiue per indiuiſibile poſitiuum, ſiue per negationem actualem vlterioris extenſionis, quantùm ad illam partem; non enim pars quanta poteſt eſſe vna numero per negationem intrinſecam, ſicut eſt hic Angelus, ſed tantùm per negationem extrinſecam vlterioris extenſionis, vt probatum eſt paulò ſuperius in quarta ratione; Sed ſi non dentur puncta, ſeu indiuiſibilia in continuo, quæ quidem non dari oſtendemus infrà quæſtione ſequenti, tunc ſequitur, quòd eadem eſt ratio de illa parte proportionali, ac de toto continuo palmari, quia in toto continuo palmari nulla pars proportionalis finiretur & terminaretur, ſed ſolùm ipſa tota entitas palmaris finiretur, per negationem vlterioris extenſionis; ergo ex hac reſponſione aduerſariorum ſequitur, quòd totum continuum palmare ſit vna ſimplex entitas, ſuppoſito quòd non dentur indiuiſibilia; ſicut enim illi qui dant partes diſtinctas in quantitate palmari, debent conſequenter admittere puncta in fine cuiuſlibet partis proportionalis; ita qui negant, continuum habere partes diſtinctas, negant etiam congruenter continuum habere indiuiſibilia, ſiue illa ſint poſitiua, ſiue negationes actuales, vt nos infrà negabimus quæſtione ſeptima.

Quartò reſpondent aduerſarij, Datur ſecundùm multorum opinionem qualitas heterogenea ſecundùm intenſionem, & hæc quidem neceſſariò habet partes actu diſtinctas, quia partes ſunt diſſimilares, & tamen non propterea ſequitur, quòd, quia conſtat ex partibus indiſtinguibilibus ſecundùm intenſionem, ideo conſtet etiam ex partibus indiuiſibilibus ſecundùm eandem intenſionem. Quarta reſponſio aduerſariorũ aſſerẽdo inſtantiam.

Sed hæc reſponſio non placet, quia vel dicendum probabiliùs propter hoc argumentum, non dari qualitatem diuiſibilem heterogeneam, vel dicendum ſecundùm alios, quòd qualitas heterogenea, quamuis habeat partes diſſimilares, non tamen propterea habet illas partes actu diſtinctas, ſi ſpectetur illa qualitas, quatenus dicit quandam latitudinem intenſiuam, quia ad diſtinctionem partium, quatenus dicunt latitudinem, requiritur vt pars ſit terminata, & non habeat negationem vlterioris latitudinis; quod quidem non eſt in caſu argumenti, quia partes intenſionis non ſunt terminatæ, ſed dicunt ſemper vlteriorem intenſionem, ſicut dicunt partes continui homogenei, ac propterea ſicut quælibet pars inaſſignabilis in continuo homogeneo includit eſſentialiter infinitas partes, vnde colligitur continuum, vt ſuprà oſtenſum eſt, eſſe entitatem ſimplicem, & non habere partes diſtinctas; ita etiam cùm quælibet pars inaſſignabilis in continuo heterogeneo, includat eſſentialiter infinitas partes, dicendum eſt ſimiliter, quòd continuum heterogeneum ſit entitas ſimplex non habens partes diſtinctas. Confutatur hæc quarta reſponſio.

Et hæc ſunt argumenta à priori ad probandum hanc concluſionem noſtram.

Ex alio verò capite à poſteriori, probari ſolet hæc eadem concluſio, deſtruendo naturam illam partium, quam ponunt aduerſarij primæ ſententiæ. Afferuntur aliæ rationes à poſteriori.

Probatur igitur quintò, Si partes in continuo eſſent actu diſtinctæ, ſequeretur quòd ſingulæ partes aſſignabiles in continuo, haberent omnes figuras poſſibiles partiales determinatè; hoc autem eſt abſurdum, vt ſenſu patet, quia non apparet niſi vna figura. Sequela Maioris probatur, quia ſi pars eſſet actu diſtincta, eſſet in ſe determinata, & conſequenter haberet figuram partialem, ſicut habet totum continuum figuram totalem; ſed non eſt maior ratio, cur pars ſignabilis diſtincta habeat hanc figuram & non aliam, ergo ſequeretur, quòd in quanto Quinta ratio.

quanto bipalmari quadrato, eſſent actu omnes figuræ poſſibiles; quod videtur abſurdum.

Quòd ſi dicas, hoc non eſſe abſurdum, quia ſunt omnes figuræ ſecundùm partes minores & minores, quod quidem tanquam in ſigno ex eo probari poteſt, quia ſi partes occultentur vel deſignentur ab intellectu, tunc apparebunt variæ figuræ ſecundùm variam occultationem & deſignationem, ergo ſignum eſt ibi præexiſtere varias figuras.

Sed contra hoc eſt, quia cùm partes deſignantur, iam per intellectum tollitur negatio vlterioris extenſionis; per quam negationem tota illa quantitas bipalmaris erat vna numericè, & terminata in ſuo eſſe; ac propterea non mirum eſt, quòd ſecundùm rationem appareant variæ figuræ; cùm verò partes occultantur, ideo tunc videt in quantitate palmari figuram rotundam; quia producuntur ſpecies ab illa parte tantùm, quæ apparet; at verò cum partes non occultantur, non apparet niſi vna figura totalis; ergo ſignum eſt, quòd ibi non ſunt actu illæ variæ figuræ, ſed tantùm in potentia.

31. Sexta ratio. Sextò, Si darentur partes in continuo, vel eſſent finitæ numero, vel infinitæ ſyncathegorematicè, vel infinitæ cathegorematicè; ſed nullo iſtorum modorum poſſunt dari; ergo, &c. Maior patet; Minor probatur; quia ſi eſſent finitæ, continuum non poſſet diuidi in infinitum; deueniretur igitur per diuiſionem ad indiuiſibilia; nec poſſunt eſſe infinitæ ſyncathegorematicè: nam infinitum ſyncathegorematicum ex Ariſtotele tex. 33. & 58. eſſentialiter includit potentialitatem in eo, in quo eſt infinitum; dicit enim eſſentialiter vlteriorem, & vlteriorem tendentiam ad infinitum, nunquam attingendo intrinſecè illud; & ideo vocatur ab Ariſtotele infinitum in potentia ſed ſi partes eſſent actu diſtinctæ, vt ſic, nullam dicerent potentialitatem ad diſtinctionem.

32. Vnde non valet, quod alij dicunt, quòd partes quamuis ſint actu diſtinctæ, ſunt tamen infinitæ ſyncathegorematicè; quia dicunt eſſentialiter potentialitatem ad diuiſionem; non, inquam, valet; nam in ratione actualis diſtinctionis, nullam includunt potentialitatem; ergo quantùm ad actualem diſtinctionem, non poſſunt eſſe infinitæ ſyncathegorematicè; quia quoad diſtinctionem, nullam dicunt potentialitatem, ſeu ſyncathegorema.

33. Quòd ſi dicas, quòd partes actu diſtinctæ adhuc ſunt finitæ in infinitum; quia non ſunt plures actu diſtinctæ, quàm ſunt in potentia diuiſibiles; ſed in potentia diuiſibiles, ſunt finitæ in infinitum, nunquam attingentes infinitum; ergo etiam vt actu diſtinctæ, ſunt finitæ in infinitum.

Contra hoc eſt, quia vel, vt dicunt aliqui, infinitum ſyncathegorematicum non diſtinguitur ab infinito cathegorematico, ex eo, quia ſyncathegorematicum non includat numerum infinitum; ſed ex eo, quia infinitum ſyncathegorematicum non eſt totum poſitum in actu; ſi igitur omnes partes diuiſibiles in potentia ſunt actu diſtinctæ, iam ſunt infinitæ cathegorematicè.

Vel ſi dicatur, vt alij dicunt, & meliùs, quòd infinitum cathegorematicum includit infinitum numerum; infinitum autem ſyncathegorematicum includat pauciores vnitates, quia non attingit numerum infinitum; ſicut à pari, ſi omnes creaturæ perfectiores, & perfectiores in infinitum, ponerentur actu; nulla daretur creatura infinitè perfecta; quia nulla, vt talis, cognoſcitur à Deo dabilis in potentia; Tunc dicendum eſt, quòd eſt diſpar ratio in exemplo allato; nam quamuis ſi darentur actu omnes creaturæ perfectiores, & perfectiores in infinitum; ſublata eſſet omnis potentia quoad exiſtentiam, non tamen ſublata eſſet omnis potentia quoad obiectum; quia ſemper remaneret cum tendentia ad vlteriorem, & vlteriorem perfectionem: At verò in caſu noſtro ſublata eſſet omnis potentia, & quoad exiſtentiam partium, & etiam quoad diſtinctionem; quare quoad diſtinctionem non vlteriùs procederetur: vnde ex hoc probabimus infrà dandas eſſe partes infinitè minimas; & præterea ſicut infinitum ſyncathegorematicum perfectiorum, & perfectiorum creaturarum, non poteſt dari actu, peculiari ratione: quia includeret potentiam ad vlteriorem & vlteriorem perfectionem: ita à pari etiam ſi partes ſint actu diſtinctæ, adhuc repugnaret illas dari infinitas ſyncathegorematicè, quia diceret potentialitatem ad minoritatem & minoritatem partium, quæ potentialitas repugnat cum actu exiſtentia, nam quod exiſtit eſt determinatum.

Quòd verò huiuſmodi partes non poſſint eſſe infinitæ cathegorematicè, probatur ex multis abſurdis, quæ inde ſequerentur. 34.

Primum abſurdum eſt, quia daretur aliqua pars infinitè minima, nam eſſet infinita diſtantia ſecundùm minoritatem inter vnam partem, & aliam: hoc autem repugnat, quia pars illa non eſſet diuiſibilis.

Quòd ſi dicas, non ſequi, ex infinito numero partium dari aliquas infinitè minimas: ſicut non ſequitur, quòd ſi darentur corpora vnum maius altero, quòd daretur corpus infinitè magnum: Contra hoc eſt, quia ſi corpora darentur infinita numero cathegorematicè, vnum maius altero, ita quòd poſterius excedat prius: ſequeretur quòd ſicut numerus eſt infinitus cathegorematicè: ita etiam maioritas eſſet infinita cathegorematicè, quia maioritas conſequeretur numerum.

Secundum abſurdum eſt, quia ſequeretur, quòd infinitus numerus partium lineæ ſiue magnitudinis, clauderetur duobus terminis, nimirum duobus punctis: nec valet, ſi dicas hoc prouenire ex eo, quia linea eſt finita: nam quamuis ſit finita quoad magnitudinem, eſſet tamen infinita, quoad numerum; repugnat autem numerum infinitum claudi duobus terminis extremis, ſicut repugnat dari infinitum numerum Angelorum per ordinem, qui clauderetur primo & vltimo Angelo. 35.

Quòd ſi dicas, illa puncta eſſe terminos extrinſecos partium diuiſibilium, & non facere numerum cum partibus diuiſibilibus: Contra hoc eſt, quia qui dant partes diſtinctas, dant etiam conſequenter puncta continuatiua infinita: quæ tamen infinita multitudo punctorum claudetur duobus punctis terminatiuis, quæ ſignari poſſunt in illa linea: Et confirmatur primò hoc abſurdum, quia data quacumque baſi, ſignari poſſunt infinitæ lineæ æquales actu diſtinctæ. Secundò confirmatur clariùs ex linea giratiua infinita, quæ conſtaret ex infinitis partibus actu diſtinctis, & æqualibus ſecundùm craſſitiem, quæ omnes clauderentur duobus punctis extremis.

Quòd verò detur hæc linea giratiua infinita clauſa duobus punctis probatur; nam ſi detur aliqua columna quæ ſit palmaris, craſſitiei & longitudinis octo palmorum, tunc in partibus infinitis proportionalibus illius columnæ actu diſtinctis, erunt infinitæ partes illius lineæ giratiuæ actu diſtinctæ; & quidem quòd ſint æquales probatur: quia omnes illæ partes lineæ giratiuæ ſunt palmares, quia circuunt craſſitiem palmarem columnæ.

Quòd

Quòd verò ſint infinitæ probatur; quia infinities circuunt & girant ipſam craſſitiem palmarem columnæ ſecundùm partes proportionales infinitas ipſius columnæ.

Quòd verò partes infinitæ palmares ipſius lineæ claudantur duobus punctis extremis, patet, quia incipiunt à primo puncto columnæ, & terminantur ad vltimum punctum eiuſdem; ſiue autem illa puncta ſint poſitiua, ſiue negatiua, parum refert, quia vtrumque repugnat infinito.

Quòd verò fiat vna linea continua ſecundùm longitudinem, ex omnibus illis partibus infinitis palmaribus girantibus columnam, probatur; quia omnes illæ partes conſtituunt lineam ad modum ſpiræ; quælibet enim palmaris pars lineæ, non redit ad idem punctum, vndè exiit, ſed ad punctum partis proximæ proportionalis columnæ.

Nec valet ſi dicas cum Suario diſp. 40. ſect. 5. nu. 48. quòd quia omnes illæ partes palmares infinitæ lineæ giratiuæ continentur modo quodam confuſo intra magnitudinem columnæ finitam octo palmorum, ideo non eſſe abſurdum, vt claudantur duobus punctis extremis; non valet, inquam, quia non obſtat quòd iſtæ infinitæ partes palmares æquales contineantur intra magnitudinem finitam columnæ; non enim continentur potentia, ſed actu, ſunt enim ſecundùm ipſum actu diſtinctæ; ponit enim in continuo partes diſtinctas actu; repugnat autem dari infinitum actu, ſecundùm partes æquales determinatas, clauſum duobus extremis.

Quòd ſi dicas, hoc argumentum eſſe etiam ſoluendũ in omnium opinione; nam ſiue partes dentur actu diſtinctæ, ſiue potentia; non poteſt linea infinita claudi duobus extremis; quare vel negandum eſt dari talem lineam infinitam, vel ſoluendum argumentum in omnium opinione: Reſpondetur argumentum militare ſolùm contra ponentes partes actu diſtinctas, quia quod eſt infinitum actu, implicat vt actu finiatur; at verò quod eſt infinitũ in potentia, non implicat vt actu finiatur, ſi illud infinitum contineatur intra finitam magnitudinem, vt eſt in caſu noſtro.

36. Ad hoc accedit tertium abſurdum, poſſe, ſcilicet, dari lineas æquales palmares infinitas, diſtinctas actu, vt probatur in illa linea giratiua.

37. Quartum abſurdum eſt, quia ſequeretur, continuum conſtare ex infinitis partibus æqualibus; hoc autem eſſe abſurdum ex eo patet; quia tunc illa quantitas quæ ſecundùm magnitudinem ſupponitur finita, eſſet infinitè extenſa; quod enim habet partes æquales infinitas, eſt infinitum; quia per additionem vnius partis æqualis ad aliam, tandem deuenitur ad infinitam magnitudinem.

Quòd verò hoc abſurdum ſequatur, ſi darentur partes actu infinitæ diſtinctæ, probatur; quia in aliquo continuo ſunt actu diſtinctæ duæ medietates æquales inter ſe; & in qualibet medietate ſunt etiam aliæ duæ partes æquales inter ſe; ſunt igitur quatuor partes determinatæ æquales inter ſe actu diſtinctæ; & in qualibet parte ex his quatuor partibus, ſunt aliæ duæ medietates æquales inter ſe, & ſic ſunt octo; & ſic in infinitum; ergo ſunt infinitæ partes æquales.

Quòd ſi dicas primò, illas partes non eſſe determinatas, ſed indeterminatas; ac propterea quamuis ſint æquales, non faciunt magnitudinem infinitè extenſam; Contra hoc eſt; quia ſi dantur partes actu diſtinctæ; neceſſariò ſunt determinatæ in ſe ipſis; quia ſunt hæ, & non aliæ.

Quòd ſi dicas, eſſe determinatas quoad indiuiduationem, & non quoad extenſionem; Contra hoc eſt; quia non poſſunt eſſe partes quantæ determinatæ, quoad indiuiduationem, & non quoad extenſionem; nam cùm partes quantæ ſiue aſſignabiles, ſiue inaſſignabiles proportionales ſint eſſentialiter extenſæ, non habent alium modum indiuiduationis, quàm per tantam extenſionem; Indiuiduum enim quantitatis non videtur poſſe eſſe aliud quam hoc quantum determinatum in ſe; ex alio autem capite iſtæ partes proportionales dici poſſunt indeterminatæ, quatenus non eſt aſſignabilis tam parua, quin ſit aſſignabilis alia minor, & minor in infinitum; hoc autem non obſtat, quin quælibet pars actu diſtincta, ſit in ſe determinatæ extenſionis, quamuis poſſit aſſignari alia minor illa.

38. Quòd ſi dicas ſecundò, ſequi tantùm ex argumento dari infinitos numeros, ſeu collectiones partium finitarum æqualium; ita vt vna collectio excedat alteram, nimirum, quia vna eſt duarum partium æqualium, alia quatuor, alia octo, &c. nullam tamen dari collectionẽ infinitarum partium æqualium; ac propterea non ſequitur dari magnitudinem infinitam; quod patet exemplo, quia quamuis Deus poſſit facere vnum motum velocem, vt duo, alterum vt quatuor, alterum vt octo; non propterea ſequitur Deum poſſe facere vnum motum infinitè velocem; Contra hoc eſt; quia exceſſus in numero partium ſingularum collectionum, eſt iuxta numerum collectionum; ſi ergo numerus collectionum eſt infinitus, ſequitur neceſſariò, quòd in aliqua collectione reſultabit infinita multitudo partium æqualium; Nec exemplum allatum ab aduerſariis de motu velociori & velociori militat contra nos; nam ſi darentur vel eſſent poſſibiles motus infiniti numero cathegorematicè, quorum vnus excederet alium in velocitate vt vnum; tunc ſequeretur etiam neceſſariò, quòd eſſet dabilis aliquis motus infinitè velox; quia ſicut numerus poſterior excedit numerum priorẽ; ita velocitas poſterior velocitatẽ priorem; ſi igitur deuenietur ad numerũ infinitum, deuenietur etiam ad velocitatem infinitam; Quòd ſi velocitas nõ erit infinita cathegorematicè, ſed ſyncathegorematicè, ita vt nũquam attingatur, ſeu perueniatur ad infinitum; ſignũ eſt quòd nec numerus erat infinitus cathegorematicè, ſed ſyncathegorematicè; Quòd verò Deus poſſit facere motum velocem vt vnum, & vt duo, & vt quatuor, & ſic in infinitum; nunquam tamen infinitè velocem; hoc arguit quòd in tota latitudine motuum non ſit dabilis aliquis infinitè velox; & cõſequenter, quòd nec numerus motuum, quorùm vnus excedit alterũ in velocitate, ſit infinitus cathegorematicè; ſi enim eſſet dabilis talis motus, poſſet à Deo produci; at in caſu noſtro datur à parte rei infinitus numerus collectionum, & collectio poſterior à parte rei, excedit priorem in numero partium æqualium; ergo bene ſequitur, quòd in aliqua collectione ſit infinita multitudo partium æqualium.

39. Circa autem hanc noſtram ſententiam ſic explicatam & probatam occurrunt duo quæſita.

Primũ quæſitum circa hanc noſtrã ſententiam, An partes fiãt actu diſtinctæ ex eo, quia afficiuntur variis accidentibus.

Primò quæres, vtrùm partes quãtitatis fiant actu diſtinctæ per ſolam ſignationẽ extrinſecam à parte rei, vt cùm v.g. afficiuntur accidẽtibus diuerſæ ſpeciei; Reſpõdetur, aliqui tenent quòd ſic; exiſtimant enim eſſe impoſſibile, quòd eadem pars ſubiecti; poſſit eodem tempore ſuſcipere duo contraria intenſa; ſi igitur calor ſummè intenſus ſit in entitate quantitatis (A) in quam poteſt diuidi continuum;

& frigus ſummè intenſum ſit in entitate quantitatis (B) in quam poteſt diuidi illud continuum; iam illæ duæ entitates non poſſunt eſſe vna & eadem entitas, quia idem non eſt ſimul ſuſceptiuum duorum contrariorum; imò aliqui addunt, quòd non ſolùm per deſignationem extrinſecam à parte rei; ſed per ſolam deſignationem intellectus fiant partes actu diſtinctæ à parte rei.

Sed dicendum eſt, quòd nec per deſignationem intellectus, nec per aliquam deſignationem extrinſecam à parte rei fiant partes continui actu diſtinctæ; & quidem quòd per ſolam deſignationem intellectus non fiant actu diſtinctæ, probatur, quia per opus intellectus nihil producitur ad extra; remanet igitur entitas continui à parte rei poſt deſignationem intellectus immutata, vt erat priùs; Quare ad ſummum deſignatio intellectus facit partes diſtinctas ſecundùm rationem; ſeu per denominationem quandam extrinſecam.

Quòd verò neque per deſignationem extrinſecam à parte rei, fiant partes actu diſtinctæ, probatur; quia facta hac deſignatione extrinſeca per poſitionem diuerſorum accidentium; adhuc entitates illæ affectæ diuerſis accidentibus, dicunt negationem vlterioris extenſionis; Sed iam probatum eſt per negationem vlterioris extenſionis, tanquam quaſi per rationem formalem, totum continuum homogeneum eſſe vnum numericè; ergo per deſignationem extrinſecam diuerſorum accidentium, non tollitur ratio formalis vnitatis ſeu identitatis; Probatur conſequentia; quia remanebunt adhuc illæ partes ſeu entitates affectæ diuerſis accidentibus indiſtinctæ intrinſecè, & quantitatiuè; & ſolùm extrinſecè erunt diſtinctæ per accidentia ſuperaddita. Nec obſtat ratio paulò ſuperiùs allata in oppoſitum, reſpondetur enim, quòd partes continui non habent identificationem illam, quæ ſtat cum indiuiſibilitate quam habent attributa Diuina identificata cum natura Diuina; ſed identificationem illam, quæ eſt ſolùm per negationem vlterioris extenſionis, quæ ſtat cum potentialitate ad diuiſionem; Et ideo non mirum eſt ſi entitas (A) in quam poteſt diuidi continuum, ſit ſuſceptiua ſummi caloris; & entitas (B) in quam poteſt diuidi idem continuũ, ſit ſuſceptiua ſummi frigoris; quia verè in vno & eodem continuo ſunt actu iſtæ entitates actuales ſeparabiles, in quas poteſt diuidi continuũ, non ſunt autem actu diſtinctæ, quia diſtinctio in iſtis partibus prouenit ſolùm ex diuiſione, quia cùm ſunt diuiſæ, non vlteriùs extenduntur, & ſic amittunt vnitatem; ſicut igitur diuiſæ illæ partes poſſunt ſuſcipere contraria; ita & vnitæ, vt fuſiùs explicabitur in ſolutione argumentorum.

40. Quæres ſecundò, quid ſenſerit Ariſtoteles circa diſtinctionem partium; Reſpondetur Ariſtotelem variis in locis variè fuiſſe locutum, & quidem 1. phyſ. tex. 17. dicit expreſsè, partes continui non eſſe idem realiter inter ſe; & probat, quia alioquin continuum foret indiuiſibile; exiſtimat igitur Ariſtoteles, quòd illud eſt diuiſibile, quod habet partes realiter inter ſe diſtinctas; & idem videntur dicere Simplicius, & Themiſtius in hunc locum; Et confirmatur, quia Ariſtoteles vbique probat diſtinctionem duarum entitatum, ex ſeparabilitate ſaltem vnius ab alia; Præterea ſecundò Ariſtoteles loco citato & alibi, vocat ea quæ inſunt in continuo, partes continui; non poteſt autem intelligi de partibus in potentia; quia Ariſtoteles 5. metaph. diffiniens continuum, dicit eſſe illud quod eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt; quorum vnumquodque eſt hoc aliquid; ergo entitates quæ verè inſunt in toto continuo, non ſunt partes in potentia; nam in potentia ſunt potiùs totum actuale, ſiue hoc aliquid: ergo ſunt; actu partes dum inſunt, & quando non inſunt, ſed ſunt diuiſæ, tunc ſunt potiùs in potentia partes.

Secundum quæſitũ quid ſenſerit Ariſtot. de diſt. partium.
Ariſtot.

41. Mihi tamen videtur Ariſtotelem magis inclinare in noſtram ſententiam; partes, ſcilicet, non eſſe actu diſtinctas; quod probatur expendendo aliqua loca Ariſtotelis; Pro quo nota, quòd Ariſtoteles negat continuum eſſe vnam entitatem indiuiſibilem eo modo, quo ſunt vnum attributa diuina & natura, quia continuum eſt entitas diuiſibilis, eſſe tamen vnam per negationem vlterioris extenſionis.

Hoc ſuppoſito primus locus eſt 5. met. tex. 11. vbi explicans vnitatem continui, dicit eam eſſe, quatenus partes non ſubſunt diuiſioni, ſeu non vlteriùs extenduntur.

Secundus locus eſt in 8. phyſ. tex. 68. vbi Ariſtoteles ponit huiuſmodi argumentum Zenonis contra motum; Partes ſpatij, inquit Zeno, per quod fit motus, ſunt infinitæ; ſed infinitum non poteſt pertranſiri tempore finito; ergo mobile non poteſt moueri per ſpatium quod habet partes infinitas; Reſpondet Ariſtoteles, infinitas partes ſpatij determinatæ extenſionis, & æquales vni certæ, non poſſe pertranſiri finito tempore; at verò infinitas partes ſpatij indeterminatæ extenſionis, & minores quacunque parte determinata poſſe pertranſiri infinito tempore; quod quidem tempus etiam conſtat ex infinitis partibus indeterminatæ extenſionis, & minoribus quacunque parte determinata; & quidem quamuis hæc ſolutio erat ſufficiens ad argumẽtum Zenonis; vt idem Ariſtoteles dicit 8. phyſ. tex. 68. tamen ibidem dicit non eſſe ſimpliciter ſufficientem; nam poſſet quis quærere, quomodo partes infinitæ temporis poſſunt pertranſire?

Ad quam interrogationẽ reſpondet Ariſtoteles, partes illas non eſſe actu, ſed in potentia; quòd ſi omnes partes eſſent actu diſtinctæ, nunquam inciperet & abſolueretur motus; quia vbi ſignatur pars, ſiſtit motus; ſed ſecundùm aduerſarios omnes ſunt ſignatæ à parte rei per actualem diſtinctionem; ergo vbicunque ſiſtet motus; & hic quidem locus eſt ita clarus, vt communiter interpretes in hoc loco dicant cum Ariſtotele partes non eſſe actu diſtinctas; Ita Auerroës, Themiſtius, Simplicius, S. Thomas, Ægidius, & alij.

The. Simpl. Auer. S. Th. Ægid.

42. Ad hunc locum reſpondent Aduerſarij; Ariſtotelem non intelligere quòd partes ſint in potentia partes; hoc enim eſt falſum; cùm enim diuiduntur, iam non ſunt partes, ſed totum; ſed dicit eſſe in potentia hoc aliquid actuale, quod eſt totum, vt dictum eſt ſuprà; Sed hæc reſponſio non eſt ad propoſitum Ariſtotelis: nam Ariſtoteles in illo loco apertè demonſtrat, quòd quia partes non ſunt actu diſtinctæ, ideo poteſt fieri motus contra Zenonem; nam ſi eſſent actu diſtinctæ, curreret argumentum Zenonis: ſicut enim ſi omnes per impoſſibile eſſent diuiſæ, non poſſet pertrãſiri continuum; ita ſi eſſent omnes actu diſtinctæ, quia omnes quotquot forent diuiſæ, ſunt iam actu diſtinctæ.

Illud autem (in potentia) intelligit Ariſtoteles fundamentaliter, quatenus eſt fundamentum, vt intellectus concipiat partes; Vel illud (in potentia) explicatur eodem modo quo ſe ipſum explicat Ariſtoteles de ſenſu & ſenſili cap. 6. vbi inquit, quòd pedalis ineſt potentia in bipedali iam actu

Ariſtot.

Digitized by Google

actu diuiſo, quia poteſt inexiſtere in bipedali.

Secundùm igitur Ariſtotelem tunc eſt pars actu diſtincta, quando eſt actu diuiſa à toto: & quamuis tunc ſit totum, & hoc aliquid: poteſt tamen diuiſa,dici aliquo modo pars reſpectu eius in quo poteſt inexiſtere.

Pro quo nota quòd duo requiruntur ad rationem partis; Primum, quòd inexiſtat; ſecundum, quòd ſit diſtincta actu; Secundum habet actu, primum verò habet in potentia, ac propterea dicitur pars in potentia;quamuis enim habeat actu primum requiſitum;non tamen habet ſecundum, quia non eſt actu diſtincta.

Quòd ſi dicas, Si hoc modo intelligeretur reſponſio Ariſtotelis ad ſuam interrogationem, illa B reſponſio non eſſet bona, nec ſatisfaceret interrogationi:nam etiam ſi partes temporis,vel magnitudinis eſſent actu diſtinctæ, adhuc poſſent pertranſiri;ſi enim tantùm eſſent quatuor partes temporis, aut magnitudinis diſtinctæ, illæ ita pertranſirentur ſi eſſent contiguæ, ac ſi eſſent continuæ; E contra verò ſi magnitudo aut tempus haberet partes infinitas extenſas, & æquales vni determinatæ; etiam ſi tales partes non eſſent actu diſtinctæ, non poſſent pertranſiri; ergo diſtinctio vel identitas nihil facit ad hoc vt partes temporis, vel magnitudinis pertranſeantur, vel non pertranſeantur.

Reſpondetur, quicquid ſit, an Ariſtoteles bene C ſoluerit argumentum, ſiue reſponderit ad ſuam interrogationem; tamen ex illo loco ſatis clarè deducitur mens Ariſtotelis, de qua modò eſt quæſtio; quòd, ſcilicet, partes in continuo non ſint actu diſtinctæ.

Secundò reſpondetur,Ariſtotelem bene reſpondiſſe ad ſuam interrogationem, ſuppoſito quòd partes non ſunt actu diſtinctæ; nam ſolutio Ariſtotelis in hoc conſiſtit, ſi omnes partes continui, inquit, eſſent diuiſæ, non poſſent pertranſiri; quia ſi eſſent diuiſæ, eſſent determinatæ extenſionis; non enim poteſt intelligi quòd aliqua pars extenſa ſit ſeparata ab omnibus aliis, & non ſit determinate tanta; Quòd ſi omnes ſunt determinatæ extenſio- D nis, facerent infinitam magnitudinem ſimpliciter, quare non poſſent pertranſiri, ſed omnes partes quæ forent actu diuiſæ; ſunt iam actu diſtinctæ; ergo eodem modo ſunt determinatæ in ſeipſis; ergo ſicut diuiſæ facerent magnitudinem infinitam; ita etiam facerent actu diſtinctæ, & conſequenter non poſſent pertranſiri.

43. Eſt tertius locus, qui magis confirmat præcedentem, in 9.metaphyſ. text. 49. vbi dicit duplum conſtare ex duobus dimidiis potentia; actus namque ſeparat.

Ariſtot. Quartus locus eſt 5.met. text. 24. vbi ait,ita eſſe medietatem in linea; ſicut Mercurius eſt in lapide impolito; ſed Mercurius,quoad terminationem fi- E guræ, non eſt actu in lapide impolito, quamuis ſit ſecundùm entitatem; ita nec medietas eſt in linea ſecundùm terminationem; diſtinctio enim finem, & terminationem dicit; quamuis inexiſtat in linea ſecundùm actualem entitatem;& idem dicit 5.met. text. 31. vbi ait, totum continuum conſtare partibus inexiſtentibus, maximè autem potentia,

Alexander. non actu; & ita interpretatur hunc locum Alexander.

Ad locum autem ex 1.phyſ.allatũ in oppoſitum, vbi dicit partes continui non eſſe idem realiter inter ſe;Reſpondetur, quòd Ariſtot.negat à partibus

A illam identitatem intrinſecam, quæ includit indiuiſibilitatem, qualis eſt inter attributa diuina & naturam; ſeu inter gradus Metaphyſicos, & naturam creatam;non autem negat illam identificationem quæ eſt inter homogenea; quæ identificatio neceſſariò includit diuiſibilitatem; homogeneum enim, cuiuſmodi eſt continuum, neceſſariò & eſſentialiter includit plura; Quòd autem priorem Ariſtot. entitatem ex illo loco negauerit Ariſtoteles, ſatis ibidem ſe ipſum explicat; reddit enim rationem, quare partes non ſint idem realiter; quia alioquin, inquit, continuum foret indiuiſibile; Sed de hac re mox fuſiùs in ſolutione argumentorum.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ

contra noſtram vnicam concluſionem.

44. Fundamentum de duplici genere identificationis pro ſolutione omnium argumentorũ oppoſitæ ſententię admittentis diſtinctionẽ partium.

PRo ſolutione argumentorum primæ ſententiæ, ponendum eſt vnum fundamentum,quod ex dictis colligitur; duplex, ſcilicet, eſſe genus identificationis ſeu identitatis;Primum eſt cùm duæ res ita identificantur ad inuicem; vt indiuiſibiliter, & intrinſecè identificentur; quod tunc eſt potiſſimùm, cùm illæ duæ res, vniuoca, & indiuiſibili exiſtentia exiſtunt;ita vt fiat vna entitas ſimplex indiuiſibilis, & indiſtinguibilis à parte rei; ac propterea potiùs dicetur vnum per vnitatem, quàm per vnionem; hoc modo identificatur hæcceitas cum natura, & alij gradus Metaphyſici,ita etiam attributa cum natura diuina.

Secundum genus identificationis eſt, cùm duæ entitates identificantur realiter ad inuicem extrinſecè per negationem tantùm termini; quare ſola poſitione talis termini,fit diſtincta realitas; huiuſmodi autem ſunt homogenea, in quibus non poteſt nec inaſſignabiliter dari vnum, quin includat multas entitates, vt patet in extenſione quantitatis,& in intenſione qualitatis; & etiam in ſubſtantiali partibilitate materiæ; cùm eſt aliqua portio materiæ redacta ad punctum;quare huiuſmodi entitates,ſeu hæcceitates non dicuntur vnum;niſi per negationem termini, quatenus ita in ſuo eſſe terminantur;vt non vlteriùs extendantur;Vnum enim completum in homogeneis,inquit Ariſt. 5. met.tex. Ariſtot. 11.fit per actualem negationem vlterioris extenſionis; Cùm enim in huiuſmodi homogeneis ſit omnimoda ſimilitudo, nec poſſit dari vna entitas, quin includat plures alias homogeneas; fit vt non poſſit habere negationem intrinſecam, per quam vna entitas intrinſecè terminetur, & differat ab alia;ſed ſit vna quantitas, quatenus dicit negationem vlterioris extenſionis; quando igitur vnitur alteri quantitati, ſicut amittit negationem vlterioris extenſionis; ita etiam amittit numericam extenſionem; Quare ad numericam diſtinctionem entitatum non ſufficit entitas, & hæcceitas actualis & realis; ſed etiam requiritur negatio termini ſeu vlterioris extenſionis, per quam entitas, vel hæcceitas ita in ſuo eſſe homogeneo terminetur, vt vlteriùs ſe non extendat; & ideo huiuſmodi homogenea dicentur vnum numericè per vnionem potiùs,quàm per vnitatem.

Quòd ſi quæras, an ſaltem poſſet dici,quòd huiuſmodi

iuſmodi homogenea ſint diſtincta realiter, quatenus non habent identificationem primi generis, Reſpondetur quòd non, quia non ſunt capacia identificationis primi generis, vt patet ex dictis.

46. Differentiæ inter primũ & ſecũdum genus identificationis. Prima.

Ex hoc autem fundamento oriuntur multæ differentiæ inter hæc duo genera identificationis, ſeu identitatis.

Prima eſt, quòd identificata primi generis ſunt vna entitas indiuiſibilis, & indiſtinguibilis: at verò identificata ſecundi generis, cuiuſmodi ſunt entitates vnius quantitatis: quamuis non dicant à parte rei actualem diſtinctionem, ac propterea dici poteſt vna entitas ſimplex: dicunt tamen potentialem: quia cùm per negationem tantùm termini ſeu vlterioris extenſionis fiat vna entitas: ſequitur quòd ſola poſitione illius termini fiant illæ entitates diſtinctæ, & diuiſæ: quare totum continuum eſt vna realis entitas in plures entitates diuiſibilis ſeu diſtinguibilis.

47. Secũda differentia.

Secunda differentia, quòd identificata primi generis vnum non eſt extra locum alterius; quia vna & eadem entitas indiuiſibilis non poteſt à ſe ipſa diſtare; at verò in identificatis ſecundi generis vna entitas, in quam poteſt diuidi continuum, eſt extra locum alterius entitatis, in quam poteſt diuidi eadem entitas continua; quia eſt vna entitas per negationem vlterioris extenſionis, cum qua poteſt ſtare diſtantia, ſeu diuiſio potentialis entitatum: ita vt ſublata negatione vlterioris extenſionis, nihil deperdatur entitatis, ac ſi non fuiſſet ſublata vnitas, ſeu identitas partium; patet igitur has entitates actuales, quæ verè ſunt in continuo, eſſe diuiſibiles; Dicuntur autem eſſe vna entitas, quia dicunt negationem vlterioris extenſionis, per quam quantitas, vt dictum eſt, fit vna numericè; & hinc etiam fit, vt poſſint illæ duæ entitates habere diuerſas figuras.

48. Tertia differentia.

Tertia differentia eſt, quòd identificata primi generis non poſſunt ſuſcipere contraria ſaltem in gradibus intenſis, nam cùm ſit vna entitas ſimplex, non poſſunt in eadem entitate ſubiectari duo contraria ſaltem intenſa; at verò identificata ſecundi generis, poſſunt recipere duo contraria etiam intenſa; quia cùm ſit vna entitas diuiſibilis in plures entitates, ſunt duo ſubiecta, in quæ poteſt diuidi continuum; & cùm per diuiſionem nihil diſperdatur vel acquiratur actualis entitatis; fit vt ſicut diuiſa poſſunt recipere duo contraria intenſa, ita etiam vnita: quia per vnionem non tollitur aliquid actualis entitatis, ſed tantùm tollitur negatio vlterioris extenſionis.

Aliqui verò dicunt, quòd quando entitates continui ſuſcipiunt huiuſmodi contraria, iam ſignantur, & fiunt actu diſtinctæ. Sed hæc reſponſio ſuprà confutata eſt: quia huiuſmodi accidentia ſunt valdè extrinſeca ad indiuiduationem numericam quantitatis; quare cùm adhuc etiam poſitis huiuſmodi accidentibus illa quantitas terminetur per negationem vlterioris extenſionis; erit adhuc vna numero per propriam indiuiduationem, quæ poteſt contingere in homogeneis.

49. Quarta differentia.

Quarta differentia eſt, quòd in his, quæ ſunt identificata primi generis, non poteſt vna entitas quieſcere, & alia moueri; nam cùm ſit vna, & eadem entitas indiuiſibilis; non poteſt à ſe ipſa recedere; at verò in his, quæ ſunt identificata ſecundi generis, cuiuſmodi eſt entitas continua; poteſt, vt patet, in virga flexibili, vna pars, in quam poteſt diuidi illa virga continua, moueri, & altera quieſcere;

A quia, vt dictum eſt, eſt vna entitas diuiſibilis in plures entitates.

50. Quinta differentia.

Quinta differentia eſt, quòd in his quæ ſunt identificata primi generis, non poteſt vnum produci, ac corrumpi, non producto ac corrupto altero; quia eſt vna entitas ſimplex indiuiſibilis; at verò in his, quæ ſunt identificata ſecundi generis, poteſt vna entitas, in quam poteſt diuidi continuum, corrumpi, non corrupta altera; quia entitates, in quas poteſt diuidi continuum, eſt vna entitas diuiſibilis in plures; cùm igitur illa entitas, in quam diuiditur, verè ſit actualiter in continuo, ante diuiſionem; poteſt illa corrumpi, non corrupta altera.

51. Sexta differentia.

Sexta differentia eſt, quod in his, quæ ſunt identificata primi generis; vnum non poteſt eſſe cauſa B efficiens alterius, quia efficientia requirit neceſſariò diſtinctionem; cùm igitur ſit vna ſimplex entitas indiuiſibilis, & indiſtinguibilis; non poteſt ſe ipſam producere; At verò identificata ſecundi generis, vt ſunt entitates, in quas poteſt diuidi continuum, quia actualiter ſunt in continuo, poteſt vna entitas, in quam poteſt diuidi continuum, eſſe cauſa efficiens alterius entitatis; non ſolùm in fieri, vt cùm ſucceſſiuè producitur ignis, in hoc enim non eſt difficultas: quia in fieri illæ partes ſubſtantiales ſunt adhuc diſſimiles, & retinent negationem intrinſecam; ſed etiam in conſeruari, quando ſunt iam aſſimilatæ, vt patet in aëre illuminato; in quo pars remotior illuminata dependet non ſolùm à luminoſo; ſed etiam à propinquiore parte illuminata. C Et ratio eſt, quia cùm ſit vna entitas diuiſibilis, & diſtinguibilis in plures, & per diuiſionem nihil addatur entitatis actualis; fit vt vna entitas, in quam poteſt diuidi ille aër illuminatus, poſſit influere in aliam entitatem aëris, in quam poteſt diuidi idem aër continuus; ſicut enim hoc non repugnat in aëre contiguo; ita nec in continuo; quia ſolùm differunt negatione termini, & non actualitate entitatis.

Sunt & aliæ differentiæ quas omitto; quia ſimiles ſunt prædictis; & eadem eſt ratio in omnibus.

52. Reſponſio ad argumenta deducitur ex fundamento poſito.

Ad argumenta igitur poſita in prima ſententia, & ad ſimilia quæ fieri poſſunt, patet reſponſio ex D fundamento poſito, breuiſſimè autem diſcutiendum eſt per ſingula.

Ad primum.

Ad primum dicitur quòd illa Maior, quòd, ſcilicet, quæcunque actu inter ſe realiter identificantur, nunquam poteſt contingere, vt ſint realiter diſtincta inter ſe, vera eſt de identificatione, ſeu identitate duarum rerum primi generis; quia ſunt vna intrinſeca, & indiuiſibilis, & indiſtinguibilis entitas; ac propterea non poteſt contingere, vt non ſemper ſit actu eadem numero entitas; idem enim dum non corrumpitur, ſemper manet idem: at verò non verificatur illa Maior in his, quæ ſunt identificata ſecundi generis, vt ſunt homogenea quanta; quia hæc identificantur ſaltem per negationem vlterioris extenſionis, ſtante actualitate E reali entitatis partium.

53. Ad ſecundum.

Ad ſecundum concedo Antecedenti, negatur Conſequentia; & ratio negationis eſt, quia cùm duæ partes quantitatis ſunt diuiſæ, iam abſoluta eſt ratio completa indiuiduationis, quæ erat negatio vlterioris extenſionis; cùm verò vniuntur, quamuis maneat actualitas realis partium, non eſt actualis diſtinctio; quia illæ partes iam indiuiduantur completè quatenus in ſuo eſſe terminantur per negationem vlterioris extenſionis.

54. Ad tertium.

Ad tertium, procederet argumentum, ſi partes continui

continui eſſent identificatæ, identificatione primi generis; quia eadem entitas ſimplex indiuiſibilis non poteſt eſſe maior & minor; at verò partes in quas poteſt diuidi continuum, quia identificantur identitate ſecundi generis, quæ ſecum compatitur diuiſibilitatem, poteſt, imò neceſſe eſt, vt pars, in quam poteſt diuidi continuum, ſit minor, quàm totum; quia ſicut in contiguis vna pars eſt minor, quàm totum contiguum; ita in continuo, quia per diuiſionem nihil additur, aut detrahitur entitatis partium; ſed tantùm tollitur negatio vlterioris extenſionis, per quam partes homogeneæ quantitatis fiunt vnum; quia cùm ſint homogenea partibilia, ſtatim ac vlteriùs non extenduntur, accipiunt terminationem, per negationem vlterioris extenſionis; & per illam, vt dictum eſt, fiunt vnum indiuiduum numericè quantitatiuum.

55. Ad quartū. Ad quartum reſpondetur, illud abſurdum futurum, ſi partes quantitatis identificarentur identitate primi generis; at verò quia partes, in quas poteſt diuidi continuum, ſolùm identificantur per negationem vlterioris extenſionis, nihil prohibet, quòd quantitas palmaris (A) in loco (A), ſit diſtincta à quacumque alia, quia, vt eſt in loco (A), non dicit vnionem cum alia; at verò in loco (B) quia eſt replicata per diuinam potentiam, & vnita cum alia quantitate palmari (B), fit vt ſit identificata cum illa alia quantitate (B), recipit enim vnitatem numericam cum illa quantitate per vnionem; ac propterea non mirum eſt, ſi quantitas palmaris (A), vt eſt in loco (A) diſtinguatur à ſeipſa replicata in loco (B) vbi eſt vnita, & identificata per diuinam potentiam cum alia quantitate (B), eſt autem illa quantitas (B) diſtincta à quantitate (A), quia propter quantitatem (A) continet aliam quantitatem (B) ita vt ex quantitate palmari (A) & quantitate palmari (B) fiat vna quantitas bipalmaris.

56. Ad quintū. Ad quintum reſpondetur; quòd identificata ſecundi generis fiunt vnum indiuidualiter, per vnionem, vnio autem tunc non tollit actualem diſtinctionem, quando illa, quæ vniuntur, non ſunt homogenea, vt eſt materia, & forma; quæ ſunt partes diſſimiles; quando verò ſunt homogenea, vt ſunt duæ partes, in quas poteſt diuidi continuum, quia tunc quodlibet homogeneum etiam inaſſignabiliter includit plures entitates, in quas poteſt diuidi continuum, fit vt non accipiat terminationem in ſuo eſſe, niſi per vnionem; atque adeò tunc fit vnum indiuiduum completum quantitatiuum.

57. Ad ſextum. Ad ſextum reſpondetur; quòd entitas palmi, qui deſignatur per intellectum in Polo Arctico, eſt idem realiter identitate ſecundi generis cum entitate palmi, qui deſignatur per intellectum in Polo Antarctico; quia entitas palmi in Polo Arctico ſe extendit à parte rei vſque ad entitatem palmi in Polo Antarctico; atque adeò fit vna entitas ſimplex diuiſibilis in plures; & eſt tantùm diſtinctio per intellectum deſignātem palmum, & palmum; cùm re vera à parte rei non ſit diſtinctio actualis.

58. Ad ſeptimū. Ad ſeptimum, Diuerſa eſt ratio in indiuiduis diuerſæ ſpeciei, & in indiuiduis eiuſdem ſpeciei; nam indiuidua differentia ſpecie habēt cōpletam indiuiduationē, per negationem intrinſecam, at verò indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſi ſint ſpiritualia, ſe ipſis indiuiduantur, vt duo Angeli, ſeu duæ animæ; Si verò ſint homogenea partibilia, vt eſt continuum, fiunt vnum completum per negationem vlterioris extenſionis; quia vt dictum eſt, non poteſt indiuiduari, & terminari per negationem intrinſecam,

A quia ſunt homogenea; nec ſe ipſis, quatenus vnum eſt indiſtinctum, & diuiſum à quocunque alio, vt ſunt duo Angeli eiuſdem ſpeciei; quia in ipſis homogeneis non datur vnum, quia quæcumque homogenea diuidi poſſunt in plures entitates homogeneas, debet ergo terminari ſeu completè indiuiduari per negationem vlterioris extenſionis; vnde fit vt duo indiuidua homogenea diuiſa, ſint diſtincta numero, vnita verò, ſint vna entitas numerica, quia cùm ſunt diuiſa, habent actualem negationem vlterioris extenſionis; cùm ſunt vnita, non item.

Ad octauum reſpondetur, quòd totum dupliciter accipitur: Primò, ſine relatione ad partes: & hoc modo tantum dicit integritatem rei, & idem B eſt quod perfectum: & hoc modo quælibet res etiam ſimpliciſſima poteſt dici totum. Secundo modo dicitur relatiuè ad partes, ex quibus componitur ipſum totum: & hoc modo totum illud eſt, quod verè à parte rei eſt compoſitum ex partibus diſtinctis: eſt enim compoſitio realis vnio extremorum realiter diſtinctorum: Si primo modo accipiatur totum, dicendum eſt, quòd continuum eſt totum, etiamſi actu non habeat partes diſtinctas componentes: Secundò verò modo non poteſt dici totum, niſi ſecundùm rationem: quia ſecundùm rationem deſignantur partes, quaſi componentes. 59. Ad octauū.

Petes, an ſicut non poteſt dici continuum eſſe C totum à parte rei, quia à parte rei non habet partes diſtinctas: ita etiam debet negari quod non ſit conſtitutum à parte rei; Reſpondetur, optimè poſſe dici continuum eſſe conſtitutum à parte rei, quamuis non ſit compoſitum; nam ad conſtitutionem non requiritur diſtinctio partium, ſicut requiritur ad compoſitionem, ſed ſufficit actualis entitas partium; Verè enim in Diuinis dicitur à Scholaſticis Pater conſtitutus à parte rei ex paternitate & eſſentia Diuina; vt patet ex Concilio Florentino ſeſſione XIX. vbi dicitur Diuinam perſonam conſtare ex ſubſiſtentia & proprietate, & tamen in Patre paternitas non diſtinguitur à parte rei ab eſſentia.

Ad nonum reſpondetur, ſeparabilitatem eſſe D quidem euidens ſignum diſtinctionis realis; quando eſt quæſtio de identitate primi generis; quia enim poteſt ſtare multiplicitas conceptuum cum ſimplicitate, & identitate à parte rei; ideo ad cognoſcendum diſtinctionem à parte rei optimum ſignum datur ſeparabilitas; at verò in homogeneis, cuiuſmodi eſt continuum, ſeparabilitas non eſt ſignum diſtinctionis; quia habent identificationem ſecundi generis: quæ identificatio cùm ſit per negationem tantùm vlterioris extenſionis; admittit ſeparabilitatem, ſeu diuiſionem potentialem illarum entitatum, quæ vniuntur ad inuicem. 60. Ad nonum

Ad decimum reſpondetur, quòd illa ſigna diſtinctionis realis, ſunt ad oſtendendum, duas res non E eſſe identificatas identitate primi generis; non autem identitate ſecundi generis; vt fuſiùs oſtendimus ſuprà initio ſolutionis argumentorum. 61. Ad decimū.

Ad vndecimum reſpondent aliqui; quòd, cum dicitur entitas, & entitas, iam aſſignatur; Sed hæc reſponſio nulla eſt; nam cùm verè ſint actuales entitates in continuo, poteſt ſine diſtinctione actuali dari ſeu aſſignari entitas (A); in quam poteſt diuidi continuum & entitas (B) in quam poteſt diuidi idem continuum, imò vna eſt extra aliam in ipſo continuo. 62. Ad vndecimum.

Secundò reſpondent alij, quòd entitas non eſt extra entitatem; ſed potiùs eſt vna entitas extendibilis; Sed neque hoc placet; non enim multùm cu-

tandum eſt,ſi concedatur quòd entitas (A) in quam poteſt diuidi continuum, ſit extra entitatem (B) in quam poteſt diuidi idem continuum; nam verè in continuo ſunt iſtæ entitates actuales; & vna eſt extra aliam in ordine ad totum,quod ex eo probatur, quia vna entitas eſt extra aliam in ordine ad locum; negatur tamen conſequentia,quòd non identificentur identificatione ſecundi generis.

Et cùm inſtatur,quia nihil eſt extra ſeipſum; reſpondetur, hoc verum eſſe de identitate primi generis;nòn autem de identitate ſecundi generis, cuiuſmodi eſt continuum;quia hæc ſolùm eſt per negationem vlterioris extenſionis; hæc autem poteſt ſtare cum extreitate entitatum; quia quamuis vna ſit extra aliam, ſunt tamen vnitæ;& hæc vnio, vt probatum eſt ſuprà, ſufficit ad identificationem ſecundi generis;eſt enim per negationem tantùm vlterioris extenſionis; quatenus ita partes in ſuo eſſe terminantur, vt vlteriùs non extendantur: cùm enim non poſſit dari vnum continuum etiam inaſſignabiliter, quin includat in ſua entitate plures entitates, in quas poteſt diuidi,fit vt non poſſit habere aliam terminationem in ſuo eſſe, quàm per negationem vlterioris extenſionis, vt ſæpius dictum eſt.

63. Ad duodecimum. Ad duodecimum reſpondent aliqui,quòd in ſucceſſiua ignitione ſtuppæ,pars, quæ ignit, eſt diſtincta à parte, quæ ignitur: quia pars, quæ ignitur, dum eſt in fieri, adhuc non eſt aſſimilata parti ignienti; ac propterea ſunt diſcontinua; continuantur autem in facto eſſe; & tunc pars igniens, quæ in fieri erat cauſa, iam non eſt cauſa in facto eſſe; ceſſat igitur ratio, quòd pars igniens cauſat ſe ipſam.

Sed hæc reſponſio non placet, quia non eſt adæquata; nam nihil obſtat, quin vna pars continui totius ſimilaris dependeat ab altera in conſeruari; vt pars poſterior illuminata à parte antecedenti dependet in conſeruari ab illa: Quare dicendum eſt ad argumentum, quòd in his, quæ ſunt identificata ſecundi generis, cuiuſmodi eſt continuum, poteſt vna entitas, in quam poteſt diuidi continuum, eſſe cauſa alterius entitatis, in quam poteſt diuidi idem continuum;quia verè in continuo ſunt actuales entitates,quamuis nòn diſtinctæ à parte rei:ſicut igitur quomodo ſunt diuiſæ,vna entitas poteſt cauſare aliam; ita & vnitę; quia vnio non eſt ratio cauſationis.

Et cùm inſtatur, Nihil cauſat ſe ipſum; Reſpondetur, quòd eſt vera propoſitio de his,quæ identificantur identitate primi generis;quia ſunt vna entitas ſimplex, indiſtinguibilis, & indiuiſibilis; non autem de his,quæ identificantur identificatione ſecundi generis,vt ſunt continua, quæ admittunt diuiſionem,ſeu ſeparationem potentialem; & tamen ſunt vna entitas per negationem vlterioris extenſionis.

64. Ad decimūtertium. Ad decimumtertium reſpondetur, quòd in ſucceſſiuis apparet prima facie maior difficultas; quia cùm præcedens pars ſit præterita, & altera ſubſequens, futura; non videtur poſſe ad inuicem identificari;ſed ex dictis patet eſſe eandem rationem indiuiduationis & identificationis in ſucceſſiuis, ac in permanentibus;nam ſicut magnitudo indiuiduatur per negationem vlterioris extenſionis, & hac ratione dicuntur partes magnitudinis identificari identitate ſecundi generis, quatenus vlteriùs non extenduntur; ita etiam partes temporis, & partes motus indiuiduantur per negationem vlterioris extenſionis;& per eandem dicuntur partes identificari ad inuicem identitate ſecundi generis,cum qua poteſt ſtare diuiſibilitas; argumentum autem procedit de identitate primi generis.

Quòd ſi inſtes, pars præterita & futura temporis non ſunt ſimul;altera enim extitit, altera exiſtet; ergo ſunt actu diſtinctæ; Reſpondetur, quòd hoc non tollit identificationem ſecundi generis; ſufficit enim ad identificationem ſecundi generis,vt ſuprà probatum eſt, vt ea, euiuſmodi ſunt continua, quæ identificantur, habeant negationem vlterioris extenſionis, per hanc enim ſolam negationem indiuiduatur continuum.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An in continuo dentur indiuiſibilia.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. NOTANDVM quòd indiuiſibile eſt illud quod deficit à corpore: quia cùm corpus ſit diuiſibile ſecundùm omnem diuiſionem poſſibilem, vt probant Mathematici, tum quoad longitudinem, tum quoad latitudinem,tum quoad profunditatem, nulla enim alia diuiſio poteſt dari, vt iidem probāt,ſequitur,quòd illud,quod deficit à corpore ſecundùm aliquam dimenſionem, dicatur indiuiſibile, quatenus caret illa dimenſione: Illud igitur quod deficit à corpore, ſecundùm omnem dimenſionem, dicitur punctum, quatenus caret longitudine, latitudine, & profunditate; & quia non datur alia dimenſio quantitatis; fit vt punctum ſit omnino indiuiſibile: Quod verò deficit quoad latitudinem & profunditatem tantùm, dicitur linea, quæ quidem habet longitudinem:ſed quatenus caret latitudine, & profunditate,dicitur indiuiſibilis: Illud verò quod deficit à corpore ſecundùm profunditatem tantùm, dicitur ſuperficies; quæ quatenus habet latitudinem,& longitudinem, eſt quantitas diuiſibilis, ſed quatenus caret profunditate,eſt indiuiſibilis.

Hoc autem indiuiſibile, quod dicit negationem alicuius diuiſionis, aliqui ponunt poſitiuum, ita vt ſecundùm illam rationem indiuiſibilem, quæ explicatur per illam negationem, ſit aliqua entitas poſitiua indiuiſibilis: Aliqui verò dicunt quod eſt negatiuum: & quidem ſi punctum eſt negatiuum, nullo modo eſt reale in quantitate, quia cùm dicat negationem omnium trium dimenſionum, & ipſum ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilem ſit negatiuum,nihil habet reale,quod includat:at verò lineæ,& ſuperficies, quamuis,vt ſunt indiuiſibilia, eſſent negationes, quatenus ſcilicet, linea dicit negationem latitudinis, & profunditatis, & ſuperficies negationem tantùm profunditatis: tamen adhuc linea ſecundùm longitudinem eſſet realis, ſic etiam ſuperficies ſecundùm longitudinem & latitudinem.

His poſitis, ſunt aliqui qui admittunt hæc indiuiſibilia poſitiua à parte rei, tam terminatiua, quæ deſeruiunt ad terminandam & finiendam quantitatem, quàm continuatiua, quæ deſeruiunt ad copulandum partes. 2. Prima ſententia.

SECVNDO alij admittunt illa,ſed dicunt hæc indiuiſibilia vt indiuiſibilia ſint,eſſe negationes. Secūda ſententia.

TERTIO alij admittunt à parte rei hæc indiuiſibilia poſitiua terminatiua,negant autem continuatiua. Tertia ſententia.

QVARTO alij cum Fonſeca lib.5.Metaph.cap.5. quæſt. 6. ſect. 4. & 5. ſolùm admittunt ſuperficiem terminatiuam. Quarta ſententia.

Argumen

Digitized by Google

Argumenta autem harum opinionum, commodius in ipſis concluſionibus afferemus & ſoluemus.

3. Verior ſententia. Qvinta ſententia verior dicit; quòd repugnat dari huiuſmodi indiuiſibilia ſiue poſitiua, ſiue negatiua, ſiue continuatiua, ſiue terminatiua, præter ſuperficiem, quæ ſaltem eſt actualis negatio; Præterea dicit hæc ſententia, quòd ſi hæc indiuiſibilia poſitiua admittenda eſſent, admitti deberent congruentiùs non identificata cum re diuiſibili, ſed actu à parte rei diſtincta, non quidem realiter, vt volunt aliqui, ſed modaliter tantùm; Sunt autem ſingulæ partes huius noſtræ ſententiæ probandæ per ſequentes concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

4. Prima aſſertio. Repvgnat dari à parte rei indiuiſibilia poſitiua, ſiue illa ſint continuatiua, ſiue terminatiua. Probatur concluſio primò, in vniuerſum rationibus, quæ ita militant contra indiuiſibilia continuatiua, ac contra terminatiua; in ſequentibus autem duabus concluſionibus probabitur ſpecialiter contra ſingula.

Prima ratio. Probatur primò à priori, Indiuiſibile poſitiuum ad nihil deſeruit, nam infrà fuſiùs probabitur non deſeruire ad continuandum; quia partes continui ſe ipſis continuantur, nam poſt punctum ſequitur linea, quæ antequam perueniat ad punctum continuatiuum, eſt extenſa ſine punctis; nec deſeruit ad terminandum; quia etiam ſi tollatur punctum, adhuc linea non vlteriùs protrahitur, ergo finitur ſeipſa; fruſtra igitur dantur huiuſmodi indiuiſibilia.

5. Secunda ratio. Secundò, quia hoc indiuiſibile poſitiuum, ſiue ſit terminatiuum, ſiue ſit continuatiuum; debet eſſe immediatum diuiſibile; ergo ſecundùm ſe totum tangit diuiſibile; ergo non poteſt eſſe extra illud; ſed potiùs ſe penetrabit cum illo.

6. Tertia ratio. Tertiò, quia ſi daretur hoc indiuiſibile poſitiuum; ſequeretur quòd deberet ſubiectari in partibus, quas continuat, vel terminat; eſt enim accidens & modus ipſarum; ſed hoc eſt impoſſibile: quia deberet eſſe intimè præſens illis partibus; quod quidem repugnat; nam ſequeretur, quòd occuparet ſpatium diuiſibile; occuparet enim totum illud ſpatium, quod occupant partes diuiſibiles; quibus ipſum indiuiſibile eſt intimè præſens.

Quòd ſi dicas, ad hoc vt indiuiſibile ſubiectetur in partibus diuiſibilibus, non eſt neceſſe, vt ſit intimè præſens illis; ſed ſufficit, vt ſit immediatè poſt partes; ita vt nihil mediet inter punctum & partes; vnit enim, & terminat per immediatam ſui conſequentiam; ita vt ſit extra illud, quod continuat, & terminat, non autem per immediatam ſui præſentiam penetrandò ſe cum partibus, quas terminat vel vnit. Sed contrà hoc eſt, tum quia omnis alia vnio vnit extrema per intimam ſui præſentiam cum ipſis extremis, vel ſaltem cum vno extremorum, tum quia redit argumentum ſuprà factum; non enim poteſt indiuiſibile continuare vel terminare per immediatam ſui conſequentiam; quia deberet partes, quas vnit, vel terminat, tangere ſecundùm ſe totum, cùm ſit indiuiſibile; quare penetraret ſe cum illis: eſſet igitur in illis per intimam ſui præſentiam, & non per immediatam ſui conſequentiam.

7. Quarta ratio. Quartò probatur, quia ſi dantur indiuiſibilia in quantitate, debent etiam dari indiuiſibilia in ſubſtantia; præſertim ſecundùm opinionem eorum, qui dicunt ſubſtantiam eſſe ex ſe extenſam; ſed in ſubſtantia dari non poſſunt; quia ſequeretur, cùm diſcontinuatur vna ſubſtantia ab alia, vel cùm continuatur: tunc indiuiſibile ſubſtantiæ annihilari, vel creari; quia non fieret ex præſuppoſito ſubiecto; hoc autem naturaliter eſt impoſſibile.

Quintò probatur, quia ſi indiuiſibilia ſunt realia, vel identificantur cum re diuiſibili, ſecundùm id, ſecundùm quod ſunt indiuiſibilia; vel ſunt diſtincta à parte rei; ſed neutrum poteſt dici; non quidem quòd identificentur cum re diuiſibili, quia eſſent diuiſibilia; nec quòd ſint diſtincta à parte rei, quia tunc ſaltem vnum poſſet ſeparari ab alio, vt tenent multi ex aduerſariis; ſignum enim diſtinctionis ſecundùm Ariſtotelem eſt ſeparabilitas, ita vt valeat ſaltem ſatis probabiliter etiam negatiuè, videlicet quæ ſeparari non poſſunt per diuinam potentiam, ſignum eſt eſſe identificata; non enim poſſumus habere aliud euidentius ſignum diſtinctionis actualis, quàm ſeparabilitatem, ſaltem ex parte vnius extremi; Sed quodcunque dicatur, ſiue quòd partes ſeparari poſſint ab indiuiſibilibus, ſiue quòd indiuiſibilia ſeparari poſſint à partibus, continet abſurdum; nam ſi detur quòd partes ſeparari poſſunt ab indiuiſibilibus, ſequitur quòd fruſtra dantur indiuiſibilia; ſi verò dicatur quòd indiuiſibilia ſeparari poſſint à partibus, vt dicunt illi, quos ſequitur Suarius, qui tenent indiuiſibilia eſſe realiter diſtincta; tunc ſequitur maius abſurdum; quòd remanerent infinita puncta diuiſa abſque vlla determinatione: Sed hæc quinta ratio clariùs patebit ex his quæ dicemus in ſexta aſſertione. 8. Quinta ratio.

Præterea ſextò probatur Theologicè, Si indiuiſibilia eſſent realia, ſequeretur quòd non poſſet ſaluari bene præſentia Chriſti in illis indiuiſibilibus; nam quæro an in illis indiuiſibilibus ſit Chriſtus; Si dixeris quòd non, dices abſurdum; quia ſequeretur quod vbicunque ſignabis, poteris dicere, hic non eſt Chriſtus, quod eſt abſurdum; Si dixeris quòd ſic, adhuc dices abſurdum; nam ſi frangatur hoſtia, tunc reſultabunt duæ ſuperficies de nouo, vel ſaltem vna de nouo, remanente illa priori cum aliqua illarum partium quæ diſcontinuantur; Et tunc quæro vel Chriſtus eſt in illa ſuperficie de nouo, vel non; Si dixeris, quòd non, ſequitur abſurdum, quòd non in quolibet reali hoſtiæ conſecratæ eſt Chriſtus; Si dixeris quòd ſic, dices etiam abſurdum, quia Chriſtus eſſet in aliquo reali ſine conſecratione: Rurſus continuetur vinum poſitum de nouo, cum vino conſecrato, tunc reſultabit noua quædam ſuperficies; quia non eſt maior ratio cur remaneat ſuperficies huius vini, & non illius: ergo generabitur de nouo ſuperficies, & tamen ibi non erit Chriſtus, quod, vt dictum eſt, eſt abſurdum: vel ſi erit, erit in aliquo reali ſine conſecratione, quod etiam eſt abſurdum. 9. Sexta ratio.

10. Obiectiones contra hanc primã concluſionem. Sed contra hanc concluſionem, obiicies primò Ariſtotelem, qui in lib. 6. phyſ. ferè per totum & alibi ſupponit hæc indiuiſibilia.

Soluitur prima obiectio. Ariſtot. Reſpondetur, Ariſtotelem illa ſupponere ſecundùm famoſam opinionem illius temporis, vel ſecundùm imaginationem Mathematicam; quæ reſponſio euidenter colligitur ex 8. phyſ. text. 14. vbi cùm dixiſſet quædam eſſe abſque generatione & corruptione, vt puncta, ſubdit ſtatim (ſi quidem ſunt) quare ex propria opinione non admittit puncta; quod confirmatur ex lib. de mot. an. cap. 2. vbi negat in cœlo illa puncta, quos polos vocamus, ſupra quos imaginantur Mathematici moueri ...

Digitized by Google

ri cœlum tanquam ſuper duo extrema immobilia; & 4.phyſ.tex. 104. dicit quodammodo vnum nunc eſſe in toto tempore; quod non intelligitur niſi de nunc imaginatio; Imaginantur enim Mathematici ipſum nunc fluere, & conſtituere tempus, ſicut punctum in fluxu conſtituit lineam.

Secunda obiectio. Ariſtot. Euclides.

11. Obiicies ſecundò, Corpus perfectè ſphæricum non poteſt tangere corpus perfectè planum niſi in puncto; vt dicit Ariſtoteles 1. de Anima lib primo, & Euclides lib. tertio elementorum, propoſitione ſexta, & præter rationem Mathematicam, quam ibi affert Euclides, & bene examinat noſter Clarius contra Pelectarium. Ratio phyſica eſt, quia corpora, cùm ſe permanenter tangunt, debent adæquari in quo ſe tangunt; quia alioquin non ſe tangerent, in quo dicuntur ſe tangere; vel igitur ſphæricum tãgens planum, habebit aliquam extenſionem planam, per quam adæquetur plano, quod eſt contra ſuppoſitum; vel tanget illud in puncto ſiue continuatiuo, ſiue terminatiuo, quod erat probandum.

Soluitur, & afferuntur variæ ſolutiones.

Ad hanc obiectionem variè reſpondetur; Primò aliqui reſpondent, non dari corpus perfectè ſphæricum.

Prima ſolutio confutatur.

Sed hæc reſponſio friuola eſt; tum quia non repugnat à Deo poſſe fieri corpus ſphæricum; tum quia de facto corpus cœleſte eſt perfectiſſimè ſphæricum, vt probatur primo cœli.

Secunda ſolutio.

Secundò reſpondent alij, corpus ſphæricum non tangere planum in puncto poſitiuo, ſed negatiuo.

Confutatur.

Sed contra hoc eſt, quia non datur punctum negatiuum; non enim poteſt eſſe terminatiuum, quin etiam ſit continuatiuum, quia vt probabitur in tertia concluſione; ita terminat vnam partem, vt neceſſariò continuet cum altera parte; ſed punctum continuatiuum ſiue poſitiuum ſiue negatiuum dari non poteſt, vt fusè ſpecialiter probabitur infrà in ſecunda concluſione, ergo, &c.

Tertia ſolutio ad eandem ſecundam obiectionem.

Tertiò nonnulli alij reſpondent, ſphæricum tangere planum, ſecundùm aliquam partem diuiſibilem indeterminatam; Sicut, inquiunt, ſi daretur punctum terminatiuum, ineſſet in linea, & tamen non tangeret illam adæquatè, ſed inadæquatè ſecundùm partem minorem, & minorem in infinitum verſus punctum; ſicut à ſimili, ſi Angelus indiuiſibiliter poneretur in loco, diceretur (ſuppoſito quòd in loco non ſint puncta) quòd Angelus eſſet in aliqua parte diuiſibili illius loci inadæquatè ſecundùm minorem, & minorem in infinitum.

Confutatur.

Sed contra hoc eſt primò, tum quia eſt contra Euclidem, & Mathematicos, qui loco citato probant ſphæricum non poſſe tangere planum ſecundùm aliquam partem diuiſibilem; tum quia ex ratione noſtra phyſica, quam ſuprà attulimus; quæ ſe tangunt permanenter debent adæquari in eo, in quo ſe tangunt; ſed perfectè ſphæricum non poteſt adæquari ſecundùm partem diuiſibilem indeterminatam ipſi plano, quia ſecundùm omnem partem eſt ſphæricum; ergo, &c. tum quia tertiò pars illa indeterminata, quæ tangitur eſſet determinata; quia ſola illa non circumdaretur aëre circumſtante; ergo poſſet ſignari.

Ad exemplum verò quod affertur de puncto, nihil facit contra nos, qui negamus huiuſmodi puncta; qui verò admittunt puncta, dicerent punctum non propriè tangere lineam; ſed eſſe immediatè poſt lineam, per immediatam ſui conſequentiam; at verò ſphæricum ſi tangit planum, eſt ſimul cum plano, & non immediatè poſt planum.

Ad exẽplum verò de Angelo indiuiſibiliter locato in loco diuiſibili; Reſpondetur, quòd non dicitur Angelus tangere locum; ſed eſſe inadæquatè in loco diuiſibili; at verò ſi ſphæricum tangeret planum, deberet adæquari cum plano, alioquin non tangeret partem plani indeterminatè; ſed potiùs diceretur ita eſſe propinquum plano, vt ſi daretur punctum, tangeret in puncto adæquatè; ſed hoc non poteſt dici de ipſo corpore ſphærico; quia cùm corpus ſphæricum non ſicut Angelus, ſed diuiſibile; oportet dicere, quòd inter corpus ſphæricum & planum ſit diſtantia, ſi non ſe tangunt in puncto ſaltem negatiuè; ſed in aliqua parte diuiſibili indeterminata.

Quarta ſolutio ad ſecundam obiectionem.

Quartò reſpondent alij, Corpus ſphæricum tangere planum in puncto, non quòd illud punctum præfuerit in ſphærico, & plano, ſed quòd per ipſummet contactum producuntur duo puncta, alterum in plano, alterum in ſphærico.

Confutatur.

Sed neque hæc reſponſio placet, quia contactus ſupponit præexiſtere id, in quo fit tactus; nam ſi per contactum reſultat punctum, iam ſupponitur contactus; ſed contactus non poteſt eſſe ſine eo, in quo fit tactus, quia alioquin non eſſet tactus; ergo contactus ſphærici ſupra planum, ſupponit punctum ſphærici tangens, & punctum plani, in quo fit tactus; non poſſunt igitur iſta puncta reſultare ex contactu ſphærici ſupra planum; Et hæc ratio probat non ſolùm non poſſe ſphæricum tangere planum in puncto poſitiuo, ſed nec in negatiuo; quod dicitur propter illos, qui dicunt quòd ſphæricum tangit planum in puncto negatiuo, quatenus deſignantur per contactum tria puncta negatiua, ſcilicet ſphærici, aëris, & plani; Contra enim hoc eſt, quia ſi iſta puncta negatiua, ſeu negationes vlterioris extenſionis ſecundùm longitudinem non dantur à parte rei, vt probabiliter oſtendemus infrà, nec poſſunt conſurgere per contactum, quia, vt dictum eſt, contactus debet ſupponere id in quo tangit ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè.

Verior ſolutio ad ſecundam obiectionem. Arimin.

12. Quintò igitur, & veriùs reſpondetur cum Ariminenſi loco citato, quòd ſphæricum non dicitur tangere planum phyſicè per omnimodam indiſtantiam; quia ſemper inter planum & ſphæricum intercedit aër diuiſibilis, dicitur autem ſphæricum tangere planum mathematicè, quia cùm ſint duo corpora incompoſſibilia, quæ non poſſunt adæquari, fit, vt tunc dicantur ſe tangere, cùm ita ſunt propinqua, & immediata, vt ſaluis iiſdem figuris, non poſſint eſſe proximiora, & immediatiora. Ex quo ſequitur, quòd aër intermedius qui intercedit inter totum ſphæricum & planum, vbique ſit diuiſibilis; quia vbique eſt ſemper aliquod diuiſibile plani, & ſphærici, nec à parte rei eſt aliquod indiuiſibile, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, in quo ſphæricum tangit planum, diſtat autem ſphæricum à plano cum hac proportione; vt verſus contactum ſemper minus, & minus diſtet, quouſque perueniatur ad tantam diſtantiam, vt ſphæricum & planum, ſaluis figuris, propter incompoſſibilitatem corporum, nõ poſſint eſſe proximiora, in illa autem diſtantia eſt aër diuiſibilis intermedius, qui cùm ſit circularis, poteſt à ſphærico tangi, & ſuper illum rotari ſeu trahi ſphæricum.

Quæſitum.

13. Quòd ſi quæras, an ſi perfectè ſphæricum æneum caderet ſupra planum, vitreum, illud frangeret; & ratio dubitandi, quòd non frangat eſt, quia verè ſphæricum non tangit planum, immediatè; Reſpondetur, quòd frangeret, quamuis immediatè non tangat planum, quia non eſt neceſſe vt ibi fiat fractio, vbi eſt contactus; fit enim fractio non

Digitized by Google

non ſolùm formaliter, quatenus vbi eſt vnum corpus, non poteſt eſſe aliud, ſed efficienter ex vi impetus; experimur enim aliquando corpus paruum cadere ſupra magnum, & frangere illud in partibus, vbi non ſe tangunt; & eadem etiam difficultas eſſet, ſi ſphæricum tangeret planum in puncto; nam adhuc ſphæricum cadens magno impetu ſupra planum, partes plani frangerentur quæ tamen non tanguntur à ſphærico.

SECVNDA CONCLVSIO SPECIALITER CONTRA INDI*uiſibilia continuatiua.*

14. *Secũda concluſio.* REPVGNAT peculiari ratione præter argumentum factum in ſuperiori concluſione, dari indiuiſibilia continuatiua, ſiue illa dentur poſitiua & realia, ſiue negatiua.

Prima ratio ex Ariſtot. Probatur ex Ariſt. in 8. phyſic. tex. 62. vbi ait, indiuiſibilia in medio, id eſt, continuatiua non eſſe actu, ſed potentia; in fine verò, id eſt, terminantia, eſſe actu: intelligit autem ſuperficiem eſſe indiuiſibile terminatiuum, negatiuum actu, non autem poſitiuum; vt infrà videmus; at verò de continuatiuis negat ibi Ariſtoteles eſſe actu ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè; ſed tantum in potentia.

15. *Secunda ratio.* Probatur ſecúdò à priori, partes continui non ſunt actu diſtinctæ, vt probatum eſt in ſuperiore quæſtione; ergo nec in continuò dari poſſunt huiuſmodi indiuiſibilia continuatiua. Probatur conſequentia; quia ſi daretur indiuiſibile continuatiuum, iam daretur pars actu diſtincta; nam pars pertingeret vſque ad illud indiuiſibile, & ampliùs non extenderetur illa eadem pars; ſed ſecundùm ſuam entitatem indiuidualem terminaretur, & finiretur per illud indiuiſibile; Et hoc argumentum probat de indiuiſibili, ſiue illud ſit poſitiuum, ſiue negatiuum; De poſitiuo patet, de negatiuo probatur, quia indiuiſibile negatiuum nihil aliud eſt, quàm actualis negatio vlterioris extenſionis; ergo pars pertingens vſque ad illam negationem, iam ſecundùm ſuam entitatem indiuidualem finitur, & terminatur; conſequitur enim poſt negationem illam actualem alia compars.

16. *Tertia ratio.* Tertiò probatur, & eſt confirmatio prioris argumenti; quia non bene ſaluaretur diffinitio Ariſtotelis de continuo, quam tradit 5. phyſ. *Continua* inquit, *ſunt ea quorum extrema ſunt vnum*; Sed ſi daretur punctum continuans, tunc illud punctum eſſet ſimul terminatiuum vtriuſque partis: non ergo illæ partes eſſent per modum vnius; At verò ſi non daretur hoc punctum in medio continuans; tunc meliùs verificaretur diffinitio Ariſtotelis; quia tunc omnes partes eſſent per modum vnius, & haberent vnum tantùm extremum terminans totam lineam; & in hoc differret à contiguis, quorum ſunt, inquit Ariſtoteles, duo extrema ſimul.

17. *Quarta ratio.* Quartò probatur ab Ariminenſi, quia vel præter puncta, lineas, & ſuperficies, quatenus ſunt entitates indiuiſibiles, eſt in magnitudine aliqua alia entitas, vel non; Si non, ergo magnitudo componitur ex indiuiſibilibus; Si ſic, ergo tota eſt ſine his indiuiſibilibus; eadem enim eſt ratio partium & totius.

Quòd ſi dicas, hoc facere duplicem ſenſum; primum, vt poſſit ſignari pars lineæ, in qua non ſit punctum, & hoc eſt falſum; quia vbicunque eſt continuum, eſt continuatiuum; ſecundum, vt quidquid ſit in linea, non ſit punctum: & hoc eſt verum.

A Contrà ſumo hunc ſecundum ſenſum & inſto; Verè à parte rei poſt punctum, non ſequitur punctum, ſed linea, ergo datur immediatè pòſt pars lineæ ſine punctis; ergo tota linea, quia eadem eſt ratio partium & totius.

Et confirmatur: Deſtruat Deus, vel concipiamus ſaltem annihilatas entitates, ſeu formalitates indiuiſibilium: tunc remaneret entitas lineæ; ergo entitas illa lineæ quæ remaneret, erat ſine punctis.

Confirmatur ſecundò, Deſtruat Deus lineam remanentibus punctis, vel ſaltem concipiatur: tunc quæro, vel illa puncta remanebunt ad inuicem diſtantia, ſeu diuiſa vel non: ſi ſic, ergo intercedebant lineæ ſine punctis: ſi non, ergo continuum conſtabat ex punctis. B

Confirmatur tertiò, Poſt punctum eſt linea, non punctum; ſumo igitur punctum (A); poſt hoc punctum vel ſequitur punctum, vel linea: non punctum, ergo linea; ergo eſt linea ſine punctis; Quòd ſi dicas, ſi immediatè poſt punctum (A) tetigiſſes, tetigiſſes punctum; contrà ergo linea conſtabat ex punctis.

Quintò, & eſt confirmatio præcedentis; quia ſi darentur iſta puncta continuatiua, continuum eſſet diuiſum in omnem ſui partem, nam quælibet pars continui eſt diuiſibilis; ergo habet indiuiſibile continuatiuum, & ſic in infinitum; ita vt nec inaſſignabiliter poſſit dari pars aliqua, in qua non ſit indiuiſibile; quare tota linea conſtaret ex indiuiſibilibus. 18. *Quinta ratio.*

C Quòd ſi dicas, vnum punctum eſſe inter partem & partem; Contra hoc facit argumentum; nam pars, & pars inter quas eſt punctum, eſt diuiſibilis: ergo antequam perueniatur ad punctum inaſſignabiliter, adhuc debet terminari alio & alio puncto inaſſignabili.

Quòd ſi dicas, concedendo quòd minor & minor pars in infinitum ſemper terminatur alio & alio puncto in infinitum; Contra hoc etiam facit argumentum; nam ſemper debet præſupponi, aliquod diuiſibile, quamuis inaſſignabiliter, præcedere punctum; Sed hoc eſt impoſſibile, quia cùm alia pars inaſſignabilis præcedens ſit adhuc diuiſibilis, etiam habet punctum; Vel danda eſt aliqua pars inaſſigna- D bilitet diuiſibilis, quæ non habeat punctum, & tunc contrà, quia, vt dicebamus initio huius quinti argumenti, idem dici poſſet de alia parte, & ſic in infinitum, totum autem hoc argumentum cum ſuis confirmationibus, militat etiam contra illos qui aſſerunt puncta eſſe negatiua, ſeu negationes vlterioris extenſionis.

Sextò, præcipuè arguendo contra indiuiſibilia poſitiua realia, vel in puncto (A), & idem dicendum eſt de linea & ſuperficie & materia, & forma, vel non; non poteſt dici quòd non, quia tunc daretur aliquod accidens poſitiuum, quod naturaliter eſſet ſine ſubiecto; quod licèt non reputet abſur- E dum Burleus; tamen re vera eſt abſurdum, præſertim apud ipſum, qui vult puncta diſtingui realiter à linea; ergo eſt cum aliquo indiuiſibili formæ, & cum aliquo indiuiſibili materiæ; quod congruentiùs concedit Suarius, qui etiam dicit indiuiſibile diſtingui realiter. 19. *Sexta ratio.* *Burleus.* *Suarius.*

Contrà, quia hoc etiam eſt abſurdum; quia ſequeretur, vt benè arguit Ariminenſis, dari naturaliter creationem, & annihilationem; nam cùm vna materia continuatur cum altera, tunc corrumperentur puncta terminatiua, & produceretur punctum continuatiuum; ſed iſta corruptio & productio, eſſet annihilatio, & creatio, quia iſta indiuiſibilia non educerentur ex aliquo præſuppoſito ſubiecto. *Arim.*

Septi

Digitized by Google

10. *Septima ratio.* Septimò, ſi darentur hæc indiuiſibilia quantitatis, deberent etiã dari indiuiſibilia qualitatum, quæ inhærent in ipſis indiuiſibilibus quantitatis; quantitatem enim eſſe ſubiectum accidentium, ſuprà probauimus: Sed hinc ſequeretur illud abſurdum, quòd indiuiſibile continuatiuum duorum palmorum, quorum vnus palmus ſit calidus, (vt octo) & alter frigidus (vt octo) ſubiectaret duplex indiuiſibile, alterum caloris vt octo, & alterum frigoris vt octo; & conſequenter duo indiuiſibilia duarum formarum ſubſtantialium oppoſitarum.

Aliqui ad hoc argumentum reſpondent, in tali caſu quantitatem illam bipalmarem diſcontinuari: *Suarius.* Sed hanc reſponſionem ſatis bene impugnat Suarius, ſect. quinta, ſequeretur enim, inquit, quòd per B ſucceſſiuam ignitionem ſtuppæ, daretur productio partium infinitarum diuiſibilium diſcontinuarum: eſſet enim talis ignitio ſucceſſiua cum continua diſcontinuatione partium ignitarum à non ignitis: & præterea experimur dari partes virgæ viridis, & ſiccæ, & manere cõtinuatas, ſicut erant priùs, quando tota virga erat viridis.

Secundò reſpondet ipſe Suarius, quòd in tali caſu indiuiſibile quantitatis informaretur ab vno indiuiſibili illius qualitatis, cuius agens eſt fortius: Sed contrà, tum quia contra ipſum daretur vna qualitas ſine indiuiſibili terminatiuo poſitiuo: tum quia poſſunt dari duo agentia è regione æqualis C virtutis, & quæ habeant æqualem ſphæram, ita vt vtrumque terminetur ad idem indiuiſibile quantitatis intrinſecè.

11. *Octaua ratio. Soncinn.* Octauò, & eſt Soncinnatis, vel punctum continuatiuum identificatur cum vtraque parte lineæ, vel cum vna; non cum vna, quia æquè conuenit vtrique; non cum vtraque, quia quæ ſunt idem vni tertio, ſunt idem inter ſe, ea vnione qua ſunt idem vni tertio; ſed ſunt idem realiter in tertio; ergo ſunt idem realiter inter ſe; Sed hoc argumentum Soncinnatis ſubterfugiunt aduerſarij, dicunt enim eſſe eadem inter ſe realiter in tertio, id eſt, habere punctum vnum; Sed hæc fuga non eſt bona, quia illa propoſitio (quæ ſunt eadem vni tertio) non debet intelligi de identitate in alio tertio; quia eſſet nu-D gatio, & non deſeruiret ad ſyllogizandum in tertia Figura; vt fusè oſtendimus in noſtro primo tomo in ſeptimo principio philoſophico. Sed fateor hoc argumentum Soncinnatis non conuincere, quia poteſt dici, quòd duo puncta ſunt idem realiter inter ſe, ſed diſtincta formaliter.

12. *Nona ratio.* Nonò, ſequeretur, quòd daretur infinita multitudo punctorum ſeu indiuiſibilium actu, quæ inter ſe non habent illam connexionem, quam habent partes proportionales, nec illam potentialitatem; quia ſi conciperentur ſeparata à continuo; conciperentur omnia diuiſa; neque repugnat hoc concipere, ſicut repugnat concipere continuum diui-E ſum in omnem ſui partem.

Quòd ſi dicas, ſunt entia incompleta; Contrà, quia licèt ſint incompleta, videtur eadem repugnantia; & ſecundò, quia linea, & ſuperficies, ſunt vera ſpecies quantitatis, ergò entia completa.

Dices, quatenus indiuiſibilia, ſunt incompleta; Contrà ergo pari ratione elementa dicerentur entia incompleta, quia ſunt partes vniuerſi; Non nego tamen, maiorem rationem incompleti habere hæc indiuiſibilia, quàm elementa, vt ſunt partes vniuerſi; Sed quantùm ad argumentum, ſufficit vt ſint entia completa in ſuo genere; & multò magis hoc argumentum militat, ſi puncta ſint diſtincta realiter, vt tenent alij ſuprà citati, quia tunc de-A ſtructis partibus, remanerent puncta infinita clauſa duobus punctis terminatiuis; Sed de hoc fuſiùs dicemus in vltima aſſertione; Confirmatur hoc argumentum in opinione illorum, qui dicunt, indiuiſibilia eſſe realiter diſtincta, quia tũc poſſent ſeparari.

Decimò, vel hæc puncta continuatiua ſunt, veluti vinculum quoddam, ſeu nexus inter illas duas partes; vel ſunt modus quidam habendi ſe, partium inter ſe; Non primo modo, quia maiorem affinitatem habent partes inter ſe, quàm cum puncto, ſeu alio indiuiſibili; nec vt modus; quia modus non eſt medium inter partes, ſed eſt extenſus ſicut partes, & non efficit, vt partes non ſint immediatæ, ſicut efficit indiuiſibile; ſed ex partibus immediatis, & connexis, conſequitur talis modus; vel facit illas partes immediatas, vt patet de vnione materiæ, & formæ; at verò punctum efficit, vt partes non ſint inter ſe immediatæ; ſed inter quamlibet partem & partem, ſit punctum vniens, & connectens. 13. *Decima ratio.*

Vndecimò ſolet hæc aſſertio ab aliis probari; quia ſequeretur illud abſurdum, quòd tot eſſent partes in circulo maiori, ac in circulo minori; aſſignata enim quauis parte in circulo maiori, correſpondet illi punctum in circulo minori: ſemper enim, vt demonſtrant Mathematici, à puncto circuli minoris duci poteſt linea ad punctum circuli maioris. 14. *Vndecima ratio.*

Reſpondent aduerſarij negando ſequelam, & ad probationem dicunt, quòd poſſunt pauciora puncta correſpondere pluribus punctis: Et dant primò exemplum de ipſis partibus continui, ſiue actu, ſiue potentia exiſtant: nam ſemper in quot partes eſt diuiſibilis circulus maior, eſt etiam diuiſibilis circulus minor: & nulla eſt pars in circulo maiori cui non correſpondeat pars in circulo minori: & tamen pauciores partes ſunt in circulo minori, quàm in circulo maiori: Secundò dant exemplum de corpore denſo, & raro, quæ poſſunt ſe ad inuicem correſpondere ſecundùm ſuas partes ex diuerſo modo ſe habendi, cùm tamen plures partes habeat corpus denſum, quàm rarum.

Sed contra hoc inſtatur, quia, ſi in circulo maiori ſunt actu plura puncta; ſequitur quòd intercedat maior diſtantia inter puncta circuli maioris, quàm inter puncta circuli minoris: non poſſunt ergo omnibus punctis circuli maioris correſpondere omnia puncta circuli minoris, ſingula ſingulis: Nec primum exemplum adductum de partibus circuli maioris, & circuli minoris, multùm fauet, eſt enim diſparitas: quia partes circuli minoris, poſſunt eſſe minores & minores, quàm ſint partes circuli maioris: & ideo in quot partes poteſt diuidi circulus maior, poteſt diuidi circulus minor, ſed ſemper in minores: at verò in punctis hoc dici non poteſt, quia ſunt indiuiſibilia, & determinata ſecundùm ſuam entitatem indiuiſibilem: Nec ſecundum exemplum de corpore denſo & raro eſt ad rem, quia partes corporis rari ſecundùm extenſionem localem non poſſunt correſpondere partibus corporis denſi: quare modus ſe habendi diuerſus potiùs obeſt.

Quantùm verò ad partes entitatiuas, diuerſus modus habendi nihil facit: quia partes entitatiuæ corporis rari, ad hoc vt poſſint correſpondere partibus entitatiuis corporis denſi, quæ ſunt plures, debent accipi minores: & tunc (ſicut etiam dicebamus de partibus quantitatis) in quot partes entitatiuas poteſt diuidi denſum, poteſt etiam rarum: ſed ſemper in minores & minores in infinitum: habet

Digitized by Google

habet enim intrinſecè ſubſtantia partibilitatem ſuam entitatiuam, ſicut quantitas ſuam partibilitatem entitatiuum, non ſic autem eſt de punctis, quia, vt dictum eſt, habent ſuam entitatem determinatam indiuiſibilem.

25. Prima obiectio contra hanc ſecundam aſſertionem. Soluitur.

Obiicies primò contra hanc ſecundam aſſertionem, Ariſtotelem 5. & 6. phyſ. vbi definit continuum eſſe id, cuius partes termino communi copulantur. Reſpondetur definitionem eſſe ſecundùm opinionem famoſam illius temporis, & hoc modo intelligenda ſunt etiam loca ſimilia, vt 1. poſt. & 5. Metaph. tex. 12. & tertio de anima, & 6. phyſ. & alibi; at etiam ex propria ſententia 5. Met. definit quantum eſſe diuiſibile, in ea, quæ inſunt, & 5. Metaph. 12. ait, quod eſt ſecundum vnum diuiſibile, hoc eſt linea, quod eſt ſecundùm duo, hoc eſt ſuperficies, quod ſecundùm tria, eſt corpus.

26. Secũda obiectio.

Obiicies ſecundò, Omnis effectus formalis debet habere aliquam cauſam formalem; ſed partes inter ſe eſſe continuatas ſeu vnitas, eſt aliquis effectus formalis: ergo debet aſſignari cauſa formalis: ſed hæc cauſa formalis non poteſt eſſe niſi indiuiſibile continuatiuum quantitatis.

Ergo Minor ſecundi Syllogiſmi, in quo eſt tota difficultas, probatur, nam hæc cauſa formalis non poſſunt eſſe ipſæ partes diuiſibiles; quia hæ poſſunt exiſtere ſeparatæ; ergo ipſæ, vt ſic præcisè ſumptæ, non poſſunt eſſe ratio vt coniungantur; nam ſemper eſſent coniunctæ: nec poſſunt eſſe ipſæ partes vt connotant aliquid extrinſecum: nam hoc connotatum vel eſſet indiſtantia, & hoc non: nam dantur duæ partes contiguæ quantitatis, & tamen non ſunt continuæ, ſed contiguæ: imò Ariſtoteles per indiſtantiam diffinit contigua, quorum extrema ſunt ſimul; nec tale connotatum poſſunt eſſe qualitates aliquæ, per quas conglutinentur partes quantitatis; nam poteſt dari quantitas ſine vlla qualitate; & præterea per qualitatem partes quantitatis non poſſent facere vnum per ſe integrale; nam vnio talium partium debet eſſe in eodem prædicamento; & præterea cùm agens vnit duas partes aquæ, verè aliquid efficit, & tamen non producit aliquam qualitatem.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd partes quantitatis ſe ipſis vniuntur; eſt enim quantitas eiuſdem ſpeciei in omnibus corporibus: Statim igitur ac duæ quantitates ſunt indiſtantes, ſe ipſis vniuntur: quod ex eo confirmatur: contra aduerſarios, quia poſt punctum ſequitur immediate pars lineæ, quæ extenditur vſque ad aliud punctum: in illa igitur parte lineæ non eſt punctum continuatiuum: & tamen illa pars inaſſignabilis neceſſariò includit infinitas partes, cum quibus vnitur: Quare, ſi aliquando duæ partes quantitatis non vniuntur, eſt ex impedimento qualitatum, & accidentium: obſtat enim aliquando durities, aliquando ſiccitas, &c. Vnde ſi poſſent dari duæ partes quantitatis, ſine vlla qualitate, vel alio accidenti, tunc ſi ponerentur indiſtantes, neceſſariò vnirentur ſe ipſis: Confirmat aliqui, quia duæ partes aquæ, quia non habent impedimentum ex qualitate, vel alio accidenti, ſi fiant indiſtantes, ſtatim vniuntur. Sed ad hoc poſſet dici, quòd vniuntur, quia ſunt humidæ, & fluidæ; Ad formam igitur argumenti reſpondetur, rationem formalem continuationis eſſe ipſas partes homogeneas quantitatis, connotando ſublationem impedimenti.

27. Tertia obiectio.

Obiicies tertiò, Non poſſunt duo realiter diſtincta conſtituere vnum ſine vnione, tanquam nexu, & vinculo: ergo datur vnio inter partes continuatiuis: hæc autem non poteſt eſſe diuiſibilis: nam partes longitudinis ad hoc vt vniantur, debent vniri vnione indiuiſibili quoad longitudinem: alioquin enim abiretur in infinitum: nam ſi illa vnio eſſet diuiſibilis ſecundùm longitudinem, deberet habere aliam vnionem, per quam partes ipſius vnirentur, & hæc aliam, & ſic in infinitum; vel deueniendum eſſet ad vnionem indiuiſibilem; hæc autem eſt punctum.

Soluitur.

Reſpondetur, non dari vnionem ſuperadditam; quia ipſa quantitas eſſentialiter dicit extenſionem, ſeu vnionem ſibi identificatam vnius partis cum alia parte, quia non datur pars, quæ non ſit vnita in infinitum aliis. Alia verò extrema, vt ſunt materia, & forma, quia non dicunt eſſentialiter vnionem, ideo indigent vnione ſuperaddita, & diſtincta ad hoc vt vniantur.

Dices hoc verum eſſe in partibus inaſſignabilibus, quæ dicunt eſſentialiter vnionem; non autem in partibus aſſignabilibus & determinatis, quæ accidentaliter vniuntur. Reſpondeo; quòd ex vnione partium inaſſignabilium bene arguitur, quòd neque inter partes determinatas eſt vnio ſuperaddita; cùm ſemel admittatur, quantitatem ipſam eſſe ex ſe ſufficientem, præſertim cùm determinata quantitas componatur ex iſtis partibus indeterminatis, quæ ad inuicem vniuntur ſe ipſis.

Præterea argumentum, falſum ſupponit, quòd, ſcilicet, implicet dari vnionem diuiſibilem, & coëxtenſam partibus, quæ ſit nexus partium, imò neceſſariò debet eſſe diuiſibilis; quia, vt ſuprà probatum eſt, debet eſſe intimè præſens partibus, & non per immediatam ſui conſequentiam, vt patet de aliis vnionibus.

Et cùm inſtatur, quòd hæc vnio diuiſibilis debet habere aliam vnionem per quam ipſius partes vniantur: Reſpondetur hoc non eſſe neceſſariũ; quia partes vnionis ſe ipſis vniuntur; nam quando ratio formalis eſt talis, ſe ipſa eſt talis, ſicut quantitas ſe ipſa eſt quanta, & actio ſe ipſa fit, & tempus ſeipſo durat; ita etiam vnio ſe ipſa vnitur, & partes ipſius ſe ipſis vniuntur. Vnde ex hoc capite ſi quis diceret hanc vnionem extenſam, non eſſe omnino identificatam à parte rei cum partibus continui, ſed diſtingui ex natura rei modaliter ab illis, non diceret aliquod abſurdum, præſertim ſi hoc diceret de partibus determinatis, quæ vniuntur accidentaliter.

Obiicies quartò, ex Scoto; diuiſio eſt negatio continuationis, ergo continuatio dicit aliquod poſitiuum, quod eſt vnio; quia alioquin ſi continuatio eſſet negatio diuiſionis; ſequeretur quòd diuiſio eſſet quid poſitiuum: Reſpondent aliqui vnionem eſſe negationem diuiſionis; & ad argumentum dicunt, quòd ſufficit, vt diuiſio concipiatur tanquam aliquid poſitiuum, ratione fundamenti: Sed meliùs reſpondetur, quòd continuatio eſt quid poſitiuum, non autem eſt aliquis nexus indiuiſibilis vel diuiſibilis identificatus; ſed eſſentialiter ſunt ipſæmet partes, vt dictum eſt. 28. Quarta obiectio. Soluitur.

Obiicies quintò, ſaltem in ſucceſſiuis dantur indiuiſibilia continuatiua realia, quia datur generatio realis inſtantanea, quæ durat per aliquod inſtans: ſecundò, quia ſi non daretur inſtans continuatiuum, partes temporis prætetitæ non poſſent realiter continuari cum ſubſequentibus; Reſpondetur, quòd eadem argumenta facta contra indiuiſibilia continuatiua quantitatis permanentis, ſeu magnitudinis, militant etiã contra indiuiſibilia quantitatis ſucceſſiuæ; Et præterea ſi non dantur in ſpatio hæc indiuiſibilia, non poſſunt dari in motu, neque 29. Quinta obiectio. Soluitur.

in

in tempore; quia motus proportionaliter ſe habet ad ſpatium,& tempus ad motum.

Ad argumentum verò reſpondetur, & ad primam probationem illius dicitur, quòd illa generatio inſtantanea non menſuratur inſtanti temporis noſtri ſucceſſiui,& continui, ſed inſtanti temporis diſcreti; Ad ſecundam verò probationem dicitur, quòd partes temporis ſe inuicem continuãtur,quatenus nihil mediat inter partem præteritam, & futuram.

TERTIA CONCLVSIO SPECIALITER CONTRA INDIVISIBILIA *terminatiua.*

30\.
Tertia aſſertio.
Ratio fundamentalis de puncto, & linea.

REPVGNAT peculiari ratione dari puncta, & lineas tanquam indiuiſibilia terminatiua;ſiue poſitiua,& realia,ſiue negatiua.

ET ratio eſt; quia non poſſunt eſſe ita purè terminatiua, quin etiam ſint continuatiua, punctum enim ita terminat vnam partem lineæ, vt eam continuet cum altera parte lineæ; & linea ita terminat vnam partem ſuperficiei, vt eam neceſſariò continuet cum altera parte ſuperficiei, non enim poteſt dari ſuperficies; quæ à linea ita terminetur verſus vnam partem, vt non ſinat eam progredi verſus alteram; Sed in ſuperiori aſſertione probatum eſt, non poſſe dari indiuiſibilia continuatiua, ſiue poſitiua,ſiue negatiua;ergo neque poſſunt dari lineæ, & puncta, tanquam indiuiſibilia terminatiua, ſiue poſitiua,ſiue negatiua.

31\.
An ſuperficies purè terminatiua ſit ſaltem indiuiſibile negatiuum.

Poteſt autem ſolùm eſſe difficultas de ſuperficie; hæc enim poteſt dari purè terminatiua; ita enim poteſt terminare partes profunditatis, vt eas vlteriùs non continuet cum aliis partibus profunditatis;nam,vt ſenſu patet, ſuperficies corporis plani ita terminat profunditatem plani, vt non vlteriùs illud planum progrediatur, aut verſus partem ſupremam, aut verſus partem infimam; ita enim ambitur à ſuperficie, vt faciat illud corpus non vlteriùs protendi, & cum aliâ profunditate continuari; in quo caſu ſuperficies erit purè terminatiua profunditatis.

Quare ſupereſt videndum, vtrùm hæc ſuperficies purè terminatiua,ſit poſitiua realis, vel negatiua;Circa quod pono ſequentem concluſionem.

QVARTA CONCLVSIO SPECIALITER CONTRA SVPERFICIEM *realem.*

32\.
Quarta aſſertio.
Probatur prima pars aſſertionis.

HÆC ſuperficies puræ terminatiua, non eſt poſitiua & realis,ſed negatiua.

PROBATVR prima pars concluſionis, quòd, ſcilicet, non ſit realis, non ſolùm argumentis factis in prima concluſione, quibus probauimus in communi non poſſe dari indiuiſibilia realia, ſed etiam peculiariter.

Prima ratio.

Probatur primò; quia ſi ſuperficies terminaret partes profunditatis, ſequeretur, quòd ſuperficies ſe penetraret cum partibus profunditatis, ſaltem ſecundùm partem indeterminatam;nam,vt ſuprà in prima concluſione probatum eſt, non poteſt indiuiſibile tangere diuiſibile per immediatam ſui conſequentiam; quia cùm ſit indiuiſibile, non poteſt ſecundùm partem tangere, & ſecundùm extimam non tangere;quia in entitate indiuiſibili, non datur pars & pars; penetrat ſe igitur ſecundùm ſe totam

A cum partibus profunditatis, inquibus inhæret illa ſuperficies; Ex quo vlteriùs ſequitur aliud abſurdum, quòd ſi datur ſuperficies terminatiua, non poſſit dari tactus inter duo corpora; & quidem propter tactum præcipuè aduerſarij dant iſtam ſuperficiem terminatiuam.

Probatur autem ſequela,quia ſuperficies corporis tangentis ſe penetrat cum ſuperficie corporis tacti; debent enim eſſe ſimul;nec poſſunt ſe ſecundùm vnam partem tangere, & ſecundùm aliam non, quia ſunt indiuiſibilia; Quòd ſi ſe penetrant, ſequitur quòd etiam partes profunditatis corporis tangentis, & corporis tacti,ſe penetrant, quod eſt abſurdum,& contra rationem tactus; Probatur ſequela; quia ſi ſuperficies ſe penetrant, penetrant
B etiam ſe inuicem partes profunditatis, quia cum illis ſe penetrant ſuperficies.

33\.
Secunda ratio. Durand. Ariſt.

Secundò probatur à Durando in 2.d.2.quæſt.4. quia, ſicut eſſentiæ rerum creatarum ſe ipſis terminantur, ita etiam corpus ſe ipſo terminatur. Hæc ratio ſumitur ex Ariſtotele 3. phyſ. tex. 74. vbi ponit differentiam inter tangi, & finiri; quòd id quod tangitur, ab alio tangitur; quod verò finitur, non ab alio finitur, ſed ſe ipſo finitur; ſed corpus finitur,quando vlteriùs non protenditur, ergo ſe ipſo finitur.

Tertia ratio.

Tertiò probatur, quia ſi tolleretur ſuperficies, adhuc remaneret corpus finitum, & limitatum ſe-
C cundùm profundum, quatenus vlteriùs non extenditur.

Quarta ratio.

Quartò probatur; Ideò aduenit corpori ſuperficies poſitiua, quia corpus illud non vlteriùs extenditur; quare illa entitas profunditatis in priori quodam ſigno eſt finita per negationem vlterioris extenſionis, quàm ſit terminata, & finita per ſuperficiem poſitiuam;fruſtrà igitur datur hæc ſuperficies poſitiua; Et hoc argumentum probat non ſolùm de ſuperficie, ſed etiam de aliis indiuiſibilibus, ita vt etiam ſi poſſint dari punctum, & linea purè terminatiua,adhuc non eſſent realia.

Argumenta contra hanc primam partem concluſionis mox infrà ſoluemus.

34\.
Secũda pars quarta concluſionis. Probatur ratione fundamentali.

D SECVNDA pars concluſionis, quòd,ſcilicet, iſta ſuperficies terminatiua, ſit actualis negatio vlterioris extenſionis ſecundùm profunditatem, patet ex dictis, quia à parte rei illa entitas profunda vlteriùs non extenditur;ergo à parte rei actu finitur,per negationem alterius entitatis; hoc autem dici non poteſt de ſuperficie continuatiua;quia neque datur poſitiuè, vt ſuprà probatum eſt, neque negatiuè; quia non dicit negationem vlterioris extenſionis; vlteriùs enim extenditur per continuationem, & vnionem cum altera entitate: Et probatur ex Ariſtotele 8.phyſ.tex.82. vbi negat eſſe actu indiuiſibilia in medio,indiuiſibilia,nimirum,ſiue realia, ſiue negatiua continuatiua, concedit autem eſſe in fine,
E id eſt,terminatiua negatiua, concedit ſaltem de aliquibus,vt de ſuperficie.

Ariſtot.

35\.
Inſtantia.

Quòd ſi inſtes, negatio debet fundari in aliquo poſitiuo; ſed hoc poſitiuum non poteſt eſſe diuiſibile, quia opponitur indiuiſibili; erit ergo indiuiſibile poſitiuum; Reſpondetur negando, quòd id, in quo fundatur iſta negatio, non poſſit eſſe diuiſibile; ſicut enim eſſentia creata finitur per tantam perfectionem determinatam ſibi debitam; ita diuiſibile finitur per tantam extenſionem ſibi debitam;& ad hanc tantam extenſionem, ſeu perfectionem conſequitur negatio vlterioris extenſionis, ſeu perfectionis; Quare non eſt abſurdum, quòd negatio fundetur,ſeu potiùs cõſequatur naturali, & neceſſaria

Solutio.

Digitized by Google

neceſſaria ſequela ad aliquid diuiſibile, quod ſe ipſo finitur; quia eſt limitatæ quantitatis; ſicut eſſentia creata, vt dictum eſt, ſe ipſa finitur, quia eſt limitatæ perfectionis. Adde, quòd continuum indiuiduatur completè per negationem vlterioris extenſionis; quare ipſa negatio eſt veluti quædam ratio formalis indiuiduationis completæ; ac propterea poteſt dici, quòd non conſequitur, ſed facit indiuiduum quantum.

36. *Obiectiones contra primam partē huius quartæ concluſionis. Prima obiectio.* SED contra primam partem huius quartæ concluſionis, in qua dicebatur, ſuperficiem purè terminatiuam non eſſe quid poſitiuum reale, obiicitur primò; Non poſſunt duo corpora plana ſe tangere realiter ſecundùm profunditatem; quia ſequeretur, quòd ſe penetrarent ſaltem ſecundùm partem indeterminatam, ſecundùm quam ſe tangunt, tangens enim, & tactum debent eſſe ſimul; tangunt igitur ſe realiter in aliquo indiuiſibili poſitiuo reali, quod eſt ſuperficies, quæ quatenus caret profunditate, eſt entitas indiuiſibilis.

Soluitur. Reſpondetur, quòd, duo corpora ſe tangere realiter, nihil aliud eſt, quàm vnum corpus à parte rei, nullo intellectu cogitante, eſſe ita immediatum cum altero, vt nullum aliud corpus intermedium intercipiatur; ſed ſublatis ſuperficiebus realibus, poſſunt duo corpora plana habere hunc contactum ſecundùm ſuperficies terminatiuas negatiuè, quatenus illa corpora ſunt lata, vt lata reduplicatiuè cum negatione vlterioris profunditatis, imò, vt paulò ſuperiùs probatum eſt, tolleretur contactus, ſi corpora ſe tangerent ſecundùm ſuperficiem realem indiuiſibilem, quia, vt ibi oſtenſum eſt, daretur penetratio corporum.

37. *Secunda obiectio.* Obiicies ſecundò, Corpus coloratum, ſeu illuminatum, non poteſt terminare viſionem ſecundùm profunditatem etiam indeterminatam, quia alioquin ſequeretur, quòd ſaltem ſecundùm partem aliquam profunditatis indeterminatam, corpus illud opacum eſſet diaphanum, quod eſt falſum; ergo debet terminare viſionem ſecundùm ſuperficiem illuminatam; Et confirmatur primò, quia colores non inhærent in profunditate, vt patet ſenſu, ſed in ſuperficie, ergo, &c. Confirmatur ſecundò, quia corpus realiter videtur, ergo ſecundùm aliquid ipſius debet videri; Cùm igitur non poſſit videri ſecundùm profunditatem; ſaltem debet videri ſecundùm ſuperficiem realem tanquam terminum ipſius corporis; ergo debet ſuperficies eſſe realis, quia negatio non poteſt videri.

Prima ſolutio. Reſpondetur, & primò nonnulli moderni tenent quodlibet corpus opacum eſſe ſecundùm aliquam partem diaphanum, & videri ſecundùm illam, quamuis ſenſu non bene diſcernatur.

Confutatur. Sed hæc reſponſio non placet, quia ſequeretur quòd totum corpus eſſet diaphanum, nam ſi diuideretur in infinitum, ſemper videretur; ergo ſecundùm omnem partem eſſet diaphanum; & præterea experimur, quòd, etiamſi adſit maxima attentio, nihil profunditatis videtur corporis opaci denſi.

Secunda ſolutio verior. Secundò igitur reſpondetur & veriùs, quòd tunc videntur colores, cùm corpus diaphanum illuminatum, vt aër, tangit corpus opacum coloratum; tunc enim à corpore opaco, colorato proficiſcuntur ſpecies intentionales, repræſentantes illud obiectum opacum, non vt eſt profundum reduplicatiuè, ſed vt eſt latum reduplicatiuè, & vt profundum ſpecificatiuè; Et ratio eſt, quia lumen non poteſt recipi in profunditate corporis opaci.

Quòd ſi dicas, latitudo in noſtra opinione non eſt diſtincta à profunditate; ergo ſi videtur corpus

A vt latum, videri etiam debet corpus vt profundum. Reſpondetur negando conſequentiam, & affertur inſtantia; nam etiam corpus opacum eſt dulce, & tamen non videtur vt dulce, parum autem refert quòd dulcedo diſtinguatur à corpore colorato, non autem latitudo à profunditate; quia etiamſi dulcedo identificaretur cum colorato, adhuc non videretur, quia eſſet extra obiectum viſus, ſicut neque veritas, quæ eſt identificata cum quolibet ente, videtur; Et ratio eſt, quia eſt extra obiectum viſus, ita etiam profundum opacum eſt extra obiectum viſus; quia non eſt illuminatum.

Dices, neque latitudo poteſt illuminari, quia cùm identificetur cum profunditate, ſi non illuminatur profunditas, neque illuminabitur latitudo.
B Reſpondetur, quòd corpus diaphanum illuminatum, & opacum, ſunt immediata ſecundùm ſuperficiem negatiuam, quam diximus dari à parte rei; & hoc ſufficit, vt videatur corpus quatenus latum eſt, dicens negationem vlterioris profunditatis.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd colores, quamuis non videantur in profundo corporis opaci, ſed in ſuperficie, modo explicato, inhærent tamen in profunditate corporis, ſicut inhærent primæ qualitates, ex quarum commixtione fiunt colores, tanquam ſecundæ qualitates. 38.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd corpus realiter videtur vt latum eſt, non vt profundum eſt.

C Obiicies tertiò, Corpus realiter figuratur, ergo debet dari ſuperficies realis; Probatur conſequentia, quia figura nihil aliud eſt, quàm terminus ipſius corporis. 39. *Tertia obiectio.*

Reſpondetur quòd figura non eſt terminus indiuiſibilis corporis, ſed eſt modus quidam realis diuiſibilis, per quem partes corporis, ſiue ſint terminatæ ſuperficie reali, ſiue non, ſunt ita, & ita inter ſe diſpoſitæ, vt naturaliter correſpondeant talibus, & talibus partibus loci; Dixi (naturaliter,) quia etiam ſi corpus non coëxtenderetur loco, vt eſt corpus Chriſti in Sacramento, adhuc illud corpus eſſet figuratum; quia partes corporis eſſent ita diſpoſitæ, vt poſſent correſpondere talibus partibus loci. *Soluitur.*

D Obiicies quartò, Sunt aliqua accidentia vt lenitas, & aſperitas, quæ non inhærent in profunditate corporis, ſed in ſuperficie indiuiſibili; ibi enim ſentiuntur huiuſmodi qualitates; eſt enim lenitas æqualitas partium ſecundùm latitudinem, ſecundùm quam fit tactus. *Quarta obiectio.*

Reſpondetur quòd iſtæ qualitates inhærent in partibus extremis corporis; eſt enim lenitas æqualitas, & vniformitas partium extremarum; aſperitas verò eſt, quando partes non ſunt æquales, ſed vna prominet alteri; Dicitur autem ſentiri lenitas ſecundùm latitudinem, quatenus non inuenit reſiſtentiam; ſentitur autem aſperitas, quatenus ſecundùm latitudinem ſentitur reſiſtentia, quam corpus habet in illis extremis partibus; ſicut tunc ſentitur durities, quando corpus tangens aliud corpus,
E vt latum eſt, ſentit reſiſtentiam ſecundùm profunditatem in corpore tacto, quatenus non poteſt vlteriùs procedere circa profundum. 40. *Soluitur.*

Obiicies quintò, locus eſt æqualis locato; ſed hoc non poteſt verificari de corpore locante, quia excedit locatum; ergo debet verificari de ſuperficie indiuiſibili. *Quinta obiectio.*

Reſpondetur ex Ariminenſi, quòd corpus locans, & locatum ſunt ſimul, & adæquatè, quatenus corpus locans ſecundùm ſuperficiem terminatiuam negatiuè, eſt immediatum locato; Corpus enim 41. *Soluitur.*

Digitized by Google

enim locans, vt latum eſt reduplicatiuè, quatenus caret profunditate, eſt immediatum & æquale locato.

Quæſitum an ſi darētur indiuiſibilia realia eſſent identificata cum re diuiſibili.

Sed quæres, qui admittunt à parte rei huiuſmodi indiuiſibilia, an debeant ponere omnia identificata à parte rei cum entitate diuiſibili, vel diſtincta realiter, ſicut res à re, vel modaliter tantùm, ſicut modus rei à re. Reſpondeo & ſit

Reſpondetur duabus ſequentibus concluſionibus.

QVINTA CONCLVSIO.

Quinta cōcluſio.

SI hæc indiuiſibilia poſitiua & realia admittenda ſunt, non debent poni omnino identificata à parte rei cum re diuiſibili, vt nonnulli ponunt.

42\. Prima ratio quintæ concluſionis.

Probatur primò, quia non poteſt vna entitas tota identificari à parte rei cum rebus realiter diſtinctis; ergo non poteſt punctum continuatiuum, quod eſt indiuiſibile, identificari cum duabus partibus, quæ inter ſe, realiter diſtinguuntur; vel ſaltem ſunt diſtinguibiles per ſeparationem.

43\. Secunda ratio.

Secundò, quia poſſunt dari illæ duæ partes quantitatis ſine continuatione ad inuicem; ergo punctum illud quod continuabat illas partes, diſtinguitur à parte rei ab illis, ſeparabilitas enim eſt euidens ſignum ſecundùm Ariſtot. diſtinctionis actualis.

44\. Tertia ratio.

Tertiò, quia indiuiſibile non poteſt identificari omnino à parte rei cum re diuiſibili; quia illa entitas deberet eſſe, vbi eſt illa res diuiſibilis.

Prima inſtātia contra tertiam rationem.

Sed contra hanc rationem inſtabis primò, Relatio æqualitatis palmi cum alio palmo, identificatur cum palmo tanquam cum ſuo fundamento; & tamen palmus eſt diuiſibilis, & relatio æqualitatis eſt indiuiſibilis; quia ad diuiſionem palmi non diuiditur æqualitas.

Soluitur.

Reſpondeo, relationem æqualitatis eſſe extenſam in ſubiecto, eſt tamen indiuiſibilis obiectiuè in hoc ſenſu, quatenus non poteſt ſuſcipere magis & minus; Variato enim fundamento, ipſa deſinit eſſe; ſed de hac re fuſiùs infrà in prædicamento relationis.

Secunda inſtantia.

Inſtabis ſecundò, linea eſt diuiſibilis ſecundùm longitudinem, & ſuperficies ſecundùm longitudinem & latitudinem; ergo (quicquid ſit de puncto) poſſet ſaltem linea ex ea parte, qua eſt diuiſibilis, identificari cum ſuperficie, & ſuperficies cum corpore.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd linea & ſuperficies ex ea parte qua ſunt indiuiſibilia, non poſſunt, propter rationem ſuprà allatam, identificari; & de iſtis, vt indiuiſibilia ſunt, eſt ſermo.

SEXTA CONCLVSIO.

45\. Sexta concluſio.

SI indiuiſibilia admittenda ſunt, non debent poni realiter diſtincta, vt res à re, vt ponunt aliqui graues recenriores, ſed modaliter tantùm, tanquam modus rei à re.

Prima ratio.

Probatur; Indiuiſibile continuatiuum, ſi daretur, eſſet ipſamet vnio partium; ergo non poteſt diſtingui tanquam res, à re, ſed ſicut modus rei; Antecedens eſt manifeſtum; Conſequentia probatur, quia non poteſt illud indiuiſibile exiſtere ſeparatum à partibus, quas continuat; non enim poteſt dari vnio ſine vnitis; Quòd ſi non poteſt exiſtere ſeparatum; ſignum eſt quod non diſtinguitur realiter, ſed tanquam modus, ſicut & aliæ vniones.

46\. Secundò probatur; ſi punctum diſtingueretur

A realiter à partibus; tunc poſſet ſeparari à partibus. Quòd ſi dicas, non poſſe ſeparari quia eſt vnio; Contrà, quia hoc eſt ſignum, quòd non diſtinguitur realiter; ſed tanquam modus rei à re, vt dictum eſt ſuprà. Quòd ſi poteſt ſeparari; tunc ſequitur manifeſte abſurdum dari, ſcilicet, infinitam multitudinem punctorum clauſam duobus punctis terminatiuis lineæ. Probatur ſequela; nam deſtructis partibus lineæ, remanent omnia puncta quæ erant in medio lineæ immota, clauſa duobus aliis punctis terminatiuis lineæ.

Secunda ratio.

Ad hoc reſpondent aduerſarij dupliciter: Primò quòd deſtructis partibus, deſtruuntur puncta; Sed contra; quia hoc videtur gratis dici, cùm puncta B ſint entitates realiter diſtinctæ à partibus ſecundùm ipſa. Quòd ſi dicas, puncta eſſe vniones; Contrà, quia vt argumentabamur ſuprà, ſi ſunt vniones, ſunt diſtinctæ modaliter, ſicut aliæ vniones.

Secundò reſpondent, quòd puncta per aliquam vnionem vniuntur cum partibus continuatis, quia ſunt aliquid realiter ſuperadditum entitati partium; Sed contrà, quia tunc fruſtra multiplicat puncta, ſi dantur vniones; quia illa vnio ſufficeret continuare partem cum parte; vel ergo dantur fruſtra puncta; vel fruſtra vniones.

47\. Obiectio contra hanc ſextam aſſertionem.

Sed contra hanc ſextam concluſionem obiicies, ſi punctū diſtingueretur à partibus tanquam C modus rei à re; ſequeretur, quòd eſſet idem realiter cum partibus; ſed hoc eſt impoſſibile, propter duo; Primò, quia non poteſt vnum, & idem punctum eſſe idem realiter cum duabus partibus realiter inter ſe diſtinctis, neque cum vna tantùm; non enim eſt maior ratio, cur identificetur potiùs cum vna parte, quàm cum alia. Secundò, quia ſunt entitates improportionatæ, entitas diuiſibilis, & entitas indiuiſibilis; non poſſunt igitur coaleſcere in vna ſimplici realitate; Et confirmatur; quia entitas indiuiſibilis deberet coëxtendi cum ipſis partibus continui.

Secunda obiectio.

Reſpōdetur ad primam obiectionem.

Sed ad hæc reſpondetur, has obiectiones militare potiùs contra tenentes, indiuiſibilia identificari à parte rei, realiter, & formaliter, cum parte D diuiſibili, non autem contra illos qui tenent, indiuiſibilia, diſtingui modaliter; reſpondent enim, quod repugnat, indiuiſibilia eſſe idem realiter cum entitate diuiſibili.

48\. Reſpōſio a ſecundam.

Et ad primam probationem reſpondent, punctum eſſe idem realiter cum duabus partibus, quas vnit; ſicut multi tenent, vnionem, quæ eſt diſtincta modaliter à Materia, & Forma, eſſe vnam numero in Materia, & Forma, tanquam nexum vtriuſque, & ſubiectari in vtroque extremo, Materia, ſcilicet, & Forma, tanquam in vno ſubiecto adæquato; Repugnaret autem, vt ſuprà dicebamus, ſi omnino à parte rei identificaretur.

E Ad ſecundam verò probationem reſpondent, repugnare quòd entitas indiuiſibilis, & entitas diuiſibilis, coaleſcant in vnam entitatem ſimplicem, ſi omnino à parte rei identificarentur; non autem repugnare, ſi à parte rei diſtinguuntur formaliter, vel modaliter.

Ad confirmationem reſpondent eodem modo, tunc nimirum repugnare, quando entitas indiuiſibilis identificaretur omnino à parte rei cum entitate diuiſibili; quia tunc deberet coëxtendi cum ipſis partibus continui, vt diximus ſuprà in prima aſſertione argumenti, contra illos, qui ponebant entitatem indiuiſibilem omnino identificari perpetuò cum entitate diuiſibili; Non autem repugnare,

re,

Digitized by Google

re, quando entitas indiuiſibilis diſtinguatur à parte rei modaliter ab entitate diuiſibili.

Quare concluditur, quòd apud admittentes indiuiſibilia à parte rei; congruentiùs & probabiliùs dicunt illi, qui tenent hæc indiuiſibilia diſtincta à parte rei modaliter; quàm illi qui tenent, vel eſſe omnino identificata à parte rei cum entitate diuiſibili; vel diſtincta realiter ſicut res à re: Simpliciter autem, & probabilius eſt, & magis veritati congruum, ſi dicatur, nullo modo dari a parte rei huiuſmodi indiuiſibilia, vt ſuprà probauimus in noſtris Concluſionibus.

DISPVTATIO QVARTA.

De Infinito quantitatiuo.

Diuiditur hæc diſputatio in octo quæſtiones.

I. *Quid ſit infinitum, & quæ proprietates ipſius.*

II. *In quo differat infinitum cathegorematicum ab infinito ſyncathegorematico.*

III. *Vtrùm detur, ſeu naturaliter dari poſſit infinitum, præſertim corporale.*

IV. *Vtrùm per potentiam Dei abſolutam dari poſſit magnitudo, vel multitudo rerum corporearum infinita.*

V. *Vtrùm de potentia abſoluta Dei fieri poſſit multitudo cathegorematicè infinita rerum ſpiritualium.*

VI. *An poſſit dari qualitas infinita intenſa.* In hac quæſtione ſunt quindecim difficultates.

Prima difficultas, Vtrùm qualitati repugnet intenſio infinita ex conceptu partium intenſionis infinitæ; ſicut repugnat quantitati extenſio.

Secunda difficultas. An poſſit in qualitate dari intenſio infinita adæquata ſpeciei; ita vt habeat omnes gradus, ſeu totam intenſionem poſſibilem cum multitudine indiuiduorum ſub illa ſpecie; V. gr. An poſſint dari duæ albedines infinitæ intenſæ; ita vt quælibet habeat totam intenſionem poſſibilem.

Tertia difficultas. An repugnet alicui qualitati, quatenus talis eſt intenſio infinita, & quæritur primò circa primam ſpeciem qualitatis, An repugnet humiditatem eſſe infinitè intenſam.

Quarta difficultas, An repugnet ſiccitatem eſſe infinitè intenſam.

Quinta difficultas circa eandem primam ſpeciem qualitatis, An repugnet habitum ſcientiæ, & reliquas virtutes eſſe infinitè intenſas. & præſertim, An repugnet gratiam, & lumen gloriæ eſſe infinitè intenſa.

Sexta difficultas circa ſecundam ſpeciem qualitatis, An repugnet potentiam viſiuam, & alias potentias eſſe infinitè intenſas.

Septima difficultas, An repugnet grauitatem ſicut aliam potentiam motiuam naturalem eſſe infinitè intenſam.

Octaua difficultas, circa eandem ſecundam ſpeciem qualitatis, An repugnet mobili moueri motu ſucceſſiuo infinitè veloci.

Nona difficultas circa eandem ſpeciem, An repugnet mobili moueri motu infinitè tardo.

Decima difficultas circa tertiam ſpeciem qualitatis, An repugnet dari albedinem infinitè intenſam.

Vndecima difficultas circa eamdem ſpeciem qualitatis, An repugnet calorem medium, vt rubeum, eſſe infinitè intenſum.

Duodecima difficultas circa quartam ſpeciem qualitatis, An poſſit dari figura infinitè rotunda.

Decimatertia difficultas circa eandem quartam ſpeciem qualitatis, An poſſit dari rectitudo infinita, & curuitas infinita.

Decimaquarta difficultas circa eandem ſpeciem qualitatis, An poſſit dari raritas infinita.

Decimaquinta difficultas, An poſſit dari denſitas infinita.

VII. *An poſſit dari ſubſtantia creata infinita.*

VIII. *Vtrùm Deus videat omnia poſſibilia, & omnes cogitationes damnatorum, quæ futuræ ſunt per totam æternitatem.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit infinitum, & quæ proprietates ipſius.

DVæ ſunt dubitationes in hac quæſtione, A Prima, quæ ſit definitio infiniti. Secunda, quæ ſint proprietates ipſius.

DVBITATIO PRIMA.

QVANTVM ad primam dubitationem, reſpondeo VNICA concluſione. Duæ definitio- 1. Prima concluſio circa

primâ parte quæſtionis de definitione infiniti. Ariſtoteles.

nes de infinito referuntur ab Ariſtotele in 3. phyſ. à tex. 12. vſque ad 66. Altera antiquorum, altera propria. Definitio antiquorum hæc eſt. Infinitum eſt illud, cuius nihil eſt extrà accipere, id eſt, extra quod nihil ſit, quod accipi poſſit. A

Hanc definitionem impugnat Ariſtot. quia non conuenit ſoli infinito, ſed etiam finito integro & perfecto, extra enim hoc nihil eſt quod accipi poteſt. Secundò impugnatur, quia non conuenit omni infinito, ſed tantùm infinito adæquato, vel ſimpliciter, vel ſaltem in aliquo genere, ſiue in aliqua ſpecie; nam extra hoc infinitum, nihil eſt omnino accipere in illo genere, vel in illa ſpecie; non tamen competit infinito inadæquato; ſiue in aliquo genere, ſiue in aliqua ſpecie, extra enim hoc eſt aliquid accipere; aliam ſcilicet infinitudinem in eodem genere, vel ſpecie; ex vtraque enim infinitudine fit vnum infinitum adæquatum in illa ratione. B

2. Explicatur definitio Ariſtotelis quæ verior eſt.

Secunda definitio Ariſtotelis & verior eſt, Infinitum eſt illud, cuius aliquid ſemper eſt extrà accipere, hoc eſt, in collectione infinita, quæcumque eius pars finita accipiatur, ſemper eſt extra illam, aliam, & aliam accipere ſine termino; vel de quo non tantum poteſt accipi, quin remaneat adhuc accipiendum ampliùs.

3. Primo not.

Pro explicatione autem huius ſecundæ definitionis, quæ habet aliquas difficultates, notandum eſt primò, quòd huiuſmodi acceptio non eſt intelligenda per intellectum; nam ab intellectu diuino ita totum infinitum comprehenditur, vt non remaneat aliquid illius intelligendum. Et iuxta hunc ſenſum intelligendus eſt Auguſtinus, dum ait 12. de ciuitate Dei, infinitum diuina cognitione finiti, non quod verè finiatur, ſed quia non remanet aliquid intelligendum; iſta igitur acceptio intelligenda eſt de reali acceptione. C

4. Secúdò not.

Notandum ſecundò, quòd hæc definitio non intelligitur de acceptione cuiuſlibet partis; nam hoc modo conuenit etiam quantitati finitæ, à qua non tot partes proportionales accipiuntur, quin plures remaneant accipiendæ: Sed definitio intelligenda eſt de acceptione partium æqualium, vel maiorum, ita vt ſemper ita accipi poſſint plures partes æquales vni determinatæ, vel maiores, vt adhuc ſemper remaneant aliæ & aliæ accipiendæ. Hæc definitio magis eluceſcet ex his quæ dicentur infrà in ſecunda dubitatione de proprietatibus infiniti, & inde patebit reſponſio ad multa, quæ obiici poſſunt. D

SECVNDA DVBITATIO DE PROPRIETATIBVS INFINITI.

Circa hanc ſecundam dubitationem ſciendũ eſt, quòd, qui admittunt infinitum, admittunt etiam conſequenter aliquas proprietates conſequentes ipſam naturam infiniti: Videndum eſt igitur in hac dubitatione, quæ ſint iſtæ proprietates; & quidem aliquæ proprietates ita ſunt manifeſtæ, vt communiter ferè admittantur ab omnibus tenentibus infinitum; aliæ verò ſunt, de quibus eſt controuerſia apud admittentes infinitum. E

1. Prima concluſio circa primã proprietatẽ infiniti.

Quantùm autem ad primum, quatuor ſunt proprietates, quæ communiter admittuntur.

Primo certum eſt, nullum infinitum reddi finitum per detractionem quamlibet finitam, nec vllum finitum poteſt reddi infinitum per additionem quamlibet finitã; & hæc eſt prima proprietas, quæ proprietas manifeſtè deducitur ex definitione infiniti allata ab Ariſt. 3. phyſicorum. Infinitum eſt, inquit, cuius ſemper eſt extrà accipere; at verò ſi infinitum redderetur finitum per detractionem finitam, vel finitum poſſet fieri infinitum per additionem finitam, ſequeretur, quòd tandem per acceptionem partium finitarum finiretur infinitum, contra definitionem infiniti. Ariſtot.

2. Secũda concluſio circa ſecundam proprietatẽ infiniti.

Secvndo certum eſt, infinitum debere continere plures infinitates partium, imò infinities infinitas partes; & hæc eſt ſecunda proprietas infiniti, quæ ſequitur ex præcedenti.

Probatur manifeſtè, quia alioquin ſequeretur, quòd duo finita conflarent infinitum, nam ſi in numero non eſſent infiniti binarij, vel infiniti denarij, vel centenarij, &c. ſed iſti numeri eſſent finiti, ſequeretur, quòd poſſet illud infinitum diuidi in duos numeros finitos; ergo duo finita conflarent vnum infinitum, & conſequenter per acceptionem partium finitarum, tandem infinitum finiretur, contra definitionem infiniti.

Obiectio contra ſecundã proprietatem.

Quòd ſi dicas, ex hac proprietate ſequi abſurdum, quòd in multitudine infinita totum eſſet æquale parti, quia pars eſt etiam infinita, ergo continet infinitos infinities numeros, ſcilicet infinitos binarios, denarios, centenarios, &c. & omnes quos habet totum.

Solutio.

Reſpondetur, partem vnius infiniti continere, quoad ſpeciem, omnes numeros, quos continet totum, non autem quoad indiuidua, vt fuſiùs explicabitur in ſecunda difficultate.

3. Tertia concluſio circa tertiam proprietatem.

Tertiò certum eſt, infinitum habere infinitas partes æquales vni certæ & determinatæ; & hæc eſt tertia proprietas.

Probatur manifeſtè, quia alioquin non poſſent ſemper accipi partes æquales, contra definitionem infiniti, cuius eſt ſemper extrà accipere, & præterea ſi poſt partem æqualem non ſequitur alia æqualis vni certæ & determinatæ in infinitum, daretur terminus, contra eſſentiam infiniti.

4. Quarta concluſio circa quartã proprietatem infiniti.

Qvartò certum eſt, & eſt quarta proprietas, quòd infinitum non poteſt claudi duobus terminis, ſiue intrinſecis, ſiue extrinſecis.

Probatur manifeſtè ex definitione, nam ſi infinitum ex ea parte, qua eſt infinitum, haberet terminum, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, ex ea parte qua infinitum eſt, non poſſet extra illum terminum accipi alia pars, quia infinitum ibi finiret; hoc autem eſt contra definitionem infiniti ſuprà allatam, cuius ſemper eſt extrà accipere; Hinc deducitur alia proprietas, quòd infinitum non poteſt eſſe figuratum ex 1. cœli, text. 39. quia figura ex Euclide comprehenditur aliquo, vel aliquibus terminis. Euclides.

5. Obiectio côtra quartam proprietatem.

Sed contra hanc proprietatem ſtatim occurrit difficultas; quare poſt infinitas partes proportionales, poteſt ſequi punctum, quod eſt terminus extrinſecus partium proportionalium, & non poteſt poſt infinitas partes æquales ſequi huiuſmodi terminus extrinſecus.

Solutio.

Reſpondetur, quòd ratio diſparitatis eſt, primò, quia non datur vna pars proportionalis, quæcumque enim illa ſumatur, ſemper eſt diuiſibilis in partes minores infinitas anteriores, & poſteriores, & conſequenter in immediatas, & minùs immediatas; at verò in infinito per partes æquales, pars æqualis, quæ terminaretur extrinſece, non eſſet diuiſibilis in plures æquales ipſi, ac proinde illa pars æqualis quæ eſt immediata termino extrinſeco, eſſet vltima in illo infinito, quod implicat.

Secunda ratio diſparitatis eſt, quia partes proportionales

Digitized by Google

portionales conſtituunt vnam finitam quantitatem, quæ occupat ſpatium finitum, ac proinde poteſt poni terminus extrinſecus illarum partium infinitarum proportionalium; at verò, quia partes æquales componunt quantitatem infinitam, quæ debet occupare totum occupabile, vt infrà oſtendemus in prima difficultate, ideo non poteſt poni terminus.

His igitur quatuor proprietatibus poſitis tanquam magis certis, duæ ſunt aliæ proprietates, de quibus eſt difficultas & controuerſia inter admittentes infinitum.

Quinta cõcluſio circa quintã proprietatem.

PRIMA DIFFICVLTAS CIRCA QVINTAM PROPRIETATEM.

An infinito ex ea parte, qua eſt infinitum poſſet fieri additio.

6. Infinitũ duplex, aliud ſecundùm extenſionem, aliud ſecundùm intenſionem.

RESPONDETVR negatiuè, quia daretur terminus ex parte infiniti, vbi fit additio: nam, vel additio fit, per partes quantitatiuas, & tunc vna vnitur immediatè vni, & mediatè cæteris; vel additio fit immediatè omnibus, vt cùm in intenſione, additur gradus, vel quando pluribus Angelis exiſtentibus in eodem puncto additur vnus Angelus; additur enim omnibus, quia vbi eſt vnus gradus qualitatis, vel vnus Angelus, ſunt omnes alij; ſi primo modo fiat additio in infinito, tunc datur terminus, quia additio fit immediatè vni parti, & mediatè cæteris; illud igitur quod additur, eſt terminus præcedentium partium infinitarum; quod quidem clariùs patebit ex duobus exemplis, quæ adducemus infrà quæſtione quarta in prima concluſione in ſexta ratione.

Non poteſt fieri additio infinito ſecundùm extenſionem.

7. Inſtatur ab aduerſariis contra probationem primò. Solutio.

Sed ad hanc probationem reſpondent aduerſarij primò, Additio, inquiunt, ſeu exceſſus fit in ratione entis, & non in ratione infiniti. Contra hoc eſt, quia per additionem ipſa magnitudo extenditur vlteriùs, ergo, &c. Præterea ſi exceſſus fit enti, & non magnitudini, ergo fiet ens extra ens, ergo illud ens eſt chimæricum, quod intendimus.

Inſtatur ſecundò. Solutio.

Secundò reſpondent, illum exceſſum eſſe in ratione finiti. Sed contra hoc eſt, quia illa pars additur partibus præcedentibus, quæ ſunt infinitæ; & quamuis illa pars, quæ additur ſit finita, facit tamen illam magnitudinem, ſeu multitudinem cui additur, maiorem ſecundùm extenſionem, & occupantem maius ſpatium, ex ea parte qua ſpatium infinitum eſt; quod implicat, quia daretur terminus, illa enim pars finita quæ adderetur, terminaret totam illam extenſionem præcedentem.

Inſtatur tertiò. Solutio.

Tertiò reſpondent, negando per additionem infinitum fieri maius, ſed eſſe plures infinitudines: Contra hoc eſt quia adhuc aſſignatur terminus, nam illa pars, quæ additur immediatè vni parti primæ infinitudinis, eſt terminus illius, vt probatum eſt, quicquid ſit an poſtea ſequatur alia infinitudo.

8. Non poteſt fieri additio ſecundùm intenſionem.

Si verò additio fiat ſecundùm intenſionem, in qua vnus gradus additur omnibus aliis immediatè, vel cùm vnus Angelus additur aliis Angelis exiſtentibus in eodem puncto; tunc non poteſt ita manifeſtè probari infinitæ multitudini graduum, vel Angelorum non poſſe fieri additionem; quia cùm detrahitur, vel additur vnus gradus, non additur vni parti immediatè & aliis mediatè, ſed omnibus immediatè, ac propterea non videtur ſignari terminus in additione.

Probatur.

Dicendum tamen eſt etiam ſignari terminum, quia cùm additur vnus gradus, vel vnus Angelus

A multitudini infinitæ, additur ex parte infiniti, quia additur omnibus; iſta igitur multitudo quæ habet additam hanc vnitatem in ratione infiniti, eſt maior quàm præcedens, quæ non habebat illam vnitatem, & tamen non excedit niſi in vno; ergo illud vnum eſt terminus multitudinis infinitæ. Vide nonnulla alia circa hoc in quinta quæſtione in 11. implicantia.

SECVNDA DIFFICVLTAS CIRCA SEXTAM PROPRIETATEM.

An detur vnum infinitum maius altero.

B RESPONDEO cum S. Thom. 3. par. q. 10. art. 3. & communiori ſententia Doctorum, quòd ſi datur infinitum, debet dari vnum infinitum eſſe maius altero, quod etiam nos concedimus in negationibus infinitis. 9.

Sexta concluſio circa ſextam proprietatem. S Thom.

Notandum.

Antequam autem probetur, ſuppono vnum, quòd tunc vnum dicitur maius altero (niſi fiat quæſtio de nomine) quando vnum continet tantundem quantitatis, ac alterum, & aliquid plus; ex Euclide enim propoſitione octaua, æqualia illa ſunt, quando vna quantitas alteram non excedit, quare ſi excedat, illa erit maior, hæc minor.

Hoc ſuppoſito probatur concluſio.

C IN rebus infinitis numerus infinitus qui conflatur ex infinitis paribus, & ex infinitis imparibus, eſt maior infinito numerorum parium, vel imparium, ſeorſim ſumptis, quia illud eſt totum, hoc eſt pars; totum autem continet tantundem quantitatis ac pars, & aliquid plus, ergo, &c. & præterea quis negabit, quòd ſi homines ſint infiniti, plures ſint capilli quam homines? Et confirmatur in numero partium proportionalium; nam linea bipalmaris continet plures partes proportionales, ſeu plures infinitudines partium quàm linea palmaris; nam continet omnes illas partes quas continet linea palmaris, & aliquid plus.

SED contrarium tenent nonnulli graues Doctores, & eò tandem reducuntur, vt dicant, in rebus D infinitis non eſſe verum illud principium, quòd totum eſt maius ſua parte; & obiciunt primò, quilibet numerus cathegorematicus infinitus includit in ſe omnes numeros poſſibiles; ergo non poteſt dari numerus cathegorematicè infinitus, qui ſit minor altero: Conſequentia patet, nam alioquin ſequeretur, quòd non includeret omnes numeros poſſibiles, non enim includeret illum numerum, in quo exceditur à numero infinito maiori: Antecedens probatur, quia, vt ſuprà oſtenſum eſt, quilibet numerus cathegorematicè infinitus, continet infinities infinitas vnitates, & infinities infinitos binarios, & infinities infinitos millenarios, &c. & infinities numerum infinitum numerorum parium, E & numerum infinitum numerorum imparium. 10.

Prima obiectio.

Reſpondetur negando Antecedens, & ad probationem dicitur, quòd quamuis quilibet numerus infinitus cathegorematicè contineat numeros infinities infinitos binarios, ternarios, millenarios, &c. ex quibus ille numerus componitur; non tamen propterea continet omnes numeros infinitos poſſibiles quoad indiuidua, non enim continet alias infinitas vnitates, ex quibus alius numerus infinitus componitur; includit igitur numerus infinitus cathegorematicè omnes numeros poſſibiles, quantùm ad ſpeciem, infinities ſcilicet infinitos binarios, ternarios, &c. non autem quoad indiuidua, hunc ſcilicet & hunc binarium, & hunc & hunc

Solutio.

Digitized by Google

ternarium, quia, vt dictum eſt, datur alius numerus infinitus, ſeu alia infinitudo cathegorematica, in qua ſunt infinities infiniti numeri, qui non continentur in illa alia prima infinitudine; quod quidem clariùs oſtendetur in numero infinito ſyncathegorematico, in vno enim palmo ſunt partes proportionales infinitæ, & proinde ſunt vnitates infinities infinitæ, & infinities infiniti binarij, ternarij, & millenarij; &c. & tamen non propterea continet omnes numeros poſſibiles quoad indiuidua, qui numeri poſſunt eſſe in aliis palmis; & præterea numerus cogitationum vnius damnati, quæ futuræ ſunt per totam æternitatem, continet numeros infinities infinitos ſecundùm ſpeciem, non tamen omnes poſſibiles quoad indiuidua, quia non continet numerum illarum cogitationum futurarum omnium beatorum, & damnatorum ſimul, & quidem non videtur poſſe negari, cogitationes omnes beatorum & damnatorum, plures futuras eſſe, quàm vnius damnati.

11. Secũda obiectio. Obiiciunt ſecundò, Non poteſt infinito fieri additio, quia poſſet aſſignari terminus; ſed ſi vnum infinitum eſſet maius altero, poſſet infinito minori fieri additio; ergo, &c.

Solutio. Reſpondeo, quòd qui tenent poſſe dari infinitum vnum maius altero, negant inde ſequi, fieri poſſe additionem infinito minori, ex ea parte, qua infinitum eſt; nam ſi detur, inquiunt, magnitudo infinita verſus omnes partes, profectò hoc infinitum eſt maius illa magnitudine, quæ eſt infinita tantùm verſus Orientem; & tamen magnitudini infinitæ verſus Orientem non poteſt fieri additio: Præterea magnitudo infinita verſus Orientem habet partes infinitæ magnitudinis, ex quibus conflatur, & tamen tota illa magnitudo eſt maior ſua parte, non tamen propterea fieri poteſt additio, quia non poteſt aſſignari pars immediata, cui fit additio; & conſequenter etiam dicunt, non poſſe de illa magnitudine aliquid minui, vel corrumpi, verſus eam partem qua infinita eſt: nec poſſe illam loco moueri ex parte oppoſita verſus Occidentem, quia inde ſequeretur, quòd tunc non occuparet totum ſpatium infinitum verſus Orientem: ac proinde poſſet aſſignari pars, cui immediatè fieret additio: de qua re fuſiùs quæſtione quarta.

Et hæc dicta ſint de proprietatibus quas deberet habere magnitudo, vel multitudo infinita, ſi illa dari poſſet; an autem dari poſſit, infrà examinabimus quæſtione tertia & ſequentibus.

QVÆSTIO SECVNDA.

In quo differat infinitum cathegorematicum ab infinito ſyncathegorematico.

Prima ſententia. PRIMA ſententia aſſerit infinitum cathegorematicum differre à ſyncathegorematico, quia cathegorematicum eſt actu: Cæterùm dicunt infinitum cathegorematicum non differre à ſyncathegorematico in numero partium, vel magnitudinis extenſione.

Primum argumentum. Probant primò, nam in infinito ſyncathegorematico nulla pars eſt, quæ poſt ſe alteram non habet, nec tot in eo poſſunt reperiri partes, quin plures, & quacunque parte accepta reſiduæ ſemper aliæ remanent recipiendæ: hæ autem conditiones infiniti, vt infinitum eſt, vt dictum eſt in ſuperiori quæſtione, ſunt proprietates, vel de conceptu quidditatiuo infiniti, ſecundùm definitionem traditam ab Ariſtotele locis ibi citatis.

Secundò probant, quia ſi omnes diuiſiones continui, quæ ſunt infinitæ ſyncathegorematicè, actu ponerentur per impoſſibile, illæ eſſent profectò infinitæ cathegorematicè, quia deueniretur ad indiuiſibile: ſed iſtæ, quæ ponerentur in actu, non eſſent plures, quàm illæ, quæ ſunt in potentia, ergo infinitum cathegorematicum non differt in numero partium ab infinito ſyncathegorematico. Secundum argumentũ.

Tertiò, ſi totum tempus æternum, quod eſt à parte pòſt, poneretur à parte antè, eſſet infinitum cathegorematicum, quia infiniti dies extitiſſent, & infiniti anni, & tamen non extitiſſent plures anni, & plures dies, quàm ſunt illi, qui ſunt in potentia; ergo, &c.

SECVNDA ſententia Gabrielis & Durandi in primo diſt. 39. quæſt. 2. & multorum recentiorum, qui tenent infinitum ſyncathegorematicum eſſe medium inter infinitum propriè dictum, & finitum determinatum, & conuenire quidem cum rebus finitis in eo, quòd quando exiſtunt, ſemper determinatè exiſtunt, cum infinitis verò, quia non habent certum terminum; differre autem dicunt infinitum ſyncathegorematicum à cathegorematico in numero partium, & in magnitudine extenſionis, quia infinitum ſyncathegorematicum non attingit intrinſecè infinitatem. 2. Secũda ſententia. Gabriel. Durand.

Pro reſolutione huius quæſtionis, quæ difficilis eſt, ponam primò ea quæ certa ſunt, deinde quæ ſunt controuerſa.

PRIMA concluſio. Certum eſt apud omnes Doctores cum Ariſtotele, infinitum ſyncathegorematicum differre ab infinito cathegorematico, in eo, quòd in infinito ſyncathegorematico id, quod acceptum eſt, ſemper finitum eſt, ita vt non ſit aliquod poſitum illius in rerum natura, quod actu finitum non ſit, reſtat tamen ſemper alterum, atque alterum accipiendum, vt rectè explicuit Ariſtoteles 3. phyſic. text. 57. & 58. Infinitum verò cathegorematicum eſt illud, cuius tota entitas vel ſimul exiſtit, vel exiſtere poteſt, vel ſucceſſiuè exiſtit ſecundùm omnes ſuas partes, ita vt de illis, quæ vel aliquo tempore extiterunt, vel exiſtunt, dici non poſſit eas eſſe finitas; ex. gratia, ſi mundus fuiſſet productus ab æterno, iam pertranſiſſet tempus infinitum cathegorematicè, quia verè affirmari poſſet fuiſſe horas, dies, menſes, & annos actu poſitos ſine vllo termino, quod quidem de tempore infinito, quo duraturum eſt cœlum à parte pòſt, affirmari non poteſt, ſed potiùs affirmatur ſemper pertranſiſſe horas, dies, & annos finitos, & adhuc ſemper poſſe accipi alios, & alios dies & annos ſine vllo termino. 3. Prima concluſio. Ariſtot. Ariſtot.

Sed contra hanc concluſionem communiter acceptam inſurgit non parua difficultas, quia infinitum ſyncathegorematicum, ſiue ſit infinitum durationis à parte pòſt, ſiue collectio cogitationum damnatorum, quæ ſunt futuræ per totam æternitatem, eſt actu ponendum ſecundùm ſingulas ſuas partes; ergo totum eſt actu ponendum; ergo verum eſt dicere de præſenti quòd aliquando totum extitit; ergo non differt ab infinito cathegorematico. Vltima conſequentia eſt manifeſta. 4. Obiectio.

Secunda conſequentia, quòd ſcilicet ſi totum eſt ponendum de futuro, verum eſt dicere quòd aliquando totum exiſtit de præſenti, probatur, quia propoſitio de futuro, veritatem habet in ordine ad propoſitionem de præſenti: Et confirmatur, quia vnamquamque illarum cogitationum, ſeu partium temporis, Deus videt ſcientia viſionis: ergo vnam

Digitized by Google

vnamquamque videt pro vno tempore exiſtentem, & pro alio extitiſſe; quare ſi tota collectio eſt futura, ſequitur quòd verum eſt dicere aliquando (tota collectio eſt præſens:) Prima verò conſequentia, in qua eſt tota vis argumenti, quòd, ſcilicet, ſi ſingulæ partes ſint ponendæ actu, tota collectio erit ponenda, probatur, nam totum non ſunt niſi ſingulæ partes, valet igitur conſequentia à ſingulis partibus ad totum, præſertim cùm non varientur termini, ſicut in hoc caſu, in quo termini ſumuntur eodem modo; Sicut enim dicimus, ſingulas partes ſucceſſiuè eſſe futuras, & aliquando actu poſitas, ita etiam dicimus, totam collectionem partium non ſimul, ſed ſucceſſiuè eſſe ponendam.

5. Reſponſio. Ad difficultatem reſpondetur, & quidem multa poſſent dici circa illud principium philoſophicum, Vtrùm à diſtributiuo ad collectiuum valeat conſequentia, quod principium fuſiùs per multas quæſtiones examinauimus in primo tomo; Breuiter nunc dicitur concedendo ſecundam & tertiam conſequentiam, negatur tamen prima, non enim valet conſequentia à ſingulis partibus diſtributiuè ad totam collectionem, quando diuerſum quid aſſumitur in conſequente, quod affirmabatur in antecedente, quod tunc præcipuè contingit, quando totum collectiuum inuoluit potentialitatem quandam, & quandam confuſionem, & do inſtantiam manifeſtam; Ex. gratia, verè affirmatur de ſingulis partibus continui, quòd quælibet pars habet minorem, quia cùm continuū dicat potentialitatem ad diuiſionem, quælibet pars quæ ſignatur, habet minorem, quia eſt adhuc diuiſibilis in alias partes, non tamen inde bene concluditur, quòd tota collectio partiū habeat minorē, quia ſequeretur, quòd in tota collectione eſſet pars, qua non poſſit dari minor, quod eſt falſum; Et ratio à priori eſt, quia, vt dictum eſt, diuerſum quid aſſumitur in conſequenti, ab eo quod affirmabatur in antecedēti, nam cùm dicebatur in antecedenti, quòd ſingulæ partes habent minorem, non aſſumebatur aliqua pars vltima; at verò cùm dicitur in conſequente, quòd in tota collectione datur minor, tunc aſſumitur aliquod diuerſum, & falſū; aſſumitur enim vltima pars, quæ ſit minor; Ita ſimiliter applicando exemplum ad noſtrum propoſitum, dico verum eſſe antecedens; quòd ſcilicet, de ſingulis partibus temporis, ſeu de ſingulis cogitationibus damnatorum verè affirmatur, quòd extiterunt, quia facit ſenſum, quòd in vno inſtanti eſt tranſacta vna pars, in alio altera, & ſic de ſingulis; falſum autem eſſet, ſi diceretur quòd ſingulæ partes ſint tranſactæ in vno inſtanti; at verò cùm in conſequenti dicitur, quòd tota collectio temporis, vel cogitationum eſt elapſa, aſſumitur aliquod falſum, ſcilicet totam collectionem eſſe completam, quod quidem fieri non poteſt, niſi detur vltima pars, & vltimum inſtans, in quo tota collectio ſit elapſa, ac propterea aliquod diuerſum, & falſum aſſumitur in antecedenti, quod non aſſumebatur in conſequenti: Quòd ſi illud quod aſſumitur in conſequenti, aſſumeretur etiam in antecedenti, bona eſſet conſequentia, & falſum antecedens, vt ſi dicatur (datur vnum inſtans in quo verum ſit dicere, ſingulæ partes temporis ſunt elapſæ) verum etiam erit dicere (ergo datur vnum inſtans in quo omnes partes temporis ſunt elapſæ.)

6. Quòd ſi inſtes, Deus ſcientia viſionis videt vnamquamque partem pro vno tempore exiſtentem, & pro alio elapſam, ita vt nulla ſit, quæ hoc modo non videatur, ergo videt totam collectionem elapſam. Reſpondetur eodem modo, quòd ſingulas quidem partes videt vnam alteri ſuccedentem, ac proinde pro vno tempore vnam videt exiſtentem, & pro alio eandem elapſam; non tamen videt totam collectionem elapſam, quia tunc non videret alteram partem ſine fine ſuccedentem; ac proinde ſi videret totam collectionem elapſam, videret vltimam.

7. Secunda cōcluſio. Secunda concluſio. Infinitum ſyncathegorematicum differt à cathegorematico, quia cathegorematicum eſt actu; infinitum autem ſyncathegorematicum eſt in potentia, quæ nunquam poteſt poni in actu.

Explicatur concluſio. Primò nota. Pro explicatione huius concluſionis nota primò, quòd illud dicitur eſſe actu, quando tota entitas, vel ſimul, vel ſucceſſiuè extitit ſine vllo termino ex ea parte, qua infinita eſt; Syncathegorematicum verò eſt in potentia, quia, vt dictum eſt in prima concluſione, illud eſt infinitum ſyncathegorematicum, cuius quicquid exiſtit, finitum eſt; ſemper autem in eo reſtat aliud, & aliud, quod poſſit exiſtere.

Secundò nota. Nota ſecundò quòd eſſe in potentia, ſtat dupliciter; potentialitas enim alia eſt, quæ poteſt reduci tota in actum, vt ſunt infiniti Angeli poſſibiles, ſuppoſito quòd Deus poteſt creare infinitam multitudinem rerum immaterialium. Secunda potentialitas eſt, quæ non poteſt per Dei potentiam reduci in actum, ita vt tota entitas vel ſimul exiſtat, vel ſucceſſiuè tota extiterit, vt ſunt omnes dies poſſibiles æternitatis à parte pòſt, & omnes cogitationes damnatorum, quæ ſunt futuræ per totam æternitatem.

8. His notatis, ſunt nonnulli qui dicunt, omnia infinita, quæ includunt aliquam ex his potentialitatibus, eſſe infinita ſyncathegorematica, nonnulli verò quos nos ſequimur in hac concluſione, dicunt infinitum ſyncathegorematicum eſſe illud, quod tantùm includit ſecundam potentialitatem.

Probatur primò, quia hoc eſt conformius Ariſtoteli, qui quoniam negauit poſſe dari infinitum, dixit, quantitatem poſſibilem eſſe infinitam ſyncathegorematicè.

Probatur ſecundò, quia infinitum, quod includit priorem potentiam, non differt eſſentialiter ab infinito in actu, quia eſt idem infinitum, ſed tantùm differt, quia vnum eſt in actu entitatiuo, alterum verò in potentia obiectiua, ſicut homo poſſibilis, & homo exiſtens non differunt ſpecie; at verò infinitum ſyncathegorematicum, quod includit poſteriorem potentiam, differt eſſentialiter ab infinito cathegorematico, quod eſt in actu, quia illud eſt talis naturæ, vt neque per potentiam Dei poſſit reduci totum in actum, nos autem hìc quærimus differentiam eſſentialem: Hinc colligitur, quòd tempus à parte antè, ſi dari potuiſſet, differret eſſentialiter in ratione infiniti, vt infinitum eſt, à tempore à parte pòſt, quamuis conuenirent eſſentialiter in ratione durationis, quia tempus à parte antè, ſi potuiſſet dari, totum fuiſſet poſitum in actu ſucceſſiuè, quia verum nunc eſſet dicere (totum extitit ex ea parte qua infinitum eſt) quod nunquam poteſt verificari de tempore à parte pòſt.

9. Obiectio. Sed contra hanc ſecundam concluſionem, quæ communis eſt, inſurgit grauis difficultas, quia ſi ea, quæ ſunt infinita ſyncathegorematicè, nunquam poſſunt omnia reduci in actum, vt dictum eſt, ergo non ſunt poſſibilia, ſed impoſſibilia, & chimærica, quia eſſe actu, eſt menſura rei poſſibilis; & præterea ſequeretur, quòd poſſibilia non eſſent poſſibilia, omnia enim quæ ſunt in potentia, ſunt poſſibilia

Digitized by Google

bilia quia alioquin non eſſent in potentia, & tamen hæc quæ tu dicis eſſe poſſibilia, non eſſent poſſibilia, quia non poſſunt reduci ad actum.

Prima ſolutio. Ad hanc difficultatem aliqui ex Durando in 1. diſt. 39. quæſt. 2. reſpondent primò, ſingula poſſibilia eſſe quidem poſſibilia, non tamen omnia poſſibilia eſſe poſſibilia; ſicut ex eo quòd Deus poſſit ſingulas diuiſiones continui efficere, non valet inferre, quòd Deus poſſit omnes diuiſiones continui efficere; nulla enim poteſt in infinitum aſſignari diuiſio, quam Deus non poteſt efficere, & plures, & plures in infinitum, non tamen omnes.

Confutatur prima ſolutio. Sed contra hanc reſponſionem inſtatur, tum quia omnia iſta ſingula poſſibilia ſunt infinita, & tamen non poſſunt reduci in actum; tum quia omnia poſſibilia non includunt niſi ſingula poſſibilia; Et confirmatur, quia Deus videt omnia poſſibilia, & nullum eſt quod non videat, & tamen omnia illa poſſibilia, quæ vt poſſibilia videt Deus, non poſſunt reduci in actum, ita vt tota illa entitas infinita ſimul exiſtat, vel ſucceſſiuè extiterit.

10. Verior ſolutio. Reſpondeo igitur ſecundò, variari in argumento ſuppoſitionem; nam verum eſt, quòd Deus poteſt facere ſingula poſſibilia ſeorſim, ita vt omnia poſſibilia exiſtere poſſint ſeorſim, nam quodlibet habet potentiam ad exiſtendum; Falſum tamen eſt, quòd omnia poſſibilia poſſunt ſimul exiſtere; hoc enim eſt chimæricum, neque hoc videt Deus; Falſum eſt etiam, & impoſſibile, quòd omnia poſſibilia ſucceſſiuè extiterint, ita vt quandoque verum ſit dicere, (omnia extitiſſe) ſingula igitur poſſibilia ſunt poſſibilia, & omnia poſſibilia ſunt poſſibilia, non quidem ſimul, ſed ſeorſim in infinitum; Et per hæc patet ad inſtantiam de diuiſionibus continui.

11. Tertia concluſio. TERTIA concluſio, de qua præcipuè eſt controuerſia, Infinitum ſyncathegorematicum differt ab infinito cathegorematico in numero partium, & in magnitudine extenſionis, quia infinitum ſyncathegorematicum nunquam intrinſecè attingit infinitatem, ſed tendit ad illam.

Prima probatio. Probatur primò, quia hoc nomen ipſum ſignificat, cùm dicitur (finitum in infinitum), quaſi tendens ad infinitum.

12. Secũda probatio. Secundò probatur pluribus exemplis: Ponam autem tria, quæ ſunt præcipua, & quæ facilè demonſtrant hanc noſtram concluſionem.

Primum exemplum eſt de creaturis poſſibilibus, quarum vna poteſt creari perfectior altera in infinitum; oppoſitũ enim videtur fuiſſe error Vuickleffi apud Valdenſem tomo primo lib. 1. art. 3. cap. 14. & tamen hæc multitudo infinita creaturarum poſſibilium perfectiorum, & perfectiorum, non attingit intrinſecè infinitatem, quia nulla datur, nec dari poteſt creatura infinitæ perfectionis: Vnde Deus, qui videt totam multitudinem infinitam creaturarum, nullam videt infinitè perfectam, quia videret falſum, & tamen nulla eſt creatura præter eas, quæ ſunt obiectiuè in intellectu diuino, videt tamen Deus creaturam perfectiorem, & perfectiorem in infinitum ſine termino, cum quadam confuſione ex parte obiecti. (Valdenſ.)

Quòd ſi dicas, quamuis non poſſit dari creatura infinitè perfecta in tota illa collectione, numerus tamẽ illarum collectionum eſt infinitus cathegorematicè, quia vnus numerus componit cum alio; at verò vna perfectio non componit cum alia. Reſpondeo quòd ex vno licet arguere aliud, quia quò maior eſt numerus creaturarum perfectiorum & perfectiorum, eò maior debet eſſe perfectio; & quamuis vna perfectio non componat cum alia, tamen æquiualenter perfectio ſequens continet omnes perfectiones præcedentes, ita vt Angelus perfectus, vt quatuor, contineat æquiualenter perfectionem Angeli vt vnum, vt duo, & vt tria: ſi igitur numerus perfectiorum creſcit in infinitum cathegorematicè, neceſſe eſt dicere dari infinitam perfectionem cathegorematicè, quia continet æquiualenter omnes illas perfectiones infinitas cathegorematicè ſecundùm numerum.

Secundum exemplum eſt de diuiſionibus continui, quæ in omnium opinione non poſſunt omnes reduci ad actum, ita vt omnes vel ſimul ſint, vel ſucceſſiuè omnes extiterint, quia deueniretur ad partem infinitè minimam, quod eſt impoſſibile; ſignum eſt igitur, quòd illa infinita multitudo diuiſionum, quarum quælibet eſt minor, & minor in infinitum, non attingit minimitatem infinitam; & præterea certum eſt in tota illa multitudine non dari partem indiuiſibilem, quia implicaret in adiecto; ergo non attingitur infinitas in minimitate, quia ſi hæc attingeretur, diceret indiuiſibilitatem, quia ſi diceret diuiſibilitatem, daretur minor illa minimitate infinita.

Tertium exemplum eſt de velocitate motus ſucceſſiui continui per medium: hic enim ſemper poteſt eſſe velox, & velox in infinitum, nunquam tamen attingere poteſt intrinſecè velocitatem infinitam, alioquin poſſet fieri in inſtanti, quod repugnat motui ſucceſſiuo per medium.

Contra hanc concluſionem ſunt argumenta primæ ſententiæ, quæ mox infrà ſoluemus.

QVARTA concluſio, ea, quæ ſunt infinita ſyncathegorematica, non ſunt infinita cathegorematica ſecundùm eſſe reale, & poſſibile, ex eo quia ſunt actu obiectiuè in intellectu diuino. 13. Quarta concluſio.

Probatur primò, quia quamuis Deus ſimul videat omnia, nunquam tamen videt eſſe actu poſita in rerum natura, ſed ſimpliciter videt poſita finita, & quòd plura, & plura reſtant ponenda in infinitum; Nec obſtat, vt dictum eſt ſuprà, quòd Deus ſcientia viſionis ſimul videat ſingulas cogitationes damnatorum pro vno tempore præteritas, & pro alio præſentes; non, inquam, obſtat, quia non ideo licet inferre, quòd Deus videat totam collectionem cogitationum eſſe præteritam, ac proinde videat illam vt infinitam cathegorematicè, quia nil reſtat accipiendum vt futurum; non, inquam, hoc licet inferre, hinc enim ſequeretur, quòd videret vltimam cogitationem, ſed potiùs licet inferre, quòd Deus poſt quamlibet cogitationem præteritam videt alteram ſuccedentem ſine termino, ſicut eſt à parte rei, ac proinde videt illas infinitas ſyncathegorematicè. (Prima probatio.)

Probatur ſecundò, ſeu confirmatur, quia Deus videt aliquod poſſe poni in re ſine termino, & tamen non videt illud vt infinitum cathegorematicè. Probatur aliquibus exemplis: 14. Secũda probatio.

Primum eſt, Videt Deus infinitos motus ſucceſſiuos, & continuos, vnum altero velociorem ſine termino, nullum tamen videt infinitè velocem, quia videret impoſſibile; implicat enim, motum ſucceſſiuum, & continuum eſſe infinitè velocem, quia videret eſſe inſtãtaneum, quod implicat. Præterea & eſt

Secundum exemplum, ſimul videt Deus omnes diuiſiones poſſibiles continui, non tamen propterea cognoſcit, aliquam partem continui non eſſe vlteriùs diuiſibilem, ſed ſemper cognoſcit minorem & minorem partem ſine termino, nullam tamen

Digitized by Google

men cognoſcit ita infinitè minimam, vt vlteriùs non poſſit diuidi, quia nullam cognoſcit indiuiſibilem, cognoſceret enim falſum.

Tertia probatio. Probatur tertiò, quia infinita ſyncathegorematica, non acquirunt in illa cognitione Dei ſimultanea, ſimultaneitatem intrinſecam; ſemper enim retinent ſuam intrinſecam ſucceſſiuitatem, ac proinde non acquirunt cathegorema intrinſecum.

15. Dubium circa quartam concluſionem. DVBIVM circa hanc concluſionem occurrit; An quamuis hæc infinita ſyncathegorematica cognita à Deo non ſint ſecundùm eſſe intrinſecum reale, & poſſibile, infinita cathegorematica, ſint tamen cathegorematica ſecundùm eſſe obiectiùum, quatenus omnia illa ſunt ſimultaneè cognita à Deo.

Reſpondetur, quòd dici poteſt, quòd ſint in intellectu diuino infinita cathegorematica per denominationem tantùm extrinſecam, à cognitione diuina, quæ eſt ſimultanea, à qua illa infinita denominantur ſimultaneè cognita, ac proinde habent aliquod cathegorema extrinſecũ; Et hoc modo intelligendus eſt S. Thom. (S. Thom.) cùm dicit quòd infinita ſyncathegorematica, cùm ſunt in intellectu diuino, fiunt infinita cathegorematica, quia hinc patet differentia inter actum viſionis, & actum effectionis, quia actus viſionis ſimul fertur in illa, actus autem effectionis fertur in ſingula diſtributiuè, & ſucceſſiuè, non autem ſimul in omnia collectiuè; quòd ſi ſimul ferri poſſet in omnia ſingula, poſſet etiam ferri in omnia collectiuè; quia igitur cognitio Dei ſimul fertur in ſingula, etiam fertur ſimul in omnia collectiuè; ac propterea dici poteſt, quòd quatenus ſunt obiectiuè in intellectu diuino, ſũt infinita cathegorematicè extrinſecè tantùm, non autem, quòd ex illa cognitione accipiant aliquod cathegorema intrinſecũ, quia non accipiunt ſimultatem intrinſecam, ſemper enim retinent ſuam intrinſecam ſucceſſiuitatem, vt dictum eſt.

16. Quinta concluſio. QVINTA concluſio, Si per impoſſibile totum infinitum ſyncathegorematicum poneretur actu, adhuc non eſſet infinitum cathegorematicum;

Probatur à priori. Et ratio eſt, quia eo modo poneretur actu, ſicut eſt in potentia, ſed vt eſt in potentia non attingit infinitatem intrinſecè, vt probatum eſt, ergo, ſi poneretur actu, non propterea eſſet infinitum cathegorematicum.

Probatur ſecundò exemplis. Primum. Exemplis fiet magis manifeſtum. Si omnes poſſibiles creaturæ perfectiores, & perfectiores ſine termino ponerentur actu, nulla eſſet actu infinitè perfecta, quia in potentia nulla cognoſcebatur à Deo infinitè perfecta.

17. Secundum exemplum. Præterea ſi omnes motus ſucceſſiui, & continui velociores, & velociores ſine termino ponerentur actu, non propterea fieret, vt aliquis motus ſit actu inſtantaneus, quia ponerentur omnes motus veloces, & veloces poſſibiles, inſtantaneus autem non eſt poſſibilis.

Tertium exemplum. Præterea, ſi omnes diuiſiones continui quæ ſunt ſine termino, ponerentur actu eo modo, quo ſunt in potentia, non propterea daretur aliqua pars infinitè minima, quia omnes illæ diuiſiones, quæ ſunt in potentia ſine termino, ſupponunt partem extenſam minorem, & minorem, ergo cùm ponuntur actu, ſunt ponendæ eo modo quo ſunt in potentia, partes ſcilicet extenſæ minores, & minores, ſine termino; ſi autem daretur infinitè minima, non eſſet ampliùs diuiſibilis, quia attingeret infinitatem in minoritate, qua non dari poſſet minor; ergo infinitum ſyncathegorematicum ſi ponatur in actu, non fieret infinitum cathegorematicè.

Quòd ſi quæras, quare implicat eſſe actu, & non implicat eſſe in potentia? Reſpondetur, quia daretur actu multitudo, ſeu magnitudo finita ſine termino, quod implicat; non autem implicat in potentia, quia quæcunque accipiuntur, actu finita ſunt & determinata, quæ autem reſtant accipienda in potentia, hæc ſunt ſine termino.

18. Reſpõſio ad argumenta. Ad primum. AD argumenta initiò poſita quæ præcipuè ſunt contra tertiam concluſionem, reſpondetur. Ad primum, quòd illa definitio Ariſtotelis de infinito poteſt applicari infinito cathegorematico, & ſyncathegorematico; Vel dicendum, quòd Ariſtoteles ſolùm diffiniuit infinitum ſyncathegorematicum, quia negat cathegorematicum.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum patet reſponſio, ex quinta concluſione; negatur enim, quòd ſi omnes diuiſiones continui ponerentur actu eo modo, quo ſunt in potentia, deueniretur ad indiuiſibile, ſed ad partes minores, & minores extenſas ſine termino: Aliqui tamen concedunt caſum, & dicunt hoc mirum non eſſe, quia ex vno impoſſibili, ſequitur aliud impoſſibile.

19. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur, quòd ſi tempus infinitum à parte pòſt, poneretur per impoſſibile à parte antè, tunc ſequeretur aliud impoſſibile, quòd eſſet infinitũ cathegorematicum; vel ſi velis quòd tẽpus infinitum à parte pòſt, eo modo ponatur à parte antè, quo eſt in potentia à parte pòſt, tunc ſequeretur aliud impoſſibile, quòd à parte antè, totum quod fuiſſet acceptum, fuiſſet finitum, & ſemper reſtaret aliquid accipiendum in infinitum; hoc autem quamuis ſit impoſſibile, ſequitur tamen ex illa alia hypotheſi impoſſibili.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm detur, ſeu naturaliter dari poſſit infinitum.

DE duplici infinito poteſt agitari quæſtio; Primò & præcipuè de infinito corporeo: Secundò, de infinito ſpirituali, cuiuſmodi eſt infinitudo animarum.

CIRCA primam partem quæſtionis de infinito corporeo ſit

1. Prima concluſio. PRIMA concluſio communis Peripateticorum, & Theologorum. Neque datur, neque dari poteſt naturaliter corpus infinitum.

Hanc concluſionem probat multis rationibus Ariſt. 3. phyſ. & 1. cœli à text. 35. vſque ad 76. quæ rationes omnes ad hanc reducuntur; Omnia corpora aut ſunt ſublunaria, aut cœleſtia, extra enim cœlum non dari corpus ſupponitur, quia non poteſt cognoſci ratione naturali; ſi ſunt ſublunaria, neceſſariò ſunt finita, tum quia finiuntur ipſa cœli ſuperficie, quod mox oſtendemus eſſe finitum; tum quia corpus ſublunare naturaliter mouetur motu recto per grauitatem, ſeu leuitatem; ſi autem eſſet infinitum, non poſſet moueri, quia vel eſſet infinitum ex omni parte, & tunc occuparet omnem locum; ac proinde non poſſet moueri motu recto; vel eſſet infinitum verſus Orientem tantùm, & tunc non poſſet moueri verſus eam partem Orientis, verſus quam eſt infinitum, quia iam occuparet totum illum locum; nec poſſet moueri verſus Occidentem, quia deberet relinquere tantundem ſpatij ex ea parte, ex qua eſt infinitum, quod implicat contradictionem, quia poſſet ex illa parte qua eſt infinitum, fieri additio, & conſe-

quenter

Digitized by Google

quentet illud infinitum terminaretur duobus terminis. A

2\. Quòd verò neque corpus cœleſte ſit infinitum, probatur, quia corpus cœleſte naturaliter finito tempore abſoluit ſuum motum, & ita nunc eſt de facto; at verò ſi eſſet infinitum, non poſſet abſoluere motum tempore finito, quia deberet pertranſire diſtantiam infinitam tempore finito, quod ſaltem naturaliter implicat, imò videtur quòd neque poſſet fortè moueri ſecundùm partem, vt patet ex probatione Ariſtotelis.

Pro qua ſuppono duo: Primum quòd motus circularis tunc ſit, cùm vna pars ingreditur locum alterius.

Suppono ſecundò, quòd omnes lineæ rectæ B exeuntes à centro eiuſdem circuli ad circumferentiam, quò magis diſtant à centro, eò magis diſtant inter ſe; quare ſi infinitè diſtabunt à centro, infinitè diſtabunt inter ſe; ſi igitur corpus infinitum moueretur circulariter, tunc vna linearum, quæ trahitur à centro, ſuper quod ſit talis motus, perueniret aliquando ad locum alterius; ſed inter lineas illas eſt diſtantia infinita, vt patet ex ſecundo ſuppoſito; ergo diſtantia infinita pertranſiretur tempore finito; quia, vt patet ex primo ſuppoſito, tunc eſt motus circularis, cùm vna pars ingreditur locum alterius.

3\. Sed contra hanc concluſionem communiter receptam ſunt ſex difficultates. C

Prima obiectio ſeu difficultas.

Prima difficultas eſt de partibus proportionalibus.

Solutio.

Sed huius facilè ſolutio patet ex his, quæ diximus in diſputatione tertia de quantitate quæſtione ſexta; & præterea hîc eſt ſermo de multitudine, ſeu magnitudine ſecundùm partes infinitas æquales vni certæ & determinatæ.

4\. Secũda difficultas de linea giratiua.

Secunda difficultas eſt de linea giratiua, in hac enim ſunt infinitæ partes æquales vni certæ ſecundùm longitudinẽ, vnientes partes latitudinis.

Quòd ſi dicas, iſtas partes non eſſe actu diſtinctas, ac proinde non dari multitudinem infinitam partium æqualium. Contra hoc eſt

Primò, quia iſtæ partes lineæ giratiuæ ſaltem D componunt vnam lineam giratiuam infinitam; & præterea

Secundò, ſi iſtæ partes lineæ quæ ſunt conuolutæ, euoluerentur a Deo, occuparent ſpatium infinitum.

Solutio.

Reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd non componunt lineam ſimpliciter infinitam, quia ad huiuſmodi compoſitionem requiritur vt habeant illæ partes determinatam diſtantiam, ita vt vna diſtet ab alia per diſtantiam determinatam; at diſtant per diſtantiam indeterminatam, non ſecus ac ipſæ partes latitudinis quas ipſa linea giratiua ad inuicem vnit; eſt enim linea giratiua eſſentialiter ratio vniendi partes ſuperficiei: quia igitur iſtæ E ſunt minùs, & minùs inter ſe diſtantes in infinitum; ita etiam illa linea giratiua petit eſſentialiter habere partes minùs & minùs inter ſe diſtantes.

Ad ſecundũ dicitur, quòd ſi Deus euolueret illam lineam, non occuparet ſpatium infinitum, quia non haberet diſtantiam determinatam; ſicut ſi Deus per impoſſibile diuideret continuum in omnem ſui partem, non propterea illæ partes quæ ſunt indeterminatæ extenſionis, fierent determinatæ extenſionis; Vel dicendum, quòd dato vno impoſſibili, ſequitur aliud impoſſibile; ſicut ſi per impoſſibile Deus ſepararet omnes illos infinitos palmos ſecundùm longitudinem, quæ ſunt in quantitate palmari; profectò occuparent ſpatium infinitum, cùm tamen non repugnet, illos infinitos palmos eſſe conuolutos, & confuſos, in palmari quantitate; ita etiam poſſet dici de partibus lineæ giratiuæ, etiam ſi haberent diſtantiam determinatam.

Quòd autem ſit impoſſibile vt Deus ſeparet illos infinitos palmos ſecundùm longitudinem, vel illas partes lineæ giratiuæ, probatur, quia non poteſt dari longitudo, vel latitudo ſine corpore; non enim diſtinguuntur à corpore.

Tertia difficultas eſt, quia in ſubiecto vniformiter albo (vt octo) datur infinita albedo ſecundùm partes æquales; in qualibet enim parte proportionali eſt albedo (vt octo), partes autem proportionales ſunt infinitæ. 5.

Tertia difficultas de albedine vt octo ſparſa per totũ cõtinuum.

Reſpondetur, quòd illæ albedines (vt octo) ſunt in partibus proportionalibus in confuſo; ſicut ſunt ipſæ partes proportionales quantitatis; ita vt non poſſit aſſignari vna albedo (vt octo), ſicut neque poteſt aſſignari vna pars porportionalis quantitatis; an autem per diuinam potentiam poſſint illæ albedines (vt octo) ſeparari à partibus illis proportionalibus, cùm albedo diſtinguatur realiter à ſubiecto quanto, diximus ſuprà in tertia diſputatione quæſtione tertia ad quartum.

Quarta difficultas eſt de vacuo, ſuppono autem extra cœlum dari diſtantiam infinitam, quæ eſt quædam capacitas ad recipiendum corpus quantum: ſicut à ſimili, ſi Deus annihilaret aërem intermedium tripalmarem inter duos parietes, & ſubtraheret concurſum, ne parietes vniantur, profectò remaneret illa diſtantia tripalmaris ſine vllo corpore, ideo enim requiritur ad replendum illud vacuum quantitas tripalmaris, quia ſupponitur diſtantia tripalmaris, alioquin non eſſet maior ratio, quare non poſſit repleri per palmarem potiùs, quàm per tripalmarem, vt infrà in prædicamento Vbi fuſiùs probabimus. 6.

Quarta difficultas de diſtantia infinita vacui ſuper extremam ſuperficiem cœli.

Reſpondetur, concedendo illam diſtantiã eſſe infinitam, ſed hinc nullum ſequitur abſurdum, ſicut ſequitur ſi admittatur aliquod corpus reale infinitum, quia cùm illa diſtantia non ſit realis, erit incorruptibilis, & immobilis, quare nunquam poſſet aſſignari terminus, ſicut aſſignatur in magnitudine, ſeu multitudine rerum corporearum, quia, vt latiùs oſtendemus quæſtione ſequenti, ſi Deus corrumperet alternos palmos, & alios vniret, iam daretur terminus in illo ſpatio.

Quòd ſi dicas, ideo aſſignari poteſt terminus, quia verè ante ſignationem erat terminus, ergo etiam ſi in vacuo non poſſit à nobis aſſignari terminus, non ſequitur, quòd verè non ſit terminus.

Reſpondetur quòd non valet conſequentia, ſicut non valet hæc (ſi continuum diuideretur in omnem ſui partem, diuideretur in puncta, ergo continuum conſtat ex punctis) hoc enim ſequitur ex diuiſione præciſè; Ita etiam dicendum eſt, quòd terminus prouenit præciſè ex eo, quia corpus poteſt augeri, & minui, quod non poteſt dici de vacuo.

Quinta difficultas eſt de entibus poſſibilibus, hæc enim ſunt infinita ſecundùm communiorem opinionem. 7.

Quinta difficultas de infinitudine entium poſſibilium.

Reſpondetur, qui tenent eſſentias rerum non habere eſſe actuale à parte rei eſſentiæ, quod eſt valde probabile, nullam habent difficultatem, quia tunc eſſentiæ rerum tantùm habent eſſe potentiale in cauſa; Qui verò tenent eſſentias rerum habere eſſe actuale eſſentiæ à parte rei, quod tenuimus probabile ſuprà in prædicam. ſubſt. quæſtione prima, reſpondere poſſunt, ſicut reſponſum eſt in quarta difficul

Digitized by Google

difficultate de vacuo, quòd eſſentiæ rerum, vt eſſentiæ ſunt, ſunt incorruptibiles, & immutabiles, ac proinde non repugnat illis infinitudo, quia non poteſt aſſignari terminus, ſicut aſſignari poteſt in rebus exiſtentibus; quæ poſſunt diminui, & corrumpi, &c.

8. Sexta diſſicultas de infinitate negationum.

Sexta & maior difficultas eſt de negationibus, quæ quidem ſunt infinitæ, ſicut formæ oppoſitæ ſunt infinitæ. Ratio autem maioris difficultatis eſt, tum quia illæ negationes infinitæ habent ſuam exiſtentiam abuſiuam, quatenus exercent actum negationis: tum quia non ſunt incorruptibiles, ſed corrumpuntur per poſitionem formarum oppoſitarum; poſſet igitur in illis aſſignari terminus, ſicut aſſignaretur in formis poſitiuis infinitis ſi dari poſſent.

Reſpondetur, quòd nunquam ab illis poteſt tolli multitudo infinita, ſed ſemper finita, ac proinde in ratione infiniti ſunt incorruptibiles; quia formæ oppoſitæ, vt ſupponimus ex dicendis in ſequenti quæſtione, non poſſunt eſſe infinitæ; tolluntur autem negationes per formas oppoſitas; & hinc fit vt non poſſit in ratione infiniti aſſignari terminus; quia non poteſt fieri additio nec detractio.

Quòd ſi dicas, ideo aſſignari poteſt terminus in ipſis formis oppoſitis exiſtentibus, quia in ipſis formis eſt terminus; ergo erit etiam idem terminus in negationibus illarum formarum, quamuis à nobis aſſignari non poſſit.

9. Reſpondetur, ſicut dictum eſt ſuprà in quarta difficultate de vacuo, quòd non valet paritas. Et explicatur magis, quia ſicut diuiſio omnimoda in partibus continui ſi dari poſſet, faceret vt poſſet aſſignari vltima & prima pars, & tamen quando partes non ſunt diuiſæ, non poteſt in illis aſſignari prima, & vltima: Ita ſimiliter exiſtentia tùm ſit ex natura ſua amouibilis, facit vt poſſit aſſignari terminus in ipſis formis infinitis exiſtentibus, per detractionem infinitarum formarum exiſtentium, quæ includuntur in ipſo numero infinito formarum, quodlibet enim infinitum conſtat ex partibus infinitis, quæ ſi ſunt exiſtentes, poſſunt corrumpi per Diuinam potentiam; & hæc de prima parte huius quæſtionis de infinito corporeo.

Secūda pars quæſtionis an animæ ſint infinitæ numero apud Ariſtotelem.

Circa ſecundam partem quæſtionis, An ſcilicet apud Ariſtotelem detur infinitum rerum ſpiritualiū? dubitatur inter Peripateticos; Nonnulli tenent partem affirmatiuam, quia ſuppoſita, inquiunt, opinione Ariſtotelis de æternitate mundi, 8. phyſic. & alia opinione eiuſdem Ariſtotelis de immortalitate animæ 3. de anima, ſequitur manifeſtè apud Ariſtotelem, quòd animæ rationales ſint numero actu infinitæ; quia per totam æternitatem fuiſſent infinitæ animæ creatæ, quæ cùm ſint immortales, adhuc ſupereſſent. His tamen non obſtantibus ſit

10. Secunda concluſio.

Secunda concluſio. Probabilius eſt cùm meliori parte Peripateticorum, non dari apud Ariſt. infinitum actu rerum ſpiritualium; tum quia aliquæ rationes quas affert Ariſt. 3. phyſic. vniuerſaliter probant nullum dari infinitum, & quamuis illæ rationes quibus probat infinitudinem rerum ſpiritualium, ſint Logicæ, & non omnino efficaces, vt nos infrà etiam oſtendemus in quæſt. quinta; non tamen inde ſequitur, quòd ex eo loco non colligatur mens Ariſtotelis negantis infinitudinem rerum ſpiritualium; tum quia ſecundò infrà quæſtione quinta oſtendemus cum Ariſtotele, implicare infinitum rerum ſpiritualium; tum quia tertiò Ariſt. non videtur aliud infinitum agnoſcere niſi infinitum in

A potentia: comparat enim infinitum ludis olympicis, qui quidem ſunt in quadam ſucceſſione.

11. Reſpōſio ad loca Ariſtotelis in oppoſitum.

Ad loca autem Ariſtotelis, quæ allata ſunt in oppoſitum, ex 8. phyſic. & 3. de anima, ex quibus videtur colligi dari infinitam multitudinem animarum ſuppoſita æternitate mundi, ex 8. phyſic. & immortalitate animæ rationalis ex 3. de anima, variè reſpondetur à Peripateticis. Aliqui primò reſpondēt Ariſt. fuiſſe dubium de immortalitate animæ. Sed hæc reſpōſio non placet, oſtendimus enim in primo tomo in primo principio philoſophico in corollario de immortalitate animæ, ex multis locis, Ariſtotelem clarè tenuiſſe animæ immortalitatem.

Secundò reſpondent nonnulli alij admittendo B Ariſtotelem dixiſſe contradictoria, cùm ponat ſimul æternitatem mundi & immortalitatem animæ; Sed neque hæc reſponſio placet, non enim poſſet excuſari Ariſtoteles in re tam graui & in tam manifeſta contradictione.

Reſpondeo igitur tertiò ad hoc, vt Ariſtoteles vindicetur à manifeſta contradictione, quòd Ariſt. non expreſsè negauit tranſmigrationem animarum Platonicam de corpore ſcilicet humano, in aliud corpus humanum, ſed tantùm tranſmigrationem Pythagoricam de corpore humano in corpus brutale; Suppoſita autem tranſmigratione Platonica, non eſt neceſſe, vt numerus animarum per totam æternitatem fuerit infinitus; ſatis eſt enim vt ani- C mæ ſint finitæ numero, quæ modò informent hæc corpora, modò illa.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm per potentiam Dei abſolutam dari poſſit magnitudo, vel multitudo rerum corporearum infinita.

1. Prima ſententia. Ocham. Gregor.

Prima ſententia affirmat. Eſt Ochami in 2. diſtinct. 2. & Gregorij in 1. diſtinct. 43. quæſt. 4.

Primum argumentum.

Probatur primò, Quidquid non implicat contradictionem, poteſt fieri à Deo; ſed infinitum actu D non implicat contradictionem, ergo, &c. Maior eſt manifeſta. Minor probatur aliquibus exemplis, quæ ſuprà fuſiùs attulimus in præcedenti quæſtione, quæ breuiter hîc recenſebimus.

Primum exemplum eſt de illa infinita diſtantia vacui, quæ eſt ſuper extimam ſuperficiem cœli. Secundum exemplum eſt de multitudine infinita partium in continuo, quæ actu ſunt in continuo, vel de multitudine punctorum infinitorum. Tertium exemplum de partibus lineæ giratiuæ, quæ ſunt æquales vni tertio, & ſunt infinitæ, &c. Quartum de albedine vt octo, extenſa per quantitatem palmarem, ſunt enim infinitæ collectiones quantitatum, quarum quælibet conſtat ex octo gradibus al- E bedinis. Quintum exemplum eſt de infinitis negationibus, ſeu priuationibus, quæ exercent actum negationis in ſubiecto.

Secundum argumētū.

Secundò probatur, Si eſſent infiniti Angeli, facerent infinitas intellectiones; ſed quidquid poſſent facere creaturæ, poteſt Deus facere; ergo ſi Angeli poſſunt facere infinitudinem intellectionum, poteſt Deus facere infinitudinem rerum corporearū.

Tertium argumentum.

Tertiò, Producat Deus in hoc inſtanti quot homines poteſt producere ſucceſſiuè, non enim videtur illud negandum, tum quia quidquid Deus poteſt ſucceſſiuè, poteſt in inſtanti, quia potentia Dei in rebus permanentibus non videtur eſſe minor

Digitized by Google

nor in inſtanti, quàm ſucceſſiuè, tum quia non poteſt eſſe verior propoſitio quàm hæc (Deus quidquid poteſt facere, poteſt facere) vel igitur homines in hoc inſtanti erunt finiti, & hoc non, quia potuiſſet producere plures, erunt igitur ſine termino, & quia ſunt omnes actu, erũt infiniti cathegorematicè.

Quòd ſi dicas, Deum non poſſe producere pro hoc inſtanti quidquid poteſt, niſi determinetur à ſua voluntate; Contrà, producat Deus quot Angelos poteſt velle; vel ergo erunt finiti, & hoc non, quia plures potuiſſet velle, vel infiniti, & habetur intentum.

Quartũ argumentum. Quartò, Potentia infinita poteſt producere effectum infinitum, ſed potentia Dei eſt infinita ſimpliciter, ergo, &c. Minor eſt certa; Maior probatur, primò, quia ſicut potentia maior poteſt producere B maiorem effectum, ita maxima maximum. Secundò potentia productiua infinita Dei eſt æqualis potentiæ intellectiuæ eiuſdem Dei; ſed potentia intellectiua Dei agnoſcit multitudinem infinitam rerum corporearum, ergo etiam productiua poterit producere eandem multitudinem infinitam.

Quintum argumentũ. Quintò, Deus cognoſcit omnes partes proportionales horæ, & omnia inſtantia, ergo in qualibet parte cognita, & in quolibet inſtanti poteſt producere vnum hominem, ergo in fine horæ erunt infiniti. Antecedens probatur, quia non eſt maior ratio, quare poſſit creare in inſtanti initiatiuo, & terminatiuo, & non in inſtanti medio continuatiuo, quia ita cognoſcit terminatiuum, ſicut continuatiuum.

Sextum argumentum. Sextò, Motus cœli potuit eſſe ab æterno, imò de C facto fuit ſecundùm Ariſtotelem, ergo præceſſerunt infiniti dies: nõ videtur autem implicare, quare in ſingulis diebus nõ potuerit creare vnũ hominẽ, ac proinde in hoc inſtanti eſſent infiniti homines.

Septimum argumentũ. Septimò, Deus videt infinitos homines actu ponibiles, ergo poſſunt poni actu; Conſequentia eſt clara, quia alioquin Deus videret falſum; Antecedens probatur, quia non videt tot ponibiles, & non plures, ergo videt infinitos.

2. *Secũda ſententia. S. Thom. Caiet. Ferrar. Sot. Bon. Durand. Scot. Ariſtot.* Secunda ſententia communior negat poſſe à Deo produci infinitam magnitudinem, ſeu multitudinem rerum corporearum. Eſt S. Thom. par. 1. quæſtione 2. art. 3. & 4. Caiet. & aliorum expoſitorum ibidem. Ferrar. in 2. contra gent. cap. 81. verſ. ſed circa prædicta. Sot. 3. phyſic. quæſt. 4. Bon. D in 1. diſt. 46. Durand. ibidem. Scot. in 2. diſt. prima quæſt. 3. & eſt communis Peripateticorum cum Ariſt. 3. phyſic. & 1. cœli. Pro cuius ſententiæ explicatione pono quatuor concluſiones.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

3. Impossibile eſt dari magnitudinem, ſeu multitudinem rerum corporearum, quæ actu occupet ſpatium infinitum. Hæc concluſio eſt S. Tho. in 1. primæ. Scot. in 2. diſt. 1. q. 3. Durand. & Bon. in 1. & communis Peripateticorum cum Ariſt. in 3. Phyſic. & 1. cœli 6.

Solet probari hæc concluſio ex multis rationibus, & implicantiis, quæ militant, tam contra magnitudinem, & multitudinem rerum corporearum, quàm contra multitudinem rerum ſpiritualium; Sed quia commodiùs huiuſmodi implicantiæ examinabuntur infrà in ſequenti quæſtione, ideo ponam hìc tantùm illas rationes, & implicantias, quæ peculiari ratione militant contra magnitudinem, & multitudinem rerum corporearũ, neceſſe eſt autem ſingulas examinare, quia non omnes probant efficaciter.

Alii igitur apud Arimin. probant primò hanc concluſionem; Quantitas, inquiunt, infinita, vel eſt mobilis, vel immobilis; ſed neutrum poteſt dici, ergo, &c. Minor probatur, quia ſi eſſet mobilis, vel moueretur verſus partem infinitam Orientalem, & tunc in motu occuparet priùs vnum palmum, & poſtea duos, non ergo erat infinita verſus Orientem: Si verò occupauit totum ſpatium infinitum verſus Orientem, moueatur per vnum palmum verſus Occidentem, tunc ſequeretur, quòd per vnum palmum diſtaret à parte infinita, neque poteſt dici, quòd hæc quantitas eſſet immobilis, quia mobilitas eſt paſſio corporis, implicat autem dari ſubiectum ſine ſua paſſione. 4. *Prima implicantia.*

Reiicitur. Sed hæc implicantia non eſt efficax, ſolui enim poteſt; ſi dicatur magnitudinem infinitam eſſe immobilem; Et cùm inſtatur, quòd mobilitas eſt paſſio corporis; reſpondere poteſt, quantitatem vt abſtrahit a finita, & infinita, habere mobilitatem tanquam propriam paſſionem ſecundùm partes tantùm diſtributiuè ſumptas; mobilitatem autẽ ſecundùm partes collectiuè ſumptas non eſſe paſſionem corporis infiniti, ſed tantùm finiti, ſicuti qui tenent creaturam poſſe produci ab æterno ſine motu, dicunt mobilitatem eſſe paſſionem illius creaturæ, quatenus habet potentiam ad motum poſt tranſactam æternitatem à parte antè.

Quòd ſi inſtes, ſi daretur quantitas infinita, eſſet occupatiua loci, non ſolùm diſtributiuè, ſed collectiuè, ergo etiam à pari quãtitas non ſolùm eſt mobilis diſtributiuè, ſed collectiuè. Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam motus eſt paſſio non ita intrinſeca corpori, ſicut eſt occupatio loci, ex eo enim, quòd res eſt quanta, habet correſpondentiam cum loco, cui debet coëxtendi; ac propterea collectio partium, non poteſt afferre impedimentum, quin moueatur localiter, ſicut à ſimili creatura ab æterno non poteſt moueri localiter, quia æternitas affert impedimentum motui, at verò non affert impedimentum quin poſſit extendi localiter.

Secundam implicantiam afferunt alij, Redigantur, inquiunt, à Deo omnes partes quantitatis infinitè extenſæ verſus Orientem in figuram rotundam; tunc ſequeretur, quòd illa quantitas eſſet infinita in loco finito; Quòd autem ſit infinita, probatur, quia eſt eadem quantitas, quæ priùs erat extenſa infinita verſus Orientem; Quòd verò ſit in loco finito, probatur; quia impoſſibile eſt vt occupet locum infinitum ex omni parte; nàm antea erat infinita tantùm verſus Orientem, ex vna igitur parte non occupabit locum infinitum; Sed hinc vlteriùs ſequitur, quòd ex nulla parte occupabit locum infinitum; quia figura rotunda porrigitur æqualiter ex omni parte; ergo ſi ex vna parte non occupabit locum infinitum, ex nulla parte occupabit; remanet igitur probatum quod intendebatur, quantitatem finitam eſſe in loco finito. 5. *Secũda implicantia.*

Reiicitur. E Sed hæc implicantia non eſt efficax; ſolui enim poteſt, ſi dicatur, Deum non poſſe omnes partes illius magnitudinis infinitè extenſæ verſus Orientem redigere in figuram rotundam. Probat Ariſt. 1. cœli text. 59. includit enim figura rotunda extremitates ex omni parte, atque adeò terminum; ſicut à ſimili, non poteſt Deus lineam giratiuam columnæ extendere rectè in infinitum, vt ſuprà fusè probauimus quæſt. 3. in 3. dubitatione.

Tertiam implicantiam afferunt nonnulli alij, Sint, inquiunt, duæ quantitates infinitæ æqualiter porre 6. *Tertia implicantia.*

Digitized by Google

porrectæ verſus Orientem, poſtea corrumpat Deus vnum palmum ex vna quãtitate, ex parte finita verſus Occidenté, tunc ſequeretur, quòd illa quantitas eſſet æqualis, & inæqualis alteri quantitati, æqualis quidem, quia vtraque haberet palmos infinitos correſpondentes ad inuicem, inæqualis autem, quia altera excederetur in vno palmo.

Reiicitur. Sed hæc implicantia non eſt efficax; Solui enim poteſt ſi dicatur, quòd ex parte finita habent inæqualitatem, non autem ex parte infinita.

7. Quarta implicantia. Aureolus. QVARTA implicantia eſt Aureoli in 1. diſt. 44. art. 1. Infinitum, inquit, partibile importat proceſſum partium in infinitum, ſed talis proceſſus repugnat cum infinito in actu, ergo magnitudo infinita in actu dari non poteſt; Minor probatur, quia B proceſſus partium in infinitum eſt admixtus potentiæ, ac tendentiæ in infinitum, quod quidem non poteſt ſtare cum infinito in actu, ſicut omnes partes temporis non poſſunt eſſe ſimul actu, proceſſus enim in infinitum ex ſuo conceptu excludit omnium coëxiſtentiam. Maior, in qua eſt tota vis argumenti, probatur quatuor rationibus.

Prima ratio eſt, quia eſſentia infiniti partibilis conſiſtit in actu permixto potentię, nihil enim aliud eſt infinitas partium, niſi habere partes ſine fine; finis autem, & complementum, ſunt idem, ergo partes ſine fine, eſt habere ſine completione, & terminatione, hoc autem eſt conſiſtere in quodam proceſſu partium non conſummato, ita vt aliqua pars ſit ſumpta, & nondum omnes ſint ſumptæ.

C Secunda ratio eſt, quia magnitudo infinita eſt quãtitas, ergo dicit extreitatem partium; & quia eſt infinita, dicit partes extra alias atque alias in infinitum; de infinito enim ſemper eſt, aliquid accipere, ac proinde de eo non eſt niſi pars, extra quam ſemper ſit alia, atque alia in infinitum, hoc autem conuenit infinito ſyncathegorematico ſeu in potentia, quod propterea habet rationem partis; implicat igitur dari infinitum cathegorematicum, ſeu actu, hoc enim deberet dicere actualem exiſtentiam omnium partium, & potiùs habere rationem totius.

Ariſt. Tertia ratio eſt, quia Ariſtoteles tertio phyſicor. hanc eandem rationem videtur aſſignare contra antiquos ponentes infinitum quantum actu, quia infinitum, inquit, non eſt illud, cuius nihil eſt extrà, D vt dicebant antiqui, alioquin totum, ſeu perfectum finitum, eſſet infinitum, cùm extra illud nihil ſit; ſed infinitum, inquit, eſt illud, cuius ſemper ſit aliquid accipere, ita vt ſemper quibuslibet partibus acceptis, relinquantur aliæ accipiendæ, quod quidem conuenit infinito in potentia, non in actu, ac proinde Ariſtoteles infiniti exiſtentiam ludis Olympicis, ac diebus comparat, qui quidem ſunt in quãdam ſucceſſione.

Quarta ratio eſt, quia ſicut infinitum ſecundùm diuiſionem eſt ſyncathegorematicum, ita etiam ſecundùm appoſitionem, ſeu additionem.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia eſt efficax, ſolui enim poteſt, & ad duas priores rationes dici poteſt, concedendo quòd infinitum cathegorematicum ſit ſine fine, & quòd habeat extreitatem partium, atque adeò dicat partes ſemper extra alias, E atque alias, ita vt ſemper ſit aliquid accipere, vt dicit Ariſt. 3. Phyſic. Ad hoc autem nihil obſtat habere omnes partes actu; ſufficit enim, vt non poſſit perueniri ad vltimam; ſicut peruenitur in toto finito per partes æquales; Et probatur à ſimili, tum quia in continuo finito ſemper eſt accipere partem proportionalem extra aliam partem in infinitum, & tamen nihil obſtat, quin totum illud continuum A ſit actu ſecundùm omnes entitates partium; quicquid ſit an partes ſint diſtinctæ, vel non; tum quia omnia poſſibilia ſunt actu obiectiuè in mente diuina; & tamen quibuslibet diſtributiuè acceptis, reliquuntur accipienda alia; actualitas igitur non impedit huiuſmodi extreitatem.

Ad tertiam rationem ex Ariſtotele reſpondetur, quod quamuis fortè Ariſtotel. non agnouerit aliud infinitum, quàm infinitum in potentia, tamen eo loco Ariſt. tantùm voluit impugnare definitionem antiquorum tanquam non propriam infiniti, competere enim poteſt toti ſeu perfecto finito, quia extra totum finitum nihil eſt extrà accipere; quare, inquit Ariſt. infinitũ debet eſſe illud, in quo acceptis quibuslibet partibus diſtributiuè, ſemper eſt aliam, & aliam partẽ accipere, & per hoc infinitum differt à toto finito, ſiue infinitum ſit actu, ſiue potentia.

Ad quartam rationem reſpondetur, quòd infinitum ſecundùm diuiſionem eſt neceſſariò ſyncathegorematicum, quia implicat continuum diuidi in omnem ſui partem; tolleretur enim ratio quanti, ſi enim diuiſa adhuc remanerent quanta, poſſent diuidi, ac proinde continuum non eſſet diuiſum in omnem ſui partem, at verò in infinito ſecundùm appoſitionem, ſeu additionem non reperitur hæc implicantia, quia appoſitis, ſeu additis omnibus partibus apponibilibus, adhuc illud infinitum eſſet quantum.

QVINTA implicantia aliorum eſt, In magnitudine, inquiunt, infinita, ſiue trinè dimenſa, ſiue binè, vt eſt ſuperficies, deſignari poſſunt duæ lineæ, quæ è mediis partibus illius magnitudinis rectæ in infinitum protrahantur verſus Orientem, & quidẽ hæ duæ lineæ ſemper intercipiunt maiorẽ & maiorem latitudinem, vt demonſtratur apud Euclidem 28. Scolio primi dem. Cùm igitur iſtæ lineæ ſint porrectæ in infinitum, interiacebit diſtantia infinita ſecundùm latitudinem, hoc autem implicat, quia ſequeretur, quòd iſta infinita diſtantia ſecundùm latitudinem eſſet clauſa duobus terminis, illis ſcilicet lineis, inter quas interiacet illa diſtantia infinita ſecundùm latitudinem; nonnulli dicunt hanc implicantiam conuincere. 8. Quinta implicantia.

Sed neque hæc implicantia eſt efficax; Probatur primò, quia poſſet hæc implicantia etiam proportionaliter fieri in illa diſtantia infinita ſpatij inanis, quod eſt ſupra extimam ſuperficiem Cœli, quam diſtantiam dari ſuprà oſtendimus in prædicamento Vbi; poſſent enim per intellectum diuinum deſignari illæ duæ lineæ, quæ porrigantur in infinitum verſus Oriẽtem, & tunc ſequeretur idem abſurdum, quòd daretur diſtantia ſecundùm latitudinem infinita interpoſita inter illas duas lineas, quæ diſtantia eſſet clauſa duobus illis terminis linearum. 9. Reiicitur.

Secundò probant nonnulli, hanc implicantiam non eſſe efficacem, negando id, quod aſſumitur, diſtantiam ſcilicet illam ſecundùm latitudinem eſſe infinitam, ſicut eſt linea; Et ratio diſparitatis eſt, inquiunt, quia ad faciendam lineam concurrunt omnes partes, at verò ad faciendam latitudinem partes præcedentes non concurrunt. 10.

Sed hæc reſponſio non placet, quia quamuis partes diſtantiæ ſecundùm latitudinem non concurrant, tamen adhuc verum eſt, quòd quò magis protrahuntur lineæ, eò maior diſtantia ſecundùm latitudinem interiaceat inter duas illas lineas; ſi igitur illæ duæ lineæ ſunt protractæ in infinitum cathegorematicè, etiam diſtantia ſecundùm latitudinem interiecta erit infinita cathegorematicè; vel

Digitized by Google

ſaltē actu ſine termino, repugnat autem infinitum A ſeu finitum ſine termino, claudi duobus terminis.

Quòd ſi dicas, ſicut in creaturis perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, quas Deus poteſt producere, non datur vna poſſibilis infinitè perfecta, ita etiam quamuis inter illas duas lineas, ſemper interiaceat maior, & maior latitudo, non propterea ſequitur, quòd latitudo ſit infinita; Contra hoc eſt, quia in exemplo allato de creaturis poſſibilibus, accipitur infinitudo in potentia, ac propterea non ſequitur, quamuis perfectio ſemper creſcat in infinitum, quòd perueniatur ad creaturã infinitè perfectam, vel ad vltimam; at verò in caſu noſtro infinitudo accipitur in actu; nam illæ duæ lineæ dantur, vel ſaltem concipiuntur in actu, iam B porrectæ in infinitum verſus Orientem, ergo illa diſtantia ſecundùm latitudinem datur, ſeu ſaltem concipitur interpoſita inter illas duas lineas, & quia illæ duæ lineæ ſunt iam porrectæ actu in infinitum, etiam ipſa latitudo interiecta debet eſſe, ſeu ſaltem concipi vt actu infinita, ſeu ſine termino.

11. Probatur igitur tertiò, hanc implicantiam non eſſe efficacem, quia ſolui poteſt, ſi dicatur quòd non poſſint deſignari duæ lineæ porrectæ in infinitum; ſicut in æternitate non poteſt ſignari vnus dies, & alter dies hodiernus, quia clauderetur tempus infinitum inter duos terminos, ſed neceſſariò aſſignantur infiniti dies; ſicut nec in continuo finito poſſunt aſſignari duæ partes proportionales, C tamquam duo extrema; Nec obſtat Euclides ſupra citatus, quia Euclides loquitur de infinito in potentia, in quo, quò magis duæ lineæ porriguntur, eò maior interponitur latitudo.

Euclides.

12. His igitur quinque implicantiis reiectis, probatur prima concluſio efficaciter aſſerendo duas implicantias, vnam à priori, & alteram à poſteriori; à priori quidem implicantia ea eſt, & eſt

Sexta implicãtia verior à priori ad probandum hanc primã concluſionem.

Sexta in ordine, quia impoſſibile eſt infinito fieri additionem, vel detractionem ex ea parte, qua infinitum eſt; ſed ſi daretur infinitum, neceſſariò poſſet fieri additio; ergo implicat dari infinitum.

Maior probatur, nam, vt probatum eſt in prima quæſt. vbi ſit additio, vel detractio, ibi ſignari poteſt D terminus, præſertim ſi detractio vel additio fiat immediatè, vni parti, & mediatè reliquis, vt eſt in caſu noſtro, tunc enim ea pars, quæ additur, eſt terminus præcedentium, & ſignari poteſt pars cui immediatè fit additio, vel detractio; Confirmari autem poteſt hæc probatio duobus exemplis:

13. Primum eſt; Detur magnitudo, ſeu multitudo infinita rerum corporearum; quæro an ex ea parte, qua eſt infinita, occupet omnem locum poſſibilem, vel non occupet; Si dixeris, quòd quantitas ex ea parte, qua eſt infinita ſecundùm longitudinem non occupat omnem locum poſſibilem ſecundùm longitudinem; ſequeretur, quòd aliqua pars longitudinis illi deeſſet, ac proinde alia longi- E tudo, quæ illi immediatè adderetur, eſſet terminus illius, & conſequenter, non eſſet infinita, vt ſupponebatur, ſed terminata, & finita: Si verò dixeris, quòd magnitudo, quæ conſtat ex infinitis palmis ſecundùm longitudinem, ex ea parte, qua infinita eſt, occupat omnem locum poſſibilem ſecundùm longitudinem, tunc contrà, quia ſequeretur, quòd non poſſet magnitudo conſtans ex infinitis ſemipalmis, occupare omnem illum locum; quia alioquin ſequeretur, partem eſſe æqualem toti, quod non eſt intelligibile, vt ſuprà oſtẽdimus in prima quæſtione. Dicẽdum eſt igitur, quòd magnitudo conſtans ex infinitis ſemipalmis, non occupat totum locum poſſibilem ſecundùm longitudinem; hoc autem eſt abſurdum, quia, vt dicebatur priùs, alia longitudo, quæ illi immediatè adderetur, eſſet terminus illius.

Secundum exemplum eſt: Creet Deus infinitam multitudinem hominum verſus Orientem, quorum vnus ſit albus, & alius niger, & corrumpat nigros, relinquendo albos, vel corrumpat pares pares, & relinquat impares; ſicut enim potuit Deus producere, ita corrumpere. Rurſus, Deus coniungat omnes homines albos, tunc illi homines albi, vel occupabunt totum ſpatium verſus Orientem, quod occupabant omnes homines albi, & nigri ſimul; quod quidem dicere eſt abſurdum, vt dictum eſt ſupra, quia ſequeretur, quòd magnitudo minor occuparet tantum ſpatium, quantum magnitudo maior, vel ſi non occuparet tantum ſpatium, tunc ſequeretur, quòd ille homo albus, vltra quem non eſt alius homo, cognoſceret in ſe terminari infinitum; ſupponimus enim hominem illum habere ſcientiam intuitiuam de toto ſpatio infinito. 14.

Quòd ſi dicas primò, Deum non poſſe coniungere illos homines albos; Contra hoc eſt, tum quia graris dicitur; tum quia poteſt, poni quòd Deus non coniungat, ſed corrumpat omnes homines albos, & nigros, & poſtea reproducat vnitos illos tantùm homines qui erant albi.

Quòd ſi dicas ſecundò, Deum non poſſe corrumpere, vel ſi corrumpat, non poſſe reproducere medietatem illorum hominum, ſed tantùm multitudinem omnium hominum occupantem totum ſpatium infinitum verſus Orientem; Contra hoc eſt, tum quia gratis videtur hoc dici, tum quia non effugitur abſurdum; nam in tota illa multitudine infinita hominum alborum & nigrorum, quæ producta eſt verſus Orientem, eſt etiam multitudo hominum ſolùm alborum, quæ etiam eſt infinita, & hæc actu non occupat ſpatium infinitum, ergo datur multitudo infinita, quæ non eſt occupatiua totius ſpatij infiniti verſus Orientem, ergo etiam ſi illa multitudo infinita ſolùm hominũ alborũ daretur vnita ſimul, ſine illa multitudine hominũ nigrorum, non acciperet totum ſpatium verſus Oriẽtem.

Quòd ſi dicas, multitudinem illam infinitam hominum alborum coniunctam cum multitudine infinita hominum nigrorum, non eſſe aptam ad occupandum totum ſpatium infinitum verſus Orientem, ſeiunctam autem eſſe aptam; nulla autem eſt implicantia dicere, quòd partes coniunctæ non ſunt aptæ occupare totum ſpatium infinitũ, & partes eædem ſeiunctæ, ſunt aptæ, quia hæc duo nõ affirmantur de eodem, eſſet autem implicantia, ſi idem affirmaretur de partibus coniunctis; Contra hoc eſt, primò, quia hæc diſtinctio gratis eſt adinuenta, nam cõiunctio partium non tribuit vim occupandi maius ſpatium eo ſpatio quod priùs occupabant, quare ſi ſeiunctæ non ſunt, occupandum totum ſpatium; neque erunt coniunctæ: tum quia ſecundò quando coniunguntur, debent relinquere ſpatium vbi priùs erãt, & occupare locum partium corruptarum, ergo coniunctæ non poſſunt occupare totum ſpatium verſus Orientem: tum quia tertiò ſequeretur, quòd tantum occuparet pars, quantum totum, quod implicat, ex dictis in quæſtione prima in ſecunda difficultate. 15.

Minor huius ſyllogiſmi, ſeu ſextæ implicantiæ, quòd ſcilicet, ſi daretur infinitum, poſſet ibi fieri additio, ſeu detractio, probatur ex dictis ſuprà in hac eadem ſexta implicantia, præſertim, in primo & ſecundo exemplo.

Septima

Digitized by Google

16. *Septima implicantia à poſteriori.* SEPTIMA implicantia à poſteriori, quæ oritur ex præcedenti, eſt, quia ſicut ſecundùm ſententiam communem Philoſophorum implicat dari motum rectum ab æterno, ex eo, quia datis duobus motibus verſus Neapolim, quorum vnus ſit duplo velocior altero, ſequeretur, quòd ſpatium infinitum per quod fieret motus duplo velocior, clauderetur duobus terminis, vno, qui eſt Neapolis, altero eſt illud ſpatium, quò peruenit motus tardior; Ita ſimiliter ſi darentur infiniti montes, qui occuparent ſpatium infinitum verſus Orientem, & Deus produceret infinitam multitudinem formicarum duplo minorem, quàm ſint montes verſus Orientem, tunc montes occuparent ſpatium multò maius, quàm ſit ſpatium occupatum à formicis, clauderetur igitur ſpatium occupatum à formicis duobus terminis, altero vbi deſinunt formicæ, & vlteriùs non progrediuntur, altero Neapoli, vnde incipit iſta multitudo formicarum.

Quòd ſi dicas, Deum non poſſe producere iſtam multitudinem formicarum duplò minorem, ſed debere producere tot infinitates formicarum, quæ adæquent infinitatem montium; Contra hoc eſt, tum quia idem poſſet dici de exemplo allato de duobus motibus, quòd ſcilicet Deus non poſſit producere duos motus, quorum vnus ſit duplo velocior altero, quod quidem gratis dicitur, quia vnus motus non dependet ab alio; tum quia propter eandem rationem vna infinitudo formicarum non dependet eſſentialiter in ſua exiſtentia ab alia infinitate formicarum; poteſt igitur creari à Deo vna ſimplex infinitudo formicarum; ſicut poteſt creari vna infinitudo montium; in quo caſu ſequitur implicantia allata.

SECVNDA CONCLVSIO.

17. *Secunda concluſio.* IMPLICAT dari magnitudinem, aut multitudinem rerum corporearum infinitam, etiam ſi actu non occupet ſpatium infinitum, cuiuſmodi eſſet magnitudo infinita extenſa tantùm in ordine ad ſe, & non in ordine ad locum, quam fieri poſſe per potentiam Dei abſolutam in ſuperiori diſputatione oſtendimus.

Probatur; Hæc magnitudo ex natura ſua eſſet naturaliter occupatiua ſpatij infiniti, ergo repugnat dari talem magnitudinem, aut multitudinem rerum corporearum; Antecedens probatur, quia non poteſt dici, quòd illa tota magnitudo collectiuè ſumpta ſit occupatiua naturaliter ſpatij finiti, niſi dicatur quòd naturaliter poſſit dari penetratio; quod eſt abſurdum; eſt igitur occupatiua ſpatij infiniti; ſicut enim à magnitudine finita reſultat neceſſariò Vbi finitum, ita à magnitudine infinita reſultat neceſſariò Vbi infinitum, niſi à Deo impediatur; quantùm igitur ex natura ſua, illa magnitudo eſt exigitiua Vbi infiniti.

Conſequentia verò, quòd ſcilicet repugnet dari huiuſmodi magnitudinem, probatur, quia quotieſcumque repugnat aliquis effectus ſeu paſſio, quæ competit naturaliter alicui principio, implicat etiam illud principium, ſicut ſi implicat riſibile, implicat rationale, & ſi implicat riſibilitas, implicat ipſum ridere; ſi igitur implicat actualis occupatio ſpatij infiniti, vt probatum eſt in prima concluſione, implicat etiam dari magnitudinem occupatiuam ſpatij infiniti.

18. *Inſtantiæ.* Sed ad hanc rationem reſpondent aduerſarij dupliciter, primò negando antecedens ex duplici capite; *contra probationem.* Primum eſt, quia dici poteſt, inquiunt, quòd magnitudo finita eſt impenetrabilis, magnitudo tamen infinita petit naturaliter ſe penetrare, ſicut albedo localiter extenſa, connaturaliter petit vt ſit viſibilis, inextenſa tamen petit vt ſit inuiſibilis.

Secundò reſpondent, quòd magnitudo infinita non eſt occupatiua ſpatij infiniti, ſed maioris, & maioris, ſemper tamen finiti in infinitum; ſicut virtus creatiua Dei eſt infinita, quia quamuis non poſſit creare creaturas infinitas, poteſt tamen creare finitas perfectiores & perfectiores in infinitum.

19. *Reiiciũtur.* Sed hæ reſponſiones non ſatisfaciunt, & impugnatur prima reſponſio, quia finitudo in quantitate non eſt ratio, ſeu conditio à qua naſcitur impenetrabilitas, ſicut viſibilitas oritur ex extenſione tanquam à conditione, ſine qua non videretur album; ſed impenetrabilitas oritur ex ipſa extenſione partium, quæ quidem reperitur in ipſa magnitudine infinita, immò ſicut quantò maior eſt extenſio, tantò albedo eſt magis viſibilis, ita quantò maior erit extenſio partium, tantò maior debet dici quòd ſit impenetrabilitas, potiùs quam dici quòd tollatur ipſa impenetrabilitas.

Impugnatur ſecunda reſponſio, quia illa magnitudo infinita non liberè, ſed naturaliter occupat ſpatium, quare cùm non poſſit occupare ſpatium finitum, neceſſariò eſt dicendum, quòd occupet ſpatium infinitum adæquatum, virtus autem creatiua Dei non naturaliter creat, ſed liberè, & eſt creatiua in ordine ad voluntatem liberam, ita vt ab ipſa voluntate libera determinetur ad hanc, vel illam determinatam multitudinem.

20. *Inſtantia.* Sed poteſt adhuc inſtari, quia nemo dicit, quòd lamina ferrea non poſſit cadere ſuper vitream æquè planam, & tamen quantùm eſt ex ſe, frangeret omnes partes, quia æquè tangit omnes, quod quidem eſt impoſſibile, quia daretur continuum diuiſum in omnem ſui partem; Sicut igitur in hoc caſu recurrendum eſt ad Deum, tanquam ad authorem naturæ, qui determinare deberet, quæ partes frangi debeant: ita ſimiliter dici poteſt, quòd illa magnitudo infinitè extenſa, tantùm in ordine ad ſe, non ſit occupatiua ſpatij infiniti, ſed finiti tanti, vel tanti, prout Deus tanquam auctor naturæ ad libitum determinauerit.

Solutio. Reſpondetur primò, quòd etiam ſi admitteretur totum quod dicitur in inſtantia allata, adhuc illa magnitudo infinita extenſa in ordine ad ſe, repugnaret ex alio capite, quia illa magnitudo in ordine ad ſe dicit diſtantiam infinitam partium in ordine ad ſe, quæ diſtantia tanquam ſpatium intrinſecum ſuo modo occupatur à partibus, ac proinde poſſunt fieri eadem argumenta, quæ fecimus ſuprà in prima concluſione contra magnitudinem infinitam actu occupantem ſpatium infinitum extrinſecum.

Secundò, reſpondetur directè ad inſtantiam, quòd eſt diſpar ratio in exemplo allato de lamina ferrea, quia quòd lamina ferrea cadere poſſit ſuper vitream æquè planam, eſt prorſus ab extrinſeco, ſolùm enim dicit intrinſecè, quòd tendat deorſum; at verò quòd magnitudo infinita ſit occupatiua ſpatij infiniti, habet ab intrinſeco, ac proinde ſi repugnat actualis occupatio, repugnat etiam ordo intrinſecus ad illum actum, ac proinde non poteſt dici quòd ſpectat ad Deum tanquam ad auctorem naturæ impedire actum, ſed potiùs debet dici quòd non datur talis ordo, quia connaturaliter, & ab intrinſeco petit illum actum.

Quæres hîc, an poſſint dari infiniti lapides qui ſe

ſe inuicem penetrent; Et ratio dubitandi eſt, quia nec actu occuparent infinitum locum, nec haberent exigentiam intrinſecam occupandi collectiuè infinitum locum, ſicut haberet vna quantitas continua infinita, nam propter vnitatem exigeret vt ponatur tota ſimul in loco. A

Propter hanc rationem dubitandi aliqui tenent poſſe dari infinitos lapides ſe penetrantes; Sed dicendum eſt nõn poſſe dari, quia poſſet fieri additio & detractio, quod implicat, vt idem dicemus de multitudine infinita Angelorum infrà quæſtione ſequenti.

TERTIA CONCLVSIO.

21. Tertia concluſio. SI dari poſſet infinitum, implicaret adhuc illud produci per partes proportionales horæ, ita vt in parte aliqua proportionali producatur pars aliqua finita, & in alia pars alia æqualis magnitudinis, & ſic in infinitum. B

22. Prima ratio. Probatur primò, quia tunc tale infinitum eſſet ſyncathegorematicum, quia procederetur per partes proportionales horæ, quæ ſunt infinitæ ſyncathegorematicè; implicat autẽ, infinitum ſyncathegorematicum eſſe actu, quia eſſentialiter inuoluit potentialitatem.

Secunda ratio. Secundò probatur, quia ex tali modo productionis ſequeretur, quòd huiuſmodi infinitum, etiam ſi eſſet infinitum cathegorematicum, haberet, & non haberet vltimam partem productam, quod implicat contradictionem. Quòd non haberet vltimam, probatur, quia non datur in hora, vltima pars proportionalis; Quòd verò haberet vltimam, probatur, producatur palmus in manu mea in aliqua parte proportionali horæ, & in alia expellatur, & ſic fiat per omnes partes proportionales, profectò in fine horæ manebit palmus qui erit vltimus; non enim capere poteſt intellectus, quòd non remaneat palmus, vel quare potiùs non remaneat, quàm remaneat. C

Tertia ratio. Tertiò probatur ab aliis, quia ſequeretur quòd daretur infinitum terminatum, nam producat Deus inter duas columnas in qualibet parte proportionali palmum, tunc erit infinita magnitudo palmorum clauſa duabus columnis; Sed hæc ratio non ſatis probat, quia aduerſarij negarent poſſe produci inter duas columnas palmum, & palmum per partes proportionales horæ. D

Quarta ratio. Quartò ſequeretur, quòd daretur pars impar, poſtquam non ſequatur par, & è contra; Probatur, producat Deus Angelum in qualibet parte pari, & annihilet illum in impari, quæro in fine, vel erit Angelus annihilatus, vel productus; ſi annihilatus, ergo datur pars impar poſtquam non ſequitur par; ſi productus, daretur pars par, poſtquam non ſequitur impar, & eadem argumenta fieri poſſent, ſi mundus fuiſſet ab æterno, quòd non poſſet Deus per ſingulos dies producere infinitum, vt notat Scot. poſſet autem Deus in quacumque parte proportionali producere vnum Angelum accepta vna parte confuſè, & non determinatè, ſed tunc neceſſe eſſet vt aliqua pars horæ præteriret, in qua Deus nihil produceret, & idem potuiſſet facere Deus in quocunque die, ſi mundus fuiſſet ab æterno. E

QVARTA CONCLVSIO.

23. Quarta cõcluſio. ETIAM ſi dari poſſet infinitum, implicaret contradictionem, quòd continuum ſit diuiſum in omnem ſui partem.

Probatur, quia ſi continuum aliquod eſſet actu diuiſum in omnem ſui partem, vel partes illæ facta omnimoda diuiſione, remanerent adhuc diuiſibiles, vel non; non poteſt dici quòd remaneant indiuiſibiles, quia tunc ſequeretur, continuum componi ex indiuiſibilibus, quod ſuprà oſtendimus eſſe impoſſibile; ſi verò remanent partes diuiſibiles, tunc eſſet contra præſuppoſitum, non enim continuum eſſet diuiſum in omnem ſui partem, quia adhuc poſſet diuidi.

24. Prima obiectio contra quartã concluſionem. SED contra hanc concluſionem obiicies primò, Si hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam quòd Deus non cognoſceret omnes partes proportionales, fieri enim poteſt idem argumentum, nam vel cognitio Dei terminatur ad diuiſibile, vel ad indiuiſibile; Si ad indiuiſibile, ergo continuum componitur ex indiuiſibilibus; ſi ad diuiſibile, cùm hoc diuiſibile contineat infinitas partes, ſequitur hoc continuum non cognoſci à Deo ſecundùm omnem ſui partem.

25. Soluitur. Reſpondetur, ſi verbum (terminatur) ſignificet terminum, tunc cognitio Dei neque terminatur ad diuiſibile, neque ad indiuiſibile, quia in continuo non datur vltima, in qualibet enim ſunt incluſæ aliæ infinitæ: ſi verò verbum (terminatur) non ſignificet aliquem terminum, ſed tantùm ſignificet ordinem cognitionis ad partes ſicut ſunt, tunc dicendum eſt, cognitionem Dei terminari ad partes diuiſibiles, & Deum cognoſcere omnes partes, & omnes alias, quæ in illis ipſis includuntur, & ſic in infinitum, hæc autem confuſio non ſe tenet ex parte intellectus diuini, ſed obiecti.

26. Quòd ſi quæras, quare ſi continuum diuidatur in omnem ſui partem, remanerent indiuiſibilia, potiùs quàm diuiſibilia, & tamen peracta omni cognitione Dei, qua cognoſcit omnes partes continui, ita vt nulla ſit pars quæ non ſit cognita, maneant tamen huiuſmodi partes vt cognitæ adhuc diuiſibiles.

Reſpondetur ex dictis, quòd Deus cognoſcit omnes partes continui, vt ſunt à parte rei, & quia omnes, vt ſunt à parte rei, ſunt diuiſibiles, ideo vt diuiſibiles illas cognoſcit cum confuſione quadam ſe tenente ex parte obiecti; at verò ſi continuum diuideretur in omnem ſui partem, tunc totum cõtinuum corrumperetur, nam in prima diuiſione remanerent duæ medietates, & in ſecunda quatuor quartæ, & in alia octauæ, & ſic in infinitum vſque ad indiuiſibilia: at verò ex cognitione Dei non corrumpitur continuum, ſed in medietate cognoſcit quartas, & in quarta octauas, & ſic in infinitum, ita vt in cognitione non poſſit ſumi vna pars, in qua non ſint aliæ infinitæ; ſecus autem ſi continuum eſſet diuiſum in omnem ſui partem, quia tunc liceret ſumere vnam, quæ non ampliùs eſſet diuiſibilis, alioquin non eſſet diuiſum in omnem ſui partem.

27. Secũda obiectio. Obiicies ſecundò contra eandem concluſionem, cadat corpus grauiſſimum perfectè planum ſuper vitrum perfectè planum, tunc neceſſariò vitrum illud diuidetur in omnem ſui partem, quia non eſt maior ratio, quare frangatur vna pars, & non alia, cùm æquè omnes frangantur.

Soluitur. Reſpondetur primò, quòd nulla pars fundetur, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de altera; ſcindi autem omnes eſt impoſſibile. Vel dicendum ſecundò iuxta aliquorum opinionem, quòd quælibet res naturalis habet ſuum minimum in quo conſeruatur, & in minori minimo non poſſe naturaliter conſeruari, & conſequenter iuxta hanc opinio-

Digitized by Google

opinionem dicendum eſt quòd vitrum diuiditur in illa minima. Tertiò reſpondetur, & veriùs, vt ſupra dictum eſt, quòd pertinet ad auctorem naturæ, determinare partes, in quas frangi debeat vitrum, ſicut ad auctorem naturæ pertinet, ſi qualitas componatur ex gradibus homogeneis, quòd hic gradus potiùs corrumpatur quàm alius, & ad eundem etiam pertinuit, quando incepit motus cœli determinare ex qua parte cœlum moueretur.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ, QVÆ SVNT PRÆcipuè contra primam & ſecundam concluſionem.

28. Reſpondetur ad primum argumentum primæ ſententiæ.

AD primum reſpondetur, quòd eſt ratio diſparitatis in exemplis allatis, vt fuſè oſtendimus in præcedenti quæſtione.

29. Ad ſecundũ. Capreolus.

AD ſecundum reſpondetur cum Capreolo, quòd dato illo impoſſibili, quòd Angeli eſſent infiniti, ſequeretur aliud impoſſibile, quòd producerentur infinitæ intellectiones, non autem hinc ſequitur, quòd Deus poſſit facere infinitas intellectiones, quia omnes illas non poteſt facere creatura niſi dato impoſſibili.

30. Ad tertium.

AD tertium, negatur Deum poſſe producere in hoc inſtanti, quot homines poteſt producere ſucceſſiuè; & ad primam probationem reſpondetur, quòd illa propoſitio, (quidquid Deus poteſt facere ſucceſſiuè, poteſt in inſtanti, ſaltem in rebus permanentibus,) poteſt facere duplicem ſenſum. Primus eſt, quòd quamcumque collectionem hominum diuiſiuè ſumptam, quam poteſt Deus producere ſucceſſiuè, poſſit etiam producere in hoc inſtãti, & iuxta hunc ſenſum cõcedimus propoſitionem, non tamen hinc ſequitur poſſe Deum producere infinitum, quia quæcumque collectio eſt finita. Secũdus ſenſus eſt, quòd Deus poſſit producere in hoc inſtanti aggregatũ ex omnibus collectionibus, quas diuiſiuè poteſt producere, & tunc illa propoſitio nõ eſt vera, neque hinc ſequitur, quòd potentia Dei ſit minor in inſtanti, quam ſucceſſiuè in rebus permanentibus, quia ſucceſſiuè nũquam peruenitur ad infinitum, quia producere ſucceſſiuè, ſolum eſt poſſe producere infinitum in potentia, non autem quòd actu aliquando deueniatur ad infinitum, ita etiam in inſtanti poteſt producere quãcumque collectionem voluerit, diuiſiuè ſumptam.

31.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quòd illa propoſitio (faciat Deus quicquid poteſt facere) poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, quòd faciat in hoc inſtanti totum illud ad quod poteſt ſe extendere potentia productiua præciſè ſumpta ſine coniunctione cum libertate, & hoc modo propoſitio eſt impoſſibilis. Secundus ſenſus eſt, quòd faciat Deus quicquid poteſt facere ſecundùm omnia quæ requiruntur ad producendum, & tunc potentia Dei debet determinari à libera volũtate Dei, cum qua neceſſariò eſt cõiuncta, non enim poteſt ſtare potentia infinita ſine libertate; ex quo ſequitur malè dixiſſe Ariſtotelem, Deum eſſe agentem neceſſarium; Quòd ſi dicatur, Ariſtotelem aſſerere Deum eſſe agentem neceſſarium, non per naturam, ſed per intellectum, ita vt neceſſitetur facere quidquid illi proponitur vt bonum, tunc dicendum eſt, quòd quamuis malè dicat Deum eſſe agentem neceſſarium, non tamen ex hoc ſequitur, quòd Deus poſſit facere infinitum, quia infinitum non poteſt obiici intellectui diuino vt bonum, cùm ſit chimæricum: Et cùm inſtatur, producat Deus quicquid poteſt velle; reſpondetur, quòd debet determinari per exercitium voluntatis ad producendum id quod eſt producendum.

AD quartum reſpondetur, ſufficere ad infinitatem potentiæ vt poſſit producere effectum perfectiorem in infinitum, talis enim effectus non poteſt fieri à potentia finita. 32. Ad quartũ.

Ad ſecundam probationem eiuſdem argumenti, reſpondetur, concedendo potentiam productiuam eſſe æqualem in infinitate potentiæ intellectiuæ; Et cùm inſtatur, ſicut potentia intellectiua, quia eſt infinita, ſimul omnia cognoſcit; ergo potentia creatiua, quia eſt infinita, poteſt etiam omnia ſimul facere; Reſpondetur, quòd nihil obſtat ad infinitatem, quin poſſit omnia ſimul facere, quia, vt ſupra oſtenſum eſt, ſufficit ad infinitatem potentiæ creatiuæ, vt poſſit in infinitum producere perfectius, & perfectius ſine termino.

33. Quare potentia intellectiua Dei poſſit omnia ſimul cognoſcere, nõ autem potẽtia creatiua omnia ſimultaneè. Cõfirmatur.

Ratio autem, quare potentia intellectiua poſſit omnia ſimul cognoſcere, non autem potentia productiua, hæc eſt, quia ex ſimultanea cognitione non reſultat aliqua implicantia in re cognita, ſicut reſultant multæ implicantiæ ex ſimultanea productione, quas ſupra in hac eadem quæſtione oſtendimus; Et confirmatur exemplo magis noto; Deus enim cognoſcit ſimul omnes diuiſiones, quæ poſſunt fieri in continuo; Certum eſt autem, non poſſe illas ſimul omnes facere, quia tunc continuum eſſet diuiſum in omnem ſui partem, quod, vt ſuprà dictum eſt, implicat; at verò ex ſimultanea cognitione partium hoc non ſequitur; nam cognitio terminatur ſemper ad partem diuiſibilem, & diuiſibilem in infinitum, vt eſt à parte rei, cognoſcitur enim à Deo obiectum, ſicuti eſt à parte rei, vt alibi fuſiùs dictum eſt.

34. Dubium.

DVBIVM præterea hic occurrit, quia, cùm potentia Dei ſit relatiua, & referatur ad terminum infinitum ſyncathegorematicum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; ita vt in tota illa potentialitate nulla detur creatura infinitè perfecta, ſequitur quòd non poſſit illa potentia eſſe infinitè cathegorematicè, quia excederet ſuum terminum, & tamen certum eſt ſecundùm omnium Doctorum ſententiam, potentiam creatiuam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè.

Solutio.

Reſpondetur, hoc dubium petit illam quæſtionem, Vtrùm ex creatione omnium poſſibilium, bene arguatur à Doctoribus, potentiam Dei eſſe infinitam cathegorematicè, quam quæſtionem, quia eſt Theologica, examinabimus infra in ſexto corollario; Breuiter nunc reſpondetur ad dubium, quòd in Deo non datur ordo realis ad creaturas, hic enim ordo, vt bene notat Vaſques in prima part. ex communi ſententia Doctorum, eſt ens rationis, quia alioquin Deus dependeret à creaturis poſſibilibus. Vaſques.

Quicquid igitur ſit, an hic ordo rationis calculetur ab intellectu noſtro ſecundùm noſtrum modum concipiendi in infinitum; dicẽdum tamen eſt, quòd in Deo datur realiter vna tantùm potentia creatiua, & hæc eſt abſoluta, & hæc bene arguitur à Doctoribus ex creatione omnium poſſibilium, quòd ſit infinita cathegorematicè; quia cùm non poſſit eſſe finita, & limitata, nec infinita ſyncathegorematice; infinitum enim ſyncathegorematicum non poteſt eſſe actu à parte rei; includit enim eſſentialiter potentialitatem, & tendentiam ad vlterius, & ad vlterius, &c. neceſſariò ſequitur, quòd argui debeat potentia creatiua in Deo infinita cathegorematicè

Digitized by Google

matice, tantæ ſcilicet perfectionis, vt quantùm eſt ex ſe, poſſit create creaturas infinitè perfectas, ſi dari poſſint; ſicut à ſimili dixit Ariſt. quòd ignis, quantum eſt ex ſe, eſt combuſtiuus infinitorum combuſtibilium, ſi infinita dari poſſent.

35. **Ad quintum ſextum & ſeptimum.** AD quintum, & ſextum patet reſponſio ex tertia concluſione.

AD ſeptimum reſpondetur, Deum videre ſimul eſſe poſſibiles finitos tantùm homines, ſed indeterminatos, determinabiles autem à ſua libera voluntate, vt dictum eſt ſuprà in reſponſione ad tertium, & hanc reſponſionem debent etiam admittere ipſi Aduerſarij; nam certum eſt apud ipſos, non poſſe Deum diuidere continuum in omnem ſui partem; quæro igitur ab illis in quot partes videt Deus poſſe actu diuidi ipſum continuum; profectò debent reſpondere, quòd videt partes finitas, indeterminatas tamen, ſed determinabiles a ſua libera voluntate; ita etiam in caſu argumenti de viſione Dei circa homines poſſibiles.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm de potentia abſoluta Dei fieri poſſit multitudo cathegorematicè infinita rerum ſpiritualium.

1. MAIOR ratio dubitandi eſt in hac quæſtione de multitudine rerum ſpiritualium, quàm fuit in præcedenti quæſtione de multitudine rerum corporearum, nam totam implicantiam in multitudine rerum corporearum deſumpſimus ex extenſione quantitatiua, quæ ex natura ſua occupat locum; quæ ratio implicantiæ non videtur habere locum in multitudine rerum ſpiritualium; Eſt igitur in hac quæſtione

2. **Prima ſententia. Ariſtot.** PRIMA ſententia aſſerentium multitudinem rerum ſpiritualium ſeu Angelorum non implicare.

Probant primò auctoritate Ariſtotelis, qui ſuppoſita æternitate mundi, neceſſariò conuincitur ad dandam infinitam multitudinem animarum, præſertim cùm neget tranſmigrationem animarum de corpore in corpus.

Probant ſecundò, quia ſicut non repugnat infinita multitudo in potentia, & in eſſe obiectiuo in mente diuina, ita neque repugnat in eſſe actuali, quia exiſtentia vnius non eſt impeditiua alterius.

VNICA CONCLVSIO CONTRA HANC PRIMAM SENTENTIAM.

3. **Secũda ſententia verior. Durandus. S.Thom.** DICENDVM eſt cum communiori ſententia, multitudinem rerum ſpiritualium implicare. Ita Dur. & S.Thom. in 1. par. quæſt. 7. & communiter Thomiſtæ, & multi alij.

Difficultas autem eſt in aſſignanda implicantia, multæ autem aſſignantur, ſed non ſatis conuincunt, quia locum etiam habent in punctis, & in partibus continui, quas multi tenent eſſe diſtinctas, tum etiam in rebus poſſibilibus, quæ ſunt etiam infinitæ, tum in infinito in potentia, ſeu ſyncathegorematico cogitationum damnatorum, tum in ipſo infinito obiectiuo in mente diuina; Breuiter igitur percurram huiuſmodi implicantias, & ſoluam, & deinde afferam alias implicantias, quæ non poſſunt militare in huiuſmodi aliis infinitis, & quæ ſunt ſimiles illis implicantiis, quas attulimus in

A præcedenti quæſtione, contra multitudinem rerum corporearum.

4. **Prima implicantia Durand.** PRIMA igitur implicantia affertur à Durando. Ex multitudine, inquit, infinita Angelorum ſequeretur, vel quòd vnum infinitum eſſet maius altero, vel quòd eſſet exhauſta potentia Dei; vtrumque autem eſt abſurdum; Sequela probatur, nam vel poſt creatam multitudinem infinitam Angelorum poteſt Deus creare aliam infinitudinem, vel non; ſi poteſt, ergo illa duplex infinitudo eſt maior quàm illa vna ſimplex; ſi non poteſt, ergo eſt exhauſta potentia Dei.

Reiicitur. Sed hæc implicantia non eſt efficax, ſolui enim poteſt, ſi dicatur, quòd neutrum eſt abſurdum, qui enim admittunt infinitum, dicunt vnum eſſe maius B altero, alioquin pars eſſet æqualis toti, vt ſupra fuſiùs oſtendimus in prima quæſtione, & patet clariùs tum in partibus proportionalibus, tum in cogitationibus damnatorum futuris per totam æternitatem, quæ pauciores ſunt, quàm cogitationes damnatorum, & beatorum ſimul, & præſertim ſecundùm eſſe obiectiuum, quod habent in mente diuina; neque ſequeretur ſecundum abſurdum, quòd eſſet exhauſta potentia, ſicut nec dicitur ſapientia Dei exhauſta, quia cognoſcit omnia, nec potentia generatiua Patris, quæ generauit omne quod erat generabile; Et ratio eſt, quia Deus ſemper intelligit, & ſemper generat, ita ſimiliter ſemper creat, quia conſeruat, immò in potentia creatiua eſt alia peculiaris ratio, quare non dicatur exhauſta, quia C poteſt annihilare quod creauit, & iterum reproducere, & ſic in infinitum.

5. **Secunda implicantia. Durand.** SECVNDA implicantia eiuſdem Durandi, ſequeretur, inquit, quòd pars eſſet æqualis toti, nam ſicut totum includit omnes numeros poſſibiles, infinitas, videlicet, vnitates, & infinities infinitos millenarios, & ſic in infinitum.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia eſt efficax, ſolui enim poteſt, ſi dicatur, vt oſtenſum eſt in prima quæſtione, quòd licet pars infiniti contineat omnes numeros poſſibiles, quoad ſpeciem, non tamen quoad indiuidua, non enim continet illas alias vnitates, quas continet alia pars infiniti.

6. **Tertia implicantia.** TERTIA implicantia afferri ſolet, ſequeretur, inquiunt, quòd infinitum tandem finiretur, quod D eſt abſurdum, & impoſſibile, quia infinitum eſſet finitum; Sequela Maioris probatur, creet Deus infinitos Angelos, quorum vnuſquiſque habeat vnum gradum gratiæ; vel ad maiorem claritatem ponatur exemplum in hominibus, idem enim poteſt proportionaliter applicari rebus ſpiritualibus, creet Deus infinitos homines, quorum vnuſquiſque habeat vnum annulum in manu, cadant omnes iſti annuli, quæro, An vnuſquiſque ex illis infinitis hominibus poſſit accipere decem annulos ponendos in ſingulis digitis, vel non; ſi affirmes, ſequeretur quòd numerus minor eſſet æqualis maiori, ac proinde pars poſſet eſſe æqualis toti, contra id, quod paulò ſuperiùs oſtenſum eſt: ſi verò neges, E ergo illi annuli in aliquo homine tandem finiuntur, quia reſtant plures accipiendi, ac proinde remanet probata ſequela huius implicantiæ.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia eſt efficax; ſolui enim poteſt, ſi dicatur, quòd cùm vnum infinitum ſit maius altero, non ſequitur abſurdum, quòd illi annuli non ſufficerent omnibus illis hominibus infinitis, ſi ſinguli vellent accipere decem; non diceretur autem infinitum finiri; quia ſatis eſt vt ſufficiant infinitis hominibus in illa multitudine; ſicut à ſimili Deus cognoſcit omnes infinitas partes

propor

Digitized by Google

proportionales, quæ conſtituunt palmum, & tamen cognoſcit quòd partes tantùm pares illius palmi, vel partes ſemipalmi non ſufficiant ad componendum palmum.

7. Quarta implicantia. QVARTA implicantia, Numerus neceſſariò eſt vel par, vel impar, ſunt enim proprietates eſſentiales numeri; vt patet ex Ariſtotele in prædicamento Quantitatis; ſed numerus infinitus non poteſt eſſe par, neque impar, continet enim omnes numeros poſſibiles, binarium, ternarium, & millenarium, &c. non poteſt ergo magis dici quòd ſit par, quam quod ſit impar, non datur igitur numerus infinitus, quia caret proprietatibus eſſentialibus.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia eſt efficax; ſolui enim poteſt tripliciter.

Primò dici poteſt, quòd ſi argumentum aliquid probaret, probaret non poſſe dari neque infinitum in partibus proportionalibus vel punctis, neque in mente diuina.

Secundò directè ſolui poteſt implicantia, ſi dicatur quòd par, & impar, ſunt proprietates numeri finiti, non autem numeri, vt numerus eſt, quia non poſſunt competere numero infinito propter rationem allatam.

Tertiò dicendum eſt, quòd etiam numero infinito poteſt competere hæc proprietas, nam ſi Deus crearet infinitos homines, ita vt ſinguli habeant duos oculos, profectò illi oculi multiplicati in infinitum, ſemper ſunt pares; quòd ſi Deus ab aliquo illorum homine erueret vnum oculum, tunc illi oculi eſſent impares.

Quòd ſi neges in illo caſu fore impares, quia non detraherentur ex tota multitudine infinita, vt infinita eſt, ſed ex ea parte qua finita eſt. Contra hoc eſt, quia detractio vel additio nō fit per ſe parti, ſed toti; totum autem eſt infinitum, vnde fit vt numerus, qui erat ternarius, fiat binarius ſaltem fundamentaliter, quia fortè numerus formaliter eſt per intellectum, & numerus qui erat quaternarius, fiet ternarius, & ſic in infinitum; ergo totum infinitum retrocedit per detractionem vnius vnitatis; ergo detractio non ſolùm fit infinito, ex ea parte qua finitum eſt, ſed etiam ex ea parte qua eſt infinitum.

8. Quinta implicantia. QVINTA implicantia eſt, ſi poſſibilis eſſet multitudo, ſeu collectio infinita rerum ſpiritualium, ſequeretur quòd ablata quacumque parte ex illa infinita collectione, ſeu multitudine, tunc illa multitudo non eſſet ampliùs infinita, ſed finita, quod eſt abſurdum. Et hinc ſecundò ſequeretur aliud abſurdum, quòd talis collectio, quæ per ablationem vnius partis remaneret finita, per ſolam additionem eiuſdem partis redderetur infinita; Sequela Maioris probatur, nam illa collectio infinita non eſt infinita ſecundùm aliquam partem ſui, quia ſequeretur, quòd ablata quacumque parte ab illa collectione, collectio illa non eſſet ampliùs infinita, eſſet igitur infinita ſecundùm ſe totam; Sed quod conuenit alicui ſecundùm quod totum eſt, conuenit illi ſecundùm omnes partes collectiuè ſumptas, ergo quacumque parte ablata ab illo toto, non poteſt illud prædicatum conuenire toti; ſicut ſi à numero denario tollatur vna pars, non eſſet ampliùs numerus denarius.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia eſt efficax, ſolui enim poteſt ſi dicatur, quòd quando prædicatum ita conuenit ſubiecto, vt quælibet pars totius ſit neceſſaria ad hoc, vt illud prædicatum conueniat ſubiecto, tunc ablata quacumque parte, non conuenit ampliùs illud prædicatum, quia tunc illud

A ſubiectum non habet rationem totius niſi dependenter ab illa parte, & hoc modo eſt exemplum allatum de numero denario; quando verò prædicatum tale eſt, quòd ita conueniat alicui ſubiecto, vt non quælibet pars totius ſit neceſſaria ad hoc, vt prædicatum competat illi ſubiecto, tunc adhuc præciſa aliqua parte, poteſt illud prædicatum conuenire ſubiecto. Exemplum eſt in eodem numero denario, de quo prædicatur (eſſe finitum,) & tamen quacumque parte ablata, adhuc eſt finitus; Et ita ſimiliter dicendum eſt de numero infinito; & præterea, ſi argumentum aliquid valeret, valeret etiam in infinito obiectiuo in mente diuina.

SEXTA implicantia eſt, ſi dari poſſet iſta multi- 9. Sexta im-
B tudo actu infinita rerum ſpiritualium, ſequeretur plicantia.
quòd tandem numerus infinitus abſolui, & finiri poſſet, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, creet Deus infinitos Angelos, & corrumpat per tempus infinitum ſemper alternos, tandem abſolueretur infinitum, quia ſicut ſi à numero finito per partes auferretur per tempus finitum numerus finitus, tandem abſolueretur; ita à pari, ſi à numero infinito auferretur per partes numerus infinitus, tandem abſolueretur.

Sed neque hæc implicantia eſt efficax ſolui enim poteſt tripliciter; Primò, ſi dicatur, quòd nunquam numerus infinitus abſolueretur, etiam ſi tempore infinito illi Angeli corrumperentur alterni; Et ra- Reiicitur.
C tio diſparitatis eſt de numero finito, quia hic eſt ſecundùm ſe ſinibilis, non autem numerus infinitus, ſicut à ſimili non poſſet Deus per totam æternitatem facere omnes diuiſiones poſſibiles continui, quia tùnc ſequeretur, quòd continuum eſſet diuiſum in omnem ſui partem.

Secundò ſolui poteſt, ſi dicatur, quòd ſi mundus fuiſſet ab æterno, neque potuiſſet Deus per ſingulos dies corrumpere alternos Angelos, ſicut nec poteſt per partes proportionales vnius horæ, vt patet ex his quæ diximus in quæſtione quarta concluſione tertia.

Tertiò ſolui poteſt, ſi concedatur, quòd ſi Deus per totam æternitatem corrumperet alternos An-
D gelos infinitos, tunc abſolui infinitatem; ſicut enim ipſa æternitas, quæ fuit à parte antè, nunc eſt finita, quia valet dicere, (nunc non eſt æternitas, à parte antè) in æternitate enim à parte antè non poterant eſſe generationes, nunc autem & in tempore ſequenti poſſunt eſſe generationes, ergo nunc eſt finita æternitas à parte antè.

Nec obſtat, quòd continuum ſi diuideretur per totam æternitatem, non abſolueretur; quia intrinſecè dicit repugnantiam, tolleretur enim extenſio à partibus quantitatis, quæ quidem eſt de eſſentia quantitatis, quam repugnantiam non videtur dicere infinitum Angelorum, nec infinitudo partium æqualium, quæ fuiſſent in illa æternitate.

E SEPTIMA implicantia afferri ſolet, ſi daretur, 10. Septima im-
inquiunt, multitudo infinita, ſequeretur quòd eſſet infinita, & finita; infinita quidem per te, finita plicantia.
autem, quia implicat dari multitudinem aliquam infinitam, in qua non ſit vltima vnitas, vbi autem eſt vltimum, ibi eſt finitudo; Antecedens probatur, quia vltimum actuale in aliqua multitudine eſt illud, vltra quod non eſt aliud actuale in eadem multitudine; ſed extra omnes vnitates collectiuè ſumptas, quæ ſunt in multitudine infinita, non eſt alia vnitas, ergo datur in illa multitudine infinita vltimum actuale.

Sed neque hæc implicantia eſt efficax, ſolui enim poteſt, ſi negetur quòd illud eſt vltimum actuale, Reiicitur.

Digitized by Google

extra quod ſimpliciter, & abſolutè non ſit aliud actuale in illa multitudine, habet enim inſtantiam manifeſtam in partibus continui, vltra quas collectiuè ſumptas, non eſt alia pars actualis; habet etiam inſtantiam in infinito ſyncathegorematico obiectiuo in mente diuina; extra enim totam collectionem cogitationum damnatorum, quæ ſunt cognitæ à Deo, non datur alia; Illud igitur eſt vltimum actuale in aliqua multitudine, aut magnitudine, vltra quod, & omnia alia præcedentia non eſt aliud in illa multitudine, ſicut patet in numero denario, in quo vltra vnitatem complentem numerum denarium, non datur alia, & reſpectu præcedentium vnitatum ita ſignatur illa pars, vt non ſit accipere aliam; hoc autem vltimum actuale non reperitur in multitudine infinita, nam vltra quamcumque vnitatem ſignabilem ſemper eſt alia, & alia in infinitum.

11. *Octaua implicantia.* Octava implicantia, ſequeretur, inquiunt nonnulli, quòd idem numerus poſſet fieri maior ſe ipſo, nullo facto additamento; hoc autem implicat, nam maioritas, quæ de nouo fit, neceſſariò conſurgit ex aliquo additamento; Sequela Maioris probatur; Sit infinitus numerus Angelorum. In hoc numero ſunt infinitæ collectiones numerorum, infinita ſcilicet centenaria, millenaria, &c. diſponatur autem hic numerus, vt res meliùs intelligatur, hoc ordine per infinitas cellulas; ſint in prima cellula centum Angeli, in ſecunda centum alij, & ſic in infinitum; hoc poſito ſumatur ex ſingulis centenariis vnus Angelus, & ponatur in prima cellula, tunc illa collectio, quæ erat priùs centum Angelorum in prima cellula, euadet infinita, & ſic poſſet dici de Angelis, qui ſunt in aliis cellulis: quare in ſingulis cellulis, vbi erat vnum centenarium, erunt infinita centenaria; numerus igitur ille infinitus Angelorum erit maior ſeipſo, ſine vllo additamento aliorum Angelorum, ſuper illum numerum priorem; Quòd autem ſit maior, probatur, quia, vt dictum eſt, vbi priùs erant in ſingulis cellulis ſingula centenaria, modò ſunt infinita centenaria.

12. *Reiicitur.* Sed neque hæc implicantia eſt efficax, ſolui enim poteſt ſi dicatur, quòd quamuis hæc diſpoſitio Angelorum ſecundùm locum eſſet poſſibilis, quam tamen eſſe impoſſibilem ſupra oſtendimus, adhuc tamen negatur, numerum Angelorum fieri maiorem ſe ipſo, non enim in caſu dato variatur numerus infinitus Angelorum, ita vt tota collectio Angelorum diſperſa per infinitas cellulas euadat maior ſe ipſa, ſed tantùm variatur diſpoſitio, vbi enim in vna cellula erat vnum centenarium Angelorum, modò ſunt infinita centenaria; Sed hæc infinitudo accepta eſt ex illis infinitis centenariis diſperſis per infinitas cellulas, quæ quidem infinita centenaria includebantur in toto numero infinito; & quia in quolibet infinito ſunt infinities infinita, poſſunt ex illo numero infinito ſemper accipi vnitates, & addi primo centenario, & cæteris.

13. *Nona implicantia.* Nona implicantia, ſequeretur, inquiunt, quòd eſſentia infiniti eſſet chimærica. Sequela probatur; illa eſt eſſentia chimærica, cuius nulla pars eſt eſſentialis, ſed ſic eſt in iſto infinito, ergo, &c. Maior eſt clara, Minor probatur, quia infinitũ, inquit Ariſtoteles, eſt illud, cuius aliquid ſemper eſt extrà accipere; hoc eſt, in collectione infinita, quæcumque eius pars finita accipiatur, ſemper eſt extra illam, aliam, & aliam accipere; remanet igitur infinitum, quacumque parte ablata; nulla ergo pars erit eſſentialis infinito.

Reiicitur. Sed neque hæc implicantia, quamuis bona ſit, A eſt efficax, ſolui enim poteſt dupliciter. Primò indirectè, dando inſtantiam de infinito ſyncathegorematico ſeu finito in infinitum, quod certum eſt non eſſe chimæricum; huius autem infiniti, ſublatis quibuſcunque partibus, adhuc remanet numerus finitus in infinitum.

Quòd ſi dicas eſſe diſparem rationem de numero infinito ſyncathegorematico, & de numero infinito cathegorematico, quia illud eſt in potentia, hoc actu, vnde fit, vt partes illius infiniti ſyncathegorematici non ſint illæ, quæ ſunt acceptæ, & quæ prætererũt; ſed quæ ſunt accipiẽdæ; at verò in infinito cathegorematico partes acceptæ, ſunt veræ partes; quia, cùm infinitum cathegorematicum ſit B actu; componitur ex his quæ ſunt actu.

Sed hæc reſponſio non valet; quia quicquid ſit, an id quod accipitur, ſeu acceptum eſt, ſit pars infiniti ſyncathegorematici, adhuc militat paritas; quia ſi ab hoc numero infinito ſyncathegorematico tollatur ſaltem per intellectum, vel per impoſſibile, quæcumque collectio partium accipiendarum, vt accipiendarum, adhuc remanet ille numerus finitus in infinitum; ſicut remanet numerus infinitus cathegorematicus, ſi ab eo auferatur quæcumque collectio numerorum finitorum; ergo par eſt ratio de vtroque.

Secundò ſoluitur implicantia directè, ſi dicatur, 14. quòd eſſentia infiniti, vt infinitum eſt, non ſit C continere hanc vel illam collectionem determinatam; ſed continere vagè, & indeterminatè infinitas collectiones, ex illis collectionibus finitis: quare ablata quolibet collectione diſtributiuè ſeu determinatè ſumpta, ſemper remanet infinitum; ſublata autem tota collectione collectiuè ſumpta tollitur infinitum.

Dices, quòd ſi auferantur ab infinito infiniti numeri, verbi gratia infiniti denarij, centenarij &c. an 15. tunc tollatur eſſentia infiniti. Et ratio dubitandi eſt, quia collectiones infinitæ ſunt de eſſentia. Reſpondetur, quòd qui admittunt infinitũ, debent concedere, quòd in infinito ſunt infinities infiniti numeri; quare ſi tollantur infiniti numeri, remanet quiD dem infinitum, ſed non vt priùs, quia remanet minus: qui enim admittunt infinitum, debent concedere, vt dictum eſt in prima quæſtione, quòd vnum infinitum eſt maius altero; quare in caſu dato, non remaneret idem infinitum ſecundùm ſpeciem, ſed aliud, ſicut ſi à numero finito quaternario tolleretur vnitas, fieret alia ſpecies numeri, ſcilicet ternarius.

Decima implicantia eſt aliorum; ſi daretur, 16. *Decima implicantia.* inquiunt, multitudo infinita Angelorum, poſſet occupare ſpatium infinitum, ergo non poteſt dari talis multitudo. Antecedens probatur, quia quælibet ſubſtantia Angeli, poteſt occupare ſpatium tantum, vel tantum; quare ſi eſſet infinita multitudo E Angelorum, poſſet occupare ſpatium infinitum; Conſequentia probatur, quia propter eandem rationem diximus in ſuperiori quæſtione, non poſſe dari corpus infinitum extenſum in ordine ad ſe tantùm, quia quamuis actu nõ occuparet locum infinitum, poſſet tamen occupare; hoc autem diximus eſſe impoſſibile, quia cui repugnat actus ſecundus, repugnat etiam actus primus, alioquin actus primus realis diceret ordinem ad actum chimæricum, quod eſt impoſſibile, quia ſpecificatur ab illo.

Hoc argumentum propter paritatem allatam eſt *Reiicitur.* probabile, non tamen conuincit; ſoluitur enim ſi dicatur, quòd eſt diſparitas in exemplo; corpus enim infinitum eſt ex natura ſua exigitiuum loci infiniti;

Digitized by Google

infiniti; ſi igitur repugnat actus ſecundus, qui eſt occupatio loci infiniti, repugnat etiam exigentia in actu primo; at verò multitudo infinita Angelorum, non eſt connaturaliter exigitiua loci infiniti, quia connaturale etiam eſt Angelo ponere ſe in puncto, quare ad libitum Angelorũ eſt, vt tota illa multitudo infinita, ponat ſe in puncto, vel in loco palmari.

Quòd ſi dicas, quid ſi quilibet Angelus, vellet ſe ponere in loco palmari, tunc profectò tota illa multitudo occupabit ſpatium infinitum. Reſpondetur, quòd in tali caſu aliqui dicunt Deum tanquam authorem naturæ debere determinare punctum ſeu ſpatium finitum, in quo ponatur illa multitudo infinita Angelorum.

Sed hæc reſponſio non omnino ſatisfacit, quia B tolleretur libertas ab Angelo, quæ eſt illi connaturalis. Reſpondetur igitur ſecundò, quòd in tali caſu Angeli debent ſe determinare, vel ad tantum locum finitum, vel ad punctum; non enim poſſent ſe ita locare, vt vnus occupet vnum palmum, & alius alium palmum, quia hoc eſt impoſſibile; vnde fit, vt in hac multitudine infinita Angelorum non repugnet potentia occupandi ſpatium infinitum, quia eſt coniuncta cum voluntate ſe determinandi ad tantum ſpatium, vel ad maius, & maius, prout Angelis libuerit; ſicut à ſimili diximus ſupra, non repugnare potentiam creatiuam infinitam in Deo, quamuis repugnet productio infiniti, quia ad hoc vt poſſit eſſe potentia infinita, ſatis eſt ſi coniungatur C cum volũtate libera Dei, per quã poſſit ſe determinare ad producendum creaturas plures & plures, prout libuerit.

17. Vndecima implicantia. **Vndecima**, & verior implicantia: His igitur decem implicantiis reiectis, vndecima implicantia verior, & à priori, quæ communiter affertur, & colligitur ex Ariſt. 3. phyſic. ea eſt, quia impoſſibile videtur, quòd infinito poſſit fieri additio, vel detractio, nam vbi fit additio, vel detractio, ibi aſſignari poteſt terminus.

Quòd ſi dicas, hoc valere, quando additio fit vni parti immediatè, & aliis mediatè, vt in magnitudine, tunc enim pars, quæ additur, eſt terminus partium præcedentium, at verò in caſu noſtro additio fieret omnibus Angelis immediatè, vbi D enim eſt vnus Angelus, ſunt omnes alij Angeli; per detractionem igitur, ſeu additionem, non aſſignatur terminus.

18. Reſpondeo, fateor, quòd hæc implicantia clariùs apparet in magnitudine, ſeu multitudine rerum quantarum, quàm in multitudine rerum ſpiritualium, propter rationem allatam, ac propterea non poteſt ita euidenter demonſtrari, non poſſe dari multitudinem infinitam rerum ſpiritualium, ſicut demonſtratum eſt, repugnare multitudinem, ſeu magnitudinem infinitam rerum corporearum; tamen adhuc ſatis probabiliter demonſtratur, non poſſe dari multitudinem infinitam rerum ſpiritualium propter implicantiam allatam, quia E quamuis additio ſeu detractio fiat immediatè in omnibus Angelis, tamen quia additio, ſeu detractio fit, ex ea parte qua infinitum eſt, quia omnes illi Angeli infiniti ſunt ſimul, & vbi eſt vnus, ſunt omnes; ideo hinc fit, vt ille Angelus additus ſit vltimus; nam tota illa multitudo infinita, quæ eſt ſine hoc Angelo addito, eſt minor in ratione infiniti, quàm ſit multitudo illa infinita, quæ habet Angelum additum, & tamen hæc multitudo infinita excedit illam aliam in vno; erit igitur hic Angelus terminus multitudinis infinitæ.

19. Confirmatur hæc ratio & clariùs explicatur, A ſi ponatur, quòd creentur Angeli infiniti non eiuſdem perfectionis, ſed eo ordine vt vnus excedat alium; Creet igitur Deus vnitos ſimul omnes Angelos poſſibiles, qui poſſunt eſſe in tribus hierarchiis, tunc quidem in qualibet hierarchia eſſent infinitæ ſpecies Angelorum, & poſtea corrumpat Deus omnes Angelos ſecundæ, & tertiæ hierarchiæ, deinde reproducat vnum Angelum tertiæ hierarchiæ, & reuniat cum præcedẽtibus; profectò hic erit perfectior omnibus Angelis primæ hierarchiæ, ergo daretur vltimus Angelus perfectior omnibus; & daretur primus Angelus, qui eſſet omnibus imperfectior; Immò quando omnes Angeli erant ſimul vniti, antequam corrumperentur; iſte Angelus ſecundæ hierarchiæ cognoſcebat ſe perfectiorem omnibus Angelis primæ hierarchiæ, & cognoſcebat etiam Angelum primum primæ hierarchiæ omnium infimum; ergo cognoſcebat infinitam multitudinem rerum ſpiritualium clauſam inter duo extrema, quod eſt impoſſibile.

Ad hanc implicantiam reduci poteſt prima implicantia Durandi, quòd in multitudine infinita daretur vnum infinitum maius altero, quod quamuis aduerſarij concedant, non tamen eſt concedendum, quia ſi in infinito poteſt dari maioritas, & minoritas, poteſt illi fieri additio, & detractio, quod implicat, vt oſtenſum eſt. Durandus.

EXAMINANTVR IMPLICANTIÆ SANCTI THOMÆ.

Circa verò finem huius quæſtionis dubium occurrit, An implicantiæ quas affert S. Thom. in 1. part. quæſt. 7. ad impugnandum infinitum rerum ſpiritualium, ſint efficaces. 20.

Ad quod reſpondeo, duas implicantias præcipuè ibi afferri à S. Thom. quæ quidem multas inuoluunt difficultates, ita vt valde laborent Caiet. & Thomiſtæ, in explicando, & defendendo rationes S. Doctoris, exiſtimo tamen eſſe efficaces, ſi rectè explicentur, ſuppoſitis quibuſdam principiis Philoſophicis ipſius S. Thomæ communiter receptis à Thomiſtis. Caiet. Thomiſtæ.

Prima igitur implicantia S. Doctoris, quæ eſt duodecima in ordine. Omne creatum, inquit, comprehendi debet ſub certa intentione creantis, nam alioquin in vanum daretur illud creatum, debet igitur creari ſub numero finito; Hæc conſequentia S. Thomæ ſolet communiter impugnari, quia Deus producit omnes partes continui ſub certa intentione, & tamen ſunt infinitæ in multitudine, ſufficit enim vt finis ſit certus, & determinatus, qui quidẽ finis in productione partium proportionalium eſt compoſitio totius continui: ita ſimiliter, inquiunt, ſi Deus crearet infinitos Angelos, crearet illos ſub certa intentione, & determinato fine ad oſtendendum ſcilicet ſuam omnipotentiam. Prima implicant. a S. Thomæ, quę eſt duodecima in ordine.

In ſoluendo autem hoc, & ſimilibus argumentis deſudat valde Caietanus loco citato, cuius ſolutiones indigent magna diſcuſſione. Breuiter tamen pro defenſione huius rationis S. Thomæ ſuppono duo; Primum eſt quòd S. Thom. loquitur de ſubſtantiis ſpiritualibus, cuiuſmodi ſunt Angeli; de his enim loquebatur Auic. ibi citatus, quid enim dicendum ſit de qualitate, an poſſit eſſe infinita intenſa, & an poſſint dari plures qualitates infinitæ intenſæ, infrà dicemus quæſt. ſequenti. Suppono ſecundò, quòd per operationem tranſeuntem ſecundùm Thomiſtas, tamquam per rationem formalem, 21. Caiet. S. Thom. Auic.

Digitized by Google

lem, Angelus ſaltem compleiè conſtituitur in loco. A

His ſuppoſitis bene procedit ratio S. Thomæ, quòd ſi Angeli crearentur infiniti, fruſtra crearentur, nam Angeli fruſtrarentur ſuo fine operationis; quia vel illi Angeli operarētur vel non; ſi nō, habetur intentū, quia quamuis præcipua operatio Angeli ſit intelligere, eſt tamen operatio tranſiens, adhuc finis Angeli propter bonū vniuerſi, vt dicit Philoſophus, ſi operarentur; ergo deberēt occupare locum infinitum, conſtituuntur enim in ſpatio per operationem extenſam, quare ibi ſunt præſentes vbi operantur, & præterea ipſa operatio extēſa deberet eſſe in ſpatio extenſo; ſi igitur ſunt infinitæ operationes, ſunt etiam infinita ſpatia; dari autem infinitum ſpatium repugnat, vt probatum eſt.

Quòd ſi dicas, poſſe omnes Angelos operari B circa idem corpus; Contra hoc eſt, quia non poſſent operari totaliter, vnus enim effectus non poteſt pendere à pluribus cauſis totalibus, vt infrà probabitur in prædicamento actionis, & tamen operatio totalis, & adæquata ipſi Angelo, eſt finis propter bonum vniuerſum, ponit enim Philoſophus, quòd quælibet intelligentia habeat ſuum mobile ſibi adæquatum.

22. *Secunda implicantia S. Thomæ, quæ eſt decimatertia in ordine* Secvnda implicantia ſeu ratio S. Thomæ, quæ eſt decimatertia in ordine. Omnis multitudo, inquit, eſt ſub aliqua ſpecie multitudinis, quælibet autē ſpecies multitudinis conſtituitur per vltimam vnitatem, ſicut ſpecies numerorum, ergo nulla ſpecies multitudinis poteſt eſſe infinita.

Sed hæc ratio ſolet multipliciter impugnari, C tum quia multitudo latiùs patet, quàm numerus; quare etiamſi concedatur de numero, negari tamen poteſt de multitudine; tum quia neque de numero in vniuerſum eſt verum, quòd conſtituatur per vltimam vnitatem; valet enim hoc in numero finito, non autem in infinito, nam ſpecies numeri infiniti, non ſumitur ab vltima vnitate, ſed ab omnibus ſimul, ſicut patet in numero partium proportionalium.

23. *Caiet. Thomiſtæ.* Propter hoc argumentum laborant ibi Caiet. & Thomiſtæ in defendenda hac ratione D. Thomæ. Pro denfenſione autem, ſuppono duo, in doctrina eiuſdem; Primum eſt, quòd in ſubſtantiis ſpiritualibus, non poteſt dari multitudo numerica, quod quidem eſt ſatis probabile; Secundò, quòd D in tota multitudine Angelorum creabilium non datur Angelus, qui ſit infinitæ perfectionis; quare in mente diuina, in qua nullus eſt Angelus creabilis, qui non cognoſcatur, nullus eſt, qui cognoſcatur eſſe infinitæ perfectionis.

His poſitis dico, quòd ſi tota multitudo Angelorum creabilium perfectiorum, & perfectiorum, de qua loquitur S. Thom. loco citato, vt dictum eſt, poneretur actu, ſequeretur, quòd daretur actu multitudo finita in infinitum, ſeu indeterminatè finita, quod implicat. Sequela probatur; nam tota illa multitudo non eſſet infinita cathegorematicè, vt in hac diſputatione in ſecunda quæſtione probatum eſt, quia nullus Angelus eſſet infinitæ perfe- E ctionis, cùm nullus talis ſit in multitudine in potentia, vel obiectiuè in mente diuina, eſſet igitur multitudo infinita ſyncathegorematicè actu à parte rei poſita.

Quòd autem hoc implicet, probatur, quia tota illa multitudo eſſet determinata, quia eſſet actu, & indeterminata, quia nulla creatura daretur, quæ actu intrinſecè attingeret infinitatem, ſed ſemper daretur alia, & alia perfectior, & perfectior in infinitum; Hæc autem implicantia non eſt in infinito ſyncathegorematico in potentia, quia quod accipitur actu, eſt determinatum, quæ autem ſunt accipienda, ſunt cum indeterminatione in potentia.

Nec obſtat, quòd partes in continuo ſint actu ſecūdùm aliquos, & ſint infinitæ ſyncathegorematicè, ita vt quælibet ſit finitè minor, & finitè diſtincta ab alia, ſed indeterminatè, non, inquam, obſtat, quia etiam ſi partes ſint actu in cōtinuo, quod ſuprà negauimus, tamen retinent potentialitatem quamdam ad diuiſibilitatem, & quamdam confuſionem, quia nulla habet determinatam minoritatem, quare non poteſt aſſignari aliqua minor, qua non ſit alia minor: at verò hæc potentialitas, & confuſio non eſſet in illa multitudine Angelorum; quia quilibet Angelus haberet ſuam determinatam perfectionem; ſicut igitur repugnat dari omnes partes diuiſas, quia tolleretur confuſio, & potentialitas ita proportionaliter repugnat poni in actu totam multitudinem infinitam ſyncathegorematicam, quæ eſt in potentia; Et hæc dicta ſint pro defenſione ſancti Doctoris.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

24. *Reſponſio ad argumēta primæ ſententiæ. Ad primū. Ariſtoteles.* Ad primum de mente Ariſtotelis circa immortalitatem animæ, ſatis diſputatum eſt in primo tomo in primo principio philoſophico corollario decimoquarto dubitatione ſecunda. Breuiter nunc dicitur, vt ſuprà dictum eſt in hac diſputatione quæſtione tertia, quòd Ariſtoteles quamuis poſuerit æternitatem mundi; non tamen propterea coactus eſt ponere multitudinem infinitam animarum, quia non negauit expreſsè tranſmigrationem Platonicam animæ de corpore humano, in corpus humanum, ſed tantùm negauit Pythagoricam, de corpore humano in brutale; Stante autem tranſmigratione Platonica, ſufficit certus ac determinatus numerus animarum. Secundò reſpondent alij, Ariſtotelem ſibi contradixiſſe.

25. *Ad ſecundū.* Ad ſecundum, patet ex dictis, infinitam ſcilicet multitudinem ſyncathegorematicam non repugnare, quia eſt in potentia; eſſe autem in potentia, facit vt non poſſit aſſignari vltima.

Quòd ſi inſtes, tota illa magnitudo in potentia eſt actu obiectiuè in mente diuina; ſicut igitur non implicat in eſſe obiectiuo actuali, ita nec in eſſe obiecto exiſtentiali. Reſpondetur negando paritatem, quia, vt ſuprà dictum eſt, multitudo infinita in eſſe obiectiuo, non tollit ſyncathegorema, quod eſt à parte rei ſecundùm eſſe potentiale; at verò multitudo infinita in eſſe exiſtentiali, tollit ſyncathegorema, quia tollit potentialitatem.

QVÆSTIO SEXTA.

An poſſit dari qualitas infinitè intenſa.

1\. Dvo ſunt præcipuè in hac quæſtione examinanda, alterum eſt, An qualitati repugnet intenſio infinita, ex conceptu præciſè ipſius intenſionis infinitæ, ſicut quantitati, vt ſuprà oſtenſum eſt, repugnat extenſio infinita ipſius extenſionis; alterum eſt, An alicui qualitati, quatenus talis eſt, repugnet intenſio infinita. Ad cuius explicationem diſcurrendum eſt per ſingulas ſpecies qualitatis, quæ quatuor numerantur ab Ariſtotele. *Ariſt.* Prima, habitus, & diſpoſitio, vt ſcientia, humiditas, ſiccitas, &c. Secunda ſpecies eſt potentia, ſub qua

Digitized by Google

qua collocatur potentia viſiua, intellectiua, grauitas, &c. Tertia ſpecies eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas, ſub qua ab Ariſtotele collocantur obiecta potétiæ viſiuæ, vt albedo, nigredo, &c. Quarta ſpecies eſt figura, ſub qua etiam collocatur rectitudo, curuitas, paritas, denſitas, &c. De his igitur qualitatibus, de quibus in ſpeciali ſolet eſſe controuerſia, diſputandum eſt, an poſſit in illis eſſe infinita intenſio. Vt autem diſtinctè procedatur in hac quæſtione, diuidimus illam in quindecim difficultates.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrùm qualitati repugnet intenſio infinita ex conceptu præciſe intenſionis infinitæ, ſicut repugnat quantitati extenſio infinita.

Prima difficultas. RESOLVTIO huius difficultatis pendet ex illa quæſtione philoſophica, An intenſio ſit qualitas compoſita, & fiat per additionem gradus ad gradum, vt tenet Scotus, Ocham, Arimin. & alij, vel ſit qualitas ſimplex, & ſit magis intenſa, vel minùs, per maiorem radicationem in ſubiecto, quæ ſit per vnionem perfectiorem, vel minùs perfectam qualitatis cum ſubiecto, vt tenent Thomiſtæ. Scotus. Ocham. Arimin.

2. Prima ſententia. HIS poſitis dicendum eſt, quòd, qui tenent, intenſionem eſſe qualitatem compoſitam, & fieri per additionem gradus ad gradum, ſunt diuiſi; quidam enim ex illis vt Ocham, & Arimin. & alij recentiores tenent probabiliter, poſſe huiuſmodi intenſionem eſſe infinitam; Ratio enim, inquiunt, quare quantitas non poteſt eſſe infinita, ea eſt, quia cùm vna pars quantitatis vniatur rei immediatè, fit vt per additionem, vel detractionem poſſit aſſignari terminus, quia vbi eſt vna pars, non ſunt aliæ; at verò in intenſione, cùm vna pars immediatè vniatur vni, & omnibus aliis, ſequitur quòd vbicunque fieret additio, vel detractio, non eſſet terminus, quia vbi eſt vna pars, ſunt infinitæ aliæ.

3. Secunda ſententia. Aureol. SED alij probabiliùs philoſophantes, vt Aureolus in 1. diſtinct. 44. art. 3. in ſecunda propoſitione, dicunt intenſionem non poſſe eſſe infinitam, quia, vt dictum eſt in hac diſputatione quæſtione prima dubitatione prima in prima difficultate, fieret additio, & detractio ex ea parte, qua intenſio infinita eſt, quia cùm vna pars ſit immediatè vnita omnibus, ſequitur neceſſariò, quòd cùm additur gradus, addatur ex ea parte, qua talis qualitas eſt infinita; excedet igitur iſta qualitas in vno gradu qualitatem infinitam, quæ non habebat hunc gradum; ergo hic vnus gradus additus, erit terminus qualitatis exceſſiuæ; quod quidem manifeſtiùs apparet, ſi qualitas eſt compoſita ex gradibus heterogeneis, fieret enim additio, & detractio per gradum perfectiorem, ac proinde addendo gradum, daretur vltimus; ille enim qui additur, eſt perfectior omnibus.

4. Verior ſententia & reſolutio difficultatis. S. Thom. Nos verò, qui tenemus cum S. Thoma, vt fusè oſtendemus infrà in prædicamento qualitatis, intenſionem eſſe qualitatem ſimplicem, & fieri per maiorem radicationem in ſubiecto, dicere debemus, Primò conſequenter, non repugnare qualitatem infinitè intenſam ſeu infinitè radicatam in ſubiecto; Ratio enim potiſſima quare repugnet infinitum ea eſt, vt ſuprà oſtendimus, quia per additionem, vel detractionem deueniretur ad vltimum terminum, quæ quidem ratio ceſſat, in qualitate ſimplici; Probatur præterea, quia argumenta quæ

A fieri ſolent in oppoſitum, quòd ſcilicet daretur gratia infinita, & conſequenter lumen gloriæ infinitum, & alia ſimilia, non obſtant, vt mox infrà dicetur in hac eadem quæſtione.

Neque obſtat, quòd non poſſit dari ſubſtantia creata infinita, cui inhæreat huiuſmodi qualitas infinita, vt in ſequenti quæſtione dicemus, non, inquam, obſtat, quia non intendimus hanc qualitatem infinitam eſſe connaturalem paſſionem ſubſtantiæ, ſed quòd poſſit per diuinam potentiam fieri, cui correſpondeat ſaltem potentia obedientialis ex parte ſubiecti; ſicut à ſimili datur lumen gloriæ ſupernaturale, ſecundùm ſuam intrinſecam entitatem, quamuis illi non correſpondeat aliqua ſubſtantia ſupernaturalis, cuius lumen gloriæ ſit B connaturalis paſſio.

Multa alia argumenta affert Aureolus in 1. diſt. 44. loco citato, quæ quidem facilè ſoluuntur ex dictis, ſupponunt enim, intenſionem fieri per additionem graduum. Aureol.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An poßit in qualitate dari intenſio infinita adæquata ſpeciei, ita vt habeat omnes gradus poßibiles, ſeu totam intenſionem poßibilem cum multitudine indiuiduorum ſub illa ſpecie.

[Verbi gratia. Vtrùm poſſint dari duæ, vel tres albedines infinitè intenſæ, ita vt quælibet albedo C habeat totam intenſionem poſſibilem ſub illa ſpecie albedinis.] 5. Secũda difficultas.

RESPONDEO ad difficultatem, & dicendum eſt, quòd, qui tenent intenſionem eſſe qualitatem compoſitam, & fieri per additionem gradus ad gradum, ſi ponant gradus homogeneos, non poſſunt admittere caſum; Et ratio eſt, quia ſi ponant duas albedines infinitè intenſas ſecundùm gradus homogeneos, quæro ab iſtis, an vna albedo habeat omnes gradus poſſibiles albedinis, vel non? Si non, iam non ſumus in caſu; ſi ſic, ergo haberet etiam omnes illos gradus, qui ſunt in alia albedine, qui quoniam ſunt homogenei, ſi ponerentur, & vnirentur cum aliis gradibus alterius albedinis, facerent D illam magis intenſam, non ergo in hac opinione poteſt dari intenſio infinita adæquata toti ſpeciei cum multitudine indiuiduorum. Reſpõſio ad difficultaté.

At verò in opinione noſtra, ſecundùm quam tenebimus infrà in prædicamento qualitatis, intenſionem eſſe qualitatem ſimplicem, & fieri per maiorem radicationem in ſubiecto, dicendum eſt, quòd data vna intenſione infinita albedinis adæquata toti ſpeciei, poteſt adhuc dari alia intenſio infinita, nam prior intenſio habet totum, quod poteſt habere, quia non poteſt prior intenſio augeri per ſecundam intenſionem; poteſt igitur prior albedo habere totam intenſionem poſſibilem, quæ poteſt eſſe ſub ſpecie albedinis, & ita ſimiliter ſe-E cunda intenſio, & aliæ plures in infinitũ, quia nihil demitur de priori intẽſione per ſecundam, nec addi poteſt aliquid ad priorem impertinenter; igitur ſe habet ſecunda ad priorem, quantùm ad intenſionem maiorem, vel minorem, ſecus autem eſſet, ſi intenſio fieret per additionem graduum homogeneorum, quia tota intenſio ſecundæ albedinis, ſi poneretur in prima albedine, faceret maiorem; non igitur prior albedo habebat omnes gradus poſſibiles; Quòd ſi habeat omnes gradus poſſibiles, iam non poteſt, vt dictum eſt, dari alia ſecunda albedo

Digitized by Google

bedo infinitè intenſa, ſed tantùm poteſt illa prior albedo replicari in pluribus ſubiectis per diuinam potentiam; & tunc erunt plura alba reſpectu diuerſorum ſubiectorum, vna tamen erit tantùm albedo numero.

Qui verò tenent gradus heterogeneos, idem debent dicere vt nos dicimus, qui tenemus qualitatē ſimplicem, nam gradus heterogenei infiniti, qui ſunt in vna qualitate, ſi ponerentur in alia, non facerent maiorem intenſionem, quia primus gradus heterogeneus, ſi addatur alteri priori, non facit magis intenſum; habet igitur vna albedo omnes gradus poſſibiles heterogeneos intenſionis, etiam ſi detur multiplicatio indiuiduorum ſub ſpecie albedinis.

TERTIA DIFFICVLTAS CIRCA PRIMAM SPECIEM QVALITATIS.

An humiditati repugnet peculiari ratione intenſio infinita.

6. *Tertia difficultas an poſſit dari humiditas infinitè intenſa.*

SVMIMVS hîc humiditatem ſecundùm eam rationem, & definitionem quam tradidit Ariſtoteles in ordine ad mixtum, ita vt humidum ſit illud, quod facilè terminatur termino alieno; agens enim extrinſecum, quia non inuenit multam reſiſtentiam, indiget minori impulſu ad introducendum in corpus humidum nouam figuram; ſumimus igitur hîc humiditatem non ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, ſed ſecundùm eſſe relatiuum, quod habet ad terminari termino alieno.

Solutio. His poſitis ad quæſtionem reſpondeo negatiuè. Probatur, quia alioquin ſequeretur, quòd corpus humidum nullum impulſum requireret, ad hoc, vt terminaretur termino alieno; hoc autem implicat, quia neceſſariò debet eſſe agens extrinſecum introducens nouam figuram, ergo per aliquem impulſum; loquimur enim de illa figura, quæ prouenit ab humiditate, non de ea quæ prouenit ab intrinſeco, iuxta exigentiam connaturalem ſubiecti.

Sequela Maioris probatur per calculationem, nam humiditas vt tria, requirit minorem impulſum quàm humiditas vt duo; & humiditas vt quatuor, minorem impulſum, quàm humiditas vt tria, & ſic in infinitum, ergo ſi perueniatur ad humiditatem intenſam infinitè cathegorematicè, neceſſariò tollendus eſt omnis impulſus, quia ſi remaneret aliquis impulſus minor, & minor, remaneret etiam aliqua reſiſtentia ex parte humiditatis, ergo non eſſet infinitè intenſa cathegorematicè, ſed potiùs ſyncathegorematicè, correſpondens ſyncathegorematicè minori & minori impulſui.

Quòd ſi dicas, impulſum eſſe minorem & minorem in infinitum ſyncathegorematicè, quia eſt in potentia; at verò reſiſtentia in humiditate, licèt calculetur ex minoritate impulſus in infinitum, eſt infinita cathegorematicè, quia tota eſt actu: Contra hoc eſt, quia, vt ſatis oſtenſum eſt ſuprà in hac diſputatione quarta quæſtione ſecunda, ſi infinitum ſyncathegorematicum per impoſſibile totum poneretur actu, adhuc non æquaret infinitum cathegorematicum, ſicut patet exemplo creaturarum; ſi enim omnes creaturæ poſſibiles in potentia perfectiores, & perfectiores in infinitum, ponerentur actu, adhuc non pertingerent infinitatem cathegorematicam, quia nulla daretur infinitè perfecta, nulla enim talis erat in potentia, & obiectiuè in intellectu diuino: Reſiſtentia igitur in humiditate, quia calculatur ex minori & minori impulſu in infinitum ſyncathegorematicè, quamuis tota ſit actu, non propterea attingit infinitatem cathegorematicam, quia non poteſt excedere ſuum terminum correlatiuum, qui terminus eſt ille impulſus minor, & minor in infinitum.

Quòd ſi obiicias primò, potentiam creatiuam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè, & tamen reſpicere creaturas perfectiores in infinitum ſyncathegorematicè. Reſpondetur, eſſe diſparem rationem. Vide ſuprà in hac eadem diſputatione quæſtione quarta in reſponſione ad quartum circa finem, & infrà in corollario ſexto. 7. *Prima obiectio.*

Quòd ſi obiicias ſecundò, ſaltem poſſe dari humiditatem infinitam ſyncathegorematicè, cui correſpondeat impulſus minor, & minor in infinitum. Reſpondetur, quòd neque hoc poteſt dici; infinitudo enim ſyncathegorematica ſiue ſecundùm minoritatem, ſiue ſecundùm maioritatem, non poteſt dari actu; includit enim eſſentialiter potentiam, & tendentiam ad vlterius, & vlterius, &c. id autem quod totum eſt actu, includit hanc potentiam & tendentiam. *Secũda obiectio.*

QVARTA DIFFICVLTAS CIRCA EAMDEM PRIMAM SPECIEM qualitatis.

An repugnet ſiccitatem eſſe infinitè intenſam.

SVMIMVS hîc cum Ariſtotele ſiccum, eo modo, quo ſuprà ſumpſimus humidum, in ordine, ſcilicet, ad mixtum: ita vt ſiccum ſit illud, quod difficilè terminatur termino alieno, quia agens extrinſecum ad introducendum in corpus ſiccum nouam figuram, indiget maiori impulſu, quia inuenit maiorem reſiſtentiam; Loquimur enim, vt dictum eſt de figura, quæ prouenit ab humiditate, non autem de ea, quæ prouenit ab intrinſeca exigentia ſubiecti. 8. *Quarta difficultas de ſiccitate infinita.*

His poſitis ad difficultatem reſpondeo negatiuè: Ratio eſt, quia in agente extrinſeco requireretur impulſus infinitus cathegorematicè, ſed talis impulſus repugnat, ergo, &c. Sequela Maioris probatur, quia ad ſuperandam reſiſtentiam infinitam cathegorematicè corporis infinitè ſicci, requiritur impulſus infinitus cathegorematicè, quò enim maior eſt reſiſtentia, eò maior requiritur impulſus: igitur calculando, ſi reſiſtentia eſt infinita cathegorematicè, impulſus erit infinitus cathegorematicè, vt clarè patet ex his, quæ diximus in ſuperiori quæſito. Minor probatur, quia quicquid ſit, an dari poſſit potentia motiua infinita (de qua re infrà dicetur) profectò impulſus infinitus dari non poteſt, quia quò impulſus eſt maior, eò velociùs mouentur partes corporis ſicci ad recipiendam nouam figuram; eſt enim impulſus actualis motio; ſi igitur impulſus eſt infinitus cathegorematicè, velocitas debet eſſe infinita cathegorematicè; ſed hæc dari non poteſt, quia eſſet ita maxima, vt non poſſit eſſe maior, ac proinde motus corporeus, & conſequenter ſucceſſiuus illarum partium corporis ſicci fieret in inſtanti; implicat autem motum ſucceſſiuum fieri in inſtanti. *Solutio.*

QVINTA

QVINTA DIFFICVLTAS CIRCA EAMDEM PRIMAM SPECIEM *Qualitatis.*

Vtrùm repugnet ſcientiam, & alios habitus eſſe infinitè intenſas, præſertim gratia, & lumen gloriæ.

9. *Quinta difficultas, an poſſit dari gratia infinita.*

RESPONDEO ad difficultatem, de habitu ſcientiæ, & alijs virtutibus, quæ ſunt in prima ſpecie Qualitatis, non eſt difficultas, quòd poſſint eſſe infinitæ intenſionis, (ſupponendo quòd ſint ſecundùm S.Thom. qualitates ſimplices, vt nos oſtendemus infra in prędicaméto Qualitatis, non repugnat enim qualitatem ſimplicem eſſe infinitè intenſam ex præciſo conceptu intenſionis infinitæ, vt diximus in prima difficultate, nec aliunde apparet repugnantia; ſolùm difficultas eſt de gratia, & de lumine gloriæ; hæc autem quamuis ſpectent ad materiam Theologicam, breuiter tamen hic attingemus, quantùm pertinet ad philoſophum illa tractare, ſub ratione intenſionis infinitæ.

10. *An gratia poſſit eſſe infinita. Prima ratio dubitãdi pro parte negatiua. Secunda ratio dubitandi.*

ET quidem quantùm ad gratiam, quamuis intenſio infinita non repugnet gratiæ ex conceptu præciſo intenſionis infinitæ, quia, vt communiter tenent Doctores, eſt qualitas ſimplex, videtur tamen aliunde repugnare ex duplici capite. Primum eſt, quia gratiæ infinitæ deberet correſpondere lumen infinitum, quòd implicat; Alterum eſt, quòd inde ſequeretur, Chriſtum habuiſſe de facto gratiam infinitam, quia ſi poteſt dari, debebatur illi ratione ſuppoſiti diuini, ſicut ratione eiuſdem meruit infinitè, & tamen ſecundùm communem ſententiam Chriſtus non habuit gratiam infinitam.

11. *Reſponſio ad primam rationẽ dubitandi.*

Sed hæc non obſtant, non quidem primum, quia vt mox infrà probabitur, non repugnat dari lumen gloriæ infinitè intenſum; non ſecundum, quia, vt ſupponimus ex tertia parte, qui tenent gratiam poſſe eſſe infinitam, diuiſi ſunt, nonnulli enim tenent, quòd in Chriſto fuit gratia finita, quia vnio hypoſtatica, ratione cuius debetur gratia, erat finita. Nec obſtat quòd meruerit infinitè, quia

12. *Ad ſecundã.*

meritum cùm conſiſtat in actione, eſt à ſuppoſito; actiones enim ſunt ſuppoſitorum, ac proinde meritum accipiebat valorem à ſuppoſito diuino; at verò gratia debebatur Chriſto non ratione ſuppoſiti ſimpliciter, ſed ratione vnionis: Vnio autem erat finita.

Alij verò dicunt, quòd in Chriſto fuit gratia infinita; ita Maior in 3. diſtinct. 13. quæſt. 9. & cenſet probabile Almainus ibidem quæſt. 1. qui refert hanc opinionem fuiſſe communiorem ſuo tempore in Academia Pariſienſi; neque oppoſitum docet S.Thom. in 3. part. quæſt. 7. artic. 11. docet enim eſſe finitam in genere entis, quia eſt ens creatum, & dependens; non tamen negat eſſe infinitam in genere gratiæ. *Maior. Almainus. S.Thom.*

13. *An lumen gloriæ poſſit eſſe infinitũ.*

QVANTVM verò ad lumen gloriæ, dubium eſt inter Doctores, an poſſit eſſe infinitum, quamuis enim, vt dictum eſt, non repugnet præciſè ex conceptu intenſionis infinitæ, eſt enim qualitas ſimplex, non repugnat enim qualitatem ſimplicem eſſe infinitè intenſam, vt ſuprà oſtenſum eſt, videtur tamen aliunde repugnare, quatenus eſt talis qualitas; ſi enim lumen gloriæ eſſet infinitum, ſequeretur abſurdum, quòd Deus poſſet comprehendi à Beato, quod eſt contra communem Patrum. *Ratio dubitãdi pro parte negatiua.*

14. Sed hoc non obſtat, quin poſſit dari lumen infinitè intenſum, & ad inſtantiam allatam reſpondetur, quòd non comprehenderetur Deus per lumen infinitum creatum, non quidem comprehenderetur ex parte luminis, quia lumen creatum non adæquaretur comprehenſioni Dei; Deus enim eſt totaliter viſibilis connaturaliter per lumen increatũ; neque cõprehẽderetur ex parte obiecti, quia adhuc Deus ſecundùm ſuam perfectionem intenſiuam infinitè excedit ipſum lumẽ infinitum; quamuis enim Deus ſit ens ſimpliciſſimũ, habet tamen plenitudinẽ perfectionis infinitæ intẽſiuè, ita vt ſi per impoſſibile poſſit illa plenitudo perfectionis diſtingui in gradus, tunc illi gradus excederent in infinitum infinities omnes gradus poſſibiles luminis gloriæ, vt fusè ſatis ſuo loco oſtendimus in primo tomo in primo principio philoſophico, in corollario de comprehenſione Dei. *Reſponſio ad ratione dubitandi.*

SEXTA DIFFICVLTAS CIRCA SECVNDAM SPECIEM QVALITATIS.

An repugnet dari potentiam viſiuam, & intellectiuam infinitè intenſas.

15. *Sexta difficultas an poſſit dari potentia viſiua & intellectiua infinita.*

QVANTVM ad potentiam viſiuam, reſpondetur negatiuè; Ratio eſt, quia potentia eſſentialiter ordinatur ad obiectum; ſi igitur repugnat obiectum, repugnat potentia.

16. *Ariſtot.*

Quòd verò obiectum potentiæ viſiuæ infinitæ repugnet, probatur, quia ſecundùm Ariſt. de ſenſu, & ſenſibili, cap. vltimo, quo obiectum viſibile v.g. coloratum extenſum magis decreſcit per partes proportionales, eò magis potentia viſiua creſcit per partes æquales, nec mirum, quia per partes proportionales obiecti deuenitur ad punctum, quod eſt improportionatũ potentiæ viſiuæ; parùm igitur refert, vt bene notauit Caiet. 1. par. q. 45. quòd ad illud improportionatum deueniatur per partes æquales, vel partes proportionales; ſi igitur datur potentia viſiua infinita, neceſſariò per diuiſionem obiecti deueniendum eſt ad punctum: ſed punctum non poteſt eſſe obiectum potentiæ viſiuæ; quia cùm potentia viſiua infinita ſit extenſa, non poteſt intueri niſi extenſum, alioquin obiectum excederet potentiam, & modum cognoſcendi ipſius potentiæ. *Caietanus.*

17. *Inſtantia.*

Quòd ſi dicas, ſufficit, vt obiectum viſibile extẽſum minoretur ſecundùm partes proportionales in infinitum vſque ad punctum excluſiuè, ad hoc vt virtus viſiua fiat infinita ſecundùm partes æquales, & hoc videtur colligi ex Ariſt. ibidem. *Ariſtot.*

Reſpondetur non ſufficere, quia diminutio per partes proportionales eſt infinita ſyncathegorematicè, non poteſt ergò potentia viſiua creſcere infinitè ſecundùm partes æquales cathegorematicè, quia infinitudo cathegorematica, vt dictum eſt in hac quæſtione in tertia difficultate, & fuſiùs in quæſt. ſecunda, excedit infinitudinem ſyncathegorematicam; potentia igitur viſiua ſecundùm illum exceſſum non haberet obiectum. *Solutio.*

Ad Ariſtotelem autem reſpondetur, intelligendum eſſe diminutionem debere fieri vſque ad punctum non excluſiuè, ſed incluſiuè, ad hoc vt potentia viſiua fiat infinita; an autem poſſit dari huiuſmodi potentia viſiua infinita, ibi non diſputat Ariſtoteles, & idem dicendum eſt de aliis potentiis. *Ariſtot.*

18. *An poſſit dari potẽtia intellectiua infinita.*

De potentia verò intellectiua creata, multò magis hoc eſt dicendum, quia ad hoc vt ſit infinita cathegorematicè, deberet obiectum minui de po-tentiali

Digitized by Google

tentialitate vſque ad actum purum incluſiuè, quia tota infinitudo obiectorum creabilium eſt ſyncathegorematica, non poteſt igitur eſſe obiectum adæquatum potentiæ infinitæ cathegorematicè, implicaret autem, potentiam intellectiuam creatam naturaliter intueri actum purum; quia modus cognoſcendi actum purum in ſe ipſo, ſine aliquo medio creato, excedit modum eſſendi potentiæ creatæ,quæ eſſentialiter eſt immerſa potentialitati, poterat enim quælibet creatura non eſſe.

19. Inſtantia. Quòd ſi inſtes, non repugnat dari ſcientiam infinitam reſpectu omnium poſſibilium naturalium, imò de facto multi tenent hanc ſcientiam infuſam eſſe in anima Chriſti, & tamen poſſibilia ſunt infinita ſyncathegorematicè, ergo neque etiam propter eamdem rationem repugnabit dari potentiam intellectiuam.

Solutio. Reſpondetur,vt fuſiùs alibi dicemus,ſcientiã infuſam eſſe ordinis ſupranaturalis, ac proinde ſufficit, vt ſit finita in ordine ad obiecta poſſibilia perfectiora,& perfectiora in infinitum.

SEPTIMA DIFFICVLTAS CIRCA EAMDEM SECVNDAM SPECIEM *Qualitatis.*

An repugnet, grauitatem, ſeu aliam potentiam motiuam naturalem eſſe infinitè intenſam.

20. Septima difficultas, an poſſit dari grauitas infinita,ſeu alia potentia motiua.

NOTA quòd hîc non eſt ſermo de potentia, qua Angelus mouet ſe ipſum, quia poteſt Angelus per potentiam finitam mouere ſe ipſum in minori & minori tempore ad libitum etiam in inſtanti,vt oſtendimus in primo tomo in primo principio philoſophico in corollario de motu Angelorum,Et ratio eſt, quia mobile eſt ſpirituale, & indiuiſibile, quare non opus eſt, vt ſucceſſiuè moueatur per partes; ſed ſermo eſt de potentia motiua,qua mouetur corpus.

Prima opinio. Hoc ſuppoſito, ad difficultatem reſpondent primò nonnulli, grauitatem, & quamcumque aliam potentiam motiuam non poſſe eſſe infinitè intenſam, quia vel mouet corpus in inſtanti,vel in tempore;ſed neutrum poteſt dici,ergo, &c. Et quidem non poteſt dici quòd moueat in inſtãti, quia motus corporeus eſt naturaliter, & neceſſariò ſucceſſiuus; non poteſt igitur corpus ab iſta potentia motiua naturali moueri in inſtanti; Neque poteſt dici, quòd hæc potentia infinita mouet corpus in tempore, quia diceret ordinem ad motum velociorem & velociorem in infinitum ſyncathegorematicè,ergo non poteſt potentia eſſe infinita cathegorematicè,quia ſecundùm illum exceſſum quem habet potentia ſupra terminum, non reſpiceret terminum, & tamen ille exceſſus eſt relatiuus; implicat autem dari relatiuum ſine termino.

Quòd autem infinitudo potentiæ excedat infinitudinem motus velocioris, & velocioris in infinitum, probatur, quia, vt ſuprà dictum eſt in prima difficultate, & fuſiùs oſtenſum eſt ſuprà in quæſtione ſecunda, infinitudo cathegorematica excedit infinitudinem ſyncathegorematicam; hæc opinio eſt Aureoli in 1. diſt. 44.

21. Verior ſententia. HIS tamen non obſtantibus, dicendum eſt primò, poſſe dari infinitam grauitatem; Probatur, quia nulla eſt repugnantia ex parte intenſionis infinitæ, vt probatum eſt in prima difficultate; neque eſt repugnantia ex peculiari ratione grauitatis, quia primarium munus infinitæ grauitatis, non eſt mouere graue, vt falsò aſſumebat opinio oppoſita, velociùs & velociùs in infinitum, ſed conſtituere ipſum corpus graue in proprio loco cum reſiſtentia infininita cathegorematicè, huiuſmodi autem grauitas infinita nullam dicit repugnantiam, quia habet terminum ſibi adæquatum, ipſam ſcilicet reſiſtentiam infinitam; hæc verò reſiſtentia infinita non videtur inuoluere aliquam implicantiam,ſicut inuoluit motus infinitè velox, hic enim includit vt fiat in inſtanti, quod non includit infinita reſiſtentia.

Quòd ſi dicas, agens quod debet ſuperare hanc reſiſtentiam, deberet extrahere in inſtanti mobile à ſuo loco, quod repugnat. 22. Inſtantia.

Reſpondetur, quòd hoc non eſt neceſſe,ſufficit enim ad hoc, vt agens ſit virtutis infinitæ in ordine ad vincendam reſiſtentiam, vt habeat tantam vim, vt poſſit extrahere à loco proprio illud mobile graue infinitum; Quòd verò extrahat in tempore, non facit ad infinitatem agentis, at verò motus non poteſt eſſe infinitè velox, niſi fiat in inſtanti, quia motus velox in minori & minori tempore,&c.non attingit infinitatem cathegorematicè, niſi perueniat ad motionem inſtantaneam. Solutio.

Circa verò potentiam motiuam, an poſſit eſſe infinita cathegorematicè; notandum eſt, quòd potentia motiua includit duo; Primò includit ordinem per ſe & primò ad mouendum corpus. Secundò includit ordinem ad ſuperandam reſiſtentiam rei grauis. 23. An potentia motiua poſſit eſſe infinita cathegorematicè.

His poſitis dicendum eſt, quòd ſi potentia motiua ſumatur vt includit primum ordinem, non poteſt eſſe infinita cathegorematicè, quia per hunc ordinem reſpicit motum corporis velociorem, & velociorem in infinitum ſyncathegorematicè; non enim poteſt dari motus corporeus per medium in inſtanti, ergo ipſa potentia motiua non poteſt eſſe infinita cathegorematicè,quia excederet præciſè ſecundùm hunc ordinem, ſuum terminum, ſeu obiectum;obiectum enim eſſet infinitum ſyncathegorematicè; infinitudo autem cathegorematica excedit infinitudinẽ ſyncathegorematicã etiã ſi ipſa infinitudo ſyncathegorematica actu poneretur, vt ſępius dictum eſt ſuprà, præſertim in quæſtione ſecunda.

Quòd ſi dicas, ſaltem poſſe dari potentiam motiuam infinitam ſyncathegorematicè. Reſpondeo, neque hoc poſſe dici, quia repugnat, vt dictum eſt, quod infinitudo ſyncathegorematica ſit actu, excluderet enim potentialitatem, & tendentiam ad vlterius & vlterius, &c. quod eſt de eſſentia infiniti ſyncathegorematici; quare ſi à Deo fieret potentia motiua, quæ haberet vim mouendi corpus velociùs & velociùs in infinitum, illa potentia diceret ordinem rationis ad talem motum, ipſa autem potentia ſecundùm eſſe abſolutum vel eſſet finita altioris ordinis, vel eſſet eleuata extrinſecè per imperium diuinum à Deo ſecundùm potentiam obedientialem ad mouendum corpus velociùs & velociùs in infinitum; quodcunque autem corpus moueret, moueret velocitate finita.

Si verò potentia motiua ſumatur, vt dicit poſteriorem ordinem, ſcilicet, ad ſuperandum reſiſtentiam mobilis, tunc dicendum eſt, quòd nullam videtur inuoluere implicantiam quin poſſit eſſe infinita cathegorematicè, diceret enim ordinem ad ſuperandam infinitam reſiſtentiam mobilis infinitè grauis, de quo dictum eſt paulò ſuperiùs, & per hæc patet ad argumentum oppoſitæ opinionis.

OCTAVA

Digitized by Google

OCTAVA DIFFICVLTAS CIRCA EAMDEM SECVNDAM SPECIEM *Qualitatis.*

An repugnet mobile moueri motu ſucceſsiuo infinitè veloci.

24. Octaua difficultas, an poſſit dari motus infinitè velox.

NOTA quòd per velocitatem intelligimus qualitatem quandam actualem, per quam mobile cum iiſdem partibus motus ponitur ſub pluribus partibus ſpatij. Hoc poſito, certum eſt, poſſe Angelum,vt diximus in primo tomo,acquirere totum ſpatium ſimul in inſtanti.

Dubium tamen eſt de motu ſucceſſiuo, an poſſit corpus, vel Angelus moueri ſucceſſiuè velocitate infinita,ita, vt illa velocitate non poſſit dari maior.

Reſpondetur negatiuè,quia,vel eſſet hæc infinita velocitas inſtantanea, & hæc repugnat motui ſucceſſiuo, vel deueniretur tandem in fine motus ad partem temporis ita minimam, vt non poſſit dari minor;quod quidem repugnat,quia daretur vltima.

Quòd ſi dicas, poſſe eſſe motum infinitè velocem, abſque eo quòd deueniatur ad partem minimam temporis; poſſet enim fieri motus infinitè velox non per diuiſionem temporis minoris, & minoris,percurrendo idem ſpatium,quod percurrit mobile tardum, ſed quòd eodem tempore, quo mobile tardum,ſeu finitè velox percurrit ſpatium centum palmorum, percurrat mobile infinitè velox ſpatium infinitum infinitè maius.

Contra hoc eſt, quia ſpatium infinitum non datur, & etiam ſi daretur, adhuc eſſet impoſſibile, quod aſſumitur, quia ſequeretur, quòd in fine horæ mobile infinitè velox percurriſſet totum ſpatium infinitum, ac proinde daretur vltimum in illo ſpatio, quia immediatè poſt illud ſpatium eſſet ipſum mobile.

NONA DIFFICVLTAS CIRCA EAMDEM SECVNDAM SPECIEM *Qualitatis.*

An repugnet mobili moueri motu infinitè tardo.

25. Nona difficultas, an poſſit dari motus infinitè tardus.

NOTA quòd tarditas infinita intelligitur duobus modis; Primo modo quòd ſit ratio quædam actualis, per quam mobile ponitur in eodem ſpatio in tempore infinitè maiori per partes æquales, quàm ponatur in eodem ſpatio mobile finitè tardum.

Secundo modo tarditas infinita poteſt eſſe ratio quædam actualis, per quam mobile infinitè tardum ponitur in ſpatio in tempore finito vnius horæ, in quo ſpatio mobile finitè tardum neceſſe eſt, vt ſe ponat in tempore infinitè minori, ſecundùm partes proportionales; quia mobile finitè tardum,infinitè exceditur in tarditate à mobili infinitè tardo.

Solutio. His poſitis reſpondetur ad difficultatem negatiuè, quia nullo ex his duobus modis mobile infinitè tardum poteſt moueri;non primo modo,quia tempus infinitè maius per partes æquales non datur actu in æternitate à parte pòſt, ſed in potentia, nec in æternitate à parte antè datur tempus ſucceſſiuum, nec motus ſucceſſiuus, vt probatum eſt ſuprà.

Neque poteſt mobile infinitè tardum moueri ſecundo modo, quia hoc tempus infinitè minus, deberet eſſe ita minimum,vt non detur minus,quia

A debet diſtare infinitè ab hora; ita vt habeat diſtantiam infinitam in minoritate ab hora, per quod mobile infinitè tardum percurrit idem ſpatium; Quòd autem tempus illud, per quod mobile finitè tardum percurrit idem ſpatium, debeat eſſe ita minimum,vt non poſſit eſſe minus, probatur, quia ſi poſſet dari aliud tempus minus, adhuc in illo minori tempore mobile finitè tardum deberet ſe mouere, quia adhuc infinitè diſtat ſecundùm tarditatem à mobili infinitè tardo.

DECIMA DIFFICVLTAS CIRCA TERTIAM SPECIEM QVALITATIS.

B *An poſſit albedo,&c.quæ eſt ſub tertia ſpecie Qualitatis, quatenus eſt obiectum potentiæ viſiuæ, dari infinitè intenſa.*

RESPONDETVR cum diſtinctione, Albedo poteſt concipi tripliciter; Primò poteſt concipi ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, & tunc vt ſic,non repugnat illam eſſe infinitè intenſam,eſt enim qualitas ſimplex, vt ſupponimus ex dicendis in prædicamento Qualitatis; qualitati autem ſimplici non repugnat infinita intenſio, vt probatum eſt in prima difficultate. 26. Decima difficultas, an poſſit dari albedo infinita.

C Secundò poteſt conſiderari albedo relatiuè,quatenus eſt paſſibilis qualitas ſub tertia ſpecie Qualitatis, in ordine, ſcilicet, ad diſgregandum viſum propter lumen,& fulgorem, quæ recipiuntur in albedine, qui quidem fulgor eſt læſiuus pupillæ; Et tunc dicendum eſt, quòd iſta potentia ſecundùm hanc relationem non poteſt eſſe infinita, quia ſi eſſet infinita, deberet lædere potentiam viſiuam, infinitam,ac proinde eandem deſtruere, quod quidem repugnat, quia non datur potentia viſiua infinita,vt probatum eſt ſuprà in ſexta difficultate.

Quòd verò deberet lædere infinitè potentiam viſiuam,probatur,quia quò intenſior eſt albedo, eò maiorem habet fulgorem, & conſequenter magis læſiuum; ſi ergo habet intenſionem infinitam ca-
D thegorematicè, debet eſſe læſiua infinita cathegorematicè,ergo debet habere terminum, ſeu potentiam viſiuam, quæ læditur infinitè cathegorematicè, quia relatiuum, vt probatum eſt in prima difficultate, non poteſt excedere ſuum correlatiuum, quare concluditur, quòd albedo non poſſit habere reſpectum tranſcendentalem realem ad infinitè diſgregandum viſum, quia ſi eſſet realis,deberet albedo ſecundùm illum reſpectum eſſe infinita, quod repugnat,vt dictum eſt.

Si verò tertiò conſideretur albedo, quatenus dicit reſpectum,ſeu ordinem tranſcendentalem, vt poſſit videri totaliter à potentia viſiua in quacumque diſtantia,tunc etiam dicendum eſt, albedinem 27.
E ſecundùm hunc reſpectum non poſſe eſſe infinitam, quia non poteſt illi correſpondere potentia viſiua infinita,vt probatum eſt in ſexta difficultate.

Quòd verò neceſſe ſit dicere ordinem ad potentiam viſiuam infinitam, probatur, quia quò obiectum eſt in maiori diſtantia, eò potentia viſiua debet eſſe maior. Quare concluditur, quòd ille reſpectus albedinis, vt poſſit videri in quacunque diſtantia, non eſt realis, quia neque poteſt eſſe infinitus cathegorematicè, neque ſyncathegorematicè, quia, vt probatum eſt ſuprà, non datur actu infinitum ſyncathegorematicum;includit enim eſſentialiter potentiam,& tendentiam ad vlterius.

VNDECIMA DIFFICVLTAS CIRCA EANDEM TERTIAM SPECIEM *Qualitatis.*

An repugnet colorem medium, vt eſt color rubeus, &c. eſſe infinitè intenſum.

28. *Vndecima difficultas, an poſſit dari color mixtus infinitus.* *Solutio.*

NOTA colorem medium illum dici, qui eſt mixtus ex perſpicuo & opaco, & vt ſic habet rationem obiecti viſibilis, & vt ſic eſt ſub tertia ſpecie Qualitatis.

His poſitis; ad difficultatem nonnulli reſpondent tenendo partem negatiuam; Ratio eſt, quia quando color medius, ſeu mixtus deuenit ad infinitatem, perdit ſuam eſſentiam; Exempli gratia, B color rubeus eſſentialiter dicit paruum exceſſum perſpicui ad opacum; ſi igitur iſte exceſſus perſpicui eſt infinitus, iam amittitur exceſſus ille paruus perſpicui ad opacum, qui eſt de eſſentia coloris rubei, & ſic dicendum eſt de aliis coloribus mixtis.

TENENDA tamen eſt pars affirmatiua; Probo primò in opinione eorum, qui volunt intenſionem fieri per additionem graduum homogeneorum; nam ſecundùm hanc opinionem poteſt dari perſpicuũ infinitum, maius quàm ſit opacũ infinitum, ita vt in ratione infiniti ille exceſſus perſpicui ſit paruus, ac proinde ſaluatur eſſentia coloris rubei.

Quòd autem hoc poſſet fieri, probatur, poſſunt enim dari ſub ſpecie albedinis plura, & infinita indiuidua alba infinitè intenſa; ita ſimiliter ſub nigredine; & idem dicendum eſt de luce, ſeu perſpicuitate, & opacitate; Nam, vt probatum eſt in hac quæſtione in ſecunda difficultate, non eſt neceſſe, vt vna infinita albedo habeat omnes gradus poſſibiles, qui poſſunt eſſe ſub ſpecie albedinis; poteſt igitur multiplicari alia albedo, & alia in infinitum.

Sint igitur duæ albedines, & duæ nigredines æquales in infinitate, & poſtea illæ duæ albedines vniantur in vnam albedinem; poteſt enim hoc fieri in opinione iſtorum, quia cùm gradus ſecundæ albedinis ſint homogenei, ſi illi gradus addantur ad primam albedinem, facient illam infinitè intenſiorem in duplo, in quo caſu hæc albedo infinitè intenſior in duplo, quàm erat priùs, excedet quamlibet ex illis duabus nigredinibus in duplo, ac proinde excedet in paruo exceſſu; nam quamuis excedat infinitè, tamen intra latitudinem infiniti eſt paruus exceſſus, poſſet enim excedere in duplo, & in centuplo, &c, qui enim admittunt infinitum, debent concedere conſequenter, quòd vnum infinitum poteſt eſſe maius altero, vt probatum eſt in hac tertia diſputatione quæſtione prima, dubitatione ſecunda in difficultate ſecunda.

29. Secundò probatur in opinione noſtra, ſecundùm quam tenemus intenſionem eſſe qualitatem ſimplicem, quia quamuis vna albedo, vel vna lux infinita poſſit creari à Deo cum omnibus gradibus poſſibilibus albedinis, ſeu lucis, vt dictum eſt in ſecunda difficultate, non tamen eſt neceſſe; poteſt igitur dari vna albedo, ſeu vna lux intenſior, ſeu perfectior, quàm alia in duplo, triplo, vel centuplo, &c.

Hoc poſito poteſt dari color rubeus infinitus, quia poteſt continere perſpicuum, ſeu lucidum infinitè intenſum: ſimiliter etiam opacum; ſed cum tali proportione, vt lucidum in ratione infinitatis parùm excedat opacum, quia poteſt excedere in duplo, cùm tamen poſſit excedere in centuplo, &c.

A

DVODECIMA DIFFICVLTAS CIRCA QVARTAM SPECIEM *Qualitatis.*

An poſſit dari figura infinitè rotunda.

RESPONDETVR, qui negant infinitum quantitatiuum, conſequenter etiam negant poſſe dari figuram rotundam, quia figura quamuis ſit qualitas, ſupponit partes extenſas. 30. *Duodecima difficultas, an poſſit dari figura infinitè rotunda.*

Qui verò tenent infinitum quãtitatiuum, adhuc negare debent poſſe dari figuram rotundam, ſeu circulum, nam circulus vndequaque habet terminum ex Ariſtotele primo cœli. *Ariſtoteles.*

DECIMATERTIA DIFFICVLTAS CIRCA EANDEM QVARTAM SPECIEM *Qualitatis.*

An poſſit dari rectitudo infinita, & curuitas infinita.

RESPONDETVR, neutrum poſſe dari; De rectitudine probatur, quia conſiſtit in indiuiſibili, non poteſt ergo habere neque exceſſum, neque defectum; & ſic dicendum de omnibus aliis qualitatibus conſiſtentibus in indiuiſibili. 31. *Decimatertia difficultas, an poſſit dari rectitudo infinita.*

De curuitate verò probatur, quia quamuis non 32.
C conſiſtat in indiuiſibili, ſed poſſit eſſe maior & maior; tamen cùm curuum deuenit ad certum terminum, fit circulare; circulus autem, vt dictum eſt, non poteſt eſſe infinitus.

DECIMAQVARTA DIFFICVLTAS CIRCA EANDEM QVARTAM SPECIEM *Qualitatis.*

An poſſit dari raritas infinita.

PRO explicatione notandum, raritatem in actu 33.
primo dicere exigentiam ponendi quantitatem in tanto ſpatio, quamuis actu non ponat; non enim D eſt dicendũ, quòd corpus Chriſti non habeat raritatem, & denſitatem in Sacramento, & tamen ibi non occupat locum; raritas verò in actu ſecundo dicit actualem poſitionem corporis in tanto ſpatio, & vocari ſolet rarefactio. *Decimaquarta difficultas, an poſſit dari raritas infinita.*

His poſitis, reſpondent nonnulli, raritatem in actu ſecundo repugnare, quia daretur actualis occupatio ſpatij infiniti; quod implicat; raritatem autem in actu primo non repugnare, quia non ſequeretur actualis occupatio ſpatij infiniti.

Sed dicendum eſt, vtrumque repugnare, & quidem quòd repugnet rarefactio, ſeu raritas in actu ſecundo, manifeſtè patet ex quæſtione quarta, vbi fusè oſtendimus implicare dari magnitudinem in- E finitam occupantem actu ſpatium infinitum.

Quòd verò repugnet raritas in actu primo, probatur, tum quia ſi repugnat actus ſecundus, repugnat actus primus, nam alioquin actus primus diceret ordinem realem ad actum ſecundum chimæricum, ſicut ſi implicaret riſibile, implicaret rationale, vt fuſiùs oſtendimus quæſtione quarta concluſione ſecunda; tum quia eadem argumẽta, & implicantiæ, quæ fieri ſolent de corpore rarefacto actu occupante ſpatium infinitum, poſſunt fieri de corpore extenſo in ordine ad ſe infinitè raro, quia tale

Digitized by Google

tale corpus haberet infinitas partes, vnam extra aliam; ac propterea poſſet fieri additio, & detractio, & conſequenter aſſignari terminus, vt in eadem quæſtione quarta probatum eſt.

DECIMAQVINTA DIFFICVLTAS CIRCA EANDEM SPECIEM QVALITATIS.

An poſſit dari denſitas infinita.

14. *Decimaquinta difficultas an poſſit dari denſitas infinita.*

RESPONDENT nonnulli dicendo denſitatem, ſeu condenſationem infinitam in actu ſecundo repugnare, non autem in actu primo, quia non opus eſt, vt per condenſationem in actu primo ponatur corpus actu in loco infinitè minori, ſed tantùm facit vt corpus poſſit eſſe in loco minori & minori in infinitum.

Sed dicendum eſt, vtrumque repugnare; & quidem quòd repugnet condenſatio in actu ſecundo, patet, quia condenſatio in actu ſecundo eſt actualis ratio ponendi corpus in loco infinitè cathegorematicè minori; hic autem eſſet punctus; ſed repugnat per condenſationem poni corpus in puncto, quia condenſatio non tollit extenſionem localem, ſed tantùm facit, vt corpus coëxtendatur in minori, & minori loco.

Quòd verò repugnet condenſatio infinitè cathegorematicè in actu primo, probo, quia diceret ordinem, ſeu aptitudinem, vt poſſit ponere corpus in loco infinitè minori, hoc eſt in puncto; ſed hoc repugnat, vt probatum eſt; ergo, &c.

Quòd ſi dicas, ſufficit ſi denſitas infinita in actu primo dicat ordinem ponendi corpus in loco minori, & minori in infinitum. Contra hoc eſt, quia potentia relatiua, de qua loquimur, non poteſt eſſe realiter infinita cathegorematicè, dicens ordinem ſecundùm exigentiam ad terminum infinitum ſyncathegorematicè; vt ſæpe dictum eſt in hac quæſtione, præſertim in prima difficultate.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An poſſit dari ſubſtantia creata infinita.

1. *Triplex ſenſus quæſtionis.*

HÆc quæſtio poteſt habere triplicem ſenſum.

Primus ſenſus.

Primus ſenſus eſt, an poſſit dari ſubſtantia corporea, quæ habeat partibilitatem infinitam; & iuxta hunc ſenſum ſit

Prima concluſio.

PRIMA concluſio. Certum eſt, non poſſe dari ſubſtantiam corpoream habentem partibilitatem infinitam, quia deberet dari quantitas infinita, quæ poſſet extrahere & extendere partes ſubſtantiales, quæ dici ſolent partes intraneæ, quatenus ante aduentum quantitatis vna non eſt extra aliam; dicunt enim hæ partes intraneæ ordinem eſſentialem ad extenſionem; ſi igitur ſunt infinitæ, dicunt ordinem ad extenſionem infinitè; repugnat autem dari extenſionem infinitam, vt ſuprà in quæſtione quarta oſtenſum eſt.

Secundus ſenſus eſt, an poſſit dari aliqua ſubſtantia infinita intra rationem ſpecificam finitam per hoc, quòd illa ratio ſpeciei ab aliquo indiuiduo totaliter participetur, & iuxta hunc ſenſum ſit

2. *Secunda concluſio. Aureolus.*

SECVNDA concluſio. Certum etiam videtur non poſſe dari ſubſtantiam infinitam; Ita tenet Aureolus in 1. diſtinct. 44. art. 2. Et ratio eſt, quia maior perfectio quæ poſſet excogitari in ſolo indiuiduo, ea eſſet quòd contineat totam perfectionem ſpeciei; ſed talis perfectio non eſt infinita,

A ergo non poteſt dari indiuiduum infinitæ perfectionis, ſub illa ſpecie finita.

Quòd ſi obiicias, illud indiuiduum continet æquiualenter omnes perfectiones indiuiduales, quæ fuiſſent diſperſæ per infinita indiuidua, ſi darentur ſub illa ſpecie; ergo &c. Reſpondeo, & pro ſolutione ſupponendum eſt, duplicem eſſe modum dicendi circa rationes indiuiduales ſeu hæcceitates. 3. *Inſtantia. Solutio.*

Primus, & communior eorum qui tenent rationes indiuiduales eſſe æquales, & homogeneas; & iuxta hunc modum dicendi facilis eſt ſolutio; non enim poteſt argui maior perfectio in illo vno indiuiduo, quod æquiualet infinitis huiuſmodi indiuiduis, quàm ſit perfectio vnius indiuidui, nam B illa infinita indiuidua non excedunt ſe in perfectione, ſed tantùm ſe habent materialiter.

Secundus modus dicendi eſt Caietani aſſerentis rationes indiuiduales ſaltem in animabus eſſe inæquales, & heterogeneas, ita vt vna excedat aliam in perfectione indiuiduali, vna enim, inquit, anima, meliùs iudicat, quàm alia, & quidem, non propter perfectiorem diſpoſitionem organorum, quia apprehenſio, poteſt eſſe æqualis in duabus animabus; ergo propter perfectiorem rationem indiuidualem, per quam magis participatur eſſentia hominis.

Et iuxta hunc modum dicendi maior eſt difficultas, quia illud vnicum indiuiduum, deberet continere æquiualenter in vna ratione ſimplici, omnes rationes indiuiduales perfectiores, & perfectiores in infinitum. Reſpondetur tamen, quòd tota perfectio ſpeciei diſperſa per rationes indiuiduales perfectiores, non poteſt eſſe infinita ſecundum ſpeciem, quia ſi daretur ſpecies abſtracta, haberet perfectionem finitam, quæ materialiter communicatur indiuiduis in infinitum, poteſt igitur dari vna ratio indiuidualis diuerſæ rationis, & perfectior ſecundùm ſuam rationem, quàm ſint cætera indiuidua, cui communicetur tota perfectio ſpeciei, non autem quòd illa ſit infinita, quia perfectio ſpeciei, quæ communicatur materialiter illi indiuiduo, eſt finita. 4.

D Tertius ſenſus eſt, an poſſit dari ſubſtantia creata infinita ſecundùm ſuam rationem formalem, ſeu ſpecificam; & iuxta hunc ſenſum agitatur præcipuè hæc quæſtio à Doctoribus, præſertim Aureolo in 1. diſtinct. 44. loco citato, iuxta quem ſenſum ſit 5. *Tertius ſenſus in quo eſt punctus quæſtionis.*

TERTIA concluſio. Non poteſt dari ſubſtantia creata infinita ſecundùm ſuam rationem formalem ſeu ſpecificam. *Tertia concluſio.*

Probant primò aliqui recentiores; ſi daretur ſubſtantia infinita, ſequeretur quòd in ratione ſubſiſtentis deberet eſſe infinita, quia ſubſiſtentia debet eſſe adæquata naturæ; ſed repugnat dari ſubſiſtentiam infinitam, ergo, &c. Minorem probant, quia ſi ſubſiſtentia eſſet infinita, deberet æquiualere infinitis ſubſiſtentiis, ergo poſſet ſuppoſitari E infinitas dari naturas; ſed hoc dici non poteſt, quia ſubſiſtentia eſt modus; modus autem, eſt eſſentialiter actualis ratio rei modificatæ, quare non poſſunt per eundem modum modificari duæ naturæ. *Prima probatio.*

Sed hæc probatio non eſt efficax, & impugnatur, primò, quia poteſt dici quòd ſubſiſtentia diſtinguitur à natura, tanquam res, à re, & non ſicut modus rei; Ita Bagnes 1. part. quæſt. 3. art. 3. dubitatione prima, & apud ipſum Caietanum; Ita etiam Petrus de Cabrera in primo tomo ſuper tertiam partem S.Thom. quæſt. 4. art. 2. diſput. 4. concluſione 2. & S. Thom. apud ipſum multi Thomiſtæ, & nos fusè oſtendimus 6. *Reiicitur.*

Digitized by Google

mus ſuprà in prædicamento ſubſtantiæ diſput. 3. ac proinde nulla eſt probatio.

Præterea etiam ſi admittatur ſubſiſtentiam diſtingui à natura, tamquam modum rei à re, adhuc impugnatur ſecundò hæc prima probatio; nam ad hoc vt ſubſiſtentia ſit modus infinitus, ſufficit vt ſit adæquatus naturæ infinitæ, quam modificat; quòd verò non poſſit modificare alias naturas, hoc non prouenit ex defectu infinitatis, ſed ex alio capite, quia eſt modus.

7. Secũda probatio. Aureolus. Probatur igitur ſecundò hæc concluſio ab Aureolo in 1. diſt. 44. loco citato; Si ſubſtantia creata eſſet infinita ſecundùm ſuam rationem formalem, vel eſſet in aliqua ſpecie, vel non eſſet; Non poteſt dici quòd non eſſet in aliqua ſpecie, quia hoc haberet omnem perfectionem entis, & conſequenter eſſet Deus: Neque poteſt dici ſecundò, quòd ſcilicet eſſet in aliqua ſpecie; quia tũc, inquit Aureolus, ſpecifica ratio, & infinitas contradicunt, quia infinitum caret omni finitione & omni arctatione, & per conſequens eſt ratio interminata, & inſpecificata.

8. Inſtant contra hanc rationem nonnulli, quia poſſet dici, inquiunt, hanc ſubſtantiam creatam eſſe finitam in latitudine entis, quia non contineret omnem perfectionem entis, eſſe tamen infinitam in tali ſpecie; Contra hoc eſt, quia ſi eſſet infinita in aliqua ſpecie, eſſet infinita vno ex his tribus modis, vel, quia primò eſſet infinita ſecundùm intenſionem, vt albedo; vel ſecundò, quia contineret multitudinem graduum eſſentialium; vel tertiò, quia æquiualenter, vel eminenter contineret tamquam in cauſa perfectiones omnium aliarum creaturarum; ſed nullo ex his tribus modis poteſt dari ſubſtantia creata infinita in aliqua ſpecie, ergo, &c.

Maior probatur, quia non videtur excogitabilis alius modus, qui non reducatur ad vnum ex iſtis tribus.

Minor probatur, & quidem, quòd non poſſit eſſe infinita primo modo, ſcilicet ſecundùm intenſionem, patet, quia ſubſtantia creata non recipit magis, & minus in ratione ſubſtantiæ, ſecundùm Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ, ſicut ſuſcipit albedo, & etiam ſi ſuſciperet infinitam intenſionem, ſicut poteſt ſuſcipere albedo, adhuc non eſſet ſpecies infinita in ratione eſſentiali, ſicut albedo infinita ſecundùm intenſionem, eſt ſpecies finita, & eiuſdem nobilitatis eſſentialis cum albedine finita.

Neque poteſt dici ſecundò, quòd illa ſpecies ſit infinita ex eo, quia continet formaliter multitudinem infinitam graduum eſſentialium, quia componeretur vna eſſentia chimærica, ſicut chimæricè componitur hircoceruus, ex hircinitate, & ceruinitate.

Neque poteſt dici tertiò, quòd illa ſpecies contineret eminenter tamquam in cauſa perfectiones aliarum creaturarum; tum quia omnes aliæ creaturæ dicerent dependentiam ab hac ſubſtantia creata, quod quidem dici non poteſt, quia eſt proprium Dei; tum quia talis ſubſtantia diceret illuminationem in ratione entis; ac proinde non eſſet in aliqua ſpecie determinata, ſed potiùs eſſet Deus.

Quòd ſi dicas, talem ſubſtantiam creatam infinitam non continere omnes perfectiones creaturarum, ſed infinitas in aliquo determinato genere, v. g. in genere brutali; Contra hoc eſt, quia etiam ſi concedatur hoc poſſe fieri, tamen ad hoc ſatis eſſet, quòd illa ſubſtantia ſit finitæ perfectionis in ſuperiori ordine, ſicut eſt Angelus reſpectu creaturarum corporearum, & homo reſpectu brutorum.

Sed neque hoc eſt concedendum; creatio enim, A cum ſit productio ex nihilo, arguit in agente vel infinitatem, vel actum purum, vt in primo tomo oſtendimus.

9. Tertia probatio. Aureolus. Tertiò probatur concluſio, ex eodem Aureolo; Si poneretur aliqua ſpecies infinitæ perfectionis, illa profectò eſſet intellectualis naturæ, excederet enim omnes creaturas intellectuales, quæ hodie ſunt productæ, haberet igitur intellectum infinitum ſibi adæquatum; Sed hoc, inquit, eſt impoſſibile, non ſolùm, vt ipſe dicit, quia adæquaret infinitatem diuini intellectus, vt patet ex ſuperiori quæſtione, ſed quia talis intellectus non poſſet habere aliquod obiectum ſibi adæquatum; non enim poteſt habere pro obiecto intuitiuè ipſum Deum, modus enim cognoſcendi Deum, actum purum B intuitiuè connaturaliter in ſe ipſo, ſine vllo medio creato priùs cognito, excedit modum eſſentiæ talis intellectus, qui eſt immerſus potentialitati, quælibet enim creatura poteſt non eſſe, ac proinde includit potentialitatem.

Neque poteſt talis intellectus pro obiecto ſibi adæquato cognoſcibili habere creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum; quia potentia intellectiua excederet in infinitate ſuum obiectum, quod quidem eſt impoſſibile, quia daretur relatiuum ſine ſuo correlatiuo; Quòd verò excederet, probatur, quia potentia intellectiua eſſet infinita cathegorematicè, obiectum autem eſſet infinitum ſyncathegorematicè.

C Quòd ſi dicas, quòd tanta eſt perfectio cathegorematica, quanta eſt ſyncathegorematica, & ſolum differunt, quia illa eſt actu, hæc in potentia; ſi enim perfectio ſyncathegorematica poneretur per impoſſibile tota actu, eo ipſo eſſet cathegorematica, quare tanta eſſet perfectio in illo intellectu infinito creato, quanta eſt in tota collectione creaturarum cognoſcibilium; Contra hoc eſt, quia vt fusè oſtendimus in hac diſputatione quæſtione ſecunda, infinitum cathegorematicum excedit in numero, & perfectione ſyncathegorematicum; Si enim tota collectio creaturarum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum poneretur actu, nulla eſſet creatura in tota illa collectione, quæ eſſet infinitè D perfecta, quia nulla talis erat in potentia, aut actu obiectiuè in intellectu diuino.

10. Quarta probatio. Quartò probatur; Si daretur ſubſtantia creata infinita, ſequeretur quòd eſſet vltima, nam vel eſſet omnibus aliis creaturis perfectior, & ſic eſſet vltima, quia nulla alia eſſet vltra illam; ſicut ſi daretur pars ita minima, quòd non poſſit eſſe alia minor, ſine dubio illa eſſet vltima; vltimum enim eſt, vltra quod & omnia alia præcedentia, nõ eſt aliud; Si verò non ſit perfectior omnibus aliis creaturis, adhuc eſſet vltima, quia hæc poſſet ſignari, eſt enim vna, quæ præ illis creaturis, quæ non ſunt ita perfectæ, attingit intrinſecè infinitatem, ergo eſt vltima inter illas finitè perfectas perfectiores, & perfectiores; ſicut ſi daretur aliqua pars vna minima, quæ E excederet in minimitate omnes præcedentes, illa eſſet vltima.

11. Inſtantia. Quòd ſi dicas, dari in oppoſitum inſtantiam in partibus continui, nam extra totam collectionem partium, non datur alia pars, non propterea in illa collectiuè datur vltima pars. Soluitur. Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam quamuis extra totam collectionem partium continui, non detur alia pars, ſufficit tamen ad infinitatem partium, vt non poſſit ſignari vna infinitè minima, ſed ſemper alia, & alia minor in infinitum; at verò in caſu noſtro in tota illa collectione creaturarum perfectiorum,

& per

Digitized by Google

& perfectiorum, ſignaretur vna infinitè perfecta cathegorematicè, qua non daretur alia, & alia perfectior; illa igitur eſſet vltima terminans totam illam collectionem.

12. *Prima obiectio contra hãc vniuerſalẽ concluſionem.*

CONTRA hanc concluſionem obiicies primò. Non repugnat, vt in ſuperiori quæſtione probatum eſt, poſſe dari accidens infinitum, v. g. infinitam potentiam motiuam, ergo neque repugnat poſſe dari ſubſtantiam creatam infinitam; Probatur conſequentia, quia accidens eſſentialiter ordinatur ad ſubſtantiã creatam; ſubſtantia enim increata nõ eſt capax accidentis; ſi ergo datur accidens infinitum, debet dari ſubſtantia creata infinita, ad quam eſſentialiter ordinetur.

Solutio.

Reſpondetur negando conſequentiã, & ad probationẽ ipſius dicitur, nõ eſſe neceſſe, vt omne accidẽs habeat ſubiectũ ſibi connaturale cõmenſuratum, & proportionatũ, ſed ſufficere ſi dicat ordinẽ ad ſubiectũ in quo poſſit recipi, & inhęrere, ſiue per potẽtiã naturalem, ſiue per potentiam obedientialẽ; ſatis eſt enim accidenti, vt accidens eſt, quatenus dicit aptitudinalem, vel actualem inhærentiam, vt habeat ſubiectum, in quo poſſit recipi; Quòd autem illud accidens ſit ſubiecto commenſuratum, & proportionatum, tamquam connaturaliter perfectiuum illius ſubiecti, non pertinet ad eſſentiam accidentis, vt accidens eſt, ſicut à ſimili patet in lumine gloriæ, quod quidem eſt accidens ſupernaturale, & tamen non dicit ordinem ad aliquam ſubſtantiam ſupernaturalem, quæ quidem foret ſubiectum ſibi proportionatum, ſed ſatis eſt, quòd dicat ordinem ad intellectum naturalem, in quo recipi poſſit ſiue per potentiam paſſiuam naturalem, ſiue obedientialem.

13. *Secũda obiectio.*

Secundò obiicies, Hæc ſubſtantia creata infinita, non repugnat ex parte ſubſtantiæ vt ſic, quia Deus eſt ſubſtantia infinita, neque repugnat ex ratione entis creati; quia infinitudo poteſt ſtare cum dependentia à Deo, ſicut patet de accidenti creato.

Solutio.

Reſpondetur, infinitatem in ſubſtantia repugnare, non ratione ſubſtantiæ, vt ſic, ſed ratione creatæ ſubſtantiæ; Ad probationem reſpondetur, eſſe diſparem rationem de accidenti creato, & de ſubſtantia creata, quia accidens, vt in ſuperiori quæſtione probatum eſt, poteſt habere infinitudinem ex parte intenſionis, ita vt remaneat finitum ſecundùm eſſentiam; Albedo enim quamuis infinitè intenſa, eſt ſecundùm eſſentiam finitam, & eiuſdem rationis cum albedine finita; at verò ſubſtantia cùm non ſit ſusceptiua intenſionis, vt docet Ariſtoteles, ſi eſſet infinita, deberet eſſe ſecundùm eſſentiam, hoc autem repugnat, vt ſuprà oſtenſum eſt.

14. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò, Poteſt Deus quacumque ſpecie data nobiliorem producere, & iterum nobiliorem nobiliori in infinitum, ergo Deus poteſt facere creaturam aliquam ſpecificè infinitam; Antecedens eſt communiter receptum, vt mox infrà probabitur; Conſequentia probatur ab Aureolo in 1. diſt. 44. art. 4. ex his quæ Philoſophus dicit in 3. phyſicorum tex. 24. & ſeq. quandocumque enim potentia aliqua reſpicit multa, quorum vnum eſt perfectius alio, & totale ſecundùm perfectionem reſpectu alterius, priùs reſpicit illud totale, quod eſt perfectius, quàm reſpiciat imperfectiora, quæ ſunt quodam modo partialia in ipſa perfectione, quia non continent totam perfectionem. Sed manifeſtum eſt, quòd ſi procederetur in infinitum, in ſpecificis perfectionibus creaturæ, ſemper ſpecies ſuperior eſt quoddam totum perfectionale reſpectu inferioris, continet enim perfectionem inferioris, & adhuc plus, ergo priùs reſpicit Dei potentia aliquid conſtitutum, ex omnibus iſtis finitis perfectionibus, quod habet rationem totius perfectionalis reſpectu omnium, quàm reſpiciat quamlibet perfectionem minorem, & partialem; conſtat autem quòd illud poteſt Deus producere, quod priùs, & principaliùs ſubeſt ſuæ potentiæ, ergo poterit Deus producere ſpeciem vnam totaliter eminentem, & continentem perfectiones omnium aliarum creaturarum. Si ergo perfectiones huiuſmodi ſunt infinitæ, neceſſe erit creaturam iſtam totalem eſſe infinitæ perfectionis.

Aureolus.

Probatur ſecundò conſequentia, quia ſecundùm Dionyſium, vniuerſitas ſpecierum eſt ſic ordinata, quòd infima connectuntur ſupremis per media, ſic quòd ſuprema infimorum attingant infima mediorum, & ſuprema mediorum infima ſupremorum, & ſecundùm hoc à ſupremis deſcenditur ad infima per immediatè connexa, & per eadem aſcenditur ab infimis ad ſuprema, ſicut ſpatium, inquit Philoſophus loco citato, idem eſt per quod aſcenditur, & deſcenditur, ſi ergo ab infima creatura procederetur in infinitum aſcendendo in Deum, neceſſe eſt etiam dicere, quòd ab ipſo deſcendendo per eadem ad infima, procedatur ad infinitũ: Quærendum eſt ergo de illo, in quod primò deſcenditur à Deo in incipiendo, an ſit finitæ perfectionis, vel infinitæ; non poteſt dici, quòd ſit finitæ, quia tunc non diſtaret ab infima creatura in infinitum, & per conſequens proceſſus in perfectionibus ſpecificis non eſſet infinitus, dicendum eſt igitur quòd ſit infinita. *Ariſtot.*

Tertiò probatur conſequentia, debet dari in creaturis ſpecies ſuperior, quæ ſit menſura aliarum creaturarum, ſicut albedo in coloribus, inquit Philoſophus, 10. Metaph. eſt menſura aliorum colorum: ſed hæc ſpecies ſuperior non debet eſſe finita in infinitum, quia menſura debet eſſe maximè cognita; eſt enim principium cognoſcendi, & certificandi alia, vt patet 10. Metaph. Creatura autem perfectior, & perfectior in infinitum, non poteſt accipi, aut cognoſci vt vna, tamquam menſura cæterarum creaturarum; ergo vel debet eſſe determinatè finita, vel infinita actu; non finita, quia per te datur in creaturis proceſſus in infinitum aſcendendo, ergo infinita actu. *Ariſtot.*

15. *Ad tertiam obiectionẽ prima reſponſio Aureoli negãdo antecedens quòd detur proceſſus in infinitum in creaturis. Aureol.*

AD hanc obiectionem, quæ petit illam difficultatem, vtrùm in creaturis poſſit dari proceſſus in infinitum ſemper aſcendendo; reſpondet Aureolus in 1. diſt. 44. loco citato, negando antecedens, dari ſcilicet proceſſum in infinitum in creaturis aſcendendo ad Deum; & addit, quòd ſi illud antecedens concedatur, argumentum concludit demonſtratiuè, dari creaturam infinitè perfectam actu, propter rationes ibi allatas.

16. *Reiicitur reſpõſio Aureoli, & probatur poſſe dari proceſſum in infinitũ in creaturis contra Aureolũ, Henricum & alios. Henr. Goffred.*

Sed hæc reſponſio Aureoli nullo modo eſt admittenda, illud enim antecedens, poſſe, ſcilicet, Deum, quacumque ſpecie data, nobiliorem producere, & iterum nobiliorem nobiliori in infinitum, eſt communiter receptum à Theologis, contra ipſum Aureolum loco citato, & Henricum quodlib. 8. quæſt. 8. & Goffredum quodlib. 15. quæſt. 3.

Et prima ratio huius eſt, proceſſus iſte in infinitum nullam inuoluit contradictionem; nam gradus ſuperior, & ſuperior non tollit rationem creaturæ, quia adhuc manet dependens à Deo; nec tollit finitatem; omne enim finitum addito vno gradu, adhuc remanet finitum, nec attingit perfectionem diuinam.

Secunda ratio eſt, quia creatura nihil aliud eſt, 17.

niſi quædam participatio deriuata, & exemplata à Deo; ſed Deus eſt in infinitum imitabilis, cùm ſit infinitus in ſe, ergo,&c. Et confirmatur, quia nullum infinitum euacuatur per ſumptionem alicuius finiti; ſed perfectior diuina, quam imitantur creaturæ, eſt ſimpliciter infinita, ergo non debet dici, quòd euacuatur per vltimam creaturam finitam,ſed potiùs quòd plùs,& plùs ſit imitabilis.

18. Tertia ratio, ſicut in indiuiduis datur proceſſus in infinitum,ita ſimiliter in ſpeciebus;Probatur paritas,tum quia ſecundùm Philoſophum ſpecies ſunt ſicut numeri:ſicut igitur numeri ſpecificè creſcunt ſecundùm quantitatem multitudinis, ita etiam ſpecies in infinitum poſſunt procedere ſecundùm quantitatem perfectionis,tum quia,vt dicit Dionyſius, ſicut in numeris proceditur in infinitum vnitate immobili permanente; ita etiam Deitate exiſtente indiuiſibili, in infinitum procedi poterit in ſpeciebus creaturarum.

Nec valet diſparitas,quæ aſſignatur ab Aureolo, quòd ideo in numeris datur proceſſus in infinitum, quia proceditur ab vnitate ad multitudinem; ſecus autem eſt in ſpeciebus, quia proceditur ad totalitatem,& vnitatem; non, inquam,valet, quia etiam in ſpeciebus proceditur ab vnitate, ad multitudinem, in hoc ſenſu, quatenus datur materia prima, quæ eſt infima creatura, & propè nihil, & ab ea aſcenditur procedendo ad nobiliorem, & nobiliorem creaturam; & quia non poteſt dari vna creatura ſecundùm totalitatem, & infinitè perfectam, ideo proceſſus eſt ad multitudinem ſicut in numeris,ſemper addendo.

19. Quarta ratio, inter Deum, & creaturas poteſt cadere medium in infinitum, ergo,&c. Confirmatur,poteſt dari proceſſus in infinitum in indiuiduis ſub vna ſpecie,ergo multò magis in ſpeciebus; quia maioris latitudinis eſt ens reſpectu omnium ſpecierum, quàm ſit vna ſpecies reſpectu ſuorum indiuiduorum.

20. Nec valet reſponſio Aureoli,quòd creatura infima diſtat infinitè à Deo, non per modum intercedentis medij,ſed per modum infiniti extremi, quia Deus, inquit, cùm ſit infinitus, à quocumque diſtat, per ſeipſum diſtat in infinitum; non, inquam, valet, quia ab infinitate extremi oritur, quòd ſit etiam diſtantia in infinitum, per modum intercedentis medij,quia Deus,quod eſt extremum, eſt infinitus, & infinitè imitabilis, & participabilis à creatura; Remanet igitur probatum, non eſſe negandum, vt immeritò negat Aureolus, antecedens illius tertiæ obiectionis,quòd videlicet poteſt Deus quacumque ſpecie data nobiliorem producere, & iterum nobiliorem nobiliori in infinitum.

21. *Verior reſponſio ad tertiam obiectioné negando conſequentiam.* Quare reſpondetur ſecundò & veriùs, ad obiectionem,concedendo antecedens, & negando conſequentiam; (quòd ſcilicet ex eo, quòd dari poteſt proceſſus in infinitum in creaturis perfectioribus, & perfectioribus, ſequatur neceſſariò dandam eſſe creaturam actu infinitam.)

Reſpõſio ad primã probationem conſequentiæ. Et ad primam probationem conſequentiæ reſpondetur, quòd tunc id, quod concipitur perfectius, reſpicitur primò à potentia, quando illud eſt poſſibile; ſed quia in caſu noſtro creatura actu infinita, vt probatum eſt, eſt impoſſibilis; ideo non poteſt reſpici à potentia Dei; reſpicitur igitur à potentia Dei,id quod poſſibile eſt, creatura ſcilicet perfectior, & perfectior in infinitum, ponenda in actu ſecundùm determinationem liberam diuinæ voluntatis.

22. Ad ſecundam probationem conſequentiæ reſpondetur,quòd quando dabile eſt actu ſupremum, ita vt illo non ſit aliud ſuperius, tunc verum eſt, quòd ſicut in aſcenſu per media aſcenditur ad illud ſupremum, ita in deſcenſu ab illo ſupremo deſcenditur ad infimum per eadem media; at verò in caſu noſtro non ſe habet hoc modo, quia non datur creatura ita ſuprema,vt ea non ſit alia, & alia ſuperior in infinitum, ac proinde ſicut in aſcenſu ab infima creatura, quæ eſt materia prima, non peruenitur ad ſupremam, ita nec in deſcenſu incipi poteſt ab aliqua ſuprema; Probatio igitur allata potiùs ſupponit dari ſupremam,quàm probet. *Ad ſecund. probationé eiuſdem cõſequentiæ.*

23. *Ad tertiam probationé eiuſdem cõſequentiæ.* Ad tertiam probationem eiuſdem conſequentiæ reſpondetur, concedendo in creaturis non dari aliquam creaturam ſignatam; quæ ſit menſura omnium aliarum; hoc enim eſt proprium Dei; ſufficit autem ad ordinem vniuerſi creati, vt detur de facto in vniuerſo aliqua creatura, quæ ſit perfectior aliis creaturis;ſicut eſt homo,vel Angelus,reſpectu creaturarum corporalium, & Angelus ſupremus reſpectu intellectualium.

QVÆSTIO OCTAVA & vltima.

Vtrùm Deus videat omnia poſſibilia, & omnes cogitationes damnatorum, quæ futuræ ſunt per totam æternitatem.

1. *Prima ſententia.* HÆc quæſtio partim eſt Philoſophica, & partim Theologica, & corollarie ſequitur ex dictis.

Aliqui aſſerunt Deum non cognoſcere omnia poſſibilia, quæ quidem ſunt infinita, nec omnes cogitationes damnatorum, quæ ſunt futuræ per totam æternitatem; concedunt tamen cognoſcere ſingula poſſibilia, & ſingulas cogitationes. Ita videtur dicere Durandus in 1. diſtinct. 39.quæſtione ſecunda. *Durand.*

Fundamentum huius opinionis eſt, quia omnia poſſibilia, & omnes cogitationes futuræ per totam æternitatem,eſt quid chimæricum,ergo non poteſt videri à Deo. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quia impoſſibile eſt, vt actu ponantur omnia poſſibilia collectiuè; ſingula autem diſtributiuè poni poſſunt; Rurſus impoſſibile eſt vt omnes cogitationes damnatorum collectiuè ſumptæ habeant aliquando eſſe præſens; at verò ſingulæ diſtributiuè habent eſſe præſens; ſingula igitur poſſibilia, & ſingulæ cogitationes cognoſcuntur à Deo, non autem omnia poſſibilia collectiuè, & omnes cogitationes collectiuè.His tamen non obſtantibus ſit

2. *Verior ſententia explicatur vnica cõcluſione.* VNICA concluſio contra hanc primam ſententiam.Dicendum eſt cum communi Scholaſticorum & Patrum, Deum cognoſcere omnia poſſibilia, quæ ſunt infinita, & omnes cogitationes, quæ futuræ ſunt ſine termino per totam æternitatem; Et quidem hic modus loquendi immeritò negatur ab Aduerſariis,habetur enim expreſsè in ſcripturis;De poſſibilibus quidem Eccleſ. 23. *Deo antequam crearentur, omnia ſunt cognita.* Eſther cap. 14. de Deo dicitur, *Domine qui habes omnem ſcientiam.* Et Sapientiæ 8. de ſapientia dicitur, *Sci enim illa*, ſcilicet ſapientia, *omnia.* De cogitationibus verò habetur Eccleſ. 42. *Non præterit illum omnis cogitatus, & non abſcondit ſe à Deo vllus ſermo.* Et 1.Paral.cap.19.*Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.* Et ad Hebræos 4.*Omnia ſunt aper-* *Prima probatio. Eccl 23. Eſther. Sapient. Eccleſ. Paral. Ad Hebr.*

74

Digitized by Google

ta oculis eius, & nulla creatura eſt coram eo inuiſibilis.

3. Secundò probatur ratione, Certum eſt quòd Deus videat omnia illa, quę poſſibile eſt, vt exiſtant, ergo videt omnia poſſibilia; Antecedens probatur, impium enim eſt hoc negare, vt patet ex ſcripturis citatis; & cùm dicunt Aduerſarij, omnia poſſibilia eſſe quid chimæricum, de hoc ego modo non curo, ſed tantùm dico, quòd Deus cognoſcat omnia ea, quæ poſſibile eſt, vt exiſtant, quæcumque illa ſint; Conſequentia probatur, nam quæro vel præter omnia, quæ poſſibile eſt, vt exiſtant, datur aliud poſſibile, vel non; Si dicas dari aliud poſſibile præter illa; Contra hoc eſt, quia ſequeretur, quòd daretur aliquod poſſibile, præter illa omnia quæ Deus videt; ſi dicas, præter omnia ea, quæ poſſibile eſt, vt exiſtant, non dari aliud poſſibile, ergo ea omnia includunt ſingula poſſibilia, ac proinde omnia poſſibilia videntur à Deo.

Secũda probatio.

4. Tertiò probatur per Aduerſarios, Hæc propoſitio eſt falſa (omnia poſſibilia, ſiue omnium mentium cogitationes ſunt cognitæ à Deo,) ergo eius contradictoria eſt vera (aliquod poſſibile non eſt cognitum à Deo,) quod quidem impium eſt affirmare, nec ipſi Aduerſarij concedunt, affirmant enim ſingula poſſibilia cognoſci à Deo; & ſingulas mentium cogitationes.

Tertia probatio.

Confirmatur primò, & explicatur magis hæc tertia probatio: Falſa eſt hæc propoſitio per aduerſarios (aliquod poſſibile non eſt cognitum à Deo) ergo eius contradictoria eſt vera (omnia poſſibilia ſunt cognita à Deo.)

Confirmatio.

5. Confirmatur ſecundò, quia ſingula poſſibilia, & ſingulas mentium cogitationes videt Deus per aduerſarios; ergo videt omnia. Probatur conſequentia, quia hæc omnia nõ ſunt aliquod præter illa ſingula.

Secunda cõfirmatio.

Quòd ſi dicas, hunc modum arguendi eſſe falſum, datur enim inſtantia, non enim ex eo, quòd Deus poſſit ſingulas diuiſiones continui efficere, licet inferre; ergo poteſt ſimul omnes; ita pariter non ex eo quòd Deus videat ſingula poſſibilia, vel ſingulas cogitationes, licet inferre, videre omnia; nec ex eo quòd Deus poteſt facere ſingula poſſibilia diſtributiuè, vel quòd ſint ſingulæ cogitationes damnatorum diſtributiuè futuræ vel præteritæ, licet inferre, quòd omnia poſſibilia fieri poſſunt collectiuè, vel quòd omnes cogitationes damnatorum ſint præteritæ, vel futuræ collectiuè.

Inſtantia contra ſecũdam confirmationem.

Sed hæc inſtantia nulla eſt; in exemplis enim allatis variatur ſuppoſitio; in antecedenti enim ſumuntur ſingula ſeorſim, in conſequenti verò ſumuntur ſimul, at verò in caſu noſtro non variatur ſuppoſitio, quia cùm ſingulæ videantur ſimul in eodem inſtanti, licet inferre, ergo omnia videntur ſimul in eodem inſtanti; vnde eodem modo valeret etiam in diuiſionibus continui, ſi diceretur (ſingulæ diuiſiones poſſunt fieri à Deo in hoc inſtanti) ergo omnes poſſunt fieri in hoc inſtanti; Et idem dicendum de poſſibilibus, nam ſi effectio ferri poſſit in ſingula poſſibilia in eodem inſtanti, liceret inferre, quòd poſſit in omnia collectiuè, ita ſimiliter in exẽplo de cogitationibus damnatorum, ſi enim poſſet aſſignari inſtans, in quo verum eſſet dicere quòd (ſingulæ ſunt præteritæ) verum etiam eſſet dicere quòd (omnes collectiuè præterierunt.)

Solutio.

6. Vltimò probatur; Poſſibilia, quæ videt Deus, non A ſunt finita, quia data vna collectione finita, Deus adhuc cognouit aliam maiorem, ac proinde cognoſcit infinitas collectiones, quarum quælibet eſt finita, ergo quæ cognoſcit Deus, ſunt infinita, ſaltem ſyncathegorematicè.

Quarta probatio.

7. Ad fundamentum primæ ſententiæ, quod eſt contra noſtram concluſionem, reſpondetur negando, vt dictum eſt ſuprà, omnia poſſibilia, & omnes cogitationes damnatorum, quæ futuræ ſunt per totam æternitatem, eſſe quid chimæricum; hoc enim implicat in adiecto, ſi enim ſunt poſſibilia, non poſſunt eſſe non poſſibilia; idem enim eſt ac ſi diceretur, omnia poſſibilia non ſunt poſſibilia, quam quidem propoſitionem quamuis aduerſarij admittant, B non tamen eſt admittenda, quia ſibi contradicit.

Reſpondetur ad fundamentum primæ ſententiæ.

Ad probationem verò cùm dicunt, quòd non omnia poſſunt poni actu, reſpõdetur ex dictis in ſecũda quæſtione, hoc eſſe verum ſi intelligatur ſimultaneè, negatur autem, ſi intelligatur ſucceſſiuè, ac proinde non valet, ſingula poſſunt poni actu diſtributiuè, ergo omnia poſſunt actu poni collectiuè, quia in conſequenti ponitur ſimultas, quæ non erat in antecedenti, ac proinde variatur ſuppoſitio; & idem dicendum eſt de mentium cogitationibus, quæ ſunt futuræ per totam æternitatem; ſingulæ enim ſunt futuræ, ita vt poſt vnam ſemper ſuccedat altera, & ſingulæ ſunt præteritæ, ita tamen vt vna C ſemper ſuccedat alteri; at verò collectiuè non poteſt dici quòd omnes ſunt præteritæ, quia daretur vltima, poſt quam non ſuccedit altera.

8. Sed quæret aliquis adhuc vrgendo, quot Angelos videt Deus ſimul ponibiles in actu, & idem quæri poteſt de aliis rebus; Et quidem non poteſt dici quòd videat finitos, quia adhuc ſunt alij plures ponibiles in actu, videt igitur infinitos poſſibiles ſimul actu, vel finitos in infinitum ſine termino, vtrumque autem implicat, vt ſuprà oſtenſum eſt, videt igitur Deus ens chimæricum.

Quæſitum ſeu inſtãtia.

Reſpondetur, ſupponendo priùs vnum ex quæſtione quarta, quòd potentia Dei licet ſit infinita, non poteſt tamen actu producere niſi finitum, quia D quod producitur debet eſſe intrinſecè determinatum; quia igitur ſunt infinitæ collectiones numerorum determinatorum, ideo Deus debet per voluntatem ſuam liberam ſe determinare ad hanc vel illam collectionem determinatam, ſicut Petrus habens duos equos, debet ſe liberè determinare ad currendum cum hoc equo vel illo, non enim poteſt cum duobus ſimul currere. Hoc ſuppoſito ad quæſitum reſpondeo, Deum videre ſimul eſſe poſſibiles in actu finitos tantùm Angelos, indeterminatos tamen, & ſolùm determinabiles à ſua voluntate; Et idem dicendum eſt de aliis rebus, vt cùm quæritur, quot diuiſiones continui videt Deus actu ponibiles, vel quot motus velociores, & velociores, vel quot creaturas perfectiores, & perfectiores.

Solutio.

E Reſtaret aliud quæſitum examinandum, an cùm Deus videt ſimul omnia poſſibilia collectiuè, quæ quidem, vt ſupponimus ex dictis, non ſunt à parte rei infinita cathegorematicè, ſint ſaltem in eſſe obiectiuo mentis diuinæ infinita cathegorematicè; Sed quia de hoc quæſito fusè diximus quæſtione ſecunda, concluſione quarta & quinta, ideo non ſunt iterum repetenda. 9.

PRÆDICA

Digitized by Google

PRÆDICAMENTVM VBI.

DISPVTATIO VNICA.

Poſt tractationem de Quantitate agendum videtur ſtatim de Vbi, tum quia, Vbi, ſeu eſſe in loco quanto, eſt affectio propria quantitatis; tum quia ex vtroque prædicamento ducemus infrà corollaria de Euchariſtia, &c.

Hæc diſputatio continet octo quæſtiones.

I. *Quid ſit locus.*

II. *An extra cœlum ſeu vniuerſum detur ſpatium imaginarium.*

III. *An de facto intra vniuerſum detur, vel dari poſſit naturaliter ſpatium ſeu interuallum priuatum omni corpore quod dici ſolet vacuum.*

IV. *A quo moueantur elementa ad replendum vacuum.*

V. *Vtrùm Vbi ſit forma intrinſeca rei vbicatæ, vel potiùs denominatio extrinſeca à loco ambiente.*

VI. *Vtrùm accidentia habeant diſtinctum Vbi à ſubiecto, cui inhærent, & an idem dicendum de omnibus aliis quæ mouentur per accidens, per connexionem cum alio, quod per ſe primariò mouetur.*

VII. *Vtrùm Vbi definitiuum, per quod ponitur res locata tota in toto, & tota in qualibet parte, ſit reale intrinſecum in re locata.*

VIII. *An diuiſio Vbi, in Vbi immenſum, circumſcriptiuum, & definitiuum, ſit bona, & ſufficiens.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit locus, & An ſit idem quod Vbi.

1. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia aſſerit locum nihil aliud eſſe, quàm ipſum Vbi.

Pro cuius explicatione notandum, controuerſiam eſſe inter Peripateticos, An Vbi ſit forma intrinſeca in re vbicata, vel extrinſeca, de quà re diſputandum eſt in quæſt. tertia. Qui enim tenent eſſe formam extrinſecam, dicunt conſequenter, Vbi nihil aliud eſſe quàm locum extrinſecum, determinantem rem, quæ alicubi eſſe dicitur. Sed hoc eſſe falſum oſtendemus infrà quæſtione tertia citata.

2. Ex his verò, qui tenent probabilius, Vbi eſſe modum in re vbicata, aliqui tenēt hoc Vbi intrinſecum eſſe propriè & formaliter locum corporis, non quidem, quòd Vbi ſit interuallum ambiens locatum, quomodo ſolet accipi hoc nomen (locus;) Sed Vbi, dicitur locus corporis, quatenus definit, & determinat corpus ad eſſe hîc. Hæc ſententia tribuitur Philopono, huius etiam opinionis meminit Toletus 4. phyſic. *Philoponus. Toletus.*

Primum argumentum primæ ſententiæ. Probatur primò, quia circumſcripto quocunque loco extrinſeco, adhuc res dicitur eſſe in loco; vltima enim ſphæra eſt in loco, & tamen non continetur in aliquo loco extrinſeco, quia ſupra vltimam ſphæram non datur aliud corpus continens, & ambiens vltimam ſphæram; eſt igitur in loco per illud Vbi intrinſecum, ita ſimiliter, ſi Deus corrumperet cœlum empyræum, primum mobile eſſet vbi nunc eſt, & tamen non eſſet in loco extrinſeco, eſſet igitur in ſuo Vbi tanquam in loco intrinſeco.

Probatur ſecundò, quia per illud Vbi, corpus determinatur eſſe hîc, ergo habet rationem loci, non quidem ambientis, ſed vbicantis. *Secundū argumentum.*

Probatur tertiò, quia ſi præter Vbi daretur alius locus propriè dictus; ſequeretur contra Ariſtotelem, quòd eſſet conſtituendum prædicamentum illius loci, præter prædicamentum Vbi. *Tertium argumentum.*

Probatur quartò, quia locus eſt ille, qui per motum localem per ſe primò acquiritur, huiuſmodi autem eſt Vbi. *Quartū argumentum.*

SECVNDA ſententia Antiquorum quam confutat Ariſt. 4. phyſ. quam opinionem deinde ſequuti ſunt Galenus, & Philoponus ibidem, hi aſſerunt locum eſſe interuallū reale, ſeu ſpatium trinè dimenſum, & hoc interuallum dicunt eſſe immobile, & indiuiſibile, non quidem vt punctum, cùm ſit trinè dimenſum; ſed quia partes non poſſunt ſeparari per aliquam potentiam. Fauent huic opinioni argumenta quæ ponemus mox infrà in tertia ſententia. 3. *Secūda ſententia. Galen. Philop.*

Huc accedit TERTIA aliorum ſententia, qui quamuis negent hoc interuallum reale contra Antiquos, ſupponunt tamen dari aliquod interuallum, ſeu ſpatium trinè dimenſum, quod dicunt eſſe 4. *Tertia ſententia.*

capaci

Digitized by Google

capacitatem, quæ poteſt repleri corpore; & hoc ſpatium vocant imaginarium, non quidem quòd non ſit à parte rei, ſed quia non habet, nec habere poteſt exiſtentiam realem. Hoc autem ſuppoſito (de quo fuſiùs agetur in ſequenti quæſtione) dicunt locum eſſe hoc ſpatium imaginarium.

Primum argumentum.

Probatur primò, quia in illo ſpatio recipitur totum corpus, & totum ambitur intrà, & extrà, ita vt partes interiores corporis recipiantur in partibus interioribus ſpatij, & partes ſuperficiei locati ambiantur à partibus ſuperficiei loci, ſeu illius ſpatij, ergo dici poteſt illud ſpatium eſſe locus illius corporis quod recipitur in illo.

Secundum argumentũ.

Secundò locus ſecundùm Ariſtotelem debet dicere immobilitatem; ſed hoc ſpatium eſt immobile, imò ab illo accipit immobilitatem, locus ille, qui dicitur ſuperficies realis corporis ambientis. Et hæc quidem argumenta probant tam dè hoc ſpatio imaginario, quàm de ſpatio illo reali antiquorum, ſi poſſet dari.

5\. Quarta ſententia verior.

QVARTA ſententia communis Peripateticorum cum Ariſtotele 4. phyſ. t. 41. aſſerit locum eſſe ſuperficiem vltimam, ſeu terminum primum corporis continentis immobiliter. Pro cuius ſententiæ explicatione, quæ verior, & communior, eſt ſit

6\. Prima concluſio contra primam ſententiam.

PRIMA concluſio, contra primam ſententiam: Vbi, non eſt propriè locus, niſi fortè dicas cum Toleto 4. phyſic eſſe impropriè locum intrinſecum. Eſt communis ſententia Peripateticorum in 4. phyſic.

Prima ratio.

Probatur primò ex Ariſt. 4. phyſici qui expreſsè dicit, locum eſſe ſuperficiem vltimam corporis continentis, quam definitionem infrà in hac eadem quæſtione explicabimus.

Secunda ratio.

Secundò probatur, quia communi conceptione nomine loci propriè dici ſignificatur receptaculum quoddam ambiens locatum, quæ quidem ſignificatio, vt patet, non congruit ipſi Vbi.

7\. Secunda cõcluſio cõtra ſecundam ſententiam.

SECVNDA concluſio. Falſa omnino eſt ſecunda ſententia antiquorum, quam ſequitur Philoponus, qui aſſerebant, locum eſſe interuallum reale trinè dimenſum, & immobile, tum quia hoc interuallum repugnat fidei, tũ quia repugnat philoſophiæ.

Prima ratio theologica.

Quòd repugnet fidei probatur, quia hoc ſpatium ſeu interuallum eſſet Deo coæternum, & eſſet increatum; at fides docet omne ens reale præter Deum, eſſe creatum, & temporale.

8\. Secunda ratio philoſophica. Phil.

Quòd verò repugnet philoſophiæ, probatur, & ſit ſecunda ratio, Illud interuallum eſt quantum, ergo non poteſt eſſe penetrabile, omne enim quantum ſecundùm philoſophiam eſt impenetrabile. Sed ad hoc argumentum reſpondet Philoponus, quòd penetratio repugnat corpori quanto compoſito ex materia, & forma, cuiuſmodi non eſt illud interuallum antiquorum. Sed hæc reſponſio nulla eſt, tum quia impenetrabilitas, vt probatum eſt in prædicamento de quantitate, oritur immediatè tanquam paſſio ex ipſa quantitate, ſeu extreitate partium; non enim poteſt aſſignari aliud, vnde oriri poſſit, tum quia in ſanctiſſimo Sacramento eſt ſola quantitas, & tamen eſt impenetrabilis.

Tertia ratio.

Tertiò probatur, quia daretur naturaliter accidens ſine ſubiecto.

9\. Quarta ratio.

Quartò, ſi illa duo corpora, interuallum ſcilicet illud antiquorum, & aliud corpus quod ibi recipitur, ſe penetrant, ergo debent eſſe in eodem loco, hic enim eſt conceptus penetrationis; ſed hoc eſt abſurdum, quia tunc locus eſſet in loco.

Afferuntur aliæ rationes ex Ariſtotele, quæ non probãt niſi ad hominem.

Plures alias impugnationes affert Ariſtot. quæ non multùm vrgent niſi ad hominem, cuiuſmodi eſt illa, & eſt

10\. Quinta ratio ad hominem.

Quinta in ordine, hoc interuallum, inquit, moueretur ſimul cum corpore, quod transfertur, quare eſſent duo interualla in vaſe, quod mouetur, quod eſt abſurdum: Sed hæc ratio ſupponit antiquos ponere illud interuallum eſſe mobile, quod tamen negat Philoponus.

11\. Sexta ratio ad hominẽ.

Probatur ſextò, illud interuallum non poteſt eſſe locus, quia nec conſeruat, nec attrahit locatum. Sed hæc ratio vt habeat vim, ſupponere debet, antiquos dicere illud interuallum eſſe locum naturalem, cuius proprietates ſunt conſeruare, & attrahere locatum.

12\. Septima ratio ad hominem.

Septimò ſequeretur, inquit Ariſt. t. 37. ex hoc ſpatio antiquorum debere dari infinita loca, quæ ſint correſpondentia partibus corporis locati. Sed hanc rationem impugnat Philoponus in ſua digreſſione, nam ſi argumentum, inquit, probaret, probaret etiam contra Ariſtotelem, nam ſecundùm ipſum corpus eſt in ſuperficie tanquam in loco, ergo infinitis partibus locati correſpondent infinitæ partes loci; ſicut igitur hîc non repugnat, quia infinitudo eſt per partes proportionales, ita neque ibi, & quidem hæc inſtantia Philoponi valde torquet Peripateticos; Sed dicendum cum Burleo, & Vicomercato hanc rationem Ariſtotelis ſupponere contra antiquos, quanta ſeu extenſa non poſſe ſe penetrare, quia, vt dictum eſt in prædicamento quantitatis, quantum, quatenus eſt extenſum, & habet extreitatem partium, eſt impenetrabile, ergo ad hoc vt corpus quantum & extenſum poſſit ſe penetrare cum iſto interuallo antiquorum, neceſſe eſſet vt partes huius corporis extenſi amitterent extenſionem; hoc autem fieri non poteſt, niſi ipſum corpus diuideretur in omnem ſui partem, quia tunc redigeretur ad indiuiſibilia, & ad inextenſa, cuiuſmodi ſunt puncta. Cùm autem hæc indiuiſibilia ſint infinita, deberent etiam loca correſpondentia illius interualli eſſe infinita, & quia deberent eſſe adæquata, deberent etiam ipſa loca eſſe indiuiſibilia & infinita.

Ariſt. Burl. Vicom.

13\. Tertia concluſio cõtra tertiam ſententiam.

TERTIA concluſio contra tertiam ſententiam; Locus non eſt aliquod interuallum, ſeu ſpatium trinè dimenſum imaginarium, ſeu capacitas aliqua à parte rei corpore replebilis, quod quidem ſpatium dici ſolet imaginarium, non quia non ſit à parte rei, ſed quia nec habet, nec poteſt habere exiſtentiam, & per hoc differt ab illo interuallo ſecundæ ſententiæ antiquorum, quia illud antiqui ponebant eſſe reale.

Affertur prima ratio, & refellitur.

Probant aliqui primò hanc concluſionem ex eo, quia putant eſſe impoſſibile dari huiuſmodi ſpatium imaginarium; ſed quia de hoc controuerſia eſt inter Peripateticos, & tenebimus in quæſtione ſequenti dari huiuſmodi ſpatium, ideo

Secunda ratio refellitur.

Secundò probatur ab aliis, quòd hoc ſpatium imaginarium non conſeruaret, neque attraheret locatum ad ſe, quia non eſt capacitas realis, ergo nõ haberet rationem loci; Sed neque hæc probatio eſt efficax, nam conſeruare, & attrahere locatum, eſt proprietas loci naturalis, vnde ſi aqua eſſet ſub igne, diceretur contineri ab igne tanquam à loco; & tamen non conſeruaretur.

Tertia ratio efficax.

Tertiò igitur probatur efficaciter, ſi ſpatium hoc imaginarium eſſet propriè locus corporis, ſequeretur, quòd locus eſſet in loco, quod quidem eſt abſurdum; Sequela probatur, quia corpus ſe penetraret cum illo ſpatio imaginario; ſed de conceptu penetrationis eſt, quòd ea, quæ ſe penetrant, ſint in eodem loco, ergo corpus & illud ſpatium eſſent in eodem loco, ergo illud ſpatium, quod tu dicis eſſe locum,

Digitized by Google

locum, eſſet in loco, vel ergo eſſet in alio loco, & A
ſic abiretur in infinitum, vel eſſet in ſe ipſo tanquam in loco, & idem eſſet locus & locatum reſpectu eiuſdem; quod eſt abſurdum.

14. Quarta cõcluſio. Ariſtoteles

QVARTA concluſio. Dicendum eſt cum Ariſt. 4. phyſic. tex. 41. & communi Peripateticorum, locum eſſe ſuperficiem vltimam, ſeu terminum primum corporis continentis immobiliter.

Probatur, quia omnes proprietates loci propriè dicti conueniunt huic loco definito ab Ariſtotele, vt mox oſtendetur de ſingulis, ergo, &c. Omitto autem illas proprietates, quæ conueniunt loco, quatenus naturalis eſt, vt eſt conſeruare & attrahere locatum; oſtendemus ſolùm de illis proprietatibus quæ conueniunt loco ſimpliciter.

Prima proprietas loci propriè dicti.

Prima igitur proprietas loci propriè dicti eſt, B vt locus contineat locatum, ita vt ſit maior locato ſecundùm dimenſionem, ſeu ſecundùm ſuperficiem extimam, nam ſi non eſſet maior, non eſſet ratio cur potiùs res locata non dicitur locus, ac propterea negat Ariſt. 4. phyſic. punctum eſſe locum alterius puncti, quia non eſt maior ratio, quare vnum contineat, & alterum contineatur; hæc autem proprietas conuenit loco ab Ariſtotele definito, quia quamuis illa ſuperficies continens, quæ propriè eſt locus, non ſit maior, vt mox infrà dicemus, corpus tamen continens cuius eſt talis ſuperficies, eſt maius ſecundùm dimenſionem ſeu ſuperficiem extimam.

15. Secũda proprietas.

Secunda proprietas eſt, quòd locus ſit æqualis C locato ſecundùm continentiam, nam ſi eſſet maior, ſequeretur quòd aliqua pars loci eſſet vacua, ſi minor, aliqua pars locati non ambiretur, & hæc quidem proprietas conuenit loco definito; nam locus ratione ſuperficiei præciſè eſt æqualis locato; hinc fit quòd aër dicitur eſſe locus terræ, quia ſecundùm ſuperficiem concauam, eſt æqualis ſuperficiei conuexæ terræ, & ſic ſecundùm continentiam eſt æqualis terræ; ſecundùm verò ſuperficiem conuexam, ſecundùm quam ambit terram, eſt maior terra, ac proinde aër ſeu aqua reſpectu terræ habet rationem loci, terra autem rationem locati; hinc deducit Ariſtot. les tex. 8. corpus ſecundùm profunditatem non eſſe locum, quia non poteſt adæquari lo- D cato, niſi ſe penetret cum illo; erit ergo ſuperficies corporis continentis ſecundùm ſolam longitudinem, & latitudinem. (Ariſtot.)

16. Tertia proprietas loci.

Tertia proprietas eſt, vt locus ſit terminus motus localis, nihil enim aliud eſt motus localis quàm acquiſitio loci, hic autem terminus debet eſſe extrinſecus, quia debet eſſe terminus, ad quem accedit mobile, & in quo ipſum mobile recipiatur, & contineatur, ac propterea Vbi, licet ſit terminus intrinſecus motus localis, non tamen habet rationem loci, vt dictum eſt ſuprà; hæc autem proprietas conuenit loco definito ab Ariſtotele, quia ſuperficies corporis continentis eſt locus extrinſecus.

Quòd ſi dicas, motus poteſt fieri in vacuo, & E tamen per motum non acquiritur ſuperficies corporis continentis. Reſpondetur, quòd tunc motus non eſſet connaturalis, & præterea per illum motum acquireretur aliquod ſpatium extrinſecum, ſupponimus enim, vt dicetur in ſequenti quæſtione, in illo ſpatio imaginario eſſe diſtantiam negatiuam à parte rei.

17. Quarta proprietas loci.

Quarta proprietas eſt, vt locus ſit ſeparabilis à re locata, nam motus localis dicit terminum à quo recedit, & terminum ad quem accedit; ergo per motum localem deperditur prior locus, & acquiritur poſterior; clarè autem patet, quòd hæc proprietas conuenit ſuperficiei corporis continentis.

Quinta, & vltima proprietas, de qua maior eſt difficultas, ea eſt, vt locus ſit immobilis; nam ſi locus eſſet mobilis, tunc locus non poſſet eſſe terminus motus localis, quia mobile nunquam perueniret ad ſuum locum, quare motus eſſet otioſus, quia non poſſet recedere ab vno loco tanquam à termino à quo, nec poſſet accedere ad alium locum tanquam ad terminum ad quem: Secundò ſi locus mutaret locum, non haberet rationem loci, ſed potiùs locati; hinc eſt quod Ariſtot. diſtinguit locum à vaſe, vas enim circumfertur cum locato. 18. (Quinta proprietas loci eſt immobilitas.) (Ariſt.)

Dubium igitur eſt quomodo hæc proprietas conueniat loco definito ab Ariſtotele, nam ſuperficies corporis continentis eſt mobilis ſaltem per accidens, quia mouetur ad motum corporis.

Pro explicatione huius dubij notandum eſt quòd quincuplex aſſignatur immobilitas in re. 19. (Quotupliciter aliquid dicitur immobile.)

Prima, vt non ſit mobilis per ſe, & hæc quidem immobilitas competit ſuperficiei; quia quatenus terminus corporis, nunquam per ſe mouetur, ſed mouetur ad motum corporis per accidens.

Sed hæc immobilitas non ſufficit ad rationem loci, tum quia non eſt propria loci, conuenit enim omnibus accidentibus, tum quia per hanc non diſtinguitur locus à vaſe, cùm tamen Ariſtot. dicat vas non eſſe locum, quia non habet immobilitatem loci. (Ariſtot.)

Secunda immobilitas eſt, cùm locus non mouetur eo motu, quo mouetur locatum, ac proinde, quamuis aër circundans turrim moueatur, & alius aër ſuccedat, quia tamen non mouetur, vt vas ferens intra ſe locatum, ideo hoc modo dici poteſt immobilis, vt colligitur ex Ariſt. tex. 41. 20. (Ariſtot.)

Sed neque hæc immobilitas ſufficit ad rationem loci, tum quia ſi res eſt aliquo modo mobilis, eſt apta ſecum transferre ex vna parte in aliam corpus locatum, ac proinde ſequeretur, quòd poſſet corpus locatum moueri localiter, & non mutare locum, vt ſi Deus mundum impelleret verſus aliam partem, tunc enim elementa haberent eamdem poſitionem inter ſe, quam modò habent, non tamen poſſent dici eſſe in eodem loco; debet igitur immobilitas loci habere ineptitudinem, vt transferat locatum ex vna parte in aliam.

Tertia immobilitas eſt ordinis vel ſitus partium vniuerſi inter ſe, ita vt ſuperficies cœli ſit ſuper ignem, & ſuperficies ignis ſuper aërem, & ſic de cæteris elementis, cuius immobilitatis meminit Ariſtot. t. 41. 21. (Ariſtot.)

Sed neque hæc immobilitas eſt ſufficiens ad rationem loci, tum quia iſta immobilitas requiritur tantùm ad locum naturalem elementorum, non autem ad locum phyſicum ſimpliciter, de quo loquitur Ariſtot. tum quia, ſi Deus transferret cœlum verſus vnam partem, tunc terra immota non haberet eundem ordinem, & ſitum ad cœlum, & tamen non diceretur mutare locum, quia ſupponitur immota; Quòd ſi terra alio motu æquali moueretur verſus cœlum, quod transfertur à Deo, tunc nunquam terra diceretur mutare, ſeu acquirere locum, quia ſemper eſſet in eodem loco, vnde ſequeretur, quòd daretur nouus motus ſine nouo termino, quod eſt abſurdum.

Quarta immobilitas, eſt immobilitas per æquiualentiam, quatenus ſcilicet ſemper accedit noua ſuperficies, eiuſdem rationis cum ea, quæ recedit, ac propterea turris ſemper dicitur eſſe in eodem loco, quamuis mutetur aër, quia ſuccedit alia ſuperficies ſiue aëris, ſiue aquæ, ſiue ignis, & eiuſdem rationis 22.

Digitized by Google

rationis cum priori, quia conuenit in ratione ſuperficiei.

Sed neque hæc immobilitas ſufficit ad rationem loci, de quo loquitur Ariſt. nam Ariſt. text. 41. negat nauim, quæ continuè labitur, eſſe in eodem loco; ſed mutare locum ſimul cum aqua, & tamen ſemper eſt in eadem ſuperficie ſecũdùm æquiualentiam; & præterea, cùm quis tranſit de vno loco in alium, ſemper diceretur eſſe in eodem loco, quia ſemper eſſet in eadem ſuperficie ſecundùm æquiualentiam, quod quidem eſt abſurdum. *Ariſt.*

23. *Immobilitas neceſſaria ad rationem loci.* Quinta igitur immobilitas, quæ eſt neceſſaria ad rationem loci, illa eſt, quæ eſt ſimpliciter, & abſolutè immobilitas, quæ ſcilicet nullum admittit motum; Et quidem, qui tenent, ſpatium imaginarium dicere diſtantiam immobilem à parte rei, vt nos in ſequenti quæſtione oſtendemus, nullam habent difficultatem aſſignandi hanc immobilitatem in loco Ariſtotelico, quia ſuperficies corporis continentis connotat immobilitatem huius ſpatij imaginarij, vt inſinuauit Ariſt. 4. phyſic. text. 42.

Qui verò negant huiuſmodi ſpatium, maiorem habent difficultatem, dicunt tamen aliqui, quòd ſuperficies habet quoddam Vbi immobile ex natura ſua, & vt ſic affecta tali Vbi, habet rationem loci; quare ſi moueatur, amittit illud Vbi, & conſequenter locatum dicitur eſſe in alio loco; quatenus autem illa ſuperficies habet Vbi fluens, non habet rationem loci, ſed vaſis.

Alij verò recurrunt ad polos mundi, quatenus locatum dicit tantam diſtantiam ad illos polos; Sed contrà, quia illi poli ſunt per diuinam potentiam mobiles, & tamen illa diſtantia debet eſſe omnino immobilis, hanc autem dicimus eſſe illud ſpatium imaginarium, de quo infrà dicetur in ſequenti quæſtione.

24. *Prima difficultas cõtra definitionẽ traditam ab Ariſtotele de loco.* Sed contra hanc loci definitionem Ariſtotelicam hactenus explicatam, occurrunt tres præcipuæ difficultates.

Prima eſt, quia locus ſecundùm Ariſtotelem habet contrarium, vt ſurſum, & deorſum, & præterea loca ſunt ſpecie diſtincta; locus enim ſurſum diſtinguitur ſpecie à loco deorſum; at ſuperficies (vt ſuperficies eſt) non habet contrarium, & eſt eiuſdem rationis in omni corpore. *Ariſt.*

Solutio. Reſpondetur, quòd ibi eſt ſermo de loco naturali, cuius proprietas eſt attrahere, & conſeruare locatum, & hinc oritur, vt locus ſit diſtinctus ſpecie ab alio, & habeat cõtrarium, definitio autem tradita ab Ariſtotele, eſt de loco ſimpliciter & abſolutè.

25. *Secunda difficultas.* Secunda difficultas eſt, quia ex hac definitione ſequeretur, quòd vltima ſphæra non eſſet in loco, quia non habet vltimam ſuperficiem ambientem, hoc autem eſt abſurdum, tum quia eſt contra Ariſtotelem, aſſerentem cœlum maximè eſſe in loco; tum quia eſt alicubi; tum quia poſſet moueri; ergo acquireret locum, & tamen nullam acquireret ſuperficiem.

Solutio. Reſpondetur definitionem Ariſtotelis non eſſe intelligendam de vltima ſphæra, nam non poteſt vltima ſphæra habere locum actualem, ſed potẽtialem tantum; ſi enim haberet locum actualem, daretur proceſſus in infinitum in locis; an verò aliud cœlum præter vltimum habeat propriam rationem loci, videbimus mox in reſponſione ad tertiam difficultatem.

26. *Tertia difficultas.* Tertia difficultas. Non videntur, quòd illa duo quæ ponuntur in definitione, poſſint ſimul cohærere, quòd ſcilicet ſit ſuperficies corporis continentis, & quòd ſit immobilis.

A Probatur primò, nam ſuperficies eſt mobilis, & immobilitatem habet à ſpatio imaginario; ergo potiùs ſpatium imaginarium habet veram rationem loci.

Secundò, ſi ſuccedat alia ſuperficies, non propterea locatum dicitur mutare locum, ſed eſt in eodem loco numero, habet igitur immobilitatem à ſpatio imaginario, quod eſt immobile, & conſequenter rationem numericam loci habet ab eodem ſpatio imaginario; ſpatium igitur imaginarium potiùs habebit rationem loci quàm ſuperficies.

Tertiò probatur ſecundùm Ariſt. Cœlum præſertim inferius maximè eſt in loco, & tamen cœlum ſuperius quod eſt ſuperficies cœli inferioris, continuò, & perpetuò mouetur, & ſecum trahit cœlum B inferius, non igitur locus diſtinguitur a vaſe; ſed vas non requirit immobilitatem ſecundùm Ariſt. ergo neque locus.

Reſpondetur, & ad primam rationem dicitur, locum habere immobilitatem à ſpatio imaginario, vt probatum eſt ſuprà; Et cùm inſtatur, hinc ſequi, ſpatium imaginarium habere potiùs veram rationem loci; reſpondetur negando ſequelam; Et ratio negationis eſt, quia immobilitas non eſt ratio formalis loci, ſed potiùs connotatur; locus enim eſt nomen connotatiuum, & quidem de formali dicit ſuperficiem corporis continentis, quia ex ſuperficie fluunt illæ proprietates loci, quas ſuprà retulimus, de materiali autem connotat immobilitatem. *Solutio.*

C Nec obſtat, quòd ablata immobilitate à loco deſtruitur ratio loci, vt locus eſt diſtinctus à vaſe; non inquam, obſtat, quia ens connotatiuum, eius eſt naturæ, vt ablato connotato, deſtruatur ipſum connotatiuum; nec obſtat quòd per connotatum diſtinguatur à vaſe, quia in connotatiuis ſufficit ad diſtinctionem conditio connotata, ſicut in arte factis ſerra diſtinguitur à malleo per dentaturam, & tamen dentatura eſt quid connotatum in ſerra; ratio enim formalis ipſius ſerræ eſt ferrum, ſeu aliud corpus durum, vt ſtat ſub dentatura tanquam conditione, qua à ferro procedit ſciſſio: ita ſimiliter locus eſt nomen connotatiuum, cuius ratio formalis eſt ſuperficies corporis continentis, vt ſtat ſub immobilitate tanquam connotato. 27. *Locus connotat immobilitatẽ tanquam cõditionem.*

D Ad ſecundam rationem dicitur, quòd ad hunc locum numero, de quo loquimur, requiruntur duo, & quòd ſit hæc numero ſuperficies, & quòd ſit in tali ſpatio imaginario; quare negandum eſt quòd ſi mutetur ſuperficies, dicatur locatum eſſe in eodem loco numero, licèt ſit in eodem Vbi. 28. *A quo ſumat locus vnitatem numericam.*

Ad tertiam rationem eiuſdem tertiæ difficultatis reſpondetur, cœlum inferius ſecundùm Ariſtotelem non eſſe in cœlo ſuperiori tanquam in loco propriè dicto, ſed potiùs tanquam in vaſe, ſicut quid ſimile dixit Ariſt. de naui labente in flumine. 29 *An cœlũ ſuperius ſit propriè locus cœli inferioris. Ariſt.*

Aliqui tamen volunt, quòd cœlum inferius eſt in cœlo ſuperiori tanquam in loco, quatenus in inſtanti non mouetur; ſed hoc non videtur dicendum, E quia eadem ratione nauis eſſet in flumine tanquam propriè in loco. Potiùs igitur dicendum, quòd quia cœlum inferius nunquam mutat locum totalem, quia ſemper continetur ſecundùm totum in eodem ſpatio imaginario, ideo peculiari ratione dici poteſt, quòd eſt in cœlo ſuperiori tanquam in loco, quod quidem dici non poteſt de aqua in vaſe, non tamen eſt propriè in cœlo ſuperiori tanquam in loco, nec oppoſitum dicit Ariſtoteles.

Ad argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra primam concluſionem, reſpondetur, & ad primum dicitur, vltimam ſphæram non habere actu 30. *Reſponſio ad argumẽta primæ ſẽ.*

tertiæ cõtra primam cõcluſionem.

Ad primum,

locum extrinſecum realem, cùm non habeat aliam ſphæram ſuperiorem, habere tamen in potentia, quia non repugnat dari aliam ſphæram ſuperiorem; Dixi realem, quia ſecundùm aliquos ſpatium imaginarium eſt locus vltimæ ſphæræ, de qua re diximus in tertia concluſione.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd quia illud Vbi intrinſecum definit, & determinat rem ad eſſe hîc, ideo poteſt dici impropriè locus.

31.

Ad tertium.

Ad tertium patet ſolutio ex his, quæ diximus in prædicamento Quantitatis in ſecunda diſputatione, vbi oſtendimus locum non facere diſtinctum prædicamentum, ſed eſſe ſpeciem Quantitatis.

Ad quartũ.

Ad quartum reſpondetur, locum eſſe illum qui per motum localem per ſe primò acquiritur, tanquam terminus extrinſecus; at verò Vbi eſt terminus intrinſecus, & potiùs eſt quædam ratio ponendi in loco extrinſeco.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt eadem cum argumentis tertiæ, patebit mox ſolutio ex reſponſione ad argumenta tertiæ ſententiæ.

32.

Reſponſio vniuerſalis ad argumẽta ſecundæ & tertiæ ſẽtentiæ.

Ad argumenta tertiæ ſententiæ, quæ ſunt contra tertiam concluſionem, reſpondent aliqui in vniuerſum, nec dari interuallum illud reale antiquorum, nec ſpatium imaginarium, quod ſit interuallum quoddam & capacitas recipiendi corpus; ſpatium enim imaginarium nihil aliud eſſe dicunt, quàm meram negationem corporis, ac propterea dicunt argumenta ſupponere falſum.

Sed quia nos, quamuis teneamus non dari interuallum illud reale antiquorum, tenebimus tamen in ſequenti quæſtione, ſatis probabiliter dari illud ſpatium, ſeu interuallum inane imaginarium; ideo ad illa duo argumenta, quæ poſita ſunt in tertia ſententia contra noſtram tertiam concluſionem, reſpondetur, quòd quamuis hoc ſpatium imaginarium, & inane, habeat illas proprietates loci, quæ numerantur in argumentis, non tamen habet alias, quarum vna eſt, vt ſit ratio poſitiua realis, ad hoc vt habeat proportionem cum locato, altera eſt vt non ſe penetret cum locato, quia tunc locus eſſet in loco, quod eſt abſurdum, vt oſtendimus ſuprà in tertia concluſione.

QVÆSTIO SECVNDA.

An extra cælum, ſeu extra vniuerſum ſit ſpatium imaginarium.

VIDIMVS in ſuperiori quæſtione, ſpatium imaginarium nõ eſſe formaliter ipſum locũ, nec Vbi, connotari tamen neceſſariò ab ipſo loco, quia ab eo accipit immobilitatem; nunc videndum eſt quid ſit hoc ſpatium imaginarium.

1.

Nota quòd per ſpatium imaginarium intelligimus interuallum quoddam trinè dimenſum, quod quidem non ſolùm dicit negationem corporis, quo poteſt repleri, quæ quidem negatio tollitur, quando aduenit corpus, ſed etiam dicit illam capacitatem recipiendi corpus, ſeu illud interuallum trinè dimenſum, quod quidem non eſt quid poſitiuum reale, ſeu realiter exiſtens, ſed eſt poſitiua quædam capacitas replebilis corporis, quod quidem interuallum, ſeu capacitas nunquam poteſt exiſtere exiſtentia reali; dicitur tamen exiſtere impropriè exiſtentia abuſiua; per aduentum autem corporis, tollitur illa negatio, ſeu carentia corporis; remanet tamen illud interuallum, ſeu capacitas repleta iam corpore.

2.

Prima ſententia negatiua.

Prima ſententia negat dari extra cœlum huiuſmodi ſpatium imaginarium.

Primum argumentum

Probatur primò ex Ariſt. 4. phyſ. text. 66. vbi dicit in vacuo nullas eſſe poſitiones, quia nihil eſt; & text. 76. dicit vacuum verè vacuum eſſe, id eſt, omnino nihil.

Secundũ argumentum.

Probatur ſecundò, hoc interuallum non eſt reale, vt conceditur etiam ab Aduerſariis, ergo eſt per intellectum, vel nihil.

Tertium argumentum.

Probatur tertiò, implicat eſſe diſtantiam ſine quantitate reali, ſed illud ſpatium non eſt quantum reale, ergo non poteſt eſſe longum, latum, & profundum, immò ſequeretur, quòd eſſet longitudo ſine longitudine, & latitudo ſine latitudine, & profunditas ſine profunditate, quia iſtæ dimentiones ſunt differentiæ ſolius quantitatis realis, alioquin ſequeretur, quòd eædem differentiæ poſitiuæ eſſent communes enti reali, & nihilo, quod eſt abſurdum.

Quartũ argumentum.

Probatur quartò, Vel hoc ſpatium eſt factum à Deo, & hoc non, quia haberet exiſtentiam realem; vel eſt nihil; & neque hoc, quia quomodo poteſt nihil reſiſtere poſitiuè lapidi, ſi moueretur per illud; ſi enim tolleretur intermedium, quod eſt inter cœlum, & terram, & lapis, ſiue per grauitatem, ſiue per impulſum, moueretur deorſum, tunc illud ſpatium reſiſteret mobili, quia non poſſet lapis eſſe ſimul in ſpatio (A) & ſpatio (B,) hanc autem reſiſtentiam concedere ipſi nihilo, videtur abſurdum, quia daretur reſiſtentia poſitiua, quæ eſſet independens à Deo.

Quintũ argumentum.

Probatur quintò, Hoc ſpatium non eſt factum à Deo efficienter per Aduerſarios, ergo daretur aliquid à parte rei, quod eſſet increatum, & independens à Deo, & coæternum Deo; ergo eſſet Deus.

Replica cõtra quintum argumentũ.

Quòd ſi replices, hoc ſpatium eſſe negatiuum, ac proinde non requiritur vt ſit factum à Deo.

Prima inſtãtia contra replicam.

Contrà inſtatur primò contra hanc replicam, quia negatio dependet aliquo modo à Deo, vel quia Deus deſtruendo formam poſitiuam, reſultat negatio illius formæ, vel quia non producendo formam poſitiuam facit negationem, vnde quòd illa negatio vel ſit, vel tollatur, liberè dependet à Deo; at verò hoc ſpatium nullo modo dependet à Deo; quia quamuis poſſit tolli à Deo negatio corporis producendo corpus in vacuo, & etiam poni, quia corrumpendo corpus, facit Deus quòd reſultet illa negatio corporis, illud tamen ſpatium, quod eſt quoddam interuallum, & dicit diſtantiam, nunquam tollitur, ſeu ponitur de nouo, ſiue ponatur corpus, ſiue auferatur ipſum corpus, ergo omnino eſſet independens à Deo.

Secũda inſtantia.

Inſtatur ſecundò contra eandem replicam, quia hoc ſpatium non eſſet ens negatiuum, ſed potius poſitiuum actuale, tum quia nihil aliud eſt hoc ſpatium, quàm actualis capacitas receptiua corporis, quæ ab æterno fuit, & non poterat non eſſe, tum quia corpus quod recipitur in illo ſpatio, non eſt in illo tamquam in negatione repugnantiæ, nam iſta negatio repugnantiæ neceſſariò ſupponit aliquod poſitiuum, quia negatio negationis, eſt aliquod poſitiuum; quod enim negat aliud, tollit id, quod negat; eſt igitur hæc capacitas aliquod poſitiuum actuale, hoc autem, vt dicebatur in argumento, eſt abſurdum quia daretur aliquod ens poſitiuum independens à Deo.

Sextum argumentum

Probatur ſextò, ſi daretur illa diſtantia in ſpatio imaginario, eſſet infinita, ergo eſſet replebilis infinito corpore; ſed hoc repugnat, ergo, &c. Sequela Maioris conceditur ab aduerſariis; Minor probatur, quia illud ſpatium dicit ordinem ad corpus reple

repletiuum illius ſpatij; ſed tale corpus infinitum non eſt dabile, vt probatum eſt ſuprà in diſputatione quarta de infinito, ergo neque eſt dabilis capacitas replebilis hoc corpore, quia ſunt correlatiua.

Septimum argumentũ.

Septimò, Ante creationem mundi, lapis non poterat, ſecundùm communem opinionem, moueri in illo ſpatio, ergo ante creationem non erat aliquod ſpatium ſeu diſtantia. His tamen non obſtantibus ſit

3. Verior ſententia explicatur vnica concluſione.

Vnica concluſio. Dicendum eſt quòd quamuis opinio negans hoc ſpatium imaginarium, ſit ſatis probabilis propter argumenta facta, præſertim propter quartum Philoſophicum, & quintum Theologicum; nulla tamen affertur repugnantia ad negandum hoc ſpatium à parte rei, & illud omnino dari tenet Fonſ. in ſua metaphyſica tanquam magis probabile, & citantur Scalig. in exercit. quinta, & aliqui apud Auicen. ſecundo ſufficient. cap. 2. videtur etiam D. Thom. 3. par. quæſt. 57. art. 4. & alibi, tenet enim quòd Chriſti corpus ſecundùm pedes eſt in ſuperficie vltima cœli, ſecundùm verò reliquum corpus, eſt in illo inani ſupra extimam ſuperficiem, iuxta illud Pauli ad Epheſ. 4. *Aſcendit ſuper omnes cælos*; eſt etiam illorum Doctorum, qui tenent Deum eſſe in toto illo ſpatio infinito adæquato ſuæ infinitæ immenſitati.

Fonſ. Scalig. Auicen. D. Thom.

Fundamentum cõcluſionis.

Fundamentum concluſionis eſt, quia Deus extra cœlum poteſt facere plures mundos, & vnum diſtantem ab alio, ergo inter vnum, & alium, intercedit hoc ſpatium inane.

4. Antecedens huius fundamẽti probatur dupliciter. Primò.

Ad hoc argumentum reſpondent aduerſarij, negando antecedens, quòd ſcilicet inter illos duos modos poſſit eſſe diſtinctio.

Sed contrà probatur antecedens dupliciter; Primò, Deus poteſt ponere vnam columnam ſuper conuexam ſuperficiem cœli, ſicut de facto dicit S. Thom. eſſe corpus Chriſti, in quo caſu caput Chriſti diſtat realiter à pectore, & pedibus, quia intercedit ſpatium reale ipſius corporis; circa autem quamcunque partem illius corporis Chriſti eſt vacuum, quia non eſt aliud corpus, illud igitur vacuum quod correſpondet capiti, diſtat à vacuo quod correſpondet pectori, vel pedibus; Sed quia adhæc, & ſimilia poſſet dici, quòd circa partes illius columnæ vel corporis nihil ſit, ideo

S. Thom.

Secundò.

Probatur ſecundò efficaciter. Figatur funis à pariete ad parietem, ſeu à primo cœlo vſque ad vltimum, quod eſt cœlum lunæ, & per diuinam potentiam annihiletur totum intermedium, profectò primum cœlum ab vltimo diſtabit per tantam diſtantiam, quanta eſt diſtantia funis, ergo etiam illi mundi qui fierent extra cœlum, diſtarent, quia eſt eadem ratio.

5. Prima reſponſio aduerſariorũ reijcitur.

Ad hanc probationem reſpondent primò aduerſarij, cœlos ipſos rarefieri, & vniri ſimul, vt impleatur totum ſpatium.

Sed contrà, quia cœli naturaliter non poſſent rarefieri, & præterea rarefactio fit in tempore. Quòd ſi dicas, Deum per ſuam potentiam facere vt ipſi cœli in inſtanti vniantur. Sed contrà, ad quid opus eſt hoc nouum miraculum, ſi per vos ſublato intermedio, nulla poteſt eſſe diſtantia inter primum cœlum, & vltimum.

6. Secunda reſponſio reijcitur. Durandus.

Reſpondet ſecundò Durandus, in tali caſu latera cœli nec rarefieri, nec moueri, non tamen diſtare, nec eſſe ſimul, ſicut ſi vnus Angelus eſſet in vno latere cœli, & alius in alio; hi duo Angeli nec diſtarent, nec eſſent ſimul.

Sed hoc quod dicit Durandus non eſt intelligibile, ſi enim non diſtant, ergo ſunt indiſtantes; ergo nihil intermediat, ergo ſunt ſimul; hoc enim modo definitur eſſe ſimul ab Ariſtotele.

7. Tertia reſponſio reijcitur.

Tertia reſponſio eſt aliquorum; concedendo quòd in caſu probationis detur illa diſtantia inter illos duos parietes, quia illi duo parietes ſunt termini reales illius diſtantiæ, ac propterea poteſt intercedere diſtantia vacui inter illos duos terminos, at verò ſupra extimam ſuperficiem cœli, non eſt illa diſtantia, quia non ſunt ibi termini reales.

Sed contra adhuc inſtatur, ſi iſtud ſpatium inter duos parietes debet impleri, non poteſt impleri niſi quantitate bipalmari, ſupponimus enim interuallum illud, quod erat inter illos duos parietes antequam corrumperetur fuiſſe bipalmare, ergo ſignum eſt, quòd inter duos parietes ſit capacitas, quæ non poſſit impleri niſi per quantitatem bipalmarem, alioquin inter illos duos parietes poſſet poni non ſolùm quantitas bipalmaris, ſed quantitas quadripalmaris, & etiam infinita, quod quidem quamuis aliqui ex aduerſariis concedant, non tamen eſt concedendum, tum quia non videtur poſſe poni maior quantitas quàm ſit ille funis, qui fixus eſt à pariete ad parietem, qui eſt bipalmaris: tum quia ſi intra illos duos parietes poſſet poni diſtantia infinita, ſequeretur quòd ſi ab vno pariete protrahatur aliquis funis, nunquam attingeret alium parietem, quod quidem eſt abſurdum, & de facto remanet ille funis qui priùs erat fixus inter illos duos parietes.

8. Quarta reſponſio reijcitur.

Quartò reſpondent, & acutiùs alij, concedendo intra illos duos parietes non poſſe poni niſi quantitatem bipalmarem, hoc autem, inquiunt, prouenire ex heterogeneitate ipſorum Vbi, quia hæc duo Vbi quæ ſunt in duobus parietibus, ſunt talis naturæ, vt ſint fundamenta diſtantiæ bipalmaris.

9. Sed contrà, quia quidquid ſit de hac heterogeneitate ipſorum Vbi, hæc Vbi nõ faciunt diſtantiam, ſed potiùs ſupponunt diſtantiam, quam exigunt talia Vbi. Secundò admittitur ſecundùm hanc reſponſionem aliqua diſtantia, & capacitas poſitiua inter vnum parietem, & alterum, quæ non ſit realis, & tamen quòd ſit longa, lata, & profunda, ac proinde contra hanc reſponſionem militant argumenta, quæ contra hanc ſententiam faciunt ipſi aduerſarij.

Vltimò probatur noſtra ſententia, quia nulla eſt repugnantia, vt mox patebit ex ſolutione argumentorum. 10.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

11. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum.

AD primum ex Ariſtotele dicitur, quòd ibi Ariſtoteles non loquitur de ſpatio imaginario, vt eſt capacitas quædam poſitiua corpore replebilis, ſed loquitur de vacuo, quatenus præciſè dicit negationem corporis; Certum eſt autem hanc negationem præciſè ſumptam; nec eſſe quid poſitiuum, nec dicere diſtantiam.

12. Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur, hoc ſpatium non eſſe interuallum reale, neque eſſe omnino nihil, ſed eſſe à parte rei, eo modo quo ſuprà explicatum eſt.

13. Ad tertium.

Ad tertium reſpondetur implicare dari diſtantiam realem ſine quantitate reali, ſed illam diſtantiam illius ſpatij imaginarij, ſeu capacitatis, non dicimus eſſe realem. Et cùm inſtatur, quòd daretur aliquod commune enti reali, & nihilo. Reſpondetur nihil obſtare dari aliquod commune analogum enti reali & non reali; hoc autem eſſe analo-

gum non ſolùm proportionalitatis, ſed etiam attributionis, ex eo patet, quia ſi per impoſſibile non poſſet dari corpus reale, non daretur illud ſpatium imaginarium, quia illud eſt capacitas receptiua corporis, & ab illo replebilis.

14. Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur, hoc ſpatium non habere, nec poſſe habere exiſtentiam realem, ſed quia poſitiuè habet, vt probatum eſt, diſtantiam, ideo poteſt reſiſtere mobili corporeo, quod ſimul naturaliter non poteſt eſſe ſecundùm omnes partes in eadem parte ſpatij, quia daretur in partibus ipſius corporis penetratio, vbi enim eſſet vna pars corporis, eſſet alia, quod implicat naturaliter.

15. Ad quintũ. Ad quintum reſpondetur cum Fonſeca, non eſſe abſurdum, illud ſpatium ſecundùm illam non repugnantiam, quam habet, ſemper fuiſſe, & ſemper fore, nec fuiſſe efficienter factum à Deo, quia non eſt aliquid reale; dependet tamen aliquo modo à Deo, quia ſi non eſſet Deus, non eſſet corpus reale, nec conſequenter daretur tale ſpatium, quod eſt eſſentialiter capacitas receptiua corporis realis. Ad pleniorem autem huius argumenti ſolutionem

16. Primũ quæſitum. Quæres primò, An illa capacitas, ſit poſitiua, vel negatiua? Reſpondeo quòd non eſt negatiua, tum quia, vt bene dicitur in argumento, eſt capacitas actualis receptiua corporis, tum quia reſiſtit mobili, tum quia ſi eſſet negatiua, eſſet negatio repugnantiæ; ergo negatio negationis, ergo quid poſitiuum.

17. Secundum quæſitum. Quæres ſecundò, poteſt ne dici hoc ſpatium eſſe increatum cùm non ſit factum à Deo? Reſpondeo, non poſſe dici, tum quia increatum dicit exiſtentiam realem independentem ab alio, quam non habet illud ſpatium, quamuis non ſit factum efficienter à Deo, propter imperfectionem ipſius ſpatij, quod non poteſt habere exiſtentiam realem, non tamen eſt omnino independens à Deo, vt probatum eſt ſuprà.

18. Ad ſextum. Ad ſextum reſpondent nonnulli, ſufficere, quòd ſpatium illud ſit replebile à corpore maiori, & maiori in infinitum, in potentia adhuc, vt actu ipſum ſpatium ſit infinitum.

Inſtantia. Sed poteſt inſtari, quia nos diximus in ſecunda quæſtione, quòd infinitum ſyncathegorematicum non adæquat infinitum cathegorematicum, quare etiam ſi per impoſſibile infinitum ſyncathegorematicum totum poneretur actu, non adæquaret cathegorematicum; ſi enim omnes creaturæ, quæ ſunt perfectiores & perfectiores in potentia in infinitum, ponerentur actu, nulla eſſet actu infinita cathegorematicè, quia nulla talis erat in potentia; ergo non poteſt illa capacitas eſſe infinita cathegorematicè, quia debet adæquari corpori, quod poteſt recipere, & à quo poteſt repleri, quia hæc ſunt correlatiua; inter correlatiua autem non poteſt eſſe exceſſus; quia ab illo exceſſu nihil reſpiceretur; corpus autem eſt infinitum ſyncathegorematicum; ergo illud ſpatium, non poteſt eſſe infinitum cathegorematicum.

19. Reſpondent nonnulli alij, illud ſpatium eſſe etiam infinitum ſyncathegorematicum; Sed hæc reſponſio non omnino placet, quia, vt dictum eſt in diſputatione de infinito, repugnat dari actu infinitum ſyncathegorematicum, quia eſſet ſimul indeterminatum, & determinatum, nam infinitum ſyncathegorematicum eſſentialiter includit potentiam & tendentiam, hanc autem potentialitatem & tendentiam excludit infinitum, quod totum eſt actu; dicendum eſt igitur, ſatis eſſe quòd illa capacitas ſit replebilis ſuo modo ab immenſitate Dei, quæ eſt infinita cathegorematicè, ſicut eſt ipſa potentia Dei, vt dicemus in corollario ſexto.

10. Ad ſeptimũ. Ad ſeptimum aliqui concedunt lapidem ante creationem mundi non potuiſſe moueri per illud ſpatium, quia tunc non fuiſſet locus deorſum, ac proinde grauitas lapidis ad nullam partem inclinaret; Sed dicendum eſt, quòd quamuis naturaliter non potuiſſet moueri, potuiſſet tamen moueri per impetum impreſſum ſiue à Deo, ſiue ab Angelo ad illam partem ſpatij, verſus quam imprimeretur impetus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm intra vniuerſum de facto detur, vel dari poßit naturaliter ſpatium, ſeu interuallum priuatum omni corpore, quod dici ſolet Vacuum.

1. Vnica concluſio. VNICA concluſio. Certum eſt apud Peripateticos cum Ariſt. 4. phyſic. tex. 53. & ſequentibus contra antiquos, non dari de facto vacuum, nec poſſe dari naturaliter.

Prima ratio. Probatur primò ab Ariſtotele 12. metaph. circa finem, quia vnio vniuerſi eſt maximum bonum, ſicut eſt vnio partium domus; Quòd ſi quæratur, vnde habet hæc vnio vt ſit maximum bonum vniuerſi? Reſpondetur ex eodem Ariſtotele 1. meteor. cap. 2. vbi habet, hunc mundum inferiorem eſſe contiguum ſuperioribus lationibus, vt inde poſſit recipere influxum, quare non poſſet cœlum agere in hæc inferiora, ſi daretur vacuum.

2. Replica. Quòd ſi replices, poſſe agens agere in ſpatium diſtans immediatè ſuppoſiti, nam ſtuppa poſita poſt cryſtallum oppoſitum ſoli, comburitur, cùm tamen non comburatur cryſtallum; Reſpondetur, Solutio. quicquid ſit, an agens poſſit agere in diſtans, de qua re multa habentur in vltimo corollario huius prædicamenti, requiritur tamen vnio, ſaltem mediatè, tanquam conditio ad agendum, etiam ſi nihil recipiatur in ipſo medio, vt mox patebit ex multis experientiis; & præterea requiritur hæc vnio peculiari quadam ratione, ne intercludatur reſpiratio animalium neceſſaria ipſorum vitæ, & quæ maximè intenditur à natura.

3. Secunda ratio et experientiis quibus probatur non dari vacuum. Probatur ſecundò, quia videmus ex multis experientiis naturam fugere vacuum.

Prima. Prima experientia eſt in vaſe, quo irrigantur horti, in quo ſuperior pars habet vnum foramen, inferior verò multa, quod ſi impleatur aqua, & claudatur illud vnum foramen partis ſuperioris, aqua non exit per foramina partis inferioris, non ob aliam cauſam, niſi ne detur vacuum, non poteſt enim ingredi aër, cùm ſint occupata foramina inferiora ab ipſa aqua; quare aperto foramine ſuperiore, ſtatim exit aqua per foramina inferiora.

4. Secunda experientia. Secunda experientia eſt, quia ſi quis velit extrahere æqualiter ex omni parte os cyathi ab aqua, tunc etiam ſimul aqua aſcendet, quia non poteſt tam citò aër occupare cyathum.

Tertia. Tertia experientia eſt in fiſtulis, ex quibus ſi attrahatur aër, ſtatim aqua aſcendit.

5. Quarta. Quarta, quia cucurbitulæ, quibus medici vtuntur ad attrahendum ſanguinem, non alia ratione attrahunt ſanguinem, niſi ne detur vacuum, nam aër incluſus in cucurbitulis, per ignem rareſit, poſtea autem externo frigore condenſatur; neceſſe eſt igitur, ne detur vacuum, vt illæ cucurbitulæ attrahant ſanguinem; Sunt aliæ experientiæ, quas breuitatis cauſa omitto.

Quòd

Digitized by Google

6. Quæſitum. Quòd ſi quæras circa hanc concluſionem, poteſt ne per potentiam naturalem ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem, tolli hæc contiguitas corporum, & conſequenter fieri vacuum? A

Reſpóſio ad quæſitum. Reſpondetur, ſi hæc contiguitas corporum eſt per quandam, vt dicunt, inhæreſcentiam, tunc non video quare non poſſit dari potentia naturalis, quæ poſſit diſſoluere iſtam contiguitatem; ſi verò iſta contiguitas, ſeu contactus corporum conſeruatur à Deo, tanquam ab auctore naturæ, ne detur vacuum, tunc certum eſt non poſſe dari potentiam naturalē, quæ poſſit diſſoluere hanc contiguitatem, quia maior eſt potentia diuina conſeruans illum contactum, quàm ſit virtus creata; Et hoc ſecundum mihi videtur probabilius; nam aër contiguus manui, non habet adhæreſcentiam, nam hæc adhæreſcentia nihil aliud eſt, quàm quædam qualitas inhærens corporibus, proueniens ex maxima viſcoſitate, & humiditate, quæ non eſt in aëre reſpectu manus, & tamen ſi ex remotione aëris ſequeretur vacuum, nunquam aër dimoueretur à manu, & in exemplis allatis ſuprà patet, quòd non propter hanc adhæreſcentiam vnum corpus non poteſt diuelli ab alio, & præſertim in prima experientia allata de vaſe clariùs apparet, aquam non deſcendere, non quidem propter adhæreſcentiam, quia ſtatim aperto foramine ſuperiori deſcendit, ſed ne detur vacuum; conſeruatur igitur ille contactus aquæ cum vaſe à Deo tanquam ab auctore naturæ, & præterea duæ tabulæ contiguæ non poſſunt æquè ex omni parte ſimul eleuari, ne detur vacuum, non enim poteſt aër ingredi in eodem tempore, in quo omnes partes eleuantur, quia tunc aër eſſet in eodem tempore in principio tabulæ, & in medio, & tamen illæ duæ tabulæ non habent adhæreſcentiam, ſed potiùs ſunt duo corpora dura, & multò magis ſi iſta duo corpora, eſſent duo ſaxa duriſſima. B

7. Quòd ſi petas, ſi iſtæ tabulæ mouerentur extra extimam cœli ſuperficiem, poſſent ne eleuari. Reſpondeo affirmatiuè, quia ſupra extimam ſuperficiem cœli non eſt hic ordo vniuerſi, ac proinde non tenetur Deus conſeruare illum contactum duarum tabularum, ſicut de facto dicitur poſſe Chriſtum, cuius corpus ſecundùm S.Thom. eſt ſupra cœlum vltimum, coniungere, & diſiungere manus, & ita ſimiliter dicendum eſt in aliis exemplis. (S.Thom.) C D

8. Obiectiones contra hanc vnicam concluſionem. Prima obiectio. Sed contra hanc vnicam concluſionem obiicitur primò à veteribus Philoſophis ante Ariſtotelē, ſi non daretur, inquiunt, vacuum, daretur penetratio corporum in motu locali, nam cùm mouetur corpus, vel recipitur in pleno, & datur penetratio, vel in vacuo, & habetur intentum; Quòd ſi dicas, Cedit aër; Contrà eſt, inquiunt, quia hinc ſequeretur abſurdum, quòd totus mundus fluctuaret, quia aër ſubit in locum alterius corporis, & illud aliud corpus in locum alterius, & ſic in infinitum. Idem argumentum fieri poteſt in augmento viuentis, nam vel recipitur in pleno, & ſic datur penetratio, vel in vacuo, & ſic habetur intentum. E

9. Solutio. Reſpondetur, motum localem fieri cedente alio corpore, neque hinc ſequitur fluctuatio vniuerſi, quia ille aër, qui cedit, aliquantulùm condenſatur, & idem dicendum de augmento, nam in poris viuentis ſunt quidam ſpiritus tenuiſſimi, qui cedunt alimento recepto in poris.

Ariſt. Præterea Ariſt. loco cit. retorquet hoc argumentum contra antiquos, quia ſi, inquit, alimentum reciperetur in vacuo, ſequeretur quòd corpus totum eſſet vacuum, quia totum viuens, & quælibet pars eius minima augetur, vt patet experientia.

Quòd ſi contra hanc rationem Ariſtotelis inſtes, quòd ex hac ratione ſequeretur debere dici, totum corpus eſſe poroſum, quia totum corpus augetur, vel debere dari penetrationem; quòd ſi Ariſt. admittat poros plenos ſpiritibus in qualibet minima particula, poſſunt etiam antiqui in illa minima particula admittere vacuum: Reſpondetur, argumentum Ariſtotelis eſſe ad hominem, putabant enim antiqui id tantùm augeri, vbi eſt elementum, cùm igitur, inquit Ariſtoteles, totum augeatur, totum debet eſſe vacuum. 10. Ariſt.

Obiicitur ſecundò, ex experientiis; Prima experientia eſt, quia vas plenum cinere tantum aquæ capit, quantum vas ſine cinere, ſunt ergo aliquæ vacuitates in cinere. 11. Secunda obiectio ex experientiis, quibus probatur dari vacuum. Prima experientia.

Secunda experientia, ſi dolium ſit plenum vino, & deinde illud vinum infundatur in vtres, & illi vtres ponantur in eodem dolio, tunc dolium capiet ſimul vinum, & vtres, ſignum eſt ergo quòd ſint aliquæ vacuitates in dolio. Secunda.

Tertia experientia, res paruæ molis aliquando ſunt magis graues, quàm res magnæ, & charta verberata, eſt magis grauis quàm non verberata, cuius rei non poteſt eſſe alia ratio, niſi quia in charta non verberata erat vacuum. Tertia.

Quarta experientia, ſi in cyatho pleno aqua immittantur duo, vel tres nummi aurei, tunc vas illud etiam ſimul cum aqua capiet illos nummos ſine vlla effuſione aquæ. Quarta.

Quinta experientia, ſit vas bene occluſum, & plenum aqua calida, & rarefacta, & poſtea condenſetur ex ambienti frigido, profectò occupabit minorem locum; ergo in illo vaſe dabitur vacuum, quia ſupponimus non poſſe ingredi aërem. Quinta.

Sexta experientia, ſint duæ tabulæ perfectæ planæ ita contiguæ, vt ſe tangant ſecundùm omnes partes, & vna ex illis eleuetur ſimul ex omni parte, tunc neceſſariò dabitur vacuum, non poteſt enim aër ingredi ſimul ad replendum ſimul initium alterius tabulæ, & medium, quia non poteſt moueri in inſtanti, nec eſſe in pluribus locis ſimul. Sexta.

Reſpondetur cum Ariſtotele hic, & 25. ſect. problem. problem. 8. vbi ponit aliquas ex his experientiis. 12. Soluitur ſecunda obiectio, & reſpōdetur ad experiĕtias. Ariſt.

Ad primam reſpondetur ex eodem Ariſtotele, quòd in poris cinerum eſt multum incluſum aëris qui elabitur per compreſſionem aquæ, vt patet ex bullis aquæ, quæ fiunt ex aſcendente aëre, & multò magis ſi cineres ſint calidi, quia tunc multum etiam aquæ exhalatur, præterea ipſe cinis compreſſione aquæ aliquantulùm condenſatur. Ad primam experientiã.

Et idem ſimiliter dicendum eſt ad ſecundam experientiam de dolio, quòd ſcilicet multum aëris extrahatur à vino, dum ponitur in vtribus; & confirmari poteſt reſponſio exemplo foueæ, quæ non capit terram ex illa extractam, quia illa terra extracta eſt plena aëre. 13. Ad ſecundã.

Ad tertiam experientiam de charta non verberata, reſpondetur, quòd in charta non verberata eſt multum aëris, qui, cùm ſit leuiſſimus, adiuuat ad leuitatem, & attrahit corpus in quo eſt; cùm igitur hic aër exploditur per verberationem à charta, fit vt charta verberata magis grauitet, & hinc etiam eſt, quòd corpus viuum minùs grauitat quàm mortuum; & per hæc patet ad illam aliam experientiam de re parua, quæ aliquando magis grauitat quàm res magna, quia in illa re magna contingit eſſe incluſum multum aëris qui leuitat. 14. Ad tertiam.

Ad quartam reſpondetur, aquam quæ eſt in cyatho, condenſari ex infuſione illorum nummorum, & præ 15. Ad quartam.

Digitized by Google

& præterea multum aëris incluſi in poris aquæ elabitur, vt patet ex bullis, quæ cernuntur in cyatho, vnde fit, vt ipſa aqua comprimatur, & occupet minorem locum.

16. Ad quintã. Card. Scalig.

Ad quintam experientiam reſpondetur, in tali caſu, & ſimilibus ſecundùm Cardanum libr. 1. de ſubtilitate, & Scalig. exercit. 5. & Fracaſtoriũ l. 5. de ſympath. fieri aliquid contra naturam particularem, neque hoc eſt abſurdum, quia non eſt contra naturam vniuerſalem; quare in tali caſu vel non frangetur vas, vel non condenſabitur aqua; vel dicendum tertiò, ne dicatur aliquid fieri contra naturam particularem, quòd multæ exhalationes, quæ ſunt in poris aquæ calidæ, elabuntur facta condenſatione aquæ, & occupant ſpatium reliquum vaſis.

Ad ſextam.

Ad ſextam experientiam reſpondetur, non poſſe in illo caſu vnam tabulam eleuari, ſeu diſcõtiguari, vnde cernimus, quòd ſi tabula, vel os cyathi ponatur in aqua, & poſtea velociter diuellatur ab aqua, ſecum trahere aquam, quia non poteſt ita velociter ingredi aër.

QVÆSTIO QVARTA.

A quo moueantur elementa ad replendum vacuum.

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aliquorum aſſerentium aquam moueri ſeorſum ad replendum vacuum ab ipſa grauitate aquæ.

Confutatur hæc prima ſententia. Impugnatur primò.

Sed hæc ſententia non placet, & impugnatur primò, quia vel aqua per ſuam grauitatem mouetur ſeorſum naturaliter, vel præter ſui naturam; non poteſt dici naturaliter, quia tunc virtus motiua agentis extrinſeci non experiretur reſiſtentiã aquæ, dum mouet corpus ipſi contiguum, quia aqua aſcenderet ſuo impetu naturali ſimul cum illo corpore moto. Sed experimur talem reſiſtentiam, ergo, &c. Probatur Minor, quia quando eleuamus tabulam, quæ erat ſuper aquam, attrahitur etiam magna pars aquæ, ne detur vacuum, & tamen experimur maiorem reſiſtentiam in attrahendo tabulam, & aquam ſimul, quàm ſi ſolùm tabula attraheretur, quod etiam patet multis aliis experientiis quas breuitatis cauſa omitto. Quòd ſi dicas, aquam non moueri naturaliter ad replendum vacuum ſed præter naturam; Contra hoc eſt, quia tunc deberet determinari ab extrinſeco, cùm ab intrinſeco non moueatur.

2. Impugnatur ſecundò prima ſententia.

Secundò impugnatur, quia grauitas reſiſtit motui ſurſum, ergo non poteſt effectiuè illum cauſare ab intrinſeco; Conſequentia probatur, quia alioquin ſequeretur, quòd ſimul concurreret ad effectionem ſui motus, & ad deſtructionem. Antecedens probatur, quia experimur quò corpus eſt minùs graue, eò faciliùs aſcendere, quare faciliùs aſcendit aqua, quàm terra ad replendum vacuum; ergo ſignum eſt, quòd corpus graue reſiſtit motui ſurſum, ergo quantùm eſt ex ſe, potiùs tendit ad deſtructionem illius motus, non poteſt ergo ab intrinſeco efficere illum motum; Et confirmatur exemplo illius vaſis, quo ruſtici vtuntur ad rigandos hortos, in quo quò maior eſt copia aquæ, eò magis reſiſtit tenenti illud vas.

3. Tertiò impugnatur.

Tertiò impugnatur, quia grauitas eſt determinata, non ergo poteſt mouere velociùs, & velociùs, & tamen neceſſe eſſet, vt haberet tantam virtutem vt poſſet mouere velociùs, & velociùs ad replendum vacuum, correſpondentem potentiæ motiuæ A extrinſecæ, quæ velociùs aliquando attrahit corpus contiguum, & aliquando minùs velociter.

4. Quartò impugnatur eadem prima ſententia.

Quartò impugnatur, aliquando duo corpora grauia contigua non poſſunt diuelli, ne detur vacuum, vt patet in follibus quando eorum os clauditur, quæ tamen immobilitas non poteſt prouenire ex grauitate follium reſiſtentium, quia eodem modo non poſſunt diuelli, ſiue ſint in materia grauiori, ſiue minùs graui, ergo ſignum eſt quòd neque in aſcenſu ſurſum, grauitas corporis concurrat; Probatur conſequentia, quia ab eadem grauitate mouetur corpus ad motum, & ad conſiſtentiam.

5. Quintò impugnatur ab aliis.

Quintò ſolet ab aliis aliter impugnari, quia grauitas, inquiunt, eſſet diiudicatiua, ſi modò moueretur ad locum deorſum, modò ſurſum. Sed contrà, B quia poſſet dici quòd naturaliter moueatur modò ad locum deorſum, modò ſurſum, ſtante diuerſo determinatiuo; cùm enim aſcendit aqua, determinatur à diuulſione corporis contigui, ne detur vacuum, cùm verò deſcendit, determinatur à ſua grauitate, ſicut à ſimili fundamentum, putà (album) eſt indifferens ad producendum ſibi relationem ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, non tamen propter hoc in ipſa albedine debet eſſe potẽtia diiudicatiua, quia ſufficit, vt ab alio coalbo tanquã à termino determinetur ad producendum ſibi ſimilitudinem, & ab alio termino, v. g. (nigro) determinetur ad C producendum ſibi diſſimilitudinem. Suppono autem ex communi Philoſophorum, quòd ipſa albedo producat ſibi ſimilitudinem ſuppoſito termino coalbo, vel ſimilitudinem, ſuppoſito termino nigro, terminus autem concurrat tantùm tamquam conditio; eſſet enim valde durum, quòd terminus, v.g. (coalbum) quod eſt in India, producat relationem ſimilitudinis in pariete albo, qui eſt Neapoli.

6. Secũda ſententia confutatur.

SECVNDA ſententia aliquorum, aſſerentium aquam moueri ſeorſum ad replendum vacuum à forma ſubſtantiali aquæ.

Impugnatur primò.

Sed nec hæc ſententia placet, & impugnatur primò argumentis factis contra primum modum, quæ etiam militant contra hunc ſecundum.

Secundò impugnatur.

Secundò impugnatur, quia eſt contra experien- D tiam, experimur enim vinum conſecratum aſcendere ſurſum ad replendum vacuum, & tamen ibi nulla eſt forma ſubſtantialis vini.

7. Tertia ſententia confutatur.

TERTIA ſententia aliorum, aſſerentium aquam moueri ſurſum ad replendum vacuum à qualitate quadam motiua communi omnibus corporibus, ſiuę grauibus, ſiue leuibus; indita à natura ad efficiendum motum, propter repletionem vacui, & hanc quidem dicunt eſſe vnam ſpecie, quia quamuis tendat ad diuerſum motum ſurſum & deorſum, tendit tamen ſub eadem ratione formali ad replendum vacuum.

8. Impugnatur primò.

Sed neque hæc ſententia placet, & impugnatur primò, quia qualitas motiua eſt determinatæ vir- E tutis, ergo non poteſt mouere magis, & minùs velociter, cuius tamen contrarium experimur, quia quò maior eſt potentia actiua extrinſeca attrahens, & diuellens corpus contiguum, eò velociùs, & velociùs mouetur corpus ad replendum vacuum.

9. Impugnatur ſecundò.

Secundò impugnatur, quia ſi daretur hæc virtus naturaliter indita, ſequeretur quòd non experiremur reſiſtentiam ſaltem eandem cùm attrahimus tabulam & aquam, ne detur vacuum, quam experimur, cùm illam attrahimus ſine hoc periculo vacui. Sequela probatur, quia iſta virtus indita iuuaret ad motum ſurſum, & reſiſteret grauitati aquę, ſicut patet à ſimili, quòd quando lapis mouetur ſurſum, per impetum impreſſum, fit grauitati reſiſtentia per illum

Digitized by Google

lum impetum, vnde facilius ille lapis habens illum impetum, detinetur in aëre per aliquod tempus, quàm detineretur ſine impetu.

9. Quarta ſententia confutatur. QVARTA ſententia eſt aliorum, aſſerentium graue moueri ſurſum ad replendum vacuum, & leue deorſum, à natura vniuerſali, à Deo, ſcilicet, vel ab intelligentia, vel à cœlo.

Impugnatio prima. Sed neque hæc ſententia placet, & impugnatur primò, quia ſi quando attrahitur tabula ſecundùm omnes partes, & velociſſimè ſimul cum aqua ad replendum vacuum, & Deus vel Intelligentia, vel cœlum moueret aquam, tunc non ſentiretur maior reſiſtentia cùm attrahitur aqua, & tabula ſimul, quàm ſi attraheretur tabula ſolùm, quia grauitas aquæ vinceretur à Deo, vel ab Intelligentia, vel à cœlo, & tamen experimur maiorem reſiſtentiam.

10. Impugnatio ſecunda. Secundò impugnatur, quia non debemus recurrere ad cauſam vniuerſalem, quando poteſt aſſignari cauſa particularis; Sed poteſt aſſignari in hoc motu aquæ, vt mox oſtendemus in noſtra ſententia, ergo, &c.

11. Quòd ſi obiicias, in rarefactione & in fractione vaſis non poteſt cauſa creata concurrere, ergo concurrit Deus. Reſpondetur, quòd in his, & ſimilibus effectibus, in quibus non poteſt dari cauſa naturalis, optimè poteſt recurri ad Deum, tanquam ad auctorem, & conſeruatorem naturæ; ſed in illis effectibus in quibus poteſt commodè dari cauſa naturalis, non debet fieri recurſus ad Deum, præſertim ſi ex experientia conſtet oppoſitum, vt eſt in caſu noſtro de attractione corporum.

12. Quinta & verior ſententia. QVINTA & verior ſententia. Dicendum eſt igitur vltimò, quòd grauia, & leuia mouentur ad replendum vacuum, ab eo agente, qui mouet illud corpus, in cuius locum debet alterum corpus ſuccedere, ne detur vacuum, v. g. illud agens attrahit aquam ad replendum vacuum, quod attrahit tabulam.

Prima ratio. Probatur primò ex confutatione aliarum opinionum.

13. Secunda ratio. Ariſtot. Secundò probatur ex Ariſtotele 4. cœli text. 30. vbi dicit motum grauium ſurſum ad replendum vacuum, & leuium deorſum, eſſe tractionem; fit igitur ille motus ab ea virtute quę trahit aliud corpus.

14. Tertia ratio. Tertiò probatur experientiis ſuprà allatis, quia ſentimus maiorem reſiſtentiam, cùm eleuamus tabulam, & aquam ſimul, quàm ſi eleuaremus tabulam ſolam, ergo ſignum eſt quòd virtus eleuans tabulam, eleuet etiam aquam ad replendum vacuum.

15. Quarta ratio. Quartò probatur, ſi vnum corpus non poteſt diuelli ab alio, ne detur vacuum, inde eſt, vel quia, vt aliqui dixerunt, vnum corpus alteri adhæreſcit, vel probabiliùs, quia, vt oſtenſum eſt ſuprà, Deus tanquam auctor naturæ conſeruat immediatè Vbi ipſorum corporum contiguorum; Si primo modo, tunc clarum eſt, quòd virtus attrahens vnum corpus, attrahit aliud, ſi habet virtutem ſufficientem, ſicut patet in illis corporibus, quæ habent adhæreſcentiam per aliquod gluten. Si ſecundo modo, etiam attractio fit ab eadem virtute, quia Deus facit per ſuam actionem, quod faceret gluten tenax, cum hac differentia, vt oſtenſum eſt ſuprà in ſuperiori quæſtione, quòd gluten cedit potentiori virtuti, ac proinde corpus adhæreſcens alteri per gluten, poteſt per potentiam creatam fortiorem diuelli ab alio corpore, nunquam autem poteſt corpus alteri contiguum, ſi eſt periculum vacui, diuelli ab altero, quia potentia Dei conſeruatiua ſemper eſt maior, ſed neceſſe eſt vt cùm attrahitur vnum corpus, ſimul attrahatur aliud contiguum, quòd ſi po-A tentia creata non eſt ſufficiens ad attrahendum vtrumque corpus, tunc neutrum attrahet.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm Vbi ſit forma intrinſeca rei vbicatæ, vel potiùs denominatio extrinſeca à loco ambiente.

PRIMA ſententia aſſerit eſſe formam, ſeu denominationem extrinſecam prouenientem ex loco, & ex indiſtantia rei in loco. 1. Prima ſententia.
Hæc ſententia tribuitur S. Thom. 2. contra gent. cap. 13. vbi dicit, aliquando denominari aliquid ab S.Thom.
B eo, quod eſt extra ipſum, vt à loco dicitur aliquis eſſe alicubi, & prima parte quæſtione 110. art. 3. dicit mobile ſecundùm locum non eſſe in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet locum. Ad hanc ſententiam videtur accedere Sotus in Logica, Sotus.
aſſerit enim Vbi non eſſe locum, nec relationem, quamuis explicari non poſſit ſine relatione diſtantiæ ad polos mundi; dicit igitur Vbi nihil aliud eſſe quàm contineri in tali loco, hoc autem eſt denominatio extrinſeca. Hanc opinionem ſequuntur probabiliter aliqui moderni.

Probatur primò ex Gilberto Porretano lib. ſex principiorum cap. 5. vbi definit, Vbi prouenire ex circumſcriptione loci. 2. Primum argumentum primæ ſententiæ. Gilb.

C Probatur ſecundò ratione, quia eſſe alicubi, nihil aliud eſt, quàm locari in loco; locari autem eſt effectus formalis loci, ergo eſt denominatio extrinſeca à loco, qui locus eſt forma ambiens locatum; Secundum argumentũ.
Et confirmatur primò, quia locari, quatenus dicit denominationem extrinſecam à loco ambiente circumſcripto quocumque intrinſeco, eſt aliquod prædicatum à parte rei accidentale, debet igitur pertinere ad aliquod prædicamentum, ad nullum autem poteſt pertinere niſi ad prædicamentum Vbi. Prima confirmatio ſecundi argumenti.
Quòd ſi dicas pertinere ad prædicamentum Quantitatis ſaltem reductiuè: Contrà eſt, quia alia quinque vltima prædicamenta, quæ ſunt denominationes extrinſecæ, conſtituunt diſtincta prædicamenta, ergo etiam locari, quod eſt denominatio ex-D trinſeca, debet conſtituere diſtinctum prædicamentum Vbi. Confirmatur ſecundò, quia S. Thom. 9. met. tenet omnia ſex vltima prædicamenta eſſe denominationes extrinſecas. Secunda cõfirmatio ſecundi argumenti.
Confirmatur tertiò, quia vltima ſphæra eſt in loco, & tamen non eſt per Vbi intrinſecum, quia non poteſt à ſpatio imaginario, quod concipitur ambire vltimam ſphæram, oriri modus intrinſecus in re locata, ergo idem etiam poteſt dici de alia re locata, quæ ambitur loco; quia ſicut vltima ſphæra verè dicitur eſſe alicubi, & tamen non per Vbi intrinſecum, ita etiam quæcunque alia res locata. Tertia confirmatio ſecundi argumenti.

Tertiò probatur eadem ſententia, quia motus, ſeu locatio potiùs concipitur formaliter vt via alla-E tiua, ſeu adductiua mobilis ad locum extrinſecum, quàm vt effectiua alicuius formæ intrinſecæ; ſicut enim generatio concipitur eſſe id, quo formaliter aliquid generatur, ita latio formaliter concipitur eſſe formalis quædam ferentia, ſeu id, quo aliquid, ſcilicet mobile fertur. Tertium argumentum.

Quartò probatur, quia eædem proprietates quæ tribuuntur loco, vt ſurſum, deorſum, relationes propinquitatis, & diſtantiæ, ex Ariſtotele 4. phyſ. text. 30. tribuuntur etiam ipſi Vbi, ergo Vbi eſt forma extrinſeca habens huiuſmodi denominatio- Quartũ argumentum. Ariſt.

 nes

Digitized by Google

& præterea multum aëris incluſi in poris aquæ clabitur, vt patet ex bullis, quæ cernuntur in cyatho, vnde fit, vt ipſa aqua comprimatur, & occupet minorem locum.

16. Ad quintã. Card. Scalig.

Ad quintam experientiam reſpondetur, in tali caſu, & ſimilibus ſecundùm Cardanum libr. 1. de ſubtilitate, & Scalig. exercit. 5. & Fracaſtoriũ l. 5. de ſympath. fieri aliquid contra naturam particularem, neque hoc eſt abſurdum, quia non eſt contra naturam vniuerſalem; quare in tali caſu vel non frangetur vas, vel non condenſabitur aqua; vel dicendum tertiò, ne dicatur aliquid fieri contra naturam particularem, quòd multæ exhalationes, quæ ſunt in poris aquæ calidæ, elabuntur facta condenſatione aquæ, & occupant ſpatium reliquum vaſis.

Ad ſextam.

Ad ſextam experientiam reſpondetur, non poſſe in illo caſu vnam tabulam eleuari, ſeu diſcõtiguari, vnde cernimus, quòd ſi tabula, vel os cyathi ponatur in aqua, & poſtea velociter diuellatur ab aqua, ſecum trahere aquam, quia non poteſt ita velociter ingredi aër.

QVÆSTIO QVARTA.

A quo moueantur elementa ad replendum vacuum.

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aliquorum aſſerentium aquam moueri ſeorſum ad replendum vacuum ab ipſa grauitate aquæ.

Confutatur hæc prima ſententia. Impugnatur primò.

Sed hæc ſententia non placet, & impugnatur primò, quia vel aqua per ſuam grauitatem mouetur ſeorſum naturaliter, vel præter ſui naturam; non poteſt dici naturaliter, quia tunc virtus motiua agentis extrinſeci non experiretur reſiſtentiã aquæ, dum mouet corpus ipſi contiguum, quia aqua aſcenderet ſuo impetu naturali ſimul cum illo corpore moto. Sed experimur talem reſiſtentiam, ergo, &c. Probatur Minor, quia quando eleuamus tabulam, quæ erat ſuper aquam, attrahitur etiam magna pars aquæ, ne detur vacuum, & tamen experimur maiorem reſiſtentiam in attrahendo tabulam, & aquam ſimul, quàm ſi ſolùm tabula attraheretur, quod etiam patet multis aliis experientiis quas breuitatis cauſa omitto. Quòd ſi dicas, aquam non moueri naturaliter ad replendum vacuum ſed præter naturam; Contra hoc eſt, quia tunc deberet determinari ab extrinſeco, cùm ab intrinſeco non moueatur.

2. Impugnatur ſecundò prima ſentẽtia.

Secundò impugnatur, quia grauitas reſiſtit motui ſurſum, ergo non poteſt effectiuè illum cauſare ab intrinſeco; Conſequentia probatur, quia alioquin ſequeretur, quòd ſimul concurreret ad effectionem ſui motus, & ad deſtructionem. Antecedens probatur, quia experimur quò corpus eſt minùs graue, eò faciliùs aſcendere, quare faciliùs aſcendit aqua, quàm terra ad replendum vacuum; ergo ſignum eſt, quòd corpus graue reſiſtit motui ſurſum, ergo quantùm eſt ex ſe, potiùs tendit ad deſtructionem illius motus, non poteſt ergo ab intrinſeco efficere illum motum; Et confirmatur exemplo illius vaſis, quo ruſtici vtuntur ad rigandos hortos, in quo quò maior eſt copia aquæ, eò magis reſiſtit tenenti illud vas.

3. Tertiò impugnatur.

Tertiò impugnatur, quia grauitas eſt determinata, non ergo poteſt mouere velociùs, & velociùs, & tamen neceſſe eſſet, vt haberet tantam virtutem vt poſſet mouere velociùs, & velociùs ad replendum vacuum, correſpondentem potentiæ motiuæ

A extrinſecæ, quæ velociùs aliquando attrahit corpus contiguum, & aliquando minùs velociter.

4. Quartò impugnatur eadem prima ſententia.

Quartò impugnatur, aliquando duo corpora grauia contigua non poſſunt diuelli, ne detur vacuum, vt patet in follibus quando eorum os clauditur, quæ tamen immobilitas non poteſt prouenire ex grauitate follium reſiſtentium, quia eodem modo non poſſunt diuelli, ſiue ſint in materia grauiori, ſiue minùs graui, ergo ſignum eſt quòd neque in aſcenſu ſurſum, grauitas corporis concurrat; Probatur conſequentia, quia ab eadem grauitate mouetur corpus ad motum, & ad conſiſtentiam.

5. Quintò impugnatur ab aliis.

Quintò ſolet ab aliis aliter impugnari, quia grauitas, inquiunt, eſſet diiudicatiua, ſi modò moueB tur ad locum deorſum, modò ſurſum. Sed contrà, quia poſſet dici quòd naturaliter moueatur modò ad locum deorſum, modò ſurſum, ſtante diuerſo determinatiuo; cùm enim aſcendit aqua, determinatur à diuulſione corporis contigui, ne detur vacuum, cùm verò deſcendit, determinatur à ſua grauitate, ſicut à ſimili fundamentum, putà (album) eſt indifferens ad producendum ſibi relationem ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, non tamen propter hoc in ipſa albedine debet eſſe potẽtia diiudicatiua, quia ſufficit, vt ab alio coalbo tanquã à termino determinetur ad producendum ſibi ſimilitudinem, & ab alio termino, v. g. (nigro) determinetur ad C producendum ſibi diſſimilitudinem. Suppono autem ex communi Philoſophorum, quòd ipſa albedo producat ſibi ſimilitudinem ſuppoſito termino coalbo, vel ſimilitudinem, ſuppoſito termino nigro, terminus autem concurrat tantùm tamquam conditio; eſſet enim valde durum, quòd terminus, v. g. (coalbum) quod eſt in Iudia, producat relationem ſimilitudinis in pariete albo, qui eſt Neapoli.

6. Secũda ſententia confutatur. Impugnatur primò.

SECVNDA ſententia aliquorum, aſſerentium aquam moueri ſeorſum ad replendum vacuum à forma ſubſtantiali aquæ.

Sed nec hæc ſententia placet, & impugnatur primò argumentis factis contra primum modum, quæ etiam militant contra hunc ſecundum.

Secundò impugnatur.

Secundò impugnatur, quia eſt contra experienD tiam, experimur enim vinum conſecratum aſcendere ſurſum ad replendum vacuum, & tamen ibi nulla eſt forma ſubſtantialis vini.

7. Tertia ſententia confutatur.

TERTIA ſententia aliorum, aſſerentium aquam moueri ſurſum ad replendum vacuum à qualitate quadam motiua communi omnibus corporibus, ſiuę grauibus, ſiue leuibus; indita à natura ad efficiendum motum, propter repletionem vacui, & hanc quidem dicunt eſſe vnam ſpecie, quia quamuis tendat ad diuerſum motum ſurſum & deorſum, tendit tamen ſub eadem ratione formali ad replendum vacuum.

8. Impugnatur primò.

Sed neque hæc ſententia placet, & impugnatur primò, quia qualitas motiua eſt determinatæ virE tutis, ergo non poteſt mouere magis, & minùs velociter, cuius tamen contrarium experimur, quia quò maior eſt potentia actiua extrinſeca attrahens, & diuellens corpus contiguum, eò velociùs, & velociùs mouetur corpus ad replendum vacuum.

9. Impugnatur ſecundò.

Secundò impugnatur, quia ſi daretur hæc virtus naturaliter indita, ſequeretur quòd non experiremur reſiſtentiam ſaltem eandem cùm attrahimus tabulam & aquam, ne detur vacuum, quam experimur, cùm illam attrahimus ſine hoc periculo vacui. Sequela probatur, quia iſta virtus indita iuuaret ad motum ſurſum, & reſiſteret grauitati aquę, ſicut patet à ſimili, quòd quando lapis mouetur ſurſum, per impetum impreſſum, fit grauitati reſiſtentia per illum

Digitized by Google

lum impetum, vnde faciliùs ille lapis habens illum impetum, detinetur in aëre per aliquod tempus, quàm detineretur ſine impetu.

9. Quarta ſententia confutatur. QVARTA ſententia eſt aliorum, aſſerentium graue moueri ſurſum ad replendum vacuum, & leue deorſum, à natura vniuerſali, à Deo, ſcilicet, vel ab intelligentia, vel à cœlo.

Impugnatio prima. Sed neque hæc ſententia placet, & impugnatur primò, quia ſi quando attrahitur tabula ſecundùm omnes partes, & velociſſimè ſimul cum aqua ad replendum vacuum, & Deus vel Intelligentia, vel cœlum moueret aquam, tunc non ſentiretur maior reſiſtentia cùm attrahitur aqua, & tabula ſimul, quàm ſi attraheretur tabula ſolùm, quia grauitas aquæ vinceretur à Deo, vel ab Intelligentia, vel à cœlo, & tamen experimur maiorem reſiſtentiam.

10. Impugnatio ſecunda. Secundò impugnatur, quia non debemus recurrere ad cauſam vniuerſalem, quando poteſt aſſignari cauſa particularis; Sed poteſt aſſignari in hoc motu aquæ, vt mox oſtendemus in noſtra ſententia, ergo, &c.

11. Quòd ſi obiicias, in rarefactione & in fractione vaſis non poteſt cauſa creata concurrere, ergo concurrit Deus. Reſpondetur, quòd in his, & ſimilibus effectibus, in quibus non poteſt dari cauſa naturalis, optimè poteſt recurri ad Deum, tanquam ad auctorem, & conſeruatorem naturæ; ſed in illis effectibus in quibus poteſt commodè dari cauſa naturalis, non debet fieri recurſus ad Deum, præſertim ſi ex experientia conſtet oppoſitum, vt eſt in caſu noſtro de attractione corporum.

12. Quinta & verior ſententia. QVINTA & verior ſententia. Dicendum eſt igitur vltimò, quòd grauia, & leuia mouentur ad replendum vacuum, ab eo agente, qui mouet illud corpus, in cuius locum debet alterum corpus ſuccedere, ne detur vacuum, v. g. illud agens attrahit aquam ad replendum vacuum, quod attrahit tabulam.

Prima ratio. Probatur primò ex confutatione aliarum opinionum.

13. Secunda ratio. Secundò probatur ex Ariſtotele 4. cœli text. 30. vbi dicit motum grauium ſurſum ad replendum vacuum, & leuium deorſum, eſſe tractionem; fit igitur ille motus ab ea virtute quę trahit aliud corpus.

14. Tertia ratio. Tertiò probatur experientiis ſuprà allatis, quia ſentimus maiorem reſiſtentiam, cùm eleuamus tabulam, & aquam ſimul, quàm ſi eleuaremus tabulam ſolam, ergo ſignum eſt quòd virtus eleuans tabulam, eleuet etiam aquam ad replendum vacuum.

15. Quarta ratio. Quartò probatur, ſi vnum corpus non poteſt diuelli ab alio, ne detur vacuum, inde eſt, vel quia, vt aliqui dixerunt, vnum corpus alteri adhæreſcit, vel probabiliùs, quia, vt oſtenſum eſt ſuprà, Deus tanquam auctor naturæ conſeruat immediatè Vbi ipſorum corporum contiguorum; Si primo modo, tunc clarum eſt, quòd virtus attrahens vnum corpus, attrahit aliud, ſi habet virtutem ſufficientem, ſicut patet in illis corporibus, quæ habent adhæreſcentiam per aliquod gluten. Si ſecundo modo, etiam attractio fit ab eadem virtute, quia Deus facit per ſuam actionem, quod faceret gluten tenax, cum hac differentia, vt oſtenſum eſt ſuprà in ſuperiori quæſtione, quòd gluten cedit potentiori virtuti, ac proinde corpus adhæreſcens alteri per gluten, poteſt per potentiam creatam fortiorem diuelli ab alio corpore, nunquam autem poteſt corpus alteri contiguum, ſi eſt periculum vacui, diuelli ab altero, quia potentia Dei conſeruatiua ſemper eſt maior, ſed neceſſe eſt vt cùm attrahitur vnum corpus, ſimul attrahatur aliud contiguum, quòd ſi potentia creata non eſt ſufficiens ad attrahendum vtrumque corpus, tunc neutrum attrahet.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm Vbi ſit forma intrinſeca rei vbicatæ, vel potiùs denominatio extrinſeca à loco ambiente.

PRIMA ſententia aſſerit eſſe formam, ſeu denominationem extrinſecam prouenientem ex loco, & ex indiſtantia rei in loco. 1. Prima ſententia. Hæc ſententia tribuitur S. Thom. 2. contra gent. cap. 13. vbi dicit, aliquando denominari aliquid ab eo, quod eſt extra ipſum, vt à loco dicitur aliquis eſſe alicubi, & prima parte quæſtione 110. art. 3. dicit mobile ſecundùm locum non eſſe in potentia ad aliquid intrinſecum, in quantum huiuſmodi, ſed ſolùm ad aliquid extrinſecum, ſcilicet locum. S.Thom. Ad hanc ſententiam videtur accedere Sotus in Logica, Sotus. aſſerit enim Vbi non eſſe locum, nec relationem, quamuis explicari non poſſit ſine relatione diſtantiæ ad polos mundi; dicit igitur Vbi nihil aliud eſſe quàm contineri in tali loco, hoc autem eſt denominatio extrinſeca. Hanc opinionem ſequuntur probabiliter aliqui moderni.

Probatur primò ex Gilberto Porretano lib. ſex principiorum cap. 5. vbi definit, Vbi prouenire ex circumſcriptione loci. 2. Primum argumentum primæ ſententiæ. Gilb.

Probatur ſecundò ratione, quia eſſe alicubi, nihil aliud eſt, quàm locari in loco; locari autem eſt effectus formalis loci, ergo eſt denominatio extrinſeca à loco, qui locus eſt forma ambiens locatum; Secundum argumentũ. Et confirmatur primò, quia locari, quatenus dicit denominationem extrinſecam à loco ambiente circumſcripto quocumque intrinſeco, eſt aliquod prædicatum à parte rei accidentale, debet igitur pertinere ad aliquod prædicamentum, ad nullum autem poteſt pertinere niſi ad prædicamentum Vbi. Prima confirmatio ſecundi argumenti. Quòd ſi dicas pertinere ad prædicamentum Quantitatis ſaltem reductiuè: Contrà eſt, quia alia quinque vltima prædicamenta, quæ ſunt denominationes extrinſecæ, conſtituunt diſtincta prædicamenta, ergo etiam locari, quod eſt denominatio extrinſeca, debet conſtituere diſtinctum prædicamentum Vbi. Confirmatur ſecundò, quia S. Thom. 9. met. tenet omnia ſex vltima prædicamenta eſſe denominationes extrinſecas. Secunda cõfirmatio ſecundi argumenti. Confirmatur tertiò, quia vltima ſphæra eſt in loco, & tamen non eſt per Vbi intrinſecum, quia non poteſt à ſpatio imaginario, quod concipitur ambire vltimam ſphæram, oriri modus intrinſecus in re locata, ergo idem etiam poteſt dici de alia re locata, quæ ambitur loco; quia ſicut vltima ſphæra verè dicitur eſſe alicubi, & tamen non per Vbi intrinſecum, ita etiam quæcunque alia res locata. Tertia confirmatio ſecundi argumenti.

Tertiò probatur eadem ſententia, quia motus, ſeu locatio potiùs concipitur formaliter vt via allatiua, ſeu adductiua mobilis ad locum extrinſecum, quàm vt effectiua alicuius formæ intrinſecæ; ſicut enim generatio concipitur eſſe id, quo formaliter aliquid generatur, ita latio formaliter concipitur eſſe formalis quædam ferentia, ſeu id, quo aliquid, ſcilicet mobile fertur. Tertium argumentum.

Quartò probatur, quia eædem proprietates quæ tribuuntur loco, vt ſurſum, deorſum, relationes propinquitatis, & diſtantiæ, ex Ariſtotele 4. phyſ. text. 30. tribuuntur etiam ipſi Vbi, ergo Vbi eſt forma extrinſeca habens huiuſmodi denominatio- Quartũ argumentum. Ariſt.

Digitized by Google

nes extrinſecas ab ipſo loco, tanquam à forma, ſi enim eſſet forma intrinſeca, non poſſet habere eaſdem proprietates, quas habet locus.

5. *Quintum quod eſt fundamentū huius opinionis.* Quintò, & eſt fundamentum huius opinionis, priùs eſt rem eſſe indiſtantem loco, quàm habere hanc formam Vbi, fruſtra igitur datur; Conſequentia probatur, quia omnia ſaluari poſſunt per illam indiſtantiam, per illam enim res fit præſens ad operandū, & ad ſe mouendū, &c. Antecedens probatur, tum quia experimur non poſſe concipere præſentiam localem ſine indiſtantia, at verò poſſumus concipere indiſtantiam ſine forma illa intrinſeca, ergo ſignum eſt indiſtantiam non conſurgere ex illa forma intrinſeca, ſed potiùs præſupponi ad illam: tum quia ſecundò ſi quæritur, quare producitur hæc forma intrinſeca in mobili; non poteſt profectò aſſignari alia ratio, niſi quia eſt indiſtans ab hoc ſpatio, ergo indiſtantia præſupponitur: tum quia tertiò, ſi daretur hæc forma intrinſeca, produceretur à mobili; ſed agens, priùs quàm agat, præſupponitur exiſtens in loco, ergo mobile antequam intelligatur per motum producere ſibi hanc formam intrinſecam, iam præſupponitur eſſe indiſtans à loco.

Sextum argumentum. Sextò probatur eadem ſententia, quia ſecundùm communem Theologorum, corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis non eſt per Vbi intrinſecum in ſpatio, vbi ſunt ſpecies, ergo idem dicendum de quocumque alio corpore.

Septimū argumentum. Septimò, accidentia non habent Vbi intrinſecum, ſed dicuntur eſſe in loco per indiſtantiam à loco, ergo etiam hæc indiſtantia ſufficit, vt ſubiectum accidentium ſit in loco.

Octauū argumentum. Octauò res locata, vt ſubſtantia Angelica, conſtituitur indiuiſibiliter in loco, per ſolam negationem extenſionis, ergo à contrario ſolùm extenſio erit ſufficiens, vt ſubſtantia materialis ſit diuiſibiliter, & commenſuratiuè in loco; Conſequentia probatur, per illam regulam Peripateticam, quòd ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ita negatio eſt cauſa negationis: ſed ſola negatio extenſionis eſt cauſa, vt Angelus non ſit diuiſibiliter & commenſuratiuè in loco, ergo ſola affirmatio extenſionis eſt cauſa, vt ſubſtantia materialis ſit diuiſibiliter & commenſuratiuè in loco; Antecedens probatur, quia circumſcripto omni Vbi, neceſſariò Angelus eſt alicubi indiuiſibiliter; ergo per ſolam negationem extenſionis. Secundò, quia Vbi Angelicum repugnat eſſe reale, nam hoc Vbi eſſet indiuiſibile, non enim poteſt eſſe extenſum, cùm Angelus, qui eſt ſubiectum, ſit indiuiſibilis; at verò indiuiſibile eſſe non poteſt, quia ſequeretur, quòd in motu continuo Angeli acquirerentur, & deperderentur infinities infinita Vbi indiuiſibilia, vnum poſt aliud immediatè, quod videtur abſurdum, & implicare, nam vnum indiuiſibile durat per vnum tantùm inſtans ſibi intrinſecum, correſpondens adæquatè inſtanti temporis noſtri, & aliud, quod immediatè ſequitur, producitur in alio inſtanti ſibi intrinſeco, ergo poſt inſtans immediatè ſequeretur inſtans, quod implicat.

4. *Secūda ſententia.* Secunda ſententia aſſerit, hoc Vbi eſſe formam intrinſecam, contra primam ſententiam, dicit tamen hanc formam reſultare in re vbicata ex circumſcriptione loci; hanc autem formam aſſerit non eſſe relationem prædicamentalem diſtantiæ à polis mundi, vt aliqui exiſtimarunt, ſed eſſe fundamentum huius relationis, quamuis hoc fundamentum explicari non poſſit ſine hac relatione diſtantiæ ad polos mundi. Hæc tribuitur Soto, *Sotus.* licèt non ſatis explicet, an ſit denominatio intrinſeca an extrinſeca; tribuitur etiam Alberto Magno lib. de ſex principiis tracta. 1. cap. 1. *Albe. Magn.* appellat autem hoc Vbi figuram quandam, nam res quæ circumſcribitur loco, figuratur à loco extrinſeco: Intelligendus autem eſt Albert. non quòd res figuretur ad figuram loci, contingit enim aliquando, vt potiùs locus quando eſt fluidus, figuretur ad figuram rei locatæ ſolidæ, ſed intelligendus eſt, vt ipſe ſe videtur explicare, de commenſuratione fundamentali rei ad locum, quæ nihil aliud eſt, quàm circumſcriptio paſſiua in re locata.

Probatur primò hæc ſententia, quia hic modus, qui reſultat in re vbicata ex circumſcriptione loci, eſt vnio rei locatæ cum loco; ſed vnio eſt realis, ergo, &c. 5. *Primum argumentum ſecūdæ ſententiæ.*

Secundò, quia res locata, antequam intelligatur illi aduenire aliqua relatio prædicamentalis, habet habitudinem quandam tráſcendentalem præſentiæ, & quaſi fundamentalem à loco, à quo dependet, hæc autem habitudo cùm ſit relatiua, debet eſſe intrinſeca rei locatæ, ſicut aliæ relationes tranſcendentales. *Secundū argumentum.*

Pro reſolutione huius quæſtionis ſit

Prima concluſio. Certum eſt, non poſſe hunc reſpectum præſentiæ de nouo aduenire rei locabili; ſine aliqua mutatione reali in ipſa re, ſiue illa mutatio ſit motus localis, ſiue ſit productio ipſius rei in illo loco. 6. *Prima concluſio.*

Hæc concluſio probatur primò ex Scoto in 4. diſtin. 10. quæſt. 1. & ex Ochamo in 3. quæſt. 1. *Prima ratio. Scot. Ocham.* Subiectum non poteſt tranſire de vno extremo contradictorio in aliud contradictorium, ſine aliqua mutatione reali à parte rei; ſed res locata tranſit de contradictorio in contradictorium, quia de non præſenti fit præſens loco, ergo debet eſſe aliqua mutatio, non quidem in loco, quia ſupponitur inuariatus, ergo in mobili; Hæc tamen ratio Scoti, & Ochami patitur difficultatem, quia non omnes admittunt illam Maiorem; Deus enim, inquiunt, de non volente creare in primo ſigno, tranſit ad volentem creare in ſecundo ſigno, & tamen nulla mutatio realis fit in Deo, nec in creatura, aduenit enim tantùm in creatura habitudo quædam rationis ad rem futuram; nihilominus hæc ratio, quantùm ad propoſitum ad quod affertur à Scoto, videtur probare intentum, vt mox patebit ex ſequentibus duabus rationibus.

Secundò igitur probatur concluſio, extrema abſoluta exiſtentia non poſſunt diuerſimodè inter ſe à parte rei actualiter comparari ſine aliqua mutatione reali, quæ ſit fundamentum talis diuerſæ comparationis, res enim abſolutæ eodem modo inter ſe referuntur, quando in illis nulla contingit mutatio, non enim fieri poteſt, vt duæ res alioquin inæquales, fiant æquales, ſine additione, vel diminutione alicuius rei, res autem locata, & locus, ſunt res abſolutæ, quæ diuerſimodè inter ſe à parte rei referuntur, poſtquam res locabilis acquiſiuit locum, quem antea non habebat, ergo in illis eſt aſſignanda aliqua mutatio, quæ ſit adæquatum fundamentum relationum, de nouo reſultantium; cùm autem mutatio non poſſit eſſe in loco, vt dictum eſt, quia ſupponitur inuariatus, fit vt mutatio ſit intrinſecè in re locata. 7. *Secunda ratio.*

Probatur tertiò, præſentia in loco eſt ſaltem denominatio extrinſeca; ſed hæc non poteſt conuenire alicui rei ſine productione aut mutatione ipſius, aut formæ, à qua denominatur; paries enim non poteſt denominari viſus, niſi incipiat actus viſionis circa 8. *Tertia ratio.*

circa ipſum; neque corpus poteſt denominari dextrum à dexteritate animalis, niſi quia vel ipſum animal mutatur, vel certe producitur in eo ſitu, ex quo oritur talis denominatio; ſed corpus denominatur præſens loco, non ergo poteſt eſſe hæc denominatio, niſi aliquod intrinſecum producatur in corpore, vel loco; ſed nihil intrinſecum producitur in loco, quia ſupponitur inuariatus. Quòd ſi dicas, producitur aliqua vnio; Contra hoc eſt, quia hæc vnio non eſt admittenda, neque in loco, neque in re locata, quia coniunctio loci cum corpore eſt per contactum tantùm, qui quidem eſt extrinſecus; ſufficit enim ad contactum contiguitas. Quòd ſi hæc vnio eſſet admittenda, potiùs eſſet ponenda in re locata, quia hæc eſt, quæ variatur; quare debet ſemper aſſignari in mobili, ſeu in re locata, aliqua mutatio intrinſeca, ſiue illa mutatio ſit motus corporis, ad locum extrinſecum, ſiue ſit creatio corporis in tali loco.

9. Secunda concluſio. SECVNDA concluſio. Dicendum eſt cum communiori ſententia, Vbi eſſe formam quandam intrinſecam in re locata, per quam res formaliter conſtituitur præſens loco, ſiue in tali indiſtantia; ex qua forma tanquam ex ratione formali intrinſeca, proueniunt reliquæ denominationes, ſeu proprietates, vt eſt negatio diſtantiæ, relatio indiſtantiæ, circumſcriptio paſſiua, & reliquæ huiuſmodi, de quibus dicetur in ſequenti concluſione. Hæc concluſio eſt communis.

10. Prima ratio. Probatur primò ſpecialiter de Vbi, quod acquiritur per motum, datur enim mutatio intrinſeca in mobili, per quam acquiritur nouus locus, vt probatum eſt in ſuperiori concluſione, ergo dari debet Vbi intrinſecum; Probatur conſequentia, quia hic motus ſeu mutatio, eſt vera, & realis effectio, ſed vbicumque eſt effectio realis, debet aſſignari terminus realis illius effectionis, qui quidem in motu non poteſt eſſe, niſi Vbi intrinſecum, ergo, &c.

Maior probatur, quia mobile eſt vera cauſa efficiens motus, vera enim cauſa efficiens eſt, vnde motus, ſecundùm Ariſt. 2. phyſ. cap. 3. & 5. met. cap. 2. potentia autem motiua eſt, vnde motus eſt, ergo eſt vera cauſa efficiens, quare immeritò aliqui dicunt motum eſſe potiùs viam allatiuam corporis ad locum, quàm viam effectiuam.

Minor, quòd, ſcilicet, terminus, qui acquiritur per motum localem, debeat eſſe Vbi reale, probatur primò, quia motus debet identificari cum termino, nihil enim eſt aliud, quàm terminus in fieri, vt communiter dicunt philoſophi; ſed motus eſt realis, vt probatum eſt, ergo terminus, qui debet identificari cum motu, debet eſſe realis; hic autem terminus non poteſt eſſe locus extrinſecus, quia hic non identificatur cum motu, ergo eſt Vbi reale. Probatur ſecundò eadem Minor, quia iſte terminus non poteſt eſſe negatio diſtantiæ, quia cùm mutatio ſit realis, terminus etiam debet eſſe realis, neque poteſt eſſe vnio in mobili, vt infrà dicetur, erit ergo Vbi intrinſecum reale. Probatur tertiò eadem Minor, quia ſi corpus per diuinam potentiam moueretur per vacuum, tunc verè, & realiter variaretur illud corpus ab vno loco ad alium locum; ergo deberet aſſignari terminus realis, hic autem non poteſt eſſe locus extrinſecus; vt enim ſupponitur non eſt realis, ergo debet eſſe Vbi intrinſecum. Sed quia poſſet aliquis dicere, per hoc argumentum non probari in vniuerſum dandum eſſe Vbi intrinſecum, ſed tunc ſolùm quando locus acquiritur per motum localem, non autem quando habetur locus ſine motu locali, ſed ſolùm per productionem ſeu per creationem: ideo

11. Secunda ratio. Secundò probatur etiam de Vbi corporis, quod creatur à Deo in tali loco, quia hoc corpus in tali loco creatum habet reſpectum propinquitatis, & præſentiæ; hic autem reſpectus non poteſt oriri ex hac productione huius corporis, quia eadem eſſet actio huius productionis, etiam ſi in alio loco produceretur idem corpus; neque poteſt oriri ex ſubſtantia, aut quantitate illius corporis, quia hæc eadem eſſet, etiamſi in alio loco produceretur corpus; nec poteſt dici quòd oriatur ex illa coniunctione corporis cum loco, nam hæc coniunctio nihil aliud eſt quam contactus; contactus autem nihil aliud eſt quàm negatio diſtantiæ, vt mox infrà dicetur in tertia concluſione, hæc autem negatio diſtantiæ non poteſt ipſa ſola eſſe fundamentum reſpectus propinquitatis, & præſentiæ; nam negatio, quæ de nouo incipit, non poteſt incipere, niſi vel ex poſitione alicuius formæ poſitiuæ, vel ex corruptione alicuius formę poſitiuę oppoſitę; tunc enim inciperet per nõ eſſe illius rei poſitiuę, cuius eſt negatio; ſicut tunc incipit noua negatio formæ in materia, quando corrumpitur illa forma poſitiua, tunc enim ad non eſſe illius formæ reſultat negatio eiuſdẽ formæ; at verò quãdo corpus creatur in tali loco, nulla forma poſitiua oppoſita corrumpitur, ad cuius non eſſe reſultet iſta negatio, imò ſi daretur illa forma poſitiua, quæ corrumpatur, adhuc illa eſſet Vbi intrinſecum & reale; dicẽdum eſt igitur, quòd quando creatur corpus in tali loco, producitur Vbi intrinſecum & reale in ipſo corpore, vbicans ipſum corpus in tali loco; ad poſitionẽ autẽ huius Vbi, reſultat ipſa negatio diſtãtię, & reſpectus pręſentię ad talẽ locũ.

12. TERTIA concluſio. Ex hoc Vbi intrinſeco tanquam ex ratione formali reſultant aliæ proprietates, & primò reſultat circumſcriptio paſſiua rei locatæ à loco, ex eo enim, quia res per Vbi conſtituitur in hoc ſpatio, in quo eſt ſuperficies ambiens, fit, vt res locata vniatur, & circumſcribatur à loco.

13. Primũ quæſitum. Reſponſio. Quòd ſi quæras primò, an hæc circumſcriptio paſſiua, ſeu vnio, ſit modus realis, & intrinſecus in re locata. Reſpondeo negatiuè, contra ſecundã ſententiam; Et ratio præcipua ea eſt, quia hæc circũſcriptio fit per contactum; Ad contactum autem non requiritur vnio realis & phyſica; ſed ſatis eſt contiguitas; Contiguitas autem nihil aliud eſt, quàm vel negatio diſtantiæ, vel ipſa denominatio extrinſeca, ſeu reſpectus propinquitatis, & præſentiæ.

14. Secundum quæſitum. Reſponſio. Quæres ſecundò, an variato loco, varietur Vbi, in re locata, vel ſi plura corpora ſimul ponantur ambientia, dicatur res locata habere diuerſa Vbi. Reſpondetur ex dictis negatiuè, quia Vbi intrinſecum indiuiduatur ab illo ſitu immobili, in quo eſt res locata, quæ immobilitas eſt in ordine ad ſpatium imaginarium, vel ad polos mundi; dum igitur manet res locata in illo ſitu immobili, ſemper habet idem Vbi, etiam ſi millies varietur ſuperficies corporis ambientis, vel etiamſi ſimul ponantur duo corpora ambientia, ſecus autem de modo illo qui reſultat ex loco ambienti ſi eſſet modus ille realis.

15. Secundò reſultat ex hoc Vbi intrinſeco denominatio præſentiæ; non enim, vt ſuprà dictum eſt, contingit eſſe aliquam denominationem etiam extrinſecam ſine forma aliqua denominante quæ ſit intrinſeca alicui extremo; ſed hæc forma non poteſt eſſe alia, quàm Vbi intrinſecum, quia ſi quæ alia eſſet, eſſet vnio realis, & phyſica, rei locatæ cum loco; Sed probatũ eſt hanc vnionem realem non dari neque in loco, neque in re locata, cùm ſufficiat contactus,

tactus, & præterea etiamſi daretur, adhuc iſta vnio præſupponeret Vbi intrinſecum tanquam formam à qua oritur, vt probatum eſt, ergo, &c.

16. Tertiò ex hoc Vbi reſultant in re vbicata denominationes extrinſecæ à loco, vt eſſe ſurſum, deorſum, &c. quia hæ ſunt proprietates loci; ſi igitur ex hoc Vbi oritur coniunctio cum loco, oriuntur etiam denominationes ipſius loci.

17. Quarta cõcluſio. Vbi eſt diſtinctũ à re locata tanquã modus rei in re.

QVARTA concluſio. Hoc Vbi eſt diſtinctum à parte rei à re locata.

Probatur, quia hoc Vbi mutatur remanente eadem re, ergo diſtinguitur ſaltem ex natura rei. Antecedens eſt manifeſtum, Conſequentia probatur ex illa regula Ariſt. 7. topic. cap. 1. vbi habetur, quando vnum ſine altero eſſe poteſt, illa eſſe diuerſa & diſtincta; & quidem non intelligitur regula, vt vtrumque ſeparatim eſſe poſſit, ſed ſufficit ſi vnum ſine altero eſſe poteſt; vt patet ex eodem Ariſt. 7. metaph. in fine, vbi ex hac regula colligit carnem eſſe aliquid diuerſum ab elementis, quia quamuis caro non poſſit eſſe ſine elementis, poſſunt tamen elementa remanere ſine carne; Et hoc modo hanc regulam intelligunt Peripatetici, Alexan. & Auerr. 7. top. cap. 1. & Scholaſtici, præcipuè Scotus in 2. diſtinctione 2. quæſtione 5. & in 3. diſtinct. 8. quæſt. 1. & etiam Patres, præſertim Auguſtinus lib. 7. de Trinit. c. 7. (Alexand. Auerr. Scotus.)

18. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. Gilibertus. Sotus. Alber.

AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur primò, Gilibertum tenuiſſe ſecundam ſententiam quam ſupra retulimus, quem ſecuti ſunt Sotus & Alber. ſuprà allati. Secũdò dicitur quòd Gilibertus intelligẽdus eſt de Vbi circumſcriptiuo, quod, vt dictum eſt in tertia concluſione, non eſt reale, & intrinſecum in re locata.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum reſpõdetur quòd locari propriè dicit conſtitui alicubi, etiãſi non ſit locus ambiens, & circumſcribens locatum, vt patet de vltima ſphæra: Ad confirmationem reſpondetur, quòd circumſcriptio actiua in loco reducitur ad prædicamentum Vbi, tanquam proprietas ipſius, neque poteſt commodè facere diſtinctum prædicamentum, quia non competit omnibus locatis, quia vltima ſphæra verè eſt alicubi, & tamen non circumſcribitur à loco, & idem ſimiliter dicendum eſt de circumſcriptione paſſiua. Ad ſecundam confirmationem reſpõdetur, S. Thomam eſſe intelligendum, quòd ſex vltima prædicamenta inuoluunt denominationem aliquam extrinſecam, ſicut inuoluit ipſum Vbi, non tamen quòd formaliter ſint denominationes extrinſecæ. Ad tertiam confirmationem de vltima ſphæra patet ex dictis.

19. Ad tertium. Ad tertium patet ex dictis in quarta concluſione, vbi oſtendimus motum eſſe [illegible] quia eſt à potentia motiua tanquam à cauſa verè efficiente.

Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur, denominationes ſurſum, & deorſum, competere ipſi Vbi, quatenus ex Vbi, vt probatum eſt in tertia concluſione, oritur circumſcriptio paſſiua à loco, à quo tanquam à forma ſumuntur illæ denominationes; relationes verò propinquitatis, & diſtantiæ, oriuntur immediatè ab ipſo Vbi.

20. Ad quintũ. Ad quintum, quod eſt fundamentum huius primæ ſententiæ, reſpondetur ſupponere falſum, nam per hoc Vbi conſtituitur res alicubi, vnde oritur negatio diſtantiæ, vt probatum eſt in tertia concluſione, quia Vbi potiùs conſtituit rem indiſtantem, quàm præſupponat indiſtantem. Ad primam autem probationem antecedentis reſpondetur, Vbi faciliùs explicari per indiſtantiam quam definimus, [illegible]

tanquam per ſuam proprietatem, ſicut per riſibile, & per ratiocinari, explicamus gradum abſolutum hominis. Ad ſecundam probationem negatur, quòd non poſſit aſſignari alia ratio conſtituendi rem in loco, niſi indiſtantia, quia aſſignatur hoc Vbi tanquam ratio formalis, & prior, indiſtantia autem tanquam à poſteriori. Ad tertiam probationem dicitur, quòd hoc Vbi producitur à mobili, quod ſemper eſt indiſtans à ſuo Vbi: Et cùm inſtatur, agens, antequam agat, præſupponi debet exiſtens in loco, reſpondetur, quòd quamuis exiſtentia in loco requiratur in agente, non tamen requiritur vt præſuppoſitum ad agens vt agens eſt, quia tunc quodlibet agens deberet eſſe in eo loco antequam ageret, quod tamen falſum eſt, quia Angelus ſecundùm multorum opinionem eſt in loco per operationem, quare priùs intelligitur operari quàm eſſe in loco; Sed in agẽte corporeo prærequiritur indiſtãtia propter ſui imperfectionem, & limitationẽ, ex qua oritur vt non poſſit agere in aliquod diſtans, quod non contingit, dum mobile producit in ſe Vbi, nam cùm illud Vbi identificari debeat cum ipſo mobili, & per illud Vbi conſtituatur in loco, non requirit aliud Vbi, per quod fiat præſens ipſi Vbi quod produci debet.

Ad ſextum reſpondetur, quòd quia Chriſtus vnitur per modum intrinſecum cum ſpeciebus panis, non indiget diſtincto Vbi, vt ſit in ſpatio in quo ſunt ſpecies; ſed ſufficit idem Vbi ſpecierum, vt fusè dicetur in corollariis, vt mox infrà in ſequenti quæſtione oſtendetur. 21. Ad ſextum.

Ad ſeptimum, petit hoc argumentum illam quæſtionem; an accidentia ſint in ſpatio per denominationem extrinſecam ab Vbi ſubiecti, quæ quæſtio mox infrà examinabitur in ſexta quæſtione. Ad ſeptim.

Ad octauum, petit hoc argumentum illam aliam quæſtionem; vtrùm ſola negatio extenſionis ſufficiat, vt res ſit tota in toto ſpatio, & tota in qualibet parte, de qua difficultate agetur infrà quæſtione ſeptima.

AD argumenta ſecundæ ſententiæ; Ad primum de vnione, patet ex dictis in tertia concluſione. 22. Reſponſ. ad argumenta ſecundæ ſententiæ.

Ad ſecundum, ſi quid probat, probat tantùm dari Vbi intrinſecum, quod antecedit in priori natura ipſam circumſcriptionem loci, imò aliquando poteſt eſſe ſine illa, vt patet in vltima ſphæra.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm Accidentia habeant diſtinctum Vbi à ſubiecto cui inhærent, & An idem dicendum de omnibus aliis, quæ mouentur per accidens, per connexionem cum alio, quod per ſe primariò mouetur.

SVPPONENDVM eſt tanquam certum in hac quæſtione, quòd ea quæ mouentur per neceſſariam ſequelam ad motum alterius, quod per ſe primariò mouetur, moueri per accidens; ex S. Thom. in 4. diſtinct. 10. quæſt. [illegible] & ex Ariſt. [illegible] topic. cap. [illegible] vbi docet quòd motis nobis mouentur omnia quæ ſunt in nobis. 1. Suppoſitum. S. Thom. Ariſtot.

Controuerſia igitur [illegible] quod mouetur per accidens, [illegible] 2. Punctus controuerſiæ.

com; vel ſolùm [illegible] alicubi per denominationem extrinſecam [illegible]

Sunt

Sunt autem ea quæ mouentur per accidens, in A duplici differentia, vt colligitur ex S. Thom. 3. p. quæſt. 76. ar. 6. ad primum, quædam ſunt quæ quanuis moueantur per accidens, poſſunt tamen eſſe per ſe in loco, cuiuſmodi eſt nauta in naui; aliqua, quæ non poſſunt eſſe per ſe in loco ſaltem naturaliter, vt ſunt accidentia, & puncta, & de ſingulis eſt præſens quæſtio.

3. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia eſt aliquorum Recentiorum, aſſerentium omnia ea quæ mouentur per accidens, ſubiectare intrinſecè Vbi.

Primum argumentum. Probatur primò, quia verè accidentia, & formæ ſubſtantiales acquirunt nouum locum extrinſecum, & idem dicendum de puncto, & de his, quæ ſunt in loco tanquam in vaſe, vt nauta in naui; huius autem nouæ præſentiæ ratio formalis proxima non B poteſt eſſe inhærentia, nec vnio, quia hæc non eſt formaliter ratio exiſtendi in loco, ergo præter inhærentiam & vnionem, danda eſt ratio formalis proxima huius nouæ præſentiæ, hæc autem non poteſt eſſe aliud niſi Vbi nouum intrinſecum in ipſis accidentibus, & aliis rebus, quæ mouentur per accidens.

Nec poteſt dici, quòd habeant illam præſentiam per denominationem extrinſecam ab Vbi ſubiecti, tum quia hæc præſentia eſt aliquid reale in re præſenti; non poteſt ergo mutari ſine vera, & reali mutatione ipſius rei. Quòd ſi datur mutatio intrinſeca in accidentibus, debet etiam dari Vbi intrinſecum, tanquam terminus illius actionis, quia actio identificatur cum termino, vt dictum eſt, tum quia mu- C tata præſentia in accidentibus, mutantur relationes propinquitatis, & diſtantiæ, & ſimiles, & non propter mutationem termini à quo, & ad quem, quia ſupponuntur inuariati, ergo propter mutationem realem fundamenti; fundamentum autem harum relationum eſt Vbi ipſorum accidentium, ergo, &c.

4. *Secundũ argumentum.* Secundò probatur, mutatio eſt propriè actus mobilis, ſeu ſubiecti, ergo nihil propriè ac verè dicitur mutari, niſi quod eſt ſubiectum motus vel ſecundùm totum, vel ſecundùm partem; accidentia autem, & alia, quæ mouentur per accidens, verè mouentur, ergo ſubiectare debent intrinſecè motum, & conſequenter Vbi, quod eſt terminus intrinſecus ipſius motus; Et confirmatur, quia ſi ſola denominatio extrinſeca ſufficeret ad mutationem, D ſequeretur quòd Deus diceretur verè mutari, quando creat, & Verbum, dum vnitur humanitati.

5. *Secunda ſententia.* SECVNDA ſententia diſtinguit de his quæ mouentur ad motum alterius, quædam ſunt, inquit, quæ poſſunt eſſe per ſe in loco, & hæc recipiunt intrinſecè motum & Vbi, vt nauta; ea verò, quæ non poſſunt eſſe per ſe in loco, mouentur & vbicantur per denominationem extrinſecam.

S. Thom. Ariſtot. Probatur primò ex S. Thom. 3. par. quæſt. 76. art. 6. ad primum, vbi explicans illa verba Ariſtot. (quòd motis nobis mouentur omnia quæ ſunt in nobis) docet aliter moueri illa quæ per ſe non poſſunt eſſe in loco, vt accidentia, aliter illa, quæ per ſe poſſunt eſſe in loco; & hinc infert S. Thom. quòd E corpus Chriſti dum mouetur ad motum ſpecierum, mouetur intrinſecè.

6. *Prima concluſio.* PRIMA concluſio. Accidentia & aliæ formæ ſubſtantiales quæ ſunt vnitæ materiæ, non recipiunt in ſe motum intrinſecè, nec Vbi, ſed mouentur, & vbicantur per denominationem extrinſecam à motu, & Vbi ſubiecti. Hæc ſententia eſt Caietani *Caiet.* 3. par. quæſt. 76. art. 6. vbi idem dicit de corpore Chriſti, quod mouetur ad motum accidentium, & tribuit hanc ſententiam S. Thomæ.

Sed quidquid ſit de ratione, quam ipſe affert, probatur primò, quando aliqua ſunt ita connexa, vt neceſſariò debeant exiſtere in eodem loco, tunc illud agens quod mouet alterum ex illis, quod quidem dicitur per ſe moueri, mouet etiam alterum, quod eſt connexum cum illo, quod dicitur per accidens moueri; ſed accidentia ſunt connexa per inhærentiam cum ſubiecto hoc modo, ergo non requiritur in illis alius motus, nec aliud Vbi. Probatur Antecedens, quia non eſt neceſſarium ponere alium motum, cùm ſatis ſit motus illius corporis, quod per ſe primò mouetur, cum quo eſt connexum illud aliud, quod mouetur per accidens, ſecundùm neceſſariam ſequelam; Et confirmatur, quia per illum motum, per quem mouetur ſubiectum, iam determinatur ſubiectum ad eſſe hic, ſed vbicũque eſt ſubiectum, ſunt etiam neceſſariò accidentia propter inhærentiam cum ſubiecto, ergo non oportet multiplicare nouas formas in accidentibus; Confirmatur ſecundò, quia mouens corpus mouet animam rationalem, & tamen non efficit nouam præſentiam in anima, quia illa præſentia eſſet ſpiritualis, quæ non poteſt fieri ab agente corporeo mouente, ſeu trahente corpus humanum.

Quòd ſi dicas, agens determinare materiam, in qua eſt anima rationalis, ita vt per illam determinationem ipſa anima rationalis per neceſſariam emanationem efficiat illum motum, ſeu Vbi; Contrà, quia quicquid ſit de hoc, adhuc tamen, etiam ſi anima non efficeret illum motum, & illud Vbi, ſubtrahente Deo ſuum concurſum, adhuc neceſſariò anima eſſet vbi eſt materia, ergo fruſtra datur illa efficientia animæ.

Hic occurrit dubium, quod ſit illud ſubiectum accidentium quod per ſe primò mouetur intrinſecè, & vbicatur, ad cuius motum, & Vbi, omnia alia mouentur, & vbicantur intrinſecè; Et ratio dubij eſt, quia duplex eſt ſubiectum, alterum mediatum, quod eſt ſubſtantia materialis, alterum immediatum, quod eſt quantitas. 7. *Dubium an ſubſtãtia vel quantitas ſit ſubiectum quod per ſe primò mouetur.*

Aliqui voluerunt dari duplex Vbi intrinſecum, vnum in ſubſtantia materiali; alterum in quantitate, quia præciſa quantitate, inquiunt, adhuc ſubſtãtia materialis remanet in loco tota in toto, & tota in qualibet parte, tum quia habet ſuas partes entitatiuas ex ſe, tum quia non poteſt in inſtanti redigi in punctum.

Dicendum tamen eſt, & ſit

SECVNDA concluſio, quòd Vbi intrinſecum eſt tantùm in quantitate; hæc enim eſt ratio, cur tam partes ſubſtantiæ quàm aliorum accidentium, ſint diuiſibiliter in loco; vt enim ſuprà in diſputatione de quantitate oſtendimus, à ſola quantitate habetur extenſio, & extreitas partium; ab extenſione igitur quantitatis fluit Vbi intrinſecum, quod primò, & per ſe eſt in ipſa quantitate, & per denominationem extrinſecam eſt in ſubſtantia, & aliis accidentibus; ſiue ſit ſermo de Vbi in motu, ſiue de Vbi in quiete; ipſa igitur quantitas eſt, quæ primò, & per ſe mouetur, & quæ primò, & per ſe quieſcit diuiſibiliter in loco, & per accidens alia, quæ cum ipſo ſunt connexa. 8. *Secunda cõcluſio reſponſiua ad dubium.*

Ad rationem autem in oppoſitum, negandum eſt ſubſtantiam materialem ex ſe habere extreitatem partium, ſed tãtùm dicendum eſt, habere partes entitatiuas intraneè (vt dicunt) fiunt autem extrà per quantitatem, quare ſubſtantia materialis ſi præſcindatur à quantitate, ſolùm petit vt ſit punctualiter in loco, diſtinguitur autem à puncto, quia punctum non eſt extendibile; Cùm verò inſtatur, quòd ſublata 9.

ſublata quantitate, ſubſtantia materialis non poteſt reduci ad punctum in inſtanti, negandum eſt quod aſſumitur, quia non reducitur per motum, ſed per ablationem inſtantaneam rationis formalis, vt ſuprà oſtenſum eſt in prædicamento quantitatis diſputatione tertia.

10. Tertia concluſio.

TERTIA concluſio. Punctum etiam in continuo propter eadem rationem allatam in prima concluſione, non recipit in ſe motum intrinſecè, nec Vbi, quando mouetur ad motum corporis, quia mouetur per neceſſariam ſequelam.

11. Quæſitum.

Sed hic occurrit difficultas, ſuppoſito quòd ſphæricum tangat planum in puncto, & punctum non moueatur per rotationem ſphærici, ſed trahatur. Quæritur an tunc punctum ſubiectet intrinſecè motum, & Vbi.

Reſponſio.

Reſpondetur, quòd ſi poteſt dari hic caſus, quòd ſcilicet, ſphæricum trahatur per tractionem, tunc punctum moueretur intrinſecè, & ſubiectaret Vbi intrinſecum, quia potiùs ipſum moueretur per ſe, & ſphæricum per accidens, quàm è contra; ipſum enim punctum eſt quod per ſe primò trahitur, & ad tractionem ipſius mouetur ſphæricum, & tunc eadem eſſet ratio, ac ſi ipſum punctum ſeparatum moueretur indiuiſibiliter & punctualiter. An autem poſſit dari ille caſus, quòd punctum per ſe moueatur punctualiter, ſubiectando Vbi intrinſecum ſucceſſiuè, dicetur infra in quæſtione ſequenti, in reſponſione ad ſecundum.

12. Reſpõſio ad argumẽtum primæ ſententiæ.

AD argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra primam & tertiam concluſionem, reſpondetur, rationem formalem proximam illius nouæ præſentiæ in accidentibus eſſe Vbi, quod eſt intrinſecum in ſubiecto; ratio autem radicalis eſt inhærentia, quia ab hac habet accidens talem connexionem, vt neceſſariò ſit ſemper in eodem loco, vbi eſt ſubiectum; & cùm arguitur, non poſſe hoc fieri per denominationem extrinſecam:

Reſpondetur ad primam probationem, quòd illa noua præſentia accidentium, vel eſt negatio diſtantiæ, vel ille reſpectus, ſeu denominatio extrinſeca propinquitatis; Vt autem accidentia habeant hanc negationem diſtantiæ, ſeu relationem propinquitatis, non eſt neceſſe, vt habeat illam per Vbi proprium intrinſecum, ſed ſatis eſt, vt habeat per Vbi ſubiecti propter rationem allatam.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, mutari quidem relationes in accidentibus per mutationem fundamenti; ſed fundamentum non eſt Vbi intrinſecum ipſorum accidẽtium, ſed Vbi ipſius ſubiecti, quod eſt extrinſecum accidentibus. Et confirmatur, quia ſicut illi relati ſuprà quæſtione quinta, qui negant omnino dari Vbi intrinſecum etiam in ipſo mobili, quod per ſe moueretur, dicũt ad hoc, vt locatum dicatur diſtans, vel indiſtans, ſufficere coniunctionem extrinſecam cum loco, ergo multò magis poteſt dici in hac ſententia noſtra de accidentibus, quoniam hæ ſaltem ſupponunt Vbi reale, & intrinſecum in ipſo ſubiecto; cum quo ſunt neceſſariò naturaliter connexa.

13. Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur ex dictis, quòd in eo, quod mouetur per ſe primò, motus eſt actus intrinſecus in mobili, & conſequenter etiam datur Vbi intrinſecum in ipſo mobili; quando verò id quod mouetur, mouetur per accidens, per neceſſariam, ſcilicet, ſequelam, tunc verè quidem mutatur, ſed non opus eſt, vt motus ſit actus intrinſecus illius mobilis, nec conſequenter debet habere Vbi intrinſecum, tanquam terminum intrinſecum illius motus, ſed ſatis eſt per rationem allatam, denomi- A natio extrinſeca à motu, & Vbi, illius quod per ſe primò mouetur, cum quo eſt connexum alterum, ratione cuius connexionis habet vt neceſſariò ſit, vbi eſt illud alterum.

14. Ad confirmationem.

Ad confirmationem reſpondetur eſſe diſparem rationem, quare Deus non dicatur verè mutari cùm creat, nec Verbum cum vnitur naturæ humanæ, quia mutari dicit imperfectionem, dicit enim deperditionem, vel acquiſitionem alicuius rei, quæ eſt perfectio requirentis, quod non poteſt cadere in Deo, nec in Verbo; at verò accidentia cùm mutant locum, etiam ſi non mutant per Vbi intrinſecum, acquirunt tamen aliquam perfectionem ſibi debitam cùm mouentur, & fiunt in diſtantia ab alio loco, quia cùm non poſſint eſſe vbique, habent B aliquam perfectionem, vt modò ſint hîc, modò ibi, variando locum.

15. Ad argumẽtum ſecũdæ ſententiæ. S.Thom.

AD argumentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quòd ibi S. Thom. non dicit, quòd ea, quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, recipiunt motum, & Vbi intrinſecè, imò dicit, quòd corpus Chriſti quod poteſt eſſe per ſe in loco, mouetur eo modo, quo mouetur anima rationalis, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis, moto corpore; Conſtat autem ex dictis in prima concluſione, animam rationalem cùm mouetur ad motum corporis, non recipere intrinſecè motum, nec Vbi; ſolùm ergo intendit S.Thom. ibi, quòd ea quæ per ſe poſſunt eſſe in loco, non ſunt ita vnita, vt non poſſint ſublata vnione eſſe per ſe C in loco. S.Thom.

16.

Ad id verò, quod dicitur de corpore Chriſti, negatur corpus Chriſti prout eſt vnitum ſpeciebus Sacramẽtalibus, recipere intrinſecè motum, & Vbi, ſed tantùm per denominationem extrinſecam, quia propter vnionem quam habet cum ſpeciebus Sacramentalibus, motis illis, neceſſariò mouetur. Et hæc eſt opinio Caietani & S.Thomæ, vt ſuprà probatum eſt, & latiùs probauimus infrà in corollariis. Caietan.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm Vbi definitiuum, per quòd ponitur res locata tota in toto, & tota in qualibet parte, ſit reale intrinſecum in re locata, vel tantùm ſit negatio extenſionis localis. D

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aſſerentium hoc Vbi circumſcriptiuum, per quod res locata ponitur commenſuratiuè in loco, tota ſcilicet, in toto, & pars in parte, eſſe reale, & intrinſecum in re locata, negant tamen de Vbi diffinitiuo, per quod res locata per replicationem ponitur tota in toto, & tota in qualibet parte loci.

Primum argumentu primæ ſententiæ.

Probatur primò, quia ſola negatio extenſionis localis eſt ſufficiens; ſublata enim extenſione, per quam res locata ponebatur commenſuratiuè in loco, tota in toto, & tota in qualibet parte, iam illa E ſubſtantia remanet definitiuè in loco, ſicut patet de ſubſtantia materiali, à qua ſi auferatur quantitas, per ſolam negationem extenſionis remanet tota in toto, & tota in qualibet parte, non enim poteſt in inſtanti redigi ad punctum; nec poteſt remanere tota in toto, & pars in parte, quia hic modus exiſtendi in loco, prouenit ab extenſione, ſubſtantia verò materialis nullam habet extenſionem ſeu extreitatem partium à ſe, ſed ſolùm à quantitate; remanet igitur tota in toto, & tota in qualibet parte.

Secundũ argumentu

Probatur ſecundò, quia ſaltem quando Angelus mouetur

mouetur

Digitized by Google

mouetur continuè, non poteſt realiter ſubiectare hoc Vbi intrinſecum,non hoc Vbi neque poteſt eſſe diuiſibile, neque indiuiſibile, ergo nullo modo poteſt dari; non quidem poteſt eſſe diuiſibile, quia ſubiectum, quod eſt Angelus, eſt indiuiſibile; nec poteſt eſſe indiuiſibile, quia ſequeretur, quòd poſt inſtans ſequeretur inſtans. Sequela probatur, quia vnum deberet produci immediatè poſt alterum, vnumquodque autem illorum producitur in inſtanti ſuo intrinſeco; cùm enim ſit indiuiſibile, non poteſt produci per partes, producitur igitur in vno ſuo inſtanti indiuiſibili, quod adæquate correſpondet inſtanti noſtri temporis, & aliud indiuiſibile, quod immediatè debet produci, produceretur ſimiliter in alio ſuo inſtanti, quod propter eandem rationem adæquatè correſponderet inſtanti temporis noſtri,ergo poſt inſtans ſequeretur inſtans.

2. Prima concluſio.

PRIMA concluſio. Dicendum eſt cum communi & veriori ſententia, Vbi definitiuum per quod res locata eſt tota in toto, & tota in qualibet parte,eſſe reale & intrinſecum in re locata, ſicut de Vbi circumſcriptiuo probatum eſt, quæſtione quinta,tum propter rationes ibi allatas, quæ vniuerſaliter probant de quolibet Vbi, tum quia ſpecialiter hæc negatio extenſionis non eſt ſufficiens ad ponendam rem locatam, totam in toto, & totam in qualibet parte; nam præcisè per hanc negationem extenſionis ſolùm fit vt res locata non ſit diuiſibiliter in loco, ſed ſit punctualiter & indiuiſibiliter, ſicut quia punctum caret hac extenſione, eſt punctualiter, & indiuiſibiliter in loco? Et confirmatur ex illa regula Peripatetica, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio eſt cauſa negationis; ſed per affirmationem ſeu poſitionem extenſionis fit vt res locata ſit tota in toto, & pars in parte,ergo per negationem ſolùm habetur, vt res locata non habeat illum modum eſſendi in loco; non autem quòd ex negatione illius modi debeat eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte, quia poteſt res eſſe punctualiter ſiue adæquatè in puncto loci,ſi detur punctum, ſiue inadæquatè in linea, ſi negatur punctum, ergo non eſt neceſſe, vt per negationem ſolam extenſionis, res ponatur adæquatè tota in toto, & tota in qualibet parte loci; imò nonnulli tenent ex Thomiſtis,quòd per illam negationem extenſionis præcisè res locata nullibi eſt, dicunt enim, quòd quia Angelus caret extenſione, ideo quando actu non operatur operatione extenſa, & tranſeunti, nullibi ſit,vel ſaltem, inquiunt, ſi ante creationem mundi fuiſſet Angelus creatus, & ſupponatur, quòd non detur ſpatium illud & interuallum inane, vt multi probabiliter tenent, vt oſtenſum eſt ſuprà quæſtione ſecunda, tunc Angelus nullibi fuiſſet, ſicut neque Deus,ſed fuiſſet,inquiunt, in ſe ipſo;requiritur ergo, aiunt ſatis congruenter, alius modus poſitiuus, per quem res locata fiat tota in toto,& tota in qualibet parte.

Dubium.

DVBIVM hîc occurrit, an ſaltem in puncto quieſcente, vel in Angelo quieſcente punctualiter in loco, ſit Vbi reale; Et ratio dubitandi eſt, quia videtur ſufficiens ſola negatio extenſionis localis; Dixi (in puncto quieſcente) quia vtrùm punctum ſeparatum,& Angelus dum mouetur continuè punctualiter ad modum puncti ſeparati, ſubiectent Vbi reale intrinſecum, videbimus infrà mox in reſponſione ad ſecundum.

Explicatur ſenſus dubij.

Pro explicatione dubij nota, non eſſe controuerſiam de puncto continui,quia, vt dictum eſt ſuprà quæſt. ſexta, punctum in continuo mouetur & vbicatur, per denominationem extrinſecam ad motum, & Vbi ipſius continui,in quo eſt; cùm enim moueatur, per neceſſariam ſequelam fruſtra datur nouum Vbi intrinſecum in ipſo puncto. Quod igitur controuertitur,eſt de puncto ſeparato,& de Angelo ſe ponente punctualiter in loco.

Ad quod dubium reſpondeo,& ſit

3. Secunda cõcluſio reſpõſiua ad dubium.

SECVNDA concluſio. Probabiliùs dicitur, non ſufficere ſolam negationem extenſionis, in puncto quieſcente, vel in Angelo quieſcente punctualiter, ſed requiri Vbi reale; Et ratio eſt, quia per ſolam negationem extenſionis Angelus ſecundum Thomiſtas eſt nullibi; ſi igitur velit ſe ponere in inſtanti in aliquo loco punctuali vniuerſi, debet determinari ad locum punctualem per Vbi,tanquam per formam.

Quòd ſi teneatur Angelum non poſſe eſſe nullibi, ſed neceſſariò debere eſſe in aliqua parte, ſeu puncto vniuerſi,tunc difficiliùs redditur ratio; Dicendum tamen adhuc eſt, Angelum, & punctum eſſe in loco punctuali per Vbi reale & intrinſecum, tum quia datur effectus poſitiuus formalis vbicationis, ergo debet dari forma poſitiua ipſius Vbi, per quam determinetur ad talem locum; tum quia Angelum & punctum ſeparatum,vt mox infrà probabitur in reſponſione ad ſecundum, non repugnat moueri punctualiter, ergo per nouum motum realem acquirere debent terminum intrinſecum, qui identificatur cum ipſo motu; vt oſtenſum eſt fuſiùs ſuprà in quæſtione quinta; hic autem terminus, qui acquiritur per motum puncti ſeparati, vel Angeli, non poteſt eſſe aliud, niſi Vbi punctuale, hoc enim ponit Angelum & punctum vel adæquatè in puncto,vel ſaltem inadæquatè in linea.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

4. Reſponſio ad primum.

AD primum reſpondetur, ſolùm probare per negationem extenſionis, rem locatam non eſſe in loco commenſuratiuè,ſeu circumſcriptiuè.

Ad exemplum autem de ſubſtantia materiali iam dictum eſt in prædicamento Quantitatis,quòd ſi in inſtanti auferretur quantitas à ſubſtantia materiali,redigeretur ad punctum; nec obſtat,quòd iſta reductio fieret in inſtanti, quia non eſt reductio per motum localem, ſed per ablationem rationis formalis,vt ibidem diximus.

5. Reſpõſio ad ſecundum.

Ad ſecundum, Hoc ſecundum argumentum petit illam difficultatem; An Angelus poſſit moueri continuè, & Vtrùm Vbi Angelicum ſit extenſum, vel indiuiſibile, de qua difficultate agemus infrà in corollario quinto de loco Angelorum, dubitatione quinta. Breuiter nunc dicitur, quòd hoc argumentum ſeu difficultas poteſt agitari iuxta duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, An Angelus poſſit moueri continuè quaſi diuiſibiliter per replicationem, vt ponatur totus in toto & totus in qualibet parte. Secundus ſenſus eſt, vt Angelus moueatur punctualiter ſine replicatione, ſicut moueretur punctum ſeparatum.

Duplex ſenſus argumẽti ſeu difficultatis.

Soluitur argumentum iuxta primũ ſenſum.

Si iuxta primum ſenſum accipiatur difficultas, communis eſt ſententia ſcholaſticorum, poſſe Angelum moueri continuè,Dubium tamen eſt an hoc Vbi ſit extenſum,vel indiuiſibile; ad quod reſpondemus, eſſe indiuiſibile formaliter, ſed virtualiter diuiſibile; ponit enim Angelum in loco non punctualiter, ſed replicatiuè quaſi diuiſibiliter totum, in toto, & totum in qualibet parte; Et cùm inſtatur, quòd tunc datetur inſtans poſt inſtans; quia

vnum Vbi indiuiſibile, produceretur immediatè poſt aliud, & vnumquodque produceretur in ſua duratione inſtantanea, Reſpondetur quòd quamuis illud Vbi indiuiſibile produceretur in ſuo inſtanti intrinſeco, quod inadæquatè correſpondetet tempori noſtro minori & minori in infinitum; durat tamen, ſeu conſeruatur per durationem, quæ quamuis ſit formaliter indiuiſibilis, virtualiter tamen correſpondet, non quidem inadæquatè, ſed adæquatè tempori noſtro minori & minori in infinitum, vnde fit vt vnum Vbi indiuiſibile non ſuccedat immediatè alteri, ſed vnum Vbi duret per aliquod tempus indeterminatum, ſicut duraret Vbi, ſi eſſet diuiſibile formaliter, & virtualiter, & in inſtanti inaſſignabili illius temporis, quando concipitur aduenire mutatum eſſe in motu, corrumpitur illud Vbi, & immediatè pòſt producitur aliud Vbi; quare hoc Vbi Angelicum incipit extrinſecè (modò non eſt Vbi, & immediatè pòſt erit) & deſinit extrinſecè (modò non eſt Vbi, & immediatè antè erat.) Et per hoc patet ad argumentum ſeu difficultatem iuxta primum ſenſum.

6. Reſpōdetur ad argumētum iuxta ſecūdum ſenſum.

Si verò agitetur difficultas ſeu argumentum iuxta ſecundum ſenſum, quando ſcilicet Angelus mouetur punctualiter ſine replicatione, vt mouetur punctum ſeparatum; tunc maior eſt difficultas in argumento, quia tunc, Vbi, eſſet formaliter & virtualiter indiuiſibile; & conſequenter haberet durationem formaliter, & virtualiter indiuiſibilem, & conſequenter ſequeretur abſurdum factum in argumento, quòd in motu poſt vnum Vbi indiuiſibile, ſequatur immediatè aliud, ac proinde poſt inſtans ſequeretur inſtans, quia poſt productionem vnius Vbi, quod non durat niſi per vnum inſtans ſuum intrinſecum, produceretur immediatè aliud Vbi in ſua etiam duratione inſtantanea.

Propter quam difficultatem & alias, quas ponit Ariſtoteles 6. phyſic. multi tenent non poſſe Angelum punctualiter moueri, ſicut nec punctum ſeparatum. Scotus autem tenet oppoſitum, & hanc opinionem Scoti, oſtendimus in primo tomo in corollario de motu Angelorum, non implicare contradictionem, & ad implicantiam allatam poteſt reſponderi, ſi dicatur quòd quamuis illud Vbi ſit formaliter & virtualiter indiuiſibile, quia ponit Angelum punctualiter ſine replicatione in loco, nihilominus dicendum eſt, quòd etiam hoc Vbi habet durationem virtualiter diuiſibilem, ita vt adæquatè correſpondeat tempori noſtro indeterminato minori & minori in infinitum, ſicut diximus de Vbi virtualiter diuiſibili, quamuis enim non ſit virtualiter diuiſibile, ex vi tamen ſuæ inceptionis debetur illi duratio diuiſibilis virtualiter; Et per hæc patet ad inſtantiam, negando quòd poſt inſtans ſequatur inſtans, non enim poſt vnum Vbi, immediatè ſequitur aliud Vbi, ſed vnum Vbi durat per aliquod tempus indeterminatum, & in inſtanti inaſſignabili illius temporis corrumpitur, & immediatè pòſt producitur aliud Vbi, &c.

Scotus.

QVÆSTIO OCTAVA.

Quotuplex ſit hoc Vbi reale intrinſecum, per quod res locata conſtituitur tota in toto, & tota in qualibet parte.

1. Quatuor Vbi poſſunt dari per quę res cōſtituatur in loco, tota in toto, & tota in qualibet parte. Primū Vbi.

RESPONDEO Vnica concluſione cum aliquibus modernis, eſſe quadruplex. Poteſt enim fieri primò, vt hoc Vbi, ſit ſpirituale indiuiſibile, quod quidem eſt inextenſum formaliter, diuiſibile verò virtualiter, ita vt ſit ratio conſtituendi totum in toto, & totum in qualibet parte; & hoc Vbi reperitur in Angelo, præſertim cum quieſcit in loco diuiſibili, nam in motu aliqui tenent hoc Vbi Angelicum eſſe extenſum, putant enim abſurdum, quòd continue infinita indiuiſibilia in motu producantur & corrumpantur. Sed hoc non eſſe abſurdum oſtendemus in proprio loco infrà in quinto corollario de vi Angelorum dubitat. quinta.

2. Secundum Vbi.

Secundò poteſt intelligi, quòd hoc Vbi ſit corporale, ita vt omnes partes Vbi, ſint in qualibet parte rei locatæ, tunc enim neceſſariò fit, vt quælibet pars rei locatæ ſit, vbi ſunt omnes aliæ partes illius, quia ſi quælibet pars rei locatæ habet omnes partes Vbi corporei; tunc per illas conſtituitur in omnibus partibus loci. Sed hic modus non ſolùm non eſt connaturalis alicui rei, ſed neque poteſt dari per virtutem creatam, ſed ſolùm per potentiam Dei abſolutam.

3. Tertiū Vbi.

Tertiò poteſt intelligi, quòd hoc Vbi, ſit diuiſibile vt (quod,) ſeu in ſe ipſo, ſeu ſubiectiuè; ſit tamen vt (quo, ſeu obiectiuè, indiuiſibile, ita vt quęlibet pars illius Vbi habeat vim conſtituendi quamlibet partem corporis ſub qualibet parte loci, & iuxta hunc modum dicendum eſt, quòd in ſingulis partibus rei locatæ, ſint ſingulæ partes illius Vbi, & quia ſingulæ partes huius Vbi, habent vim conſtituendi ſingulas partes rei locatæ in omnibus partibus loci, hinc fit vt res locabilis conſtituatur tota in toto, & tota in qualibet parte.

Exemplum afferunt de ſpeciebus intentionalibus viſibilibus, quæ quidem ſubiectiuè ſunt diuiſibiles, & diuiſibiliter ſubiectantur in pupilla, ita vt pars ſpeciei ſit in parte pupillæ; ſed quia ſunt indiuiſibiles obiectiuè, fit vt quælibet pars ſpeciei repræſentet totum obiectum à quo eſt producta; ad productionē enim ſingularum partium ſpeciei concurrit totum obiectū debitè approximatum, ita vt non poſſit aſſignari quòd hæc pars ſpeciei ſit ab hac parte obiecti, ſed eſt à toto obiecto, nō enim eſt maior ratio cur concurrat ad productionem hæc potiùs pars obiecti quàm illa, cùm ſint debitè omnes partes obiecti approximatæ; Cùm igitur quælibet pars ſpeciei fiat a toto obiecto, habet vim repræſentādi totum obiectum; ac propterea dicitur indiuiſibilis obiectiuè, quamuis illæ ſpecies ſubiectiuè, vt dictū eſt, ſint diuiſibiles, quia vna pars ſpeciei eſt in vna parte pupillæ, & aliæ in alia; & hic modus eſt etiam ſupra naturam, nec alicui naturalis.

4. Quartum Vbi.

Quartò aliqui aſſignant quartum Vbi in ſubſtantia ſpirituali, cuiuſmodi eſt Angelus, hoc autem Vbi dicunt eſſe extenſum in ordine ad ſpatium, & quòd vna pars huius Vbi conſtituat totum Angelum in vna parte ſpatij, & quòd alia pars huius Vbi conſtituat eundem totum Angelum in alia parte, & ſic deinceps.

Sed quicquid ſit de hoc Vbi extenſo Angeli, quod probabiliùs non poſſe dari oſtendemus infrà in quinto corollario dubitatione quinta, certum eſt, quòd etiam ſi concedatur hoc Vbi extenſum in Angelo, peculiari tamen ratione implicat, quòd per huiuſmodi Vbi, conſtituatur corpus in loco, totum in toto, & totum in qualibet parte loci; quia cùm corpus habeat partes, fit vt vna pars iſtius Vbi, conſtituat partem corporis in parte loci, & alia pars iſtius Vbi non replicet illam eandem partem corporis, ſed conſtituat aliam partem corporis in alia parte loci; quare vt Vbi extenſum collocet corpus totum

Digitized by Google

totum in toto ſpatio, & partem in parte, neceſſe eſt, vt ſit ſubiectiuè extenſum, & obiectiuè indiuiſibile, vt eſt Vbi tertio modo acceptum.

QVÆSTIO NONA.

An diuiſio Vbi in Vbi immenſum, circumſcriptiuum, & definitiuum, ſit bona & ſufficiens.

1. Prima ſententia negatiua. Primum argumentum contra bonitatem huius diuiſionis. PRIMA ſententia aſſerit hanc diuiſionem non eſſe bonam nec ſufficientem; Quòd non ſit bona, probant;

Primò, quia Vbi immenſum non competit niſi ſoli Deo; Deus autem eſt extra prædicamenta; non igitur Vbi immenſum poteſt eſſe ſpecies Vbi prædicamentalis.

Secundũ argumentum. Secundò, Per Vbi definitiuum conſtituitur Angelus in loco metaphoricè; quia conſtituitur per operationem tanquam per contactum virtutis; at verò alia corpora ſunt in loco per Vbi circumſcriptiuum, per contactum molis; non poteſt igitur Vbi contrahi vniuocè, & eſſentialiter, per Vbi definitiuum, & circumſcriptiuum.

2. Tertium argumentum. Tertiò probant, hanc diuiſionem non eſſe ſufficientem, quia non comprehendit omnia locabilia, quod probant primò, tum quia primò punctum eſt alicubi, & tamen neque circumſcriptiuè, cùm non habeat extenſionem, nec definitiuè, quia non eſt diuiſibiliter per replicationẽ, ſicut eſt anima rationalis in corpore: tum quia ſecundò Angelus quãdo ſe ponit indiuiſibiliter alicubi, neque eſt definitiuè, neque circumſcriptiuè, ſicut dictum eſt de puncto: tum quia tertiò ſubſtantia materialis affecta quantitate, vt ſubſtantia eſt, eſt alicubi, & tamen vt ſic, non eſt circumſcriptiuè, quia vt ſubſtantia eſt, non eſt extenſa, neque definitiuè, quia non eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: tum quia quartò corpus Chriſti in ſacramento eſt alicubi, & tamen non eſt circumſcriptiuè, cùm non habeat extenſionem localem; neque definitiuè, quia non ita definitur accidentibus vnius hoſtiæ, quòd non poſſit eſſe ſimul cum alia hoſtia in infinitum.

Quartũ argumentum. Quartò arguitur, quia Vbi definitiuum non eſt diſtincta ſpecies ab Vbi circumſcriptiuo, ſed potiùs eſt genus ad vtrumque Vbi, quia etiam Vbi circumſcriptiuum eſt forma, per quam ita locatum definitur hîc, vt non poſſit eſſe alibi per illam formam, nec per aliam, virtute naturali, hoc autem eſt eſſe definitiuè in loco.

3. Quintũ argumentum. Quintò arguunt alij contra eandem diuiſionem tanquam non ſufficientem, quia non complectitur omnes ſpecies, & modos Vbi, poteſt enim Vbi generaliter diuidi in Vbi corporeum, & in Vbi ſpirituale, & præterea, in Vbi diuiſibile, & indiuiſibile.

4. Secũda ſententia. SECVNDA ſententia S. Thom. 1. part. quæſt. 62. artic. 2. communiter recepta & verior, aſſerit hanc diuiſionem in Vbi immenſum, & circumſcriptiuum, & definitiuum, eſſe bonam & ſufficientem.

Pro cuius ſententiæ explicatione, & ſolutione argumentorum, ſunt ſex notanda.

Nota primò. Notandum primò, quòd Vbi immenſum eſt forma ſeu ratio exiſtendi vbique in infinitum, ſeu infinitè abſque vlla additione nouæ formæ exiſtendi in loco, vnde quamuis corpus Chriſti poſſit eſſe ſimul in pluribus hoſtiis in infinitum, quia tamen non eſt per eamdem formam ſeu per idem Vbi, per quod eſt in vna hoſtia, ſed per additionem alterius Vbi ſeu formæ; ideo non dicitur habere Vbi immenſum.

5. Nota ſecundò. Notandum ſecundò, quòd hoc Vbi immenſum dupliciter poteſt intelligi: Primò, quòd ſit talis ratio exiſtendi vbique, vt ex ſe independenter hoc petat, ita vt repugnet vbicato, cui connaturale eſt, hoc Vbi non eſſe vbique, & hoc modo ſoli Deo competit: Aliud eſt Vbi per participationem, non enim videtur repugnare, poſſe dari à Deo aliquam formam ſimplicem in creatura, quæ ponat illam vbique; Nec obſtat, quòd ipſa forma eſſet infinita, nam in quarta diſputatione de infinito quæſtione ſexta, oſtendimus, huiuſmodi qualitatem ſimplicem poſſe eſſe per diuinam potentiam infinitam; Exemplum eſt aptiſſimum de æternitate, æternitas enim, cui ex ſe repugnat defectibilitas, non competit niſi ſoli Deo, æternitas autem à parte ante participata, poteſt etiam competere creaturæ; præſertim ſi creetur creatura ſine vllo motu, & ſucceſſione operationum.

6. Nota tertiò. Quoad Vbi verò circumſcriptiuum, & definitiuum; notandum eſt tertiò, quòd Vbi definitiuum, vt opponitur Vbi immenſo, abſtrahit ab Vbi definitiuo circumſcriptiuo, & ab Vbi definitiuo incircumſcriptiuo ſeu ſine extenſione, nam Vbi definitiuum vt ſic, genericè ſumptum, dicit tantùm rationem exiſtendi ſeu vbicandi locatum in vno loco, ita vt per eamdem formam non poſſit eſſe in alio loco. Addunt alij, vt nec per aliam formam poſſit idem locari alibi, ac propterea dicunt corpus Chriſti non eſſe definitiuè in loco, quia ita ſupernaturaliter eſt per vnam formam in vna hoſtia, vt etiam ſupernaturaliter poſſit per aliam formam eſſe in alia hoſtia; ſed hoc non videtur neceſſarium, ſufficit enim ad hoc, vt diſtinguatur ab Vbi immenſo, illud prius, quod dictum eſt, ſine hoc addito, hæc igitur ratio generica Vbi definitiui, competit, vt dictum eſt, tam Vbi circumſcriptiuo, quàm Vbi definitiuo incircumſcriptiuo; addit verò Vbi circumſcriptiuum ſupra definitiuum genericum, rationem exiſtendi, ſeu vbicandi locatum commenſuratiuè ad locum, ita vt partes locati ſecundùm extenſionem reſpondeant diuerſis partibus loci, Vbi verò definitiuum incircumſcriptiuum ſupra definitiuum genericum, tollit negationem extenſionis, Solet autem hoc definitiuum incircumſcriptiuum appellari nomine generis (definitiuum.)

7. Nota quartò. Notandum quartò, quòd hoc Vbi incircumſcriptiuum eſt duplex: Alterum, quod eſt ratio exiſtendi, ſeu vbicandi indiuiſibiliter; & hoc modo Angelus cùm ſe locat punctualiter, dicitur eſſe alicubi definitiuè incircumſcriptiuè, ita etiam quamuis Vbi ipſius puncti indirectè reduci poſſit ad Vbi circumſcriptiuum, quatenus eſt principium ſeu terminus extenſionis localis, directè tamen eſt Vbi incircumſcriptiuum, quia non ponit ipſum punctum in ſpatio diuiſibiliter, ſed punctualiter, & indiuiſibiliter in puncto ſpatij: Aliud verò Vbi definitiuum incircumſcriptiuum eſt, quod eſt ratio exiſtendi, ſeu vbicandi totum in toto, & totum in qualibet parte loci, quod Vbi habet Angelus, cùm ſe ponit diuiſibiliter in loco.

8. Nota ſextò. His poſitis videndum eſt, an hæc diuiſio ſit bona, & ſufficiens; Pro quo notandum ſextò, quòd ad hoc vt ſit bona hæc diuiſio, debet eſſe generis in ſpecies; quia prædicamentum Vbi, eſt ſummum genus; Vt autem ſit generis in ſpecies, duo requiruntur, Primò vt diuiſio ſit per differentias eſſentiales; Secundò, vt diuiſum ſit ratio vniuoca ad membra diuidentia; ad hoc autem vt ſit ſufficiens,

requiritur vt comprehendat omnes modos eſſendi Vbi,& omnia locabilia, de ſingulis igitur videndum eſt.

9. Prima concluſio circa bonitatem diuiſionis.

PRIMA concluſio. Hæc diuiſio eſt eſſentialis & bona.

Quòd ſit eſſentialis,probatur, quia iſti modi eſſendi in loco,ſcilicet immensè, circumſcriptiuè, & definitiuè, ſunt intra latitudinem Vbi, ſeu vbicationis; ſunt igitur differentiæ eſſentiales; ſicut à ſimili dixit Ariſtoteles, quòd fiſſio pedum, eſt differentia eſſentialis pedalitatis, quia eſt intra latitudinem pedalitatis: aliæ verò diuiſiones ipſius Vbi, vt cùm diuiditur Vbi in Vbi corporeum, & in Vbi ſpirituale,vel in Vbi diuiſibile,vel indiuiſibile, potiùs ſunt diuiſiones accidentales ratione ſubiecti, vt infrà oſtendetur in reſponſione ad quintum.

10. Quòd verò ſit bona, probatur, & quidem, quòd Vbi circumſcriptiuum & definitiuũ, ſint veræ ſpecies Vbi,non eſt difficultas; ſolùm difficultas eſt de Vbi immenſo, quod quia videtur competere ſoli Deo, non poteſt Vbi genericum dici vniuocè, de hoc Vbi immenſo, ac propterea non videtur eſſe bona diuiſio Vbi prædicamentalis, in Vbi immenſum,& in Vbi definitiuum,&c.

Pro quo notandum eſt, quòd Vbi immenſum dupliciter poteſt accipi; primò pro illo Vbi, quod poteſt ſupernaturaliter competere creaturæ; diximus enim ſuprà in ſecundo notabili; nullam apparere repugnantiam, quòd non poſſit Deus communicare dependenter creaturæ eſſe vbique, ſicut poteſt communicare participatiuè æternitatem à parte antè, & ſicut iſta æternitas à parte antè, & ipſum æuum Angeli quod eſt à parte pòſt, ſunt verè in prædicamento Quando, ita vt duratio ſit ratio abſtrahens vniuocè ab hac æternitate, & ab æuo,& tempore; ita etiam poteſt dici de Vbi prædicamentali.

11. Si verò Vbi immenſum ſumatur pro illo Vbi, quod eſt ratio exiſtendi vbique independenter, quod ſoli Deo competit, tunc dicendum eſt,quòd hoc Vbi immenſum, non eſt ſpecies Vbi prædicamentalis, quia Vbi prædicamentale debet eſſe vniuocum; at verò Deus non poteſt habere vniuocationem cum creatura; ac propterea dicitur communiter à Theologis,quòd Deus, & ipſius attributa, & perſonalitates ſunt extra prædicamentum; erit igitur illa diuiſio, vt comprehendit Vbi immenſum Dei, analoga proportionalitatis, & attributionis,ſicut eſt ſubſtantia, ſi concipiatur vt comprehendit etiam ipſum Deum; ſicut autem ſubſtantia prædicamentalis comprehendit tantùm creaturas ſubſtantiales,ita etiam Vbi prædicamentale, comprehendit Vbi circumſcriptiuum, & definitiuum,& Vbi immenſum per participationem.

12. Secunda cõcluſio circa ſufficientiã diuiſionis.

SECVNDA concluſio. Hæc diuiſio eſt ſatis ſufficiens, quia complectitur omnes modos eſſendi in loco,& omnia locata, nam vel locatum eſt vbique, & tunc eſt immensè, vel non eſt vbique, & tunc definitur loco; vel ergo ita definitur, vt totum locatum ſit in toto loco, & pars in parte, & tunc eſt circumſcriptiuè;vel ita definitur, vt ſit alicubi ſine extenſione locali, & tunc erit definitiuè incircumſcriptiuè;hoc autem poteſt fieri,vt dictum eſt, duobus modis, vel quòd ſit punctualiter alicubi, vt punctum, & Angelus,cùm ſe ponit indiuiſibiliter, vel quòd ſit diuiſibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte, ſicut Angelus cùm ſe ponit diuiſibiliter in ſpatio palmari, & ſub hoc etiam modo continetur Vbi corporis Christi ſub accidentibus, quia quamuis exiſtens in vna hoſtia, ſimul

A exiſtat in alia,& ita poteſt exiſtere in infinitum,non tamen exiſtit per eandem formam in duabus vel pluribus hoſtiis,& propterea diſtinguitur à ratione exiſtendi immensè, nec poteſt reperiri alius modus exiſtendi alicubi, ergo illa diuiſio S. Thomæ loco citato de Vbi,eſt ſatis ſufficiens. S.Thomas.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ SENTENTIÆ.

AD primum patet reſponſio ex ſecunda concluſione. 13. Reſpõſio ad argumenta.

Ad ſecundum, negatur Angelum conſtitui metaphoricè in loco per ſuum Vbi intrinſecum; Pro quo nota tria requiri ad hoc vt corpus ſit in loco. Ad ſecundũ nota pro ſolutione argumenti.

B Primùm requiritur ratio formalis ex qua, & hæc eſt quantitas, nam vt ſuprà oſtenſum eſt in prædicamento Quantitatis, ex extenſione partium in ordine ad ſe, oritur extenſio in ordine ad locum, ſicut à rationali fluit riſibile. Secundum eſt, ipſum Vbi intrinſecum, per quod tanquam per formam conſtituitur in loco, ex quo oriuntur negatio diſtantiæ,relatio præſentiæ,&c.Tertium quod requiritur,eſt contactus locati cum loco extrinſeco, & hic contactus eſt extrinſecus, & fit per contiguationem ſuperficierum.

Hæc autem tria etiam proportionaliter requi-
C runtur in Angelo,cùm ſe locat in loco. Requiritur primò ratio formalis ex qua, quæ quidem ratio ſit proportionalis quantitati; & hæc eſt ſecundùm Thomiſtas vel potentia ad ſimultaneam operationem, vt dicetur infrà in Corollario quinto de loco Angelorum; vel eſt applicatio, vel quid ſimile; quia Angelus cùm ſit ſpiritus,debet,inquit S. Thomas,eſſe in loco corporeo per dominium.Secundò requiritur ipſum Vbi intrinſecum in Angelo, per quod tanquam per formam conſtituitur in loco. Tertium,eſt contactus, & hic non poteſt eſſe molis, ſicut eſt in corporibus, ſed eſt contactus per virtutem,ſcilicet per operationem extenſam, dicitur enim ſua operatione immediatè tangere cor-
D pus quod mouet.His poſitis, S.Thom.

Dico ad argumentum, quòd in Angelo ratio formalis ex qua, & contactus, ſe habent metaphoricè,ſi comparentur ad rationem formalem ex qua ipſius corporis, & ad contactum eiuſdem corporis, quia in corporibus ratio formalis ex qua, eſt quantitas molis, at verò in Angelo eſt quantitas virtutis,ipſa ſcilicet potentia ad operandum ſimultaneè; præterea contactus in corpore eſt contactus quantitatiuus quantitate molis; ſed in Angelo, eſt contactus quantitatiuus per quantitatem virtutis,ſcilicet per operationem extenſam, per quam aliquo modo tangit corpus, in quo eſt: at verò ipſum Vbi nec eſt metaphoricè in Angelo,nec impropriè; ſed
E eſt verè & propriè ſicut in corpore, ac proinde poteſt abſtrahi conceptus vniuocus ab vtroque Vbi; videlicet ab Vbi Angelico,& ab Vbi corporis, quia ſicut verè per Vbi tanquam per formam intrinſecam conſtituitur corpus in loco,ita etiam ſimiliter Angelus; nec refert quòd Vbi Angelicum ſit ſpirituale,Vbi verò corporis ſit corporeum,tum quia hæ differentiæ ſunt extraneæ ex parte ſubiecti, tum quia à ſubſtantia corporea, & ſpirituali poteſt abſtrahi conceptus vniuocus ſubſtantiæ. 14.

Ad tertium patet ex ſecunda concluſione. 15. Ad tert

Ad quartum patet ex ſecundo notabili. Ad qua

Ad quintum, quantùm ad illam diuiſionem de Vbi corporeo,& ſpirituali, dicendum eſt,quòd iſtæ Ad qui

differen-

Digitized by Google

differentiæ ſunt accidentales, & ſe tenent ex parte ſubiecti, illud enim dicitur Vbi corporeum, quod naturaliter inhæret in corpore, illud Vbi ſpirituale, quod naturaliter inhæret in ſpiritu, vt eſt Vbi Angelicum, quicquid ſit an ſupernaturaliter poſſit inhærere in corpore, multi enim tenent Vbi ſpirituale eſſe in corpore Chriſti, quod Vbi ponit corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte. Quicquid igitur ſit, an ſpirituale, & corporeum differant ſpecie, certum eſt quòd reſpectu Vbi ſunt differentiæ accidentales, non enim ſunt intra latidinem ipſius Vbi, ſicut eſt eſſe circumſcriptiuum, & definitiuum, niſi dicas Vbi ſpirituale, connaturaliter eſſe radicaliter definitiuum, & Vbi corporeum eſſe radicaliter circumſcriptiuum, quatenus Vbi ſpirituale ponit totum in toto, & totum in qualibet parte, Vbi verò corporeum ponit partem in parte.

16. Quantùm verò ad illam aliam diuiſionem quæ ponitur in argumento, de Vbi diuiſibili, & indiuiſibili: notandum eſt, quòd diuiſibile, & indiuiſibile poſſunt dupliciter conſiderari. Primò vt (quo) quatenus Vbi diuiſibile eſt ratio ſeu forma, per quam res locata conſtituitur diuiſibiliter in loco, tota in toto, & pars in parte; Vbi verò indiuiſibile vt (quo) eſt ratio ſeu forma, per quam locatum conſtituitur in loco vel punctualiter, vel per replicationem totum in toto, & totum in qualibet parte, & hoc modo diuiſibile, & indiuiſibile, ſunt differentiæ eſſentiales ipſius Vbi, non ſunt tamen differentiæ diſtinctæ à circumſcriptiuo, & definitiuo, nam Vbi diuiſibile ſumptum vt (quo) eſt eſſentialiter circumſcriptiuum, Vbi verò indiuiſibile vt (quo) eſt eſſentialiter definitiuum.

Secundo modo poſſunt conſiderari vt (quod) quatenus ipſum Vbi in ſe ipſo eſt diuiſibile, vel indiuiſibile, & hoc modo diuiſibile & indiuiſibile ſunt differentiæ accidentales; ſicut ſi vera eſſet opinio aliquorum modernorum, quam non exiſtimo veram, vt dicemus infrà in quinto corollario dubitatione quinta, ſi, inquam, vera eſſet opinio iſtorum aſſerentium, quòd Vbi Angelicum, per quod Angelus ponitur totus in toto, & totus in qualibet parte, ſit vt (quod) extenſum in ordine ad ſpatium, vt (quo) verò ſit indiuiſibile, quatenus ponit Angelum totum in toto, & totum in qualibet parte, tunc illud Vbi, vt (quo) eſſet eſſentialiter indiuiſibile, & eſſet differentia eſſentialis ipſius Vbi, non autem vt (quod,) ſed potiùs illa diuiſibilitas illius Vbi vt (quod,) ſe haberet extraneè, & quaſi impertinenter ad rationem ipſius Vbi.

Reliquum eſſet modò agere de Vbi Angelico, & de replicatione corporis, quæ quæſtiones ab aliquibus ſolent hîc tractari, ſed Commodiùs de his agemus infrà in Corollariis, quæ ex hoc prædicamento deducemus. De replicatione quidem corporis diſputatur infrà in ſecundo Corollario per quatuor dubitationes: De loco autem Angelorum in Corollario quinto, per octo dubitationes.

COROLLARIA THEOLOGICA.

Ex Prædicamento Quantitatis, & Vbi.

PRIMVM COROLLARIVM,

De reali, & indiuiſibili præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, per dubitationes quatuordecim.

SECVNDVM COROLLARIVM,

De vera & reali replicatione corporis Chriſti in Cœlo, & in Hoſtia, per quatuor dubitationes.

TERTIVM COROLLARIVM,

De ſubſtantiali conuerſione, ſub tranſubſtantiatione totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti, per octo dubitationes.

QVARTVM COROLLARIVM,

Quomodo corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, nec agere nec pati poteſt, per quatuor dubitationes.

QVINTVM COROLLARIVM,

De reali præſentia Angelorum in loco, per ſex dubitationes.

SEXTVM COROLLARIVM,

Quomodo infinitas Dei intenſiua cognoſci poſſit lumine naturali, per ſeptem dubitationes.

SEPTIMVM COROLLARIVM,

Quomodo immenſitas, ſeu præſentia Dei in omnibus rebus, demonſtrari poſſit lumine naturali.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA THEOLOGICA CIRCA PRIMVM COROLLARIVM,

De reali,& indiuiſibili præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Diuiditur hæc Quæſtio in quatuordecim dubitationes.

I. *Vtrùm Corpus Chriſti ſit realiter & ſubſtantialiter in Sacramento.*

II. *Vtrùm Corpus Chriſti in Sacramento ſit quantum,& extenſum.*

III. *Vtrùm Corpus Chriſti ſit intimè præſens ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & cuilibet earum parti, ſeu totum in tota hoſtia,& totum in qualibet parte.*

IV. *Vtrùm in partibus diſcontinuis ſit totum Corpus Chriſti.*

V. *Vtrùm in punctis,& aliis indiuiſibilibus ſit totum Corpus Chriſti.*

VI. *Quæ ſit ratio conſtituendi Corpus Chriſti totum in toto,& totum in qualibet parte hoſtiæ.*

VII. *Vtrùm hic modus,per quem Corpus Chriſti eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, ſit ſpiritualis,& indiuiſibilis,vel corporalis & extenſus.*

VIII. *An hæc præſentia Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus,ſit Vbi locale, vel vnio ſimilis vnioni,quam habet ſubiectum cum accidentibus.*

IX. *Vtrùm hæc vnio ſit in accidentibus,vel in Corpore Chriſti.*

X. *Quæ denominationes ratione ſpecierum Sacramentalium Corpori Chriſti tribui debeant.*

XI. *An hæc præſentia Sacramentalis,quæ fit per vnionem Corporis Chriſti cum accidentibus,ſit reductiuè ſaltem in prædicamento Vbi.*

XII. *An per hanc præſentiam Sacramentalem dicatur Chriſtus eſſe definitiuè in hoſtia.*

XIII. *An præter hanc vnionem Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, detur Vbi locale intrinſecum in Corpore Chriſti.*

XIV. *Vtrùm præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti dependeat à naturali eiuſdem in cælo.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm Corpus Chriſti ſit realiter, & ſubſtantialiter in Sacramento.

1. ...ma con...ſio circa ...mam difficultatem de poſſibili.

IN hac dubitatione ſunt duæ difficultates, altera de poſſibili, altera de facto. AD primam difficultatem de poſſibili ſit A

PRIMA concluſio. Non repugnat Chriſtum eſſe realiter, & ſubſtantialiter præſentem in hoc ſacramento, & hoc eſſe tenendum docent Chryſoſt.hom.83.in Matth.& Auguſt.lib.3. de Trinitat.cap. 4. etiam ſi ſenſui vel cogitationi videatur abſurdum; & eam vidétur reddere rationem; quia non efficitur hoc Sacramentum virtute naturæ, ſed operante inuiſibili Spiritu Dei.

Chryſoſt. Auguſtin.

Adde quòd implicantiæ,quæ ſolent afferri, non obſcurè ſoluuntur ex ipſis principiis Philoſophiæ: B Implicantiæ autem, quæ afferri ſolent, ad duo capita præcipuè reuocantur.

Primum caput eſt ex parte corporis Chriſti;Secundum ex parte accidentium, quæ remanent in hoc Sacramento ſine ſubiecto.

...imum caput implicantiæ.

Et quantùm ad primum caput, afferri ſolent tres implicantiæ.

A Prima ex modo indiuiſibili exiſtendi, quem habet corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Secunda ex replicatione eiuſdem Corporis in cœlo, & ſub accidentibus, tanquam in locis inter ſe diſtantibus.

Tertia ex conuerſione panis in corpus Chriſti.

Sed circa iſtas implicantias ex hoc primo capite non oportet immorari, ſoluentur enim infrà ſatis fusè in propriis quæſtionibus; De prima enim implicantia agitur in hoc primo Corollario à ſecunda dubitatione vſque ad ſeptimam. De ſecunda verò implicantia agitur in ſecundo Corollario per quatuor dubitationes. De tertia implicantia agitur in tertio Corollario per plures dubitationes.

B Quantùm verò ad ſecundum caput ex parte accidentium,tres præcipuè afferuntur implicantiæ. 2. Secundū caput implicantiæ.

Prima ex parte ipſorum accidentium, quia non videtur, quòd poſſit quantitas, vel aliud accidens ſeparari à ſubſtantia, actualis enim inhærentia videtur eſſe de eſſentia accidentis, ſicut de eſſentia ſubſtantiæ eſt, vt non ſolùm non habeat aptitudi-

nalem inhærentiam, ſed neque actualem.

Secunda implicantia eſt ex parte Dei, quia videtur implicare, quòd Deus ſuppleat concurſum cauſæ materialis, nam cauſa materialis concurrit ad ſuſtentationem accidentis, communicando formaliter ſeipſum per intrinſecam vnionem, quam communicationem non poteſt habere Deus.

Tertia implicantia eſt ex parte modi, quo Deus ſuſtentare dicitur accidentia, nam vel Deus ſuſtentat quantitatem in Sacramento, præbendo illi modum perſeitatis, & hoc non poteſt dici; ſicut enim ſubſtantia non poteſt habere modum eſſendi, In, ita neque accidens poteſt habere eſſendi modum, Per ſe; neque poteſt Deus concurrere ſuſtentando accidẽtia actione effectiua, quia hæc effectio eſſet creatio, vel ſimilis creationi, per eam enim producitur vel conſeruatur quantitas extra ſubiectum; creatio autem accidentis implicat, quia hæc actio neceſſariò deberet eſſe accidens, terminatur enim ad productionem accidentis, & tamen ex alia parte non poſſet eſſe accidẽs, quia huic actioni repugnat eſſe in ſubiecto, eſt enim via ponendi terminũ extra ſubiectum; eſt autem contra naturam accidentis aſſerere accidens non habere ſaltem aptitudinalem inhærentiam.

Sed neque circa has implicantias ſecundi capitis oportet immorari, ad omnes enim iſtas ſatis fusè reſponſum eſt ſuprà in prædicamento Quantitatis, in diſputatione prima Philoſophica de inhærentia, ſeu accidenti in communi, in qua ſigillatim examinauimus omnes iſtas, & alias ſimiles difficultates ſecundùm principia Philoſophiæ; fruſtra igitur eadem repeterentur.

Secũda difficultas de facto.

CIRCA ſecundam difficultatem, an ſcilicet de facto corpus Chriſti ſit præſens realiter & ſubſtantialiter ſub accidentibus panis, & vini, ſit

3. SECVNDA concluſio affirmatiua, & eſt de fide.

Probatur ex ſcripturis. Primum teſtimonium Ioan. 6.

Probatur primò præcipuè ex duobus teſtimoniis Euangelij. Primum teſtimonium eſt Ioan. 6. in poſtrema parte illius capitis, ex illis verbis. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt.* & infrà, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis.*

Caietan.

Quòd autem hæc verba intelligantur de carne ſecundùm veritatem, & de reali manducatione, (quicquid ex Doctoribus Catholicis dixerit Caiet. 3. par. quæſtione 80. art. vltimo,) probatur primò, quia hæc verba ſecundùm veritatem intellexit VII. Synodus, act. 6. & Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13. cap. 2.

Explicatio Conciliorũ VII. Synod. Tridentinũ.

4. Explicatio Patrum. Baſil. Chryſoſt. Athanaſ. Cyrill. Alex. Cyrill. Hier. Damaſcen. Cyprianus. Ambroſ. Hilar. Hieronym. Gregor. Auguſt.

Secundò probatur ex Patribus, tam Græcis quàm Latinis, qui locum illum intelligunt, de ipſo Chriſti corpore ſecundùm veritatem; Ita Baſil. lib. 1. de baptiſmat. cap. 3. & alibi. Chryſoſt. hom. 45. in Ioan. & alibi. Athanaſ. lib. de natura humana. Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 14. & alibi. Cyrillus Hieroſolym. catec. 4. Damaſc. lib. 4. cap. 14. & ex Latinis Cyprianus de oratione dominica. Ambroſ. lib. 6. de Sacram. cap. 1. & alibi. Hilar. lib. 8. de Trinit. Hieronym. in cap. primum epiſt. ad Epheſ. Leo ſerm. 6. de ieiunio. Gregor. lib. 7. moral. cap. 14. Auguſtin. cap. 6. in Ioan. & lib. 3. de concordia Euangeliſtarum cap. 1. vbi dicit, quòd quamuis Ioannes non faciat mentionem illorum verborum, quæ habentur apud Matth. 26. *Accepit Ieſus panem, & benedixit, & ait, Accipite*, &c. inquit tamen Auguſtinus quòd alibi Ioannes multò vberiùs teſtatur Dominum de hoc myſterio loquutum. Nec eſt in oppoſitum idem Auguſtinus tract. 15. in Ioan. dum dicit, (credere in Chriſtum, eſt manducare cibum, &c.) & infrà (crede & manducaſti) non, inquam, eſt in op-

Auguſt.

A poſitum, quia Auguſtinus loquitur de illis verbis Domini, quæ antecedunt illa verba, *Panis quem ego dabo*, &c. ante enim illa verba loquutus erat Chriſtus de fructu ſpirituali huius Sacramenti.

5. Cõfirmatur primò hoc primum teſtimonium ex variis circumſtantiis.

Tertiò probatur, quia illi, qui audiebant hæc verba, intellexerunt de reali manducatione, litigabant enim inter ſe, & admirantes dicebãt, *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* & tamen Chriſtus non correxit intelligentiam illorum de manducatione reali, ſed potiùs addidit præceptũ, *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* & tamen debuiſſet Chriſtus corrigere, cùm videret illos deficere.

Obiectio.

Quòd ſi dicas, Chriſtum correxiſſe, cùm dixit, *Spiritus eſt, qui iudicat, caro non prodeſt quicquam; Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt.* B oſtendit ergo Chriſtus verba priora eſſe intelligenda ſpiritualiter de manducatione ſpirituali.

Soluitur.

Sed contra hoc eſt, quia non obſtante hac reſponſione Chriſti, multi ex diſcipulis credentibus receſſerunt; ſignum eſt igitur, quòd illa verba Chriſti, *Verba, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, non intellexerint de manducatione ſpirituali, ſed potiùs per illa verba intellexerunt, quòd caro Chriſti haberet virtutem viuificandi animam, quia erat coniuncta cum ſpiritu diuinitatis, ratione cuius caro Chriſti erat viuifica; Ita exponunt hunc locum Cyrill. & Auguſt.

Cyrill. Auguſt. Confirmatur ſecundò.

Et confirmatur, quia ad tollendum ſcandalum, ſubdit Chriſtus teſtimonium ſuæ aſcenſionis, quando inquit, C *Videbitis Filium hominis aſcendentem, vbi erat prius.* tunc intelligetis rem eſſe poſſibilem, & immeritò vos fuiſſe ſcandalizatos; & ſubdit Apoſtolis, *Nunquid & vos vultis abire?* quod quidem teſtimonium ſuæ aſcenſionis, & exprobratio facta Apoſtolis, non fuiſſent ad rem, ſi verba illa de manducatione fuiſſent à Chriſto ſpiritualiter explicata.

6. Secundũ teſtimonium. Matth. 26. Lucæ 22. 1. ad Cor. 11.

Secundum teſtimonium habetur apud Matth. 26. Luc. 22. 1. ad Corint. 11. ex illis verbis Chriſti, quibus inſtituit hoc Sacramentum, *Hoc eſt corpus meum.*

Calumnia hæreticorũ. Geneſ. 42.

Sed hæc verba hæretici noſtri temporis intelligunt per figuram, ita vt ſenſus ſit, hoc ſignificat corpus meum; nam verbum (eſſe) aliquando pro eodem accipi ſolet, ac (ſignificare;) Ita Geneſ. 42. Ioſeph explicando ſomnium Regis dixit, D *ſeptem ſpicæ ſeptem anni ſunt*; hoc eſt, ſignificant ſeptem annos vbertatis.

7. Soluitur.

Sed contra hoc eſt, quia hoc verbum (eſt) nunquam vſurpatur pro verbo (ſignificat) quando non explicatur ſignificatio alicuius rei, vt eſt in loco citato Geneſ. 41. præſertim quando conduntur leges magni momenti ſeruandæ à populo, vt patet ex legibus, & ceremoniis datis à Deo in lege veteri, quod multò magis debebat Chriſtus ſeruare in lege noua, quando condidit legem huius ſacrificij. Et confirmatur, quia in VII. Synodo generali, act. 6. habetur, nullum vnquam Apoſtolorum, aut Patrum dixiſſe, ſacrificium incruentum, quod à ſacerdote offertur, eſſe ſignum, aut imaginem corporis Chriſti. Sed fuſiùs, & eruditè, hanc materiam E pertractat Cardinal. Bellarmin. lib. 1. de Euchariſt.

Bellarm.

8. Hæreſis Caluiniſtarum contra hanc ſecundam concluſionem. S. Thom.

CONTRA hanc concluſionem de fide tenent Caluiniſtæ exiſtimantes Chriſtum non eſſe in hoc Sacramento realiter, & ſubſtantialiter, ſed ſolùm tamquam in ſigno, ac proinde non ſumi à fidelibus corpus Chriſti ſubſtantialiter, ſed tantùm ſpiritualiter; Fuit autem hæc hæreſis, ante Caluiniſtas Berengarij, vt refert S. Thom. quæſt. 75. art. 1. qui Berengarius

Digitized by Google

Berengarius parẽs Caluiniſtarum.

rengarius fuit circa annum Domini 1000. ac propterea Berengarius appellari ſolet Parens Caluiniſtarum; Sed potiùs dicendum eſt, quòd Parens, & Dux Caluiniſtarum, ſicut eorum qui comprehenderunt Ieſum, vt notant graues Doctores, fuerit Iudas traditor, nam hic fuiſſe videtur primus, qui huic myſterio non credidit, quod quidem S. Chryſoſt. hom. 46. probat efficaciter ex verbis Chriſti, qui poſtquam hoc myſterium apertè prædicauerit, ſciens, quòd à multis non crederetur, dixit, *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt; ſciebat enim*, inquit Euangeliſta, *ab initio Ieſus, qui eſſent non credentes, & qui traditurus eſſet eũ.* Et quibus verbis ſatis clarè colligitur, Iudam fuiſſe vnum ex non credentibus; Et confirmatur, quia in fine capitis, recedentibus multis ex non credentibus, dixit Chriſtus Apoſtolis, *Vultis & vos abire?* Et nolẽtibus Apoſtolis diſcedere, Chriſtus ad oſtendendum Iudam eſſe vnum ex non credentibus, & quòd remanebat ab illo tempore, vt notat Auguſt. tract. 27. in Ioan. non ad credendum, ſed potiùs ad inſidiandum, dixit Chriſtus Apoſtolis, *Ego vos elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt*; Iudas igitur, ſeu potiùs diabolus, eſt dux Caluiniſtarum.

9. Iudas traditor dux Caluiniſtarum.

Dux Caluiniſtarũ diabolus. Auguſt.

10. Primũ fundamentũ hæreticorum.

Fundamenta huius hæreſis duo ſunt præcipua. Primum, quia in re tam graui, quæ excedit captum, & capacitatem humanam, nullum habemus teſtimonium apertum in ſcripturis.

Secundum fundamentum.

Secundum fundamentum eſt, quia hoc myſterium implicat, ex eo præcipuè, quia non poteſt idem Chriſti corpus, quod eſt in cœlo, eſſe etiam realiter & ſubſtantialiter in hoſtia.

Soluitur ex Chryſoſt. Reſponſio ad primum.

Sed hæc fundamenta nullius ſunt momenti. Et ad primum videtur reſpondiſſe Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. loco ſuprà citato, vbi docet, hoc myſterium eſſe ita apertum in Scripturis, vt ſit credendum, etiam ſi ſenſui, vel cogitationi videatur abſurdum; efficitur enim, inquit, virtute Diuina, & non virtute naturæ; Quòd autem hoc myſterium ſit apertè expreſſum in ſcripturis, patet ex illis teſtimoniis, quæ ſuprà attulimus Ioan. 6. & Matth. 26. &c.

11. Reſponſio ad ſecundũ.

Ad fundamentum quod affertur ex implicantia de replicatione corporis Chriſti in cœlo, & in hoſtia, fuſè patebit reſponſio in Corollario ſecundo de replicatione, vbi oſtendemus non repugnare principiis Philoſophiæ, poſſe per diuinam potentiam idem numero corpus replicari in diuerſis locis per diuerſa Vbi, tanquam diuerſas rationes formales; ſicut naturaliter replicatur Angelus in pluribus locis inadæquatis, etiam diſtantibus inter ſe, & anima rationalis in pluribus partibus corporis, tanquam in vno loco adæquato.

Et hæc breuiter dicta ſint de hac controuerſia contra hæreticos; nunc accedendum eſt ad quæſtiones controuerſas inter Scholaſticos.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm corpus Chriſti in Sacramento ſit quantum, & extenſum in ordine ad ſe.

1. Prima ſententia Durandi.

PRIMA ſententia eſt Durandi in 4. diſt. 10. quæſt. 2. qui aſſerit nullo modo in corpore Chriſti exiſtente in Sacramento, eſſe quantitatem, nec formaliter nec identicè, & conſequenter negat habere vllas qualitates.

Fundamentum.

Fundamentum Durandi eſt, quia exiſtimat ſecundùm Philoſophiam, vt oſtendimus in prædicamento Quantitatis, quantitatem eſſe accidens realiter diſtinctum a ſubſtantia, & eius effectum formalem eſſe extendere ſubſtantiam in loco; non enim agnoſcit illam aliam extenſionem, quæ eſt in in ordine ad ſe; cùm igitur corpus Chriſti, inquit, ſub ſpeciebus Sacramẽtalibus, non habeat effectum formalem quantitatis, quia non eſt extenſum, & commenſuratum loco, vt ſupponitur, ſequitur ſecundùm ipſum, quòd neque habeat ipſam quantitatem, nec conſequenter vllas qualitates, quia qualitates ſunt in ſubſtantia, media quantitate.

2. Secunda ſẽtentia Ochami & Nominaliũ & Paludani & Aliac.

SECVNDA ſententia eſt Ochami in 4. q. 4. & in tract. de Euchariſt. cap. 19. & Nominalium in 4. qui concedunt quidem in corpore Chriſti exiſtente in Sacramento eſſe quantitatem identificatam, negant tamen per illam quantitatem corpus Chriſti exiſtere extenſum in ordine ad ſe; quòd enim non exiſtat extenſum localiter, certum eſt; ad quam etiam ſententiam accedit Paludan. in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. & Aliacenſis ibidem, ſed mouentur ex diuerſis fundamentis.

Primũ fundamentum Ochami & Nominaliũ.

Fundamentum Ochami & Nominalium eſt, quia exiſtimant extenſionem in ordine ad ſe, non differre ab extenſione in ordine ad locum; non ergo, inquiunt, corpus Chriſti poteſt eſſe in Sacramento extenſum in ordine ad ſe, cùm non ſit extenſum in ordine ad locum; Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens probant ex tribus capitibus.

Primum caput eſt ex diſtantia, Certum eſt, inquiunt, corpus Chriſti, etiam vt concedunt aduerſarij, (niſi quæſtio ſit de nomine) ex eo quia eſt extenſum in ordine ad ſe, habere partes diſtinctas, vna enim pars vnitur vni immediatè, vt caput collo, & alteri, vt pectori, mediatè; ſed vbi eſt diſtantia, poteſt eſſe motus localis, motus autem localis, eſt eſſentialiter acquiſitio loci, ergo extenſio in ordine ad ſe, eadem eſt cum extenſione in ordine ad locum.

3\. Secundum caput eſt ex figura; Corpus, inquiunt, extenſum in ordine ad ſe, habet partes diſtinctas, & terminatas, ergo eſt figuratum, ergo eſt extenſum in ordine ad locum. Prima conſequentia patet; ſecunda probatur, quia figura dicit ordinem ad locum, patet enim experientia, ex ſola variatione partium in ordine ad locum variari figuram.

4\. Tertium caput ſumitur ex diuiſibilitate; Corpus enim Chriſti extenſum in ordine ad ſe, eſt, inquiunt Nominales, diuiſibile ſaltem à Deo, quia habet partes extra partes, ſed ſecundùm Philoſophum res non poteſt diuidi, niſi extenſa in ordine ad locum, ergo ſi corpus Chriſti eſſet in Sacramento extenſum in ordine ad ſe, eſſet etiam extenſum in ordine ad locum, quia eſt diuiſibile.

5\. Secundum fundamentũ Paludani.

Fundamentum autem Paludani diuerſum eſt à fundamento Nominalium; exiſtimat enim, quòd quamuis concederetur, extenſionem in ordine ad ſe, differre ab extenſione in ordine ad locum, tamen adhuc, inquit, repugnaret corpus Chriſti eſſe in Sacramento extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum; quia extenſio ad ordine ad locum, eſt inſeparabilis, ab extenſione in ordine ad ſe, ſicut à ſimili, inquit, repugnat rem coëxiſtere cum tempore, & tamen non menſurari à tempore; ita repugnat dari corpus, quod eſt præſens loco, vt eſt corpus Chriſti præſens ſpeciebus, & non commenſurari loco, ſeu non habere partes extenſas in ordine ad locum.

6\. Tertiũ fundamentum Aliacenſis.

Tertiò negat etiam Aliacenſis in 4. corpus Chriſti in Sacramento eſſe extenſum in ordine ad ſe, ſed ex alio fundamento; exiſtimat enim, quòd quamuis extenſio in ordine ad locum, ſit ſeparabilis ab

Digitized by Google

lis ab extenſione in ordine ad ſe, ita vt poſſit corpus A extenſum in ordine ad ſe conſtitui in puncto; negat tamen poſſe conſtitui eo modo, quo conſtituitur Corpus Chriſti in Sacramento, totum ſcilicet in toto, & totum in qualibet parte, ſequeretur enim, inquit, quod omnes partes eſſent ſimul, & non ſimul; ſimul quidem, quia vbi eſſent pedes, eſſet caput; non ſimul, quia caput diſtaret à pedibus per omnes partes intermedias, ſupponitur enim extenſum in ordine ad ſe.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

7. *Prima concluſio cõtra Durandum.*

Corpvs Chriſti in ſacramento eſt quantum, ſeu affectum formaliter quantitate. Eſt communis ſcholaſticorum in 4. diſt. 10. & S. Thom. 3. part. quæſt. 76. art. 4.

Ratio fundamentalis huius primæ cõcluſionis. Trident.

Fundamentum eſt, per verba conſecrationis veniunt per concomitantiam omnia ea, quæ ſunt naturaliter connexa cum corpore Chriſti, vt patet ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi habetur expreſsè, in conſecratione Corporis exiſtere in Sacramento, non ſolùm Corpus ex vi verborum, ſed etiam ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ exiſtere ſanguinem, & animam; Sed maior connexio naturalis ex vno capite, eſt inter corpus, & ipſius quantitatem, quàm inter corpus, & ſanguinem; quia inter corpus & ſanguinem non eſt alia connexio, quàm localis, pertinens ad integritatem & perfectionem corporis humani; at verò quantitas eſt in ſubſtantia corporis Chriſti per intrinſecam inhæſionem, & informationem, tamquam naturalis proprietas.

8. *Prima confirmatio.*

Confirmatur primò, quia ſi non exiſteret quantitas, nec exiſterent qualitates corpori humano naturales, quia naturaliter ſunt in ſubſtantia, media quantitate, quod quidem conſequenter concedit Durandus loco citato; ſed non bene, quia qualitates temperamenti naturalis, non minùs ſunt neceſſariæ corpori humano, quam ſanguis; ſi ergo ſanguis in ſacramento eſt coniunctus cum ſubſtantia corporis Chriſti, dicendum eſt etiam eſſe coniunctas cum eodem corpore quantitatem, & qualitates.

9. *Secunda cõfirmatio.*

Cõfirmatur ſecundò, quia non alia ratione voluit Deus, vt cum corpore Chriſti ſit coniunctus ſanguis, & aliæ partes, quamuis ex vi, & ſignificatione verborum ſub ſpeciebus panis, ſit ſolum corpus, niſi, vt corpus humanum Chriſti, non ſit quaſi monſtrum ſine ſanguine, neque exiſteret cum violentia ſine partibus, quæ cum corpore humano connaturaliter coëxiſtunt; ſed ſi corpus Chriſti exiſteret ſine quantitate, exiſteret tamquam monſtrum ſine vlla figura, & ſine vllis organis, & ſine raritate, & denſitate, & præterea non haberet complexionem naturalem, ſi exiſteret ſine qualitatibus, quia non haberet qualitates temperamenti naturalis, ac proinde Corpus Chriſti, vt præſens in ſacramento, eſſet non ſolùm monſtruoſum, ſed violentum.

10. *Inſtatur cõtra hanc rationem fundamẽtalem.*

Sed circa hanc rationem fundamentalem, quæ ſatis eſt ad probandum opinionem Durandi ad minus eſſe temerariam, dubium occurrit, quia non minùs naturaliter connectitur quantitas cum corpore Chriſti, quàm Vbi locale, quod habet in cœlo, & ſitus ſedendi, vel ſtandi, & tamen certum eſt hæc non exiſtere cum corpore Chriſti, vt eſt in ſacramento.

Solutio.

Pro cuius dubij ſolutione notandum eſt, in corpore Chriſti quædam eſſe accidentia abſoluta, quæ neque dependent à loco, neque à motu locali, qualia ſunt omnia ea quæ eadem numero poſſunt transferri de vno loco in alium, huiuſmodi ſunt quantitas, qualitates, & illæ relationes, quæ fundantur in iſtis accidentibus, & præterea actiones, & paſſiones, quibus efficiuntur hæc accidentia; Aliæ ſunt accidentia localia, qualia ſunt Vbi locale, ſeu exiſtentia in loco, propinquitas, & motus localis, ſitus ſedendi, vel ſtandi, & hæc quidem accidentia ſunt immobilia, conſtituuntur enim per habitudinem ad locum, vt immobilis eſt, vnde non poſſunt transferri eadem ſecundùm numerum de vno loco in alium.

11.

His poſitis dicendum eſt ad dubium, quòd acci- B dentia primi generis, ex vi naturalis connexionis exiſtunt eadem numero cum corpore Chriſti, in ſacramento; ſicut exiſtebant in cœlo, quia remanentia eadem ſecundùm numerum poſſunt transferri de vno loco in alium; quare poſito miraculo exiſtentiæ corporis Chriſti in hoc ſacramento, ſequitur quòd connaturaliter cum corpore Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtant illa accidentia primi generis; cuiuſmodi ſunt quantitas, & qualitates naturales, denſitas, & raritas, & alia huiuſmodi, quæ non pendent à loco: Alia verò accidentia ſecundi generis, quia ſunt localia, & immobilia, non poſſunt eadem numero transferri de vno loco in alium; ideo non poſſunt fieri præſentia ſimul cum C corpore Chriſti, ſub ſpeciebus ſacramentalibus; Et hinc habes primò quare Corpus Chriſti non ſit extenſum localiter in ſacramento, ſicut eſt extenſum in cœlo, ratio enim eſt, quia non habet illam formam, ſeu Vbi, per quod formaliter illius partes in cœlo ſunt extenſæ in ordine ad locum; Hinc habes ſecundò præſentiam, quam habet corpus Chriſti in vna hoſtia, non habere in alia hoſtia, quare quando Chriſtus in vna hoſtia eleuatur, & mouetur, non propterea mouetur in alia hoſtia.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

D

12. *Secunda cõcluſio.*

Non repugnat corpus Chriſti in Sacramẽto eſſe extenſum in ordine ad ſe, quamuis ſit inextenſum in ordine ad locum.

Probatur primò concluſio cõtra Ocham & Nominales.

Hæc concluſio probatur primò contra Ochamum, & Nominales, qui negant dari extenſionem in ordine ad ſe, diſtinctam ab extenſione locali, vt viſum eſt ſuprà in ſecunda opinione; Probatur autem, quia, vt oſtenſum eſt ſuprà in prædicamento Quantitatis, extenſio in ordine ad ſe nihil aliud eſt, quàm vnio partium componentium vnum totum, per quam formaliter vna pars immediatè eſt vnita vni, & mediatè cæteris; ſicut caput eſt immediatè vnitum collo, & mediatè pectori, & idem dicen- E dum de partibus homogeneis, nam in quantitate palmari pars (A) immediatè vnitur parti (B) & mediatè C; ex his autem vnionibus fit vnum totum; ergo extenſio in ordine ad ſe, eſt alia ab extenſione in ordine ad locum. Conſequentia probatur, quia priùs partes quantitatis comparantur ad totum, ſeu in ordine ad ſe, & deinde conſequenter ad locum, ita vt vna pars totius correſpondeat vni parti loci, & altera alteri, & totum toti loco; Antecedens probatur, ſeu explicatur, tum exemplo ſubſtantiæ, quæ quidem eſt diuiſibilis ſecundùm intenſionem partium gradualium in ordine ad ſe; eſt autem inextenſa in ordine ad locum, quia omnes gradus intenſionis correſpondent vni & eidem parti extenſio-

Extenſio in ordine ad ſe eſt alia ab extenſione in ordine ad locum.

nis;

Digitized by Google

nis: tum quia per condenſationẽ,& rarefactionem non deperduntur, vel acquiruntur partes quantitatis, ſed ſolùm acquiritur extenſio in ordine ad locum, ergo extenſio in ordine ad ſe, eſt alia ab extenſione in ordine ad locum.

13. Quòd verò per condenſationem, & rarefactionem non acquirantur, vel deperdantur partes quantitatis, patet in condenſatione & rarefactione ſpecierum ſacramentalium, quia non poteſt dici, quòd acquiratur vel deperdatur noua quantitas, tum quia produceretur ex non ſubiecto, ac proinde crearetur; creatio autem, non eſt opus agentis naturalis: tum quia ſi produceretur noua quantitas, ſequeretur quòd in illa non eſſet Corpus Chriſti, quia illa quantitas de nouo producta non eſſet Sacramentalis, ac proinde cùm non poſſit cognoſci, quæ ſit illa pars de nouo acquiſita, fieret conſequenter vt non eſſemus certi ſub qua parte quantitatis debeamus adorare corpus Chriſti; Nec poteſt dici, ſatis eſſe ſi corpus Chriſti adoretur vt ſtat ſub aliis accidentibus, non, inquam, poteſt dici, tum quia Corpus Chriſti vnitur cum aliis accidentibus, media quantitate, vt infrà dicetur; tum quia contingit alia accidentia de nouo produci, & tunc redit eadem difficultas, quæ erat de quantitate de nouo producta.

14. Probatur ſecunda concluſio cõtra Paludanum.

Probatur ſecunda concluſio contra Paludanum, qui quidem, vt viſum eſt in ſecunda ſententia, concedit contra Nominales, extenſionem in ordine ad ſe, eſſe aliam ab extenſione in ordine ad locum, negat tamen poſſe extenſionem in ordine ad locum ſeparari ab extenſione in ordine ad ſe, ac proinde negat corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus eſſe extenſum in ordine ad ſe, quia eſſet extenſum etiam in ordine ad locum, quod eſt contra fidem.

Extenſio localis eſt ſeparabilis ab extẽſione in ordine ad ſe.

Probatur igitur adhuc concluſio directè contra hoc fundamentum Paludani; extenſio localis poteſt ſeparari ab extenſione in ordine ad ſe, ergo non repugnat Corpus Chriſti eſſe extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum: Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, Extenſio in ordine ad ſe, non eſt dependens ab extenſione locali, nec tanquam à cauſa, quia eſt prior illa, nec tamquam à poſteriori, vel vt ab effectu, vel vt à conditione, quia non magis extenſio localis eſt intrinſeca quantitati, quàm ſit inhærentia accidenti, & ſubſiſtentia ſubſtantiæ; ſed inhærentia poteſt ſeparari ab accidente, & de facto eſt ſeparata in Sacramento Euchariſtiæ, & ſubſiſtentia humana creata, de facto eſt ſeparata in Chriſto; ergo ſimiliter non videtur cur repugnat extenſionem localem poſſe per diuinam potentiam ſeparari à quantitate, ſeu extenſione in ordine ad ſe, cùm ſit poſterior illa.

15. Cõfirmatur.

Et confirmatur, quia non apparet magis naturale quantitati extendi in ordine ad locum, quàm non penetrari cum alia quantitate; ſed per diuinam potentiam poſſunt duo corpora ſe inuicem penetrare; ergo etiam poteſt per diuinam potentiam Corpus Chriſti eſſe extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum. Maior probatur, quia magis impoſſibilis videtur penetratio duorum corporum, quàm quòd corpus ſit extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum, nam impenetrabilitas videtur magis intrinſecè coniungi cum extenſione, quàm extenſio localis, cum extenſione in ordine ad ſe; impenetrabilitas enim dicit intrinſecè ipſam extreitatem partium; vbi igitur datur extreitas, videtur, quòd ibi danda ſit im-

A penetrabilitas; at verò extenſio localis eſt extra conceptum extenſionis in ordine ad ſe, & potiùs ſupponit illam: Minor probatur, quia Chriſtus ingreſſus eſt ad diſcipulos ianuis clauſis, Ioan. 20. & hoc fuit per penetrationem corporum, ſecundùm partes in eodem loco; & Matth. 19. vbi dicitur, *Facilius eſt camelum per foramen acus*, &c. *hoc eſſe impoſſibile apud homines*, ait Chriſtus, *poſſibile verò apud Deum*; quod de potentia etiam abſoluta fieri poſſe exponunt Gregorius, Hilar. & Chryſoſt. in illum locum, & Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 1. & alibi.

Ioan. 20.

Gregor. Hilar. Chryſoſt. Auguſt.

B

TERTIA CONCLVSIO CONTRA EAMDEM SECVNDAM SENTENTIAM.

16. Tertia concluſio.

NON ſolùm de poſſibili, vt probatum eſt in ſuperiori concluſione, ſed etiam de facto, Corpus Chriſti in Sacramento eſt extenſum in ordine ad ſe, quamuis vt ſupponitur ex fide, & infrà probabitur, ſit inextenſum in ordine ad locum.

Prima ratio aliquorum.

Probant hanc concluſionem nonnulli primò, quia ſi corpus Chriſti in Sacramento nullam haberet extenſionem nec in ordine ad ſe, nec in ordine ad locum; ſed tantùm haberet partes entitatiuas, quæ poſſent extendi, ſequeretur, inquiunt, quòd albedo, quæ eſt in corpore Chriſti, exiſtente in cœlo, fieret infinitè intenſa, quando Corpus Chriſti ponitur omnino inextenſè in Sacramento. C Probant ſequelam; in qualibet enim, inquiunt, parte proportionali entitatiua Corporis Chriſti, eſſent omnes gradus albedinis, qui ſunt in omnibus partibus proportinalibus eiuſdem Corporis, ergo in qualibet parte proportionali eſt albedo infinitè intenſa; Conſequentia patet; quia in qualibet parte proportionali Corporis Chriſti vniuntur infiniti gradus albedinis eiuſdem æqualis intenſionis. Antecedens probant; nam ſicut quælibet pars proportionalis entitatiua Corporis Chriſti in Sacramento vnitur cum omnibus partibus ſecundùm hanc opinionem Nominalium; quia tollitur omnis extenſio; ita quælibet pars proportionalis entitatiua albedinis vnitur cum omnibus partibus entitatiuis albedinis.

Reiicitur.

D Sed hæc ratio non eſt efficax, nam adhuc conceſſa opinione Nominalium, poſſet dici, quòd partes proportionales entitatiuæ albedinis ſubiectantur in partibus proportionalibus entitatiuis ſubſtantiæ, & quantitatis identificatæ cum ſubſtantia; ac propterea non faciunt intenſionem maiorem; ad hanc enim requiritur, vt omnes partes entitatiuæ albedinis ſint in eadem parte proportionali ſubiecti; & quamuis omnes partes albedinis ſint in qualibet parte loci, hoc nihil aliud probat, niſi albedinem eamdem infinities replicari loco ſimul cum corpore Chriſti, in quo ſubiectatur; ſicut anima rationalis infinities replicatur in corpore; hoc autem non ſufficit ad faciendam intenſionem maiorem, requiritur enim vt partes albedinis ſint in E eadem parte ſubiecti, non autem in eadem parte loci.

17. Secunda ratio efficacior.

Secundò igitur probatur concluſio efficaciter; Si Corpus Chriſti non eſſet extenſum in Sacramento in ordine ad ſe, ſequeretur, quòd quando Corpus Chriſti fieret præſens in Sacramento inextenſè in ordine ad locum, producerentur infinitæ vniones, quia ad hoc, vt infinitæ partes proportionales inter ſe vniantur, neceſſe eſt, vt quælibet pars proportionalis vniatur cum omnibus; In ſingulis igitur partibus proportionalibus deberent produci ſingulæ

ſingulæ vniones, & præterea ſequeretur, infinitas illas vniones corrumpi, quando deſinit eſſe Corpus Chriſti ſub ſpeciebus; & quamuis huiuſmodi ſequelas admittant Nominales, non tamen videntur concedendæ, abſurdum enim eſt Corpus Chriſti glorioſum infinities mutari, vbi nulla eſt neceſſitas; nullam autem eſſe neceſſitatem probatum eſt, quia non repugnat, Corpus Chriſti in Sacramento manere extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum.

18. *Tertia ratio.* Tertiò probatur concluſio, quia ſequeretur, quòd Corpus Chriſti eſſet in Sacramento ad modum cuiuſdam monſtri; nam ſi Corpus Chriſti in Sacramento ſecundum Nominales nullam habet extenſionem, nec in ordine ad ſe; nec in ordine ad locum, ſequitur neceſſariò quòd nullam habet figuram humanam, nec vlla organa; hæc enim conſequuntur quantitatem extenſam ſaltem in ordine ad ſe, eſſet igitur Corpus Chriſti in Sacramento ad modum monſtri, quod quidem admittere abſurdum eſt, præſertim in corpore Chriſti glorioſo.

19. *Cẽſura primæ & ſecũdæ ſentẽtiæ.* Hinc fit, vt quamuis opinio Nominalium ſit minùs improbabilis, quàm opinio Durandi, ex eo capite, quatenus Nominales admittendo quantitatem in corpore Chriſti exiſtente in Sacramento, admittant conſequenter temperamentum qualitatum, quod eſt neceſſarium ad conſeruationem Corporis Chriſti, & omnes alias qualitates abſolutas, quas quidem non admittit Durandus, vt ſuprà vidimus, negando quantitatem; tamen quatenus opinio Nominalium negat ſimul cum Durando, corpus Chriſti eſſe extenſum in Sacramento in ordine ad ſe, eſt improbabilis, ſicut opinio Durandi, ex vtraque enim ſequitur, vt probatum eſt, quòd Corpus Chriſti in Sacramento, eſſet ad modum cuiuſdam monſtri.

QVARTA CONCLVSIO, SPECIALITER CONTRA OPINIONEM *Nominalium.*

20. CORPVS Chriſti in Sacramento eſt quantum, non quantitate ſibi identificata, vt dicunt Nominales, ſed quantitate diſtincta realiter.

Probatur, Corpus Chriſti extra Sacramentum eſt in cœlo quantum, quantitate diſtincta realiter; ergo etiam in Sacramento eſt quantum quantitate diſtincta realiter; Conſequentia eſt manifeſta, quia non poteſt eadem quantitas in vno loco eſſe identificata cum Corpore Chriſti, & in alio diſtincta; mutaretur enim intrinſecè, quod fieri non poteſt per replicationem in alio loco; Locus enim eſt quid intrinſecum, ſupponens entitatem intrinſecam. Antecedens, in quo eſt tota difficultas, probatur contra Nominales, quia, vt fuſiùs oſtenſum eſt in prædicamento Quantitatis, ſi quantitas identificaretur cum ſubſtantia, & cum aliis accidentibus, ſequeretur inter alia illud præcipuè abſurdum, quòd daretur naturaliter penetratio; Duo enim accidentia ſunt quanta, & extenſa per Nominales quantitate identificata, cum ipſis accidentibus, & tamen ſunt in eodem ſubiecto; ergo ſe penetrant in eodem ſubiecto, quod quidem eſt abſurdum, quia eodem modo poſſent ſe penetrare duo accidentia diuerſorum ſubiectorum; & præterea ſe penetrant cum quantitate ſubiecti.

21. *Confutatur ſolutio Nominalium.* Nec valet illorum reſponſio, admittendo, duo accidentia vnius ſubiecti poſſe ſe penetrare, quia educuntur ab eodem ſubiecto, non autem diuerſo-A rum ſubiectorum, quia educuntur à diuerſis ſubiectis, non, inquam valet, quia ita duo accidentia vnius ſubiecti habent extenſionem localem ſecundùm ipſos Nominales, ſicut habent duo accidentia diuerſorum ſubiectorum; Ex locali autem extenſione oritur neceſſariò, & naturaliter impenetrabilitas; ſiue enim impenetrabilitas ſit potentia reſiſtendi, ſiue ſit negatio, conſequitur immediatè ad ipſam extenſionem, quia non poteſt aſſignari aliud à quo immediatè oriatur.

Quòd autem accidentia educantur ab vno & eodem ſubiecto, vel à diuerſis, nihil facit ad rationem penetrabilitatis; quod ex eo confirmari poteſt, quia accidentia, quæ erant in ſanctiſſimo Sacramento, ſe penetrant cum ſubſtantia, quæ de nouo B producitur ſub illis iiſdem accidentibus, & tamen illa accidentia non ſunt educta ab illa ſubſtantia. 22.

RESPONSIO AD ARGVMENTA PRIMÆ ET SECVNDÆ SENTENTIÆ.

AD argumentum primæ ſententiæ quod eſt contra primam concluſionem, reſpondetur; falſum ſupponere Durandum, effectum formalem Quantitatis eſſe tantùm extenſionem in ordine ad locum; in ſecunda enim concluſione ſatis probatum eſt, primarium effectum, ſeu eſſentiam Quantitatis eſſe extenſionem in ordine ad ſe. 23. *Reſpõſio ad argumẽtum primæ ſententiæ.*

C Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſunt contra ſecundam & tertiam concluſionem noſtram, reſpondetur; & ad primum argumentum, quod eſt fundamentum Nominalium, quo probabant Corpus Chriſti in Sacramento non eſſe extenſum in ordine ad ſe, ex eo, quia extenſio in ordine ad ſe, eſt idem eſſentialiter cum extenſione locali; quod probabant ex triplici capite implicantiæ; reſpondetur, & ad primum caput reſpondent nonnulli, concedendo in huiuſmodi corpore eſſe diſtantiam; Sed hæc diſtantia, inquiunt, duplex eſt, quædam intrinſeca, & hæc eſt ſolùm reſpectu partium, quæ inter ſe vniuntur in toto, & huiuſmodi diſtantia, eſt entitatiua, ſeu quantitatiua, non autem localis; vnde fit, D vt partes, quæ faciunt hanc vnionem, & diſtantiam, non poſſint moueri, dum ſunt in toto, cùm autem ſeparantur, iam non habent partes componentes totum, & facientes illam diſtantiam intrinſecam; Alia diſtantia eſt extrinſeca, reſpectu illarum rerum quæ non componunt illud totum, & hæc eſt localis, & de hac probat argumentum, quòd poteſt aliquod mobile per illam diſtantiam moueri, & conceditur, inquiunt, totum; quia illud corpus extenſum in ordine ad ſe, & inextenſum in ordine ad locum, non repugnat, vt ſit locus reſpectu aliorum mobilium; non autem eſt locus reſpectu ſuarum partium, quare ſecundùm totum, & ſecundùm ſuas partes abſtrahit à loco, quia nec ipſum totum eſt in aliquo loco extrinſeco; ſupponitur enim inexten-E ſum in ordine ad locum; nec ipſum corpus eſt locus ſuarum partium. 24. *Reſpõſio ad primũ argumentum ſecundæ ſententiæ.* *Ad primum caput implicãtiæ huius primi argumenti.* *Non poteſt aliquod mobile moueri per Corpus Chriſti extenſum tantum in ordine ad ſe in Sacramẽto.*

Sed hæc reſponſio non videtur admittenda, tum quia, vt probatum eſt in prædicamento Quantitatis, diſputatione tertia quæſtione prima, corpus extenſum in ordine ad ſe, non ſolùm caret extenſione paſſiua, ita vt non ſit locatum, ſed caret etiam extenſione actiua, ita vt non poſſit eſſe locus alterius, quia alioquin ſequeretur, quòd ipſum eſſet locatum, quia poſſet dici quòd ſanguis eſſet in venis tanquam in loco; & quòd caro eſſet locus oſſium: tum quia peculiari ratione hoc repugnat in corpore Chriſti

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti, quod ita eſt extenſum in ordine ad locum, vt tamen ſit totum in toto, & totum in qualibet parte loci; nam hoc poſito repugnat fieri motum per corpus Chriſti, motus enim eſſentialiter eſt acquiſitio loci, & neceſſariò exigit diſtantiam localem; at verò in Corpore Chriſti, vbi eſt vna pars Corporis, eſt alia & omnes, nõ ergo poteſt fieri motus tranſeundo ab acquiſitione vnius partis, ad acquiſitionem alterius partis diſtantis localiter.

25. *Ad ſecundũ caput implicantiæ. An corpus Chriſti in Sacraméto ſit figuratum.*

Ad ſecundũ caput implicantię reſpondetur, concedendo Corpus Chriſti in Sacramento eſſe figuratum, negatur tamen, quòd figura dicat eſſentialiter ordinem ad locum, eſt enim qualitas abſoluta, quatenus dicit talem diſpoſitionem partium in actu primo, vt illi debeatur talis commenſuratio ad locum, vt ſtatio, vel ſeſſio, &c.

26. *Ad tertium caput implicantiæ. An corpus Chriſti in Sacramento ſit diuiſibile.*

Ad tertium caput implicantiæ reſpondetur cócedẽdo Corpus Chriſti in Sacramento eſſe diuiſibile per diuinam potentiam; negatur tamen diuiſibilitatem tantùm eſſe ex ordine ad locum; Duplex enim eſt diuiſio, quædam, quæ fit per motum localem, vt quando per introductionem vnius corporis expellitur alterum incompoſſibile ab eodem loco; & hæc quidem diuiſio ſupponit corpus extenſum in ordine ad locum; Alia diuiſio eſt, quæ fit per ſolam deſtructionem continuationis aliquarum partium, & hæc non ſupponit corpus extenſum in ordine ad locum, ſufficit enim, quòd ſit extenſum in ordine ad ſe, fit enim hæc diuiſio per ſolam ſubtractionem concurſus ab vnione aliquarum partium, quæ componebant totum.

27. *Reſponſio ad ſecundũ argumentũ quod eſt fundamentum Paludani.*

Ad ſecundum argumentum, quod erat fundamentum Paludani; reſpondetur negando extenſionem in ordine ad locum, eſſe inſeparabilem ab extenſione in ordine ad ſe, vt oſtenſum eſt in ſecunda concluſione; Et cùm inſtatur, quòd ſicut eſt impoſſibile rem coëxiſtentem cum tẽpore, non menſurari tempore; ita eſt impoſſibile corpus Chriſti eſſe præſens ſpeciebus Sacramentalibus, & non commenſurari illis: Reſpondetur eſſe diſparitatem inter durationem, & locum, nam duratio propria rei, eſt valde intrinſeca rei, eſt enim ipſa exiſtentia permanens; quare multi tenent ſatis probabiliter, nullo modo durationem propriam eſſe diſtinctam à re exiſtenti; at verò extenſio localis, non eſt ita intrinſeca, ac proinde poteſt per diuinam potentiam ſeparari à re, non enim eſt magis intrinſeca, quàm inhærentia, & ſubſiſtentia, & tamen hæc de facto ſeparantur, nam in Sacramento eſt quantitas ſine inhærentia, & in humanitate Chriſti non eſt propria naturalis ſubſiſtentia.

28. *Ad tertium argumentũ quod eſt fundamentum Aliacenſis.*

Ad tertium argumentum, quod erat fundamentum Aliacenſis, reſpondetur hoc argumentum petere illam quæſtionem An corpus Chriſti ſit punctualiter in hoſtia, vel totum in toto, & totum in qualibet parte, quam infrà examinabimus. Breuiter tamen nunc reſpondeo, quòd partes corporis Chriſti in Sacramento ſunt ſimul in ordine ad diſtantiam extrinſecam, & localem, ſunt autem diſtantes ſecundùm diſtantiam intrinſecam & quantitatiuam, vt ſuperiùs dictum eſt, &c.

***

DVBITATIO TERTIA.

Vtrùm corpus Chriſti ſit intimè præſens ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & cuilibet earum parti, ſeu totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte.

1. *Prima ſententia. Altiſiod.*

PRIMA ſententia eſt Altiſiod. lib. 4. ſummæ tract. 5. cap. 4. qui negat Chriſtum eſſe totum ſub qualibet parte ſpecierum hoſtiæ, ſed dicit partes Chriſti reſpondere partibus ſpecierum, quando verò hoſtia eſt parua, admittit penetrationem partium, de qua opinione multa diſſerit Gabr. lect. 80. in can. *Gabr.*

Probat autem hanc ſuam opinionem Altiſiod. exemplo imaginis quæ apparet in ſpeculo, quòd ſi ſpeculum diuidatur, in qualibet parte diuiſa apparet tota imago; ita ſimiliter ſi hoſtia diuidatur, in qualibet parte diuiſa, eſt totum corpus Chriſti, quod tamen non erat totum in illa parte, quando erat coniuncta, ſed tantùm ſecundùm partem.

2. *Secũda ſententia.*

SECVNDA ſententia tenet, totum corpus Chriſti eſſe ſub qualibet minima parte hoſtiæ; negat tamen eſſe ſub minori minima.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM ALTISIODORENSIS.

Prima concluſio.

CERTVM eſt de fide, totum corpus Chriſti ita eſſe intimè præſens omnibus partibus ſpecierũ hoſtiæ ante ſeparationem & diuiſionem, vt non ſit pars in parte, & totum in tota hoſtia.

Primò probatur authoritate Conciliorum.

Probatur primò, quia ita definitum eſt in Tridentino ſeſſ. 13. tanquam ex communi conſenſu Eccleſiæ, & in cap. Vbi pars, de conſecratione diſt. 2.

Secũdò probatur ex Patribus. Cypr. Hilar. Euſeb. Emiſſ. Chryſoſt. Cyril. Inno.

Probatur ſecundò ex communi ſententia Patrum; ita Cyprian. ſerm. 10. Hilar. 8. de Trinitate, Euſeb. Emiſſenus hom. 5. de Paſchate, Chryſoſtom. hom. 83. in Matth. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. & 13. Inno. lib. de myſterio Altaris cap. 8. eſt etiam communis Scholaſticorum in 3.

3. *Tertiò probatur ratione. Albert.*

Probatur tertiò ratione, quam affert Albert. in 4. diſtinct. 10. cui falſo attribuitur oppoſitum, Corpus Chriſti in ſacramento inquit, eſt tamquam in ſigno ſacramentali, quod realiter continet corpus Chriſti ſignatum; Sed ratio ſigni ſacramentalis eſt in qualibet parte ſpecierum, quia quælibet ſignificat corpus Chriſti tamquam cibum ſpiritualem; oportet igitur vt corpus Chriſti ſit in qualibet parte hoſtiæ.

4. *Quartò probatur.*

Quartò probatur, quælibet pars ſubſtantiæ panis conuerſa eſt in totum corpus Chriſti, ergo corpus Chriſti debet eſſe in qualibet parte hoſtiæ. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens probatur, & quidem quòd tota ſubſtantia panis ſit conuerſa in corpus Chriſti, patet ex Tridentino, ſeſſ. 13. cap. 4. vbi dicitur fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Quòd verò quælibet pars panis ſit conuerſa in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, probatur; quia non maior eſt ratio, cùm ſubſtantia panis ſit homogenea, quare hæc pars potiùs ſit conuerſa in caput Chriſti, quàm alia, niſi fingatur nouum miraculum, quod quidem non debet temerè concedi, præſertim quia tunc corpus Chriſti non eſſet in illa parte hoſtiæ, ex vi ſolius conuerſionis, ſed per nouum miraculum ſuperadditum.

Digitized by Google

5\. Quintò probatur.

Quintò probatur, quando diuiditur hoſtia certum eſt de fide, vt infrà dicetur in quarta dubitatione, & concedit Altiſiod. partem diuiſam continere totum Chriſti. Quæro igitur ab Altiſiod. ſi ante diuiſionem ſecundum ipſum in alia parte hoſtiæ non erat totus Chriſtus, ſed pars Chriſti, cur facta diuiſione in illa parte eſt totus Chriſtus, non enim poteſt dici ſeparationem habere virtutem ponendi totum Chriſtum ſub illa parte hoſtiæ, ſub quà priùs non erat, quia ſeparatio non habet virtutem conſecrandi, præſertim ſi fiat à laico? Reſpondet Altiſiod. hoc eſſe ſimile imagini, quæ vnica tantùm apparet in ſpeculo; cùm verò diuiditur ſpeculum non diuiditur imago, ſed reſultat tota imago in qualibet parte ſpeculi.

B

Sed contrà inſtatur primò, quia falſum aſſumitur, aliquam imaginem eſſe in ſpeculo, vt enim probauimus in 2. de anima, id quod apparet in ſpeculo, eſt ipſummet obiectum oppoſitum ſpeculo, à quo obiecto producitur ſpecies in ſpeculo repræſentatiua ipſius obiecti, quæ reflexa ad oculum, repræſentat obiectum in ſpeculo, à quo reflexa eſt, cuius ſignum eſt, tum quia imaginatum apparet maioris magnitudinis, quàm ſit ſpeculum; tum quia apparet extra ſpeculum in tanta diſtantia, quanta eſt inter obiectum, & ſpeculum, à quo reflexa eſt ſpecies.

S.Thom.

Secundò inſtatur, quia ex S.Thom. 3. part. quæſt. 65. art. 3. cùm ſpeculum diuiditur, fit noua reflexio C ſpeciei à parte ſpeculi diuiſa; quia parti diuiſæ ſpeculi obiicitur totum obiectum, quòd ſi non obiiciatur, non apparebit tota imago ab obiecto, igitur producitur ſpecies obiecti, quæ reflectitur ad oculum, & cauſat repræſentationem obiecti, hoc autem non contingit, cùm diuiditur hoſtia, quia ex parte diuiſionis non multiplicatur conſecratio, ſicut multiplicatur reflexio; ac proinde remanet illa tantùm vnica prior conſecratio; ex vi cuius ſecundùm Altiſiod. pars corporis Chriſti conſtituebatur in parte hoſtiæ, & totum corpus Chriſti in tota hoſtia; ergo non poteſt per diuiſionem conſtitui totum corpus Chriſti in parte diuiſa, ſi antè non erat in illa parte: D Adde quòd multoties in parte diuiſa imago apparet minor, at verò totum corpus Chriſti eſt in qualibet parte diuiſa.

6\. Sextò probatur.

Sextò probatur, quæro ab Altiſiod. quomodo in hoſtia parua poteſt eſſe totum corpus Chriſti, ſi pars corporis correſpondet parti? Reſpondet Altiſiod. tunc fieri partium penetrationem.

Sed contrà inſtatur, quia ſi admittit penetrationem partium, debet concedere, vt concedit Ocham in 4. & in tract. de Euchariſtia, totum corpus Chriſti eſſe per penetrationem ſub qualibet parte hoſtiæ, quod tamen ipſe non admittit.

7\. Septimò probatur.

Septimò, ſi conſecraretur hoſtia maior corpore Chriſti, ſequeretur, quòd in aliqua parte illius hoſtiæ non eſſet Chriſtus, quia illa hoſtia excederet E corpus Chriſti, niſi dicatur, quòd corpus Chriſti rareſiat, & quò maior eſt hoſtia eò magis Corpus rareſiat in infinitum, quod eſt abſurdum; Præterea ſequeretur aliud abſurdum, quòd Chriſtus mutaret figuram, & ſitum, pro figura, & ſitu hoſtiæ; eſſet enim corpus Chriſti commenſuratum illi hoſtiæ, ac proinde modò eſſet rotúdum, modò quadratum.

8\. Prima obiectio ſoluitur.

Contra hanc concluſionem nihil obiicit Altiſiod. niſi illud exemplum de imagine in ſpeculo, quæ quidem ſimilitudo eſt contra ipſum, vt probatum eſt.

9\. Secunda obiectio.

Secundò obiici poteſt. Certum eſt, totum corpus Chriſti eſſe in tota hoſtia; ſi igitur non eſt diuiſi- A biliter ſecundùm partes correſpondentes partibus hoſtiæ, neceſſe eſt vt ſit indiuiſibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte; ſed hoc videtur eſſe impoſſibile, & dicere quandam confuſionem.

Soluitur.

Reſpondetur, hæc obiectio petit illam difficultatem, quodnam ſit illud Vbi, per quod corpus Chriſti conſtituitur indiuiſibiliter in tota hoſtia; de qua difficultate fusè agemus in quarta & quinta dubitatione; nunc autem ſupponatur nullam dicere impoſſibilitatem, & confuſionem.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM *Alenſis.*

10\. Secunda cõcluſio. S. Thõm. Maior. Sotus.

Corpus Chriſti eſt in qualibet parte hoſtiæ non ſolùm minima, ſed etiam in minori minima. Eſt S. Thomæ 3. part. quæſtione 75. & in 4. diſtinct. 2. quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 3. & Maioris diſt. 1. quæſt. 1. & communis Scholaſticorum; imò Sotus diſtinct. 10. quæſt. 1. artic. 3. circa primum argumentum S.Thomæ, dicit oppoſitum eſſe hæreticum.

Prima ratio.

Probatur primò ex Triden. ſeſſ. 13. citata, vbi definitur totum corpus Chriſti eſſe ſub qualibet parte ſpecierum, tanquam ex communi conſenſu Eccleſiæ, & in cap. Vbi pars. de conſecratione. diſt. 2. dicitur eſſe totum Chriſtum vbi eſt pars.

11\. Secunda ratio.

C Secundò probatur, quælibet pars panis ex Triden. ibidem cap. 4. conuerſa eſt in corpus Chriſti, ergo corpus Chriſti debet ſuccedere in qualibet parte hoſtiæ, etiam minori minima, quia etiam in illa erat ſubſtantia panis.

12\. Tertia ratio.

Tertiò, ſi in partibus minoribus minimis non eſt corpus Chriſti, ergo datur aliqua pars, quæ non debet adorari ſaltem ab Angelo, qui cognoſcit partem minoré minima; hoc autem eſt abſurdum, quia ex communi conſenſu Eccleſiæ tota hoſtia obiicitur adoranda.

13\. Quarta ratio.

Quartò, ſi partes minores minima non continerent Chriſtum, neque partes minimæ continerent, quia partes minimæ componuntur ex paribus minoribus minimis. D

14\. Prima obiectio contra rationes factas.

Obiicitur primò cõtra rationes factas, quia poſſet dici ſequendo ſententiam Alenſis, quòd corpus Chriſti ſit totum in partibus minimis, in partibus verò minoribus minimis, ſit pars corporis Chriſti proportionaliter.

Soluitur.

Reſpondetur, hoc dici non poſſe, tum quia ſi totum corpus Chriſti eſt ſub partibus minimis, nulla videtur aſſignari poſſe ratio conueniens, quòd etiam non ſit in partibus minoribus minimis coniunctim, nam in illis erat etiam ſubſtantia panis.

15\. Replicatur.

Quòd ſi dicas, in partibus minoribus minimis diuiſis à toto, ſi à Deo conſeruentur; non poſſet fieri conſecratio, & tamen ibi eſſet ſubſtantia pa- E nis, ergo ſignum eſt, quòd in partibus minoribus minimis non ſit corpus Chriſti.

Soluitur.

Reſpondeo, quòd etiam ſi admittatur, quod in illis partibus non poſſit fieri conſecratio, de qua re dicetur infrà in ſequenti dubitatione; eſt tamen diſparitas in partibus minoribus minimis diuiſis, & de eiſdem coniunctis, quia quamuis in illis partibus diuiſis minoribus minimis conſeruetur ſubſtantia panis per diuinam potentiam, quia tamen ea ſubſtantia non conſeruatur naturaliter, ideo poſſet dici quòd in illis non fieret conſecratio; at verò in partibus minoribus minimis coniunctis cum aliis partibus, conſeruatur naturaliter ſubſtantia panis, & ideo in illis etiam fit conſecratio.

Obiicies

Digitized by Google

16. Secũda obiectio contra ipſam concluſionem. Soluitur. S.Thom. Sotus. Ricc.

Obiicies ſecundò contra ipſam concluſionem, ſequeretur quòd Chriſtus eſſet infinities in hoſtia.

Reſpondetur, quod melior loquendi modus eſt, dicere cum S.Thoma 3.part.quæſt. 65. art.5. & Soto d.10.q.1.& Ricc. ibidem, quòd corpus Chriſti, eſt ſemel in hoſtia, quia ſicut eſt vnũ numero Sacramentum, quando eſt vnica numero hoſtia, quamuis habeat infinitas partes proportionales, ſic etiã eſt vnica præſentia corporis Chriſti, quæ deſumitur ab vnitate vnius Sacramẽti, ſicut dicitur vnicam præſentiam habere animã rationalem ad totum corpus.

Nonnulli verò aſſignant aliam rationem, quare dicatur vna præſentia in omnibus illis partibus, quia eſt, inquiunt, vnica conſecratio; Sed hæc ratio non ſatisfacit, quia vnica conſecratione poſſunt conſecrari decem, & plures hoſtiæ, & tamen non propterea eſt vnica præſentia; & præterea partes diuiſæ vnius hoſtiæ habent plures præſentias; & tamen non ſolùm conſecratæ ſunt vnica conſecratione; Sed etiam illa vnica conſecratione, quæ tendebat ad vnicum Sacramentum numero, & ad vnicam præſentiam.

17. Tertia obiectio. Soluitur.

Obiicies tertiò, pars minor minima ſeparata non poteſt conſecrari, ergo ſub parte minori minima non eſt Chriſtus.

Reſpondetur, & reſpõſio patet ex dictis, quia ibi non poteſt ſubſtantialiter conſeruari ſubſtantia panis, ſicut quando eſt coniuncta.

DVBITATIO QVARTA.

Vtrùm in partibus diſcontinuis ſit totum Corpus Chriſti.

1. Explicatur ſenſus dubitationis. Primus ſenſus.

PRo explicatione notandum eſt triplicem eſſe ſenſum huius dubitationis.

Primus ſenſus eſt, quòd partes ſint diuiſæ ante conſecrationem, & ſint conſecratæ diuerſis formis, & tunc certum eſt ſub qualibet parte eſſe totum Corpus Chriſti.

Secũdus ſenſus.

Secũdus ſenſus eſt vt partes ſint diuiſæ, ſed conſecratæ vnica conſecratione, & tunc etiam certum eſt ſub qualibet parte eſſe totum Chriſti Corpus, quia vnica conſecratio ſe extendebat ad omnes.

Tertius ſenſus, in quo eſt punctus difficultatis.

Tertius ſenſus eſt, vt conſecratio ſit facta ſuper partes continuas hoſtiæ, & facta conſecratione, diuiſæ ſunt partes, & iuxta hunc tertium ſenſum, de quo eſt difficultas, intelligitur dubitatio.

2. Prima concluſio. S.Thom. Prima ratio ex Tridentino.

PRIMA concluſio. In partibus diſcontinuis, & diuiſis hoſtiæ, eſt Corpus Chriſti. Eſt S. Thom. 3. p.q.75.art.3.& communis Scholaſticorum in 4.

Et eſt de fide definita in Tridentino ſeſſ. 13. cap.3.& can.3. vbi dicitur, quòd ſi quis negauerit ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, anathema ſit. Et idem habetur cap. vbi pars de conſecratione, diſtin.2.

Secunda ratio ex Patribus. Clemens. Cyrill.Alex.

Probatur ſecundò ex communi ſententia Patrum; Clemens in epiſt. 2. Cyrill. Alexand. 4. in Ioan. cap. 17. & alij Patres, qui habentur apud recentiores.

3. Tertia ratio.

Probatur tertiò ratione, Chriſtus poſt conſecrationem Calicis dixit, *Accipite, & diuidite inter vos*, ergo pars vini in diuiſione fuit diſcontinuata ab alia parte, & tamen ibi dicit Chriſtus eſſe ſuum ſanguinem; Et confirmatur, quia cùm ſpecies vini ferè nunquam ſumantur ſine aliqua diſcontinuatione; ſequeretur, quòd nunquam ſumeretur totus Chriſtus ſub illis ſpeciebus vini.

4. Quarta ratio.

Probatur quartò, totus Chriſtus erat in illis partibus, quando erant continuæ, vt probatum eſt ſuprà, ergo etiam eſt in illis, quando ſunt diuiſæ. Probatur conſequentia, tum quia ſicut ſubſtantia panis non amittitur per diuiſionem, ita neque amittitur præſentia Corporis Chriſti, quæ ſuccedit loco panis; tum quia non amittitur conſecratio: forma enim conſecrationis cadit ſuper omnes partes quatenus ſub illis eſt ſubſtantia panis; ac ſi vnica conſecratione conſecrarentur plures hoſtiæ diuerſæ.

5. Quinta ratio.

Vltimò probatur ex vſu Eccleſiæ, qui à tempore Apoſtolorum fuit communicandi fideles per fractionem hoſtiæ dando alicui aliquam portionem hoſtiæ.

Obiectio.

Obiicies Clementem qui epiſt.2. præcipit ſeruari reliquias fragmentorum, ne portioni corporis Domini inferatur iniuria. Ex quo loco ſaltem colligitur non totum Chriſtum eſſe in parte diuiſa, ſed ad ſummum eſſe partem corporis.

6. Soluitur.

Reſpondetur ibi per corpus Chriſti intelligere Clementem ſpecies Sacramentales, & partes harum ſpecierum vocat portiones, & fragmenta.

7. Secunda concluſio.

SECVNDA concluſio. In parte inſenſibili panis ſeparata, eſt corpus Chriſti; dummodo non ſit minor minima: Eſt communis Scholaſticorum contra Maiorem in quarto, diſtinct.11.quæſt 2.

Probatur, quia in illa parte per diuiſionem non deſinit eſſe ſubſtantia panis, ergo neque corpus Chriſti; Conſequentia probatur, quia corpus Chriſti ſuccedit loco panis: Antecedens probatur, quia in quacumque parte minima ſeruatur panis, etiamſi ſit inſenſibilis, dummodo non ſit minor minima; non enim ex eo, quòd actu non ſentiatur, propterea ibi non eſt ſubſtantia panis; ſufficit enim, vt ex natura ſua ſit ſenſibilis, & habeat qualitates potentes cauſare ſenſationem; Quòd autem non ſentiatur, eſt per accidens, quia vel propter diſtantiam, vel propter exiguitatem, non poteſt immittere ſpeciem, vnde ſi contiguetur cum alia parte, etiam ſi non continuetur, ſentitur; quia ex coniunctione fit vnum agens, potens immittere ſpeciem fortiorem, vt ſupponitur ex 2.de anima.

8. Obiectio.

Obiicies, Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile, ergo pars quæ non eſt ſenſibilis, non eſt materia ſufficiens Sacramenti.

Soluitur.

Reſpondetur, ſufficit ſi ſit ſenſibilis ex natura ſua, quamuis actu per accidens non ſentiatur.

9. Tertia concluſio.

TERTIA concluſio. Quamuis in parte coniuncta minori minima ſit totum corpus Chriſti, contra Alenſem, ex communi ſententia Doctorum, quos ſuprà citauimus, ex iiſdem tamen habetur, quòd in parte ſeparata minori minima non eſt corpus Chriſti, etiam ſi pars illa ſpecierum conſeruaretur à Deo in rerum natura, niſi accedat nouum miraculum; Quia illa pars ex vi conſecrationis præcedentis continet corpus Chriſti, in qua naturaliter poteſt conſeruari ſubſtantia panis, ſed in illa parte minori minima non poteſt conſeruari ſubſtantia panis, vt ſupponitur ex 1. Phyſic. ergo, &c.

Probatur primò.

Probatur ſecundò.

Probatur ſecundò, quia illæ ſpecies non ſunt propria accidentia panis, quia in illis non poteſt conſeruari panis; ergo in illis non continetur Chriſtus; continetur enim Chriſtus ſub accidentibus panis.

10. Prima obiectio.

Obiicies primò, ergo neque corpus Chriſti eſt in illa parte minori minima, quando eſt coniuncta, quia illa pars, eandem magnitudinem habet coniuncta, ac ſeparata.

Soluitur.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia quando eſt coniuncta, eſt apta eſui, & continet naturaliter

Digitized by Google

naturaliter ſubſtantiam panis, ſecus autem, quando eſt ſeparata.

11. Secunda obiectio. Secundò obiicies, quia in Tridentino ſuprà citato habetur, ſub ſingulis partibus ſpecierum ſeparatione facta contineri Chriſtum, ergo, &c.

Reſpondetur, Tridentinum intelligi de ſeparatione naturali, ſecundùm quam naturaliter partes minores minimo non remanent; Præterea intelligitur Tridentinum de illis partibus in quibus conſeruatur ſubſtantia panis naturaliter.

12. Primũ quæſitum. Quæres primò ad maiorem explicationem eorum quæ dicta ſunt, an ſacerdos poſſit ſeparando ſecundum intentionem conſecrare infinitas medietates infinitis mediis non conſecratis.

Reſpondeo negatiuè, & eſt

Quarta cõcluſio reſpõſiua quæſito. Maior. QVARTA concluſio communis Doctorum contra Maiorem in 4.

Probatur primò, quia ſequeretur quòd ſacerdos haberet poteſtatem conſtituendi à parte rei infinitam multitudinem entium ſeparatorum; quod quidem eſſe impoſſibile oſtendimus in materia de infinito, quæſt. quarta. Specialiter autem probatur implicare in iſto caſu; quia quamuis in iſto caſu partes quantitatis, ſub quibus eſt Chriſtus, & partes ſub quibus non eſt, non ſint contiguæ, ſed continuæ, partes tamen ſubſtantiæ, quæ non ſunt conuerſæ in corpus Chriſti, remanerent diuiſæ, nam inter omnes partes proportionales mediat corpus Chriſti. Hoc autem eſt impoſſibile; tum quia daretur vltima pars illa, ſcilicet pars proportionabilis, in qua eſt punctum terminatiuum; ratione enim corporis Chriſti, quod mediat, non continuatur cum alia parte; tum quia huic parti determinatæ & ſignatæ per corpus Chriſti darentur infinitæ æquales, quod implicat, quia partes illæ conſtituere poſſent infinitam magnitudinem ſecundùm partes æquales.

Secundò probatur, etiam ſi concedatur hoc infinitum poſſe fieri, adhuc non poteſt ſacerdos illo modo conſecrare, quia non poſſet determinare illas medietates, niſi Deus per nouum miraculum reuelet ſacerdoti diuiſiones illarum medietatum.

13. Secundum quæſitum. Secundò quæres, poteſt ne ſacerdos conſecrare infinitas partes hoſtiæ impares non conſecratis paribus.

Reſpondeo negatiuè, & eſt

Quinta cõcluſio reſpõſiua. Maior. QVINTA concluſio communis Doctorum contra Maiorem in 4.

Probatur, quia nulla pars impar eſt in continuo, quæ non includat ſimul pares, & impares, & ſimiliter nulla eſt pars par, quæ non includat impares, non poſſunt igitur conſecrari omnes impares, quin conſecrentur pares; nec conſecrari pares, quin conſecrentur omnes impares, quia impares includuntur in paribus; quare ſicut non poteſt conſecrari totum non conſecratis partibus; ita nec conſecrari impares ſine paribus, nec è conuerſo; impares enim reſpectu parium ſunt totum, & è conuerſo, vt probatum eſt.

Quòd ſi dicas, eſſe conſecratas partes infinitas impares, non tamen omnes; Contra hoc eſt, quia tunc non eſt determinata materia, nam cùm partes impares ſint infinities infinitæ, non eſt maior ratio, vt hæc infinitudo imparium potiùs ſit conſecrata, quàm aliæ; quando autem non eſt determinata materia, nulla eſt conſecratio, vt ſupponitur ex communi ſententia Doctorum. Quòd ſi poſſint per diuinam potentiam ſeparari partes impares annihilatis paribus, & Deus oſtenderet ſacerdoti illas impares, quas poteſt ſeparare, tunc ſacerdos poſſet illas conſecrare, quia materia eſſet determinata, ſed caſus eſt impoſſibilis.

DVBITATIO QVINTA.

Vtrùm in punctis, & aliis indiuiſibilibus ſit totum Corpus Chriſti.

HÆc dubitatio in opinione eorum, qui negant dari in continuo iſta indiuiſibilia diſtincta à parte rei, nullum habet locum, habet autem tantùm locum, in opinione eorum qui admittunt huiuſmodi indiuiſibilia, ſiue continuatiua, ſiue terminatiua.

PRIMA ſententia negat ſub indiuiſibilibus eſſe Corpus Chriſti. Eſt Scoti in 4. diſtin. 10. quæſt. 4. Riccard. ibidem art. 6. quæſt. 2. Abb. diſt. 13. art. 10. Gabr. verò lect. 80. in can. circa finem loquitur conditionatè, ſi ſubſtantia panis, inquit, eſt ſub puncto, etiam Corpus Chriſti eſt ſub puncto, non autem determinat an ſubſtantia panis ſit ſub puncto. 1. Scot. Riccard. Abb. Gabr.

Probatur primò hæc ſententia ex abſurdis, quæ inde ſequuntur; Sequeretur enim primò, quòd per ſolam diuiſionem, & continuationem mutaretur præſentia Chriſti, ita vt modò per diuiſionem amittatur, modò verò per continuationem acquiratur; amittitur quidem, cùm continuum diuiditur, quia deperditur ſuperficies continuatiua, in qua erat Chriſtus; acquiritur verò, cùm vinum conſecratum miſcetur alteri vino conſecrato, quia acquiritur noua ſuperficies. 2. Primum argumentum ex abſurdis. Primum abſurdum.

Secundum abſurdum eſt, quia ſi vinum conſecratum miſceatur cum non conſecrato; tunc ſequeretur, quòd in ſuperficie continuante vtraſque ſpecies, eſſet, & non eſſet Chriſtus, eſſet quidem, quatenus illa ſuperficies eſt terminus vini conſecrati; non eſſet autem in quantum eſt terminus vini non conſecrati; vel ſimul continebit ſubſtantiam vini, & ſubſtantiam Corporis Chriſti, quod eſt abſurdũ. Secundum abſurdum.

Tertium abſurdum ſequeretur, quòd per ſolam diuiſionem ſine vlla conſecratione, Chriſtus eſſet in ſuperficie noua terminatiua, quæ de nouo reſultat per diuiſionem. Tertiũ abſurdum.

Quartum abſurdum ſequeretur, quòd Corpus Chriſti eſſet quantum in puncto; Probatur ſequela, eſt enim extenſum in ordine ad ſe, vt probatum eſt ſuprà, & per te eſt in puncto, ergo eſt quantum in puncto; Quòd autem hoc ſit abſurdum, probatur, quia eſſet diuiſibile & indiuiſibile. Quartum abſurdum.

3. Secundũ argumentum. Secundò probatur à priori, Sub his indiuiſibilibus non eſt ſubſtantia panis, ergo neque corpus Chriſti. Conſequentia eſt manifeſta, quia ibi eſt corpus Chriſti, vbi fuit ſubſtantia panis; Antecedens probatur; tum quia accidentia, non ſunt ſub illis indiuiſibilibus, quia alioquin ſuperficies continuans duas partes, quarum vna eſt ſummè alba, & alia ſummè nigra, eſſet ſimul ſummè alba; & ſummè nigra, ergo nec ſubſtantia eſt ſub illis indiuiſibilibus, quia non poteſt ſubſtantia conſecrari ſine accidentibus; tum quia ſecundò ſubſtantia panis eſt extenſa, non poteſt igitur eſſe ſub aliquo indiuiſibili.

4. Tertium argumentum. Tertiò probatur, etiamſi dentur indiuiſibilia panis, adhuc illa nõ haberent rationem cibi, & potus, ergo non conuertuntur in corpus Chriſti.

5. Quartum argumentum. Quartò, Si corpus Chriſti eſſet in iſtis indiuiſibilibus, eſſet per Vbi indiuiſibile, eſſent igitur in corpore Chriſti infinities infinita Vbi indiuiſibilia, quod videtur abſurdum.

His

6. His tamen non obſtantibus, ſit

Reſolutio quæſtionis vnica concluſione. Sotus. Capr.

VNICA concluſio contra præcedentem ſententiam. Dicendum eſt cum Soto in 4. diſt. 11. quæſt. 4. & Capr. ibidem, totum corpus Chriſti eſſe in quolibet puncto, ſeu indiuiſibili, tam continuatiuo, quàm terminatiuo, ſi iſta indiuiſibilia dantur; an autem dentur, fuſe diſputatum eſt in prædicamento quantitatis, vbi tenuimus probabiliùs non dari.

Probant primò nonnulli hanc concluſionem, quia indiuiſibilia, inquiunt, ſunt intimè præſentia partibus, quas vniunt, ſed corpus Chriſti eſt intimè præſens partibus, vt probatum eſt ſuprà, eſt igitur intimè præſens indiuiſibilibus.

Reiicitur. Sed hæc ratio non conuincit eos, qui dicunt, indiuiſibilia eſſe extra partes, definit enim continuum proceſſu quodam infinito partium minorum, extra autem hanc diuiſibilitatem partium eſt indiuiſibile terminatiuum, & continuatiuum cum alia parte, non enim poteſt intelligi quòd indiuiſibile ſit ſimul cum diuiſibili, vel identificatum cum illo, ſuppoſito igitur, quòd indiuiſibile ſit extra diuiſibile, tanquam terminus illius, nulla eſt ratio adducta.

7. Secunda ratio efficax. Probatur igitur concluſio efficaciùs ſecundò, præſentia Chriſti eſt vna, & non interrupta in tota hoſtia, ergo eſt tam in partibus, quàm in indiuiſibilibus, quia alioquin infinities eſſet interrupta præſentia Chriſti, pro numero infinito indiuiſibilium; præſentiæ enim, quæ ſunt in partibus, non haberent connexionem; Et confirmatur, quia certum eſt apud omnes, corpus Chriſti coëxiſtere toti hoſtiæ, ſicut, inquit Sotus loco cit. anima coëxiſtit toti corpori; ſed non poteſt coëxiſtere corpus Chriſti toti hoſtiæ niſi coëxiſtat etiam indiuiſibilibus, ergo &c. Probatur Minor tum à ſimili, quia duratio Angeli permanens ad hoc, vt dicatur coëxiſtere noſtro tempori continuo & ſucceſſiuo, debet etiam coëxiſtere non ſolùm partibus temporis, ſed etiam inſtantibus continuatiuis; tum ſecundò, quia alioquin corpus Chriſti eſſet ſub ſpeciebus ſacramentalibus, interpoſitis quibuſdam ſpatiis, mediarent enim ſuperficies, & lineæ ſpecierum, vacuæ corpore Chriſti.

8. Tertia ratio. Tertiò probatur à priori, quia per Tridentinum ſeſſ. 13. loco citato, tota ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti; quicquid igitur eſt ſubſtantiale panis, conſecratur; ſed admittentes indiuiſibilia in quantitate, admittunt etiam, vel admittere debent indiuiſibilia ſubſtantiæ panis, in quibus indiuiſibilia quantitatis ſubiectantur, iſta igitur indiuiſibilia conuertuntur in corpus Chriſti; Nec dicendum eſt quòd in illis indiuiſibilibus ſit tantùm indiuiſibile corporis Chriſti, quia ſicut quælibet pars ſubſtantiæ panis, vt mox dicetur in ſolutione quarti argumenti, conuertitur in totum corpus Chriſti, ita etiam indiuiſibile panis conuertitur in totum corpus Chriſti, quomodo autem hoc fiat, dicetur in quinta dubitatione.

9. Reſponſio ad primū argumentū ex abſurdis. Ad primum abſurdum. Ad argumentum in oppoſitum reſpondetur, & ad primum ex abſurdis ibi allatis reſpondetur, negando illud eſſe abſurdum; ſicut enim ſi illæ partes vt diuiſæ, fuiſſent conſecratæ, eſſent duæ præſentiæ corporis Chriſti, ita ſi conſecrata iam hoſtia diuidatur, tollitur totalis præſentia corporis Chriſti, & fiunt duæ præſentiæ, & è contra, ſi duæ partes vini conſecratæ diuiſæ continuentur, fit vna præſentia; hoc autem non eſt inconueniens in corpore Chriſti, quia variatio præſentiæ non fit per ſe, ſed reſultat ad continuationem, & diſcontinuationem ſpecierum in quibus eſt.

10. Ad ſecundū abſurdum. Ægid. Ad ſecundum abſurdum reſpondent Ægid. in Theoremat. propoſit. 49. in reſponſione ad ſecun-

A dum dubium, & Riccard. in 4. diſtinct. 12. diſtinct. ſua 4. & Palatius in 4. diſtinct. 12. diſput. 3. concluſ. 6. & clariùs concluſ. 5. non eſſe inconueniens, quòd in illa ſuperficie ſecundùm vnam partem ſit ſanguis Chriſti, & ſecundùm aliam ſit ſubſtantia vini non conſecrati; ac proinde illa ſuperficies ſecundùm vnam ſui partem non eſt in ſubiecto per miraculum, & ſecundùm aliam eſt in ſubiecto: Sicut non eſt inconueniens, inquiunt, eandem ſuperficiem ſecundùm vnam ſui partem eſſe albam, & ſecundùm aliam nigram. Riccard. Palat.

Sed hæc reſponſio non euacuat omnino argumentum, nam iſti Doctores loquuntur de ſuperficie, vt diuiſibilis eſt, at verò argumentum petit de

B ſuperficie, quatenus eſt terminus indiuiſibilis, quomodo in illo termino indiuiſibili poſſit eſſe ſimul ſanguis Chriſti, & vinum non conſecratum.

Secundò reſpondent alij, in illo indiuiſibili non eſſe ſanguinem Chriſti.

Sed hoc non eſt dicendum, quia cùm illa ſuperficies ſit terminus vini conſecrati, debet etiam eſſe ibi ſanguis Chriſti, ſicut erat priùs antequam immiſceretur vinum non conſecratum.

Alij tertiò dicunt, ibi eſſe ſimul ſanguinem Chriſti cum ſubſtantia vini non conſecrati, ſeu cum indiuiſibili illius ſubſtantiæ vini.

Sed neque eſt hoc dicendum, tum quia videtur indecẽs, vt ſanguis Chriſti ſit ſimul cum ſubſtantia,

C ſeu cum indiuiſibili ſubſtantiæ vini: tum quia ſequeretur, quòd illa ſuperficies quantitatiua eſſet in ſubſtantia vini, ſeu in indiuiſibili illius ſubſtantiæ tanquam in ſubiecto, quod eſt inconueniens; Sequela probatur, quia ſicut in Sacramento accidentia panis vel vini ſunt ſine ſubiecto, quia loco panis & vini ſuccedit ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, ita ſimiliter quia in illa ſuperficie ſuccedit ſanguis Chriſti, non eſt conueniens, vt illa ſuperficies ſubiectetur in aliqua ſubſtantia vini, ſed debet efficienter ſuſtentari à ſanguine Chriſti. Dicendum eſt igitur propter rationes aſſignatas, quòd in illa ſuperficie quantitatiua non eſt ſubſtantia vini non conſecrati, ſeu indiuiſibile illius ſubſtantiæ, ſed tan-

D tùm ibi eſt ſanguis Chriſti, & ſuſtentatur illa ſuperficies quantitatis ab ipſo ſanguine Chriſti in genere cauſæ efficientis.

Ad tertium abſurdum reſpondetur, quòd admittentes huiuſmodi ſuperficies terminatiuas, non habent pro abſurdo vt in illis incipiat eſſe corpus Chriſti ſine noua conſecratione, quia ſuperficies eſt terminus ſpecierum, connaturali igitur ſequela fit, vt quia corpus Chriſti eſt præſens ſpeciebus, fiat etiam præſens terminis indiuiſibilibus illarum ſpecierum. 11. Ad tertium abſurdum primi argumenti.

Ad quartum abſurdum reſpondetur; concedendo corpus Chriſti conſtitutum in puncto hoſtiæ eſſe quantum; negatur autem hoc eſſe abſurdum, 12. Ad quartum abſurdū primi argumenti.

E quia eſt diuiſibile & extenſum in ordine ad ſe, & indiuiſibile in ordine ad locum; eſt autem maximè conueniens vt totum corpus Chriſti ſit in qualibet parte hoſtiæ, & ſub indiuiſibili illius, quia ſuccedit loco panis, qui erat in partibus hoſtiæ, & ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ.

Quòd ſi inſtes, ſub indiuiſibili hoſtiæ non erat aliqua pars quanta panis, ſed indiuiſibile panis, ergo ſub indiuiſibili hoſtiæ non eſt totum corpus Chriſti, ſed indiuiſibile corporis Chriſti.

Reſpondetur, quòd ſicut quælibet pars panis cõuertitur in totum corpus Chriſti; ita etiam indiuiſibile panis conuertitur in totum corpus Chriſti; Et ratio eſt, quia ſubſtantia panis eſt homogenea, & ideo

Digitized by Google

ideo non eſt maior ratio cur conuertatur in hanc partem heterogeneam ſeu in hoc indiuiſibile corporis Chriſti potiùs quàm in aliam partem, ſeu in aliud indiuiſibile alterius partis heterogeneæ; & ideo rationabiliter inſtitutum eſt à Deo, vt quælibet pars panis, & quodlibet indiuiſibile conuertatur in totum corpus Chriſti.

13. Reſpõſio ad ſecundũ argumentum. Ad ſecundum argumentum negatur ſub indiuiſibilibus quantitatis non eſſe indiuiſibilia panis, & etiam indiuiſibilia qualitatis; Et cum inſtatur, ergo eadem numero ſuperficies continuans duas partes, quarum vna eſt ſummè alba, & alia ſummè nigra, eſſet ſummè alba, & ſummè nigra. Reſpondetur ex Ægid. Riccard. & Palat. locis ſuprà citatis, non eſſe inconueniens eandem ſuperficiem eſſe ſecundùm vnam partem ſummè albam, & ſecundùm aliam partem ſummè nigram.

Ægid Riccard Palat.

Sed hæc reſponſio non euacuat argumentum, quia, vt alibi diximus, non eſt ſermo de ſuperficie, vt diuiſibilis eſt, ſed de ſuperficie, vt eſt terminus indiuiſibilis. Reſpondetur igitur ſecundò, quòd admittendo huiuſmodi ſuperficies, non eſt abſurdum concedere, indiuiſibile cõtinuans eſſe ſimul ſummè album, & ſummè nigrum, ſeu ſubiectare indiuiſibile ſummæ albedinis, & indiuiſibile ſummæ nigredinis: Vel dicendum, quòd quia ſuperficies eſt terminus præcedentis qualitatis, quæ erat ſummè alba, ipſa etiam eſt ſummè alba, ſeu habens indiuiſibile ſummæ albedinis; quia verò eſt initium ſubſequentis, non opus eſt vt ſit ſummè nigra, ſeu habens indiuiſibile ſummæ nigredinis.

14. Ad tertium argumentũ. Ad tertium reſpondetur, quòd quamuis indiuiſibile panis ſeparatum à pane non manducetur, manducatur tamen coniũctum cum pane, ſicut pars poteſt eſſe adeò minima, vt ſeparata non poſſit manducari, coniuncta tamen poſſit manducari.

Primũ quæſitum. Quòd ſi quæras, an corpus Chriſti, ſit primariò & per ſe in illis indiuiſibilibus, vel ſecundariò.

Reſponſio. Reſpondetur eſſe ſecundariò, tum quia ex eo, quia per vnicam conſecrationem, debet poni vna totalis præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, quod quidem fieri non poſſet, niſi poneretur ſub indiuiſibilibus; alioquin præſentia eſſet interrupta, vt probatum eſt, ideo ad conſecrationem partium conſecrantur etiam indiuiſibilia: tum quia conſecratur totus panis; ad conſtitutionem autem totius partes veniunt in recto; indiuiſibilia verò veniunt in obliquo, tamquam termino.

Secundum quæſitum. Quòd ſi vlteriùs quæras, repugnat ne indiuiſibilia per ſe primò conſecrari ſeparata à toto?

Reſponſio. Reſpondetur non repugnare, quia nulla apparet repugnantia, quòd indiuiſibile conuertatur in corpus Chriſti primariò, ſicut modò conuertitur ſecundariò. Solùm enim foret variatio penes intentionem Conſecrantis, quæ tunc primariò tenderet ad conſecrationem indiuiſibilis; Tunc autem non fuiſſet Sacramentum ſenſibile, ſicut modò eſt.

15. Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur concedendo, vt infrà oſtendetur in tertia dubitatione, quòd Vbi, per quod conſtituitur corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, ſit prorſus indiuiſibile in ordine ad ſe, & in ordine ad locum; negatur tamẽ hinc ſequi, quòd oporteat multiplicare infinita Vbi, ſed ſufficit vnum Vbi indiuiſibile ſubiectatum in toto corpore Chriſti, & in qualibet eius parte, & in indiuiſibilibus ipſius, ad conſtituendum ipſum corpus in tota hoſtia, & in qualibet parte hoſtiæ, & ſub indiuiſibilibus illius.

SEXTA DVBITATIO.

Quæ ſit ratio conſtituendi Corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ.

1. SCIENDVM eſt præſentiam hanc Sacramentalem, vt docent Patres citati in prima dubitatione, eſſe ſupra naturam, & ſupra intellectum, & vt docet Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. hæc ratio exiſtendi vix verbis exprimi poteſt. Vt autem res hæc adeò difficilis aliquo modo explicetur, oportet examinare diuerſos modos dicendi Doctorum.

2. Prima ſententia ſeu modus explicandi. PRIMA ſententia, ſeu modus explicandi hanc præſentiam Sacramentalem, eſt per negationem extenſionis in ordine ad locum.

Explicatur. Pro cuius opinionis explicatione ſupponendum eſt ex dictis in ſuperiori quæſtione, quòd corpus Chriſti ex vi verborum ponitur in Sacramento cum omnibus accidentibus abſolutis, quæ ſunt independentia à loco, hæc enim eadem numero ſunt mobilia, & transferri poſſunt de vno loco in alium; non autem ponitur cum accidentibus localibus, quia hæc ſunt immobilia, & non poſſunt transferri de loco in locum, vt ſunt Vbi, & quæ conſequuntur Vbi, vel motum localem, & diſtantiam eius.

Hoc ſuppoſito dicit iſta prima opinio, quòd eo ipſo quòd corpus Chriſti non ponitur in Euchariſtia cum illa forma ſeu Vbi, per quam formam formaliter illius partes in cœlo ſunt extenſæ in ordine ad locum, fit, vt ponatur inextenſum in ordine ad locum, ſeu ad ſpecies Sacramentales; vndè vlteriùs ſequitur, inquit, vt ſit totum in toto, & totum in qualibet parte, quia ad negationem extenſionis ſequitur, vt res ſit indiuiſibiliter in toto ſpatio; ſicut, inquit, ſi auferatur quantitas à ſubſtantia, remanet ſubſtantia tota in tota, & tota in qualibet parte, non enim poſſet redigi ad punctum, quia motus localis non fit in inſtanti; nec poteſt remanere extenſa, quia extenſio eſt proprius effectus quantitatis.

3. Prima confirmatio. Et confirmatur primò, quia ideo anima rationalis & Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte, quia carent extenſione locali, per quam extenſionem pars locati ponitur in parte loci, & totum locatum in toto loco.

Secunda cõfirmatio. Confirmatur ſecundò, quia ſicut eo ipſo, quòd à corpore tollitur figura recta, ſequitur neceſſariò figura curua; ita neceſſariò ſequitur præſentia indiuiſibilis ad totum locum, ſublata præſentia diuiſibili.

4. Secũda ſententia ſeu modus dicendi Palud. SECVNDA ſententia ſeu modus explicandi hanc præſentiam corporis Chriſti ſub qualibet parte ſpecierum, eſt per contactum quendam indiuiſibilem. Ita Palud. in 4. diſt. 10. vbi explicat & probat illam exemplo ſphæræ: Sicut enim, inquit, ſphæra tangit planum indiuiſibiliter, medio pũcto indiuiſibili, ita quãtitas corporis Chriſti eſt indiuiſibiliter in ſpeciebus, media ſubſtãtia indiuiſibili; Et idem alio exẽplo explicat Maior diſtinct. ead. quæſt. 3. Sit, inquit, haſtia in vacuo, & lapis moueatur iuxta illam, motus quidem ille fiet in inſtanti, quia fit in vacuo, vbi nulla eſt reſiſtentia ſecundùm Ariſtotelem, ac proinde lapis in illo inſtanti ſimul correſpondebit omnibus partibus haſtæ, cùm tamen lapis ſit multò minor ipſa haſta; ita hoſtia, & quælibet pars eius, etiam ſi ſit multò minor corpore Chriſti, poteſt coëxiſtere omnibus partibus ſimul corporis Chriſti.

Maior.

TERTIA

Digitized by Google

5. Tertia ſententia ſeu modus dicendi. Ocham. Gabr.

Tertia ſententia, ſeu modus explicandi eſt Ochami in 4.quæſt.4.& tract.de Euchariſtia ca. 19. & Gabrielis lect. 49. in can. qui hanc præſentiam Corporis Chriſti indiuiſibilem in ordine ad locum ſub qualibet parte ſpecierum, explicant per penetrationem omnium partium Corporis Chriſti.

Similis huic eſt modus explicandi aliorum, qui explicant hanc præſentiam per condenſationem, per quam dicunt poſſe fieri Corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ: quia partes per penetrationem ſeu condenſationem ſimul vniuntur ad eundem locum.

6. Prima concluſio cõtra primam ſententiam.

Prima concluſio contra primam ſententiam, Eſt impoſſibile per ſolam negationem extenſionis localis Corpus Chriſti conſtitui indiuiſibiliter præſens ſpeciebus Sacramentalibus, & totum cuilibet parti ipſarum.

Prima ratio.

Probatur primò ex principio Philoſophico in prædicamento Vbi, in quinta quæſtione, vbi diximus, quòd per Vbi locale, ſeu extenſionem in ordine ad locum, formaliter ſolùm fit, vt vna pars corporis commenſuretur vni parti ſpatij, & altera alteri; ergo per negationem huius extenſionis ſolùm tollitur effectus formalis commenſurationis. Sed præter hanc negationem commenſurationis adhuc Corpus Chriſti habet poſitiuam præſentiam omnium ſuarum partium cum qualibet parte ſpecierum Sacramentalium; ergo præter illam negationem commenſurationis, quæ commenſuratio oriebatur ex extenſione locali, requiritur modus alius poſitiuus, per quem formaliter omnes partes Corporis Chriſti fiant intimè præſentes cum qualibet parte ſpatij: Et confirmatur hæc ratio, quia punctum caret extenſione in ordine ad locum, non tamen propterea eſt totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatij, vnde ex negatione extenſionis ad ſummum habetur quòd Corpus Chriſti indiuiſibiliter conſtituitur in ordine ad locum, in puncto tantùm hoſtiæ, non autem quòd ſit poſitiuè totum ſub qualibet parte hoſtiæ.

7. Secunda ratio.

Secundò probatur Theologicè; Negatio extenſionis in ordine ad locum eſt formaliter naturalis, negat enim extenſionem, quæ eſt naturalis, licèt effectiuè ſit à ſolo Deo per ſubtractionem concurſus; at verò modus quo coëxiſtit Chriſtus in Sacramento, eſt poſitiuus & ſupernaturalis; Quòd autem ſit poſitiuus, habetur in Trident. ſeſſ. 3.cap.1. vbi Trident. hanc rationem præſentiæ vocat rationem exiſtendi; at verò illa negatio extenſionis eſt potiùs negatio rationis exiſtendi, quàm ratio exiſtendi. Quòd verò ſit ſupernaturalis, probatur, quia Patres ſuprà citati & Trident. in illo cap.1. citato dicunt hunc modum vix exprimi poſſe, fide autem aſſequi quòd ſit poſſibilis Deo; at verò negatio extenſionis non eſt huiuſmodi.

8. Secunda cõcluſio cõtra ſecundã ſententiam. Exemplum Paludani de ſphærico impugnatur.

Secunda concluſio contra ſecundam ſententiam. Non bene explicatur modus præſentiæ corporis Chriſti ſub qualibet parte ſpecierum per contactum indiuiſibilem; Nec ſunt ad rem exempla, quæ ibi afferuntur ab illa opinione, nõ quidem Paludani de ſphærico tangẽte planum medio puncto, nam ſphæricum tangit punctum plani per aliquod indiuiſibile, ſeu punctum, remanente ſphærico adhuc extenſo in ordine ad locum, at verò quantitas Corporis Chriſti non eſt per punctum in aliquo puncto hoſtiæ; ſed tota quantitas Corporis Chriſti extenſa in ordine ad ſe, eſt ſub qualibet parte hoſtiæ indiuiſibiliter in ordine ad locum; nec ſatis eſt, quòd dicit Paludanus, quantitatem Corporis Chriſti eſſe ſub ſpeciebus mediante ſubſtantia, non, inquam, ſatis eſt, quia non ſolum tota ſubſtantia, ſed tota quantitas eſt ſub ſpeciebus.

9. Impugnatur exemplũ Maioris de lapide tangẽte in inſtanti in motu omnes partes haſtæ ſimul in vacuo.

Exemplum verò ſecundum Maioris multò magis peccat, tum quia negatur motum lapidis in vacuo iuxta haſtam fieri in inſtanti; quia ſequeretur illud abſurdũ, quòd lapis ſimul correſponderet omnibus partibus haſtæ, quod quidem eſt impoſſibile naturaliter, quia deberet eſſe totus in tota haſta, & totus in qualibet parte haſtæ, quod eſt impoſſibile naturaliter: tum quia etiamſi admittatur exemplum, adhuc lapis non eſſet permanenter ſimul cum omnibus partibus haſtæ, ſicut Corpus Chriſti permanenter coëxiſtit omnibus & cuilibet parti ſpecierum.

10. Tertia concluſio cõtra tertiam ſententiam.

Tertia concluſio contra tertiam ſententiam. Impoſſibile eſt Corpus Chriſti fieri intimè præſens indiuiſibiliter cuilibet parti hoſtiæ, ſiue per condenſationem, ſiue per penetrationem.

Prima pars concluſionis probatur primò.

Et quidem quoad priorem partem de condenſatione, probatur primò; quia condenſatio ſemper fit cum aliqua extenſione in ordine ad locum, quamuis cum minori, quàm ante condenſationẽ, corpus habebat; at verò Corpus Chriſti eſt ita intime præſens cuilibet parti hoſtiæ, vt nullam habeat extenſionem in ordine ad locum; ſi enim haberet aliquam extenſionem localem, ſequeretur aliquas partes Corporis Chriſti eſſe extra alias in ordine ad locum; effectus enim formalis extenſionis localis, eſt extendere ſubiectum in ordine ad locum, conſtituendo partem extra partem; hoc autem dici non poteſt de Corpore Chriſti; quia eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ.

11. Secũdò probatur

Secundò probatur, quia ſequeretur, quòd Corpus Chriſti non haberet figuram, & pulchritudinem debitam ſibi.

Secũda pars concluſionis probatur primò.

Quoad verò ſecundam partem concluſionis de penetratione contra Nominales, probatur primò, quia duo corpora, quæ ſe penetrant, habent ſuas proprias extenſiones, quas priùs habebant commenſuratas tanto ſpatio, & ſolùm ratione penetrabilitatis fit vt illæ duæ extenſiones commenſurentur eidem ſpatio; quòd enim duo corpora ſint in diuerſis ſpatiis, habent ex actuali repugnantia, vel reſiſtentia; ſolùm igitur per penetrationem tollitur repugnantia, & non extenſio localis; Sed Corpus Chriſti non eſt extenſum localiter intra ſpecies Sacramentales, quia alioquin non eſſet totum in toto, & totum in qualibet parte, ſi enim eſſet extenſum, conſequenter haberet partes extra partes in ordine ad locum; hæc enim extreitas in ordine ad locum eſt effectus formalis & primarius extenſionis localis.

12. Secũdò probatur.

Et hinc ſumi poteſt alia ſecunda probatio, quòd ſi per penetrationem Corpus Chriſti conſtitueretur præſens hoſtiæ, ſequeretur abſurdum, quòd Corpus Chriſti non poſſit conſtitui ſub puncto indiuiſibili hoſtiæ, quia, cùm penetratio, vt dictum eſt, etiam ſi fiat ſecundùm omnes partes, retineat aliquam extenſionem in ordine ad locum, non poteſt per penetrationem conſtitui corpus in puncto, ſed in loco extenſo; at verò Corpus Chriſti eſſe ſub quolibet puncto indiuiſibili hoſtiæ, probatum eſt ſuprà in tertia dubitatione.

13. Tertiò probatur.

Tertiò probatur, quia ſi conſecraretur quantitas viginti palmorum, tunc ſequeretur, quòd in tota illa quantitate non eſſet Corpus Chriſti, quod eſt ſeptem palmorum, quod quidem eſt abſurdum, & contra fidem: Sequela Antecedentis probatur, quia per penetrationem Corpus Chriſti non poteſt habere vt coëxiſtat maiori quantitati, quàm ſit ipſum

corpus, ſed potiùs per penetrationem habetur, vt poſſit coëxiſtere maiori quantitati, quo maior eſt penetratio; ergo in hoc caſu, præter penetrationem dandus eſt alius modus, quo Chriſtus fieret præſens illi maiori quantitati.

14. Quarta concluſio. Explicatur per quid corpus Chriſti cõſtituitur totum in tota hoſtia, & totũ in qualibet parte.

QVARTA concluſio. Ad hoc vt Corpus Chriſti ſit intimè præſens indiuiſibiliter cuilibet parti ſpecierum, ſeu ſit totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ, requiritur vt Corpus Chriſti habeat aliquem modum poſitiuum cuius effectus formalis ſit conſtituere Corpus Chriſti præſens cuilibet parti hoſtiæ; hic autem modus neceſſariò debet eſſe ſupernaturalis.

Prima probatio. S. Thom. Alenſis. Bonauent. Riccardus. Altiſiod. Henricus. Durandus. Capreolus. Palud. Eru.

PRIMA pars, quòd ſcilicet iſte modus debeat eſſe poſitiuus, probatur primò ex communi ſententia Doctorum, D. Thom. 3. part. quæſt. 76. art. 7. & in 4. diſtin. 2. Alenſ. 4. par. quæſt. 40. membro 3. ar. 4. Bonauent. diſt. 10. art. 1. quæſt. 1. Riccardi art. 5. quæſtione 1. Altiſiodorenſ. lib. 4. tract. 5. cap. 4. Henrici quodlib. 2. quæſt. 12. Durand. diſt. 10. quæſt. 4. Capreoli, Palud. Eruei, & aliorum in 4. diſtinct. 10. & eſt communis Thomiſtarum.

Secũda probatio.

Probatur ſecundò, quia ſublata extenſione locali à Corpore Chriſti, non eſt ratio, cur Corpus Chriſti non conſtituatur potiùs tantum in puncto, ſeu aliqua parte minima, quàm totum in qualibet parte hoſtiæ; ergo debet aſſignari aliquis modus poſitiuus, per quem determinetur indiuiſibiliter in tota hoſtia.

Tertia probatio.

Probatur tertiò, quia nõ poteſt aſſignari alius modus, quo Corpus Chriſti fiat præſens cuilibet parti ſpecierum, vt patet ex confutatione aliarum opinionum; ſolùm poſſet dici, quòd Deus auferendo modum extenſionis localis à Corpore Chriſti, conſeruet illud ſubſtantialiter noua actione ſub qualibet parte ſpecierum, ſine alio modo ſuperaddito: Sed hic modus dicendi, præterquam quòd ponit infinitas & nouas actiones conſeruandi ſub qualibet parte ſpecierum, & ſub quolibet puncto; adhuc non poteſt iſte modus ſuſtineri, tum quia, vt dicemus fusè in tertio corollario, de conuerſione Sacramentali, dubitatione tertia, iſta noua conſeruatio implicat; tum quia ex vi verborum, vt ibidem oſtendemus, non ponitur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus per hanc nouam conſeruationem; relinquitur igitur, vt Corpus Chriſti ponatur totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, per modum quemdam ſuperadditum.

15. Secũda pars cõcluſionis. Prima ratio.

SECVNDA pars concluſionis, quòd ſcilicet iſte modus neceſſariò debet eſſe ſupernaturalis, probatur primò ex Patribus ſuprà citatis, & ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 1. in quo habetur, hunc modum, quem Tridentinum vocat rationem exiſtendi, vix verbis poſſe exprimi, fide autem aſſequi, quòd ſit poſſibilis.

Secunda ratio.

Secundò probatur, quia hic modus non poteſt naturaliter competere corpori quanto, ſeu extenſo in ordine ad ſe, quia cùm habeat partes extra partes in ordine ad ſe, naturaliter commenſurari deberet partibus loci, quotuplex autem poteſt eſſe iſte modus, per quem Corpus Chriſti poteſt conſtitui totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ, mox explicabitur in ſequenti dubitatione.

16. Reſpõſio ad argumentũ primæ ſententiæ.

AD argumentũ primæ ſententiæ reſpondetur ex dictis, quòd ex negatione extenſionis localis ſolùm ſequitur, quòd Corpus Chriſti conſtituatur indiuiſibiliter in ordine ad locum, & ad ſummum, quòd ſit in aliquo puncto hoſtiæ, non autem quòd ſit totum poſitiuè præſens cuilibet parti hoſtiæ: Et ad exemplum, quod affertur de ſubſtantia materiali, negatur, quòd ablata quantitate à ſubſtantia, remaneat ſubſtantia tota in toto, & tota in qualibet parte; Et ad probationem, cùm dicitur, non poteſt illa ſubſtantia redigi in inſtanti ad punctum, quia motus localis non fit in inſtanti; ergo remanebit tota in toto, & tota in qualibet parte; reſpondent aliqui, quòd illa ſubſtantia remanebit tota in toto, & pars in parte ſpatij, quia, inquiunt, ex ſe eſt extenſa; differt autem ab extenſione quantitatis, quia hæc eſt impenetrabilis, illa penetrabilis.

Hæc reſponſio mihi non placet, tum quia, vt oſtendi in prædicamento Quãtitatis quæſtione ſecunda, extenſio partium in ordine ad locum, eſt propria paſſio quantitatis, nec poteſt dici quòd extenſio tãtùm impenetrabilis, ſit propria paſſio quãtitatis, non autem penetrabilis, quia, vt ibidem oſtendi, impenetrabilitas, ſiue ſit negatio, ſiue ſit potentia reſiſtendi, naturaliter, & immediatè oritur ex præciſa ratione extenſionis partium in ordine ad locum: tum quia etiam ſi hæc reſponſio admitteretur, adhuc non faueret aliquo modo præſentiæ Sacramentali, nam Corpus Chriſti non eſt ita in hoſtia, vt pars correſpondeat parti, quia tunc non totum Corpus Chriſti eſſet in hoſtia parua, & ſi hoſtia eſſet maior Corpore Chriſti, tunc Corpus Chriſti non eſſet in tota hoſtia. 17.

Ad argumentum igitur primæ ſententiæ, & ad probationem ipſius, reſpondetur, quòd ſublata quantitate à ſubſtantia, ſubſtantia redigeretur in inſtanti ad punctum; Et cùm inſtatur, quòd motus localis non poteſt fieri in inſtanti; Reſpondetur, vt dictum eſt in prædicamento Quantitatis quæſtione citata, quòd non fit iſta redactio ad punctum per motum localem, ſed per ablationem inſtantaneam rationis formalis, ablata enim ratione formali, ſtatim aufertur effectus formalis.

Ad primam confirmationem reſpondeo, negando, ideo Angelum conſtitui totum in toto, & totum in qualibet parte, quia caret extenſione locali, hæc enim negatio eſt ſufficiens tantùm, vt Angelus ponatur in puncto; at verò quòd conſtituatur totus in toto, & totus in qualibet parte, prouenit ex perfectione Angeli, & ex perfectione Vbi, nam quò Angelus eſt perfectior, eò perfectius Vbi poteſt habere, per quod indiuiſibiliter conſtituatur in maiori ſpatio; Cùm igitur corpus Chriſti naturaliter non habeat talem perfectionem vt indiuiſibiliter exiſtat in aliquo ſpatio diuiſibili, ſicut nec habent aliæ ſubſtantiæ materiales, ideo opus eſt vt à Deo producatur ſupernaturaliter aliquis modus poſitiuus in corpore Chriſti; per quem formaliter fiat totum intimè præſens cuilibet parti ſpecierum; præterea ex negatione extenſionis corpus Chriſti eſt indifferens vt conſtituatur indiuiſibiliter in loco maiori vel minori; non enim poteſt ſe determinare ex perfectione intrinſeca ad tantum ſpatium, ſicut ſe determinat Angelus, oportet igitur vt determinetur à Deo per modum quendam poſitiuum magis vel minùs perfectum. 18.

19. Ad ſecũdam cõfirmationem.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, exemplum allatum potiùs fauere noſtræ opinioni, nam ſicut ſi à corpore tollatur figura recta, fit alia figura curua diſtincta ſpecie, per quam linea formaliter fit curua; ita non ſufficit vt à corpore tollatur extenſio localis, ad hoc vt ponatur totum in toto, & totum in qualibet parte, ſed reperitur alius modus poſitiuus, cum hac tamen differentia, quòd ſublata figura recta, neceſſariò conſequi debet figura curua; at verò ſublata extenſione locali à corpore Chriſti, non ſtatim ſequitur vt corpus Chriſti indiuiſibiliter

diuiſibiliter conſtituatur in tota hoſtia, poſſet enim conſtitui in puncto hoſtiæ, requiritur igitur, vt Deus liberè producat modum aliquem poſitiuum perfectiorem,per quem corpus Chriſti conſtituatur indiuiſibiliter in toto ſpatio hoſtiæ.

20. Reſponſio ad argumẽta ſecũdæ & tertiæ ſententiæ.

AD argumenta ſecundæ ſententiæ ducta ex exemplis,patet ex ſecunda concluſione.

AD argumenta tertiæ ſententiæ de penetratione,& condenſatione, patet ex tertia concluſione.

SEPTIMA DVBITATIO.

Vtrùm hic modus, per quem Corpus Chriſti eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, ſit indiuiſibilis,vel corporalis & extenſus.

PRO explicatione recolenda ſunt breuiter, quæ diximus in prædicamento Vbi, quæſtione quinta, quatuor videlicet modis fieri poſſe vt corpus Chriſti ſit totum in tota hoſtia,& totum in qualibet parte.

1. Primus modus vbificandi.
Primus modus eſt per Vbi prorſus indiuiſibile in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, quod quidem Vbi indiuiſibile, totum ſubiectetur in toto corpore Chriſti,& in qualibet eius parte, ac proinde conſtituat totum illud corpus indiuiſibiliter in tota hoſtia,& totum in qualibet parte hoſtiæ.

2. Secundus modus.
Secundus modus eſt per Vbi corporale, & diuiſibile,quod ſic explicatur; Sit Vbi diuiſibile, cuius vna pars ſit in capite,alia in pedibus, alia in pectore,& ſic de aliis partibus, ſi per potentiam diuinam illa pars Vbi, quæ eſt in capite, ponatur etiam ſubiectiuè in pedibus, tunc pedes erunt vbi eſt caput, quia tunc pedes afficerentur Vbi partiali capitis, ac proinde illud Vbi habet ſuum effectum formalem ponendi pedes in capite; & ſi pars Vbi quæ eſt in pedibus, ſubiectetur in capite, caput erit vbi erunt pedes,& ſi omnes partes Vbi, ſiue totum Vbi, ponatur in qualibet parte corporis,tunc quælibet pars corporis erit in toto loco,vbi eſt totum corpus;fieri igitur poteſt, vt per diuinã potentiam ſupernaturaliter omnes partes Vbi ſint in qualibet parte corporis Chriſti,& tũc quælibet pars corporis Chriſti erit ſub qualibet parte hoſtiæ, quia quælibet pars corporis Chriſti haberet totum Vbi,quod habet ipſum totum;ſiue igitur Vbi totale, quod ſecundùm vnam ſui partem eſt in vna parte corporis, & ſecundùm aliam partem in alia parte corporis, &c. eſt ratio conſtituendi totum corpus vbicatum in tota hoſtia, & partem in parte; ita ſi totum illud Vbi conſtituatur ſupernaturaliter in qualibet parte corporis Chriſti, fieret vt totum illud Vbi non ſolùm conſtituat totum corpus Chriſti in tota hoſtia, ſed etiam quamlibet eius partem in tota hoſtia, cùm totum Vbi,ſit in qualibet eius parte.

3. Tertius modus.
Tertius modus eſt per Vbi corporale, diuiſibile quidẽ ſubiectiuè,obiectiuè tamen indiuiſibile. Exẽplũ afferri ſolet de ſpeciebus intẽtionalibus viſibilibus,quæ quidẽ ſunt ſubiectiuè diuiſibiles,obiectiuè autẽ indiuiſibiles;ſubiectiuè quidẽ diuiſibiles, quia extenduntur ad extẽſionẽ pupillæ;ſunt autem obiectiuè indiuiſibiles,quia quælibet pars,quæ eſt in pupilla,eſt ſufficiens ad repræſentandũ totum obiectũ; ſunt enim omnes partes eiuſdem virtutis; ita etiam dicendum eſt de hoc Vbi, quod ſubiectiuè recipiatur in corpore Chriſti diuiſibiliter, & extenſè; obiectiuè verò in ordine ad ſpatium ſit tantæ virtutis, vt quælibet pars illius Vbi conſtituat quamlibet partem corporis Chriſti ſub qualibet parte hoſtiæ;

A ſunt enim omnes partes huius Vbi eiuſdem virtutis inter ſe,& cum toto; Vnde ſequitur quòd totum corpus Chriſti conſtituitur in tota hoſtia, & totum in qualibet eius parte.

Quartus modus.
Quartus modus eſt quorumdam aſſerentium dari Vbi extenſum quidem in ordine ad locum, non autem in ordine ad ſubiectum,quia ſupponitur ſubiectum eſſe ſpirituale, hoc autem Vbi, locat locatum totum in toto, & totum in qualibet parte; & ita tenent, de facto eſſe Vbi Angelicum, cuius vna pars locat totum Angelum in vna parte loci, & alia pars eumdem Angelum in alia parte loci, nec obſtat, inquiunt, quòd aliquod accidens extenſum ſubiectetur in re ſpirituali, nam Thomiſtæ tenent, B quantitatem ſubiectari in anima, & tamen non facit animam quantam, quia anima non eſt capax extenſionis.

Confutatur.
Sed hic modus non omnino ſatisfacit; non enim videtur quomodo accidens extenſum inhærere poſſit in Angelo, qui eſt ſpiritualis & indiuiſibilis, nec S. Thomas dicit quantitatem inhærere in anima rationali,ſed in toto coniuncto,ſeu compoſito.

4.
HIS poſitis videndum eſt, quinam ex his quatuor modis vbificandi ſit de facto in corpore Chriſti,& quidem videtur probabiliùs dicendum, quòd corpus Chriſti conſtituatur indiuiſibiliter totum in tota hoſtia,& totum in qualibet parte hoſtiæ,per primum modum vbificandi, quod eſt Vbi indiuiſibile in ordine ad ſe,& in ordine ad locum;hoc enim C Vbi informando quamlibet partem corporis Chriſti,& conſequenter totum corpus, conſtituit ipſum corpus Chriſti, totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte hoſtiæ:Hunc modum innuit S. Thomas in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 3. dum dicit hoc Vbi Sacramentale eſſe per participationem quamdam modi & præſentiæ ſpiritualis.

5. Prima probatio.
Probatur primò, quia hic modus eſt magis proportionatus effectui formali indiuiſibili conſtitutionis totius corporis Chriſti, ſub qualibet parte hoſtiæ; eſt enim hic effectus indiuiſibilis ad modum rei ſpiritualis; ergo cauſa formalis ipſius, quod eſt hoc Vbi, debet etiam eſſe prorſus indiuiſibile ad D modũ ſpiritus; nec aliquid obſtat quin Vbi indiuiſibile poſſit eſſe in corpore, vt patebit paulò inferius, ex ſolutione argumentorum in oppoſitum.

6. Secũda probatio.
Secundò probatur, quia alij tres modi, quos ſuprà retulimus, non poſſunt ita commodè conſtituere corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte, vt patet breuiter diſcurrendo per ſingulos.

Et quidem incipiẽdo à quarto modo, dico quòd illud Vbi indiuiſibile in ordine ad ſubiectum, diuiſibile autem in ordine ad locum, quod de facto dicunt reperiri in Angelo, hoc, inquam Vbi, præterquam quòd non eſt dabile, vt dictum eſt ſuprà, adhuc etiam ſi eſſet dabile, non poſſet reperiri in E corpore Chriſti, quia hoc Vbi exigit ſubiectum ſpirituale, cuiuſmodi eſt Angelus, qui quoniam eſt ſpiritualis, poteſt naturaliter replicari in multis locis, ac proinde poteſt vna pars illius Vbi extenſi locare Angelum in vna parte loci, & alia pars eumdemmet Angelum replicare in alia parte loci: at verò in corpore hoc fieri non poteſt, nam vna pars huius Vbi non poteſt locare in vna parte loci, niſi vnam partem corporis, & alia pars Vbi non habet vim replicandi eandem partem, quia ex natura ſua illa pars non eſt replicabilis: neque hæc replicatio fieri poteſt ex natura ipſius Vbi, quia ſupponitur hoc Vbi, quod eſt extenſum in ordine ad locum,eſſe etiam obiectiuè diuiſibile, ita vt non habeat vim locandi

Digitized by Google

locandi vnam partem corporis in omnibus partibus loci, ſed vnam partem corporis in vna parte loci.

Quòd ſi dicas, fiat hoc ſupranaturaliter; Reſpondetur hoc fieri non poſſe, niſi illud Vbi ſit obiectiuè in ordine ad ſpatium indiuiſibile, & tunc non erit hic quartus modus, ſed tertius, de quo mox infrà.

7. Secundus autem, & tertius modus quamuis ſint ſufficientes, vt oſtenſum eſt, ad conſtituendum totum corpus Chriſti ſub qualibet parte hoſtiæ; afferunt tamen ſecum aliqua incommoda.

Et quidem ſecundus modus, ſeu ſecundum Vbi corporeum, quod eſt per ſubiectationem omnium partium ipſius Vbi in qualibet parte corporis Chriſti, affert ſecum duo incóuenientia. Primum eſt, quia ſequitur ex hoc, quòd illa pars huius Vbi, quæ ſubiectatur in capite, & connaturaliter modificat tantùm ipſum caput, ſit innaturaliter in pedibus, & in qualibet alia parte corporis, quod quidem inconueniens non ſequitur in illo primo modo noſtro, quod eſt Vbi prorſus indiuiſibile, quia Vbi hoc indiuiſibile, ſi per potentiam Dei ponatur in corpore, petit connaturaliter ob ſuam ſpiritualitatem & indiuiſibilitatem, vt ſit in qualibet parte corporis indiuiſibiliter.

Secundum inconueniens eſt, quia ſequeretur, quòd deberent dari infinita Vbi diuiſibilia, ſubiectata in indiuiſibilibus corporis Chriſti, nam ad hoc vt aliquid indiuiſibile corporis Chriſti ſit, v.g. vbi eſt caput, neceſſe eſſet, vt illa diuiſibilis pars Vbi, quæ eſt in capite, ſit in illo indiuiſibili ipſius corporis, & ſic de reliquis; & præterea ſequeretur, quòd infinita Vbi indiuiſibilia, ſubiectari deberent in corpore Chriſti, quia totum corpus Chriſti, & quælibet eius pars non ſolùm eſt ſub qualibet parte ſpecierum, ſed etiam, vt dictum eſt in tertia dubitatione, ſub qualibet earum puncto, ſecundum illos qui admittunt puncta; hoc autem fieri non poteſt, niſi infinita illa Vbi indiuiſibilia ſubiectentur in corpore Chriſti; nam vt totum corpus Chriſti ſit ſub hoc puncto, debet totum corpus Chriſti & quælibet eius pars informari Vbi indiuiſibili illius puncti, per quod ipſum corpus Chriſti, & quælibet eius pars conſtituatur in puncto, & ſic de reliquis punctis, nam pars huius ſecundi Vbi, quod eſt diuiſibile, non eſt ſufficiens ad conſtituendum corpus Chriſti in puncto indiuiſibili; Hæc autem abſurda non ſequuntur ſi dicatur, vt nos dicimus, quòd vnum Vbi indiuiſibile ſubiectetur in toto corpore Chriſti, & in qualibet eius parte.

8. Tertius autem modus, qui, vt diximus, erat diuiſibilis ſubiectiuè, & indiuiſibilis obiectiuè, quamuis ſit probabilior præcedenti, affert tamen ſecum aliquod incommodum, primò, quia durum videtur, quòd quælibet pars huius Vbi, ſeu modi corporei ſit ex natura ſua ſufficiens ad conſtituendum partem corporis Chriſti, quam informat in tanto ſpatio, in quanto totum ipſum Vbi conſtitueret; Nec eſt ſimile, quod affertur de ſpecie intentionali extenſa per pupillam, cuius quælibet pars repræſentat totum obiectum, quia huiuſmodi ſpecies intentionalis producitur à toto obiecto, vel ſi immediatè Deus illam produceret, produceret eo modo, quo producenda eſſet ab obiecto, hoc autem dici non poteſt de hoc Vbi extenſo, non enim videtur, quòd indiuiſibilitas in ordine ad locum, poſſit eſſe connaturalis huic Vbi extenſo, quia ex extenſione Vbi in ordine ad ſubiectum, ſequitur connaturaliter extenſio ad locum. Nec obſtat ſi dicatur, quòd hoc Vbi eſt ſupernaturale, non, inquam, obſtat, quia deberet adhuc hanc vim connaturaliter, conſtituere enim ſubiectum indiuiſibiliter in toto ſpatio, eſt effectus formalis cuiuſcunque partis illius Vbi, effectus autem formalis nihil aliud eſt, quàm ipſa forma vt communicata ſubiecto; ergo ipſa forma ex ſuis principiis intrinſecis debet habere hanc vim.

Dicendum eſt igitur, vt nos dicimus, hoc Vbi replicatiuum eſſe indiuiſibile, eſt enim huic Vbi 9. connaturale ponere ſubiectum, in quo eſt, totum in toto, & totum in qualibet parte; Nec obſtat, quòd ex alia parte non habeat connaturalitatem cum ſubiecto corporeo, ſicut habet Vbi extenſum, quia connaturalitas debet attendi potiùs ex parte effectus formalis, quàm ex parte ſubiecti, quod eſt valde extrinſecum.

Obiicies primò, hoc Vbi eſt indiuiſibile, ergo 10. ſpirituale non poteſt ſubiectari in ſubiecto corporeo & extenſo. *Prima obiectio.*

Reſpondetur, hoc fieri ſupernaturaliter, & præterea *Solutio.* ſi ſecundùm Thomiſtas anima equi, quæ eſt corporea & indiuiſibilis, ſubiectatur naturaliter in materia diuiſibili indiuiſibiliter tota in tota, & tota in qualibet parte, cur repugnabit accidens indiuiſibile ſubiectari ſupernaturaliter in ſubiecto corporeo & extenſo; & præterea multi tenent qualitatem ſpiritualem ſupernaturalem ſubiectari in aqua ad producendam gratiam.

Secundò obiicies, quia ſequeretur quòd quando 11. Corpus Chriſti mouetur ſucceſſiuè ad motum hoſtiæ, acquireret, & deperderet ſucceſſiuè infinita *Secunda obiectio.* Vbi indiuiſibilia; hoc autem eſt abſurdum, tum quia eſt indecens vt tot mutationes fiant in corpore Chriſti; tum quia fierent indiuiſibiliter infinita Vbi ſibi inuicem immediatè ſuccedentia; ſicut repugnat eſſe ſucceſſiuè infinita inſtantia ſibi inuicem immediatè ſuccedentia.

Reſpondetur, hoc non repugnare, tum quia concedunt *Solutio.* hoc multi ſcholaſtici in motu ſucceſſiuo Angeli, tum quia negatur, quòd quando corpus Chriſti mouetur ad motum hoſtiæ, deperdat primum Vbi, & acquirat aliud Vbi nouum; nam vel eſt ſermo de Vbi, quod habet corpus Chriſti in hoſtia, quod potiùs eſt quædam vnio intrinſeca corporis Chriſti cum hoſtia, vt mox patebit in dubitatione ſequenti; & de hoc Vbi, certum eſt, quòd non mutatur, quando hoſtia mouetur, ſeu mutat locum, quia ſemper habet eamdem coniunctionem cum hoſtia, ſed tantùm corpus Chriſti mutat ad motum hoſtiæ ſpatium extrinſecum.

Si autem ſermo eſt de Vbi, quod habet corpus Chriſti in ſpatio extrinſeco, quatenus, quia eſt vnitum cum hoſtia, eſt etiam in eodem loco, ſeu ſpatio, in quo eſt hoſtia, de hoc eſt maior difficultas, quia videtur hoc Vbi acquiri & deperdi ad motum hoſtiæ, & conſequenter cùm ſit hoc Vbi indiuiſibile in corpore Chriſti, quia locat totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatij, ſit vt infinita Vbi indiuiſibilia ſucceſſiuè acquirantur, & deperdantur, vt dicebatur in obiectione facta.

Reſpódetur tamen hoc non ſequi, quia non datur in corpore Chriſti Vbi intrinſecú in ordine ad ſpatium extrinſecum, quia corpus Chriſti conſtituitur in ſpatio extrinſeco, in quo eſt hoſtia extrinſecè, per denominationem extrinſecam ab Vbi locali hoſtiæ, quod eſt extenſum ad ſpatium, ſicut nec ipſum corpus Chriſti mouetur per motum intrinſecè receptum in ſe, ſed extrinſecè per motú hoſtiæ; Et ratio eſt, quia tam motus; quàm Vbi locale in ordine ad ſpatium, cóſequuntur corpus Chriſti neceſſariò per motum & Vbi hoſtiæ, nam neceſſariò

mouetur

Digitized by Google

mouetur ad motum hoſtiæ, & vbicatur in eo loco, in quo eſt hoſtia, propter illam vnionem intrinſecam, quam habet cum hoſtia.

2. Tertia obiectio. Tertiò obiicies, hic modus indiuiſibilis conſtituendi totum in toto, & totum in qualibet parte, eſt naturalis, cōpetit enim cōnaturaliter Angelo; at verò modus Sacramentalis eſt ſupernaturalis, ex Patribus & Tridentino ſuprà citatis; ergo hic modus Sacramentalis non conſiſtit in conſtituendo totum in toto, & totum in qualibet parte, ſed conſiſtit in aliquo alio.

Solutio. Reſpondetur, quicquid ſit, an hoc Vbi indiuiſibile competat connaturaliter Angelo, de quo infrà dicetur in quinto corollario, adhuc differt hoc Vbi Sacramentale, ab illo Vbi indiuiſibili Angelico; nam illud Vbi Angelicum non ita vnit Angelum cum loco, vt ad motum loci moueatur Angelus; at verò hoc Vbi Sacramentale ita ineffabiliter, vt loquitur Tridentinum, vnit Corpus Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, vt ad motum ſpecierum moueatur Corpus Chriſti; Sed de hac vnione mox fuſiùs dicetur in ſequenti dubitatione.

OCTAVA DVBITATIO.

An hæc præſentia Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, ſit Vbi locale, vel vnio ſimilis vnioni, quam habet ſubiectum cum accidentibus.

1. Prima ſententia Durandi. PRIMA ſententia eſt Durandi in 4.d.11.q. 1. num.4.& diſtin.10.quæſt.3.num.6.aſſerentis, hanc præſentiam Corporis Chriſti ad ſpecies Sacramentales eſſe per relationem ordinis tanquam per rationem formalem; Explicat autem hanc relationem ordinis ex eo, quia Corpus Chriſti eſt potens, vbicumque fuerit, abſque vlla ſui mutatione in illis ſpeciebus operari.

Fundamentum primæ ſententiæ. Fundamentum Durandi eſt, quia in 1. diſtin. 27. 1. parte diſtinctionis, exiſtimat ſecundùm Philoſophiam, omnem ſubſtantiam ſpiritualem conſtitui in loco, per hanc relationem ordinis ſeu præſentiæ virtualis; Corpus autem Chriſti, quamuis non ſit ſpirituale, ſe tamen habet per modum rei ſpiritualis ſecundùm præſentiam ad ſpecies, quia eſt totum in qualibet parte ſpecierum.

2. Secūda ſententia Thomiſtarum. SECVNDA ſententia eſt aliquorum Thomiſtarum, aſſerentium rationem formalem, per quam Corpus Chriſti eſt realiter & ſubſtantialiter præſens ſpeciebus Sacramentalibus, eſſe actionem aliquam circa ſpecies Sacramentales, quam aliqui dicunt eſſe conuerſionem panis in Corpus Chriſti; alij eſſe actionem, qua Corpus Chriſti efficienter ſuſtentat accidentia.

Fundamentum ſecūdæ ſententiæ. Fundamentum eſt, quia exiſtimant in Philoſophia iuxta doctrinam ſancti Thomæ, ſubſtantiam ſpiritualem conſtitui in loco per operationē tranſeuntem, tanquam per rationem formalem, ideo conſequenter dicunt Corpus Chriſti, quod ſe habet per modum rei ſpiritualis in Sacramento, eſſe per aliquam actionem præſens ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

3. Tertia ſententia Scoti. TERTIA ſententia eſt Scoti in 4.diſt.10.quæſt.6. aſſerentis Corpus Chriſti eſſe præſens ſub ſpeciebus panis per ſolam præſentiam localem, ſeu Vbi locale.

Fundamentum tertiæ ſententiæ. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſi aliqua alia vnio realis eſſet inter Corpus Chriſti & ſpecies, ſicut eſt inter ſubiectum & accidentia, ſequeretur quòd accidentia ſeu ſpecies Sacramentales eſſent vt actus, & Corpus Chriſti vt potentia, ac propterea ſpecies afficerent Corpus Chriſti, quod quidem eſt falſum; Et confirmatur à recentioribus Scotiſtis, ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 1. vbi dicitur, Corpus Chriſti per præſentiam Sacramentalem exiſtere in multis locis; ergo per Tridentinum ſignificatur, illam præſentiam non eſſe aliam, quàm localem. Cōfirmatur.

4. Quarta ſententia. QVARTA ſententia aſſerit, præſentiam Sacramentalem Corporis Chriſti ſub accidentibus non eſſe ſolùm localem, ſed eſſe vnionem quandam antecedentem, hanc autem non eſſe formalem, ſed effectiuam, per mutuam actionem extremorum, quæ inter ſe vniuntur per quandam quaſi attractionem vnius ad alterum, ita vt ſpecies Sacramentales attrahant Corpus Chriſti ad ſe, ac per hoc trahunt ipſum Chriſti Corpus ſecum, quando ipſa ad alium locum trahuntur; Corpus verò Chriſti ſuſtentando ſpecies, efficit exiſtentiam accidentium ſub ipſo Corpore, veluti trahendo ad ſe accidentia, quare ſecundùm præſentiam realem illa duo, ſpecies, ſcilicet, & Corpus Chriſti, ſeparari non poſſunt; ſicut magnes trahit ad ſe ferrum, & tractum continet ſibi præſens; Quòd ſi ferrum haberet etiam vim trahendi magnetem; nunquam vnum ab altero ſeparari poſſet. Hæc opinio tribuitur Palatio in 4.diſtinct. 11. diſp. 1. poſt ſecundam concluſionem, & eſt grauiorum recentiorum, & aliorum apud ipſos; citatur Guglielmus in tract. de Euchariſtia §. 1. ſed nihil de hoc dicit, ſolùm enim docet Corpus Chriſti ſuſtentare accidentia ſine inhærentia, quod quidem non negamus. Palat. Gugliel. Recētiores.

Pro hac ſententia ſolent à Recentioribus afferri multæ rationes, quæ breuiter ad hoc fundamentum reducuntur. 5.

Fundamentum quartæ ſententiæ. Hæc ſententia vitat omnia abſurda; quæ afferri poſſunt contra alias opiniones; ergo, &c. Antecedens probant, quia aliæ opiniones ponunt, præſentiam Sacramentalem eſſe tantùm localem, vt ſunt tres opiniones ſuperiùs allatæ, & tunc illæ opiniones non poſſunt commodè ſaluare, quomodo Corpus Chriſti neceſſariò moueatur ad motionem ſpecierum; ad motionem enim loci non mouetur neceſſariò res locata; dicendum eſt igitur, quòd præſentia Sacramentalis ſit vnio antecedens præſentiam localem, & tunc vel hæc vnio ponitur eſſe effectiuè, & habetur intentum; vel ponitur eſſe formalis; Et tunc contrà, quia hæc vnio formalis vel eſſet accidentalis, vel ſubſtantialis; ſed neutro modo, ergo, &c. Non poteſt dici, quòd ſit accidentalis; quia in vnione accidentali vnum extremum ſe habet vt actus, & alterum vt potentia, quod quidem non poteſt reperiri in hac vnione ſacramentali, nam Corpus Chriſti, vt patet, non poteſt eſſe actus ſpecierum, neque ſpecies actus Corporis, quia afficerent informando Corpus Chriſti, quod eſt abſurdum; Neque poteſt dici, quòd hæc vnio ſit ſubſtantialis; tum quia terminatur ad præſentiam Corporis Chriſti, quæ eſt accidentalis; tum quia in hac etiam vnione ſubſtantiali vnum extremum debet eſſe actus, & alterum potentia; tum quia vnio ſubſtantialis vel eſt materiæ cum forma, ad conſtituendum vnum compoſitum, vel vnio naturæ cum ſubſiſtentia, ad componendum vnum ſuppoſitum: ſed neutro modo eſt vnio Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, ergo, &c.

QVINTA ſententia aſſerit, hunc modum præſentiæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus eſſe vnionem formalem: Eſt ſancti Thomæ in 6. Quinta ſententia. S.Thom.

Digitized by Google

Sotus. in 3.part,q.16.art.5.Soti.in 4.d. 9.q.2.art.4.& d. 10. quæſt.1.ar.6. & aliorum, quos infrà citabimus in quinta concluſione. Pro huius ſententiæ, quæ verior eſt, explicatione ſit

7. Prima concluſio cõtra primam ſententiam. Durand. PRIMA concluſio contra primam ſententiam Durandi, Corpus Chriſti non eſt præſens ſpeciebus ſecundùm præſentiam ordinis, quia vel hæc præſentia ordinis conſtituit realiter. & ſubſtantialiter Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vel non; Si non, vt videtur dicere Durãdus, qui ponit præſentiam virtualem, tunc eſt contra Tridentinum ſeſſ.13. cap. 1, & canone 1. & 4. vbi habetur expreſsè, Chriſtum verè, realiter, & ſubſtantialiter contineri ſub ſpeciebus Sacramentalibus; & eſt ſententia communis Patrum contra Hæreticos, vt ſuprà oſtendimus; Si verò cõſtituit, tunc ſequeretur opinio aliorum Hæreticorum, dicentium Corpus Chriſti eſſe vbique, quia hæc relatio ordinis conſiſtit ſecundùm Durandum in eo, quòd poteſt Corpus Chriſti, vbicunque fuerit, abſque vlla ſui mutatione ſucceſſiuè in ſpeciebus operari; ergo hæc relatio ordinis tanquam ratio formalis conſtituet Corpus Chriſti vbique. Ad fundamentum Durandi infrà reſpondebitur.

Trident.

8. Secunda cõcluſio cõtra ſecundã ſententiam. SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. Ratio formalis præſentiæ ſubſtantialis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non poteſt eſſe conuerſio, neque actio per quam à Corpore Chriſti ſuſtentantur accidentia.

Probatur, nam ratio formalis ſecundùm Philoſophum, debet eſſe talis, vt ea poſita ponatur neceſſariò effectus formalis, & ea ſublata neceſſariò auferatur; ſed ſublata conuerſione, quæ durat per vnum inſtans, adhuc remanet Corpus Chriſti realiter præſens ſpeciebus ſacramentalibus; ergo præſentia hæc non poteſt eſſe effectus formalis conuerſionis; neque poteſt eſſe effectus formalis ſuſtentationis, quia poſita ſuſtentatione non ponitur neceſſariò hæc præſentia, poteſt enim Corpus Chriſti ſecundùm potentiam obedientialem etiam abſens ſuſtentare efficienter ſpecies Sacramentales, ſicut per eandem potentiam ſuſtentat præſens.

9. Tertia concluſio cõtra tertiam ſententiam. TERTIA concluſio contra tertiam ſententiam. Corpus Chriſti non eſt ſubſtantialiter præſens per ſolam præſentiam localem, ſeu Vbi locale prædicamentale, ſed per vnionem realem, quam habent accidentia cum Corpore Chriſti, quæ antecedit hoc Vbi locale. Hæc concluſio eſt communis Thomiſtarum, Capreoli in 4.d.10.q. 3.art.3. ad primum Soti in 4.d.9.q.2.art.4.& d.10.q.1.ar.6.& S.Thomæ 3.part. q.76.art. 5.qui omnes dicunt Chriſtum eſſe ſub accidentibus non localiter, ſed per modum ſubſtantiæ, ſuccedit enim ſubſtantiæ panis; & idem dicit Cardinalis Bellarm.lib. 3.de Euchariſtia cap.8. & Capr.art. 13. & idem indicat Caiet. 3. par.q.76. art.3.dum dicunt, quòd talis debet eſſe coniunctio, vt transferri poſſit ad locum, in quem hoſtia transfertur: & quamuis ibidem videatur dicere, hanc præſentiam eſſe relationem prædicamentalem, non tamen intelligit quòd relatio ſit ratio formalis, ſed fundamentum huius relationis ſit ratio formalis, hoc autem fundamentum eſt ratio exiſtendi ſacramentaliter ſub ſpeciebus.

Capreol. Sot.

Card. Bell. Caiet.

10. Prima ratio. Probatur concluſio primò, locatum manet in eodem ſpatio immobiliter in eadem diſtantia ac polis fixis mundi, mutato loco, quæ eſt ſuperficies ambientis; at mutatis, ſeu motis ſpeciebus, corpus Chriſti non manet in eodem loco, ſeu in eadem diſtantia à polis mundi; ergo ſignum eſt, quòd accidentia non ſe habent vt locus reſpectu corporis Chriſti; ſed aliqua alia ratio realis eſt danda, per quam ita corpus Chriſti ſit colligatum cum accidentibus, vt ad motum accidentium neceſſariò etiam moueatur, ſicut ad motum ſubiecti mouentur accidentia.

11. Reſponſio aduerſariorum. Sed reſpondent aduerſarij cum Scoto, corpus Chriſti & accidentia coniungi ſimul & colligari per actum diuinæ voluntatis, ita vt ad motum accidentium transferatur etiam corpus Chriſti; idem etiam dicit Durand. in 4. diſt. 10. quæſt. 5.

Confutat. Sed contrà, quia tunc corpus Chriſti mouetur per ſolam virtutem diuinam, & non per virtutem creatam, quod eſt falſum, quia verè corpus Chriſti dicitur eleuari à ſacerdote, & deferri ad ægrotos; tum quia multiplicarentur miracula.

12. Secunda ratio. Secundò probatur, Corpus Chriſti non ſolùm dicitur ſubſtantialiter eſſe præſens in hoc Sacramento; ſed etiam ſubſtantialiter & realiter contineri à ſpeciebus conſecratis, vt patet ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. & refertur in capite Firmiter, de ſumma Trinitate, & ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 1. ergo non rectè dicitur per ſolam præſentiam localem, ſeu Vbi prædicamentale, corpus Chriſti contineri ab accidentibus tanquam à loco. Probatur conſequentia, quia locus, vt patet ex 4. phyſ. debet excedere locatum in extenſione, hoc enim modo dicitur locatum contineri à loco, nam non ſola propinquitas & coëxiſtentia localis ſufficit ad rationem loci & locati; vnde vna qualitas non dicitur continere aliam qualitatem, quamuis coëxiſtant in eodem ſubiecto; ergo præſentia Sacramentalis Chriſti ſub ſpeciebus non includit ſimplicem præſentiam, & propinquitatem localem.

13. Tertia ratio. Tertiò probatur, quia quando duæ res ſunt ſibi præſentes, ſeu propinquæ per præſentiam localem, ſeu Vbi prædicamentale, tunc ſi illæ duæ res mutent locum, etiam ſi maneant propinquæ & ſibi præſentes, mutant priorem præſentiam localem, ſeu Vbi prædicamentale quod prius habebant, quia Vbi prædicamentale eſt dependens à tali ſpatio extrinſeco, ad quod dicit ordinem; ſicut à pari ſimilitudo, quæ eſt inter duo corpora alba, mutatur, ſi mutatur illa numero albedo corporis, quæ erat priùs, & conſequenter aduenit noua alia ſimilitudo diſtincta numero inter eadem numero corpora, quia hæc ſimilitudo dependet ab hac albedine; at verò cùm ſpecies Sacramentales transferuntur de vno loco in alium, non mutatur præſentia Sacramentalis, quam habet Corpus Chriſti ad ſpecies, alioquin ſequeretur, quòd non idem numero Sacramentum, quod confectum eſt à Chriſto, ſuſceptum fuiſſet à diſcipulis, quia quando Chriſtus dedit Sacramentum diſcipulis ſuis, per motum fuit variata præſentia localis, ergo fuit etiam variata præſentia Sacramentalis, quæ eſt de eſſentia huius Sacramenti; ergo dicendum eſt, quòd per aliam vnionem realem, quæ præcedit exiſtentiam in loco, Corpus Chriſti ſit coniunctum cum ſpeciebus; ſicut accidentia per aliam vnionem realem ſunt vnita cum ſubiecto, quam vnionem nunquam mutant, etiam ſi præſentia localis mutetur.

14. Quarta ratio. Quartò non bene ſaluatur, quomodo ex vi huius præſentiæ, ſeu vnionis localis deſinat panis, & tamen, vt habetur ex Tridentino, ex vi huius vnionis Chriſti cum accidentibus, debet deſinere panis.

Quinta ratio. Quintò non bene ſaluatur, quomodo Corpus Chriſti dicatur ſubire vicem ſubſtantiæ.

15. Quarta concluſio cõ QVARTA concluſio contra quartam ſententiam. Hæc vnio ſpecierum Sacramentalium cum

Digitized by Google

cum corpore Chriſti, quæ antecedit, vt probatum eſt, præſentiam ſeu Vbi locale, non eſt effectiua per mutuam actionem extremorum, ita vt ſpecies Sacramentales attrahant corpus Chriſti ad ſe, & tractum retineant ſibi præſens; ita ſimiliter corpus Chriſti attrahat ipſas ſpecies Sacramentales ad ſe, & tractas retineat ſibi præſentes, ſicut magnes attrahit ferrum ad ſe, & tractum retinet ſibi præſens.

Prima ratio. S. Thom. Probatur primò hæc concluſio, & colligitur probatio ex S. Thom. 3. par. q. 76. ar. 6. ad tertium, quia ſequeretur, quòd eſſet mutua dependentia in eodem genere cauſæ efficientis inter corpus Chriſti & accidentia; nam accidentia, vt ſupponuntur præſentia corpori Chriſti, cauſant ipſam præſentiam in corpore Chriſti, attrahendo corpus Chriſti ad ſe, & corpus Chriſti, vt ſupponitur præſens accidentibus, cauſat præſentiam in accidentibus, attrahendo accidentia ad ſe; præſentiam igitur in accidentibus habuit corpus Chriſti ab ipſis accidentibus, & è contrà.

Quòd vero ſpecies Sacramentales quando efficiunt hanc præſentiam in corpore Chriſti, præſupponant illam, probatur, quia cauſant vt Sacramentales; non poſſunt autem eſſe Sacramentales, niſi præſuppoñant præſentiam Chriſti, hæc enim præſentia ingreditur vt pars cõſtitutiua ſacramenti; hæc enim eſt, quæ ſignificatur, & cauſatur per verba.

16. Inſtantia. Reſpondent aduerſarij ad hanc rationem, quòd ſpecies non concurrunt in efficiendo præſentiam corporis Chriſti, ad hanc enim concurrunt verba; ſed ſpecies Sacramentales concurrunt in conſeruando præſentiam loco verborum, quæ non ſunt, conſeruatio autem poteſt præſupponere præſentiam Chriſti factam à verbis.

Soluitur. Sed contrà, quia redit idem argumentum, nam in ipſo conſeruari adhuc militat argumentum, corpus enim Chriſti conſeruat efficienter præſentiam accidentium ad ſe, & accidentia conſeruant præſentiam corporis Chriſti ad ſe, & tamen accidentia conſeruant, vt præſentia corpori Chriſti, quam præſentiam habent à corpore Chriſti per conſeruationem, dum igitur conſeruant præſentiam in corpore Chriſti, conſeruant per illam præſentiam, quam in eadem duratione conſeruationis accipiunt à corpore Chriſti, & eodem modo dicendum eſt de cauſatione, quam habet corpus Chriſti ad ſpecies, nam quamuis corpus Chriſti vt abſens, eleuatum per diuinam potentiam, poſſit ſuſtentare ſpecies, & cauſare præſentiam ſpecierum ad ſe, ac propterea præſentia corporis Chriſti quantùm ad hoc, ſe habeat concomitanter, ſeu conſequenter; tamen quia in Sacramento agit vt ens Sacramentale, ideo agit vt ſtat ſub præſentia accidentium, quia præſentia eſt de ratione conſtitutiua ſacramenti; ergo quando cauſat ſiue per actionem in fieri, ſiue per actionem conſeruationis præſentiam accidentium ad ſe, debet præſupponi præſens accidentibus; hanc autem præſentiam ad accidentia habet corpus Chriſti per conſeruationem, vt dictum eſt, ab ipſis accidentibus.

17. Adde quòd ſi corpus Chriſti cauſaret abſens præſentiam in accidentibus, ſequeretur quòd per illam actionem attraheret accidentia ad ſe, vt eſt in cœlo, & accidentia attraherent corpus Chriſti ad ſe, vt ſunt in Altari, & conſequenter eſſet actio mutua contraria, vnde nihil ſequeretur.

18. Quinta cõcluſio in qua explicatur. QVINTA concluſio: Corpus Chriſti fit præſens accidentibus ſacramentaliter ſecundùm ſubſtantiam, per vnionem formalem ſimilem illi, quæ erat inter ſubſtantiam, & accidentia; ſublata enim inhærentia, ſuccedit corpus Chriſti ſubſtantiæ panis.

natura vnionis ſacramẽtalis S. Thom. Hæc concluſio eſt ſancti Thomæ 3. part. quæſt. 76. art. 4. & 5. vbi ait Chriſtum eſſe in hoc Sacramento ſuccedendo ſubſtantiæ panis; Vnde ſicut ſubſtantia non eſt in hoc Sacramento ſub ſuis accidentibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ; ita neque ſubſtantia Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter; colligitur igitur ex S. Thoma, corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis per vnionem formalem, ſicut erat ſubſtantia, ſublata inhærentia, quem modum idem S. Thom. in 4. diſtinct. 11. art. 1. quæſtiuncula 1. ad primum, vocat ineffabilem; Eſt etiam Capreoli in 4. diſt. 10. quæſt. 3. art. 3. ad 1. vbi dicit, quòd quamuis corpus Chriſti non informetur accidentibus, tamen ſuccedit ſubſtantiæ panis; & Soti in 4. diſt. 4. quæſt. 2. art. 4. & diſtinct. 10. quæſt. 1. art. 6. ait præter præſentiam Chriſti localem eſſe aliam vnionem cum illis accidentibus; & explicans, quæ nam ſit hęc vnio, dicit quòd eſt eo modo, quo in eis continebatur ſubſtantia, ſecluſa tamen inhærentia; Idem dicunt, qui ſcribunt contra hæreticos Ruardus Taper. art. 13. pag. 28. & præcipuè Cardinalis Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 18. Chriſtus igitur non eſt ſub ſpeciebus per ſimplicem ſolùm exiſtentiam, ſed etiam per vnionem quamdam, qualis erat inter ſubſtantiam panis, & ipſius accidentia, ſecluſa tamen inhærentia,

PRO cuius concluſionis explicatione notandum eſt, quòd præſentia vnius rei cum alia, eſt duplex; altera localis, id eſt, ſecundùm locum; altera verò ſecundùm entitatem, quam res habet in ſe abſtrahentem à loco.

Præſentia rei localis eſt illa, quæ conuenit rebus, per habitudinẽ, quam habent ad ſpatium immobile, vel ad polos mundi fixos, vnde tunc dicuntur duæ res præſentes ſecundùm locum, quando ſunt in eodem loco in ordine ad fixos polos mundi, ex qua coëxiſtentia reſultat relatio præſentiæ.

Præſentia verò ſecundùm entitatem abſtrahit à loco, quia non dependet ab illo, & conuenit rebus, non quatenus ſunt in eodem loco, ſed quatenus ſunt inuicem præſentes ex propria entitate; ex eo enim quia ſunt in ſe ſecundùm entitatem connumctæ, oritur neceſſariò, illas exiſtere in eodem loco, cuiuſmodi eſt vnio accidentium cum ſubiecto, quæ præcedit exiſtentiam in loco, ex qua coniunctione entitatiua oritur, vt cùm ſubiectum transfertur de vno loco ad alium, transferri etiam neceſſe ſit illius accidentia, & hinc etiam fit, vt etiamſi varietur præſentia localis, remaneat tamen ſemper eadem numero præſentia entitatiua, nam præſentia entitatiua, non dependet ab hoc vel illo ſpatio extrinſeco, ſicut dependet præſentia localis. Ad hanc etiam vnionem entitatiuam reduci poteſt vnio effectiua, cuiuſmodi eſt vnio magnetis cum ferro, attrahit enim magnes ad ſe ferrum, vnde poſtea oritur, quòd coëxiſtant in eodem loco ſecundùm ſuperficiem. Ad hanc etiam præſentiam entitatiuam reducitur vnio formalis corporis Chriſti cum accidentibus. 19. Explicatur concluſio. Primũ not.

Quòd ſi quæras, in quo conſiſtit hæc vnio formalis.

20. Secundum not. Reſpondeo, & pro reſponſione nota ſecundò, quòd hæc vnio entitatiua corporis Chriſti cum accidentibus, non ordinatur; vt per eam fiat vnum ens phyſicum compoſitum ex corpore Chriſti, & accidentibus, ſicut eſt in vnione ex accidentibus & ſubiecto, ſed ſolùm ordinatur, vt Chriſtus ſit intimè præſens in eodem loco cum accidentibus, ac proinde ex illis fiat quaſi vnum locatum, & in hac vnione non eſt neceſſe, vt vnum extremum ſe ha-

Digitized by Google

beat vt actus, & aliud extremum vt potentia, quia non fit, vt dictum eſt, vnum ens compoſitum, ſicut fit compoſitum accidentale, ex accidentibus, & ſubiecto, ſed potiùs vtrumque extremum ſe habet vt vnum locatum, ordinatum ad vnitatem eiuſdem loci. Habemus quid ſimile in rebus naturalibus, & ſupernaturalibus; in naturalibus quidē omnes partes corporis vniuntur ad inuicem, non tāquam actus, & potentia, ſed tāquam vna materia adæquata ad vnitatem formæ: In ſupernaturalibus verò corpus, & anima Chriſti, quatenus vniuntur ad inuicem in ordine ad vnam ſubſiſtentiam Verbi, non vniuntur, vt actus, & potentia, ſed vt vna potentia ad vnitatem eiuſdem ſubſiſtentiæ Verbi tamquam formæ; Et confirmatur, quia per actum diuinæ voluntatis poſſunt ita coniungi corpus Chriſti cum ſpeciebus, vt ſemper ſeruent eamdem propinquitatem, & præſentiam inter ſe, quod etiam concedit Scotus; cur ergo non poteſt Deus hoc idem facere per formalem vnionem realem.

20. *Probatur primò.* His poſitis probatur concluſio, primò, quia hæc vnio formalis nullam dicit repugnantiam, vt oſtenſum eſt, & maximam habet ſimilitudinem cum vnione, qua ſubſtantia panis vniebatur cum accidentibus; ergo hæc vnio ponenda eſt in corpore Chriſti cum accidentibus, quia ſubſtantia corporis Chriſti, vt probatum eſt, ſuccedit loco ſubſtantiæ panis.

Secūdò probatur. Secundò probatur ex impugnatione aliarum opinionum, quas ſuprà confutauimus.

21. *Tertiò probatur.* Tertiò probatur, quia per hanc vnionem formalem benè ſaluantur omnia, quæ habentur apud Concilia, & Patres.

Saluatur enim primò, quòd motis accidentibus, neceſſariò mouetur corpus Chriſti, & quòd virtute naturali rectè dicitur eleuari à ſacerdote, & deferri ad ægrotos, quia ſufficit virtus naturalis qua mouentur accidentia; ad motum enim illius neceſſe eſt transferri corpus Chriſti ad locum, vbi exiſtunt accidentia.

Secundò ſaluatur, quòd eadem numero præſentia Sacramentalis corporis Chriſti, non variatur, variata præſentia locali, per motum accidentium ad alium locum; vnde vlteriùs ſequitur, quòd idem numero Sacramentum, quod fuit confectum à Chriſto fuerit ſuſceptum à diſcipulis, quia quamuis, quando Chriſtus diſtribuit Sacramentum diſcipulis, fuerit motus localis ipſius hoſtiæ, ſemper tamen remanſit eadem Sacramentalis præſentia numero, quæ eſt de eſſentia huius numero Sacramenti.

Tertiò ſaluatur, quomodo corpus Chriſti dicatur ſubire vices ſubſtantiæ, qui vt ſic vnitum intimè ſpeciebus, ſuſtentat accidentia in genere cauſæ efficientis; ſicut ſubſtantia panis ſuſtentabat in genere cauſæ materialis; & præterea ſicut accidentia dicebantur inſtrumentum panis, quia ſuſtentabantur à pane, ſimiliter dicuntur inſtrumenta corporis Chriſti, quia ſuſtentantur licèt effectiuè ab illo.

Quartò bene ſaluatur, quomodo, vt loquitur Tridentinum, ex vi vnionis deſinat panis, nam hæc vnio, vnit corpus Chriſti cum accidentibus, non quomodocumque, ſed vt ſubit vices ſubſtantiæ, ſuſtētando accidentia; ac proinde neceſſe eſt panem ceſſare ab actu ſuſtentationis, non enim poteſt, vt infrà probabitur in prædicamento Actionis, idem effectus numero eſſe à duabus cauſis totalibus ſaltem naturaliter, ceſſante autem ſuſtentatione, deſinit naturaliter ſubſtantia panis, quia cùm accidentia non inhæreant ampliùs in ipſa ſubſtantia panis, non poſſunt illam conſeruare.

Quintò ſaluatur, quomodo hæc vnio fiat per conuerſionem ſubſtantialem, quamuis ipſa ſit accidentalis, nam per hanc vnionem ex vi verborum, vt fusè oſtendetur infrà in Corollario de conuerſione, ſeu tranſubſtantiatione panis, &c. aduenit in corpore Chriſti, ſecundùm potentiam obedientialem, noua quædam ratio ſubſtantialis, fit enim ipſa ſubſtantia corporis Chriſti potens ad ſuſtentandum efficienter accidentia, quæ priùs ſuſtentabantur à pane.

Vltimò ſaluatur, quomodo iuxta hanc noſtram ſententiam non ſit opus ponere mutuam dependentiam, inter præſentiam accidentium ad corpus Chriſti, & præſentiam corporis Chriſti ad accidentia, quam mutuam dependentiam cogebatur ponere quarta ſententia de vnione effectiua, vt ſuprà oſtenſum eſt, ſufficit enim iuxta ſententiam noſtrā de vnione formali, quòd hæc vnio formalis cauſetur ſolùm à verbis, & per illam corpus Chriſti adducatur ad accidentia, & accidentia ad corpus Chriſti, quæ vnio poſtea, tranſactis verbis conſecrationis, conſeruatur à Deo; quod quidem dici non poteſt, ſi vnio eſt effectiua, nam in hac opinione ipſa accidentia traherent corpus Chriſti ad ſe, & conſeruarent ſibi præſens, & corpus Chriſti ad modum magnetis traheret ad ſe ipſa accidentia, & conſeruaret illa ſibi præſentia: Hanc autem mutuam dependentiam repugnare ſatis oſtendimus in quarta concluſione, contra quartam opinionem.

Et per hæc patet reſponſio ad multas obiectiones, quæ fieri poſſent, contra hanc noſtram ſententiam explicatam in hac quinta concluſione; reſtat modò reſpondere ad argumenta aliarum opinionum.

RESPONSIO AD FVNDAMENTA ALIARVM OPINIONVM.

Ad fundamentum primæ ſententiæ Durandi, quod eſt contra primam concluſionem, reſpondeo, falſum ſupponere ex Philoſophia, ſubſtantiam ſpiritualem conſtitui in loco per præſentiam ordinis, vt oſtendetur infrà in quinto corollario de loco Angelorum, dubitat. ſecunda, neque ſi hoc admitteretur in ſubſtantia ſpirituali, deberet concedi in corpore Chriſti, nam corpus Chriſti ſecundùm Concilia verè, & realiter eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & non per præſentiam ordinis, quæ eſt præſentia virtualis, vt inquit Durandus. 22. *Ad fundamētum primæ ſententiæ.*

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt contra ſecundam concluſionem, reſpondetur, falſum ſupponere hanc ſententiam, quòd ſubſtantia ſpiritualis conſtituatur in loco per operationem, vt fusè dicetur infrà in Corollario quinto citato, de loco Angelorum, & etiamſi hoc admitteretur in ſubſtantia ſpirituali, non tamen deberet concedi in corpore Chriſti, exiſtenti in Sacramento, vt probatum eſt in ſecunda concluſione. 23. *Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ.*

Ad fundamentum tertiæ ſententiæ Scoti, quod eſt contra tertiam concluſionem, reſpondetur concedendo, vt probatum eſt in quinta concluſione, quòd præter præſentiam localem, habeat corpus Chriſti aliquam aliam vnionem realem cum accidentibus; negatur tamen hinc ſequi illud abſurdum, quòd accidentia eſſent, vt actus, & corpus Chriſti, vt potentia, vt probatum eſt in eadem quinta concluſione in ſecundo notabili. 24. *Ad fundamētum tertiæ ſententiæ.*

Ad confirmationem concedimus, quod dicit Tridentinum, quòd per præſentiam Sacramentalem,

lem, corpus Chriſti exiſtit in multis locis, non tamen hinc ſequitur, quòd corpus Chriſti ſit in accidentibus ſecundùm præſentiam localem tantùm, nam poteſt eſſe vnio entitatiua corporis Chriſti eum accidentibus, vt de facto eſt, ſicut probatum eſt ſuprà, ex qua ſequatur poſtea præſentia localis corporis Chriſti in eodem loco, vbi ſunt accidentia, ſicut ex vnione, quam habent accidentia cum ſubiecto, ſequitur, quòd accidentia ſint in eodem loco, in quo eſt ſubiectum; & de hac præſentia locali ſecundaria ſeu conſequenti loquitur Tridentinum.

25. Ad fundamentū quartæ ſentẽtiæ.

Ad fundamentum quartæ ſententiæ, quod eſt contra quartam & quintam concluſionem, reſpondetur concedendo, quòd quarta ſententia per vnionem effectiuam ſaluet, quomodo motis ſpeciebus moueatur corpus Chriſti, quod non commodè poſſunt ſaluare illi, qui ſolùm admittunt præſentiam localem corporis Chriſti cum ſpeciebus, ſed non propterea ſequitur, quòd danda ſit hæc vnio effectiua, nam poteſt etiam hoc & plura alia ſaluari per vnionem formalem, iuxta quintam concluſionem.

Et cùm inſtatur, quòd vnio formalis dicit extrema, quorum vnum eſt actus, & alterum potentia, quod non reperitur in vnione corporis Chriſti cum ſpeciebus: Reſpondetur quòd in hac vnione formali, vtrumque extremum ſe habet vt potentia, vt ſatis explicatum eſt in quinta concluſione in ſecundo notabili.

DVBITATIO NONA.

Vtrùm hac vnio ſit in accidentibus vel in Corpore Chriſti.

1. Prima ſententia. Capr.

PRIMA ſententia eſt Capreoli aſſerentis hanc vnionem non eſſe intrinſecè in corpote Chriſti, ſed in accidentibus tantùm, & ab illa denominari corpus Chriſti extrinſecè præſens accidentibus.

S.Thom.

CONTRARIAM ſententiam tenent communiter alij Thomiſtæ cum S.Thoma 3. part. quæſt. 76. art. 3. & art. 5.

Pro cuius ſententiæ explicatione ſit

Prima concluſio. An vnio ſacramentalis ſit ratio realis.

PRIMA concluſio. Hæc vnio fotmalis, ſeu præſentia Sacramentalis, eſt ratio poſitiua realis intrinſeca, ſiue in corpore Chriſti, ſiue in accidentibus.

2. Prima ratio.

Probatur primò, Vbi locale, vt probatum eſt fusè in prædicamento Vbi, eſt reale, & intrinſecum locato, ergo multò magis hoc dici debet de hac vnione Sacramentali, quia non ſolùm dicit indiſtantiam, ſicut dicit Vbi locale, ſed præterea dicit aliquam maiorem, & intimiorem vnionem cum accidentibus, ſimilem vnioni, quam habet ſubiectum ad accidentia, vt probatum eſt in ſuperiori dubitatione.

3. Secunda ratio.

Probatur ſecundò, Hæc vnio, ſeu Vbi Sacramentale, non ſolùm dicit negationem extenſionis in ordine ad locum, ſed poſitiuè dicit rationem quandam, per quam corpus Chriſti eſt realiter totum in tota hoſtia; ergo hæc vnio eſt aliqua ratio poſitiua, & realis; Solet hæc concluſio probari à recentioribus aliis rationibus, ſed non ſunt efficaces.

4. Tertia ratio.

Tertiò igitur aliqui recentiores probant èx Tridentino ſeſſ. 13. cap. 1. & can. 1. vbi definitur Chriſtum verè, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus contineri; & infrà, ſubſtantiam corporis Chriſti multis in locis Sacramentaliter eſſe præſentem, ergo corpus Chriſti eſt præſens ſpeciebus per realem præſentiam; ergo per aliquam vnionem poſitiuam, & realem, quæ ſit vel in corpore Chriſti, vel ſaltem in accidentibus, à qua corpus Chriſti ſaltem extrinſecè denominetur realiter præſens.

Sed hæc ratio non eſt efficax, poſſent enim Aduarſarij ſaluare Concilium, ſi dicant, ſatis eſſe ſolam indiſtantiam; ad hoc vt verè dicatur corpus Chriſti realiter, & ſubſtantialiter eſſe ſub ſpeciebus; illud enim verbum (realiter,) non appellat rationem formalem realem exiſtendi ſecundùm præſentiam, ſed appellat ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ ſit præſens; verè enim corpus Chriſti ſit ſecundùm ſuam ſubſtantiam præſens ſpeciebus. Reiicitur.

Quartò alij recentiores probant, quia relatio, inquiunt, corporis Chriſti ad ſpecies eſt realis; quia corpus Chriſti eſt realiter præſens ſpeciebus; ergo vnio, quæ eſt fundamentum huius relationis, eſt realis. 5. Quarta ratio.

Sed neque hæc ratio eſt efficax; poſſent enim aduerſarij negare relationem præſentiæ eſſe realem. Et cùm inſtant, corpus Chriſti eſt realiter præſens; reſpondetur, vt ſuprà reſponſum eſt, illud (realiter) non appellare rationem formalem realem exiſtendi ſecundùm præſentiam; ſed ſubſtantiam corporis Chriſti; ſufficit autem indiſtantia ad hoc, vt verè poſſit dici corpus Chriſti eſſe realiter præſens ſpeciebus.

SECVNDA concluſio. Hæc vnio eſt intrinſecè in corpore Chriſti, & non in accidentibus, contra Capreolum cum S. Thoma, & communi ſententia expoſitorum 3. part. loco citato. 6. Secunda cõcluſio. Hæc vnio realis eſt tãtùm in corpore Chriſti.

Probatur primò, quia non ipſa accidentia, ſed corpus Chriſti eſt indiuiſibiliter præſens in ordine ad locum; ipſum enim eſt totum in toto, & totum in qualibet parte, ergo ratio formalis conſtituens corpus Chriſti ſub accidentibus hoc modo indiuiſibili, debet eſſe intrinſecè in ipſo corpore Chriſti, cui tantùm dat effectum formalem. Prima ratio.

Secundò probatur, quia per conuerſionem Sacramentalem ipſum corpus Chriſti ſit præſens ſpeciebus, & quaſi trahitur ad locum ſpecierum, vt patet ex Concilio Tridentino loco citato; ergo ſpecies Sacramentales, ſunt potiùs terminus huius relationis præſentiæ, quàm fundamentum; Fundamentum igitur huius præſentiæ, quod eſt vnio, eſt in ipſo corpore Chriſti, nec poteſt dici, quòd ſpecies ſint ſimul terminus, & fundamentum, nam terminus relationis, & fundamentum à parte rei, diſtinguuntur realiter, quando extrema ſunt diſtincta realiter, vt ſupponimus ex his, quæ dicemus in prædicamento relationis, & ita eſt in caſu noſtro. 7. Secunda ratio.

Tertiò, corpus Chriſti, vt patet ex Conciliis citatis, eſt terminus conuerſionis ſubſtantialis; ergo in ſe debet recipere mutationem realem ſi eſt capax illius. 8.

Quartò, corpus Chriſti adducitur ad locum ſpecierum, & non è conuerſo, ergo ratio adducens cùm non ſit effectiua, vt probatum eſt, ſed formalis, debet eſſe in ipſo corpore adducto.

TERTIA concluſio. Hæc vnio, ſeu Vbi Sacramentale, eſt diſtinctum à parte rei à corpore Chriſti. 9. Tertia concluſio.

Probatur primò, quia ante inſtitutionem huius Sacramenti, in corpore Chriſti non exiſtebat hoc Vbi Sacramentale; ergo Vbi Sacramentale diſtinguitur à parte rei à corpore Chriſti. Probatur conſequentia,

Digitized by Google

ſequentia, quia ſeparabilitas, eſt ſignum euidens diſtinctionis à parte rei, vt docet Ariſtoteles 7. top. cap. 1. & hîc Alex. & Auerr. & præterea idem Ariſt. 7. metaph. in fine, colligit carnem eſſe aliquid diuerſum ab elementis, quia quamuis, inquit, caro non poſſit eſſe ſine elementis, poſſunt tamen elementa remanere ſine carne; Idem docet Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 7. & ſcholaſtici, præcipuè Scotus in 2. diſt. 1. quæſtione 5. & in 3. diſtinct. 8. quæſtione 1.

10. Obiectio. Sed obiicies contra hanc conſequentiam, quia poſſet dici, quòd ſicut relatio ſecundùm opinionem multorum Philoſophorum, ſit idem cum ſuo fundamento, non tamen denominat illud, vt relatum, niſi extrinſecè adueniat terminus, ita ſimiliter poſſet dici, quòd hoc Vbi Sacramentale identificatur cum corpore Chriſti, ſed non denominat illud, niſi facta mutatione in ſpeciebus.

Soluitur. Reſpondetur, quicquid ſit de veritate illius opinionis, de qua multa diximus in prædicamento Relationis, adhuc eſt diſparitas, quia hoc Vbi Sacramentale non poſſet denominare corpus Chriſti præſens per aliquam mutationem factam in accidentibus, tamquam in termino, ſed debet fieri mutatio in ipſo corpore Chriſti, nam vnio adducens corpus Chriſti ad ipſas ſpecies Sacramentales, debet eſſe in ipſo corpore Chriſti, vt probatum eſt in præcedenti concluſione.

11. Quarta concluſio, an hæc vnio ſit ſubſtantialis vel accidentalis. QVARTA concluſio. Hæc vnio ſeu præſentia Sacramentalis, non eſt ratio aliqua ſubſtantialis in corpore Chriſti, ſed accidentalis.

Probatur, quia modus ſubſtantialis eſt ille tantùm, qui ſpectat ad conſtitutionem ſubſtantiæ; vnio enim inter materiam, & formam, ideo eſt ſubſtantialis, quia intrinſecè concurrit ad compoſitionem naturæ ſubſtantialis, & ſubſiſtentia ideo eſt ratio ſubſtantialis, quia eſt ratio intrinſeca perſonæ, & illam complet; ſit enim compoſitum completum ex natura, & ſuppoſito; hac enim ratione vnio hypoſtatica in Chriſto eſt ſubſtantialis, quia vnit naturam humanam cum ſuppoſito diuino, & fit vnum compoſitum ſubſtantiale ex illa natura humana, & ſuppoſito diuino; Sed iſte modus vnionis, ſeu præſentiæ Sacramentalis non eſt huiuſmodi, aduenit enim ſubſtantiæ Chriſti conſtitutæ, & completæ, in ratione ſubſtantiæ, quia in cœlo, eſt ſubſtantia completa, & conſummata; ergo non poteſt iſta præſentia eſſe ſubſtantialis; Et confirmatur, quia hæc præſentia eſt in ordine ad locum formaliter, vt diximus ſuprà in quinta concluſione, concurrit enim corpus Chriſti, & accidentia, tamquam vnum locatum in ordine ad eumdem locum; non ergo conſtituit rem, ſed potiùs rem conſtitutam facit præſentem loco; ergo eſt aliqua ratio accidentalis.

12. Obiectiones contra quartam concluſionem. CONTRA hanc concluſionem tenent aliqui recentiores, dicentes hanc præſentiam Sacramentalem eſſe modum ſubſtantialem.

Prima. Trident. Probant primò ex Tridentino ſeſſione 13. cap. 1. vbi dicitur corpus Chriſti eſſe ſubſtantialiter ſub ſpeciebus.

Secunda. S. Thom. Secundò, quia corpus Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis, & eſt per modum ſubſtantiæ, vt dicit S. Tho. 3. par. quæſtione 76. art. 5. ergo hæc vnio eſt ſubſtantialis.

Tertia. Tertiò, quia terminus formalis in quem fit conuerſio ſubſtantialis, eſt corpus Chriſti, vt eſt præſens ſpeciebus; ergo hæc præſentia quæ eſt terminus formalis, debet eſſe ſubſtantialis.

13. Soluuntur obiectiones. Ad primum reſpondetur, Tridentinum definire ſolùm ſubſtantiam Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, & hoc ſignificat illa particula (ſubſtantialiter.) Prima ſoluitur. Trident.

14. Soluitur ſecunda obiectio. Ad ſecundum dicitur, corpus Chriſti ſuccedere ſubſtantiæ panis, quia efficienter ſuſtentat accidentia, non autem quòd fiat vnum compoſitum ſubſtantiale ex corpore Chriſti, & accidentibus; imò cùm vnio ex accidentibus, & ſubſtantia panis, non ſit ſubſtantialis, potiùs colligitur hanc vnionem inter corpus Chriſti, & accidentia, eſſe accidentalem.

15. Soluitur tertia obiectio cum diſtinctione. Ad tertium reſpondetur, quòd poteſt hæc conuerſio ſubſtantialis panis in corpus Chriſti dupliciter conſiderari; Primò vt præcisè dicit productionem præſentiæ Sacramentalis; Secundò, vt eſt conuerſio panis in corpus Chriſti, tamquam terminum ad quem. Si primo modo, tunc terminus formalis productionis eſt præſentia Sacramentalis, ſeu vnio formalis corporis Chriſti, cum accidentibus, & hæc actio, eſt accidentalis, ſicut eſt ipſa præſentia, quæ eſt terminus; Si verò conſideretur conuerſio ſecundo modo, tunc dicendum eſt, quòd hæc conuerſio eſt ſubſtantialis, quia terminus formalis ad quem huius conuerſionis, eſt ipſum corpus Chriſti, vt eleuatum à Deo in actu primo ad ſuſtentandum accidentia, connotando hanc præſentiam Sacramentalem, vt fuſiùs dicetur in Corollario de tranſſubſtantiatione.

16. Palat. Hæc autem noſtra ſententia hoc modo explicata eſt Palatij in 4. diſtin. 11. diſput. 1. vbi actionem terminatam præcisè ad præſentiam Sacramentalem dicit eſſe accidentalem; dicit enim præſentiam Sacramentalem eſſe verum accidens; poſtea verò in fine diſputationis dicit, actum illum, quo corpus Chriſti ſupplet ſubſtantiam panis ſuſtentando accidentia, eſſe actum ſubſtantialem; Idem colligitur ex Soto in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 2. Soto.

17. Quinta concluſio an per hanc vnionem corpus Chriſti vnitur tantùm immediatè cum quantitate. QVINTA concluſio, quòd corpus Chriſti per hanc vnionem, ſeu præſentiam Sacramentalem, non coniungitur immediatè cum omnibus accidentibus, ſed immediatè tantùm cum quantitate.

Fundamentum huius concluſionis. Probatur, quia hæc vnio immediatè cum quantitate eſt ſatis ſufficiens, vt corpus Chriſti ſit præſens mediatè omnibus aliis accidentibus, omnia enim alia accidentia ſubiectantur in quantitate; ſi igitur corpus Chriſti vnitur cum quantitate; vnitur etiam neceſſariò cum aliis accidentibus, quæ ſunt ſimul cum ipſa quantitate, fruſtra ergo datur alia vnio immediata cum accidentibus.

Hæc eſt ratio fundamentalis huius concluſionis, nam aliæ rationes, quæ ſolent afferri à recentioribus, non ſunt efficaces.

18. Secunda ratio aliorum reiicitur. Solet enim probari ab aliquibus, quia alioquin ſequeretur, inquiũt, quòd hæc præſentia Sacramentalis corporis Chriſti ad accidẽtia panis, diſtingueretur eſſentialiter à præſentia ſanguinis ad accidẽtia vini, quia præſentia Sacramentalis dicit reſpectum eſſentialem ad accidentia; ſed accidentia ſunt diſtincta eſſentialiter, in pane, & in vino; ergo eſſentialiter etiam diſtinguetur præſentia Sacramentalis ad accidentia panis, à præſentia Sacramentali ad accidentia vini.

Sed hæc ratio non eſt efficax, nam vt explicatum eſt ſuprà, vnio Sacramentalis ſub vna ratione formali, reſpicit omnia accidentia, quatenus conſtituit illa ſimul cum corpore Chriſti, tanquam vnum locatum in eodem loco; ſiue igitur ſit vnio corporis Chriſti cum his accidentibus, ſiue cum illis, non variatur vnio eſſentialiter.

Tertia ratio aliorum reiecta. Probari præterea ſolet ab aliis iunioribus; ſi corpus Chriſti immediatè, inquiunt, ſimul vniretur cum aliis accidentibus, ſequeretur quòd cùm illa

Digitized by Google

illa accidentia intendantur, intendi etiam debet præſentia Sacramentalis, & cùm illa remittuntur, deberet etiam corrumpi, ſeu remitti eadem præſentia, hoc autem eſt abſurdum, quia ſemper remanet eadem numero præſentia ſacramentalis inuariata.

Sed neque hæc ratio eſt efficax, ſiue enim accidentia intendantur, ſiue remittantur, nihil facit ad variationem, quia intenſio & remiſſio non ſunt in ordine ad locum; at verò illa vnio eſt in ordine ad locum, quatenus, vt dictum eſt, eſt ratio conſtituendi accidentia, & corpus Chriſti, tanquam vnum locatum ſimul in eodem loco.

19. Sexta concluſio, an in côſecratione corporis hęc vnio ſit immediatè in ſanguine.

SEXTA concluſio. Hæc vnio, ſeu præſentia Sacramentalis in conſecratione Corporis eſt immediatè in corpore, & mediatè in ſanguine, quia ex vi verborum, corpus venit immediatè; ſanguis verò venit per concomitantiam; In conſecratione verò ſanguinis, hæc præſentia eſt immediatè in ſanguine, quia ex vi verborum, venit immediatè ſanguis, & concomitatur corpus, vt dicitur in tertio Corollario dubitat. octaua.

DVBITATIO DECIMA.

Quæ denominationes ratione ſpecierum Sacramentalium Corpori Chriſti tribui debeant.

1. Prima concluſio. Non poſſunt tribui corpori Chriſti illæ denominationes ratione ſpecierum quæ nô fundâtur in connexione corporis Chriſti cum accidêtibus in ordine ad locum.

PRIMA concluſio. Illæ denominationes, ſeu prædicata, quæ conueniebant ſubſtantiæ panis ratione accidentium, quatenus accidentia habebant vnionem inhærentiæ cum ſubſtantia panis, excludenda ſunt à corpore Chriſti: Exempli gratia, non poteſt dici corpus Chriſti aut extenſum, aut calidum, aut rotundum, ex eo, quia accidentia ſunt huiuſmodi, ſicut poterat dici ſubſtantia panis; & ratio diſparitatis eſt, quia hæc accidentia inhærebant in ſubſtantia panis informando illam, & tribuendo effectum formalem, ac propterea quantitas inhęrendo, & informando ſubſtantiam, faciebat ſubſtantiam extenſam, & rotundam, ſi ipſa quantitas erat rotunda, & ita ſimiliter de aliis accidentibus; At verò quia accidentia non inhærent ſecundùm informationem in corpore Chriſti, ſuſtentantur enim tantùm efficienter à corpore Chriſti, ac proinde potiùs corpus Chriſti dat, quàm recipit aliquid ab accidentibus; Ideo huiuſmodi denominationes formales, non poſſunt tribui corpori Chriſti: In hac concluſione conueniunt omnes Doctores.

2. Secunda côcluſio. Illæ denominationes quæ fundantur in cônexione in ordine ad locû poſſunt tribui corpori Chriſti. Trident. S. Thom. Riccard. Scotus. Palud. Capr. Maior. Argent. Marſil. Gabr.

SECVNDA côcluſio. Illæ denominationes, ſeu prędicata, quæ fundantur in cônexione corporis Chriſti cum accidentibus in ordine ad locû, poſſunt tribui corpori Chriſti. Exempli gratia, poteſt dici corpus Chriſti moueri, quando mouentur accidentia, eleuari, circumferri, &c. vt conſtat ex Tridentino cap. 5. & 6. Et ratio eſt, quia propter connexionem, quam habet corpus Chriſti cum accidêtibus in ordine ad eundem locum, fit vt omnes denominationes, quæ proueniût ex mutatione accidentiû in ordine ad locum, tribui poſſint corpori Chriſti. Hæc concluſio eſt communis Doctorum cum S. Thoma in 3. quæſt. 67. art. 6. Scoti in 4. diſtinct. 10. quæſt. 5. & 6. Riccard. ibidem art. 4. Paludani, & Capreoli quæſt. 3. Maioris quæſt. 6. Argent. quæſt. 2. art. vlt. Marſilij quæſt. 7. art. 3. concluſione 4. Gabr. lect. 46. in can.

3. CIRCA hanc concluſionem occurrit primò dubium, an ſi teneatur quòd motis accidentibus non recipiatur intrinſecè motus in corpore Chriſti, vt nos tenebimus infra dubitatione decimatertia, an inquam, poſſit dici quòd corpus Chriſti moueatur motis accidentibus.

Primum dubium circa concluſionê, Quare corpus Chriſti non dicitur diuidi, cùm diuiduntur ſpecies, & dicitur moueri, cùm mouentur ſpecies.

Aliqui recentiores tenent, quòd non, & probant à ſimili; non poteſt, inquiunt, dici, quòd corpus Chriſti diuidatur, quamuis diuidantur ſpecies Sacramentales, quia non recipit in ſe intrinſecè diuiſionem; ergo neque poteſt dici, quòd corpus Chriſti moueatur motis accidentibus, ſi intrinſecè non recipit motum.

Reſponſio ad dubium.

Dicendum tamen eſt, quòd illa prædicata, quæ ſunt in ordine ad locum, conueniunt corpori Chriſti per mutationem accidentium, etiamſi nulla mutatio intrinſeca fiat in corpore Chriſti; quia propter connexionem, quam habet corpus Chriſti cum accidentibus in ordine ad locum, fit, vt ſi accidentia mutent locum, corpus etiam Chriſti neceſſariò mutet locum, nec eſt neceſſe, vt motus, ſeu Vbi recipiatur intrinſecè in corpore Chriſti, quia ſufficit, vt motus, & Vbi, ſint in accidentibus, ad hoc vt corpus Chriſti neceſſariò mutet locum; Sicut etiam in prædicamento Vbi diximus, non eſſe neceſſe, quòd ad motum ſubſtantiæ, ſeu quantitatis, alia accidentia recipiant intrinſecè nouû Vbi, quia neceſſariò mutât locum ad motum ſubſtantiæ; Nec eſt ſimile illud quod obiiciebatur de diuiſione accidentium, nam ideo, vt mox dicemus infrà in tertia concluſione, corpus Chriſti non diuiditur ad diuiſionem accidentium, quia vna pars corporis Chriſti non ſeparatur ab alia, ſicut per diuiſionem ſeparantur partes accidentium; at verò cùm mouentur accidentia, ſicut accidentia mutant locum, ita corpus Chriſti mutat etiam locum priorem per diſtantiam, & ſeparatur ab illo loco priori ſecundùm diſtantiam. 4.

5. Secundû dubium circa eandem côcluſionê, an mota circulariter hoſtia rotunda dici poſſit quod Chriſti corpus moueatur.

Occurrit ſecundò dubium. Ponatur caſus quòd hoſtia perfectè rotunda moueatur intra idem omnino ſpatium motu circulari, tunc quælibet pars hoſtiæ mouebitur circulariter, acquirit enim nouam præſentiam, quam antea non habebat; & commenſuratur diuerſo ſpatio extrinſeco, & tamen corpus Chriſti non dicetur in hoc caſu, vllo modo moueri; nullum enim Vbi mutat, nec totale, nec partiale, cùm totum ſit ſub qualibet parte ſpecierum eodem modo, quo erat antea; falſum eſt igitur, quod dicebatur in hac ſecunda concluſione, quòd corpus Chriſti mouetur ad motum ſpecierum.

Reſpondent aliqui, in hoc caſu corpus Chriſti mutare partiales locos præſentiæ. Reſponſio.

Sed contrà, quia corpus Chriſti eſt ſub qualibet parte; nulli ergo parti poteſt fieri præſens per illum modum, cui non erat antea.

Maior. Ledeſma. S. Thom.

Reſponderetur igitur ſecundò, cum Maiori in 4. diſtinct. 10. quæſt. 6. & Soto, & Ledeſma, circa art. 6. quæſt. 76. S. Thomæ, in illo caſu corpus Chriſti non moueri; neque hoc eſt contra ea, quæ dicta ſunt; ſufficit enim ad verificandum noſtram ſententiam, quòd in aliis caſibus, motis accidentibus, corpus Chriſti dicatur moueri; & idem eſſet etiam dicendum ſi anima informaret corpus perfectè ſphæricum; aut Angelus aſſumeret huiuſmodi corpus ſphæricû, & poneret ſe totum in qualibet parte illius corporis ſphęrici; dicendum eſt, inquâ, quòd ſi illud corpus ſphæricûm moueatur intra idem ſpatium motu circulari, non propterea diceretur moueri anima, aut Angelus, propter rationem allatam.

6. Tertia concluſio.

TERTIA concluſio. Illa prædicata, ſeu denominationes, non poſſunt attribui corpori Chriſti, quæ impor

Digitized by Google

importãt talem mutationem, quæ neque intrinſecè neque extrinſecè eſt in ipſo corpore Chriſti. V.g. non poteſt dici, quòd corpus Chriſti diuidatur, aut frangatur, quando accidentia diuiduntur, aut franguntur, quia in corpore Chriſti nulla eſt ſeparatio partium, quare nec intrinſecè neque extrinſecè per diuiſionem accidentium, poteſt dici corpus Chriſti diuidi, ſicut dicitur mutare locum; quia ſiue intrinſecè, ſiue ſaltem extrinſecè per mutationem localem accidentium, verè corpus Chriſti fit diſtans à loco priori; poſſunt autem huiuſmodi denominationes tribui corpori Chriſti ſecundùm quamdam metaphoram, ſeu figuram, per quam tribuuntur rei contentæ quæ conueniunt continenti. Hæc concluſio eſt communis ſcholaſticorum ſancti Thomæ, quæſt. 76. art. 7. & in 4. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. Bonauenturæ ibidem art. 3. quæſt. 1. Capreoli diſt. 11. quæſt. 3. Paludani ibidem quæſt. 3. art. 3. Alenſis 4. part. quæſt. 42. memb. 1. Gabrielis lect. 80. in can. Vict. in ſumma num. 69.

7. S Thom. Bon. Capr. Palud. Alenſ. Gabr.

8. Obiectiones in oppoſitũ cõtra tertiã concluſionẽ. Vuald. Caie. Palat.

Contrarium tamen tenet Vuald. tom. 3. de Sacramentis cap. 41. & 42. Caiet. in opuſculo de ſacrificio Miſſæ cap. 3. Palat. in 4. diſtinct. 10. quæſt. 2. Sot. ibidem quæſt. 2. art. 7. aſſerentes huiuſmodi loquutiones dici propriè de corpore Chriſti, &

Prima obiectio ex ſcripturis. 1. Corint. Luc. 12. Baſil. Chry. Theoph.

Probant primò ex 1. ad Corint. 11. & Luc. 12. vbi enim dicitur, *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis traditur*, Baſil. Chryſoſt. & Theophyl. & alij ex Græco legunt, *quod pro vobis frangetur*. Et horum lectio in liturgiis Græcorum legitur.

Secunda obiectio ex Patribus. Chryſoſt. Cyrillus. Gregor.

Secundò probant ex Patribus, qui huiuſmodi loquutionibus vtuntur, Chryſoſtom. homil. 45. in Ioan. Cyrillus 12. in Ioan. cap. 18. Gregor. hom. 22. in Euang. & alij; & in confeſſione Berengarij approbata in Concilio Romano habetur, verum corpus Chriſti frangi manibus ſacerdotum, & dentibus fidelium atteri.

9. Solutio ad vtrãque obiectionem.

Reſpondetur ad vtramque obiectionem, huiuſmodi loquutiones, vt dictum eſt ſuprà, eſſe improprias, per metaphoram, ſeu metonymiam, quatenus à continente transferuntur ad rem contentam, ratione habitudinis, quam habet res contenta ad continens: Vtuntur autem Patres huiuſmodi loquutionibus ad ſignificandam veram præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus. Ita explicat Innoc. III. lib. 4. de myſterio Altaris cap. 9. & 10.

Innoc.

10. Primũ quæſitum.

Quæret tamen primò aliquis, an propriè poſſit dici corpus Chriſti manducari, quãuis non poſſit dici frangi. Reſpondetur ex ſancto Thoma, & aliis Doctoribus ſuprà citatis, quòd poteſt dici propriè manducari, nam manducare propriè ſignificat deglutionem quamdam, quæ reperitur in corpore Chriſti, dum ſpecies Sacramentales deglutiuntur.

11. Secundum quæſitum. Henric. Riccard. Capr.

Quæret ſecundò, an ſpecies dicãtur propriè tangere corpus Chriſti. Reſpõdetur, quòd non; quia tactus propriè ſupponit extenſionem in ordine ad locum. Ita Henric. quodlib. 1. quæſt. 5. Riccard. in 4. diſt. 10. art. 4. quæſt. 2. & Capr. ibidem quæſt. 1. art. 3. ad 5.

Quòd ſi quæras, an poſſit dici corpus videri, dum ſpecies videntur; Reſpondetur cum iiſdem Doctoribus, quod non; Et probatur ex Patribus, nam Cyril. catech. quatta, Emiſſen. ſerm. de corpore Domini, Ambr. lib. de Miſſa, cap. 9. dicunt aliud videri in Sacramento, & aliud credi.

Cyrill. Ambr. Emiſſ.

DVBITATIO VNDECIMA.

An hæc præſentia Sacramentalis, quæ fit per vnionem corporis Chriſti cum accidentibus, ſit reductiuè ſaltem in prædicamento Vbi.

Svpponendvm eſt tanquam certum ex dictis, præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus non eſſe propriè localem, quia motis accidentibus neceſſariò mouetur corpus Chriſti, vt ſuprà oſtenſum eſt; at verò moto loco propriè dicto, non mouetur neceſſariò locatum; Quod ergo controuertitur in hac dubitatione, eſt, an ſaltem iſta præſentia corporis Chriſti ſit reductiuè ad prædicamentum Vbi. 1.

Vnica concluſio.

Ad quam dubitationem reſpondetur Vnica concluſione affirmatiua, cum communi Doctorum, hanc præſentiam Sacramentalem corporis Chriſti, quæ fit per vnionem cum accidentibus, debere poni reductiuè in prædicamento Vbi; Ita S. Thom. in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. artic. 3. quæſtiuncula prima, vbi ait hanc vnionem ſeu præſentiam ſacramentalem, habere ſimilitudinem cum illo modo, quo aliquid dicitur eſſe in loco, & adducit Innocentium dicentem, corpus Chriſti eſſe in pluribus locis, quando eſt cum pluribus ſpeciebus; Ita etiam tenet Capreol. eadem diſtinct. quæſt. 1. art. 3. ad argumenta contra primam concluſionem. Scot. in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. & 3. Bonau. ibidem quęſt. 1. art. 2. Maior ibidem quæſt. 5. Ocham quæſt. 4. Baſſ. quæſt. 1. Soto ibidem quæſt. 1. art. 5. Palat. quæſt. 2. Hugo de S. Vict. 2. par. de Sacram. part. 8. cap. 11. Ferr. 4. contra Gentes, cap. 63.

S. Thom. Capreol. Scotus. Bonau. Maior. Ocham. Baſſ. Hugo. Ferr.

Probatur primò ex Tridentino ſeſſ. 13. vbi docet Chriſti ſubſtantiam eſſe ſacramentaliter præſentem multis in locis; eſſe autem in loco, ſpectat ad prædicamentum Vbi ſaltem reductiue, & eodem modo loquendi vtuntur S. Patres, vt Chry. hom. 17. ad Hebræos, Bernard. de Cœna Domini, & alij. Probatur primò.

Secundò probatur, quia nulla eſt ratio entis, quæ ad aliquod prædicamentum reuocari non poſſit, ſed non poteſt hæc præſentia Sacramentalis reuocari commodiùs ad vllum prædicamentum quàm ad prædicamentum Vbi, ergo, &c. Maior eſt manifeſta. Minor probatur primò, diſcurrendo per ſingula prædicamenta; Non enim poteſt eſſe ſub prædicamento Quãtitatis, quia hæc dicit ordinem ad extenſionem localem, hæc verò vnio, ſeu præſentia Sacramentalis includit eſſentialiter negationem extenſionis localis, vt probatum eſt ſupra: neque poteſt reduci ad prædicamentum Situs, quia ſitus ſupponit Vbi locale: neque ad prædicamentum Relationis; nam relatio præſentiæ reſultat ex forma abſoluta; ratio enim exiſtendi hîc, eſt fundamentum relationis præſentiæ, hæc igitur ratio abſoluta, quæ eſt vnio corporis Chriſti cum accidentibus, non eſt relatio prædicamentalis: neque poteſt collocari in prædicamento Qualitatis, nam hæc vnio, vt dictum eſt ſuprà, conſtituit corpus Chriſti, & accidentia, tanquam vnum locatum in eodem loco; potiùs igitur debet collocari ſub prædicamento Vbi. 2. Probatur ſecundò.

Probatur ex multis conuenientiis, quæ afferri ſolent inter hanc præſentiam ſacramentalem, & localem; præcipua tamen conuenientia ea eſt, quòd præſentia localis, & Sacramentalis conueniant in ordine ad locum, ſicut enim vbi locale conſtituit corpus præſens loco: ita hæc vnio ſacramentalis, conſtituit corpus Chriſti & accidentia, tanquam vnum locatum in ordine ad eumdem locum; ita vt ſit 3. Probatur tertiò.

Digitized by Google

ſit impoſſibile, ſtante hac vnione, quòd corpus Chriſti non ſit in illo loco, vbi ſunt accidentia.

DVODECIMA DVBITATIO.

An per hanc præſentiam Sacramentalem conſtituatur Chriſtus definitiuè in hoſtia, ſicut Angelus in loco.

1. CIRCA hanc dubitationem ſunt tres ſententiæ.

Prima ſententia. Alenſ. — Prima ſententia eſt Alenſ. 4. part. q. 10. membro 7. a. 3. §. 7. vbi dicit, quòd licèt Chriſtus non ſit diffinitiuè in hac, vel illa hoſtia particulari, quia ſimul eſt in aliis multis, eſt tamẽ diffinitiuè in omnibus illis locis, ſeu hoſtiis, ſumptis copulatim, in quibus corpus Chriſti ſacramẽtaliter exiſtit.

Fundamentũ primæ ſententiæ. — Et fundamentum ipſius eſt, quia in omnibus illis hoſtiis eſt tamquam in vno loco finito.

2. Secunda ſententia. — SECVNDA ſententia aliorum, aſſerentium in qualibet hoſtia Chriſtum eſſe definitiuè.

Fundamentum. — Fundamẽtum iſtorum eſt, nam Vbi definitiuum, inquiunt, eſt ratio exiſtendi, ſeu vbicandi locatum ita in vno loco, vt per eamdem formam, non poſſit illud locatum eſſe in alio loco.

Probatur à ſimili. — Et probant à ſimili, nam Angelus per Vbi adæquatum, eſt ita definitiuè in loco adæquato; vt per illud Vbi non poſſit eſſe in alio loco; quicquid ſit, an per potentiam diuinam poſſit conſtitui per aliud Vbi in alio loco; immò quando Angelus, inquiunt, eſt in loco inadæquato, adhuc eſt diffinitiuè ibi, quia per illud idem numero Vbi, non poteſt ſe ponere in loco adæquato, nec in alio loco inadæquato.

3. Tertia ſententia verior S. Thom. Vnica concluſio. — TERTIA ſententia verior eſt S. Thomæ 3. part. quæſt. 76. art. 5. ad primum, & explicatur VNICA concluſione. Chriſtus non eſt in Sacramento circumſcriptiuè, nec definitiuè, ſed alio modo, ſcilicet, modo Sacramentali, per conuerſionem panis in Corpus Chriſti.

Probatur primò. — Quòd non ſit circumſcriptiuè, patet, quia non eſt commenſuratiuè pars in parte; Quòd non ſit definitiuè, probatur, quia Vbi definitiuum eſt ratio exiſtendi, ſeu vbicandi locatum in vno loco, ita vt neque per eamdem formam, neque per aliam poſſit eſſe in alio loco, per illam virtutem agentem, per quam poſitum fuit in priori loco.

Quod primò probatur exemplo, nam Angelus, vt communiter tenetur, eſt definitiuè in loco adæquato, & non propter aliam rationem, niſi quia Angelus neque per illud Vbi, neque per aliud Vbi, naturaliter poteſt eſſe in alio loco, quãuis per aliam virtutẽ ſuperiorem diuinam, poſſit Angelus replicari in duobus locis adæquatè; hoc autem modo non poteſt dici Corpus Chriſti eſſe definitiuè in vna hoſtia, quia quamuis per eamdem formam, ſeu per idem Vbi Sacramentale non poſſit eſſe in alia hoſtia, poteſt tamen eadem virtus diuina ſupernaturalis, quæ per vnam formam, ſeu vnum Vbi Sacramentale conſtituit Corpus Chriſti ſecundùm potentiam obedientialem in vna hoſtia, conſtituere Corpus Chriſti ſecundùm eamdem potentiam obedientialem, in alia hoſtia.

4. Probatur ſecundò. — Probatur ſecundò, nam non dicitur Corpus Chriſti propriè definiri dum eſt in vna hoſtia, quia potentia obedientialis, per quam conſtituitur in vna hoſtia, non eſt adhuc expleta; ergo illa potentia ex natura ſua non adæquatè definitur, dum eſt in vna hoſtia; & per hanc eamdem rationem dicendum eſt contra Alenſem, quòd Chriſtus non dicitur eſſe definitiuè in pluribus hoſtiis collectiuè, in quibus de facto exiſtit, quia per eamdem virtutem diuinam, per quam conſtituitur de facto in pluribus hoſtiis collectiuè, poteſt conſtitui per aliud, & aliud Vbi in aliis hoſtiis in infinitum; Poteſt tamen dici, quòd corpus Chriſti ſit inadæquatè, definitiuè, dum eſt in vna, vel pluribus hoſtiis, non autem poteſt dici ſimpliciter, & ſine addito, eſſe ibi definitiuè, vt probatum eſt.

5. Obiectio. — Quòd ſi dicas, ergo corpus Chriſti poteſt conſtitui per Vbi immenſum, quia poteſt per diuinam potentiam conſtitui vbique ſicut Deus, quod eſt abſurdum, quia immenſitas eſt proprium attributum Dei.

Soluitur. — Reſpondetur, quòd etiamſi corpus Chriſti conſtituatur vbique per diuinam potentiam, adhuc non diceretur habere Vbi immenſum Dei, quia per illam formam, ſeu Vbi Sacramentale, per quod conſtituitur in vna hoſtia, non poteſt conſtitui in alia hoſtia, ſed debet conſtitui in alia hoſtia per aliam formam, & per aliud Vbi: at verò Deus per idem Vbi immenſum conſtituitur vbique.

6. Replica. — Quòd ſi inſtes, ſicut datur vnum Vbi, per quod Chriſtus conſtituitur in vna hoſtia digitali, ita poſſet dari per diuinam potentiam vnum Vbi magis perfectum ſecundùm rationem indiuidualem, per quod conſtituatur vbique.

Soluitur. — Reſpondetur, quòd quicquid ſit de hoc, adhuc non diceretur corpus Chriſti habere Vbi immenſum Dei, quia illud non haberet à ſe.

7. Reſpõſio ad fundamentũ primæ ſententiæ. — Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, quòd quãuis de facto Chriſtus ſit definitiuè in omnibus hoſtiis collectiuè ſumptis, tamquã in vno loco finito, quia de facto ex vi tranſubſtantiationis nõ eſt alibi; non tamẽ propriè dicitur eſſe definitiuè in loco. Et ratio eſt, quia per eamdẽ virtutem diuinã ex vi tranſubſtãtiationis, per quam corpus Chriſti poſitum eſt ſub illis hoſtiis, poteſt poni in aliis; ſicut Angelus, quamuis de facto ſit tantùm in loco inadæquato & non alibi, non tamen propriè dicitur eſſe definitiuè in illo loco, quia per eamdem virtutem naturalẽ, per quam ſe poſuit in illo loco inadæquato, poteſt ſaltem per aliam formam, ſeu aliud Vbi ſe ponere in loco adæquato ſuæ virtutis.

8. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ. — Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, quòd ad hoc, vt aliquid dicatur eſſe in loco definitiuè, non ſatis eſt, vt per eamdem formam numero, ſeu Vbi, non poſſit ſe ponere in alio loco, ſed requiritur, quòd non poſſit per eamdem virtutem, per quam ſe poſuit in vno loco, ponere ſe in alio loco, ſiue ſit per eamdem formam, ſeu Vbi, ſiue per diuerſam, alioquin poſitio in illo loco, non eſſet adæquata ſuæ virtuti, ac propterea non poſſet dici propriè definiri illo loco; & propter hãc rationem cõmuniter tenetur, quòd cùm Angelus eſt in loco inadæquato, nõ dicitur eſſe ibi definitiuè; quia igitur Corpus Chriſti non conſtituitur in hoſtia ſecundùm potentiam naturalem, ſed ſecundùm potentiam obedientialem, per virtutem diuinam agentem; ideo cùm eſt in vna hoſtia, vel in pluribus, non dicitur eſſe ibi definitiuè, quia ſecundùm eamdem potentiam obedientialem poteſt conſtitui Sacramentaliter in aliis hoſtiis per eamdem diuinam virtutem.

Angelus nõ eſt definitiuè in loco inadæquato.

Digitized by Google

DVBITATIO DECImatertia.

An præter hanc vnionem Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, detur Vbi locale intrinſecum in Corpore Chriſti.

RESOLVTIO huius dubitationis pendet ex illa quæſtione Philoſophica, quam tractauimus in prædicamento Vbi, vtrùm accidentia habeant diſtinctum Vbi, ab Vbi ſubiecti.

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia eſt grauium recentiorũ, aſſerentium corpus Chriſti præter vnionem intrinſecam, quam habet cum accidentibus, habere etiam intrinſecè Vbi locale, per quod tamquam per formam intrinſecam conſtituitur in eodem ſpatio, in quo ſunt accidentia.

Primum argumentum.

Probant primò, quia corpus Chriſti non ſolùm eſt vnitum cum ſpeciebus Sacramentalibus, ſed rectè etiam eſt in loco extrinſeco, vbi ſunt ſpecies Sacramentales, & mutat hunc locum extrinſecum ad motionem ſpecierum, ergo per aliam formam ſibi intrinſecam eſt in loco extrinſeco, hæc autem forma eſt Vbi locale.

Probatur conſequẽtia, quia vnio corporis Chriſti cum accidentibus, non poteſt eſſe ratio formalis nouæ præſentiæ exiſtendi in loco extrinſeco, tum quia effectus formalis vnionis eſt tantùm vnire corpus Chriſti cum accidentibus; tum quia variatur hoc Vbi locale, & tamen nõ variatur vnio; cùm enim mouentur ſpecies Sacramentales, corpus Chriſti verè mutat locum extrinſecum, non tamen mutat vnionem cum accidentibus.

Secundum argumentũ.

Secundò, corpus Chriſti cùm acquirit nouam præſentiam ad nouum ſpatium, mutatur intrinſecè; ergo acquirit nouum Vbi locale ſibi intrinſecum. Antecedens probatur, quia corpus Chriſti realiter mutatur, vt patet ex nouis relationibus propinquitatis, & diſtantiæ, quæ adueniunt corpori Chriſti; mutatio autem eſt actus mobilis ſecundùm Ariſt. quare cùm corpus Chriſti realiter moueatur, debet recipere intrinſecè in ſe motionem; Conſequentia, (quòd ſcilicet detur nouum Vbi intrinſecum in corpore Chriſti) probatur, quia datur mutatio intrinſeca in corpore Chriſti, vt probatum eſt, ergo debet dari terminus intrinſecus huius mutationis, qui eſt nouum Vbi locale; Et confirmatur; quia ad motum intrinſecum non ſufficit terminus extrinſecus, ſed requiritur terminus intrinſecus, alioquin diceretur Deus mutari cùm creat, quia per creationem producitur terminus extrinſecus.

Tertium argumentum.

Tertiò, Ad motionem ſpecierum veræ denominatur corpus Chriſti moueri, & eſſe in loco, ergo per motum, & Vbi ſibi intrinſecum; Antecedens eſt communiter conceſſum, vt in octaua dubitatione fuſiùs oſtenſum eſt; Conſequentia probatur, quia non poteſt habere illam denominationem, niſi corpus Chriſti intrinſecè reciperet Vbi, non enim alia ratione poteſt dici, quòd corpus Chriſti non diuidatur, cùm hoſtia diuiditur, niſi quia non recipit diuiſionem in ſe.

Quartũ argumentum.

Quartò, Corpus Chriſti circa ſpatium extrinſecum eſt indiuiſibiliter totum in toto, & totum in qualibet parte, ergo non poteſt poni in illo ſpatio per Vbi diuiſibile hoſtiæ, per quod ponitur hoſtia in illo ſpatio diuiſibiliter tota in toto, & pars in parte.

2. Explicatur quæſtio.

PRO explicatione dubitationis ſupponendum eſt contra aliquos recentiores, quòd id quod mo-

A uetur per ſe, ſubiectat Vbi ſibi intrinſecum, vt fusè oſtendimus in prædicamento Vbi, quia mobile, quod mouetur per ſe, & non ad motum alterius, intrinſecè mutatur, quia tranſit à contradictorio in contradictorium; ergo per aliquam mutationem, & quidem non per mutationem alterius extremi, quia locus, quod eſt alterum extremum, ſupponitur immobilis; ergo per mutationem ſui. Neque poteſt dici, quòd hæc mutatio non ſit actio productiua alicuius termini intrinſeci, cum quo identificatur, ſed ſit actio tantùm adductiua ad locum extrinſecum, non, inquam, poteſt dici, quia datur cauſa efficiens huius motus, ſeu mutationis ex Ariſt. 2. phyſicorum cap. 3. ergo hæc actio eſt vera effectio; debet igitur dari terminus intrinſecus, qui per hanc B effectionem producatur; hunc autem terminum intrinſecum dicimus eſſe Vbi locale.

Quod igitur controuertitur eſt, an ea, quæ mouentur per accidens, ad motum ſcilicet alterius, cuiuſmodi eſt corpus Chriſti, quod mouetur ad motum ſpecierum, ſubiectet intrinſecè motum, & Vbi ſpecierum Sacramentalium, quæ mouentur per ſe. Pũctus difficultatis ſeu cõtrouerſiæ.

3. Vnica concluſio.

Ad quod reſpondeo VNICA concluſione: Corpus Chriſti nec moueri intrinſecè, nec habere Vbi intrinſecum, ſed moueri, & vbicari ad motum, & Vbi ſpecierum Sacramentalium; Ita ſentit Caiet. 3. part. quæſt. 76. art. 6. & hanc dicit eſſe ſententiam S.Thomæ in illo articulo. Caiet. S.Thom.

Fundamentum cõcluſionis.

Ratio fundamentalis eſt, quia ea, quæ mouentur, & vbicantur per accidens, non mouentur, nec vbicantur per aliquam formam ſibi intrinſecam, ſed C extrinſecè denominantur moueri, & vbicari per intrinſecam formam illius, quod mouetur per ſe, quia illud agens, quod per ſe mouet mobile, mouet etiam neceſſariò per accidens illud, quod eſt connexum cum mobili per ſe; ergo non eſt neceſſarium ponere intrinſecè alium motum, & aliud Vbi in eo, quod mouetur per accidens.

4. Prima confirmatio.

Et confirmatur primò, quia mobile per accidens neceſſariò determinatur per motum, & Vbi illius mobilis, quod mouetur per ſe: Cùm igitur corpus Chriſti ſit inſeparabiliter vnitum cum accidẽtibus, neceſſariò mouetur, & vbicatur ad motum, & Vbi D accidentium; fruſtra igitur datur alius motus, & aliud Vbi.

5. Secunda cõfirmatio.

Confirmatur ſecundò, quia ſi per imaginationem tolleremus à corpore Chriſti hoc Vbi intrinſecum, quod ponunt aduerſarij, adhuc neceſſariò intelligeretur, quòd corpus Chriſti eſt in loco vbi ſunt accidentia, ſtante vnione corporis Chriſti cum accidentibus, non igitur eſt neceſſe ponere hoc Vbi intrinſecum.

6. Tertia confirmatio.

Confirmatur tertiò, quia mouens corporeum, quod mouet corpus, mouet etiam animam rationalem, & tamen non poteſt producere intrinſecè nouam præſentiam in ipſa anima, quia hæc præſentia deberet eſſe ſpiritualis, quæ non poteſt produci ab agente corporeo.

7. Reſpõſio ad primum argumentum primæ ſententiæ.

E AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd corpus Chriſti eſt in ſpatio extrinſeco in quo ſunt ſpecies Sacramentales formaliter quidem, & proximè per Vbi ſpecierum, ab hoc enim Vbi denominatur extrinſecè vbicari corpus Chriſti, remotè autem, & quaſi fundamentaliter habet ex vnione, quam habet cum ſpeciebus, ſicut homo proximè dicitur riſibilis per riſibilitatem, tanquam per rationem (per quam,) remotè verò tanquam per rationem (ex qua,) dicitur riſibilis per rationale, nõ enim poſſet homo eſſe riſibilis, niſi eſſet rationalis, ita corpus Chriſti non mutaret locum,

Digitized by Google

locum, niſi eſſet vnitum cum ſpeciebus Sacramentalibus, quæ per ſe mutant locum.

8. Reſpondeo ad ſecundũ. Ad ſecundum negatur antecedens, quòd ſcilicet corpus Chriſti ad motum ſpecierum mutetur intrinſecè, tantùm enim mutatur extrinſecè, vt probatum eſt; ad fundandum autem nouas relationes propinquitatis, & diſtantiæ, ſufficit hæc mutatio extrinſeca.

9. Ad cõfirmationem. Ad confirmationem reſpondetur, diſparem eſſe rationem, quare Deus non dicatur mutari, cùm creat, corpus autem Chriſti dicatur mutari, cùm mutat locum, quamuis nec Deus creando, nec corpus Chriſti mutando locum, aliquid intrinſecè acquirant.

Ratio autem diſparitatis eſt, quia verè corpus Chriſti ſubſtantialiter relinquit vnum locum, & acquirit alium, ac propterea verè dicitur mutari, etiamſi nihil intrinſecum acquirat; præſertim quia, cùm locus non mutetur, neceſſe eſt dicere, quod mutatio eſt in corpore Chriſti, quod eſt aliud extremum: at verò cùm Deus creat, nulla mutatio eſt in ipſo, ſed tantùm in termino, qui de nouo fit.

10. Reſpondeo ad tertium. Ad tertium reſpondetur ex dictis in octaua dubitatione, quòd ad diuiſionem hoſtiæ, corpus Chriſti non dicitur diuidi, quia verè vna pars corporis Chriſti non ſeparatur ab alia: at verò cùm hoſtia mouetur, verè corpus Chriſti ſeparatur, & fit diſtans a loco priori, quicquid ſit, an fiat per formam intrinſecam, vel extrinſecam.

11. Reſpondeo ad quartum. Ad quartum dicitur, quòd ſufficit vnio corporis Chriſti cum accidentibus, ad hoc, vt corpus Chriſti per Vbi ſpecierum, ponatur totum in toto ſpatio extrinſeco, & totum in qualibet parte, nam cùm per vnionem corpus Chriſti vniatur totum toti hoſtiæ, & ſingulis partibus, fit, vt quando mouetur hoſtia ad alium locum, etiam totum corpus Chriſti ſit in ſingulis partibus illius loci, quia cùm in ſingulis partibus loci ſint ſingulæ partes hoſtiæ, & in ſingulis partibus hoſtiæ ſit totum corpus Chriſti, fit vt in ſingulis partibus loci, ſit etiam totum corpus Chriſti.

DECIMA QVARTA DVbitatio.

Vtrùm præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti dependeat à naturali eiuſdem in cœlo.

1. Prima ſententia. Caiet. PRIMA ſententia eſt Caietani 3. part. quæſt. 75. ar. 2. aſſerentis eſſe impoſſibile Chriſtum exiſtere in Sacramento, non exiſtente modo naturali in cœlo, ſeu extra Sacramentum; ac proinde exiſtimat ibidem, opinionem oppoſitam Scoti, quam mox infrà referemus, eſſe chimæricam.

Primum argumentum. Probatur primò, quia ſi Chriſtus extra Sacramentum annihilaretur, deſineret eſſe in Sacramento; ergo exiſtentia Chriſti in Sacramento dependet ab ipſius exiſtentia.

Secundũ argumentum. Secundò probatur, conuerſio Sacramentalis ſupponit rem præexiſtentem, vt patet ex illis verbis conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*; per quæ verba nulla alia veritatis ratio aſſignatur, niſi quia hoc eſt corpus illud, quod eſt in cœlo, ergo hoc corpus Chriſti in hoc Sacramento præſupponit præſentiam illius naturalem in cœlo.

Tertium argumentum. Tertiò probatur, impoſſibile eſt rem habere eſſe reſpectiuum, & in ordine ad aliud, quia habeat eſſe abſolutum, & in ordine ad ſe; ſed eſſe, quod habet corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eſt

A reſpectiuum, conſiſtit enim in relatione præſentiæ ad ſpecies Sacramentales; ergo corpus Chriſti non poteſt eſſe in Sacramento ſecundùm hoc eſſe reſpectiuum, niſi priùs habeat extra Sacramentum eſſe abſolutum.

SECVNDA ſententia eſt Scoti in 4. diſtinct. 10. quæſt. 4. Gabr. in can. Miſſæ lect. 47. Soti in 4 diſt. 8. quæſt vnica, art. 5. & Ledeſmæ 1. par. quæſt. 14. art. 5. aſſerentium præſentiam Chriſti in Sacramento non neceſſariò dependere à præſentia, ſeu exiſtentia eiuſdem extra Sacramentum; Et ſubdit Scotus diſtinct. 10. loco citato, quòd ante incarnationem Verbi, potuit ita verè Euchariſtia fuiſſe, ſicut & nunc, & hoc tam quoad ſignificationem, quàm B quoad rem ſignatam, & contentam; Et rurſus, inquit, ſi corpus Chriſti annihilaretur ſecundùm ſuum eſſe naturale; Euchariſtia tamen verè poſſet manere, etiam quantùm ad rem contentam; Ita etiam tenet Gabr. & Sot. 2. Secũda ſententia. Scotus. Gabr. Ledeſm. Gabr. Sot.

Fundamentum eſt, quia quando exiſtentia aliqua eſt indifferens ad duos modos, poteſt ſimpliciter haberi ſub vno modo, & non ſub alio, ſi vnus modus non eſt de eſſentia alterius, nec cauſa illius; ſed exiſtentia corporis Chriſti ſimpliciter ſeu realiter eſt indifferens ad iſtos duos modos, ſcilicet, naturalem, & Sacramentalem, & exiſtentia ſub modo naturali, non eſt de eſſentia exiſtentiæ ſub modo Sacramentali, quia ſi eſſet de eſſentia, res in ſa- C cramento Euchariſtiæ haberet modum exiſtendi naturalem, quia quod eſt de eſſentia, non poteſt ſeparari ab eo de cuius eſt eſſentia; nec modus naturalis exiſtentiæ eſt cauſa modi Sacramentalis, nam cauſa modi Sacramentalis, eſt Deus; ergo, &c. 3. Fundamentum ſecũdæ ſententiæ.

PRO reſolutione huius dubitationis, ſciendum eſt, quæſtionem poſſe habere duplicem ſenſum. 4. Explicatur duplex ſenſus dubitationis.

Primus ſenſus eſt, de dependentia ſecundùm eſſe ſubſtantiale, An ſcilicet corpus Chriſti exiſtens in Sacramento, ita dependeat à ſe ipſo exiſtente in cœlo, vt ſi corpus Chriſti ſecũdùm eſſe ſubſtantiale deſinat eſſe in cœlo, per annihilationem, deſinat etiam eſſe in Sacramento.

Secundus ſenſus eſt de dependentia ſecundùm D eſſe præſentiæ, An ſcilicet corpus Chriſti ſecundùm præſentiam, quam habet ſub ſpeciebus Sacramentalibus, dependeat à ſeipſo ſecundùm præſentiam naturalem, quam habet in cœlo; Et iuxta hunc duplicem ſenſum, poſſunt conciliari illæ duæ ſententiæ Caietani, & Scoti ſuprà allatæ, vt videtur innuere Ledeſma 1. part. quæſt. 14. loco citato.

PRIMA concluſio. Si quæſtio intelligatur iuxta primum ſenſum, dicendum eſt cum Caietano, quòd ſi corpus Chriſti annihiletur ſecũdùm eſſe ſubſtantiale in cœlo, annihilatur etiam in Sacramento, & è contra, atque adeò, quantùm ad hoc, non magis corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, dependet à ſe ipſo vt eſt in cœlo, quàm è conuerſo. 5. Prima concluſio iuxta primũ ſenſum.

E Et ratio huius concluſionis eſt, vt oſtendetur infrà in Corollario de replicatione, quia quantùm ad rem contentam, vna, & eadem res eſt in Sacramento, & in cœlo, quamuis ſint duo Vbi, & duæ præſentiæ; ſi igitur eadem entitas annihilatur in vno loco ſecundùm eſſe ſubſtantiale, annihilatur etiam in alio, quia res non multiplicatur ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ſed ſecundùm eſſe locale. 6. Fundamentum huius cõcluſionis.

Quòd ſi oppoſitum huius ſentiat Scotus, & alij citati pro ſecunda ſententia, non bene ſentiunt, quia vt bene aduertit Caiet. hoc quod dictum eſt, multò magis militat in opinione Scoti; Scotus enim enim ſupra corpus Chriſti verum, quod eſt in cœlo, nihil aliud addit ſupra idem corpus, prout eſt in hoc

Digitized by Google

hoc Sacramento, niſi terminum præſentiæ; ſi igitur auferatur Chriſti corpus per annihilationem, nihil aliud remanere poteſt per diuinam omnipotentiam, quàm reſpectus præſentiæ; ſi quid igitur probat argumentum Scoti, probat tantùm, poſſe remanere reſpectum præſentiæ, ſeu modum continentiæ in Sacramento, non autem rem contentam.

7. Maior autem difficultas eſt, ſi teneatur quòd corpus Chriſti conſeruetur ſubſtantialiter nouo concurſu ſub ſpeciebus Sacramentalibus, vt tenent aliqui Thomiſtæ; tunc enim poſſet dici, quòd Deus poteſt ceſſare à concurſu, quo conſeruat corpus Chriſti in cœlo; & non ceſſare ab alio concurſu, quo conſeruat corpus Chriſti in Sacramento.

Sed neque hoc poteſt dici, vt infrà dicetur in Corollario de replicatione, quia ille duplex concurſus terminatur ad idem numero corpus Chriſti; ſi igitur admittatur, quòd per ceſſationem ab vno concurſu, quo conſeruatur in cœlo, non tantùm deſinat corpus Chriſti eſſe præſens in cœlo, ſed quòd ſimpliciter deſinat, ita vt tranſeat de eſſe ſubſtantiali, ad non eſſe ſubſtantiale, tunc eſt impoſſibile, vt corpus Chriſti annihiletur in cœlo, & conſeruetur in Sacramento, & è conuerſo.

8. Secūdus ſenſus dubitationis dupliciter intelligi poteſt, de facto, & de poſſibili.

Iuxta verò ſecundum ſenſum de dependentia ſecundùm præſentiam, adhuc diſtinguendum eſt; nam vel ſermo eſt de facto ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, vel ſermo eſt de poſſibili, eo modo, quo poterat inſtitui à Deo.

Si primo modo, ſcilicet de facto ex vi inſtitutionis, tunc ſit

Secunda cõcluſio. Caiet. S.Thom.

SECVNDA concluſio. Dicendum eſt etiam cum Caietano, quòd præſentia Sacramentalis corporis Chriſti ſub ſpeciebus præſupponit præſentiam naturalem corporis Chriſti in cœlo, ſeu extra ſacramentum, & ab illo dependet; Et iuxta hunc modum intelligendus eſt S.Thom.3.part.quæſt. 73.art.5. vbi aſſerit ſacramentum Euchariſtiæ non potuiſſe inſtitui ante incarnationem, eo ſcilicet modo, quo nunc de facto eſt inſtitutum.

9. Prima ratio. Probatur primò, nam ille, qui de facto inſtituit hoc Sacramentum, eſt Chriſtus, ſi autem non fuiſſet in rerum natura ex vi incarnationis, non potuiſſet inſtituere hoc Sacramentum.

Secunda ratio. Secundò, quia inſtitutum eſt per illa verba, *Hoc eſt corpus meum*; quæ quidem ſignificant corpus Chriſti præexiſtens extra Sacramentum.

10. Tertia ratio. Tertiò, corpus Chriſti concurrit, vt inſtrumentum ad præſentiam Sacramentalem eiuſdem extra Sacramentum; ergo præſupponitur exiſtentia naturalis eiuſdem extra Sacramentum. Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur authoritate Patrum, præſertim Chryſoſtomi hom.83.in Matth.& Euſebij Nyſſeni hom.5.de Paſchate, & aliorum, qui dicunt Chriſtum ſacerdotem inuiſibilem, ſicut in cœna operatus eſt, ſic etiam modò tranſmutare panem in ipſius Corpus. (Chryſoſt. Euſeb.)

11. Quarta ratio. Quartò probatur, quia in hoc Sacramento panis conuertitur in corpus Chriſti; ſed illud in quod conuertitur, debet ſaltem priùs natura exiſtere; ergo corpus Chriſti debet ſaltem priùs natura præexiſtere extra Sacramentum.

Si verò ſermo ſit de poſſibili, tunc ſit

12. Tertia concluſio. Scotus. Sot. Gabr.

TERTIA concluſio. Dicendum eſt cum Scoto, Gabr.Soto, & aliis, præſentiam ſacramentalem non dependere à præſentia naturali corporis Chriſti in cœlo.

Prima ratio huius concluſionis.

Probatur primò, quia præſentia Sacramentalis, & naturalis, ſunt duæ formæ, quæ accidentaliter adueniunt corpori Chriſti, exiſtenti ſimpliciter extra cauſas, exiſtentia enim extra cauſam, ſolùm dicit rationem, per quam eſſentia fit ſimpliciter actualiter extra ordinem rerum poſſibilium, præſentia verò extra Sacramentum, vel in Sacramento, eſt ratio ſuperaddita rei exiſtenti, per quam res exiſtens ponitur in loco, hoc, vel illo modo; ergo poteſt Deus conſeruare corpus Chriſti ſub modo Sacramentali, ita vt nullo modo ſit extra Sacramentū.

13. Secunda ratio. Secundò probatur, quòd etiam ante incarnationem potuiſſet corpus Chriſti poni ſub Sacramento. Probatur autem argumento Scoti, quod ſuprà factum eſt, nam corpus Chriſti, inquit Scotus, ſecundùm ſe eſt indifferens, vt ſit modo connaturali extra Sacramentum, & vt ſit modo Sacramentali in Sacramento; ergo poterat corpus Chriſti primò produci Sacramentaliter, & tunc fuiſſet inſtitutio huius Sacramenti ante incarnationem.

14. Tertia ratio. Tertiò probatur, quia, vt bene arguebat Scotus, modus exiſtendi Sacramentaliter, non dependet à modo exiſtendi extra Sacramentum, neque tãquam ex cauſa, neque eſſentialiter; ergo poterat corpus Chriſti exiſtere modo Sacramentali, antequam exiſtat modo connaturali, vt fuit per incarnationem. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quoad vtramque partem; Et quidem, quòd modus exiſtendi Sacramentaliter non dependeat à modo exiſtendi extra Sacramentum, tamquam à cauſa, probatur, quia Deus eſt ille, qui cauſat vtramque præſentiam in corpore Chriſti; Quantùm verò ad ſecundam partem probationis, quòd ſcilicet neque dependeat eſſentialiter, modus exiſtendi Sacramentalis, à modo exiſtendi naturali, probatur, quia ſi modus exiſtendi naturalis extra Sacramentum, eſſet de eſſentia modi Sacramẽtalis, ſequeretur, quòd corpus Chriſti in Sacramẽto, haberet etiam in ipſo Sacramento modum naturalẽ exiſtendi, quia quicquid eſt de eſſentia, non poteſt ſeparari ab eo, de cuius eſt eſſentia; at verò eſt impoſſibile, vt in Sacramento habeat modum naturalem exiſtendi, quia modus naturalis exiſtendi eſt diuiſibiliter; modus autem Sacramentalis eſt indiuiſibiliter.

15. Inſtantia. Dices, modum ſacramentalem, quem habet Chriſtus in Sacramento, dependere à modo naturali, quem habet Chriſtus in cœlo, tamquam à termino; quare non neceſſe eſt, vt corpus Chriſti in Sacramento, habeat etiam modum naturalem, ſatis eſt enim, vt habeat modum naturalem in cœlo, ſicut non eſt neceſſe, vt terminus relationis ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt relatio.

Soluitur. Contra hoc eſt, quia terminus præſentiæ Sacramentalis, ſunt ſpecies Sacramentales, modus autem naturalis eſt impertinens ad modum Sacramentalem, nam modus Sacramentalis, & modus naturalis ſunt duo modi diſparati, & quaſi inter ſe repugnantes; nam modus præſentiæ Sacramentalis eſt indiuiſibilis, modus verò præſentiæ naturalis eſt diuiſibilis, quare minorem difficultatem habet intellectus in intelligendo, quòd corpus Chriſti habeat tantùm præſentiam ſacramentalem, quàm quòd ſimul habeat præſentiam ſacramentalem ſub accidentibus, & naturalem in cœlo: non apparet igitur quam connexionem habeat neceſſariam modus Sacramentalis cum modo naturali, ad hoc vt modus Sacramentalis neceſſariò debeat dependere à modo naturali; Quòd enim vnus ſit ſupernaturalis, alter naturalis, non eſt cauſa vt ſupernaturalis neceſſariò dependeat à naturali, nam quantitas ponitur ſupernaturaliter extra ſubiectum, & tamen non propterea eſt neceſſe, vt dependeat à quantitate exiſtente naturaliter in ſubiecto.

ET

16. Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ Caietani.

Et per hæc patet ad argumenta opinionum quas ſuprà retulimus; Argumentum enim primum primæ opinionis Caietani, probat primam noſtram concluſionem: ſecundum verò argumentum probat ſecundam: tertium verò quod videtur impugnare tertiã noſtram concluſionem, probat tantùm, quòd corpus Chriſti non poteſt poni præſens ſub ſpeciebus; niſi ſupponatur exiſtens ſeu extra ſuas cauſas, non autem probat, quòd ſit neceſſe Chriſtum præexiſtere modo naturali, quia poterat per diuinam potentiam primò produci, & primò poni A extra ſuas cauſas modo Sacramentali, antequam producatur modo exiſtendi naturali, vt oſtenſum ſuprà in tertia concluſione, in quo caſu adhuc præſentia Sacramentalis ſupponeret corpus Chriſti exiſtens ſimpliciter, & extra ſuas cauſas; priùs enim res intelligitur exiſtere quam vbicari, etiamſi vtrumque fiat in eodem inſtanti temporis.

17. Reſpōſio ad argumenta ſecundæ ſententiæ Scoti. Ledeſma.

Ad argumenta verò ſecundæ ſententiæ Scoti reſpondetur, illa tantùm probare tertiam concluſionem noſtram, vt aduertit Ledeſma 1. p. 4. q. 14. loco citato.

QVÆSTIO SECVNDA
THEOLOGICA CIRCA SECVNDVM COROLLARIVM,

De replicatione corporis Chriſti in pluribus locis.

Sunt in hac quæſtione quatuor dubitationes.

I. *An implicet corpus Chriſti eſſe in cælo circumſcriptiuè, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus incircumſcriptiuè, & in duabus hoſtiis incircumſcriptiuè.*

II. *Vtrùm repugnet, corpus eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, & an aliquando hoc contigerit in corpore Chriſti.*

III. *Vtrùm prædicata quæ conueniunt corpori exiſtenti in vno loco, conuenire poſſint eidem corpori exiſtenti in alio loco, & quid dicendum de corpore Chriſti exiſtenti in cælo, & in hoſtia.*

IV. *In qua reſoluuntur aliquot dubia ſeu quæſita, quæ colliguntur ex dictis.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm implicet corpus Chriſti eſſe circumſcriptiuè in cælo, & circumſcriptiuè in hoſtia, vel in duabus hoſtiis circumſcriptiuè.

1. Opinio hæreticorum. Prima implicantia.

Aliqui Hæretici tenent implicare. Prima implicantia eſt ex parte corporis; ſi corpus poneretur in duobus locis, tunc eſſet diuiſum à ſeipſo, quod implicat; ſi enim eſt vnum, & idem numero corpus. vt ſupponitur, erit indiuiſum in ſe; ergo non poterit eſſe diuiſum à ſe.

Secunda implicantia.

Secunda ex parte loci, quia locus eſt eſſentialiter terminus rei locatæ; ergo non poteſt corpus exiſtere extra vnum locum; Conſequentia probatur, quia terminus eſt, extra quem res terminata non poteſt exiſtere; Et confirmatur, quia ſicut repugnat locatum eſſe extra proprios terminos, ita etiam repugnat eſſe extra terminos loci; Paritas probatur, quia termini loci, & locati ſunt ſimul.

Tertia implicantia.

Tertia implicantia eſt etiam ex parte loci, ſicut eadem res ſimul non poteſt eſſe in diuerſis temporibus ſibi ſuccedentibus in eodem ſubiecto, ita nec in diuerſis locis.

Quarta implicantia.

Quarta implicantia eſt ex parte Vbi; & ſuppono vnùm tanquam certum, quòd duo Vbi ſunt incompoſſibilia in eodem ſubiecto, eſt enim impoſſibile, B quòd vnum Vbi ſit in eo loco, in quo eſt alterum Vbi, quia cùm effectus formalis huius Vbi, quod eſt ratio eſſendi in loco, ſit eſſe hîc, & effectus formalis alterius Vbi, ſit eſſe alibi, non poteſt vnum Vbi eſſe in eo loco, in quo eſt aliud; ſicut duratio quæ eſt ratio eſſendi heri, non poteſt eſſe ratio eſſendi hodie: at verò ſi corpus poſſet conſtitui in duobus locis, ſequeretur hoc impoſſibile, quia in eo loco, in quo eſt corpus, ſunt omnia accidentia ſubiectata in ipſo corpore; ergo etiam hæc duo Vbi, quæ ſunt accidentia inhærentia in ipſo corpore, eſſent in eodem loco.

Quinta implicantia.

Quinta implicantia eſt ex parte etiam Vbi; quia C eſt impoſſibile corpus poſſe tranſire de vno loco in alium, ſine medio; at ſi corpus replicetur in duobus locis in inſtanti, poneretur in alio loco per ſolam productionem Vbi, non tranſeundo medium.

Sexta implicantia.

Sexta implicantia ex parte etiam ipſius Vbi; quia ex hac replicatione ſequeretur, corpus finitum poſſe poni in locis infinitis, ac proinde eſſet immenſum, quod eſt proprium attributum Dei.

Septima implicantia.

Septima implicantia ſumitur ex abſurdis quæ

conſe

plicantia ex abſurdis. conſequuntur ipſum corpus iam replicatum & cōſtitutum in multis locis, de eo enim verificarentur multa contradictoria.

Primum abſurdum. Primum igitur abſurdum eſt, quòd illud corpus exiſtens in duobus locis ſimul ſugefieret, & calefieret, ſi in vno loco applicaretur agens frigidum, & in alio calidum.

Secundum abſurdum. Secundum, idem corpus eſſet ſummè frigidum, & ſummè calidum.

Tertiū abſurdum. Tertium abſurdum, ſequeretur idem corpus quieſcere, & moueri eodem tempore.

Quartum abſurdum. Quartum abſurdum, diſtaret à ſeipſo, quod eſt impoſſibile, quia relatio diſtantiæ eſt realis, extrema igitur ipſius debent eſſe realiter diſtincta.

Quintum abſurdum. Quintum abſurdum, ſequeretur quòd homo in vno loco eſſet mortuus, in alio viuus.

Sextum abſurdum. Sextò ſequeretur, quòd in vno loco amaret Deum, & eſſet in gratia, & in alio loco odio haberet Deum, quia ibi poteſt repræſentari Deus ſub ratione odibilis, vnde vlteriùs ſequeretur, quòd eſſet inimicus Dei.

VNICA CONCLVSIO CONTRA HÆRETICOS.

2. *Vnica concluſio cōtra hæreticos. Prima ratio à priori ex prædicamēto Vbi.* NON implicat corpus Chriſti eſſe vel incircumſcriptiuè in duobus locis, vel circumſcriptiuè in vno loco, & incircumſcriptiuè in alio.

Probatur primò, quia vt dictum eſt in prædicamento Vbi, effectus formalis locationis eſt ab Vbi, tanquam à forma; non repugnat autem poni duo Vbi in eodem ſubiecto, quorum vnum conſtituat corpus circumſcriptiuè in loco, & alterū incircumſcriptiuè, vel incircumſcriptiuè vtrobique; ergo, &c.

Minor probatur, quia hoc non repugnat ex parte corporis, ſi enim aliqua eſſet repugnantia, Vel eſſet propter finitatem ſubiecti; ſed hæc tollitur, quia corpus recipit duo Vbi, non per potentiam naturalem, ſed per potentiam obedientialem: Vel eſſet, quia idem corpus occuparet locum maiorem ſe; neque hoc obſtat, quia non ponitur corpus circumſcriptiuè in duobus locis, imò neque hoc repugnare oſtendemus in ſequenti dubitatione: Vel repugnantia eſt ex parte Vbi; & neque hoc poteſt dici, nam vel hæc repugnātia eſſet ex eo, quia eſſent duo Vbi tanquam duæ formæ diſtinctæ numero in eodem ſubiecto. Sed neque hoc obſtat, quia ſunt duæ formæ reſpectiuæ ad diuerſos terminos; repugnat autem naturaliter, duas formas abſolutas diſtinctas numero eſſe in eodem ſubiecto; vel repugnaret ex eo, quia illa duo Vbi habent oppoſitionem; & neque hoc obſtat, tum quia ſunt formæ diſparatæ, tum quia etiam ſi eſſent contrariæ, non repugnat per diuinam potentiam illas eſſe in eodem ſubiecto, non enim vna forma contraria dicit intrinſecè negationem alterius formæ per incluſionem, ſed tantùm extrinſecè per coniunctionem, quatenus vna expellit aliam ab eodem ſubiecto; non repugnat autem per diuinam potentiam impediri hunc effectum ſecundarium expulſionis ab eodem ſubiecto.

3. *Secunda ratio à ſimili.* Secundò probatur à ſimili, nam Angelus ſecundùm communem Theologorum opinionem, vt ſuppono ex materia de motu Angelorum, de qua in priori tomo diſputatum eſt, poteſt naturaliter eſſe in duobus locis inadæquatis.

4. *Tertia ratio.* Tertiò probatur, quia nulla poteſt aſſignari implicantia, vt mox patebit ex reſponſione ad implicantias.

A Ad primam reſpondetur, corpus eſſe vnum, & indiuiſum in ſe, indiuiſione entitatiua, quando autem replicatur, remanet ſemper cum eadem indiuiſione entitatiua, & ſolùm acquirit per diuerſum Vbi diuiſionem localem, ſiue accidentariam, ſicut è contra, ſi duo corpora ſe inuicem penetrent in eodem loco, non fient vnum numero entitatiuè, ſed vnum indiuiſum localiter. 5. *Reſpōſio ad implicātiā primæ ſententiæ. Ad primam.*

Ad ſecundam reſpondetur, concedendo, quòd locus extrinſecus eſſentialiter eſt terminus rei locatæ; cùm autem infertur, corpus non poſſe exiſtere extra vnum locum, conceditur conſequentia, ſi intelligatur non poſſe exiſtere per idem Vbi; & iuxta hunc ſenſum conceditur, quòd locus extrinſecus eſt eſſentialiter terminus rei locatæ; negatur B autem, non poſſe corpus poni in diuerſis cœlis per diuerſa Vbi, quamuis enim potentia naturalis ipſius corporis locati vnico Vbi totali terminetur, & compleatur, obedientialis tamen non terminatur vnico Vbi, ſed eſt indifferens ad multa Vbi, nam quòd corpus non poſſit habere plura Vbi permanenter, prouenit ex limitatione potentiæ naturalis; per potentiam autem obedientialem non repugnat; ac proinde ſi à Deo ponerentur illa plura Vbi, corpus conſtitueretur in pluribus locis, ſicut è contrà ſaltem per eandem potentiam diuinam, fieri poteſt, vt per penetrationem corpus conſtituatur in minori loco, quàm petit natura locati, & per hæc patet ad confirmationem. *Ad ſecund.*

C Ad tertiam reſpondetur, eſſe diſparem rationem, ideo enim res non poteſt eſſe ſub diuerſis temporibus ſibi inuicem ſuccedentibus in eodem ſubiecto, quia illæ duæ rationes ſucceſſiuæ non poſſunt ſimul exiſtere, ac proinde non poſſunt producere ſuos effectus formales ſimul, ſicut nec diuerſa Vbi in motu locali, quoniam ſunt ſucceſſiua, poſſunt ſimul conſtituere mobile in pluribus locis: at verò quando Vbi ſunt permanentia, de quibus hîc eſt ſermo, poteſt corpus per illa conſtitui ſimul in diuerſis locis. 6. *Ad tertiam.*

Ad quartam implicantiam reſpondent aliqui acutè, quòd vnumquodque Vbi ſit, vbicumque eſt corpus, dicunt tamen quòd vnum Vbi, quod habet pro effectu formali eſſe (hîc,) ſeu conſtituere D corpus (hîc) quando eſt alibi, non conſtituit corpus (hîc,) prout eſt alibi, ſed prout eſt (hîc,) ac proinde vt (quod) eſt alibi, non autem vt (quo.) Sed alij veriùs reſpondent, quòd vnum Vbi, cuius effectus formalis eſt conſtituere corpus (hîc,) non replicatur, quando corpus replicatur alibi, quia dum eſt alibi, prout eſt alibi, non poteſt habere ſuum effectum formaliter; nec ſimile eſt de aliis accidentibus, quia vbicunque ſunt, habent ſuum effectum formalem; non enim ſunt accidentia localia dependentia eſſentialiter à loco, ſicut eſt Vbi. 7. *Ad quartā.*

Ad quintam aliqui reſpondent, quòd cùm corpus collocatur in alio loco, non tranſit ab extremo ad extremum ſine medio; hoc enim, inquiunt, im- E plicat motui locali; ſed dicunt corpus collocari in alio loco per nouam productionem, ſeu conſeruationem ſubſtantialem eiuſdem corporis in alio loco; exiſtimant enim iſti authores, poſſe eamdem rem duplici actione, ſubſtantiali & totali, conſeruari in diuerſis locis; ſed hoc alij tenent eſſe impoſſibile, vt oſtendemus mox infra in ſequenti Corollario dubitatione tertia. 8. *Ad quint.*

Reſpondendum eſt igitur ad implicantiam, quòd iſte tranſitus non fit per motum localem, ſed per productionem alterius Vbi; ſtatim enim ac producitur Vbi, quod eſt ratio formalis conſtituendi corpus

Digitized by Google

pus alibi, ibi conſtituitur, & vbicatur corpus, vt patet ex prædicamento Vbi; effectus enim formalis ſtatim eſt, ac eſt cauſa formalis; ſicut ſi à ſubſtantia tolleretur quantitas, ſtatim in inſtanti ſubſtantia redigeretur ad punctum per ſublationem inſtantaneam quantitatis, quæ eſt ratio formalis extendendi ſubſtantiam.

9. Ad ſextam. Ad ſextam reſpondetur, nullum eſſe abſurdum, quòd per potentiam obedientialem poſſit corpus habere infinita Vbi, ſi infinitum poſſet dari: nec inde ſequeretur, habere creaturam attributum immenſitatis Dei, tum quia Deo debetur immenſitas connaturaliter, non autem creaturæ; tum quia illa immenſitas in Deo eſſet à ſe; tum tertiò quia Deus eſſet immenſus per vnam rationem indiuiſibilem ſibi identificatam, non autem creatura; ſicut à ſimili, ſi Deus creaſſet creaturam ab æterno, tunc neque æternitas creaturæ adæquaret æternitatem Dei, propter eaſdem rationes.

Ad ſeptimã. Ad ſeptimam patebit reſponſio ex tertia dubitatione, in qua ex profeſſo illa abſurda examinabuntur.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm repugnet corpus eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis; & an de facto hoc aliquando contigerit in corpore Chriſti.

1. HÆc dubitatio maiorem habet difficultatem, quàm præcedens; Sermo eſt de potentia abſoluta Dei; Certum eſt enim naturaliter implicare, quia vnum Vbi totale eſt adæquatum corpori naturali, quod eſt limitatum, ac propterea neceſſe eſt vt acquirat aliud Vbi, vt moueatur localiter, deſerendo priorem locum, & acquirendo alium.

2. Prima ſententia negans. Videtur autem aliquibus, quos infrà referemus, quòd nec de potentia abſoluta hoc fieri poſſit.

Prima implicantia. Prima implicantia eſt, quia repugnat finitati, & limitationi corporis, eſſe in duobus locis circumſcriptiuè, eſſe enim in loco circũſcriptiuè, eſt eſſe in illo per commenſurationem cum illo; eſſe autem commenſuratiuè in loco, eſt eſſe in illo adæquatè, ita vt inter locum, & locatum, nullus ſit exceſſus; Sed ſi corpus circumſcriptiuè eſſet in duobus locis adæquatis, excederet ſuum locum, ac proinde tunc commenſuraretur illi, ergo non poteſt eſſe circumſcriptiuè in illo.

Secunda implicantia. Secunda implicantia eſt, quia effectus formalis vnius, & eiuſdem formæ in ſubiecto, non poteſt creſcere, niſi ipſa etiam forma creſcat: ſed quantitas, quæ eſt ratio formalis exiſtendi in loco circumſcriptiuè, non creſcit ex eo, quia idem corpus ponitur in duobus locis, ſed manet eadem; ergo non poteſt idem corpus per eadem quantitatem tamquam per rationem formalem exiſtere in alio loco circumſcriptiuè, quia tunc effectus formalis exiſtendi in loco, eſſet maior, & excederet ſuam rationem formalem.

Tertia. Tertia implicantia, ſequeretur, partem excedere totum, & corpus minus excedere maius, ſi enim pars aut corpus minus replicetur in pluribus locis, poſſet habere maiorem extenſionem localem, quàm habeat totum vel corpus maius.

Quarta. Quarta implicantia eſt, ſi corpus poteſt eſſe in multis locis circumſcriptiuè, ſequeretur nullá habere ſphæram determinatam actiuitatis in agendo, ac proinde ſequeretur paruum ignem poſſe comburere totum mundum, & præterea virtus motiua finita vt quatuor, poſita in pluribus locis circumſcriptiuè, poſſet eleuare pondus vt centum, & vt mille, &c. & vnus homo replicatus, poſſet ſimul occidere infinitos penè homines.

Quinta implicantia. Quinta implicantia, ſequeretur quòd ſi corpus ſibi ipſi occurreret, ſeipſum excluderet ab eodem loco.

Sexta implicantia. Sexta implicãtia, ſequeretur quòd de eodem corpore verificarentur multa contradictoria, ſicut diximus in ſuperiori dubit. in vlt. implicantia.

Auctores huius primæ ſententiæ. Aliqui Catholici & graues Doctores propter has implicantias, tenent non poſſe corpus quantum idem numero à Deo cõſtitui in duobus locis diſtantibus circumſcriptiuè, ſeu modo extenſo in ordine ad locum. Ita tenet S. Thom. (S. Thom.) non quidem in ſumma, quare immeritò citatur in 3. p. q. 75. ar. 1. ad 3. & 4. ſed illam, quando erat iunior, tenuit in 4. diſt. 10. q. 1. ar. 1. & d. 44. q. 2. ar. 2. quæſtiuncula 3. & 4. & quodlib. 3. ar. 2. Bonauẽ. (Bonau.) in 4. diſt. 44. q. 1. Capr. (Capr.) diſt. 10. q. 1. & d. 44. q. 6. Henr. (Henric.) quodlib. 5. q. 13. Ægid. (Ægid.) quodlib. 1. q. 1. & 4. & Theor. 3. de Euchariſtia. Ferrar. (Ferrar.) 4. contra Gentes c. 42. Alij tamen Thomiſtæ, & communis ſententia ſcholaſticorum quos mox infrà referemus, tenent oppoſitum.

PRIMA CONCLVSIO CIRCA PRIMAM DIFFICVLTATEM DE *poſſibili.*

3. Prima concluſio. Auctores huius primæ cõcluſionis. DIcendvm eſt cum communi ſententia Scholaſticorum contra Henric. (Henric.) Ægid. (Ægid.) & alios ſuprà citatos, poſſe idem corpus numero conſtitui per diuinam potentiam circumſcriptiuè in duobus locis; & quidem hæc ſententia eſt fauorabilior myſterio Euchariſtiæ; Eſt Alenſis (Alenſ.) 4. p. q. 11. ar. 1. §. vlt. Riccardi (Ricc.) in 4. diſt. 10. art. 2. quæſt. 2. & quodl. 1. q. 2. Scoti (Scot.) in 4. diſt. 10. q. 1. & 2. Maioris (Maior.) ibidem q. 2. Marſil. (Marſ.) ibidem q. 7. art. 3. dub. 1. Ochami (Och.) q. 4. Aliacen. (Aliac.) q. 5. Gabr. (Gabr.) q. 1. art. 1. Adami (Adam.) q. 1. art. 3. Aureoli (Aur.) apud Capr. (Capr.) diſt. 2. q. 1. Soti (Sot.) in 4. phyſ. q. 1. licèt in 4. d. 10. q. 1. art. 5. videatur accedere ad oppoſitam ſententiam; Tenent etiam hanc ſententiam auctores qui ſcribunt contra Hæreticos noſtri temporis, præſertim Cardinalis Bellarminus (Card. Bell.) lib. 3. de Euchar. cap. 3. & 4. Tenent etiam eandem ſententiam graues Recentiores, præſertim Suar. (Suar.) tom. 3. diſp. 48. ſect. 4.

4. Prima ratio ex Auguſtino. Probatur primò ex Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 16. & 17. vbi certiſſimè tenet animas ſanctorum diuina virtute ſimul poſſe eſſe in cœlo, & in terra.

5. Secunda ratio ex principio philoſophico. Secundò probatur, quia, vt dictum eſt in prædicamento Vbi, effectus formalis ipſius Vbi prædicamentalis eſt, conſtituere corpus circumſcriptiuè in loco; Sed poſſunt eſſe duo Vbi in eodem corpore per potentiam diuinam; ergo poſſunt eſſe duo effectus formales eiuſdem corporis in ordine ad diuerſa loca, ac proinde poteſt corpus locari in duobus locis circumſcriptiuè. Conſequentia eſt manifeſta. Minor probatur, quia, vt dictum eſt ſuprà, vel iſta duo Vbi permanentia ſunt eiuſdem rationis, ſicut ſunt duo Vbi ſucceſſiua, vel ſunt diſparata, vel ſunt contraria.

Si dicatur primum, non repugnat eſſe duo Vbi in eodem corpore: ſi enim aliquid obſtaret, illud eſſet, quòd eſſent duæ formæ diſtinctæ numero in eodem ſubiecto; hoc autem non obſtat, quia ſunt formæ reſpectiuæ ad diuerſos terminos, ſicut de facto

Digitized by Google

ĉto ſunt duæ relationes ſimilitudinis ſecundùm multorum opinionem in eodem ſubiecto; Neque obſtat ſecundum, ſi enim aliquid obſtaret, eſſet limitatio ſubiecti, hoc autem non obſtat, quia quamuis per potentiam naturalem non poſſet idem corpus ſubiectare duo Vbi; non obſtat tamen per potentiam obedientialem; Neque obſtat tertiò, quia duæ formæ contrariæ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto per diuinam potentiam, quòd enim vna forma contraria excludat aliam ab eodem ſubiecto, eſt effectus ſecundarius formæ, effectus autem ſecundarius à Deo poteſt impediri.

6. Tertia ratio.

Tertiò probatur, non implicat corpus eſſe in vno loco diuiſibiliter, & in alio indiuiſibiliter, vt probatum eſt in ſuperiori dubitatione de corpore Chriſti; ergo neque implicat, idem corpus eſſe in duobus locis, circumſcriptiuè; Conſequentia probatur, quia non minùs eſt contra naturam, priuari actuali extenſione, quàm eſſe in duobus locis.

7. Quarta ratio.

Quartò probatur, quia de facto corpus Chriſti quando apparuit Paulo, fuit circumſcriptiuè in cœlo, & in terra; vt mox probabimus in ſecunda concluſione.

Quinta ratio.

Quintò probatur, quia nulla poteſt aſſignari implicantia, quæ non ſatis bene ſoluatur, vt mox patebit ex reſponſione ad implicantias allatas.

8. Reſponſio ad implicãtias. Ad primam.

Ad primam enim implicantiam reſpondetur negando Minorem, non enim ex eo, quòd corpus replicatur in duobus locis, intelligitur eſſe maius, quã quodlibet illorum locorum, quia non ponitur exceſſus ſecundùm quantitatem, ſed ſolùm ſecundùm exiſtentiam localem; non enim in illo corpore ſunt plures partes ſecundùm quantitatem, quàm ſint in quolibet loco; ſed ſolùm illæ partes replicantur in diuerſis locis.

Et cùm inſtatur, corpus eſt adæquatè, & commenſuratiuè in vno loco, ergo non poteſt eſſe commenſuratiuè in alio. Reſpondetur, quòd poteſt eſſe adæquatè in vtroque loco, quia eſſe adæquatè in loco, nihil aliud ſignificat, quàm nullam partem eſſe in loco, cui non correſpódeat aliqua pars locati, & omnes partes locati eſſe proportionatas, & commenſuratas omnibus partibus illius loci, cùm igitur corpus replicatum in duobus locis habeat in vtroque loco ſingulas partes correſpondentes ſingulis partibus loci; ita vt tam in vno, quàm in alio loco nulla ſit pars locati, cui non correſpondeat pars loci, & è contra; fit vt corpus replicatum in duobus locis, in vtroque dicatur eſſe adæquatè, & commenſuratiuè.

9. Ad ſecundã implicantiã.

Ad ſecundam reſpondetur, rationem formalem proximam exiſtendi in loco circumſcriptiuè non eſſe quantitatem, ſed eſſe præſentiam localem, ſeu ipſum Vbi; multiplicata igitur præſentia locali ſecundùm eandem quantitatem, fit vt quantitas ſit in pluribus locis; & de facto ita aliqui tenent fieri in rarefactione, in qua videmus corpus occupare maiorem locum, non quidem ex eo, quia creſcit quantitas, ſed quia magis extenditur in ordine ad locum.

10. Ad tertiam.

Ad tertiam reſpondetur, quòd ſi pars replicetur in maiori loco, quàm ſit totum, non propterea dicitur quòd pars, vt pars, excedit totum; non enim habet maiorem quantitatem, quàm totum, in ordine ad ſe, ſed ſolùm habet perfectius Vbi, quod à parte rei diſtinguitur ab ipſa quantitate, & per hoc Vbi, pars ponitur in maiori loco; ſecundùm autem hanc extenſionem localem, ſecundùm quam excedit ſuum totum, non eſt pars, ſed eſt tantùm pars ſecundùm extenſionem in ordine ad ſe, ſecundùm quam ſemper eſt minor ſuo toto, & idem dicen- A dum eſt de corpore minori, poteſt enim corpus eſſe minus ſecundùm extenſionem in ordine ad ſe, altero corpore, & eodem eſſe maius ſecundùm extenſionem in ordine ad locum.

11. Reſponſio ad quartam implicãtiam & ad omnes caſus in illa allatos.

Ad quartam implicantiam reſpondetur, quòd corpus conſtitutum in diuerſis locis, plus poteſt in pluribus locis, quàm in vno, ſi non addatur noua reſiſtentia.

Ad primum caſum quartæ implicãtiæ.

Ac proinde ad primum caſum dicitur, quòd ignis calidus vt (quatuor) in vno loco, poteſt calefacere vt (quatuor), & ita ſimiliter in alio, & in omnibus aliis locis, in quibus per replicationem conſtituitur, ac ſi eſſent omnia illa paſſa penetratiuè conſtituta in eodem loco.

12. Ad ſecundũ caſum.

B Ad ſecundum verò caſum dicitur, quòd ſi virtus motiua vt (quatuor) eſt adæquata ad eleuandum pondus vt (quatuor), non poteſt cõſtituta in alio loco, eleuare ſimul pondus vt (quatuor); Et ratio eſt, quia eſt reſiſtentia ex parte ponderis, vnde ſi illa duo pondera eſſent in eodem loco, non poſſent eleuari à potentia vt (quatuor); cùm igitur per conſtitutionem corporis in diuerſo loco, non augeatur virtus intrinſeca corporis, ſequitur quòd ſi non poteſt illa duo pondera eleuare in vno loco, ex defectu, & limitatione virtutis intrinſecæ, neque poterit illa eleuare conſtituta in diuerſis locis, quia eſt eadem virtus in vtroque loco.

13. Ad tertium caſum quartæ implicãtiæ.

Ad tertium caſum reſpondetur eodem modo, C non poſſe videlicet hominem conſtitutum in duobus locis, occidere ſimul duos homines, ſi in vno loco habet vim occidendi tantùm vnum hominem, propter eandem rationem nouæ reſiſtentiæ; quare in his, & aliis ſimilibus caſibus, datur regula generalis, quòd reſiſtentia in diuerſis locis computanda eſt, ac ſi eſſet in vno loco; ſi igitur in vno loco poſſet vincere totam illam reſiſtentiã, quæ eſt in diuerſis locis, poteſt etiam illam vincere in diuerſis locis; ſi autem non poteſt in vno loco, nec poteſt in diuerſis.

14. Ad quintam implicantiã.

Ad quintam implicantiam reſpondetur, concedendo quòd ſi corpus ſibi ipſi occurreret, ſe ipſum excluderet ab eodem loco; negatur tamen id eſſe D abſurdum, quia non ſe excluderet ſecundùm eaſdem partes, nam pars dextera occurreret parti ſiniſtræ, & ſic de aliis partibus, ſicut igitur pars dextera non poteſt ſe penetrare cum parte ſiniſtra, ſi corpus eſſet tantùm in vno loco; ita nec poterit etiam ſe penetrare, ſi corpus conſtituatur in duobus locis.

Ad ſextam implicantiam mox patebit reſponſio ex his, quæ dicemus in tertia dubitatione; Et hæc ſatis ſint quantùm ad primam difficultatem huius dubitationis.

SECVNDA CONCLVSIO CIRCA SECVNDAM DIFFICVLTATEM *de facto*.

E

15. Secunda cõcluſio.

CORPVS Chriſti de facto, quando apparuit Paulo, fuit circumſcriptiuè in cœlo, & circumſcriptiuè in terra.

Et quidem quòd fuerit circumſcriptiuè in terra, probatur, quia apparuit Paulo modo naturali, ita vt videri potuerit à Paulo, & audiri eius vox non ſolùm à Paulo, ſed etiam ab aliis, vt patet ex illis verbis Pauli 1. ad Corinth. 15. *Deinde viſus eſt Apoſtolis omnibus; & deinde pluſquam quingentis Fratribus, nouiſſimè autem omnium viſus eſt mihi.* Et Actorum 22. dicitur, *Deus praeordinauit te vt cognoſceres voluntatem eius, vt videres iuſtum, & audires vocem eius.*

1. ad Corinth. 15
Act. 22

Digitized by Google

nus. Et præterea hoc ad dignitatem Apoſtolicam Pauli ſpectabat.

Quòd autem tunc temporis Chriſtus fuerit etiam in cœlo, probatur ex illo Actorum 3. *Quem,* ſcilicet Chriſtum, *oportet cælum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium.* Per quæ verba ſignificatur Chriſtum à tempore aſcenſionis perpetuò fuiſſe, & futurum in cœlis vſque ad diem iudicij, quare nec per breuiſſimum tempus poteſt dici, quòd non fuerit in cœlo; locus enim citatus complectitur vniuerſaliter omne tempus; Præterea pertinet hoc ad dignitatem Chriſti, vt patet ex illo
Card. Bell. verbo, *oportet,* quod bene probat Cardinal. Bellarm. loco citato.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm prædicata, quæ conueniunt corpori exiſtenti in vno loco, conuenire poſſint eidem corpori exiſtenti in alio loco; & quid dicendum de corpore Chriſti exiſtenti in cælo, & in hoſtia.

1. Supponuntur certa. VT punctus difficultatis videatur, ſupponenda ſunt ea quæ ſunt certa.

2. Primò certum eſt, accidentia localia vt ſeſſio, propinquitas, diſtantia, & ſimilia, quæ ſunt in corpore exiſtenti in vno loco, non eſſe in eodem corpore exiſtente in alio loco. Et ratio eſt, quia accidentia localia fundantur in præſentia locali, quæ quidem præſentia non poteſt exiſtere in duobus locis, ſicut eadem præſentia non poteſt moueri de vno loco in alium; dicit enim eſſentialiter dependentiam ab hoc loco, quia eſſentialiter, & formaliter eſt ratio exiſtendi hic; vnde fit, vt nec mortuo modo poſſit eſſe in alio loco, quia cùm hæc accidentia ſint modi, non poſſunt exiſtere niſi ſint in actuali exercitio; vnde fit vt homo exiſtens in duobus locis, ſi in vno loco ſedeat, non habeat illam ſeſſionem in alio loco, quòd ſi in vtroque loco ſedeat, neceſſe eſt, vt habeat in diuerſis locis duas ſeſſiones diſtinctas numero.

3. Hinc fit primò, vt aqua exiſtens Romæ, & Neapoli, ſi continuetur cum alia aqua ſolùm ſibi proxima Romæ, non propterea ſequitur, quòd continuetur Neapoli, quia illa alia aqua non eſt ſibi proxima, vt eſt Neapoli.

Hinc fit ſecundò, vt homo exiſtẽs Romæ, & Neapoli, ſi Romæ moueatur, nõ propterea neceſſe eſt vt moueatur Neapoli, ſicut anima rationalis, quando mouetur prout eſt in manu, non propterea neceſſariò mouetur prout eſt in pede; an autem poſſit moueri naturaliter in duobus locis, dicemus infrà in quæſito quinto.

4. Quid dicendum de corpore Christi. Hinc patet tertiò, quid dicendum ſit de corpore Chriſti: dicendum eſt enim quòd dum mouetur in cœlo, non mouetur in hoſtia, nec è conuerſo; & præterea quando in paſſione aliquæ partes corporis diſcontinuabantur à clauis, & à lancea, non propterea diſcontinuabantur in Sacramento, ſi tunc fuiſſet alicubi Sacramentum.

5. Secundò certum eſt, quòd corpus conſtitutum in duobus locis, habeat vtrobique omnes illas proprietates intrinſecas, & connaturales ipſi corpori, quas corpus illud requirit ad ſuam exiſtentiam; Et ratio eſt, quia non poteſt naturaliter exiſtere in aliquo loco ſine illis proprietatibus, ad hoc autem vt iſtæ proprietates conferant ſuum effectum corpori, debent eſſe præſentes ipſi corpori.

6. Tertiò certum eſt apud omnes, corpus conſtitu-
A tum in duobus locis, habere in vtroque loco accidentia abſoluta inſeparabilia à ſubiecto, & præterea habere illa accidentia diſtincta realiter, etiam ſi non ſint proprietates intrinſecæ, à quibus dependet ſubiectum ſecundùm ſuum eſſe.

Quod igitur inter Scholaſticos controuertitur eſt, An ſuppoſito quòd corpus per miraculum replicetur in duobus locis, ſequatur quòd corpus illud habiturum ſit per naturalem concomitantiam in illis duobus locis, omnia accidentia abſoluta à loco, & quæ ſunt ſeparabilia à corpore, & à quibus corpus nõn dependet ſecundùm ſui exiſtentiam; ex. gratia, an ſi corpus habeat calorem Romæ, habeat etiam eumdem calorem per naturalem concomitantiam, vbi ſupponitur corpus illud replicatum. 7. Punctus controuerſiæ.

B PRIMA ſententia negat, ſed dicit opus eſſe nouo miraculo; ita tenet Ocham in 4. quæſt. 4. & alij Nominales, & Hugo de S. Victore 2. de Sacramen. parte 8. cap. 3. vnde conſequenter deducit, corpus Chriſti in nocte Cœnę non habuiſſe in Sacramento illas paſſiones, quas habebat extra Sacramentum. 8. Prima ſententia Ocham. Hugo.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia tenet, accidentia habere ſuum Vbi intrinſecum, diſtinctum ab Vbi ſubiecti, ſi ergo, inquit; replicari debent accidentia in alio loco, debent habere aliud Vbi, hoc autem non poſſunt habere naturaliter; ſed opus eſt, vt actio illa adductiua, qua corpus ſupernaturaliter per diuinam potentiam adducitur ad
C alium locum, extendatur etiam per eandem Dei potentiam ad accidentia. Fundamentum huius ſententiæ.

SECVNDA ſententia dicit duo. Primùm quòd naturaliter per naturalem concomitantiam omnia accidentia replicantur, replicato ſubiecto ex vi naturalis connexionis. Secundò dicit poſſe fieri, quòd per diuinam potentiam illa accidentia non replicentur; citatur Alenſis 4. par. quæſt. 11. memb. 2. ar. 1. 9. Secũda ſententia. Alenſis.

Primum dictum huius opinionis probatur, nam accidentia habent naturalem, & neceſſariam connexionem cum ſubiecto, ratione inhærentiæ, ergo naturaliter replicantur ad replicationem ſubiecti. Argumenta pro hac ſententia.

Secundum dictum probatur, quia accidens debet eſſe in alio loco, per Vbi diuerſum numero ab
D illo Vbi, per quod erat in priori loco; poteſt igitur Deus impedire, ne hoc ſecundum Vbi producatur in accidente; Et confirmatur, quia poteſt Deus ſeparare accidens à ſubiecto, & ponere in alio loco; ergo etiam poterit ponere ſubiectum in alio loco, ſine vllo accidenti.

TERTIA ſententia tenet non poſſe per potentiam Dei abſolutam fieri, vt corpus conſtitutum in duobus locis, non habeat accidentia in vtroque loco; Eſt Scoti in 4. diſtinct. 10. quæſt. 4. & colligitur ex S. Thom. in 4. diſtin. 11. quæſt. 3. art. 4. quæſtiuncula 3. 10. Tertia ſententia. Scot. S.Thom.

E Reſolutio huius dubitationis pendet potiſſimùm ex illo principio philoſophico, quod examinauimus in prædicamento Vbi; An accidentia realiter diſtincta habeant diſtinctum Vbi intrinſecum, ab Vbi ſubiecti. 11. Reſolutio quæſtionis ex illo principio philoſophico an accidẽtia habeãt diſtinctum Vbi ab Vbi ſubiecti.

Circa quam quæſtionem quidã tenent, accidentia habere diſtinctum Vbi à ſubiecto, quia cùm verè mutent locum per motum, neceſſe eſt vt acquirant aliquem terminum intrinſecum identificatum cum motu, præſertim cùm motus ſit actus intrinſecus in mobili. Vide in prædicamento Vbi quæſt. 6.

Alij verò probabiliùs dicunt, vt ibidem in prædicamento Vbi quæſtione ſexta oſtendimus, accidentia, & formas ſubſtantiales non habere diſtinctum Vbi, ab Vbi ſubiecti; quia neceſſariò mouentur, & vbicantur ad motum, & Vbi ſubiecti; fruſtra 12.

Digitized by Google

igitur datur aliud Vbi intrinſecum ipſis formis; imò nec poteſt dari, quia accidens ſeu forma ſubſtantialis neceſſariò vbicatur per Vbi ſubiecti; illud igitur Vbi, quod ponitur intrinſecum, eſſet ſine actuali exercitio; implicat autem, modum, cuiuſmodi eſt Vbi, eſſe ſine actuali exercitio; eſſe enim modi, conſiſtit in actuali exercitio modificandi, ſicut ſeſſio eſt ipſum actuale exercitium ſedendi; ſi enim modus eſſet ens potentiale, neceſſe eſſet dari alium modum, per quem reducatur ad actum: Et de hoc poſteriori modo adhuc quæri poſſet, an ſit potentialis, vel actualis: ſi actualis, ergo ſiſtendum erat in priori modo; ſi potentialis, ergo requireretur alius modus, per quem reducatur ad actum; & ſic in infinitum. His poſitis ſit

13. *Prima concluſio continet tria dicta.*

Prima concluſio. Si teneatur, accidentia & formas ſubſtantiales habere intrinſecum, & diſtinctum Vbi, ab Vbi ſubiecti, tunc ſunt conſequenter dicenda tria.

Primum dictum huius concluſionis probatur.

Primùm dicendum eſt cum ſecunda ſententia, quòd replicato corpore in duobus locis, fieri poſſet vt ſaltem per diuinam potentiam accidentia non replicentur in duobus locis.

Probatur, quia requireretur productio noui Vbi in accidenti, præter Vbi ſubiecti, ad hoc vt accidens replicetur loco ſimul cum ſubiecto; poteſt igitur Deus impedire productionem illius noui Vbi.

14. *Probatur ſecundum dictum.*

Secundò dicendum eſt conſequenter, cum prima ſententia Ochami, requiri nouum miraculum, ad hoc vt accidentia replicentur loco ſimul cum ſubiecto.

Et ratio eſt, quia præter Vbi ſubiecti, requiritur in ipſo accidenti nouum Vbi, quod non reſultat naturaliter ex replicatione ſubiecti; quia illa replicatio ſeu actio adductiua ſubiecti ad alium locum, non eſt naturalis, ac proinde opus eſt nouo miraculo, ad hoc vt fiat aliud nouum Vbi in accidenti, per nouam adductionem accidentis; ſicut à ſimili, ſi aër, qui eſt Neapoli, & Romæ, ſi calefiat Neapoli ab igne, ad hoc vt etiam calefiat Romæ, debet reproduci in ipſo calore duplex Vbi, alterum Neapoli, alterum Romæ; at agens naturale non habet hanc vim producendi duplex Vbi, ſed ad hoc opus eſt potentia ſupernaturali.

Nec valet, ſi dicas per reſultantiam fieri aliud Vbi, non, inquam, valet, quia illa reſultantia eſt verè noua productio ſecundi Vbi, de nouo enim incipit ex vi alicuius agentis.

Et clariùs patet, ſi in homine exiſtenti in duobus locis, in vno loco applicetur cibus, & non in alio, tunc enim in vno loco nutrietur, & non in alio, quia cibus non poteſt ex vi agentis naturalis approximantis cibum hîc, replicari alibi, ceſſat enim ratio replicationis ex vi ſubiecti, quia cibus non habet connexionem intrinſecam cum corpore, ſicut habet accidens.

15. *Probatur tertium dictum euſdem primæ cōcluſionis.*

Tertiò dicendum eſt, quòd quamuis accidens non poſſit ex vi agentis naturalis conſtitui in duobus locis, in quibus eſt ſuum ſubiectum, tamen petit ex natura ſua vt à Deo conſtituatur in illis locis, vbi eſt corpus. Ita Gabr. diſt. 10. quæſt. 1. & colligitur ex D. Tho. quæſt. 76. ar. 1. & 81. ar. 4. & in 4. d. 11. q. 3. ar. 4. in quibus locis loquitur de corpore Chriſti: Ita etiam Petrus Soto lect. 6. de Euchariſtia.

Gabr. *D. Thom.* *Petr.*

Probatur primò, quia vnitas, & identitas ſubiecti petit habere eadem accidentia vbicumque ſit, ita vt non ſolum ſubſtantialiter ſit idem, ſed etiam accidentaliter; quamuis enim ſubiectum conſtituatur in duobus locis, ſemper tamen eſt vnum, & idem.

Secundò probatur, quia hoc petit ordo vniuerſi, eſſet enim maxima perturbatio, ſi ſubiectum in vno reciperet vnam formam, & in alio aliam, ita vt in vno loco ſit calidum, & illuminatum, in alio frigidum, & tenebroſum.

16. *Secunda concluſio.*

Secunda concluſio. Si verò teneatur, vt nos probabiliùs ſuprà tenuimus, accidens non habere diſtinctum Vbi, ab Vbi ſui ſubiecti, ſed denominari exiſtere in loco extrinſecè ab Vbi ſubiecti, per rationes, quas paulò ſuperiùs adduximus in hac dubitatione, tunc dicendum eſt congruentiùs cum Scoto & S. Thoma citatis pro tertia ſententia, non poſſe fieri ſaltem de potentia ordinaria, & naturaliter, quamuis authores citati videantur etiam loqui de potentia abſoluta, vt talia accidentia, etiamſi ſint diſtincta realiter, & ſeparabilia à ſubiecto, non replicentur ſimul cum corpore, quod eſt ſubiectum illorum accidentium.

Scotus *S. Thomas.*

Probatur ſecunda concluſio.

Et ratio eſt, quia ipſo ſubiecto moto vel adducto à Deo ad alium locum, neceſſariò propter connexionem adducuntur etiam accidentia; ergo neceſſariò propter connexionem, quam habent cum ſubiecto, traducuntur ad Vbi ipſius ſubiecti. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quia ratio recipiendi huiuſmodi accidentia, eſt ipſa natura corporis ſecundùm ſuum eſſe abſolutum; ſed corpus ſecundùm ſuum eſſe abſolutum, eodem modò ſe habet ad omnia loca; ergo ex vi connexionis, quidquid ineſt corpori in vno loco, ineſt in alio, non enim aliud requiritur; ſi enim aliud requireretur, illud eſſet Vbi intrinſecum in ipſo accidenti, diſtinctum ab Vbi corporis. Sed probatum eſt ſuprà in hac eadem dubitatione, non dari hîc Vbi diſtinctum in accidenti, quia eſſet fruſtrà; ergo, &c.

17. *Secūdò probatur.*

Secundò probatur ex abſurdis, quæ ſequuntur ex contraria ſententia, ſequeretur enim alioquin, quòd homo per diuinam potentiam exiſtens Neapoli, & Romæ, Neapoli aſſentiretur vni propoſitioni tanquam veræ, & de fide, Romæ verò diſſentiret vt falſæ; Præterea Neapoli Deum amaret, Romæ odio haberet; Rurſus Neapoli eſſet in gratia, Romæ verò non; Rurſus Neapoli poſſet eſſe viuus, Romæ verò mortuus; quæ abſurda non ſequuntur ex hac noſtra ſententia, vt oſtendemus clariùs in ſequenti dubitatione.

18. *Obiectio.*

Quòd ſi obiicias, eadem ratione eſſe dicendum, quòd accidentia localia replicari debeant, quia cùm inhæreant in corpore, debent ex vi inhærentiæ adduci ad Vbi ſubiecti, ſicut cætera accidentia.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd ratio exiſtendi in loco, non eſt inhærentia, ſed Vbi; quia igitur accidentia abſoluta à loco, non habent aliud Vbi, præter Vbi ſubiecti, ideò neceſſariò trahuntur ad Vbi ſubiecti; at verò accidentia localia ſe ipſis locantur in tali loco, & non per Vbi ſubiecti; ſicut à ſimili, quantitas ſe ipſa extenditur, ac proinde non trahuntur naturaliter, & neceſſariò ad Vbi ſubiecti, nec poſſunt per aliquam potentiam trahi, quia dicunt ordinem & dependentiam eſſentialem in tali loco.

19. *Quid dicendum de corpore Chriſti.*

Ex dictis patet, Chriſtum in Sacramento, vt habetur ex Tridentino, habere omnia accidentia abſoluta à loco, quæ habet in cœlo, ex vi naturalis concomitantiæ, & connexionis; Aliquæ autem difficultates quæ peculiariter ſunt de corpore Chriſti, infrà ſoluentur in ſequenti dubitatione.

20. *Reſpōſio ad argumenta primæ & ſecundæ ſententiæ.*

Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, ſupponere falſum fundamentum, quòd ſcilicet accidentia habent Vbi ſuum intrinſecum, diſtinctum ab Vbi ſubiecti.

Ad argumenta ſecūdæ ſententiæ poſita in ſecundo dicto illius ſententiæ, reſpondetur eodem modo.

QVARTA

QVARTA DVBITATIO.

In qua reſoluuntur aliquot dubia ſeu quæſita quæ colliguntur ex dictis.

1. EX reſolutione præcedentis dubitationis, in qua oſtendimus, accidentia abſoluta à loco trahi naturaliter, & neceſſariò ad Vbi ſubiecti, colliguntur reſponſiones ad varia, & curioſa dubia ſeu quæſita, quæ circa hanc materiam replicationis fieri ſolent.

Primum dubium ſeu quæſitum. PRIMVM dubium ſeu quæſitum eſt, An exiſtente corpore in vno loco, poſſit Deus accidens inhærens in illo corpore, multiplicare in alio loco, non multiplicato corpore, cui inhæret.

Reſponſio. Reſpondeo affirmatiuè, ſi accidens eſt realiter diſtinctum & ſeparabile. Et ratio eſt, quia poteſt in illo accidenti ponere aliud Vbi, quod ſit ratio exiſtendi in alio loco; ſi verò accidens eſt inſeparabile, vt eſt modus, v.g. vnio, ſeſſio, &c. non poteſt illud Deus multiplicare in alio loco, non multiplicata re, cuius eſt modus; quia de eſſentia modi eſt, vt ſit, vbi eſt res modificata; actualiter enim debet modificare, quia ſuum eſſe conſiſtit in actuali exercitio modificandi, vt in præcedenti dubitatione oſtenſum eſt.

2. Hinc patet quid dicendum ad illum caſum, ſi conſtituatur homo tantùm in vno loco, & ponatur anima extra materiam, an in hoc caſu homo corrumpatur.

Reſpondeo, quòd ſi ſeparatio animæ à corpore fiat per corruptionem vnionis, tunc homo corrumpetur, vt dicemus in tertio quæſito, ſi verò non fiat per corruptionem vnionis, ſed per replicationem tantùm animæ ſine corpore in alio loco, remanente eadem anima vnita cum corpore in priori loco, tunc homo non corrumpetur, quia in illo priori loco habet animam ſibi vnitam.

3. *Secundum quæſitum.* QVÆRES ſecundò, quid dicendum de qualitatibus contrariis, vel formis ſubſtantialibus contrariis, vel de formis diuerſis, vel priuatiuè oppoſitis, vt ſunt lux & tenebræ, an huiuſmodi formæ inducuntur in idem corpus exiſtens in duobus locis, ſi in illis duobus locis applicentur contraria, & oppoſita agentia.

Reſponſio. Reſpondetur, quòd de iſtis formis eodem modo philoſophandum eſt, ac philoſophamur, ſi agentia applicentur eidem corpori exiſtenti in vno tantùm loco, quia ex dictis in ſuperiori dubitatione, corpus illud replicatum, quicquid habet in vno loco, habet in alio; quia igitur corpus in vno tantùm loco exiſtens, ſi illi applicentur agentia contraria, vt ignis, & aqua, non poteſt in ſummo calefieri, & in ſummo frigefieri; ſed vel agens calidum introducet calorem tantum, ſi ſit valde excedens, vel vtrumque agens producet calorem & frigus in gradibus remiſſis, ideo conſequenter dicendum eſt, quòd cùm hæc agentia applicantur corpori exiſtenti in diuerſis locis, ita vt in vno applicetur agens frigidum, & in alio calidum, dicendum eſt, inquam, quòd tunc corpus vel tantùm calefiet, ſi agens calidum eſt excedens, vel ſi agens non eſt huiuſmodi, tunc corpus calefiet, & frigefiet in gradibus remiſſis. Et idem dicendum eſt de formis ſubſtantiali-

4. bus; quia enim materia non poteſt recipere duas formas ſubſtantiales, præſertim contrarias, ideo ſiue agentia contraria applicentur materiæ exiſtenti in vno loco, ſiue applicentur eidem materiæ exiſtenti in pluribus locis, non producetur in illa materia,

A niſi vna tantùm forma ab illo agente, quod eſt fortius, vel ſi ſint æqualis virtutis, nulla producetur. Et idem dicendum eſt, quòd quando corpus in vno loco illuminatur à lucerna, illuminabitur etiam in alio, quamuis non habeat approximatam lucernam.

Sed hîc occurrit dubium, quid dicendum de corpore Chriſti, an ſcilicet, ſi corpus Chriſti in illo triduo fuiſſet Sacramentaliter alicubi, paſſum fuiſſet illas mutationes, ſeu frigus & flagella, quæ patiebatur extra Sacramentum. 5. *Dubitatio de corpore Chriſti.*

Et ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia, vt ſuprà dictum eſt, accidentia neceſſariò replicantur replicato corpore; ergo paſſiones, quas Chriſtus
B habebat extra Sacramentum, habebat neceſſariò in Sacramento.

Pro parte verò negatiua eſt ratio dubitandi; quia corpus Chriſti in Euchariſtia non poteſt pati ab aliquo agẽte naturali propter indiuiſibilitatem, quam habet in ordine ad locum.

Reſpondetur tamen cum D. Tho. quæſt. 76. ar. 1. & quæſt. 81. art. 4. & cum eodem S. Thom. & communi ſcholaſticorum in 4. diſt. 11. quòd illæ mutationes, quæ inuoluunt motum localem, aut contactum, non ſunt in corpore Chriſti exiſtenti in Sacramento quamuis ſint in corpore Chriſti extra Sacramentum, ac proinde flagella & ſputa non erant in corpore Chriſti in Sacramento, in illo triduo, ſi tamen tunc fuiſſet alicubi Sacramentum; *Solutio. S. Thom.*
C Et ratio eſt, quia illa flagella, & ſputa, erant approximata tantùm corpori Chriſti extra Sacramentum; at verò accidentia abſoluta à loco, vt calor, frigus, dolor, &c. erant in corpore Chriſti tam in Sacramento, quàm extra Sacramentum; nam, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, huiuſmodi accidentia neceſſariò replicantur ad replicationem ſubiecti, quia non habent Vbi, diſtinctum ab Vbi ſubiecti.

Ad rationem verò dubitandi pro parte negatiua, reſpondetur primò, quòd ſuppoſito miraculo replicationis corporis Chriſti, exiſtentis indiuiſibiliter ſub ſpeciebus Sacramentalibus, debetur illi connaturaliter, vt Deus concurrat ad replicandum 6.
D illa accidentia modo indiuiſibili in corpore Chriſti exiſtentis in Sacramento.

Secundò reſpondetur, quòd non ſolùm connaturaliter debent illa accidentia à Deo replicari, ſed neceſſariò replicantur, quia, vt dictum eſt, non habent aliud Vbi, præter Vbi corporis; replicato igitur corpore, replicantur illa accidentia; ſuppoſito autem quòd corpus Chriſti per diuinam potentiam replicetur in loco indiuiſibiliter, fit vt etiam indiuiſibiliter neceſſariò replicentur accidentia modo indiuiſibili, quia vbicantur in illo non loco per aliquod Vbi, illis ſuperadditum intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè per Vbi corporis, quod quidem Vbi, eſt indiuiſibile in corpore Chriſti exiſtentis in Sacramento.

E QVÆRES tertiò, poteſt ne homo exiſtens Neapoli, & Romæ, viuere Neapoli, & Romæ eſſe mortuus. 7. *Tertiũ quæſitum.*

Reſpondeo, tripliciter poſſe hunc caſum intelligi. Primus caſus eſt, quando tantùm vnio inter materiam & formam corrumpatur. Secundus caſus eſt, ſi materia, & forma corporis exiſtentis Neapoli, vniantur vnione diſtincta realiter ab ea vnione, qua eædem partes vniuntur Romæ. Tertius caſus eſt, ſi aliqua pars eſſentialis illius corporis exiſtentis Neapoli, corrumpatur. *Reſponſio.*

Si iuxta primum caſum intelligitur quæſitum, tunc dicendum eſt quod corrupta vnione corporis

Digitized by Google

exiſtentis Neapoli, corrumpitur corpus, vt totum eſt,tam Neapoli, quàm Romæ, quamnis partes,videlicet materia & forma, poſſint remanere in eodem loco.

8. Primus caſus huius tertij quæſiti.

Probatur primò, nam per corruptionem vnionis corrumpitur totum compoſitum, quia corrumpitur exiſtentia totius; vnio enim quamuis non ſit pars eſſentialis compoſiti, eſt tamen de conceptu compoſiti, non poteſt igitur compoſitum,quod eſt corruptum in vno loco,remanere in alio loco.

Probatur ſecundò, quia exiſtere in loco neceſſariò includit exiſtentiam corporis, quod exiſtit in loco; ergo ſi compoſitum verè deſtruitur in rerum natura ſecundùm eſſe ſubſtantiale, nullibi poteſt habere eſſe locale.

Probatur tertiò à ſimili, ſi corrumpitur vna pars eſſentialis, corrumpitur compoſitum vtrobique,vt mox infrà probabitur in tertio caſu; ergo etiam ſi corrumpatur vnio,quia ſicut partes ſunt eſſentia totius,ſic etiam vnio eſt de conceptu eſſentiali totius.

9. Secũdus caſus eiuſdem quæſiti.

Si verò quæſitum intelligatur iuxta ſecundum caſum, tunc dico, quòd ſi caſus eſt poſſibilis, conſequenter dicitur, quòd illud corpus corrumpatur in vno loco,& non in alio.

Probatur, quia illa vnio, quæ corrumpitur in vno loco, eſt diſtincta realiter ab vnione, quæ eſt in alio loco; poteſt igitur corpus, quod eſt in alio loco;remanere integrum, & vnitum ſecundùm ſuas partes per illam aliam vnionem.

Quòd verò poſſit vna vnio corrumpi in vno loco, & non in alio, ſuppoſito quòd ſint duæ vniones, probatur, quia Deus poteſt ceſſare à conſeruatione vnius vnionis,quæ eſt in vno loco,abſque eo, quòd ceſſet à conſeruatione alterius, quæ eſt in alio loco. Sed iſte caſus mihi videtur impoſſibilis, quia in hoc caſu ſupponitur, dari potiùs duas vniones diſtinctas realiter reſpectu eiuſdem compoſiti, & poſtea corrumpi vnam; eſt autem impoſſibile vt poſſint dari duæ vniones adæquatè in eodem compoſito,quia vna vnio eſt ſufficiens, & explet totam dependentiã compoſiti;fruſtra igitur, imò implicat dari aliam vnionem, quia deberet exercere actum vnionis, explendo dependentiam compoſiti; hoc autem implicat, quia per aliam vnionem iam eſt expleta,vt fuſiùs probabimus infrà in prædicamento Actionis.

10. Inſtantia.

Quòd ſi dicas, argumentum concludere, quando corpus non eſt replicatum in duobus locis; at in caſu propoſito non militat argumentum, quia, poteſt vnio eſſe in corpore, prout eſt in vno loco, & alia in eodem corpore, prout eſt in alio loco: Contra hoc eſt,quia,replicatio nihil facit,nam vnio eſt prior replicatione, habet igitur totum ſuum effectum ſeu totam ſuam rationẽ completam vniendi independentem à loco; quare ſi exercet ſuum munus in vno loco, neceſſariò etiam exercet in alio loco, nec poteſt in vno loco non exercere, & in alio loco exercere, vt dictum eſt in primo caſu; quòd ſi in vtroque loco vnio exerceat munus vniẽdi, iam idem compoſitum dependeret à duplici vnione adæquatè,quod implicat.

11. Tertius caſus eiuſdem tertij quæſiti.

Si verò intelligatur quæſitum iuxta tertium caſum, tunc dicendum eſt, quòd ſi vna pars eſſentialis corporis corrumpatur in vno loco, totum compoſitum corrumpetur vtrobique.

Probatur, quia pars eſſentialis compoſiti, quæ corrumpitur in vno loco,neceſſariò corrumpitur in vtroque loco, ergo deſtruitur vtrobique compoſitum,quia eſſentialiter debet includere vtrãque partem. Conſequẽtia eſt manifeſta; Antecedens eſt certum ex communi ſententia, vt mox infrà patebit in ſequenti quæſito.

12. Quæſitum quartum.

QVÆRES quartò,an ſi vna res annihiletur,vel corrumpatur in vno loco,corrumpatur vtrobique.

Prima reſponſio aliquorum.

Reſpondeo cum communi affirmatiuè, ſi ſermo eſt de potentia ordinaria Dei; Difficultas eſt an de potentia abſoluta Dei implicet contradictionem, rem, quæ corrumpitur in vno loco, tranſeundo de eſſe ſubſtantiali, ad non eſſe ſubſtantiale, non corrumpi in alio loco. Partem negatiuam tenent Gab. lect. 46. in can. & Soto diſt. 10. ar. 2. & nonnulli alij, & probant ex eo,quia iſtæ propoſitiones (corrumpi in vno loco, &, remanere in alio) non ſunt ex ſe contradictoriæ. Gabr. Sotus.

Secunda & verior reſpõſio.

Oppoſitum tamen dicendum eſt cum communi, quia quamuis non appareat manifeſta contradictio ex ipſis terminis,ſufficit vt ſit contradictio per manifeſtam conſequentiam.

13.

Quæ contradictio probatur ratione fundamentali; Certum eſt enim,quòd corpus exiſtens in duobus locis, habet ſuam entitatem intrinſecam ſubſtantialem vnam, & eandem numero vtrobique, quamuis habeat duo Vbi, quæ ſunt accidentia vnius, & eiuſdem corporis.

Hoc ſuppoſito quæro,quando dicitur corrumpi illud corpus in vno loco; vel dicitur corrumpi,quia corrumpitur Vbi tantùm,& tunc non corrumpitur ſecundùm ſuam entitatem intrinſecam, & ſecundùm eſſe ſubſtantiale, de qua corruptione loquimur;vel corrumpitur ſecundùm ſuam entitatem intrinſecam, ita vt verè tranſeat de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe ſubſtantiale,& cùm hæc entitas ſubſtantialis ſit vna numero, ſi corrumpitur in vno loco, corrumpitur in alio, quia eſt eadem omnino entitas numero vtrobique, non enim multiplicatur ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ſed tantùm replicatur ſecundum eſſe locale, quod eſt eſſe accidentale; contradictionem igitur inuoluit, ſi dicatur idem corpus corrumpi in vno loco, & non in alio,ſequitur enim quòd ſimpliciter idem corpus ſecundùm idem eſſe corrumperetur,& non corrumperetur.

14. Obiectio cõtra reſponſionem.

Quòd ſi dicas, poteſt Deus conſeruare illã entitatẽ ſubſtantialem Neapoli,& Romæ, duplici concurſu, poteſt igitur ceſſare Neapoli à libera conſeruatione, & non Romæ, ergo poteſt illud corpus corrumpi Neapoli,& non Romæ.

15. Solutio.

Reſpondetur, quicquid ſit an poſſit Deus idem corpus conſeruare duplici concurſu in duobus locis, quod infrà fusè explicabitur in ſequenti Corollario dubitatione tertia, dicendum adhuc eſt, quòd etiamſi concedatur hic duplex influxus, negatur tamen vltima conſequentia, quia etiam admittentes hunc duplicem concurſum, dicunt,quòd etiam ſi Deus ceſſet ab vno concurſu ſeu actione, qua conſeruabit corpus Neapoli, non tamen propterea corrumpitur ibi ſubſtantialiter corpus, quia ad deſitionem illius actionis, corpus non corrumpitur, non enim ex defecto vnius concurſus tranſit de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe; ad conſeruandum enim eſſe ſubſtantiale,eſt ſufficiens alter concurſus, quo conſeruabatur idem corpus Romæ; deſinit igitur tantùm per ceſſationem ab vno concurſu Vbi, ipſius corporis Neapoli; Et confirmatur,nam ſecundùm iſtos Doctores conſeruatur corpus Chriſti in Euchariſtia,& in cœlo,duplici concurſu ſubſtantiali, & tamen certum eſt, quòd quando corrumpuntur ſpecies Sacramentales Neapoli, ceſſat Deus ab illo concurſu, quo Neapoli conſeruabat corpus Chriſti in Euchariſtia, & tamen certum eſt, quòd corpus Chriſti ſubſtantialiter non corrumpitur propter

Digitized by Google

propter ceſſationem ab illo concurſu, non enim corpus Chriſti deſinit eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ita vt tranſeat de eſſe ſubſtantiali ad non eſſe, tantùm igitur ex ceſſatione illius concurſus amittit illud Vbi, quod habebat in Euchariſtia.

16. *Quintum quæſitum.* QVÆRES quintò, an corpus conſtitutum Neapoli, & Romæ, poſſit naturaliter moueri ſimul in vtroque loco.

Reſpondeo certum eſſe, vt patet ex initio tertiæ dubitationis, non eſſe neceſſe vt ſi idem corpus replicatum moueatur in vno loco, moueatur in alio; ſed difficultas eſt, an dum res mouetur in vno loco, poſſit moueri in alio loco.

17. *Prima reſponſio aliorum.* Ad quam difficultatem reſpondent aliqui, hoc naturaliter fieri non poſſe, quia corpus naturaliter non eſt receptiuum duorum Vbi, ac propterea ſicut non poteſt naturaliter replicari in duobus locis propter rationem aſſignatam, ita nec replicatum moueri naturaliter in duobus locis, nec in vno quieſcere, & in alio moueri.

18. Sicut à ſimili, ſi per diuinam potentiam eſſent duæ formæ in vna materia, non poſſet agens naturale, corrupta vna forma, producere aliam in eadem materia, quia tunc eſſent duæ formæ in eadem materia, quod implicat naturaliter; ita ſimiliter ad ſolam Dei potentiam pertinet ponere duo Vbi in vno corpore, & ad eandem illa conſeruare; non poteſt igitur corrupto vno Vbi, agens naturale producere in eodem corpore aliud Vbi.

19. *Secunda reſponſio vera.* Reſpondetur ſecundò ad difficultatem, & veriùs, quòd quicquid ſit, an poſſit agens naturale hoc facere, dico tamen quod ſuppoſito primo miraculo replicationis corporis in diuerſis locis, debetur agenti naturali connaturaliter ille maior concurſus Dei ad conſeruandum plura Vbi ſucceſſiua; connaturaliter enim petit illud corpus replicatum poſſe moueri; vnde patet, non eſſe ſimile exemplum allatum de materia informata duabus formis; ſi enim corrumpatur vna forma, non propterea eſt neceſſe vt producatur altera, quia materia cum vna forma remanet ſecundùm eſſe connaturale; at verò ſuppoſito quòd corpus ſit replicatum connaturaliter, petit vt poſſit, vbicunque eſt, moueri, ac proinde fit vt debeatur connaturaliter agenti naturali maior concurſus ad producendum plura Vbi; Ex dictis ergo colligitur, corpus Chriſti exiſtens in duabus hoſtiis, quando mouetur, connaturaliter moueri ſimul in pluribus locis, & præterea connaturaliter moueri poſſe in cœlo, & in hoſtia.

20. *Dubia circa actiones vitales.* Reſtat nunc videndum, an eodem modo philoſophandum ſit de qualitatibus ſeu actionibus vitalibus, ſicut philoſophatum eſt de aliis formis.

21. *Sextũ quæſitum.* SEXTO igitur quæres, an homo exiſtens in duobus locis, viſionem ſeu auditionem, ſeu aliam ſenſationem exteriorem, quam habet in vno loco, habeat etiam in alio loco.

Prima reſponſio aliorum. Reſpondent aliqui negatiuè, quia viſio & aliæ huiuſmodi ſenſationes pendent à ſpecie intentionali, quæ quidem pendet in fieri, & in conſeruari ab obiecto, quod eſt in vno loco, & non in alio.

22. *Secunda & maior reſponſio.* Secundò probant, quia ſi homo exiſtat in vno loco tantùm, & moueatur in alium locum diſtantem, non haberet huiuſmodi ſenſationes, ergo nec habebit replicatus, quia diſtat ab obiecto.

Sed oppoſitum reſpondendum eſt ex dictis; & ratio eſt, quia huiuſmodi ſenſationes non habent aliud Vbi, præter Vbi ſubiecti, ergo naturaliter & neceſſariò replicatur vbicumque eſt ſubiectum, vt dictum eſt de cæteris accidentibus.

23. Ad primum argumentum in oppoſitum reſpondetur, quòd quamuis ſpecies intentionalis pendeat in fieri, & in conſeruari ab extrinſeca præſentia obiecti, tamen ſuppoſita illa præſentia in vno loco, iam ſpecies quæ recipitur in corpore in vno loco, eſt in alio, quia non habet aliud Vbi præter Vbi ſubiecti; vbicatur igitur vbicumque eſt ſubiectum.

Ad ſecundum reſpondetur, eſſe manifeſtam diſparitatem, quia cùm homo exiſtens in vno loco, habet viſionem, ſi moueatur, iam tollitur præſentia obiecti, à quo dependet ſpecies intentionalis, & conſequenter deſtruitur viſio; at verò nos ſupponimus, quòd quando homo exiſtit in duobus locis, videat in vno loco, in quo habet præſentiam obiecti; quòd ſi in vno loco tollatur præſentia obiecti, corrumpitur ſpecies intentionalis, & conſequenter viſio in vtroque loco. 24.

DVBIVM hîc occurrit de corpore Chriſti, an corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, habeat viſionem, & alios actus vitales, quos exercet in cœlo; Et ratio peculiaris dubitandi de corpore Chriſti eſt, quia ad videndum requiritur extenſio localis; at Chriſtus in Sacramento eſt modo indiuiſibili; ergo, &c. 25. *Quid dicendum de corpore Chriſti.*

Reſpondetur, & dico primò cum communi ſcholaſticorum, certum eſſe Chriſtum in Sacramento habere viſionem quam habet in cœlo, & per illam videre, ita etiam dicendum de reliquis actibus vitalibus, hoc enim ſpectat ad dignitatem Chriſti; dubitatur tamen an habeat ſupernaturaliter vel naturaliter, ſuppoſito miraculo de replicatione corporis indiuiſibiliter, ad quod

Reſpondeo, & dico ſecundò cum communi contra Maiorem, habere viſionem connaturaliter, & neceſſariò, ſuppoſito primo miraculo replicationis, quia huiuſmodi actiones vitales ſunt accidentia abſoluta à loco, ergo replicantur neceſſariò ad replicationem corporis, quia non habent aliud Vbi, quàm Vbi corporis; exiſtunt igitur per neceſſitatem ſequelam in eo loco, in quo eſt corpus Chriſti, & eo modo, quo eſt corpus Chriſti indiuiſibiliter, quia per illud met Vbi corporis Chriſti, ipſa accidentia vitalia vbicantur, vt ſuprà dictum eſt in ſecunda quæſtione de aliis accidentibus. 26. *Maior.*

Ad rationem dubitandi reſpondetur, per illam ſolùm probari, quòd corpus replicatum indiuiſibiliter in vno loco, non poſſit immutari ab obiecto, quod ibi eſt, non autem quòd non poſſit habere viſionem, quam idem corpus habet in alio loco, vbi eſt diuiſibiliter, & ſic eſt in caſu de corpore Chriſti.

SEPTIMO quæres, an homo exiſtens in duobus locis, ſi habeat intellectionem, & volitionem in vno loco, habeat etiam in alio loco, in quo repræſentatur Deus vt nociuus. 27. *Septimum quæſitum.*

Reſpondetur affirmatiuè, patet ex ſuperiori quæſito; Et ratio multò magis militat hic, quia cùm intellectio, & volitio, & aliæ ſenſationes interiores non pendeant ex obiecto extrinſeco, ſicut pendet viſio exterior; fit vt etiam ſi concedatur, quòd homo habens viſionem in vno loco, non habeat in alio, non tamen propterea negandum ſit, quòd intellectionem, & ſenſationem interiorem non habeat homo replicatus in vtroque loco. *Reſponſio.*

Hinc vlteriùs fit, vt ſit impoſſibile, quòd homo in vno loco diligat Deum, & in alio odio habeat, quia cùm diligere, & odio habere, ſint actiones interiores, ſi diligit in vno loco, diligit in alio, & ſi odio habet in vno, odio habet in alio; in iſto igitur caſu philoſophandum eſt, ac ſi homo in eodem loco haberet cognitionem de Deo, quòd ſit aman- *Vtrũ homo replicatus in duobus locis, poſſit in vno diligere Deũ, & in alio odio habere.*

Digitized by Google

dus,& alias à cognitionem quòd ſit odio habendus; tunc enim homo ex ſui libertate eligeret vel amare Deum,vel odio habere.

28. Octauum quæſitum. OCTAVO quæres, an homo exiſtens in duobus locis, poſſit in vno ſecundùm potentiam Dei abſolutam eſſe in gratia,& in alio eſſe in peccato mortali.

Reſpondetur ex dictis, hoc fieri non poſſe, ſaltem ſecundùm potentiam Dei ordinariam, quia, vt probatum eſt, implicat ſaltem naturaliter, vt accidens abſolutum realiter diſtinctum,quod eſt inhærens in homine in vno loco, non ſit in eodem homine exiſtenti in alio loco; Suppono præterea ex materia de gratia,vt probabimus infrà, in prædicamento Qualitatis,non poſſe ſimul ſtare gratiam, & peccatum.

29. Qui verò tenent, per potentiam abſolutam Dei poſſe ſimul ſtare gratiam, & peccatum, in homine exiſtente in vno tantùm loco; congruenter dicunt poſſe eſſe gratiam in vno homine exiſtente in vno loco, & peccatum mortale in eodem homine exiſtente in alio loco. Sed quidquid ſit de hoc; nunquam tamen mihi videtur concedendum, quòd ſit amatus à Deo, prout eſt in vno loco, & odio habitus, prout eſt in alio loco, quia Deus amat ipſum eſſe hominis, quod eſt vnum, & idem in vtroque loco, ſicut in ſimili ſuprà diximus non poſſe vnam, & eandem rem in vno loco corrúpi ſecundùm eſſe ſubſtantiale,& non corrumpi in alio loco ſecundùm idem eſſe ſubſtantiale.

30. Nonũ quæſitum. NONO quæres,an homo replicatus poſſit in vno loco eſſe beatus,& in alio loco damnatus.

Reſponſio aliquorum. Reſpondent aliqui, quòd ſi ſermo eſt de pœna damni,implicat,quòd homo in vno loco ſit beatus, & in alio loco damnatus, ita vt careat beatitudine, quia beatitudo, vt ſic, & damnatio, opponuntur priuatiuè, quæ quidem oppoſitio inuoluit contradictionem in eodem ſubiecto; ſi verò damnatio dicit pœnam ſenſus, dicunt non implicare, quia non habet oppoſitionem priuatio cum beatitudine.

Sed dicendum eſt, quòd ſi accidentia abſoluta à loco,replicentur ſimul cum corpore,(quod quidem neceſſariò ſaltem naturaliter contingere oſtendimus ſuprà in præcedenti dubitatione, quia cùm non habeant aliud Vbi, quàm Vbi ſubiecti, neceſſariò trahuntur ad Vbi ſubiecti) tunc dicendum eſt, implicare etiam per potentiam Dei abſolutam, quòd homo replicatus in duobus locis, in vno loco ſit beatus, & in alio damnatus; Et quidem ſi damnatio dicat pœnam damni, tunc certum eſt, quia in vno & eodem loco eſſet beatus, & damnatus; quia pœna damni replicaretur in vtroque loco; ſi verè damnatio dicat pœnam ſenſus, tunc maior eſt difficultas, quia non videtur repugnare, poſſe ſtare pœnam ſenſus cum viſione beatifica.

Sed dicendum eſt, quòd ſi beatitudo accipiatur, vt dicit aggregationem omnium bonorum, tunc impoſſibile eſt,vt homo replicatus poſſit in vno loco eſſe beatus,& in alio habere pœnam ſenſus,quia illa pœna ſenſus adhuc eſſet in homine exiſtente in alio loco, vt ſupponitur ex dictis; eſſet ergò homo in eodem loco beatus, habens aggregationem omnium bonorum,& ſimul miſer,quod implicat.

31. Si verò beatitudo accipiatur præciſè, vt dicit eſſentialiter viſionem Dei,tunc dicendum eſt,quòd ſicut non repugnat per diuinam potentiam, quòd homo exiſtens in vno loco, ſit videns Deum, & conſequenter beatus beatitudine eſſentiali,& ſimul ſit miſer miſeria accidentali, multò minùs non repugnabit, quòd in vno loco ſit videns Deum, & beatus beatitudine eſſentiali, & in alio loco ſit miſer miſeria accidentali.

Si verò teneatur aliquorum opinio, quòd accidentia abſoluta à loco poſſint eſſe in corpore exiſtente in vno loco, & non eſſe in eodem exiſtente in alio loco, tunc dicendũ eſſet, conſequenter iuxta hanc opinionem, quòd beatitudo etiam vt dicit aggregationem omnium bonorum, poſſit eſſe in homine exiſtente in vno loco, & damnatio ſiue dicat priuationem beatitudinis, ſiue dicat pœnam ſenſus,eſſe in eodem homine exiſtente in alio loco, quia tunc iſtæ formæ non eſſent oppoſitæ, quia non eſſent reſpectu eiuſdem loci;ita etiam ſimiliter iuxta hanc opinionem dicendum eſt, quòd poſſit aër replicatus in duobus locis, eſſe in vno loco lucidus,& in alio tenebroſus. 32.

DECIMO quæres, an animal quod augetur Neapoli,augeatur Romæ. 33. Decimum quæſitum.

Reſpondeo, ſi augmentum conſideretur quatenus inuoluit motum localem, aut contactum quantitatiuum,non poteſt hoc argumentum eſſe in duobus locis naturaliter, ſicut à ſimili ignis,qui ex augmento alterius ignis augetur Romæ, non augetur Neapoli, & aqua exiſtens Romæ & Neapoli,ſi continuatur Neapoli cum alia aqua, non propterea continuatur Romæ;Et ratio eſt,quia ſiue aqua, ſiue cibus,qui applicatur corpori exiſtenti Neapoli, deberet per aliquam actionem adductiuam ferri in locum Romæ, in quo eſt replicatum idem corpus, hoc autem eſt ſupra virtutem agentis naturalis, præſertim cùm iſta actio adductiua deberet fieri in inſtanti. Reſponſio.

Dices,ſicut accidens,ver.gr.calor applicatus animali exiſtenti Neapoli, ſtatim trahitur ad locum Romæ, in quo idem animal eſt replicatum, vt ſupponitur ex dictis, ergo idem ſimiliter poteſt dici de cibo, & de aqua,&c.

Reſpondetur,eſſe diſparem rationem, nam ideo calor, qui applicatur animali exiſtenti Neapoli, replicatur Romæ, vbi exiſtit idem animal replicatum, quia ſupponimus ex dictis, quòd calor & reliqua accidentia non habent Vbi, diſtinctum ab Vbi ſubiecti; at verò cibus applicatus animali, habet Vbi,diſtinctum realiter ab Vbi ipſius animalis, eſt enim aliud corpus quantum; non ergo per neceſſariam ſequelam replicatur ad replicationem animalis,ſed requiritur noua actio adductiua, quæ, vt dictum eſt,eſt ſupra vires agentis naturalis.

Si verò augmentum animalis conſideretur, quatenus eſt actio vitalis, tunc dicendum eſt contra Scotum in 4.diſt.10.quæſt.7.quòd auctio, & nutritio, quæ ſunt actiones vitales, fient tantùm in vno loco, nempe Neapoli,vbi applicatus eſt cibus. 34. Scotus.

Et ratio eſt, quia cùm cibus, vt probatum eſt, ſit naturaliter tantùm in vno loco,& non in alio, conſequenter fit, vt animal ex vi caloris naturalis, conuertat illum cibum in ſuam ſubſtantiam in vno loco, & non in alio, ac proinde nutriatur, & augeatur in vno loco,& non in alio. 35.

Fundamentum autem Scoti falſum eſt, ſupponit enim, cibum ex vi augmentationis transferri in alium locum, vbi animal eſt replicatum; Sed hoc fieri non poſſe, paulò ſuperiùs oſtendimus in hoc eodem decimo quæſito.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA THEOLOGICA CIRCA TERTIVM COROLLARIVM.

De tranſubſtantiatione, ſeu conuerſione totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ dicitur tranſubſtantiatio.

Examinatur hoc in loco, hæc quæſtio de tranſubſtantiatione, ad videndum, quomodo cohæreat præſentia Sacramentalis corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quæ fit, vt ſuprà oſtenſum eſt, per vnionem accidentalem, cum conuerſione ſubſtantiali, ſeu tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti, &c.

Pro intelligentia autem huius quæſtionis pono octo dubitationes.

I. *Quæ requirantur ad conuerſionem ſubſtantialem.*

II. *An conuerſio panis in corpus Chriſti, ſit accidentalis per ſolam actionem adductiuam.*

III. *An per tranſubſtantiationem corpus Chriſti efficiatur ſubſtantialiter noua actione ſub ſpeciebus.*

IV. *Vtrùm ex ſola deſitione ſubſtantiæ panis, hæc conuerſio dici poſſit ſubſtantialis, & propriè tranſubſtantiatio.*

V. *An aliqua realitas panis remaneat ſimul cum corpore Chriſti, & faciat vnum cum illo.*

VI. *In qua confutatis iam in præcedentibus dubitationibus aliis opinionibus, oſtenditur, quòd tranſubſtantiatio ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, rectè ſaluatur, ex eo præcisè, quia corpus Chriſti ex vi verborum vniatur cum accidentibus loco ſubſtantiæ panis, ſuſtentando efficienter ipſa accidentia, quæ priùs ſuſtentabantur à pane in genere cauſæ materialis.*

VII. *An deſitio panis ſit annihilatio.*

VIII. *Quæ conſtituantur ex vi verborum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, in qua examinantur ſex difficultates.*

PRIMA DVBITATIO.

Quæ requirantur ad conuerſionem ſubſtantialem.

1. Definitio conuerſionis ſubſtantialis. CONVERSIO ſubſtantialis diffinitur à S. Thoma in 3. part. quæſt. 75. art. 4. quòd ſit deſitio rei ex poſitione alterius ipſi incompoſſibilis; & lib. 4. contra Gentes c. 63. definitur, quòd ſit ſubſtantialis quædam ſucceſſio; hanc autem duplicem definitionem colligit S. Thom. tum ex Philoſopho, tum ex Patribus mox infrà citandis. [S.] Thom.

Ex hac autem definitione communiter recepta à Philoſophis, & Scholaſticis, colliguntur ſex requiſita ad conuerſionem ſubſtantialem.

1. Primum requiſitum ad conuerſionē ſubſtantialē. Primum requiſitum eſt, quòd ſit deſitio vnius ſubſtantiæ, quæ conuertitur, & poſitio alterius, in quam conuertitur; Et hinc benè deducit S. Auguſtinus 1. de Trinit. cap. 7. in fine, per incarnationem diuinitatem non fuiſſe conuerſam in creaturam, quia diuinitas non deſinit eſſe; Benè etiam deducit S. Cyrillus epiſt. 2. ad Succeſſ. Verbum non fuiſſe conuerſum in ſubſiſtentiam humanam, quia Verbum non deſiit eſſe; Hinc etiam deducunt alij, quòd quando Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus panis, non poteſt dici, quòd Chriſtus conuertitur in rem, quæ de nouo generatur ſub illis accidentibus, nam quamuis Chriſtus deſinat eſſe ſub illis accidentibus, non tamen deſinit eſſe ſimpliciter ſecundum eſſe ſubſtantiale in rerum natura. Auguſt. Cyrill.

2. Secundum requiſitum. Secundò requiritur, vt deſitio termini à quo, oriatur ex poſitione termini ad quem, nulla enim alia ratione terminus à quo, dicitur conuerti in illum terminum ad quem, qui ſuccedit, potiùs, quam in aliam rem, quæ in eodem inſtanti produceretur à Deo, vel ab agente naturali ſub eiſdem accidentibus, niſi quia ex poſitione illius termini ad quem, oritur deſitio alterius ſubſtantiæ.

Quòd ſi obiicias, forma ligni expellitur per diſpoſitiones contrarias priùs natura, quàm producatur forma ignis, ergo deſtructio termini à quo, ſeu ligni, non oritur ex poſitione ignis, qui eſt terminus ad quem.

Digitized by Google

4. Reſpondetur quòd forma ligni deſtruitur ex vi diſpoſitionum contrariarum in genere cauſæ materialis, & mediatè; quatenus diſpoſitiones ignis, immediatè excludunt diſpoſitiones ligni, ac proinde deſtruitur forma ligni, quia non poteſt conſeruari ſine ſuis diſpoſitionibus; immediatè autem & in genere cauſæ formalis, forma ligni expellitur per formam ignis, ac propterea bene Philoſophi dicunt, ignem non ſolùm fieri ex non igne, ſed ex ligno, tamquam termino à quo poſitiuo.

5. *Tertium requiſitum.* Tertiò requiritur, vt ſit vnum commune, vtrique termino; Et ratio eſt clara, nam incompoſſibilia inter ſe, ſunt ſolùm illa, quæ ab eodem ſe expellunt; debent igitur in aliquo tertio ſucceſſiuè contineri. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, nam repugnantia, & incompoſſibilitas termini ad quem, cum termino à quo, non poteſt eſſe immediata, non enim poteſt vna res immediatè aliam deſtruere, niſi priùs illam conſeruet; Quòd ſi non conſeruet, non poteſt illam aliter deſtruere, niſi quia eſt incompoſſibilis cum illa re in eodem ſubiecto, propter oppoſitionem, quam habet cum illa, vel ſi non habet oppoſitionem, deſinit ſaltem vna res eſſe per poſitionem alterius; ex eo, quia materia prima, quæ eſt commune ſubiectum, non eſt capax vtriuſque, ſicut ſi Deus in materia prima habente octo gradus caloris, produceret nonum, ſtatim materia prima deſinet ſuſtentare primum gradum; non quia nonus gradus habeat oppoſitionem cum primo, ſed quia materia prima habet potentiam limitatam ad ſuſtentandum octo gradus tantùm qualitatis.

6. Quòd ſi contra hanc probationem Antecedentis inſtes; Statuat Deus non conſeruare vnam rem, quando alia producitur, tunc in hoc caſu incompoſſibilitas vnius rei cum alia eſt immediata; Reſpondetur quòd in tali caſu non dicitur vna res conuerti in aliam verè, & phyſicè, conuerſio enim phyſica, de qua loquimur, dicit exigentiam connaturalem, vt Deus ex poſitione vnius termini deſtruat alium; at verò in illo caſu deſtructio vnius procederet ex libera voluntate Dei, & dici ſolet conuerſio moralis potiùs, quàm phyſica.

7. *Quartum requiſitum.* Quartò requiritur ad conuerſionem ſubſtantialem, vt non ſolùm terminus à quo, ſit ſubſtantialis, ſed etiam terminus ad quem, vt communiter tenent ſcholaſtici in 4. diſt. 11. & S. Thom. 4. contra Gentes cap. 38. *S. Thom.*

Probatur primò, quia hic eſt, qui primariò intenditur. Secundò, quia terminus à quo non deſinit, niſi ex vi alterius, in quem conuertitur, ergo conuerſio reſpicit non ſolùm terminum à quo, ſed præcipuè terminum ad quem. Tertiò, A quo habet conuerſio, vt ſit conuerſio, ab eodem habet, vt ſit talis conuerſio; ſed à mutatione termini à quo, & mutatione termini ad quem, habet vt ſit conuerſio, ergo ab vtroque termino habet, vt ſit talis conuerſio, ſcilicet ſubſtantialis. Quartò, quia actio, per quam fit conuerſio, recipitur in termino ad quem, & cum illo identificatur, & ab illo præcipuè ſpecificatur, potiùs quàm termino à quo, qui deſtruitur; ſi ergo terminus à quo, debet eſſe ſubſtantialis, & ſubſtantialiter deſinere, vt omnes concedunt, multò magis terminus ad quem. Quintò probatur ex Patribus, qui conuerſionem ſubſtantialem illam vocant, quando terminus, in quem fit conuerſio, eſt ſubſtantialis; Ita Patres Gen. 1. & Exod. 4. & 5. & Nazian. tract. de fide, Ambroſ. 4. de Sacram. cap. 4. & 9. & Auguſt. 3. de Ciuit. cap. 2. & 5. & quamuis aliqui loquantur de conuerſione ſupernaturali vxoris Loth, in petram ſalis, idem tamen dicendum eſt de conuerſione naturali, nam vt docet S. Thom. in 4. diſtinct. 11. quæſt. 13. art. 1. quæſtiuncula 1. conuerſio naturalis; & ſupernaturalis non differunt niſi in modo. *Nazian. Ambroſ. Auguſt. S. Thom.*

8. *Quintum requiſitum.* Quintò requiritur ad conuerſionem ſubſtantialem, vt terminus à quo ſit poſitiuus, & realis, ſed etiam terminus à quo, nam quamuis generatio ſubſtantialis, poſſit fieri à termino à quo, priuatiuo tantùm, vt ſi ex materia nuda, produceretur per diuinam potentiam ignis; tunc enim ex non igne fieret ignis; conuerſio tamen ſubſtantialis requirit terminum à quo poſitiuum, & realem; quia debet ex vi conuerſionis deſinere; quod autem propriè deſinit, eſt poſitiuum, & reale.

9. *Sextum requiſitum.* Sextum requiſitum eſt, vt terminus ad quem conuerſionis, ſit capax alicuius mutationis, per quam ipſe terminus, vel ſimpliciter incipiat eſſe in rerum natura, vel ſaltem incipiat eſſe, ſecundùm aliquam nouam rationem ſubſtantialem, de nouo aduenientem ex illa mutatione ipſi termino, incompoſſibilem, cum termino à quo; Exempli gratia, quando lignum conuertitur in ignem, ignis per illam actionem incipit eſſe in rerum natura, ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale ignis, quod producitur per illam actionem; At verò ſi ſupponeretur, animas rationales fuiſſe creatas ab æterno, tunc cùm ex embryone fit homo, anima ratiolis, quæ eſt terminus ad quem, non incipit per illam mutationem, ſeu generationem eſſe in rerum natura, ſed tantùm acquirit nouam rationem ſubſtantialem in ſubiecto, fit enim per illam mutationem actus primus corporis, & per hoc expellitur forma embryonis.

Quòd verò requiratur, vt terminus ad quem, ſit capax alicuius mutationis, probatur, quia neceſſariò ad conuerſionem ſemper requiritur aliqua actio, nam conuerſio, eſt transmutatio vnius rei in aliam; eſt ergo actus actiui, vt actiuum eſt; hoc eſt vt potens conuertere vi ſua vnum in aliud; hoc autem actiuum reducitur ad actum ſecundum per aliquam actionem; Quæro enim, quare priùs non expellebatur à ſubiecto forma ligni? Certè non poteſt aliter reſponderi, niſi quia non erat in materia ligni forma oppoſita; quare ad hoc, vt forma ligni expellatur, debet per aliquam actionem, vel produci forma ignis in ligno, vel ſi forma ſupponatur præexiſtens, debet ſaltem per aliquam actionem vniri cum materia ligni, ad hoc, vt fiat potens expellere in actu ſecundo ab eodem ſubiecto, formam ligni ſibi oppoſitam; Concluditur ergo, quòd terminus ad quem conuerſionis, neceſſariò debet eſſe capax alicuius mutationis, vt ſuprà dictum eſt.

10. *Explicatur meliùs ſextum requiſitum.* Quæres tamen hic vnum, an iſta mutatio neceſſariò debeat eſſe ſubſtãtialis, & intrinſeca in ipſo termino ad quem; vel ſufficiat mutatio extrinſeca, & accidentalis.

Reſpondetur, ſi per illam mutationem terminus ad quem, incipit eſſe in rerum natura, tunc neceſſariò illa actio eſt intrinſeca, & ſubſtantialis, identificatur enim cum termino producto ſubſtantiali, & ab illo ſpecificatur; ſi verò per illam mutationem terminus ad quem, non incipit eſſe in rerum natura, ſed recipit tantùm nouam rationem ſubſtantialem in ſubiecto, per quam expellere poſſit formam oppoſitam, tunc recentiores aliqui dicunt, & colligunt ex Sancto Thoma 3. p. q. 75. art. 4. non eſſe neceſſe, vt iſta mutatio ſit neceſſariò ſubſtantialis, & intrinſeca ipſi termino, ſed ſatis eſt, vel ſaltem non repugnat, ſi ſit extrinſeca, & accidentalis; Exempli gratia, inquiunt, in reſurrectione, non produ- *S. Thom.*

Digitized by Google

producitur de nouo anima rationalis, neque vnio ſubſtantialis iuxta aliquorum ſcholaſticorum opinionem, qui negant, dari vnionem diſtinctam à parte rei ab extremis; producuntur igitur ſolùm diſpoſitiones in corpore, quæ exigunt connaturaliter animam in ipſo corpore, & per hanc habitudinem nouam, quam habet anima ad corpus, fit anima actus primus corporis, & ſufficiens principium ſubſtantiale, ad eliciendas operationes, & per hoc fit ſufficiens ad expellendam formaliter formam oppoſitam à ſubiecto, & tamen iuxta hanc opinionem nulla mutatio intrinſeca, & ſubſtantialis eſt in anima rationali, quæ eſt terminus ad quem; ſed tantùm eſt mutatio accidentalis reſpectu diſpoſitionum. Idem etiam dicendum eſſet, ſi anima rationalis fuiſſet creata ab æterno, & per diſpoſitiones factas de nouo adduceretur ad corpus; & quamuis in iſtis caſibus fiat de nouo compoſitum ſubſtantiale, non tamen fit per aliquam mutationem intrinſecam in ipſa anima rationali, expellente formaliter formam oppoſitam, ſed per productionem accidentalem diſpoſitionum in ipſa materia, ſuppoſita illa opinione.

Reſpõſiones ad varia quæſita quæ deriuantur ex dictis. Ex dictis habentur reſponſiones ad multa quæſita, quæ circa hanc materiam fieri ſolent.

Primò quæres an quodlibet ens creatum conuerti poſſit in quamlibet aliam creaturam?

11. Primũ quæſitum. Reſponſio. S. Thomas. Riccardus. Paludanus. Reſpondetur cum S. Thom. cap. 31. negatiuè contra Riccardum, Paludanum, & nonnullos alios in 4. Probatur ratione eiuſdem S. Thomæ, Non, inquit, poteſt lignum conuerti in albedinem, quia non poteſt deſinere ex vi albedinis; hoc autem requiritur ad veram conuerſionem, vt patet ex ſecundo requiſito; non ergo quodlibet ens creatum poteſt conuerti in quodlibet ens creatum.

12. Secundum quæſitum. Secundò quæres, an poſſit aliquid conuerti in Deum?

Reſponſio. Cyrillus. Reſpondetur negatiuè; Ita Cyrillus epiſt. 1. ad Succeſſ. Ratio eſt eiuſdem Cyrilli, quia Deus eſt omnino immutabilis; non poteſt igitur aliquam mutationem ſuſcipere in ſe, & tamen hoc eſt vnum ex requiſitis, vt patet ex ſexto requiſito.

13. Tertiũ quæſitum. Tertiò quæres, an pars poſſit conuerti in totum?

Reſponſio. Maior. Reſpondetur cum Maiore in 4. diſt. 11. quæſt. 1. negatiuè, nam exiſtentia partis non poteſt deſinere ex aduentu totius, ſed potiùs eſt neceſſaria ad illius exiſtentiam; ſimiliter nec vnum relatum poteſt conuerti in aliud correlatiuum, quia non poteſt deſinere per aduentum ipſius, imò exigit exiſtentiam illius; ad conuerſionem autem requiritur, vt terminus qui conuertitur, deſinat eſſe, vt patet ex primo requiſito.

Quartum quæſitum. Quartò quæres, an quodlibet corpus corruptibile poſſit conuerti in quodlibet corpus corruptibile, per conuerſionem formalem, quæ fit per tranſmutationem formarum.

Reſponſio. Reſpondetur affirmatiuè, eſt enim vna forma incompoſſibilis alteri, & proinde vna forma deſinit ex aduentu alterius de nouo aduenientis, vt patet in primo & ſecundo requiſito.

14. Quintum quæſitum. Quintò quæres, an corpus poſſit conuerti in ſpiritum?

Reſponſio. Reſpondetur affirmatiuè, quia poteſt ſpiritus poni ſub accidentibus corporis, & eleuari à Deo ad ſuſtentandum illa accidentia, ac proinde illa ſubſtantia corporea deſinet, quia non poteſt ampliùs ſuſtentare ſua accidentia ſaltem naturaliter, vnus enim effectus non poteſt procedere à duabus cauſis totalibus.

An autem poſſit fieri conuerſio ſpiritus in cor-

A pus, maior eſt difficultas, quia quamuis corpus ponatur ſub accidentibus ſpiritus, & ſuſtentaret illa, non tamen propterea deſtrueretur ſpiritus, quia non pendet ab accidentibus, niſi dicatur, quòd Deus poteſt inſtituere verba ſimilia verbis conſecrationis, quæ poſtularent deſitionem ſubſtantiæ ſpiritualis, ſicut poſtulant modò verba conſecrationis deſitionem panis; ſed tunc, vt dicemus infrà, non eſſet propria conuerſio ſpiritus in corpus, quia terminus adueniens, nempe corpus, non haberet vim in ſe expellendi alium terminum, nempe ſpiritum, quia quamuis eleuaretur corpus ad ſuſtentandum accidentia ſpiritus, adhuc, vt dictum eſt, non corrumperetur ſpiritus, quia ſpiritus non dependet ſe-

B cundùm eſſe ſubſtantiale ab illis accidentibus, ſicut dependet ſubſtantia panis à ſuis diſpoſitionibus; ſolùm igitur poſſet eſſe annihilatio illius termini, nempe ſpiritus, per liberam ſubtractionem concurſus Dei, quia ita liberè ſtatuit, quare potiùs eſſet moralis quædam conuerſio, quàm phyſica.

Ex dictis patet, quid dicendum ſit de tranſub- 15. Quid ſit trãſubſtãtiatio, & quomodo differat à cõuerſione ſubſtantiali.
ſtantiatione, cuiuſmodi eſt panis in corpus Chriſti; dicendum eſt enim, quòd cùm tranſubſtantiatio includat conuerſionem ſubſtantialem tanquam genus, ſequitur vt omnes illæ conditiones, quas diximus requiri ad conuerſionem ſubſtantialem, requirantur ad tranſubſtantiationem, & vlteriùs requiritur, vt tranſubſtantiatio ſit conuerſio totalis, hoc

C eſt, ex non præſuppoſito ſubiecto, ſed totius ſubſtantiæ vnius termini in ſubſtantiam alterius. Et per hoc differt à conuerſione naturali, quia conuerſio naturalis, eſt tranſubſtantiatio formalis in formam, ex præſuppoſito ſubiecto; Et ideo potiùs dicitur transformatio: Differt præterea à creatione, quia creatio eſt ex nihilo, atque adeò ex termino omnino negatiuo; at tranſubſtantiatio eſt ex termino poſitiuo: Differt etiam à conuerſione accidentis in ſubſtantiam, aut ſubſtantiæ in accidens, quia tranſubſtantiatio eſt ſubſtantiæ in ſubſtantiam.

SECVNDA DVBITATIO.

D *An conuerſio panis in corpus Chriſti ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, per ſolam actionem adductiuam.*

CERTVM eſt, actionem qua Chriſti cor- 1.
pus ponitur ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eſſe ſubſtantialem, in eo ſenſu, quatenus per eam ponitur ſubſtantia corporis Chriſti ſub ſpeciebus; Sed quod controuertitur, eſt, an id quod fit formaliter per hanc actionem, ſit aliquid ſubſtantiale, à quo formaliter denominetur actio ſubſtantialis.

PRIMA ſententia tenet, actionem eſſe accidenta- 2. Prima ſententia.
E lem, & adductiuam corporis Chriſti, ſub ſpeciebus; Ita tenet Scot. in 4. diſt. 11. quæſt. 3. & diſt. 10. quæſt. 1. §. quantùm ergo ad iſtud argumentum. Idem tenuit ante Scotum S. Bonauentura in 4. diſt. Scot. Bonau.
11. p. 1. diſt. quæſt. 1. & art. 2. quæſt. 1. & poſt Scotum Maior in 4. diſt. 11. quæſt. 1. Ocham q. 6. Maior.
Marſil. quæſt. 8. artic. 2. concluſ. 7. & 8. Ad hanc Ocham. Marſil.
etiam accedit Palud. in 4. diſt. 11. quæſtione 3. art. Paludan.
2. ad ſecundum. Citatur etiam Capreol. ibidem ad Capreol.
ſecundum Durandi, ſed immeritò, vt mox infrà oſtendetur. Addit tamen Scotus in 4. diſt. 10. quæ- Scot.
ſtione 4. verba conſecrationis eſſe productiua corporis Chriſti, quatenus ſunt apta in actu primo, ad producendum ipſum corpus Chriſti, ſi non exiſteret,

Digitized by Google

ret, & verba illa exiſterent, quia verò corpus Chriſti exiſtit, ideo ipſa verba non producunt in actu ſecundo corpus Chriſti, ſed tantùm adducunt.

3. Fundamentum huius ſententiæ. Fundamentum huius ſententiæ ex Scoto illud eſt, quia aut hæc actio eſt productiua, aut adductiua; non poteſt eſſe productiua, quia hæc non poteſt terminari ad rem præexiſtentem, cuiuſmodi eſt corpus Chriſti, ergo eſt adductiua, per quam corpus Chriſti acquirit nouam præſentiam localem ſub ſpeciebus, ſeu nouum eſſe hîc.

Cõfirmatio. Et confirmatur, quia verba formæ, non ſignificant aliud, quàm contentum ſub ſpeciebus eſſe corpus Chriſti; & eſſe per tranſubſtantiationem; ſed totum hoc bene ſaluatur, ſi corpus Chriſti contineatur ſub ſpeciebus; ſaluatur enim primò ſignificatum verborum quia contentum ſub ſpeciebus eſt corpus Chriſti; ſaluatur ſecundò, quòd contineatur
Scotus. per tranſubſtantiationem; nam, vt inquit Scotus in 4. diſt. 11. quæſtione 3. art. 2. ad primum, ſatis eſt, vt actio adductiua dicatur tranſubſtantiatio, ſi ſubſtantia corporis Chriſti ſuccedat præſentialiter ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis, quæ deſinit eſſe expoſitione corporis Chriſti.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

4. Vnica concluſio cõtra præcedentẽ ſententiam. DICENDVM eſt, tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti non eſſe ſolùm actionem adductiuam, ſed conuerſionem ſubſtantialem formaliter, cuius terminus formalis eſt ipſum corpus Chriſti ſecundùm aliquod eſſe ſubſtantiale, quod de nouo fit per illam conuerſionem ſubſtantialem. Quod autem ſit hoc eſſe ſubſtantiale, quod de nouo aduenit corpori Chriſti ex vi conuerſionis, dicetur infrà in ſexta dubitatione. In hac concluſione conueniũt omnes ferè Scholaſtici, S. Thom. 7. parte
Caiet. Ferrar. Capreol. quæſt. 75. art. 3. & 4. & Caiet. hîc, Ferrarienſis quarto contra Gentes cap. 63. Capreolus in 4. diſt. 11. q. 1. art. 3. ad ſecundum Scoti, contra tertiam concluſionem, & ad primum Durandi contra ſecundam
Eruci. Sotus. Henric. Eruci ibidem art. 1. q. 3. & 5. Sotus ibidem diſt. 9. quæſt. 2. art. 4. Henric. quodlib. 9. quæſt. 9. & quodl. 11. q. 4. & quodlib. 12. q. 3. & alij.

5. Prima ratio aliquorum Thomiſtæ. Probant primò aliqui Thomiſtæ, quia corpus non poteſt replicari, niſi de nouo ipſum corpus producatur; vel ſaltem conſeruetur noua actione ſubſtantiali; ſed corpus Chriſti exiſtens præſens in cœlo, replicatur ſub ſpeciebus Sacramẽtalibus; ergo corpus Chriſti vel per tranſubſtantiationem de nouo fit, vel ſaltem noua actione ſubſtantiali conſeruatur.
S. Thom. Maiorem probant ex S. Thom. 1. par. q. 75. art. 2. vbi docet non poſſe corpus eſſe, vbi antea non erat, niſi vel per motum localem, relinquendo priorem locum; vel per conuerſionem alterius in ipſum; non poteſt autem corpus Chriſti replicari ſub ſpeciebus Sacramentalibus per motum localem, tum quia non deſerit priorem locum cœli; tum quia non tranſit per media; tum quia fit in inſtanti; tũ quia ſequeretur, quòd vnicus motus corporis Chriſti terminaretur ſimul ad diuerſas præſentias Sacramentales in diuerſis Sacramentis, quod repugnat.

Confutatur hæc prima ratio. Sed hæc ratio, quæ immeritò tribuitur S. Thomæ, vt infrà oſtendetur in ſequenti dubitatione, non eſt efficax; nam poteſt eſſe replicatio inſtantanea ſine medio, & ad plura loca per diuerſa Vbi localia, quæ produci poſſunt à Deo in corpore, vt fusè probatum eſt ſuprà in diſputatione de repli-

A catione corporis; Nam Vbi, eſt ratio formalis præſentiæ localis; ſi ergo ponantur in eodem inſtanti in corpore plura Vbi, heterogenea in ordine ad diuerſa loca; erunt plures effectus formales præſentiarum eiuſdem corporis, in eodem inſtanti in diuerſis locis; & multò magis hoc dicendum eſt de corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis; replicatur enim non ſolùm Vbi locale, ſed per vnionem quamdam formalem ſub ſpeciebus, vt dictum eſt in præcedenti Corollario; hæc autem vnio eſt fundamentum ipſius Vbi, & ipſius præſentiæ localis; quot igitur producuntur vniones in corpore Chriſti, tot ſunt præſentiæ Sacramentales in diuerſis Sacramentis.

Probatur igitur ſecundò hæc concluſio efficaciter ex Patribus, qui communiter dicunt, rationem, B in quam terminatur conuerſio panis, eſſe ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, non ergo in ipſam præſentiam in loco. Ita Ambr. 2. de Sacram. cap. 4. & habetur in cap. panis, de conſecrat. diſt. 2. Tertull. lib. 4. contra Marcionem, & lib. de oratione. Cyprianus ſermone de Cœna, & epiſtola tertia. Auguſt. 2. de Trinit. cap. 4. & ſermone 18. de verb. Domini. Iſidorus lib. de Eccleſiaſticis inſtit. cap. 18. Origenes lib. 8. cõtra Celſum. Cyrillus Hieroſolym. catech. 4. & 5. Iuſtinus Apol. ad Anton. Theophyl. in Ioannem cap. 7. Remigius in cap. decimum 1. ad Corinth. Emiſſenus hom. 5. de Paſchate, & ſermone de paſſione. Hieronymus ad Euid. Dam. lib. 4. de fide cap. 14. & Innocent. lib. 4. de myſter. altar. cap. 7. 6. Secunda ratio efficax ex Patribus Patres. Ambroſ. Tertull. Cyprian. Auguſtin. Iſidorus. Cyrillus. Iuſtinus. Theoph. Remig. Emiſſ. Damaſc. Innocent. Hieronym.

C Tertiò idem probatur ex modo loquendi Conciliorum, nam in Lateranenſi cap. 1. dicitur, panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti, & habetur in cap. Firmiter, de ſum. Trinit. & Concilio Romano ſub Gregorio 7. dicitur, panem ſubſtantialiter conuerti in carnem Chriſti, & in Florentino, panem mutari in corpus Chriſti; & in Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. definitur per conſecrationem fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis: igitur ſecundùm Concilia, terminus in quem conuertitur ſubſtantia panis non eſt præſentia, ſeu alius modus accidentalis, ſed eſt D ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, nam conuerſio quæ terminatur ad accidens, vt ad terminum, ad quem, differt à conuerſione, quæ terminatur ad ſubſtantiam, vt ad terminum ad quem, non alia ratione, niſi quia termini ad quem, differunt ſpecie, ac propterea hæc conuerſio à Conciliis appellatur tranſubſtantiatio; Et magis hoc confirmatur ex modo loquendi Tridentini loco citato. cùm enim dicit conuerſionẽ fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, &c. eodem modo ſumit ſubſtãtiam panis pro termino à quo, ac ſubſtantiam corporis, pro termino ad quem; Sed non poteſt explicari, quòd ſubſtantia panis ſit terminus à quo, ratione ſolius præſentiæ, ita vt tantùm ex præſenti fiat non præſens, ſed eſt terminus à quo, quoad deperditionem E ſubſtantiæ, ergo eodem modo ſubſtantia corporis Chriſti eſt terminus ad quem, ſaltem ſecundùm acquiſitionem alicuius eſſe, ſeu rationalis ſubſtantialis. 7. Tertia ratio efficax e Conciliis.

Quartò probatur, quia ad tranſubſtantiationem requiritur, vt terminus ad quem, ſit formaliter ſubſtantialis, ita vt per conuerſionem vel producatur ipſe terminus ſecundùm eſſe ſubſtantiale, vel ſaltem adueniat aliqua noua ratio ſubſtantialis in termino; à termino enim ſubſtantiali formaliter ſumpto ſpecificatur conuerſio ſubſtantialis, vt fusè probatum eſt in præcedenti dubitatione; quare ratio noua 8. Quarta ratio efficax.

Digitized by Google

noua quæ per conuerſionem aduenit in corpore Chriſti, non poteſt eſſe ſola præſentia localis, quæ eſt accidentalis.

10. Reſpōſio ad fundamentū Scoti. Ad fundamentum primæ ſententiæ Scoti concedimus, vt infrà oſtendetur in ſequenti dubitatione. actionem, qua ponitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus, non eſſe productionem ipſius corporis Chriſti, negatur tamē hinc ſequi eſſe tantùm actionem adductiuam ſecundùm præſentiam, quia poteſt terminari ad corpus Chriſti ſecundùm nouam rationem ſubſtantialem, quæ ſecundùm ſententiam noſtram ea eſt per quam Chriſtus vnitur cum ſpeciebus, vt ſuſtentans in actu primo ipſa accidentia, vt infrà probabimus in ſexta dubitatione.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd tantùm per argumentum Scoti probatur, ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe terminum actionis adductiuæ materialiter, & materialiter etiam ſignificari per verba, formaliter autem terminum actionis eſſe præſentiam localem, quæ eſt modus accidentalis; at verò ſuprà probatum eſt ex Patribus, & Conciliis, terminum tranſubſtantiationis eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti formaliter, & ipſam etiam ſubſtantiam tamquam terminum formalem conuerſionis, ſignificari per verba conſecrationis, quod clariùs patet ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. vbi ex eo, quòd Chriſtus verè dixit, *Hoc eſt corpus meum*, docet, perſuaſum eſſe in Eccleſia Dei conuerſionem fieri in ſubſtantiam corporis Chriſti, ergo ſecundùm Tridentinum hæc verba ſignificant terminum ad quem huius conuerſionis eſſe ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti, vt ipſum Tridentinum ibidem dicit cap. 4. & etiam can. 2. Con. Trid.

Remanet examinandum in reliquis dubitationibus, quæ ſit illa ratio ſubſtantialis in corpore Chriſti, in quam tranſubſtantiatur panis.

TERTIA DVBITATIO.

An per tranſubſtātiationem, corpus Chriſti de nouo producatur aut conſeruetur ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

1. Prima ſententia. Gabr. Capr. Scot. Sot. EST prima ſententia aliquorum tenentium partem affirmatiuam. Ita Gabr. in 2. diſtinct. 19. quæſt. 1. art. 3. dubitatione 2. & lect. 4. in can. Capreol. in 4. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 3. ad primum Scoti contra primam concluſionem, Sot. ibidem diſtinct. 9. quæſt. 2. art. 4. & clariùs art. 8. concluſione 2. vbi dicit ex pane fieri corpus Chriſti, ſicut ex aëre fit ignis, & alij graues recentiores. Tribui ſolet hæc opinio S. Thomæ, præſertim in 3. part. & quæſt. 75. art. 3. & quæſt. 78. art. 5. Sed S. Thomas non videtur fuiſſe huius ſententiæ, S. Thom. nam 3. part. quæſt. 78. art. 5. docet verba conſecrationis non facere, vt corpus Chriſti, ſit corpus Chriſti, ſed vt contentum ſub accidentibus, ſit corpus Chriſti: in quæſtione verò iam citata & alibi, ſolùm habetur, quòd corpus Chriſti non fiat præſens ſpeciebus per motum localem, neque per actionem aliquam accidentalem; ſed per conuerſionem ſubſtantialem, per quam ponitur ſub ſpeciebus ſecundùm aliquam nouam rationem ſubſtantialem, hanc autem nouam rationem ſubſtantialem, dicemus infrà cum ſancto Thoma, eſſe ipſum corpus Chriſti, quod vnitur cum ſpeciebus, vt ſuſtentatiuum in actu primo ipſarum ſpecierum Sacramentalium, non autem quòd producatur, vel noua actione cōſerue-

A tur corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale, vt vult hæc prima opinio.

Fundamenta autem, quæ ſatis probabilem reddunt hanc primam ſententiam, tria ſunt. Primum eſt authoritas Patrum: Alterum Conciliorum: Tertium ex ipſa definitione tranſubſtantiationis.

Probatur igitur primò, nam Patres vtuntur his verbis, effici, cōfici, vel creari corpus Chriſti; Ita Cyprianus ſermone de Cœna Domini; Ambroſius li. 3. de Sacram. cap. 4. Hieronym. in epiſt. ad Eleo. Auguſt. relatus in cap. Vtrùm. de conſecrat. diſtinct. 2. Damaſcenus lib. 4. cap. 14. Tertul. lib. 4. contra Marcionem ca. 40. Irenæus lib. 3. cap. 2. Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & alij plures apud recentiores. 2. Primum argumentum ex Patribus. Cypr. Ambr. Hier. Aug. Dam. Tert. Irenæus. Dionyſius.

B Et confirmatur hæc prima probatio, quia Patres hoc myſterium probant exemplis aliquarum productionum ſubſtantiarum; nam Irenæus loco citato probat exemplo illo euangelico conuerſionis aquæ in vinum; & lib. 4. cap. 34. probat ſimilitudine ſeminis tranſeuntis in herbam virentem; Auguſt. verò 3. de Trinitat. à c. 2. vſque ad 10. probat ex variis tranſmutationibus ſubſtantialibus, & præcipuè ex conuerſione vxoris Loth in ſtatuam ſalis; Et Gregor. Nyſſenus in vita Moyſis probat ex lapide conuerſo in aquam. 3. Nyſſenus.

Probatur præterea ſecundò, ex Conciliis, ex Lateranenſi cap. 1. ex Romano, & Florentino, & præcipuè ex Tridentino ſuprà citatis; C ex modo enim loquendi Conciliorum videtur facilè colligi, quòd corpus Chriſti tāquam terminus conuerſionis fiat ſubſtantialiter ex vi conuerſionis, nam in Concilio Lateranenſi habetur, panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti; & in Romano, panem ſubſtantialiter conuerti in corpus Chriſti; & in Florentino, panem mutari in corpus Chriſti; & in Tridentino, fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam Chriſti; Si igitur panis, qui eſt terminus à quo, deſinit ſubſtantialiter, etiam corpus Chriſti, quod eſt terminus ad quem, debet intelligi per verba Cōcilij, quod fiat ſubſtantialiter. 4. Secundū argumentum ex Cōciliis. Conc Later. Rom. Florent. Trident.

Tertiò probatur ratione, tranſubſtantiatio eſt D actio ſubſtantialis, ergo terminatur ab ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed terminus debet fieri ex vi ſuæ actionis; ergo corpus Chriſti fieri debet ex vi tranſubſtantiationis. 5. Tertium argumentum ex ratione.

Et confirmatur primò, quia verba conſecrationis efficiunt, quod ſignificant; Sed verba ſignificant panem conuerti in ſubſtantiam Chriſti, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. ergo verè ſubſtantia corporis Chriſti efficitur per verba conſecrationis.

Confirmatur ſecundò, quia cùm dicitur Chriſtum conuertiſſe aquam in vinum, bene colligitur, vinum fuiſſe ſubſtantialiter productum, & non ſolùm adductum ex alio loco, ad locum aquę, alioquin omnes conuerſiones ſubſtantiales, de quibus in ſacris literis fit mentio, poſſent explicari per ſolā E adductionem accidentalem, & non per productionem ſubſtantiæ, quod nemo dicit. Quare cùm dicitur in Conciliis, panem conuerti in corpus Chriſti, ſignificatur, corpus Chriſti verè eſſe productum.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

HIS tamen non obſtantibus, dicendum eſt, per tranſubſtantiationem corpus Chriſti non produci ſecundùm eſſe ſubſtantiale, neque nouā actione ſubſtantiali conſeruari ſub ſpeciebus. Ita 6. Vnica concluſio.

Digitized by Google

S. Thom. Caietanus. Bagnes. Scotus. tenet S. Thomas, cuius mentem ſuprà explicuimus in ſecunda dubitatione initio concluſionis. Caiet. 3. part. quæſt. 75. art. 3. Bagnes 1. part. q. 4. art. 2. Scotus loco citato, & multi recentiores. Quæ ſit autem illa actio, qua corpus Chriſti conſeruatur ſub ſpeciebus Sacramentalibus, oſtendemus infrà in dubitatione ſexta.

7. Explicatur ſenſus concluſionis. PRO explicatione autem huius concluſionis notandum eſt, actionem, qua corpus Chriſti, dicitur fieri ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ſumi poſſe tripliciter.

Primò pro actione ſubſtantiali, per quam de nouo ſubſtantia recipit ſuum eſſe ab agente, ita vt nunc ſit, & immediatè antè non fuerit, ſicut fuit creatio mundi in tempore; & hoc modo eſt impoſſibile, vt corpus Chriſti dicatur effectum, quia corpus Chriſti immediatè ante tranſubſtantiationem præerat. B

Secundo modo ſumitur pro actione continuatiua, per quam ſubſtantia recipit eſſe non de nouo, nec noua actione, ſed continuatione eiuſdem actionis præcedentis, & eiuſdem eſſe, ex Sancto Thoma 1. part. quæſt. 104. art. 1. ad quartum, per quam actionem continuatiuam communicatur effectui totum eſſe, quod priùs habebat ex vi agentis; & hæc actio dici ſolet conſeruatio, & ſubtractio huius actionis rectè dicitur annihilatio; Sed neque hoc modo poteſt dici eſſe effectum corpus Chriſti per tranſubſtantiationem; quia in tranſubſtantiatione intercedit noua actio, & noua dependentia ex vi verborum conſecrationis. (S. Thom.) C

Tertiò ſumitur pro actione media inter iſtas duas actiones, conuenit enim cum prima actione, quatenus eſt noua actio, & noua depẽdentia, differt autem ab illa, quia ſupponit eſſe præexiſtens; conuenit autem cum ſecunda quatenus ſupponit eſſe præexiſtens, at propterea dici poteſt conſeruatio ſicut illa; differt autem ab illa, quia non dicit continuationẽ eiuſdem actionis, ſed nouam actionẽ, & nouam dependentiã, & de hac tertia actione propriè loquuntur Doctores citati in prima opinione, & quamuis aliqui ex illis dicant hanc actionem eſſe productionem, non accipiunt productionem, vt connotat terminum immediatè antè non fuiſſe, non enim ſemper productio illum connotat, nam verbum in diuinis verè dicitur produci, & tamen non connotat immediatè antè non fuiſſe; ſumunt igitur productionem pro illa tertia actione, quam ſuprà explicuimus; non vtuntur autem nomine conſeruationis, ne videantur dicere, quòd corpus Chriſti efficiatur in Sacramento per actionem continuatiuam, quæ eſt eadem cum ea, qua fuit productum, & non per nouam actionem & dependentiam; alij verò ex citatis Doctoribus hanc tertiam actionem appellant conſeruationem, quia connotat terminum. D

HIS poſitis, probandum eſt contra Doctores citatos in prima opinione, non poſſe corpus Chriſti ex vi verborum conſecrationis effici ſubſtantialiter illa tertia actione, quæ dicit nouam dependentiam; Certum eſt enim, vt ſuprà oſtenſum eſt, & etiam Aduerſarij fatentur, non poſſe fieri per primam, & ſecundam actionem. E

8. Probatur prima concluſio. Trident. PROBATVR autem primò; Ea, quæ requiruntur ad eſſentiam conuerſionis Sacramentalis, ſatis colliguntur, ex illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. vbi habetur expreſsè, ex veritate illorum verborum perſuaſum ſemper fuiſſe in Eccleſia, per conſecrationem fieri conuerſionem panis in corpus Chriſti; Sed ex veritate illorum verborum non poteſt colligi, ad eſſentiam conuerſionis requiri, quòd corpus Chriſti producatur, ſeu conſeruetur noua actione ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ergo hoc aſſeri non debet, præſertim quia non oportet multiplicare huiuſmodi miracula ſine neceſſitate, & vtilitate fidelium. Minor probatur, quia per illa verba tantùm ſignificatur, quòd fiat conuerſio ſubſtantialis ex pane in corpus Chriſti, ita vt ex vi illius conuerſionis deſinat ſubſtantia panis; ſed hæc poteſt fieri abſque illa noua actione per quam efficiatur corpus Chriſti, ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ad hoc enim, vt fuſiùs oſtendemus in ſexta dubitatione, ſatis eſt ſi corpus Chriſti fiat vnitum cum illis accidentibus, loco ſubſtantiæ panis, vt ſuſtentans efficienter per diuinam eleuationem illa accidentia, tunc enim, quia illa accidentia, non ampliùs poſſunt ſuſtentari à pane, vnus enim effectus non poteſt pendere à duabus cauſis totalibus, vt ſupponimus, & infrà fusè probabimus in prædicamento actionis, fit, vt accidentia, quoniam non inhærent in ſubſtantia panis, deſinant naturaliter informare panem, & conſequenter deſinet etiam ipſa ſubſtantia panis, quæ conſeruabatur à ſuis accidentibus, & loco illius ſuccedet ſubſtantia corporis Chriſti.

SECVNDO probatur, ſeu confirmatur præcedens ratio, Conuerſio panis in corpus Chriſti, illa eſt, ex vi cuius expellitur ſubſtantia panis, ſed ex hac noua actione, qua efficitur corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramẽtalibus, vt ſic præcisè, non expellitur ſubſtantia panis, ergo conuerſio panis in corpus Chriſti, non fit per hanc nouam actionem, ſeu efficientiam corporis Chriſti. Maior patet ex requiſitis, quæ explicuimus in prima dubitatione; Minor probatur, quia ex hac efficientia corporis Chriſti præcisè non oritur excluſio panis, non enim habet naturaliter incõpoſſibilitatem cum exiſtentia panis. 9. Secũda probatio.

Reſpondent ad hanc rationem primò aliqui apud Scotum in quodlib. quæſt. 10. art. 20. §. tertius intellectus. & alij recentiores, quòd Deus vult conſeruare corpus Chriſti ſub ſpeciebus ad deſitionem panis. 10. Scot.

Sed contrà, quia tunc deſitio panis, non eſſet per ſe, ſed per accidens, ſicut Deus vellet conſeruare ſolem ad deſitionem panis, non diceretur panis conuerti in ſolem.

Sed adhuc replicant, non eſſe hanc conuerſionem omnino per accidens, ſed eſſe conuerſionem moralem, & hanc ſatis eſſe; explicant autem hanc conuerſionem moralem ex intentione agentis, quatenus Deus ex primaria intentione habet, vt corpus Chriſti efficiatur ſub ſpeciebus ſacramentalibus, & ſubſtituatur loco ſubſtãtiæ, & conſequenter vult deſitionem ipſius panis; ſicut, inquiunt, cùm Angelus amittit vnum partialem, & inadæquatũ locum, & acquirit alium inadæquatum, eſt vera conuerſio & tranſmutatio locorum, ſeu tranſubicatio, & tamen inter illa plura Vbi, non eſt incompoſſibilitas ex natura ſua, quia poteſt Angelus eſſe ſimul in illis pluribus locis partialibus, tamquam in vno loco adæquato; ſolùm igitur eſt, incompoſſibilitas ex intentione Angeli. 11.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia ſola voluntas extrinſeca Dei non poteſt mutare naturam actionis, ſed illa efficientia ſeu actio, qua efficitur ſubſtantialiter corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ex natura ſua non eſt conuerſio, quia ex natura ſua non excludit ſubſtantiam panis, ergo non poteſt ex ſola voluntate, & intentione Dei fieri conuerſio, ſed potiùs erit creatio, vel quid ſimile, nam Scholaſtici, & Patres per hoc diſtinguunt conuerſio

uerſionem à creatione, vel ab alia actione ſimili; quia conuerſio intrinſecè dicit deſitionem termini poſitiui à quo; creatio autem, vel alia actio ſimilis, non ſupponit terminum à quo poſitiuum, ſed ipſum nihil; Ita S.Thom. quæſt. citata art.3. quæſtiuncula 3. Alenſ. 4. par. quæſt. 34. membr. 3. Riccard. in 4. diſt. 11. art.1. quæſt. 6. Bonau. Capreol. Marſil. Sotus & alij ibidem, & ex Patribus præcipuè Ambr. 4. de Sacram. cap.4. Emiſſ. Serm. de Paſchate Damaſc. 4. de fide cap. 14. Innocent. 4. de myſteriis Altaris cap.7. Et confirmatur à ſimili, quia ſicut annihilatio tollit naturam conuerſionis ex S. Thoma 3. par. quæſt.75. art. 3. quia non tendit in terminum poſitiuum ad quem; ita creatio, vel quid ſimile, tollit naturam conuerſionis, quia non procedit à termino à quo poſitiuo: cùm verò dicitur ab aduerſariis, quòd illa noua actio non eſt phyſica conuerſio, ſed moralis, eſt ac ſi dicerent, non eſſe veram conuerſionem; quod quidem eſt contra Patres, & Concilia ſuprà citata, præſertim Tridentinum ſeſſione 13. illa enim particula (moralis) eſt particula diſtrahens, ſicut cùm dicitur homo pictus, vel homo mortuus.

S.Thom. Alenſ. Riccard. Bonauent. Capreol. Marſil. Sot. Ambroſ. Emiſſ. Damaſc. Innocent.

Ad illud exemplum de Vbi angelico reſpondetur, quòd eſt diſpar ratio, nam Vbi angelicum inadæquatum & partiale, per quod conſtituitur Angelus in loco partiali, & inadæquato, eſt heterogeneum, diſtinctum ab Vbi totali & adæquato, per quod conſtituitur Angelus in loco adæquato; non enim Vbi adæquatum & totale, eſt conflatum ex duobus Vbi partialibus & inadæquatis, ſed eſt vnum Vbi ſimplex heterogeneum, quare Vbi partiale, & Vbi totale ſunt incompoſſibilia, quamuis igitur Angelus poſſit eſſe ſimul in duobus locis inadæquatis, non tamen poſſunt eſſe ſimul illæ formæ, ſeu illa duo Vbi, ac propterea cùm Angelus tranſit de vno loco partiali ad alium locum partialem, dicitur illa tranſubicatio, vera conuerſio, quia neceſſariò corrumpitur primum Vbi, & acquiritur aliud; quia, vt dictum eſt, Vbi totale, eſt Vbi ſimplex heterogeneum, & non compoſitum ex duobus Vbi partialibus. Quòd ſi velis Vbi totale eſſe compoſitum ex duobus Vbi partialibus homogeneis, tunc dicendum eſt, quòd illa tranſubicatio, non eſt verè & propriè conuerſio: requiritur enim ad veram, & propriam conuerſionem, vt terminus qui conuertitur, non poſſit naturaliter ſtare ſimul cum termino, ad quem conuertitur, vt oſtenſum eſt ſuprà in prima dubitatione huius quæſtionis.

12. Secundò reſpondent alij, quòd corpus Chriſti producitur vt incompoſſibile cum ſubſtantia panis ex natura ſua, quia ex vi talis actionis debetur corpori Chriſti ſupernaturaliter producto per tranſubſtantiationem, vt ipſum corpus eleuetur ad ſuſtentandum accidentia, cum qua ſuſtentatione, vt dictum eſt ſuprà, & infrà fuſiùs dicetur, non poteſt ſtare ſubſtantia panis.

Sed contrà, quia tunc corpus Chriſti non vt effectum per illam nouam actionem eſſet terminus formalis, ſed vt ſuſtentans contra ipſos, & præterea ſequeretur conſeruationem eſſe impertinentem ad hoc myſterium; poſſet enim corpus Chriſti fieri præſens, vt ſuſtentans accidentia, & ſupplens vices ſubſtantiæ panis abſque hac noua actione conſeruationis, vt probatum eſt.

13. Tertia probatio eiuſdē concluſionis.

TERTIO probatur, ſed ante probationem ſuppono vnum communiter receptum, quòd ſi detur hæc efficientia, ſeu noua actio, qua efficitur corpus Chriſti, quòd ad illam etiam concurrat ipſum corpus Chriſti, vt inſtrumentum; Chriſtus enim in nocte Cœnæ conuertit per ſua verba panem in corpus ſuum; ſi ergo hæc verba ſignificant efficientiam, ad illam concurrit corpus Chriſti, & eodem modo nunc etiam concurrit, quando à ſacerdote conſecratur hoſtia, vt tenet Chryſoſt. homil. 83. in Matthæum, & Euſeb. Nyſſen. homil. quinta de paſchate, qui dicunt Chriſtum ſacerdotem inuiſibilem ſicut in Cœna operatus eſt, ſic etiam nunc tranſmutare panem in ipſius corpus.

Chryſoſt. Euſebius Nyſſenus.

Hoc poſito, probatur concluſio; Implicat cōtradictionem, quòd corpus Chriſti efficiatur ſubſtātialiter à ſe ipſo, ergo non eſt dicendū, quòd per verba conſecrationis efficiatur corpus Chriſti. Conſequentia eſt manifeſta, quia ad illam efficientiam, vt ſuppoſitum eſt, concurrit ipſummet corpus Chriſti; Antecedens probatur, tum quia ſequeretur, corpus Chriſti eſſe prius & poſterius ſe ipſo; prius quidem quatenus præſupponitur ad nouam ſuam actionem; Poſterius verò, quatenus fit per ipſam actionem; tum quia ſequeretur, quòd idem eſſet cauſa & effectus in eodem genere, quod repugnat, nam corpus Chriſti in genere cauſæ efficientis, eſſet cauſa illius ſuæ nouæ actionis, & illa noua actio eſſet cauſa, ſeu cauſalitas, qua efficeretur idem corpus Chriſti.

14. Reſpondent aduerſarij ſatis ingenioſè, hoc nullam dicere repugnantiam in conſeruatione, quia præſupponit terminum præexiſtentem, dicere autem repugnantiam in prima effectione, quæ connotat terminum immediatè antè non fuiſſe; nam in conſeruatione, inquiunt, non eſt prius, & poſterius, ſecundùm eamdem rationem; Corpus enim Chriſti ſecundùm ſuum eſſe ſimpliciter eſſet priùs, quàm ſit illa ſua noua actio, quod quidem eſſe ſimpliciter non habet à ſua actione, & eſſet poſterius ſua actione; non quidem ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed quoad conſeruationem, quæ terminatur ad eſſe, quod præexiſtebat ante conſeruationem.

Ad ſecundam verò ſequelam reſpondent eodem modo, quòd non ſunt cauſa, & effectus ſub eadem ratione, eſt enim corpus Chriſti cauſa ſuæ actionis ſecundùm eſſe ſimpliciter, quod non habet à ſua actione; eſt autem effectus non ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed ſecundùm eſſe conſeruatum, quod præſupponit eſſe ſimpliciter.

15. Sed hæc reſponſio aduerſariorum non ſatisfacit, & inſtatur contra illam, & probatur, corpus Chriſti eſſe priùs, & poſteriùs ſe ipſo, & cauſam, & effectum ſui ipſius ſecundùm eamdem rationem conſeruationis; nam corpus Chriſti, quando conſeruat ſeipſum, debet eſſe in eadem duratione, cum ſua conſeruatione, actio enim conſeruationis eſt eſſentialiter via per quam ſuus terminus permanet ſecundùm exiſtentiam in ea duratione, in qua eſt conſeruatio. Corpus igitur Chriſti, vt conſeruatum, eſt prius natura, & cauſa ſuæ conſeruationis, & ſui ipſius, & vt eſt conſeruatum, eſt poſterius natura ſua actione, tamquam effectus ipſius; eſſet ergo prius, & poſterius natura, cauſa, & effectus ſecundùm eamdem rationem; quare malè recurrebatur ab aduerſariis ad eſſe ſimpliciter, quod antecedebat duratione ipſam conſeruationem, nam, vt probatum eſt, corpus Chriſti, quatenus eſt cauſa ſuæ actionis conſeruatiuæ, debet eſſe ſimul in eadem duratione cum ſua actione, vnde ſequitur, quòd quatenus conſeruatum, eſt cauſa, & effectus, prius, & poſterius.

16. Secundò reſpondent alij, hoc repugnare, ſi corpus Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſe ipſum conſeruaret ſub eiſdem: at verò non repugnat, quòd corpus Chriſti, exiſtens in cœlo, conſeruet ſe ipſum ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Digitized by Google

Sed contra hanc ſecundam reſponſionem inſtatur, tum quia conſeruatio ſecundùm eſſe ſubſtantiale, non tendit ad exiſtentiam localem, ſeu præſentiam Sacramentalem, ſed tendit in ipſum eſſe ſubſtantiale, tamquam in primarium terminum: tum quia actio agentis non procedit ab exiſtentia locali, ſed ab illius ſubſtantia, & virtute: tum quia per accidens eſt, vt corpus Chriſti alibi præexiſtat, nam ex vi illius actionis, ſi alibi non exiſteret, produceretur de nouo; nihil igitur facit diuerſa exiſtentia localis producentis, & producti, quòd agens ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſeu virtutem ſubſtantialem non ſit prius, & poſterius, cauſa, & effectus ſui ipſius in eodem genere, ſecundùm eſſe ſubſtantiale, tamquam terminum primarium.

17. Alij tertiò dicunt, quòd corpus Chriſti, vt conſeruatum à Deo totali actione, conſeruat ſe ipſum alia actione, ac proinde non eſt prius & poſterius ſe ipſo, ſecundùm eandem rationem, eſt enim prius, vt conſeruatum à Deo, & poſterius, vt conſeruatum à ſe ipſo alia actione totali.

Sed contrà, quia tunc ſequeretur quòd idem effectus numero depẽderet à duabus cauſis totalibus, quod repugnat, vt mox oſtendetur in quinta probatione, & multò magis apparet repugnantia in hoc caſu, quàm quando duæ cauſæ totales concurrũt ad eumdem effectum, nam in hoc caſu quatenus Deus eſt cauſa totalis conſeruans corpus Chriſti, eſt prior natura, quàm ſit ipſum corpus Chriſti conſeruans ſe ipſum, quia antequam corpus Chriſti intelligatur conſeruare ſe ipſum, debet præintelligi exiſtere in illa duratione, ac proinde vt conſeruatum à Deo in priori natura; in illo autem priori intelligitur expleta omnis indigentia effectus; quare in poſteriori natura impoſſibile eſt, vt detur alia actio alterius cauſæ efficientis totalis: nam cùm actio conſiſtat in actuali exercitio, deberet illa actio actu explere indigentiam; actio enim efficientis, cùm ſit traductio de non eſſe ad eſſe, neceſſariò ſupponit indigentiam in effectu. Sed de hoc mox redibit iterum diſputatio.

18. Quarta probatio. QVARTÒ probatur ad hominem, aduerſarij enim tenent, non poſſe Deum eleuare creaturam tamquam inſtrumentum ad creandum, quia requiritur virtus infinita; ſed iſta conſeruatio conuenit cum creatione, quatenus vtraque terminatur ad totum ens, & ſolùm ab illa differt penes connotatam negationem, nam creatio, connotat negationem prioris exiſtentiæ, at verò conſeruatio connotat prioré exiſtentiam, & permanentiam in eodem eſſe; ergo non poſſunt verba conſecrationis, vel ipſa humanitas Chriſti eleuari ad efficiendũ ſuũ corpus.

19. QVINTO, etiamſi corpus Chriſti non concurreret ad efficientiam ſui, ſed à ſolo Deo noua actione corpus Chriſti conſeruaretur ſub ſpeciebus Sacramentalibus, adhuc probatur ex Caietano, hoc non poſſe fieri: non enim, inquit, poteſt aliqua res ſimul habere eſſe ex vi duplicis actionis totalis, non ſolùm naturaliter, quod omnes concedunt, ſed neque ſupernaturaliter; ergo corpus Chriſti ſi conſeruetur à Deo in cœlo totali actione, non poteſt ab ipſo Deo alia noua actione totali conſeruari. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur à Caietano, quia actio productiua, ſeu conſeruatiua eſſentialiter, eſt influxus explens naturaliter indigentiam ipſius effectus; effectus enim dicit actualem dependentiam ſubſtantialem à ſua cauſa; ergo ſi indigentia ſublata eſt adæquatè per vnam cauſam, alia cauſa non poteſt concurrere, quia nullam inuenit indigentiam.

Caietanus.

A Quòd ſi dicas, illam actionem eſſe talem, vt ſi remoueatur alia actio totalis, illa eſſet ſufficiens ad cauſandum ſeu conſeruandum effectum. Contra hoc eſt, inquiunt, tum quia hoc non eſſet ponere abſolutam, ac actualem dependentiam effectus à ſua cauſa, ſed conditionatam, & quaſi in actu primò: tum quia actio effectiua non poteſt exiſtere, niſi actu expleat indigentiam effectus: actio enim, & cæteri modi, conſiſtunt in actuali exercitio, nec poſſunt exiſtere ſine illo; cùm igitur actio effectiua ſit eſſentialiter via ad explendam indigentiam effectus, ſequitur neceſſariò, quòd quando actu exiſtit, debet actu explere indigentiam.

Et hinc etiam patet, inquiunt, nullam eſſe illam 20.
B diſtinctionem aduerſariorum, cùm dicunt cauſam totalem, & adæquatam dupliciter intelligi, Primò ſufficienter, ita vt illa ſola ſatis ſit ad communicandum totum eſſe effectui, & vt actu influat actione ſufficienti & independente ab alia cauſa. Secundò per negationem cuiuſlibet alterius cauſæ actu concurrentis; & dicunt, quòd in præſenti, cauſa totalis accipitur primo modo, non autem ſecundo, non, inquam, valet iſta diſtinctio, quia argumentum procedit etiam contra primum modum; ſi enim productio, ſeu actio conſeruationis præſupponit indigentiam in effectu, neceſſe eſt dicere, quòd vel effectus non procedat à duabus cauſis totalibus ſeu ſufficientibus, ſeu duabus actionibus totalibus ſeu ſuffi-
C cientibus eiuſdem cauſæ; vel quòd à neutra cauſa procedat, quia per vnam cauſam totalem, ſeu actionem totalem, puta, A, eſt expleta totalis indigentia effectus, ergo non indiget B, & per B, per te eſt expleta totalis indigentia eiuſdem effectus: ergo non indiget A. Sed de veritate huius quintæ probationis dicetur fusè in tertio tomo, in prædicamento actionis.

AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & 21. Reſpõſio ad fundamenta primæ ſententiæ
ad primum ex teſtimonio Patrum dicitur, quòd cùm Patres dicunt corpus creari, aut fieri in hoc Sacramento, ſolùm ſignificant conuerſionem panis & vini in corpus Chriſti; ita vt ſubſtantia Chriſti ſuccedat ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis, quatenus Ad primum ex Patribus.
D ipſa ſubſtantia corporis Chriſti eleuatur à Deo, vt ſit potens in actu primo, ad ſuſtentandum ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale, efficienter ipſa accidentia panis; & hæc dicitur quædam affectio & creatio corporis & ſanguinis Chriſti ſub accidentibus, quamuis re ipſa ſubſtantia Chriſti ſecundùm ſe non efficiatur ſubſtantialiter, vt fuſiùs explicabitur in ſexta dubitatione ſæpius citata.

Ad ſecundum ex teſtimonio Conciliorum re- 22.
ſpondetur, verè panem tranſubſtantiari, & conuerti Ad ſecundũ ex Cõciliis.
ſubſtantialiter in corpus Chriſti, ſed non eſt neceſſe, vt hoc fiat per nouam effectionem ipſius corporis Chriſti, ſufficit enim, vt ex vi verborum conſecrationis deſinat ſubſtantia panis, & loco illius
E ſuccedat ſub ſpeciebus ſubſtantia corporis Chriſti, non quomodocumque, ſed vt habens vim ſuſtentandi accidentia loco ſubſtantiæ panis, hinc enim fit vt deſinat ſubſtantia panis, quia non poteſt conſeruari à ſuis accidentibus, vt fusè oſtendetur dubitatione ſexta.

Ad tertium argumentum reſpondetur conce- 23.
dendo, tranſubſtantiationem eſſe actionem ſubſtan- Ad tertium
tialem, & debere terminari in ſubſtantiam corporis Chriſti formaliter; ſed ad hanc ſufficit vt ex vi verborum ſuccedat in corpore Chriſti aliqua ratio, vel aliquod eſſe ſubſtantiale; hæc autem ratio ſubſtantialis eſt vis ſuſtentandi accidentia loco ſubſtantiæ panis, quam corpus Chriſti habet ex vi verborum,

Digitized by Google

borum, quatenus eleuatur per diuinam potentiam ad ſuſtentandum efficienter accidentia.

24. Et per hæc patet ad primam confirmationem.

Ad primam, & ſecundam confirmationem. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, rectè colligi ex conuerſione aquæ in vinum, quam Chriſtus fecit in nuptiis Galilææ, vinum eſſe productum, & non adductum, tum quia non implicat contradictionem, quòd fuerit vinum de nouo productum, quod antea non erat; quod non poteſt dici de corpore Chriſti, vt ſuprà oſtendimus; tum quia non remanſerunt accidentia aquæ.

QVARTA DVBITATIO.

Vtrùm ex ſola deſitione ſubſtantiæ panis, conuerſio panis, in corpus Chriſti ſit ſubſtantialis, & dici poſſit tranſubſtantiatio.

1. Prima ſententia. AFFIRMANT aliqui exiſtimantes corpus Chriſti ſub ſpeciebus Sacramẽtalibus non accipere aliquam nouam rationem ſubſtantialem, ſed tantùm vnionem accidentalem cum ipſis ſpeciebus; dici autem conuerſionem ſubſtantialem panis in corpus Chriſti, quia ex vi verborum deſinit ſubſtantia panis.

Fundamẽta huius primæ ſententiæ. Probant, quia deſitio panis eſt ex vi verborum cõſecrationis, & non ex vi aduentus corporis Chriſti, ergo tranſubſtantiatio, non habet, vt ſit tranſubſtantiatio à termino ad quem, tamquàm incompoſſibili cum termino à quo, ſed ſolùm habet, vt ſit tranſubſtantiatio ab ipſo termino à quo, à ſubſtantia ſcilicet panis, quæ deſinit.

Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quoad primam partem, quòd ſcilicet, ex vi ſignificationis verborum, excludatur ſubſtantia panis; cùm enim dicitur, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificatur, contentum ſub his ſpeciebus eſſe corpus Chriſti; ex quo infertur, per verba ſignificari, non eſſe ſubſtantiam panis, nam ſi ſub illis accidentibus eſſet ſubſtantia panis, per illa verba *hoc eſt*, &c. potiùs ſignificaretur ſubſtantia panis, quàm corpus Chriſti, hæc enim eſt, quæ per accidentia fit ſenſibilis.

Secunda verò pars Antecedentis, quòd ſcilicet per aduentum corporis Chriſti non excludatur ſubſtantia panis, probatur, quia corpus Chriſti nullam habet repugnantiam cum ſubſtantia panis, ſi quam enim haberet, eſſet ratione præſentiæ; ſed hæc nulla eſt, quia Angelus eſt intimè præſens corpori, ſine deſtructione corporis, & duo corpora poſſunt ſtare ſimul penetrabiliter; & quamuis quòd ſint ſimul, non habeant naturaliter, ſed per miraculum, ſuppoſito autem hoc miraculo, naturaliter habent vt ſe non deſtruant, quia non habent oppoſitionem ad inuicem; Confirmatur, quia non poteſt aſſignari, quæ nam ſit iſta noua ratio ſubſtantialis adueniens corpori Chriſti, ex vi cuius excludatur ſubſtantia panis.

VNICA CONCLVSIO, CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

1. Vnica concluſio contra præcedẽtem ſententiam. HIs tamen non obſtantibus dicendum eſt cum communiori ſententia, ad tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, non ſatis eſſe deſitionem ſubſtantiæ panis, ſed requiri vt corpus Chriſti ſuccedat loco panis ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſecundùm aliquã nouam rationem ſubſtantialem, ex vi cuius excludatur ſubſtantia panis. Quænam autem ſit hæc noua ratio ſubſtantialis, infrà oſtendetur in ſexta dubitatione citata.

Probatur primò, quia in prima dubitatione ſatis oſtenſum eſt, ad conuerſionem ſubſtantialem requiri, quòd per conuerſionem fiat terminus ad quem ſubſtantialiter, hic enim eſt qui primariò intenditur, & à quo ſpecificatur actio.

Secundò probatur, quia in omnibus aliis conuerſionibus, naturalibus terminus à quo deſinit formaliter, & immediatè ex vi poſitionis termini ad quem ſibi oppoſiti. 3.

Tertiò probatur, quia ſecundùm hanc opinionem, panis deſtrueretur per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, ac proinde eſſet potiùs annihilatio, vt fuſiùs oſtendemus infrà in dubitatione ſeptima. 4.

AD argumentum in oppoſitum reſpondetur, concedendo, quòd ex vi ſignificationis verborum, excludatur ſubſtantia panis, negatur tamen, quòd deſtruatur præcisè & primariò ex vi verborum, nam, quòd primariò ſignificatur per illa verba, *hoc eſt*, eſt quòd illud contentum ſub illis ſpeciebus ſit corpus Chriſti, ex vi cuius excluditur poſtea ſubſtantia panis. 5. Ad argumẽta primæ opinionis.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd noua ratio, quæ aduenit corpori Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eſt vis ſuſtentandi accidentia, quæ ſuſtentabantur à pane, deſinit autem ſubſtantia panis, quia cùm non habeat ampliùs accidentia inhærentia in ipſa ſubſtantia panis, non poteſt ab accidentibus conſeruari, hæc autem vis ſuſtentandi aduenit corpori Chriſti, quatenus ex vi verborum eleuatur ſecundùm potentiam obedientialem, ad ſuſtentandum illa accidentia, vt fusè probabitur in ſexta dubitatione.

QVINTA DVBITATIO.

An noua ratio ſubſtantialis, quæ ex vi verborum aduenit corpori Chriſti, ſit aliqua realitas panis, quæ remaneat ſimul cum corpore Chriſti, & faciat vnum cum illo.

AFFIRMANT aliqui graues Doctores; ſunt autem in hac ſententia tres modi dicendi. 1. Prima opinio.

Primus modus dicendi eſt grauium Doctorum, Henrici quodlib. 9. quæſt. 9. & quodlib. 11. quæſt. 4. Hugon. de ſanct. Vict. 2. de Sacram. part. 8. cap. 9. Caiet. 3. part. quæſt. 75. art. 5. §. ſecundò nota. & §. ad ſecundum. aſſerentium ipſam ſubſtantiam, quæ erat panis, conuerti in corpus Chriſti; quatenus licèt non remaneat ſecundùm eſſe ſpecificum, hoc enim eſſet contra Patres, & Concilia, remanet tamen, inquiunt, realitas, quæ erat panis, facta vnum cum corpore Chriſti; quæ autem ſit hæc realitas non ſatis explicant. Aliqui intelligunt per hanc realitatem, entitatem numericam; aliqui rationem quamdam realem genericam; exempli gratia, rationem ſubſtantiæ, quæ erat communis corpori Chriſti, & ſubſtantiæ panis. Primus modus dicendi. Henr. Hug. Caiet.

Probatur hic primus modus dicendi authoritate Patrum, & primò ex Damaſc. lib. 4. de fide cap. 14. vbi dicit, quòd panis & corpus Chriſti poſt conſecrationem ſunt vnum, quod quidem non poteſt intelligi de eſſe ſpecifico panis, quia eſſet contra Concilia; intelligi igitur debet Damaſcenus, de realitate panis. Secundò ex Auguſtino apud Magiſtr. diſt. 11. Iſidor. lib. 1. de Eccleſiaſtic. myſter. cap. 18. & ex Tertull. lib. 4. contra Martionem. & ex Cyprian. epiſto- Primum argumentum. Damaſc. Auguſt. Iſidor. Tertull. Cyprian.

Digitized by Google

Hieron. Innoc.

ia 3.& ex Hieronym.ad Euid.Innocent.l.4.de myſt. altar.cap.7.qui dicunt, quòd id quod erat panis, eſt corpus Chriſti; Per quem modum loquendi ſignificatur, quòd aliquid panis ſecundùm realitatem remaneat cum corpore Chriſti. Citat etiam Caietanus Ambroſium 2.de ſacram.c.4. & habetur in cap. panis. de conſecrat.diſtinct. 2.quantò magis, ait, eſt ſermo Chriſti, vt ſint quæ erant, & in aliud conuertantur, & infrà, quod erat panis ante conſecrationem, iam poſt conuerſionem eſt corpus Chriſti.

Caietanus. Ambroſius.

2. Secundus modus dicẽdi Durandi.

Secundus modus dicendi in hac ſententia eſt Durandi in 4. diſtinct. 11. quæſt. 3. art. 5. vbi dicit, terminum ſubſtantialem eſſe materiam panis, informatam anima Chriſti. Sed hic modus dicendi nullum habet ſolidum fundamentum.

3. Tertius modus dicendi Bagnes & aliorum. Palud. Bagnes.

Tertius modus dicendi, eſt aliorum aſſerentium, exiſtentiam ſubſtantialem panis manere in accidentibus; Ita affirmant aliqui apud Palud. in 4. diſt. 12.quæſt.3. & ex recentioribus hunc modum dicendi videtur exiſtimare probabilem Bagnes 1. p. q. 4. art.2.dubitat.2. dum aſſerit eſſe probabile quòd accidentia in Sacramento altaris exiſtant per modum ſubſtantiæ per exiſtentiã, quæ antea fuerat cum ſubſtantia panis, vel vini. Et probat ex Soto 1. Phyſic. quæſt. 6. vbi aſſerit, accidentia in ſubiecto exiſtere per exiſtentiam ſubſtantiæ; cùm igitur in Sacramento Euchariſtiæ, maneant accidentia panis, vel vini, dicendum eſt, inquit Bagnes, exiſtentiam panis, vel vini manere cum accidentibus.

4. Verior ſententia. Prima concluſio.

Contraria tamen ſententia eſt tenenda; pro cuius explicatione ſit

Prima concluſio contra primum modum dicendi. Realitas panis, non poteſt remanere facta vnum cum corpore Chriſti.

Fundamentũ huius concluſionis. Scot. Sot.

Hæc concluſio probatur à Scot.in.4. diſtinct.11. quæſt. 4. & à Soto diſtinct. 11. quæſt. 2. art.4. nam vel hæc realitas eſt entitas numerica, vt aliqui volunt, vel eſt aliqua ratio generica, vt ratio ſubſtantiæ, &c. Sed neutrum dici poteſt; non primum, quia tunc ſequeretur, quòd corpus Chriſti ſub accidentibus, non eſſet idem numero in ſua entitate cum corpore Chriſti, quod eſt in cœlo, quia corpus Chriſti, vt eſt ſub diuerſis ſpeciebus, haberet plures entitates numero diſtinctas, quas non habet in cœlo. Secundò ſequeretur, quòd iſtæ entitates numericæ panis, vt ſunt factæ corpus Chriſti, eſſent idem realiter inter ſe, cùm tamen adhuc retineant ſuas diſtinctiones numericas, quæ tamen ante conſecrationem diſtinguebantur realiter inter ſe. Tertiò repugnare videtur hic modus Tridentino ſeſſ.13. c. 4. can.2. vbi definitur, totam ſubſtantiam panis, conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, & remanere

Trident.

5. duntaxat accidentia; Neque poteſt dici ſecundum, quòd ſcilicet, iſta realitas, quæ manet cum accidentibus, ſit aliqua communis ratio entis realis, vt ſubſtantiæ, &c. quæ erat communis corpori Chriſti, & ſubſtantiæ panis, tum quia ad hoc vt corpus Chriſti habeat hanc rationem ſubſtantialem, non erat neceſſaria conuerſio, nam ante conuerſionem corpus Chriſti erat ens reale, & ſubſtantia: tum quia ſequeretur, quòd cùm creatur aliqua res, tunc omnes aliæ res annihilatæ, ſeu corruptæ inciperent eſſe de nouo, quia quando res creatur de nouo, incipit eſſe ens reale, quod eſt ratio communis, quam habebant res, quæ antè erant: tum quia ſequeretur, quòd non magis panis, diceretur conuerti in corpus Chriſti, quàm in aliam rem mundi.

6. Scotus. S. Thom.

Hæc concluſio eſt communis Doctorum Scoti in 4. diſt. 11. quæſt. 4. & communis Scotiſtarum, & S.Thomæ, cum communi Thomiſtarum 3 par.q.75.

A art. 2. vbi ait, quòd ſubſtantia panis, nunquam eſt corpus Chriſti, & art.3. ad tertium dicit, poſt conſecrationem ſubſtantiam panis non eſſe aliquid, & in 4.diſtinct.11.part.1.art.4. negat hanc propoſitionem, quòd erat panis, eſſe corpus Chriſti.

7. Secunda concluſio. S. Thom.

Secunda concluſio contra ſecundum modũ dicendi Durandi. In Euchariſtia non manet materia panis, ſeu vini informata anima Chriſti: Eſt communis Theologorum præcipuè S. Thomæ loco citato quæſt.75. art.2. & inter recentiores ſatis bene probant Card. Bellar. lib. 3. de Euchar. cap. 19. Suar. 3. part. diſput. 44. ſect.

Prima ratio.

Probatur primò, ex Tridentino ſeſſ.13. cap. 4. & can.2. vbi definitur, totam ſubſtantiam panis, & vini, conuerti in corpus, & ſanguinem Chriſti, manentibus duntaxat accidentibus panis, & vini; non igitur manet materia panis.

Secunda ratio.

Secundò probatur, quia terminus ad quem, per idem Tridentinum loco citato, non eſt informatio animæ Chriſti, ſed eſt ipſa ſubſtantia corporis Chriſti.

8. Tertia ratio.

Tertiò probatur, quia alioquin ſequeretur, quòd corpus Chriſti per verba conſecrationis prædicaretur de illa materia panis, quod quidem eſt abſurdum, ergo, &c. Minor (quod ſcilicet ſit abſurdum;) probatur, quia illud corpus humanum Chriſti conſecratur, quod fuit traditum ad mortem, vt patet ex verbis ſequentibus, *quod pro vobis tradetur*. Sed illud C non poteſt prædicari de illo corpore, quod eſt materia panis informata anima Chriſti, quia non fuit illud quod traditum eſt ad mortem, ſed illud quod conſtabat ex materia accepta ex virgine; Sequela Maioris probatur, quia quando ſub accidentibus, per quæ fit demonſtratio ſubſtantiæ, continetur aliqua ſubſtantia, quæ in ſe habet illa accidentia, tunc hæc ſubſtantia deſignatur per particulam demonſtratiuam *hoc*, etiamſi cum hac ſubſtantia ſit intimè præſens alia ſubſtantia, imò hæc alia ſubſtãtia, non poteſt deſignari per illam particulam demõſtratiuam *hoc*: Sicut à ſimili quamuis Deus ſit intimè præſens ſubſtantiæ panis, non tamen propterea poteſt dici quòd hoc contentum ſub accidentibus D panis, ſit Deus, quia illa particula *hoc*, deſignat ſubſtantiam panis, in qua ſunt accidentia, per quæ fit demonſtratio ſubſtantiæ; ſi igitur in Euchariſtia eſt materia panis, quæ continet illa accidentia, cùm fit demonſtratio per illam particulam *hoc*, tunc verba facerent hunc ſenſum; Corpus meum eſt hoc, quod continetur ſub his accidentibus, ergo corpus Chriſti quod erat tradendum morti, prædicatur de materia panis, quam continent illa accidentia panis, quod quidem eſt falſum, vt probatum eſt, & hac ſimili ratione probant Doctores, præſertim S.Thom.3.part.quæſt.75. art. 2. illa verba conſecrationis non potuiſſe eſſe vera, ſine deſitione panis, quia alioquin illa particula *hoc*, deſignaret ſubſtan- E tiam panis, hæc enim eſſet quæ contineretur ſub accidentibus.

S. Thom.

9 Tertia concluſio. S. Thom.

Tertia concluſio contra tertium modum dicendi. In Euchariſtia non manet exiſtentia ſubſtantiæ panis. Eſt communis Doctorum, præſertim S.Thomæ 3.part.quæſt.76.ar. 1. vbi aſſerit accidentia in Euchariſtia manere ſine ſubiecto: at verò ſi exiſtentia ſubſtantialis panis, eſſet res diſtincta à ſubſtantia panis, & à Deo conſeruaretur cum accidentibus, accidentia nõn eſſent ſine ſubiecto, quia acciperentur in illa. Hanc concluſionem fusè probat Paludanus in 4. diſt.12. quæſt.3. & in 3. p. Suar. diſp.49.ſect.2.concluſ.2.

Prima ratio.

Et primò probatur philoſophicè, quia exiſtentia panis,

Digitized by Google

et philoſophia. panis, non poteſt conſeruari ſine ſubſtantia panis, ergo deſtructa ſubſtantia panis, deſtruitur exiſtentia; Antecedens probatur, nam vel, vt aliqui tenent, exiſtentia identificatur omnino cum re exiſtenti, & tunc ſi deſtruitur res exiſtens, deſtruitur exiſtentia, quia eſt vna actualis entitas; vel eſt diſtincta à parte rei, à re cuius eſt exiſtentia, & tunc etiam ad deſtructionem rei deſtruitur exiſtentia. Probatur, quia cùm ſit modus rei exiſtentis intrinſecè, dicit dependentiam à re exiſtenti. Quòd verò ſit modus, probatur, quia non poteſt eſſe realitas diſtincta ab eſſentia, quia ſi eſſet realitas, deberet vniri cum eſſentia vnione diſtincta; non poteſt autem vniri, quia eſſentia non poteſt recipere aliquid reale, antequam recipiat exiſtentiam; dicendum igitur eſt, quòd exiſtentia ſit modus eſſentiæ, qui ſe ipſo vnitur cum eſſentia, vt probatum eſt in prædicamento ſubſtantiæ, in quarta diſputatione de vnione, ac proinde nō poteſt ſeparari à re, cuius eſt modus, eſſe enim modi conſiſtit in actuali exercitio modificādi.

10. Secunda ratio Theologica. Trident. Secundò probatur Theologicè ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 4. vbi definitur, totam ſubſtantiam panis, & vini, conuerti in corpus, & ſanguinem Chriſti; nihil igitur ſubſtantiale panis manet in Euchariſtia. Nec omnino ſatisfacit reſponſio Bagnes, quòd dum Concilium dicit manere accidentia, iam definit, manere exiſtientiam, per quam illa exiſtunt; non, inquam, ſatisfacit, nam dum definit, totam ſubſtantiam panis deſinere, & duntaxat accidentia manere, potiùs videtur Concilium definire, non manere exiſtentiam ſubſtantialem panis, per quam exiſtant accidentia, ſed accidentia exiſtere non per exiſtentiam ſubiecti, ſed potiùs conſeruari à Deo, præſertim cùm accidentia realiter diſtincta, non exiſtant exiſtentia ſubiecti, ſed habeant propriam exiſtentiam, vt probauimus ſuprà diſputatione prima philoſophica.

11. Tertia ratio. Præterea tertiò videtur hæc opinio damnata ab Innoc. VIII. in damnatione quarumdam propoſitionum Pici Mirandulani, ſine nota tamen exiſtimationis ipſius Mirandulani, quia illas propoſitiones propoſuit tantùm gratia ſcholaſticæ diſputationis, & poſtea illas in meliorem ſenſum declarauit in Apologia, & hanc propoſitionem de qua loquimur, quòd ſcilicet accidentia recipiantur in exiſtentia ſubſtantiali panis, idem auctor declarauit dicens, quòd potuiſſet Sacramentum ita inſtitui, vt accidentia reciperētur in exiſtentia ſubſtantiali panis, corrupta ſubſtantia panis, non autem quòd de facto ſit ita inſtitutum.

12. Quarta ratio. Quartò probatur, quia ſequeretur quòd per particulam demonſtratiuam *hoc*, demonſtraretur iſta exiſtentia, quæ erat exiſtentia ipſius panis, in qua recipiuntur accidentia, ergo de illa prædicaretur corpus Chriſti, vt ſuprà oſtendimus in ſecunda concluſione; hoc autem eſt abſurdum; quia demonſtratur corpus Chriſti.

13. Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum primi modi. S. Thom. Ad argumenta in oppoſitum, & primò ad fundamentum primi modi dicendi, reſpondeo in vniuerſum ad authoritates Patrum ex S. Thoma in 4. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula prima, quòd cùm dicitur à Patribus, panem eſſe, vel fieri corpus Chriſti, non intelligendum eſt, quòd fiat idem cum corpore Chriſti, ſecundùm identitatem realem, ita vt aliqua realitas panis fiat idem realiter cum corpore Chriſti, ſed intelligendum eſt ſecundùm identitatem eiuſdem continētis, ita vt ſit ſenſus, id quod erat continens panem, quod quidem continens erāt accidentia, ſit poſt conuerſionem continens corpus Chriſti.

Maiorem autem difficultatem habet teſtimonium Ambroſij, citatum à Caietano, non enim poteſt intelligi de identitate ſpecierum; ait enim Ambroſius, quòd ſermo Chriſti eſt operatorius, vt ſint, quæ erant, & in aliud conuertantur, & quod erat panis ante conſecrationem, poſt conſecrationem ſit corpus Chriſti. 14. Reſpōſio ad teſtimoniū ex Ambroſio.

Reſpondetur, in aliquibus codicibus Sancti Ambroſij non legi (vt ſint quæ erant) ſed (vt quæ erant, in aliud tranſmutentur.) Ita tenet Lanfranc. tractatu de Euchariſt. & confirmari poteſt ex alio loco Ambroſij cap. 9. de his, qui init. vbi ſic ait; Sermo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare quod non erat. Ambroſ.

Secundò reſpondetur ab aliis, quòd etiam ſi illa verba ſint apud Ambroſium, non ſunt referenda ad ſubſtantiam panis, & vini, ſed ad corpus, & ſanguinem Chriſti, ita vt ſenſus ſit: Corpus, & ſanguis Chriſti, quæ priùs erant, ſunt etiam ex vi verborum in Euchariſtia ſecundùm alium modum eſſendi.

Tertiò reſpondetur, quòd ſi verba illa referantur ad ſubſtantiam panis, & vini, ita intelligenda ſunt, vt vltimum inſtans conſecrationis ſit extrinſecum ſubſtantiæ panis, & vini, ac propterea ſubſtantiæ panis, & vini, erant quidem in illo inſtanti, ſed extrinſecè, ſunt autem poſtea in eodem inſtanti intrinſecè, conuerſæ in corpus Chriſti, vt ibi dicit Ambroſius; & iuxta hunc ſenſum hic locus eſt ſimilis alteri loco citato ex Ambroſio, de his qui initiantur.

Ad fundamentum tertij modi reſpondetur, falſum ſupponi ex Soto, exiſtentiam accidentium non differre ab exiſtentia ſubſtantiæ, vt probatum eſt ſuprà. Et præterea etiam ſi accidentia panis exiſterent exiſtentia panis ante conſecrationem, non tamen hinc bene inferretur, quòd remaneat poſt conſecrationem exiſtentia panis cum accidentibus; hoc enim videtur eſſe contra Concilia, præſertim Tridentinum, ſeſſ. 13. vbi habetur, quòd ſit conuerſio totius ſubſtantiæ panis. 15. Ad argumētum tertij modi.

SEXTA DVBITATIO.

In qua confutatis alijs opinionibus, oſtenditur in quo formaliter conſiſtat conuerſio ſubſtantialis totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti.

VNICA concluſio. Dicendum eſt, tranſubſtantiationem totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, formaliter conſiſtere tantùm in eo, quòd corpus Chriſti ex vi verborum vnitur cum accidentibus loco ſubſtantiæ panis, ſuſtentando ſcilicet accidentia in genere cauſæ efficientis, quæ priùs ſuſtentabantur à pane in genere cauſæ materialis. Hæc concluſio eſt expreſſa ſententia Palatij in 4. diſt. 11. quæſtione 1. concluſ. 2. circa medium, vbi ſatis bene explicat hanc noſtram concluſionem. Eſt etiam Soti in 4. diſtinct. 9. quæſt. 2. Gabrielis in tracta. de Euchariſtia, vbi docet corpus Chriſti poni ſub accidentibus ſuſtentando illa ſine inhærentia. Eſt etiam aliquorum recentiorum. Colligitur præterea hæc ſententia ex aliis Doctoribus, ſcilicet à Magiſtro in 4. diſt. 11. Altiſiod. lib. 4. tracta. 5. Alenſ. 4. part. quæſtione 10. memb. 5. art. 2. Alberto diſtinct. 11. art. 1. & 2. Bonauent. & Riccard. ibidem. Paludan. quæſtione 3. Ægid. de Euchariſt. theoremat. 1. & 3. Capreol. in 4. diſt. 10. quæſtione 3. art. 3. ad primum. Ferrarienſ. 4. contra gentes cap. 3. & denique ex S. Thom. 3. part. 1. Vnica concluſio. Sotus. Gabriel. Altiſiod. Alenſ. Albertus. Bonauent. Riccard. Paludan. Ægid. Capreol. Ferrar. S.Thom.

Digitized by Google

quæſtione 76. art. 4. & 5. qui omnes docent, ſubſtantiam corporis Chriſti ſuccedere loco ſubſtantiæ panis.

2. Pro intelligentia huius concluſionis nota, hanc ſententiam duo requirere, ad hoc vt dicatur conuerſio panis in corpus Chriſti verè ſubſtantialis, ſeu tranſubſtantiatio; Primum eſt, vt corpus Chriſti vniatur intrinſecè ex vi verborum cum accidentibus. Secundum, vt vniatur loco ſubſtantiæ panis, hoc eſt, vt ſuſtentans accidentia.

Quantùm ad primum, recolenda ſunt ea quæ diximus in primo Corollario dubit. octaua concluſ. quinta, vbi oſtendimus quòd corpus Chriſti vnitur cum accidentibus panis vnione quadam intrinſeca & ineffabili, ſimili vnioni, qua vniebatur ipſa ſubſtantia panis cum accidentibus, ſublata inhærentia, vt docet S. Thom. in 4. diſtinct. 11. art. 1. quæſtiuncula prima ad primum.

Quòd ſi quæras, quale ſit illud compoſitum, quod per hanc vnionem fit ex corpore Chriſti & accidentibus; Reſpondetur, quod non fit vnum ens phyſicum, ſicut fit ex ſubſtantia panis & accidentibus, in qua compoſitione ſubſtantia eſt ſubiectum, & ſe habet vt potentia; accidentia verò ſe habent vt actus; Sed ex accidentibus & corpore Chriſti fit vnum locatum, ordinatum ad vnitatem eiuſdem loci: ita vt in eo loco vbi ſunt accidentia, neceſſariò etiam ſit corpus Chriſti; Et in hac quidem vnione accidentia non ſe habent vt actus, & corpus Chriſti vt potentia, ſed vtrumque extremum ſe potiùs habet vt potentia adæquata, tanquam vnum locatum; actus verò ſeu forma, eſt vnitas eiuſdem loci, ſeu ordo ad vnitatem eiuſdem loci, ſicut omnes partes corporis vniuntur tanquam vna materia adæquata ad vnitatem formæ.

3. Quantùm ad ſecundum, quod diximus requiri ad tranſubſtantiationem, eſt vt corpus Chriſti vniatur cum accidentibus non quomodocumque, ſed vt ſuſtentans accidentia.

Pro quo nota, quòd quia corpus Chriſti vnitur cum accidentibus loco ſubſtantiæ, vt communiter dicunt Doctores ſuprà citati; hinc fit vt ex vi verborum debeat corpus Chriſti vnitum accidentibus, eleuari à Deo, vt ſit ſecundùm potentiam obedientialem aptum ad ſuſtentandum efficienter accidentia panis, quæ ſuſtentabantur à ſubſtantia panis in genere cauſæ materialis.

Nota præterea, quòd iſta ſuſtentatio accipi poteſt dupliciter, vel in actu ſecundo, vel in actu primo; & hoc vltimo modo hîc accipitur; hoc enim modo meliùs ſaluatur quomodo conuerſio ſit ſubſtantialis; vnitur enim corpus Chriſti cum accidentibus ſecundùm quandam nouam rationem ſubſtantialem, quæ aduenit corpori Chriſti, vt eleuato à Deo ſecundùm potentiam obedientialem; Hæc autem noua ratio ſubſtantialis eſt, quia corpus Chriſti ſecundùm ſuam ſubſtantiam intrinſecam, ſit proximè aptum in actu primo ad ſuſtentandum accidentia, neque ad hoc aliud requiritur, niſi imperium diuinum, cui ſubiecta eſt omnis creatura eſſentialiter, ita vt per eam poſſit Deus operari, quicquid non implicat contradictionem, vt infrà dicetur in fine huius dubitationis.

4. Prima ratio. Hæc concluſio ſic explicata probatur Primo, quia ſecundùm hanc benè explicatur, quomodo ſubſtantia corporis Chriſti ſuccedat, vt dicunt Doctores, loco ſubſtantiæ panis, exercet enim munus ſuſtentandi accidentia, quæ ſuſtentabantur à pane.

5. Secunda ratio. Secundo probatur, quia rectè, & ſufficienter iuxta hanc ſententiam ſaluatur ſignificatio illorum verborum, *Hoc eſt corpus meum*; ſignificatur enim contentum ſub his ſpeciebus eſſe corpus Chriſti, loco ſubſtantiæ panis, vt excludens illam; excludit autem, vt dictum eſt, quia corpus Chriſti ſuccedit exercendo munus ſuſtentandi accidentia, quæ ſuſtentabantur à pane.

Tertio probatur ex confutatione aliarum opinionum; Probatum eſt enim huc vſque tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, non poſſe ſaluari ex ſola deſitione panis, vt demonſtratum eſt in quarta dubitatione, deficit enim vnum ex requiſitis ad conuerſionem ſubſtantialem, quod eſt terminus ad quem ſubſtantialis. Neque ſecundò poteſt ſaluari, vt dicebant Scotus & alij, per ſolam actionem adductiuam ſubſtantiæ corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quia, vt oſtenſum eſt in ſecunda dubitatione, deficit aliud requiſitum ad conuerſionem ſubſtantialem, illud autem eſt, quòd ex conuerſione, accedere debeat in termino ad quem, noua ratio ſubſtantialis, ex vi cuius excludatur terminus à quo. Nec tertiò poteſt ſaluari tranſubſtantiatio, ſi dicatur cum Gabr. & aliis, quos citauimus in quarta dubitatione, quòd ex vi verborum corpus Chriſti efficiatur, ſeu conſeruetur nouo concurſu ſubſtantialiter ſub ſpeciebus Sacramentalibus; tum quia hæc noua efficientia repugnat: tum quia ſignificatio verborum commodè ſaluari poteſt ſine hac noua efficientia, vt ſatis probatum eſt in tertia dubitatione. Neque quartò ſaluari poteſt tráſubſtantiatio, ſi dicatur cum Caiet. & Bag. & aliis, remanere ſub ſpeciebus aliquam realitatem panis, ſiue illa ſit entitas numerica, ſiue exiſtentia panis; ſatis enim probatum eſt in quinta dubitatione, hoc repugnare propter multa, tum præcipuè, quia hoc videtur eſſe contra Concilia, præſertim Tridentinum ſeſſ. 13. vbi habetur, tranſubſtantiationem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti. Remanet igitur ex confutatione aliarum opinionum firma ſententia Corollarij, quòd tranſubſtantiatio fiat per conuerſionem panis in corpus Chriſti; quatenus ex vi verborum ponitur ſub accidentibus, vt ſuſtentans efficienter illa accidentia loco ſubſtantiæ; per hoc enim ſaluantur omnes conditiones requiſitæ ad veram conuerſionem ſubſtantialem, & ad veram tranſubſtantiationem, vt mox infrà oſtenderetur, quas quidem omnes conditiones non poſſunt ſaluare aliæ opiniones, vt oſtenſum eſt. 6. Tertia ratio.

Qvarto igitur probatur à priori hæc noſtra ſententia; quia omnes illæ ſex conditiones requiſitæ ad veram conuerſionem ſubſtantialem, quas fusè explicuimus in prima dubitatione, reperiuntur in hac conuerſione, quam nos aſſerimus, ergo, &c. Probatur autem Antecedens diſcurrendo breuiter per ſingula requiſita ad veram conuerſionem ſubſtantialem. 7. Quarta ratio à priori.

Primum requiſitum erat, vt ſit deſitio vnius ſubſtantiæ, & poſitio alterius, hoc autem requiſitum certum eſt reperiri in hac conuerſione, quia deſinit ſubſtantia panis, & aduenit ſubſtantia corporis Chriſti, ſub iiſdem accidentibus. 8.

Secundum requiſitum erat, vt deſitio panis oriatur ex poſitione termini ad quem; & hoc requiſitum reperitur etiam in hac conuerſione; nam corpus Chriſti ponitur ſub accidentibus, vt ſuccedens loco ſubſtantiæ, ac proinde per diuinam eleuationem habet vim ſuſtentandi accidentia effectiuè; ſicut panis ſuſtentabat ſubiectiuè; cùm autem vnus, & idem effectus non poſſit dependere ſaltem naturaliter à duabus cauſis totalibus, immò neque ſupernaturaliter, vt oſtendemus in prædicamento actionis, 9.

actionis, hinc fit, vt ex vi poſitionis corporis Chriſti, deſinat ſubſtantia panis, cùm enim non poſſit ſuſtentare accidentia, neceſſariò illa ſeparantur à ſubſtantia; per ſeparationem autem corrumpitur ſubſtantia, quia quò ad eſſe, dependet à temperamento qualitatum.

10. *Dubium circa ſecundò requiſitum.* Sed circa hoc ſecundum requiſitum occurrit dubium, poſſet enim aliquis dicere, quòd quamuis ſubſtantia panis non ſuſtentet accidentia, non tamen propterea deſtruatur ſubſtantia panis, quia hæc dependet ab accidentibus non quatenus dat accidentibus ſuſtentare, ſed potiùs quatenus recipit ab ipſis accidentibus informationem, ſed poſſunt accidentia informare ſubſtantiam, etiam ſi non ſuſtententur à ſubſtantia, dummodo ſuſtententur efficienter à corpore Chriſti; quia cùm ſuſtentatio ſit tantùm conditio requiſita ad exiſtentiam accidentium, ſufficit, vt hæc ſuſtentatio à quocumque ſuppleatur; ſicut ignis fit ſufficiens ad comburendum, quomodocumque ſuppleatur approximatio; Quòd autem ſuſtentatio ſit tantùm conditio, & non pertineat ad eſſentiam informationis, probatur, quia anima rationalis verè informat corpus, & tamen non ſuſtentatur à corpore.

Soluitur. Reſpondetur, quòd accidens, ſi non ſuſtentetur à ſubſtantia panis, ſtatim deſinit informare illam, quia informatio accidentis, eſt naturaliter per inhærentiam, inhærentia autem dicit ſuſtentationem.

11. Tertium requiſitum ad conuerſionem ſubſtantialem erat, vt ſit vnum commune vtrique termino, & hæc quidem ſunt accidentia in hac tranſubſtantiatione, vt patet.

12. Quartum requiſitum erat, vt non ſolùm terminus à quo, ſit ſubſtantialis, ſed etiam vt terminus ad quem, ſit formaliter ſubſtantialis; hoc quidem requiſitum reperitur in noſtra ſententia, nam terminus ad quem, non eſt corpus Chriſti, quomodocumque adueniens, ſub accidentibus, ſed adueniens, vt ſuſtentans in actu primo per eleuationem diuinam, vis autem ſuſtentandi, quam habet corpus Chriſti per diuinam eleuationẽ, eſt ſubſtãtialis, quia eſt ipſamet ſubſtãtia corporis Chriſti, vt ſtat ſub eleuatione, tanquã conditione ſine qua non, vt patet ex his, quæ diximus in priori tomo de potẽtia obedientiali, in ſecũdo principio philoſophico, vbi oſtendimus, quòd cùm ens creatum eleuatur à Deo ad opus ſupranaturale, non additur aliqua virtus accidentalis, ſed ipſamet ſubſtantia eleuatur ad illud opus, propter eſſentialem ſubiectionem, quam habet à Deo; quare actio procedit ex principio intrinſeco illius ſubſtantiæ; ſuppoſita eleuatione per imperium diuinum, tamquam conditione complente principium proximum.

13. *Dubiũ circa quartum requiſitum.* Sed hic occurrit dubium, quia expulſio ſubſtantiæ panis, non eſt ex vi poſitionis corporis Chriſti, vt ſuſtentantis in actu primo, ſed in actu ſecundo, quia inhærentia tollitur formaliter per ſuſtentationem in actu ſecundo.

Soluitur primò. Reſpondetur primò, ad hoc vt terminus dicatur incompoſſibilis alteri termino, ſufficit ſi per actionem termini, quæ connaturaliter, & neceſſariò ſequitur ad poſitionem termini, ſequatur deſitio termini à quo, & per hoc dici poteſt, terminum à quo deſinere in eodem inſtanti, ex vi termini ad quem conſecutiuè, ſicut forma dicitur expellere aliam formam, non per actum primum præcisè, ſed per actum ſecundum actualis informationis. Quòd autem ſuſtentatio in actu ſecundo ſequatur connaturaliter, patet, quia ex cauſa in actu primo perfectè conſtituta, connaturaliter procedit actio; ſed corpus Chriſti eſt per diuinam eleuationem perfectè conſtitutum ad ſuſtentandum, ergo &c. Quod verò neceſſariò debet exire in actum ſuſtentationis, probatur, quia ad verificanda verba, neceſſitatur ex ſuppoſitione Chriſtus ſuſtentare illa accidentia, ſi ſuſtentatio dependet à volũtate Chriſti; quòd ſi non dependet à voluntate Chriſti, tunc multò magis illa ſuſtentatio eſt neceſſaria, dependet enim naturaliter à corpore Chriſti.

Præterea ſecundò poſſet reſponderi ad dubium, quòd corpus Chriſti, vt ſuſtentans in actu primo accidentia, excludat ſubſtantiam panis, nam eo ipſo, quòd corpus Chriſti, eſt perfectè conſtitutum in actu primo, ad exeundum ſtatim in actum ſecundum, iam ſubſtantia panis debet neceſſariò ceſſare ab actu ſecũdo ſuſtentationis; nam ſubſtantia panis naturaliter ſuſtentans accidentia, impedit, quò minùs corpus Chriſti poſſit exire in actum ſecundum, ac propterea corpus Chriſti non eſſet perfectè conſtitutum in actu primo, vt ſupponebatur. 14. *Soluitur ſecundò.*

15. Quintum requiſitum erat, vt vterque terminus ſit poſitiuus, & realis; & hoc clarè patet eſſe in hac tranſubſtantiatione, nam terminus à quo, eſt tota ſubſtantia panis, terminus autem ad quem, eſt ſubſtantia corporis Chriſti.

Sextum requiſitum erat, vt conuerſio dicat aliquam mutationem in termino ad quem, & quòd per illam terminus ad quem recipiat aliquod eſſe ſubſtantiale, vel ſaltem habitudinem ſubſtantialem de nouo, ad hoc, vt cõuerſio ſubſtantialis fiat in terminum ad quem ſubſtantialem formaliter, vt ibi probatum eſt; hoc autem requiſitum repetitur in hac tranſubſtantiatione Sacramentali, nam intercedit mutatio præſentiæ Sacramentalis, quæ nihil aliud eſt, quàm vnio quædam entitatiua corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, ſimilis illi, qua vnitur ſubſtantia cum accidentibus; hæc autem vnio fit de nouo ex vi verborum, & recipitur ſiue in ipſis accidentibus, ſiue, vt ſuprà oſtenſum eſt, in ipſo corpore Chriſti. Quòd autem adueniat præter hanc vnionem accidentalem, aliqua noua ratio ſubſtantialis in corpore Chriſti, probatur, quia ex vi verborum, ita fit præſens corpus Chriſti ſub ſpeciebus, vt eleuetur per potentiam obedientialem ad ſuſtentandum accidentia loco ſubſtantiæ.

16. *Dubiũ circa ſextum requiſitum.* Sed hic occurrunt duo dubia: Primum eſt, quia iſta eleuatio corporis Chriſti ad ſuſtentandum accidentia, non eſt per nouam actionem ſubſtantialem, ſed per actum diuini imperij; ſolùm igitur intercedit mutatio accidentalis, per quam corpus Chriſti vnitur cum ſpeciebus; ſed per hanc non videtur poſſe ſaluari conuerſio ſubſtantialis ipſius panis, in corpus Chriſti.

Soluitur. Reſpondetur ad hoc primum dubium, ex dictis in prima dubitatione; conuerſionem ſubſtantialem rectè ſaluari, ſi termino ad quem adueniat aliqua noua ratio ſubſtantialis, excludens terminum à quo, ſiue hæc noua ratio adueniat per nouam mutationem accidentalem, ſiue ſubſtantialem: Exemplum eſt in anima rationali, ſi ponatur creata ab æterno, & poſtea adducatur ad corpus per mutationem accidentalem, qua producuntur diſpoſitiones, ſi ſupponatur, quod multi tenent, non dari vnionem diſtinctam à parte rei, tunc enim in hoc caſu anima adducta ad corpus bene diſpoſitum, & organizatum, fit actus primus corporis, & ſufficiens principium ad operandum, & ex vi poſitionis animæ excluditur forma embryonis, & tamen anima non fit de nouo neque aliqua actio ſeu mutatio ſubſtantialis

lis intrinſecè recipitur in anima: Ita ſimiliter non A eſt neceſſe, vt efficiatur corpus Chriſti noua actione ſubſtantiali ſub ſpeciebus Sacramentalibus; Sed ſatis eſt ſi ſuppoſita illa mutatione, ſeu actione accidentali, qua vnitur corpus Chriſti cum accidentibus, eleuetur ipſum corpus Chriſti ex vi verborum, ad ſuſtentandum efficienter accidẽtia loco ſubſtantiæ; per hoc enim corpus Chriſti fit ſatis ſufficiens, ad excludendum ſubſtantiam panis, vt oſtenſum eſt ſuprà, poteſt autem illa actio, qua ponitur corpus Chriſti ſub accidentibus, dici aliquo modo ſubſtantialis, ſaltem terminatiuè, quatenus terminatur ad ponendum corpus Chriſti ſub accidentibus, non quomodocumque, ſed vt ſuſtentans in actu primo illa accidentia.

17. Secundũ dubium circa idem requiſitum.

Secundò occurrit dubium, quia hæc ſuſtentatio, B quæ aduenit corpori Chriſti, non videtur eſſe noua quædam ratio ſubſtantialis, ſed potiùs accidentalis; nam vel eſt actus ſecundus, vel, ſi eſt actus primus, fit per qualitatem ſuperadditam à Deo ipſi corpori Chriſti.

Soluitur.

Reſpondetur, nos non accipere ſuſtentationem in actu ſecundo, vt aliqui accipiunt, ſed in actu primo, quatenus ex vi verborum corpus Chriſti per potentiam obedientialem conſtituitur ſub ſpeciebus perfectè, & adæquatè, potens in actu primo, ad ſuſtentandum accidentia efficienter ſe ſolo; hanc autem vim non habet per aliquam qualitatem ſuperadditam, ſed per ipſammet ſubſtantiam corporis eleuatam per imperium diuinum; omnes enim creaturæ, vt fusè probauimus in primo tomo, in ſecun- C do principio philoſophico, in primo corollario dubitatione prima, propter eſſentialem ſubiectionem, quam habent ad Deum, non ſolùm in eſſe, ſed in operari, ſunt habiles ad faciendum quicquid imperauerit Deus, dummodo non implicet contradictionem; Hæc igitur vis in corpore Chriſti ad ſuſtentandum accidentia, vt ſubdita imperio diuino, eſt ſubſtantialis, & eſt ipſamet ſubſtantia corporis, vt ſtat ſub potentia operandi, vt alibi dictum eſt.

18. Quinta ratio.

Qvinto probatur noſtra ſententia, quia ſecundùm illam bene ſaluatur, quomodo deſitio panis, non ſit annihilatio, vt dicunt Patres, quod non poteſt commodè ſaluari per alias opiniones, vt mox videbitur in ſeq. dubitatione.

SEPTIMA DVBITATIO.

An deſitio panis ſit annihilatio.

1. Explicatur ſenſus quæſtionis. Gabr. Maior.

SVppono quæſtionem non eſſe de nomine, vt falsò exiſtimarunt Gabr. in 4. diſt. 11. quæſtione 1. art. 3. & Maior ibidem quæſtione 1. & alij Nominales; ſed eſſe quæſtionem de re; nam annihilatio propriè dicta, fit per ſolam ſubtractionem diuini concurſus; at verò deſitio, vt opponitur annihilationi, fit per incompoſſibilitatem termini ad quem, ac proinde non fit per ſolam ſubtractionem diuini concurſus; quare ſi Deus nollet ſubtrahere concurſum, præterquam, quòd faceret E contra exigentiam connaturalem termini ad quem incompoſſibilis, adhuc deberet augere concurſum, ad hoc, vt poſſit conſeruare terminum à quo, in eodem ſubiecto, cum termino ad quem, qui naturaliter dicit incompoſſibilitatem; & quamuis deſitio ſecundùm nomen genericum, complectatur etiam annihilationem, tamen hoc nomẽ genericum appropriatur deſitioni propriè dictæ, vt eſt ſpecies oppoſita, & diſtincta ab annihilatione.

Prima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 11. quæſtione 4. aſſerentis deſitionem panis eſſe veram annihilationem. 2. Prima ſententia. Scot.

Fundamentum Scoti.

Fundamentum eſt, quia annihilatio, inquit, formaliter eſt actio, per quam res ita deſinit, vt poſt corruptionem ſit merè nihil; ſicut enim creatio eſt ex nihilo, ita annihilatio eſt deſitio in nihilum, ita vt nihil maneat illius, quod corrumpitur; ſed in conuerſione Sacramentali nihil manet panis, vel vini; quamuis enim maneant accidentia, tamen hæc non pertinent ad ſubſtantiam panis vel vini; ergo deſtructio panis, vel vini, eſt vera annihilatio.

Cõfirmatio.

Et confirmatur, quia ſubſtantia panis, & vini, ita deſtruitur, vt non poſſit reproduci niſi per creationem, ergo deſtruitur per annihilationem, quia ſi non fuiſſet omnino annihilatio, non foret neceſſe, vt reproducatur per creationem.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

3. Vnica conclusio cõtra præcedẽtem ſententiam. Magiſter. Albertus.

HIs tamen non obſtantibus, dicendum eſt cum communi ſententia Scholaſticorum, deſitionem panis & vini non eſſe propriè annihilationem. Ita ſcholaſtici cum Magiſtro in 4. diſtinct. 11. & ibidem Albert. art. 7. vbi ait, hoc eſſe neceſſariò affirmandum propter teſtimonia ſanctorum; quorum, inquit, inſpirata reuelatio maioris momenti debet eſſe, quàm argumenta in oppoſitum. Et idem aſſerunt cum S. Thom. 3. part. quæſtione 75. art. 3. Caietanus & alij expoſitores. Hugo de Sanct. Vict. lib. 2. de Sacrament. part. 8. cap. 9. Alenſ. 4. part. quæſtione membr. 5. art. 3. Altiſiod. lib. 4. tract. 1. cap. 2. Capr. & Ægid. locis mox infrà citandis, & alij, ſed in aſſignanda ratione ſunt varij modi dicendi.

S. Thom. Caietanus. Hugo. Alenſ. Capr. Ægidius.

4. Primus modus dicendi confutatur.

Primus modus dicendi eſt Capreoli in 4. diſt. 11. quæſtione 1. art. 3. ad primum argumentum Scoti contra ſecundam concluſionem, & Ægidij 4. de Euchariſt. theor. 1. & 3. qui omnes videntur ponere in corpore Chriſti potentiam quamdam obedientialem, per quam dicunt deſtrui ſubſtantiam panis ex imperio Dei.

D Sed contrà, quia hæc potentia vel deſtruit panem in genere cauſæ efficientis, & contrà, quia tunc opus fuiſſet, vt corpus Chriſti ante conuerſionem conſeruaſſet panem, tanquam inſtrumentum Dei, vt poſtea ad ſubtractionem concurſus deſtrueretur panis: vel deſtruit formaliter, & contrà, quia vel iſtam repugnantiam, ſeu incompoſſibilitatem cum pane, habet corpus Chriſti naturaliter; & hoc dici non poteſt, neque iſti authores dicunt, quia ſicut naturaliter ponitur hæc repugnantia formalis in corpore Chriſti, deberet etiam poni in ipſa ſubſtantia panis, quare non eſſet maior ratio cur corpus Chriſti excludat panem, & non potiùs panis excludat corpus Chriſti; vel non habet à ſe, ſed communicatur illi ſupernaturaliter in inſtanti conuerſionis, & hoc non, quia repugnantia formalis debet eſſe ab intrinſeco, vna enim res formaliter excludit aliam per ſe ipſam.

5. Quòd ſi contra hanc probationem obiicias, quòd forma materialis naturaliter non poteſt informare niſi vnam materiam; habet tamen potentiam obedientialem informare plures, & tamen informat per ſe ipſam; ſicut igitur hîc non repugnat informatio formalis per potentiam obedientialem, ita neque ibi repugnat excluſio, ſeu repugnantia formalis per potentiam obedientialem.

Reſpon

Digitized by Google

Reſpondetur eſſe diſparem rationem; nam forma ab intrinſeco habet informare plures materias, & ſolùm ex defectu vnionis non informat; ſi igitur à Deo vniatur pluribus materiis;hoc enim ab agente naturali fieri non poteſt;informabit per ſe ipſam plures materias; at verò neque corpus Chriſti naturaliter, neque ſubſtantia panis, habent ad inuicem intrinſecè oppoſitionem; ſiue igitur vniantur, ſiue non vniantur, non poſſunt ſe deſtruere naturaliter.

6. Secundus modus dicendi. Ledeſma. Impugnatur.

Secundus modus dicendi eſt aliorum, qui ſaluant, deſitionem panis non eſſe annihilationem, ex eo, quia manent, inquiunt, accidentia panis; ita Ledeſma 1. part. quæſtione 16. art. 4.

Sed contrà, quia ipſum eſſe ſubiecti eſt prius natura, quàm ſit eſſe accidentium; ergo vt illius productio vel deſtructio ſit creatio,vel annihilatio,non pendet ab eſſe accidentium.

7. Tertius modus dicendi. Caietan. Bagnes.

Tertius modus dicendi eſt aliorum, qui quoniam tenent, quòd quamuis panis deſtruatur ſecundùm eſſe ſpecificum, non tamen deſtruetur ſecundùm eſſe numericum, ſed remanere ſimul cum corpore Chriſti, vt tenet Caietanus, vel quòd non deſtruatur ſecundùm exiſtentiam, vt tenet Bagnes, ideo ſaluant deſitionem non eſſe annihilationem, quia non deſtruitur panis ſecundùm totum ſuum eſſe reale.

Sed hæc opinio ſuprà dubit. quinta fuit confutata, videtur enim repugnare Conciliis, præſertim Tridentino ſeſſ. 13. vbi habetur, quòd ſit conuerſio totius ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti.

8. Quartus modus dicendi.

Quartus modus dicendi eſt aliorum, aſſerentium deſitionem panis ex eo non eſſe annihilationem, quia quamuis hæc deſitio fiat per ſolam ſubtractionem concurſus diuini, tamen illa deſitio ordinatur ex primaria Dei voluntate ad præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus, eſſet autem propriè annihilatio,ſi deſitio rei, eſſet pura deſitio, & non ſuccederet alia res loco illius primariò intenta.

Impugnatur.

Sed contrà, quia hæc deſitio eſt per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, ſiue igitur ordinetur ex voluntate Dei extrinſeca ad præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus,ſiue non ordinetur, habet intrinſecè eamdem naturam, quia eſt deſtructio per ſolam ſubtractionem concurſus; differt igitur eſſentialiter ab illa deſitione, quæ non eſt per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, ſed per incompoſſibilitatem cum termino ad quem, tum quia ſtante illa incompoſſibilitate, ſi Deus nolit deſtruere terminum à quo, deberet augere concurſum;tum quia illa incompoſſibilitas connaturaliter exigit,vt Deus ſubtrahat concurſum.

9. Quintus dicendi modus verus.

Quare ad ſaluandum,quòd deſtructio panis, & vini, in conuerſione Sacramentali, non ſit annihilatio, vt dicunt Patres, dicendum eſt quintò, iuxta ſententiam noſtram,quòd corpus Chriſti ex vi verborum ſit vnitum cum ſpeciebus Sacramentalibus, non quomodocumque, ſed loco ſubſtantiæ panis, vt ſuſtentans ſcilicet ipſa accidentia panis;hanc autem vim ſuſtentandi efficienter accidentia, habet corpus Chriſti ſecundùm potentiam obedientialem,ex vi verborum; hinc autem fit, vt ſubſtantia panis naturaliter deſinat, tum enim, vt ſæpius dictum eſt, non poſſit ampliùs ſuſtentare ſua accidentia, quia vnus effectus non poteſt pendere adæquatè à pluribus cauſis totalibus; ſequitur vt accidentia non ampliùs inhæreant in ſubſtantia panis; ſeparata igitur ſubſtantia panis à ſuis accidentibus, a quibus conſeruabatur,deſinit naturaliter.

10. Ad argumentum primæ ſententiæ Scoti reſpon- A detur, ad annihilationem non ſufficere, vt ſit corruptio totius rei,ſed requiri, vt fiat per ſolam ſubtractionem concurſus, non autem per aliquam actionem incompoſſibilem, vt oſtenſum eſt; quod etiam videtur aduertiſſe idem Scotus in 4. diſt. 11. in fine huius quæſtionis citatæ. Reſpõſio ad argumentũ primæ ſententiæ Scoti. Scotus.

11. Ad confirmationem.

Ad confirmationem reſpondetur, concedendo quòd ſi reproducatur panis, reproduci debet per creationem, quia ad creationem ſufficit, vt res fiat ex nihilo; ad annihilationem verò non ſufficit, vt res deſinat in nihilum; & ratio diſparitatis eſt,quia non eſt niſi vnus modus producendi rem ex nihilo; at verò quòd res deſinat in nihilum, poteſt fieri duobus modis, vno modo per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, alio modo per incompoſſibilitatem termini ad quem, cum termino à quo, ac B propterea ad diſtinguendum iſtos duos modos deſinendi, oportet diſtinguere annihilationem propriè dictam,à deſitione,quæ ſit per incompoſſibilitatem alterius;& hæc ſolet propriè appellari deſitio.

12. Quæſitum an primus gradus in materia dicatur corrũpi vel annihilari ex poſitione noui gradus in materia.

Vnum poſſet hìc quæri, ſuppoſito quòd Deus poneret nonum gradum caloris in materia, tunc naturaliter deſtrueretur primus gradus, in opinione eorum, qui dicunt qualitatem componi ex gradibus;Hoc poſito,quæritur an deſtructio primi gradus dici poſſit annihilatio; videtur autem quòd ſic; quia primus gradus deſinit ex defectu tantùm potentiæ materiæ, quæ propter ſuam finitudinem C non eſt capax ſuſtentare latitudinem nouem graduum, non autem deſinit per aliquam oppoſitionem,ſeu repugnantiam, quam habet nonus gradus cum primo.

Reſpondetur tamen, non poſſe dici propriè annihilationem, quia deſtructio primi gradus,non ſit per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, ſed quia materia, quæ eſt commune ſubiectum, deſinit ſuſtentare primum gradum, vt ſuſtentet nonum; dicitur ergo nonus gradus aliqua ratione opponi, & eſſe incompoſſibilis cum primo gradu, ratione communis ſubiecti, in quo non poſſunt eſſe ſimul; vnde ſi Deus vellet conſeruare primum gradum ſimul cum nono, deberet augere ſuum concurſum, D per quem ſupleat concurſum materiæ.

OCTAVA DVBITATIO.

Quæ conſtituuntur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis,& vini,diuiſa in ſex difficultates.

1. Explicatur ſtatus dubitationis & ſupponũtur duo tanquã certa

HÆc dubitatio ponitur ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ dicta ſunt in hac materia, de conuerſione, ſeu tranſubſtantiatione.

PRO explicatione ſciendum eſt ex communi Theologorum,& ex S.Thom. 3. par. quæſt. 76. art. 1. E illud dici eſſe præſens ex vi verborum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quod per verba conſecrationis ita ſignificatur, vt præſẽtia illius omnino neceſſaria ſit ad verificanda verba; Illud autem dicitur eſſe per concomitantiam, quod eſt præſens ratione coniunctionis cum eo, quod eſt ex vi verborum: quare præſentia eorum, quæ ſunt per concomitantiam, non eſt neceſſaria ad verificanda verba: Hinc fit, vt terminus formalis ad quem conuerſionis, ſit ille,qui ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus, ex S. Th. quæſtione 76. art. 2. His poſitis S. Thom. S. Thom.

Sciendum eſt ſecundò, certum eſſe, ſub accidentibus panis, ex vi verborum, eſſe ſolum corpus Chriſti, ſanguinem verò, animam, & diuinitatem Chriſti

Digitized by Google

Chriſti ſolùm eſſe per concomitantiam; ſub accidentibus autem vini, ex vi verborum ſolùm eſſe ſanguinem; corpus autem,& animam, & diuinitatem eſſe per concomitantiam; Ita S. Thom. q. 76. art.2. & alij Theologi in 4. & eſt definitum in Tridentino ſeſſ.13.cap.3. Et ratio patet ex dictis, quia ad verificanda verba conſecrationis panis, ſolùm eſt neceſſarium, vt corpus Chriſti fiat præſens ſub accidentibus panis; ita etiam proportionaliter dicendum eſt de conſecratione vini,quòd veniat tantùm ſanguis ex vi verborum.

S Thom. Trident.

Sex difficultates circa hanc dubitationem.

His poſitis tanquam certis, ſex difficultates circa hanc materiam controuertuntur inter ſcholaſticos.

Prima difficultas eſt, An corpus Chriſti,quod venit ex vi verborum ſub accidentibus panis,ſit materia ſubſtantia Chriſti,an aliquod compoſitum ex materia,& forma ſubſtantiali.

Secunda difficultas,Quæ ſit illa forma, ex qua conſtituitur corpus.quod venit ex vi verborum.

Tertia difficultas, An ex vi verborum veniat corpus Chriſti heterogeneum,& organicum.

Quarta difficultas, An materia panis conuertatur in materiam corporis Chriſti, & forma panis in animam Chriſti,vt dat eſſe corporeum,& organicum.

Quinta difficultas, An ratio ſuppoſiti ſubſtantialis ſaltem ſecundùm rationem ſuppoſiti communem analogicè creato & increato, ſit ex vi verborum in hoc Sacramento.

Sexta difficultas, An ea quæ ſunt in hoc Sacramento Euchariſtiæ, fiant præſentia per eamdem indiuiſibilem actionem.

PRIMA DIFFICVLTAS.

An corpus Chriſti, quod venit ex vi verborum ſub accidentibus panis,ſit materia ſubſtantiæ Chriſti,an aliquod compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali.

2. Prima concluſio circa primam difficultatem. S. Thom. Caiet. Ferr. Scot. Henr. Ocham.

PRIMA concluſio. Corpus, quod ſignificatur per verba conſecrationis, non eſt materia ſubſtantiæ Chriſti,ſed compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali. Hæc concluſio eſt S.Thom.3. part. quæſt. 76. Caiet.ibidem, & Ferr. 4. contra gentes cap.64.& etiam Scoti in 4.diſtin.11.quæſt. 3. art. 3. Henrici quodlib.6. quæſt. 6. Ochami in 4. quæſt. 3. qui omnes conueniunt,per corpus ſignificari compoſitum ex materia,& forma ſubſtantiali: differunt tamen, vt mox infrà videbimus,in explicando quænam ſit iſta forma ſubſtantialis.Eſt contra Gabr. in 4.diſt.11.& lect.42. in can. Miſſæ, & contra Ægid. theorem. 28. & 30. de Euchar. aſſerentes ex vi verborum venire materiam primam vt ſtat ſub modo quantitatis,& accidentium; ita vt, ſicut ſe clarè explicat Ægid. ille modus veniat ex vi verborum, non tamen ipſa accidentia, quod etiam colligitur ex Gabr.in can.Miſſæ loco citato.

Gabriel. Ægid. Gabr.

3. Prima ratio. Ioann.

Probatur concluſio, quia corpus,quod ſignificatur per verba conſecrationis, eſt idem quod caro, vt patet ex verbis Chriſti,Ioan. 6.*Caro quam ego dabo*.&c. & Patres dicunt, panem conuerti in carnem Chriſti; Ita Ambroſ. 4. de Sacram. cap.4.Cyprian. ſerm.de Cœna Domini.Theophyl.in cap.6.Ioan.& alij;materia autem prima non eſt caro.

Ambroſ. Cyprian. Theophyl.

4. Secunda ratio.

Secundò probatur,quia corpus,quod venit ex vi verborum, eſt humanum, vt patet ex illo verbo, *meum*; corpus autem humanum eſt organicum,ergo per corpus non poteſt ſignificari materia prima, quia hæc eſt indifferens ad organizationem; organizatio autem exigit quantitatem, & tales diſpoſitiones;ſignificatur ergo per corpus materia prima informata tali principio ſubſtantiali, quod ſit exigitiuum organizationis; quod autem ſit hoc principium,mox infrà videbimus.

Quòd ſi dicas, ſatis eſſe ſi dicatur quòd ex vi verborum veniat materia prima, vt ſtat ſub modo quantitatis,& aliarum diſpoſitionum, ſicut dicunt Ægid.& Gabr.ſuprà citati, hæc enim accidentia ſatiſ ſunt ad conſtituendum corpus humanum, non igitur ex vi verborum venit aliqua forma ſubſtantialis. Contra hoc eſt; tum quia materia non poteſt ſibi determinare talia accidentia, niſi ratione formæ, cui illa determinentur; tum quia ſequeretur, quòd terminus tranſubſtantiationis eſſet aliquo modo accidentalis; nam tam ipſa accidentia, quàm modus accidentium, ſub quo ſtat materia prima,eſt accidentalis. Ægid.Gabr.

Tertiò probatur, ſub ſpeciebus vini conſtituitur ex vi verborum ſanguis, qui non ſolùm dicit materiam primam, ſed formam aliquam ſubſtantialem. 5. Tertia ratio.

Obiicies primò contra hanc concluſionem,Corpus,quod ſignificatur per verba conſecrationis, eſt illud,quod ſufficit ad veritatem verborũ, ſed materia prima ſufficit ad veritatem verborum, ergo,&c. Maior patet ex dictis; Minor probatur, quia in ſepulcro erat corpus Chriſti,& tamen erit ſola materia prima. Prima obiectio.

Quòd ſi dicas,ibi fuiſſe formam cadaueris; Contrà, inquit Gabriel, tum quia hæc forma cadaueris non datur in Chriſto, quia in Pſalmo dicitur, *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; quod de Chriſto exponit Petrus Act. 2. tum etiam, quia ſi daretur forma cadaueris, illa non eſſet terminus formalis conuerſionis; nunquam enim fuit pars humanitatis Chriſti, & tamen corpus, quod ſignificatur per verba conſecrationis,debet eſſe pars humanitatis Chriſti, vt patet ex illo verbo *meum*. Sola igitur materia eſt formalis terminus conuerſionis. Petr.

Reſpondetur, negando Minorem, nam per corpus ex vi verborum ſignificatur, vt dictum eſt, corpus humanum, quod importat ſaltem principium ſubſtantiale exigitiuum organizationis, quod non poteſt eſſe materia prima ſola,neque vt ſtat ſub modo accidentium, vt oſtenſum eſt ſuprà; Ad primam autem probationem Minoris reſpondetur, corpus Chriſti non fuiſſe corruptum, quamuis fuerit cum forma cadaueris,quia remanſit cum ſuis diſpoſitionibus, & organis; Ad ſecundam probationem dicitur, ex vi verborum non venire formam cadaueris ſecundùm rationem particularem formæ cadaueris, ſed ſecundùm rationem communem, quatenus eſt forma corporis, ſeu vt dat eſſe corporeum, ſicut neque anima rationalis venit ex vi verborum, vt anima eſt, ſed vt forma corporis eſt, vt mox fuſiùs explicabitur in ſecunda difficultate; Secundùm autem hanc rationem communem formæ corporis, conueniunt forma cadaueris,& anima rationalis, vt eſt forma corporis humani. 6. Soluitur.

Secundò obiicies, ſi per corpus ſignificaretur compoſitum ex materia,& forma, ſequeretur quòd ex vi verborum veniret anima rationalis;hæc enim ſola eſt forma in homine: Sed hoc eſt abſurdum, quia anima rationalis ex Tridentino venit per concomitantiam. Secunda obiectio. Trident.

Reſpondeo, quòd ſi teneatur opinio Scoti, aſſerentis corpus componi ex materia, & forma corporeitatis, tunc ex vi verborum venit ſecundùm Scotum forma corporeitatis: Si verò teneatur opinio 7. Soluitur.

Digitized by Google

nio S. Thom. aſſerentis vnam formam in homine, dicendum eſt, quòd corpus componitur ex materia & anima, vt anima eſt forma corporis, & non vt anima eſt, & tunc ex vi verborum venit anima, vt forma corporis eſt. Sed de hac re dicetur infrà.

Tertia obiectio. Tertiò obiicies, corpus, quod ſignificatur per verba, habet rationem partis. Sed vt habet rationem partis, eſt ſubſtantia incompleta; non poteſt ergo accipi corpus pro compoſito ex materia, & forma, quia hoc modo corpus eſt ſubſtantia completa.

8. Soluitur. Reſpondetur concedendo, quòd corpus ſumitur pro parte hominis, negatur tamen materiam tantùm eſſe partem hominis; ſed partem hominis eſſe materiam informatam principio ſubſtantiali exigitiuo organizationis, vt dictum eſt, vnde Philoſophus definiens animam tamquam vnam partem hominis, definiuit in ordine ad aliam compartem, quæ non eſt ſola materia prima; inquit enim 2. de anima (Anima eſt actus corporis Phyſici organici.)

Instantia. Dices, quando corpus ſumitur pro compoſito, ponitur in recta linea prædicamentali, & poteſt prædicari in recto de homine; ſed corpus, quòd ſignificatur per verba, non eſt huiuſmodi, ergo, &c.

9. Soluitur. Reſpondetur, quòd corpus, quod ponitur in recta linea prædicamentali, eſt ſubſtantia completa, & eſt totum, quod ſignificatur per modum ſubſiſtentis; at verò corpus, quod ſignificatur per verba, quamuis ſit compoſitum ex materia, & forma, eſt ſubſtantia incompleta, quæ ſimul cum anima tamquam alia comparte facit vnum totum, ac propterea non ſignificatur per modum totius, ſed per modum partis.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quæ ſit illa forma, ex qua componitur corpus, quod venit ex vi verborum.

10. Secunda difficultas. Scotus. Henric. Ocham. QVANTVM ad ſecundam difficultatem, controuerſia hæc inter ſcholaſticos dependet ex principiis Philoſophiæ; Nam qui tenent formam corporeitatis, vt Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 3. ar. 3. & Henric. quodlib. 6. quæſt 6. & Ocham in 4. quæſt. 6. dicunt conſequenter formam corporis eſſe formam corporeitatis. Qui verò tenent formam ſubſtantialem organizationis, vel formas partiales, dicunt conſequenter, eſſe vel illam vnicam formam organizationis, vel formas partiales carnis, oſſis, &c. quæ conſtituunt corpus organicum. Qui verò tenent dari vnam formam ſubſtantialem in homine, S.Thom. Caiet. vt S.Thom. 3. part. quæſt. 26. Caiet. ibidem, & alij Thomiſt. maiorem habent difficultatem, quia videtur ſequi ex hac opinione, quòd ex vi verborum veniat anima, contra Tridentinum, & propter alias rationes dubitandi, quas mox infrà ponemus. Sit tamen

11. Secunda concluſio circa ſecundã difficultatem. S.Thom. Caiet. Pal. So. Ferr. SECVNDA concluſio. Dicendum eſt cum S. Thom. & Caietano locis citatis, & Palud. in 4. diſt. 11. quæſt. 3. & Soto in 4. diſt. 10. quæſt. 1. & Ferr. 4. contra gentes cap. 64. & aliis Thomiſtis, formam corporis, quæ componit corpus, quod venit ex vi verborum, eſſe animam rationalem, non quidem ſecundùm rationem animæ, ſed ſecundùm rationem formæ corporis, quæ communis eſt animæ rationali, & formæ cadaueris humani, particularem autem rationem animæ, aut formæ cadaueris tantùm eſſe per concomitantiam in hoc Sacramento.

12. Nota primò. PRO explicatione huius concluſionis notanda ſunt duo; Primum eſt, quòd anima rationalis

A habet multos gradus, videlicet eminentiori quodam modo, gradum corporei, gradum viuẽtis, gradum ſenſitiui, & gradum rationalis; Et quidem certum eſt, omnes iſtos gradus ſimul cum realitate corporis Chriſti poni ſub ſpeciebus Sacramentalibus; nam ſub ſpeciebus eſt corpus Chriſti humanũ, quod conflatur ex omnibus illis gradibus; ex vi autem verborum immediate attingitur eſſe corporeum, ac proinde venit anima ex vi verborum, vt eſt forma corporis, non vt anima; Vnde obiter ſciendum eſt, non bene dicere Sotum loco citato, formam dantem eſſe corporeum, connotari per verba; Sot. nam cùm corpus conſtituatur per formam corporis, debet includere per ſe primò formam corporis, tamquam B rationem formalem.

13. Nota ſecundò. Secundò notandum, quòd corpus compoſitum ex materia, & forma, quod venit ex vi verborum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, eſt corpus, quod poteſt conſtitui ſecundùm doctrinam S. Thomæ, vel per formam cadaueris, vel per animam rationalem, quatenus iſtæ duæ formæ conueniunt in aliqua ratione communi formæ corporis, ſeu quatenus dant eſſe corporeum; parum autem refert ad verificationem verborum, quòd hæc ratio communis ſit vniuoca, vel analoga, ratio autem particularis talis formæ, venit per concomitantiam, & ita intelligitur Tridentinum, loco citato, dum dicit animam venire per concomitantiam. Trident.

C Hæc concluſio Thomiſtarum ſic explicata, non aliter probari poteſt, quàm ſuppoſito principio Philoſophico Thomiſtico, quòd in homine non ſit niſi vna tantùm forma, quæ eſt anima rationalis, eminenter continens omnes alias formas; hoc enim ſuppoſito, non poteſt alio modo explicari, quòd corpus compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali, ſignificetur per verba, quàm ſi dicatur, venire animam rationalem, non vt anima eſt, ſed vt forma corporis eſt, quatenus dat eſſe corporeum; Hanc opinionem Thomiſticam de vnitate formæ, fusè defendit Ægidius, & vindicat à calumniatoribus in correctorio correptorij D. Thomæ, & Erueus, & alij. 14. Probatur cõcluſio.

D Et breuiter probatur vnica ratione fundamentali, quia fruſtra darentur aliæ formæ; anima enim rationalis propter ſui perfectionem continet eminenter omnes alias formas, quæ ordinantur ad ipſam; poteſt igitur ſuppoſitis diſpoſitionibus facere quicquid facerent aliæ formæ. Exem. gr. fruſtra datur forma corporeitatis, quia hæc datur, vt poſſit communicare materiæ eſſe corporeum de prædicamento ſubſtantiæ, quod eſt eſſe exigitiuum quantitatis in materia; Sed hoc præſtare poteſt anima rationalis; quatenus enim eſt forma corporis, communicando ſe ipſam, neceſſariò tribuit materiæ eſſe corporeum, ſeu eſſe principium exigitiuum quantitatis in ipſa materia. Præterea fruſtra dantur formæ E elementorum, & forma mixti; nam formæ elementorum continentur eminenter in forma mixti, quæ eſt ſuperior, huic enim ſubordinantur formæ elementares; ipſa enim forma mixti eſt præcipuè exigitiua diſpoſitionum elementarium in materia; forma autem mixti continetur eminenter in anima rationali, quia anima rationalis eſt forma corporis, non quomodocunque, ſed mixti; diſpoſitiones igitur formæ mixti ordinantur præcipuè ad ipſam animam, quatenus eſt forma mixti: Præterea formæ partiales, de quibus maior eſt difficultas, continentur etiam in anima; anima enim eſt forma non ſolùm corporis mixti, ſed organici; ſubordinantur igitur formæ partiales, & ipſa forma organizatio-

Digitized by Google

nis & omnes diſpoſitiones ipſi animæ, quatenus eſt forma c rporis organici.

Quòd ſi dicas, hinc ſequi, eidem parti materiæ animam communicare eſſe oſſis, & eſſe carnis, &c. quod eſt abſurdum. Reſpondetur, ſi iſta diuerſa eſſe diſtinguuntur à parte rei, negatur eſſe carnis, & eſſe oſſis, communicari vni parti materiæ, ex defectu diſpoſitionum, quia non poſſunt eſſe in eadem parte materiæ diſpoſitiones ad formam oſſis, & ad formam carnis: ſicut multi tenent, animam propter eandem rationem non communicare eſſe ſenſitiuum oſſi; ſi verò non diſtinguuntur à parte rei, tunc dicendum eſt, quòd communicat identicè, non autem formaliter, tum ex defectu diſpoſitionum, tum ex defectu vnionis, alia enim vnio heterogenea requiritur, ad hoc vt anima communicetur materiæ formaliter ſecundùm eſſe carnis, & alia ſecundùm eſſe oſſis: ſimiliter etiam dicendum eſt de anima vegetatiua & ſenſitiua, ſubordinantur enim animæ rationali tanquam vltimatę & perfectiori formæ.

Prima obiectio. Sed contra hanc concluſionem obiicies primò, In homine ſecundùm S. Thomam, non eſt niſi vna forma, & hæc eſt anima rationalis; ergo ſequeretur; quòd ſecundùm S. Thomam anima rationalis veniret ex vi verborum, contra communem ſententiam Scholaſticorum, & contra Tridentinum. Sequela probatur, quia ex vi verborum venit corpus compoſitum ex materia & forma, vt ſupponitur ex prima concluſione; ſed in homine non eſt alia forma pręter animam rationalem, ergo, &c.

15. Soluitur. Reſpondetur ex dictis, animam ex vi verborum venire ſecundùm rationem communem formæ corporis humani, vt dictum eſt, non autem ſecundùm rationem particularem talis formæ, ſecundùm quam non venit niſi per concomitantiam.

Secunda obiectio. Scot. Gabr. Obiicies ſecundò ex Scoto & Gabr. locis citatis, Actio Sacramentalis eſt ſingularis, ergo per illam non poteſt produci ſeu attingi aliqua ratio corporis in communi, ſeu abſtrahens à corpore mortuo, ſeu cadauere, & à corpore animato ſeu viuo.

16. Soluitur. Reſpondetur, & pro reſponſione notandum, ſeu ſupponendum eſt, quòd per actionem ſacramentalem attingitur tota realitas corporis Chriſti, ac proinde omnes gradus attinguntur, quia ſunt idem cum anima, vt forma corporis eſt, ſed cum hac diſparitate, quòd immediatè & formaliter attingitur gradus corporei, mediatè verò & per identitatem attinguntur alij gradus, nam terminus formalis qui ſignificatur per verba, debet eſſe talis, vt ſi ille terminus ſit ſine aliis, ſit ſufficiens terminare actionem; quod quidem in caſu noſtro eſt corpus compoſitum ex materia & forma corporis, ſub gradu corporei, vt dat eſſe corporeum, ſiue forma ſit anima, ſiue ſit forma cadaueris. Quare ad formam argumenti reſpondetur, quòd id quod attingitur formaliter, ſeu vt dicunt, reduplicatiue, eſt compoſitum, quod conſtat ex hac materia, & ex hac forma corporis, vt dat eſſe corporeum, ſiue, vt illa forma ſit forma cadaueris, ſiue ſit anima rationalis; Quod verò attingitur identicè, ſeu, vt dicunt, ſpecificatiuè, eſt totum id quod reperitur coniunctum cum illa forma, ſiue illa forma, vt dictum eſt, ſit anima rationalis, ſiue ſit forma cadaueris, attingitur igitur ab actione Sacramentali id quod ſingulare eſt; non enim veniret eſſe corporeum, niſi veniret particulariter talis forma ſingularis.

Alij ſub aliis verbis dicunt, quòd aliud eſt dicere, aliquid eſſe ex vi verborum, aliud ex efficacia, ſeu ex efficientia verborum; nam ex vi verborum eſt

A totum, quod eſt neceſſarium ad verificanda verba, hoc autem tantùm eſt materia prima ſimul cum forma corporis humani, vt dat eſſe corporeum, ſiue illa forma ſit forma cadaueris, ſiue anima rationalis; Quod verò eſt ex efficacia verborum, eſt id quod eſt neceſſarium ad hoc, vt fiat ille terminus formalis, qui ſignificatur per verba, & quia non poteſt venire forma corporis, nec eſſe corporeum, niſi ſit particulariter talis forma, nec poteſt venire gradus corporei, niſi veniant alij gradus, qui ſunt identificati, ideo hæc, & ſimilia dicuntur ab iſtis Doctoribus venire ex efficacia verborum, potiùs quàm ex vi verborum, vt fuſiùs explicabitur in ſexta difficultate.

B Obiicies tertiò, ſi hoſtia fuiſſet conſecrata ante mortem Chriſti, & perſeueraſſet vſque ad illius ſepulturam, non remanſiſſet poſt mortem idem corpus Chriſti numero, quod fuit ante mortem, quia non remanſiſſet eadem numero forma ſubſtantialis, quæ erat ante mortem; hæc enim erat anima rationalis; nec præterea remanet in cadauere eadem numero figura, quæ erat in corpore viuo, quia cùm ſecundùm doctrinam S. Thomæ fiat in corruptione reſolutio vſque ad materiam primam, omnia accidentia corrumpuntur; Sed abſurdum eſt dicere, quòd in hoſtia conſecrata ſit aliud corpus numero poſt mortem, quia corpus, quod venit ex vi verborum, eſt pars humanitatis Chriſti. 17. Tertia obiectio.

C Reſpondetur, quòd ad hoc, vt dicatur ſecundùm communem conceptum hominum, remanere idem corpus numero poſt mortem, ſatis eſt, ſi remaneat eadem materia numero, & eadem hypoſtaſis, & quòd illa materia ſit informata gradu corporis, ſiue hunc gradum habeat ab anima rationali, ſiue à forma cadaueris, quia vtraque conuenit in hoc, quòd ſit forma corporis humani, quæ vt ſic, eſt exigitiua ſimilis figuræ, & ſimilium organorum; quæ erant in homine viuo. Soluitur.

TERTIA DIFFICVLTAS.

D *Vtrùm ex vi verborum conſtituatur ſub Sacramento corpus Chriſti organicum.*

QVANTVM ad tertiam difficultatem, ſit TERTIA concluſio. Ex vi verborum conſtituitur ſub ſpeciebus Sacramentalibus corpus Chriſti humanum heterogeneum, & organicum, prout complectitur carnem, oſſa, neruos, & alias partes ſolidas, quare omnes partes corporis Chriſti, præter ſanguinem, ex vi verborum conſtituuntur ſub accidentibus panis. Hæc concluſio eſt S. Thom. q. 76. art. 1. & communiter Scholaſtic. in 4. diſt. 10. Alenſ. 4. part. quæſt. 38. membro 5. & aliorum. 18. Tertia concluſio circa tertiam difficultatem. S. Thom. Scholaſt. Alenſ.

E Probatur primò, quia ex vi verborum venit in hoc Sacramento caro Chriſti, vt habetur Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*; & ex Patribus ſuprà citatis; caro autem accipi ſolet pro toto corpore organico, & ita exponunt Patres illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*; & ita ſumitur apud Iob, *Caro mea requieſcit in ſpe*. Præterea etiam ſi ſumatur caro pro parte corporis organici, adhuc bene probatur, ex illo Ioan. 6. conſtitui ſub Sacramento ex vi verborum totum corpus organicum, quia non eſt maior ratio de carne, quàm de aliis partibus ſolidis. Prima ratio. Ioan. 6. Patres. Ioan. 6. Iob.

Secundò probatur per illud verbum, *meum*, per quod verbum ſignificatur corpus humanum; corpus autem humanum eſt organicum. 19. Secunda ratio.

Obiicies primò, ſi corpus Chriſti fuiſſet redactum Prima obiectio.

Digitized by Google

ctum in cineres in ſepulcro, & in illo triduo conſecraretur hoſtia, non veniret corpus organicum, ergo ex vi verborum non venit corpus organicum, ſed tantùm materia prima ſub aliquo eſſe corporeo.

10. *Prima ſolutio.* Reſpondent aliqui recentiores, quòd quamuis corpus Chriſti fuiſſet redactum in cineres, adhuc tamen ad verificanda verba produceretur in Sacramento de nouo corpus Chriſti organicum, nec hoc eſt contra ea quæ ſuperiùs dicta ſunt, quòd ſcilicet, corpus Chriſti non poteſt de nouo produci in Sacramento, eſt enim, inquiunt, diſpar ratio, quia nūc de facto exiſtit extra Sacramentum; non ergo de nouo poteſt produci; at verò in illo caſu non exiſteret corpus Chriſti organicum, quia iam ſupponitur reduci in cineres, nihil ergo obſtat, quòd poſſit ex vi verborum produci de nouo.

Secunda ſolutio. Secundò veriùs reſpondetur, quòd in illo caſu non veniret corpus Chriſti organicum; ſed materia prima; neque hinc ſequitur, quòd ex vi verborum modò de facto non veniat corpus Chriſti organicum, quia cùm per illud verbum, *meum*, ſignificetur corpus, vt eſt de facto; & de facto eſt humanum; fit vt ex vi verborum veniat corpus humanum organicum.

Quòd ſi dicas, corpus etiam de facto eſt coniunctum cum anima, ergo ſequeretur, quòd etiam ex vi verborum veniret anima, quod eſt abſurdum. Reſpōdetur, negando conſequentiam, quia anima non ſpectat ad naturam corporis humani, at verò ad rationem corporis humani ſpectat, vt ſit compoſitum ex talibus organis.

Secunda obiectio. Obiicies ſecundò, ſi ex vi verborum veniret corpus organicum, ſequeretur quòd ex vi verborum veniret quantitas, & alia accidentia, quod eſt abſurdum, & contra Tridentinum. Probatur ſequela, quia corpus organicum intrinſecè includit quantitatem, & varias diſpoſitiones, non enim poſſunt intelligi organa ſine quantitate, vt docent Bonauent. *Bonauent.* in 4. diſtinct. 10. quæſt. 2. & Alenſis 4. part. quæſt. 4. membr. 2.

Prima ſolutio Ægid. Reſpondet primò ad hoc argumentum Ægidius, non conſtitui accidentia ex vi verborum, ſed conſtitui materiam primam, & modum illum accidentium, ſub quo ſtat materia prima. *Confutatur.* Sed hæc reſponſio non placet, quia adhuc ille modus, quicunque ille ſit, eſt accidentalis, ergo non poteſt conſtitui in Sacramento ex vi verborum.

Secunda ſolutio Alenſ. Secundò reſpondet Alenſis 4. part. & Bonauent. in 4. diſt. 10. locis citatis, conditionaliter, quòd ſcilicet, ſi ex vi verborum venit corpus Chriſti organicum, venit etiam quantitas, quia non poteſt intelligi corpus organicum ſine quantitate. *Confutatur.* Sed hæc reſponſio nullo modo placet, quia quodcunque admittatur, eſt falſum; ſi enim admittatur, ex vi verborum non conſtitui corpus organicum, hoc eſt falſum, vt probatum eſt; ſi verò admittatur, cum corpore organico ex vi verborum conſtitui in Sacramento quantitatem, adhuc eſt falſum, & contra Tridentinum.

21. *Tertia ſolutio verior.* Reſpondetur igitur tertiò, & veriùs, quòd ex vi verborum venit corpus organicum, quod includit materiam, & formam ſubſtantialem exigitiuam quantitatis & aliarum diſpoſitionum, quæ requiruntur ad conſtituendum organa, quare ex vi verborum venit corpus organicum, ſecundùm materiam, & formam ſubſtantialem, quantitas verò, & accidentia veniunt per concomitantiam.

22. Dubium eſt autem in Philoſophia, An præter formas partiales carnis & oſſis, &c. detur vna forma ſubſtantialis organica; Sed quicquid ſit de hac quæſtione, dicendum eſt, quòd cùm vna forma tantùm ſit in homine, conſtituitur ex vi verborum anima rationalis, non vt anima, ſed vt eſt forma corporis organici, quatenus dat eſſe non ſolùm corporeum, ſed organicum, ſiue hoc eſſe organicum, ſit vnum eſſe ſubſtātiale diſtinctum ab eſſe carnis, oſſis, &c. ſiue nihil aliud ſit quàm ipſamet eſſe particularia oſſis, carnis, &c.

QVARTA DIFFICVLTAS.

Vtrùm materia panis conuertatur in materiam corporis Chriſti, & forma panis in animam Chriſti, vt eſt forma corporis, & vt dat eſſe corporeum.

QVANTVM ad quartam difficultatem, ſit QVARTA concluſio. Tota ſubſtantia panis conſtans ex materia & forma, conuertitur ex vi verborum in totum corpus Chriſti, quod conſtat ex materia, & forma corporis. 23. Eſt concluſio S. Tho. quodlib. 5. art. 11. ad primum. & Soti in 4. diſtin. 9. quæſt. 2. art. 6. Ledeſmæ quæſt. 16. art. 2. dubit. 2. & eſt communis Thomiſt. eſt etiam Alen. 4. par. quæſt. 10. membr. 5. art. 5. §. 6. Eſt contra Heuric. quodl. 9. quæſt. 9. Scotum in 4. diſtinct. 11. quæſt. 3. circa finem. Riccardum ibidem art. 2. quæſt. 12. & nonnullos alios, aſſerentes materiam panis conuerti in materiam corporis Chriſti, & formam in formam. *S. Thom. Sot. Ledeſm. Thomiſt. Alenſ. Henric. Scotus. Riccard.*

Probatur concluſio ratione fundamentali, Materia, & forma panis conuertuntur in eam ſubſtantiam, ex cuius aduentu deſinunt; ſed deſinunt ex aduentu totius corporis Chriſti, ergo, &c. 24. *Prima ratio.* Maior eſt manifeſta, quia conuerſio fit ratione incompoſſibilitatis corporis Chriſti cum pane, ergo panis conuertitur in eam ſubſtantiam corporis Chriſti, ex cuius aduentu propter incompoſſibilitatem deſinit panis. Minor probatur, quia, vt patet ex præcedentibus, corpus Chriſti habet repugnantiam ſeu incompoſſibilitatem cum ſubſtantia panis, ex eo, quòd eleuatur per diuinam potentiam ex vi verborum, ad ſuſtentandum efficienter illa accidentia, quæ ſuſtentabantur à pane, ex hoc enim fit vt accidentia non poſſint ſuſtentari à pane, quia vnus effectus non poteſt pendere à duabus cauſis totalibus; non igitur accidentia inhærent in pane; corrumpitur igitur ſubſtantia panis, qui ſecundùm eſſe dependebat ab accidentibus; ſed totum corpus Chriſti eleuatur ad ſuſtentandum accidentia, quia totum corpus ſignificatur ex vi verborum; ergo ſubſtantia totius panis conuertitur in totum corpus Chriſti.

Secunda ratio. Probatur ſecundò, quia ſi ponenda eſſet duplex conuerſio, vna materiæ panis in materiam corporis Chriſti, altera formæ panis in formam corporis Chriſti, ſequeretur quòd materia corporis Chriſti eſſet ſub ſpeciebus formæ panis per concomitantiam, contra Tridentinum ſeſſ. 13. can. 3. vbi habetur ſine diſtinctione, totum corpus eſſe ſub ſpeciebus panis; Sequela probatur, quia ſi materia panis ex vi verborum conuertitur ſolùm in materiā corporis Chriſti, non poteſt alio modo fieri, niſi quia materia panis repugnat cum materia corporis Chriſti; & cùm hæc repugnantia non ſit niſi media ſuſtentatione, neceſſe eſt dicere, quòd materia corporis Chriſti ſuſtentaret ea accidentia duntaxat, à quibus dependebat materia panis; & forma corporis Chriſti ſuſtentaret ea accidentia, à quibus dependebat forma panis; ex hoc autem ſequeretur, quòd materia corporis Chriſti non conſtitueretur ſub

QVÆSTIO QVARTA THEOLOGICA CIRCA QVARTVM COROLLARIVM,

De actione & paſſione Corporis Chriſti prout eſt in Sacramento.

De hac materia S. Thomas 3. part. quæſt. 76. art. 6.

Sunt in hac quæſtione quatuor dubitationes.

I. *Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento, poſſit localiter moueri.*

II. *Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit agere & pati actione & paſſione tranſeunti.*

III. *Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento, poſſit audire, & videre ſe ipſum, & circumſtantes, &c.*

IV. *Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in hoc Sacramento, poſſit videri oculo corporeo.*

1. Principium Philoſophicum vnde pendet reſolutio totius quæſtionis.

PRo reſolutione harum dubitationum præmittendum eſt vnum principium Philoſophicum, quod eſt huiuſmodi. Agens naturale requirit ad agendum extenſionem localem.

Probatur primò, quia ita communiter eſt receptum à Philoſophis.

Secundò, ſicut ad exiſtendum naturaliter requiritur extenſio localis, ita ad agendum.

2. Tertiò patet inductione, quia agens naturale non poteſt producere in ſubiecto, niſi formam naturalem & diuiſibilem; forma enim naturalis corporea, quæ poteſt produci ab agente naturali, exigit, vt ſit diuiſibilis; at verò forma corporea quæ produci deberet in corpore Chriſti, exiſtente indiuiſibiliter in Sacramento, deberet eſſe indiuiſibilis, vel ſi eſſet diuiſibilis, deberet ſaltem recipi motu indiuiſibili in corpore Chriſti; hoc autem eſt ſupra naturam, & vires agentis naturalis.

His poſitis facilè patet reſponſio ad propoſitas dubitationes.

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit moueri localiter.

1. Reſolutio primæ dubitationis. Prima concluſio.

QVANTVM ad hanc primam dubitationem, pono duas concluſiones.

PRIMA concluſio. Certum eſt, corpus Chriſti moueri per accidens ad motum ſpecierum, vt alibi dictum eſt; Eſt communis ſententia Scholaſticorum, S.Thomæ 3.part. quæſt. 76. art. 6. Palud. & Capreoli in 4 diſt. 10. quæſt. 3. Scoti ibidem q. 6. contra Durandum in 4. diſtinct. 10. quæſt. 3. Ratio eſt, quia quando duæ res ſunt inter ſe vnitæ, & per motum localem non ſoluitur vnio, mota vna, neceſſariò mouetur altera, ſicut moto corpore, neceſſariò mouetur albedo, & anima, quæ ſunt in corpore; Sed corpus Chriſti ſecundùm præſentiam Sacra-A mentalem eſt intrinſecè vnitum ſpeciebus Sacramentalibus, & per motum non ſoluitur vnio; eſt enim, vt probatum eſt in primo Corollario, ſimilis vnioni, quam habent accidentia cum ſubiecto; ergo motis ſpeciebus Sacramentalibus, neceſſariò etiam mouetur corpus Chriſti.

DVBIVM tamen eſt inter illos Doctores, an iſta motio per accidens corporis Chriſti fiat ſupernaturaliter à Deo, vel naturaliter à Sacerdote eleuante hoſtiam. Et ratio dubij eſt, tum quia non poteſt agens naturale agere niſi in ſubiectum extenſum, cuiuſmodi non eſt corpus Chriſti in Sacramento; tum quia non poteſt agens naturale producere Vbi indiuiſibile & ſupernaturale, cuiuſmodi debet eſſe illud Vbi, quod recipitur in corpore Chriſti B exiſtenti indiuiſibiliter in Sacramento. 2. Dubium an motus corporis Chriſti in Sacraméto ſit naturalis.

Propter has rationes dubitandi Scotus & Argentina locis ſuprà citatis tenent, corpus Chriſti moueri à Deo ſupernaturaliter, & non à Sacerdote. 3. Primus modus reſpondendi. Scot. Arg.

Oppoſitum tamen dicendum eſt cum S.Thoma, Paludano, & aliis locis ſuprà citatis. Et ratio eſt, quia corpus mouetur neceſſariò ad motum ſpecierum; ergo Sacerdos, qui mouet ſpecies, mouet etiam conſequenter neceſſariò corpus Chriſti; Et confirmatur, quia dicitur corpus Chriſti eleuari à Sacerdote, ferri ad ægrotos, manducari, & deglutiri. Secũdus modus reſpondẽdi verior. S.Thom. Palud.

4. Ad primam autem rationem dubitandi reſpondetur, quòd Sacerdos eleuando corpus Chriſti, non agit immediatè in ipſum corpus, quod exiſtit indiuiſibiliter in Sacramento, ſed in ſpecies Sacramen-C tales, quæ ſunt extenſæ.

5. Ad ſecundam rationem dubitandi reſpondetur, quòd non debet produci nouum Vbi in corpore Chriſti, quia, vt probatum eſt ſuprà in ſecundo Coroll. de replicatione, corpus Chriſti vbicatur neceſſariò per Vbi ſpecierum Sacramentalium, ſicut accidentia vbicantur neceſſariò per Vbi ſubiecti, fruſtra igitur datur aliud Vbi.

6. Secunda concluſio. SECVNDA concluſio. Nulla apparet manifeſta repugnantia, quòd corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento, poſſit ſecundùm præſentiam ſuam indiuiſibi

Digitized by Google

biſibilem moueri per ſe, per potentiam abſolutam Dei, transferendo continuè, & ſucceſſiuè corpus Chriſti ad diuerſas ſpecies ſacramentales, ita, vt per illum motum vniatur totum corpus Chriſti cum omnibus illis partibus ſpecierũ, & totũ cum ſingulis, hæc enim quæſtio ſimilis eſt illi, an Angelus poſſit moueri motu continuo & ſucceſſiuo, ita vt continuè, & ſucceſſiuè ponat ſe in ſpatio totum in toto, & totum in qualibet parte, & quidem ſicut naturaliter, vt oſtenſum eſt in primo tomo, poteſt Angelus moueri motu continuo, & ſucceſſiuo, ita non repugnat, per potentiam diuinam corpus Chriſti quod eſt in ſacramento ſecundùm præſentiam indiuiſibilẽ transferri a Deo continuè, & ſucceſſiuè, & fieri præſens ad diuerſas partes ſpecierum Sacramentalium.

Punctus difficultatis. Quod igitur in hac dubitatione controuertitur, præcipuè eſt, an corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit moueri per ſe vel ab intrinſeco, vel ab agente aliquo extrinſeco naturali, immotis ipſis ſpeciebus ſacramentalibus, vel motis illis per accidens ad motionem corporis Chriſti.

Ad quam difficultatem reſpondeo, & ſit

7. Tertia concluſio. Tertia concluſio, hoc fieri nõ poſſe; Et quidem quòd corpus Chriſti, prout exiſtit in Sacramento, non poſſit moueri ab intrinſeco, probatur, tum quia motus ab intrinſeco non fit ab anima naturaliter, niſi mouendo corpus per membra organica, ita, vt vnum membrum expellat aliud à loco; hoc autem modo non poteſt anima Chriſti mouere corpus ſuum, vt eſt in Sacramento, quia non habet organa extenſa in ordine ad locum, & conſequenter vnum
8. non poteſt expellere alterum à loco; Tum quia ſi anima Chriſti ſiue per organa ſiue per imperium, ſiue per impulſum, moueret ſuum corpus ſucceſſiuè, deberet corrumpere præſentiam ſupernaturalem, & producere ſucceſſiuè aliam ſupernaturalem, quod eſt ſupra vires naturales animæ.

9. Quòd verò non poſſit moueri corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, ab agente extrinſeco naturali, probatur, tum propter rationes ſuprà allatas, quibus oſtendimus non poſſe corpus Chriſti moueri ab intrinſeco; tum quia agens naturale non poteſt agere niſi circa obiectum extenſum localiter, quia, vt dictum eſt ſuprà, naturaliter non poteſt producere niſi formam extenſam in ordine ad locum.

Argumenta, quæ contra hanc concluſionem ſolent fieri, vel probant, corpus Chriſti poſſe moueri per accidens; vel per ſe, ſecundùm potentiam obedientialem, ſeu ſecundùm potentiã actiuam abſolutam Dei, quod vtrumque nos concedimus, vt patet ex ſuperioribus concluſionibus.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento, poſſit agere & pati actione & paſſione tranſeunti.

1. Explicatur titulus quæſtionis. VT titulus difficultatis manifeſtus fiat, ſciendum eſt, non eſſe quæſtionem de corpore Chriſti glorioſo, quia hoc non poteſt pati, propter dotem impaſſibilitatis, ſed de corpore Chriſti paſſibili; nec præterea eſſe quæſtionem, an poſſit pati per eandem paſſionem, qua patiebatur extra Sacramentum; de hac enim paſſione fusè diximus in ſecundo corollario, quòd, videlicet, corpus Chriſti habet eandem paſſionem in Sacramento, quam habet extrà, quia omnes modos ab-

A ſolutos, quos habet corpus extra Sacramentum, habet in Sacramento, propter rationes ibidem allatas; nec teritò eſſe quæſtionem, an corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit pati per potentiam abſolutam Dei, hoc enim eſt certum, quia Deus ad hoc, vt agat in corpus, non requirit extenſionem localem, aut contactum quantitatiuum ad agendum, ſicut requirunt agentia naturalia corporea; & præterea nihil obſtat ex parte corporis Chriſti patientis, quia poteſt Deus in corpore Chriſti exiſtenti indiuiſibiliter in loco, producere formam corpoream indiuiſibilem, ſicut indiuiſibiliter poſuit corpus Chriſti ſub accidentibus; & præterea quartò certum eſt, poſſe Deum eleuare corpus Chriſti ſe-
B cundùm potentiam obedientialem, ad agendum in extrinſecum, quamuis ſit inextenſum loco, quia nulla apparet contradictio.

Punctus difficultatis. Quod igitur præcipuè controuertitur, eſt, an corpus Chriſti prout eſt indiuiſibiliter in Sacramento, poſſit naturaliter agere in extrinſecum, alterando ſiue ſpecies Sacramentales, ſiue aliud corpus extrinſecum contiguum ſpeciebus Sacramentalibus; vel, an corpus Chriſti poſſit pati ab agente extrinſeco naturali.

Ad quam difficultatem reſpondeo, & ſit

Prima concluſio. Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, non poteſt agere actione tranſeunti in 2. Prima concluſio.
aliud corpus, nec pars corporis Chriſti in aliam
C partem ſui corporis, nec in ſpecies Sacramentales, quia, vt ſuprà dictum eſt, ad agendum requireretur naturaliter extenſio localis in agente, ſicut requiritur ad exiſtendum, quod patet inductione; ſed corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, non habet extenſionem localem, ergo, &c. Hæc concluſio eſt S. Thomæ 3. part. quæſt. 76. ar. 6. & quæſt. 87. ar. 4. Capreoli in 4. diſt. 10. quæſt. 4. art. 3. contra primam concluſionem Ægidij prop. 4. de Euchariſt. Scoti in 4. diſt. 10. quæſt. 9. S. Thom. Capr. Ægid. Scot.

Oppoſitum tenent Nominales, negant enim, vt ſuprà viſum eſt, requiri extenſionem localem in agente, ſeu contactum quantitatiuum ad agendum, ſed ſatis eſt, inquiunt, ſi ſit intima præſentia corpo-
D ris Chriſti cuilibet parti hoſtiæ, per penetrationem omnium partium, per hanc enim præſentiam eſt corpus Chriſti ſufficienter approximatum ad agendum; propter hoc enim requiritur contactus quantitatiuus.

Sed hæc opinio Nominalium ſuprà confutata eſt in primo corollario dubitatione ſexta, tum quia per penetrationem non tollitur exiſtentia localis, ſed tantùm fit vt duo corpora extenſa ſint in eodem loco; tum quia corpus Chriſti non conſtitueretur in puncto hoſtiæ, quia retineret aliquam extenſionem; quòd autem corpus Chriſti debet poni in puncto hoſtiæ, probauimus ſuprà in Corollario primo, dubitatione quinta; tum quia ſequeretur,
E quòd Chriſtus non eſſet in hoſtia maiori ipſo corpore Chriſti, per penetrationem enim non fit vt corpus ponatur in maiori loco, ſed in minori.

Secvnda concluſio. Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, non poteſt pati; tum propter eandem rationem, propter quam ſuprà diximus, quòd corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, non poteſt agere; tum quia peculiari ratione paſſio repugnat naturaliter eſſe in corpore Chriſti exiſtenti indiuiſibiliter in Sacramẽto, quia, vt dictum eſt ſuprà, forma quæ recipi deberet in corpore Chriſti exiſtenti indiuiſibiliter in Sacramento, deberet eſſe indiuiſibilis, & ſupernaturalis; ſed impoſſibile eſt naturaliter, vt agens naturale producat formam corpoream 3. Secunda concluſio.

Digitized by Google

indiuiſibilem & ſupernaturalem;& quamuis equus A ſecundùm Thomiſtas producat animam alterius equi indiuiſibilem,hoc tamen ipſi Thomiſtæ , non admittunt in aliis formis corporeis , ſed tantùm in anima ſenſitiua, propter ſui nobilitatem. Et confirmatur, quia non poteſt reddi alia ratio,quare partes ſanguinis Chriſti , quæ ſunt ſibi inuicem præſentes ſecundùm locum , non immediatè continuentur cum ſint fluidæ,niſi quia vnio, quæ deberet produci,deberet eſſe indiuiſibilis & ſupernaturalis ; tum quia vna pars ſanguinis , cùm non ſit extenſa loco, non poteſt agere in aliam partem.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm Chriſtus, prout eſt in Sacramento, poſſit audire vel videre ſeipſum,& circumſtantes.

1. EADEM eſt difficultas de aliis actionibus vitalibus immanentibus , quæ dependent ſaltem obiectiuè à ſenſu, ſiue ſit intellectio,ſiue ſit volitio.

Ocham. Prima ſententia Nominalium. OCHAM , & Nominales locis citatis iuxta ipſorum principium, tenent quòd ſic , quia Chriſtus, inquiunt,habet potentiam,& debitam approximationem , quamuis non per contractum quantitatiuum, ſed per intimam præſentiam ſecundùm penetrationem cuilibet parti hoſtiæ.

Secunda cõcluſio. S. Thom. Capreol. Ricc. Palud. Sot. Alenſ. COMMVNIOR ſententia negat ; ita S. Thomas 1.par.quæſt.76.art.7. Capreolus in 4. diſt.10.quæſt. 4. & ad ſextum & vltimum contra primã concluſionem. Ricc. quæſt. 1. art. 5. Palud. in 4. diſtinct. 10. Sotus ibidem quæſtione 1. art.7. Alenſis 4.parte quæſt. 40.membro 3.art.8. Sed non omnes conueniunt,aliqui enim ipſorum negant etiã de potentia abſoluta , alij verò tantùm de potentia ordinaria & naturali.

2. Prima concluſio. PRIMA concluſio. Certum eſt, oculum Chriſti corporeum videre ſe ipſum in Sacramento per concomitantiam , quia habet viſionem in Sacramento, quam habet in cælo , omnia enim accidentia abſoluta,quæ ſunt in corpore exiſtenti in vno loco,ſunt in eodem corpore in alio loco,per neceſſariam concomitantiam , vt ſatis oſtenſum eſt in ſecundo corollario de replicatione , non tamen videre poteſt ſaltem naturaliter ſe ipſum, prout eſt in Sacramento reduplicatiuè , hoc eſt, cum illo modo inextenſionis , quia nec oculus Chriſti in cœlo videre poteſt illum naturaliter modum,vt infrà oſtendetur in 4.dubitatione.

3. Secunda cõcluſio. S. Thom. Sot. Scot. SECVNDA concluſio. Certum eſt,quòd per potentiam Dei abſolutam poteſt oculus Chriſti videre circunſtantes.Ita S. Thomas, Sotus,& Scotus locis citatis,contra Palud. Capr. & Riccard.ſuprà locis citatis , negantes hoc poſſe fieri de potentia abſoluta.

Probatur tamen concluſio, quia nihil poteſt impedire diuinam potentiam , quin poſſit Chriſtus audire & videre circumſtantes ; impedimentum enim illud præcipuè eſſet , quia obiectum extrinſecum non poſſet immittere ſpecies intentionales in oculum,& auditum Chriſti, niſi extenſas in ordine ad locum , hoc autem modo recipi non poſſunt in oculo , & auditu Chriſti;Sed hoc nihil obſtat, quia tam ſpecies , quàm viſio , per diuinam potentiam poſſunt recipi modo inextenſo , ſicut ipſum corpus Chriſti per eandem potentiam ponitur indiuiſibiliter in loco.

4. Hinc colligunt aliqui ſatis probabiliter, quòd de facto oculus Chriſti exiſtentis in Sacramento, videat circumſtantes , & audiat præſertim orantes; tum quia hoc pertinet ad dignitatem Chriſti ; tum propter conſolationem fidelium.

TERTIA concluſio.Naturaliter fieri non poteſt, vt Chriſtus in Sacramento videat circumſtantes. 5. Tertia concluſio.

Probatur ex principio philoſophico allato initio huius quæſtionis,tum quia ad iſtas actiones requiritur extenſio localis in agente , vt patet inductione,tum quia præcipuè deberet produci viſio indiuiſibilis, & ſupernaturalis, quod non poteſt præſtare agens naturale ; producit enim formam iuxta exigentiam connaturalem ipſius formæ , viſio autem cùm ſit forma corporea etiam in ipſo homine, B vt ſupponitur ex ſecundo de anima,naturaliter exigit extenſionem localem.

QVARTA DVBITATIO.

Vtrùm corpus Chriſti, prout eſt in Sacramento, poſſit videri ab oculo corporeo.

OCHAM & Nominales iuxta ipſorum principium poſitum in ſecunda dubitatione, dicunt corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento , poſſe videri à circumſtantibus, quia eſt aptum vt videatur , eſt enim figuratum , quia retinet ex- C tenſionem localem,quamuis habeat illam penetratam cum qualibet parte hoſtiæ ; eſt præterea coloratum , & lucidum,& eſt debitè approximatum per penetrationem ; nihil igitur impedit , quin videri poſſit à circumſtantibus, quamuis propter decentiam & maiorem reuerentiam non videatur de facto. 1. Quarta dubitatio. Prima ſententia Nominalium.

COMMVNIS ſententia eſt in oppoſitum ; Eſt Paludani diſtin.10.quæſt.4. Capr.ibidem quæſt. vltima,Ricc. ibidem quæſt. 2. Suarij & aliorum. Pro cuius explicatione pono tres concluſiones. 2. Secũda ſententia communior. Paludanus. Capreol. Riccard. Suarius.

PRIMA concluſio.Certum eſt non poſſe oculum corporeum , nec per potentiam abſolutam videre corpus Chriſti, prout exiſtit in Sacramento ; Ratio D eſt, quia non poteſt videri prout eſt in Sacramento, quin videatur exiſtentia ſeu præſentia Sacramentalis in eodem Sacramento ; ſicut non poteſt videri corpus lucidum , quin videatur ipſa lux , per quam corpus eſt lucidum , non poteſt autem videri exiſtentia ſeu præſentia ſacramẽtalis,per quam corpus Chriſti eſt in Sacramento , ergo non poteſt videri ab oculo corporeo corpus Chriſti,prout eſt in Sacramento.Minor probatur,quia modus exiſtendi in Sacramento,eſt indiuiſibilis , & ſupernaturalis , eſt ergo extra latitudinem obiecti viſibilis;Et hinc colligitur, quòd neque Chriſtus poteſt videre ſe ipſum prout eſt in Sacramento ; Eſt concluſio S. Thomæ S.Thom. 3.par.quæſt.76.art.7.ad ſecundum,vbi expreſsè habet, oculum corporalem Chriſti non poſſe videre E modum eſſendi,quo eſt ſub Sacramento.

Sed verba,quæ ſubdit ſanctus Doctor , quòd ſcilicet oculus Chriſti videt ſe ipſum ſub Sacramento exiſtentem , & hoc eſt proprium Chriſti ; nam oculus alterius beati non videt corpus Chriſti exiſtens ſub Sacramento ; maximam pepererunt difficultatem apud Thomiſtas ; Sotus enim in 4.diſt.10. quæſt.1.art.7. & Ledeſma 3.par. quæſt.76.art. 7.tenent propter hæc verba S. Thomæ Chriſtum exiſtentem ſub Sacramento poſſe videre ſe ipſum in Sacramento ; Dicendum tamen eſt,quòd S. Doctor per illa verba tantùm voluit ſignificare , quòd, quia Chriſtus in Sacramento habet per concomitantiam, 3. Explicatur S.Thomas. Sot. S.Thom. Ledeſm.

Digitized by Google

tiam, ipſam eandem viſionem, quam habet in cœlo, propterea dicitur videre ſe ipſum in Sacramento, non quòd videat ſe ipſum prout eſt in Sacramento, ſed videt ſeipſum in Sacramento ſpecificatiuè, hoc eſt ea viſione, qua ipſemet Chriſtus videt ſe ipſum in cœlo, qui quidem etiam eſt in Sacramento.

Et quidem quòd hic ſit ſenſus S. Thomæ, probatur, tum quia expreſsè in eodem loco dicit, modum indiuiſibilem, quo Chriſtus exiſtit in Sacramento, non videri ab oculo corporeo Chriſti; tum quia ſubdit, quòd oculus corporeus alterius Beati non videt Chriſtum in Sacramento, quia Chriſtus in Sacramento videt ſeipſum per concomitantiam eadem viſione, qua ſe videt in cœlo, qui modus videndi non competit Beato, ſed eſt proprius Chriſti, quia idem eſt in cœlo & in hoſtia.

Obiectio. S. Thom. Sed obiicies eumdem S. Thomam in 4. diſtinct. 10. quæſt. 1. art. 4. vbi habet, corpus Chriſti poſſe de potentia abſoluta videri non ſolùm ab ipſo Chriſto, ſed etiam à circumſtantibus; ſed quomodo intelligatur hic locus, mox infrà videbimus in ſecunda concluſione & tertia.

4. Secunda cõcluſio. S. Thom. S. Bonauent. Secvnda concluſio. Non repugnat corpus Chriſti videri exiſtens in Sacramento, ſub aliquo modo apparẽti extenſo in ordine ad locum; Et hoc modo intelligunt aliqui S. Thomam in 4. loco citato, & diſtinct. 11. quæſt. 3. art. 1. & Bonauenturam diſtinct. 10. quæſt. vlt.

Probatur, quia corpus Chriſti eſt coloratũ, figuratum, & lucidum in Sacramẽto, & eſt extenſum in ordine ad ſe, vt ſuprà oſtenſum eſt, ſolùm ergo illi deeſt extenſio localis; poteſt autem à Deo hoc ſuppleri, ſi repræſentet corpus Chriſti quod eſt in Sacramento, ſub aliquo modo apparenti extenſionis localis, hoc enim non repugnat, nam experimur per vitrum triangulare, naturaliter nos videre obiectum ſub modo apparenti; Et hinc colligitur, quòd quando miraculoſè in hoſtia conſecrata apparet caro, & ſanguis, non ſit vera caro & verus ſanguis Chriſti; Ita docet S. Thomas 3. part. quæſt. 76. art. 8. ad ſecundum, quod ex eo fit magis manifeſtum, vt dicit idem S. Doctor, quia aliquando apparet ſub forma pueri, ſub qua non eſt Chriſtus; Hæc igitur miracula ſecundùm S. Thomam ibidem contingũt, vel per realem mutationem ſpecierum Sacramentalium factam à Deo, vel per mutationem potentiæ A ipſius videntis, quod tunc contingit præſertim, quando caro non apparet eodem modo omnibus, neque in hac apparitione intercedit aliqua ratio mendacij, quia cognoſcitur ab ipſo vidente, illam apparitionem eſſe ordinatam ad confirmandam veritatem Euchariſtiæ.

Dvbivm tamen adhuc ſupereſt, an corpus Chriſti in Sacramento poſſit per potentiam Dei abſolutam videri, prout eſt extenſum in ordine ad ſe, abſque vllo modo, ſiue indiuiſibili in ordine ad locum, vt eſt in Sacramento, ſiue apparenti diuiſibili. Et ratio dubij eſt, quia eſt figuratũ, coloratum, & extenſum in ordine ad ſe, extenſio autem in ordine ad locum, non videtur ita neceſſaria ex parte obiecti, vt non poſſit ſuppleri per diuinam potentiam. 5. Dubium an poſſit corpus Chriſti videri vt eſt extenſum in ordine ad ſe.

Partem affirmatiuam videtur tenere Sotus diB ſtinct. 10. quæſt. 1. art. 7. & Ledeſma 3. part. quæſt. 76. art. 7. Dico tamen & ſit Sotus. Ledeſma.

Tertia concluſio, partem negatiuam eſſe probabiliorem, quam videtur tenere Palud. Capreol. & Riccar. in 4. diſtinct. 10. locis citatis. Et ratio eſt, quia extenſio in ordine ad locum, pertinet ad rationem formalem obiecti, tum quia videtur repugnare, quòd corpus non videatur ſub aliqua ratione ſitus, ſiue vt ſedens, ſiue ſtans, &c. tum quia ſi corpus extenſum in ordine ad ſe, vt duo, per diuinam potentiam occuparet locum, vt quatuor palmorum, videretur vt quàtuor palmorum; ergo ſignum eſt, quòd extenſio localis ſe teneat ex parte obiecti formalis. Non tamen hæc concluſio eſt ita euidens, vt non poſſit teneri oppoſitum; præſertim cùm illud ſatis bene colligatur ex S. Thoma in 4. C diſt. 10. quæſt. 1. art. 4. & diſt. 11. quæſt. 3. art. 1. vbi dicit, corpus de potentia abſoluta poſſe videri in Euchariſtia. 6. Tertia concluſio. Palud Capr. Riccard.

Ad fundamentum autem primæ ſententiæ Nominalium, quod præcipuè eſt contra primam concluſionem, patet reſponſio ex dictis ſuprà, quamuis enim corpus Chriſti ſit in Sacramento lucidum & figuratum, non tamen adhuc eſt aptum vt videatur naturaliter; adhuc enim requiritur, vt habeat extenſionem localem & ſitum, hanc autem extenſionem localem & ſitum corpus Chriſti non haberet in Sacramento, vt iam oſtenſum eſt contra Nominales in primo Corollario in ſexta dubitatione.

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVINTA THEOLOGICA CIRCA QVINTVM COROLLARIVM,

De reali præſentia Angelorum in loco.

De hac quæſt. tractat S.Thom. 1. part. quæſt. 52. & facilè deducitur ex prædicamento Vbi.

Diuiditur hæc quæſtio in octo dubitationes.

I. *An Angeli ſint in loco.*
II. *Vtrùm Angeli ſint definitiuè in loco.*
III. *Quæ ſit ratio formalis exiſtentiæ, ſeu præſentiæ localis in Angelo.*
IV. *An detur Vbi intrinſecum in Angelo.*
V. *Vtrùm hoc Vbi Angelicum ſit indiuiſibile, vel diuiſibile, ſeu extenſum.*
VI. *Vtrùm Angelus poſſit eſſe in loco minori diuiſibili, quàm ſit adæquatus, & maximus.*
VII. *Vtrùm poſſit eſſe in loco punctuali adæquatè totaliter.*
VIII. *Vtrùm poſſit contingere, quòd Angelus ſit in loco maiori, quàm ſit locus adæquatus.*

PRIMA DVBITATIO.

An Angeli ſint in loco.

1. Prima ſententia. PRIMA ſententia tenet, Angelos non A poſſe eſſe in loco ſecundùm realem propinquitatem ſubſtantiæ ad locum, ſed tantùm ſecundùm potentiam, ſeu ordinem ad operationem. Hæc opinio eſt Eruci de motu Angelorum, quæſt.1.art.1. Tribuitur etiam Durando in 1.diſtinct. 17. 2. part. diſtinct. quæſt.1. Sed Durandus non ita clarè loquitur, nam ſolùm videtur negare, Angelum eſſe in loco per vorum contactum, non autem per veram præſentiam realem; adde quòd in tota illa quæſtione Durandus loquitur dubitatiuè, non autem aſſertiuè.

Ariſtot. Hæc opinio probatur ex Ariſt. 1. cæli cap.9. vbi dicit, quòd ea, quæ ſunt ſuper lationem ſupremam, & beatò perfluuntur æuo, non ſunt apta vt ſint in loco.

Boët. Secundò probatur ex Boëtio in lib. qui inſcribitur, An omne quod eſt bonum ſibi, &c. vbi dicit communem eſſe receptionem ſapientium, incorpo- B ralia non eſſe in loco.

Auguſt. Tertiò ex Auguſtino lib.83. quæſt. quæſt.20. vbi dicit Deum non eſſe alicubi, quia non eſt corpus, & ideo contineri non poteſt à corpore.

Damaſc. Quartò ex Damaſc. lib. 1.fid.cap. 17. vbi explicans, quomodo Angeli dicantur eſſe in loco, dicit quòd ſunt in eo loco, qui eſt intellectualis; non igitur ſunt in loco corporali.

Nyſſen. Quintò ex Nyſſeno lib. 2. Philoſophiæ cap. 11. circa finem, vbi dicit, (incorporalia abuſiuè dici eſſe in loco, quia quo in loco eſt operatio ipſorum, ibi dicimus eſſe incorporalia;) & idem videtur dicere S. Doctor quæſt. 52. art. 1. vbi dicit Angelos eſſe in loco æquiuocè.

SECVNDA ſententia eſt Caietani, qui tenet Angelum ad libitum eſſe nuſquam. 2. Secũda ſententia. Caiet.

Fundamentum eſt, quia Angelus eſt in loco per applicationem virtutis; Si igitur ad libitum nuſquam applicauerit virtutem, nuſquam erit, quia ſublata ratione formali, quæ eſt applicatio virtutis, aufertur effectus formalis, qui eſt vbicatio. Hanc ſententiam tenent etiam omnes illi Thomiſtæ, qui dicunt, Angelum eſſe in loco per operationem, de qua ſententia dicemus infrà.

TERTIA ſententia eſt Ægidij in 1.diſtinct.31.2.p. diſtinct.art.1.quæſt.1. aſſerentis ſubſtantiam Angeli neceſſariò eſſe in aliquo loco; Et hæc opinio, videtur magis communis. Pro cuius explicatione ſit 3. Tertia opinio. Ægid.

PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Nulla eſt repugnantia, quòd Angelus quamuis ſpiritualis ſit in loco corporeo, ita videlicet coniunctus cum corpore, vt ſit indiſtans ab illo, (hoc enim modo hic ſumimus locum, non autem illum phyſicum propriè dictum, quem definit Ariſt. eſſe ſuperficiem corporis ambientis) impoſſibile enim eſt, vt Angelus, qui eſt incorporeus, ſit in hoc loco phyſico, non enim poteſt contineri, & circumſcribi loco. 4. Prima concluſio. Ariſt.

Hæc concluſio probatur primò authoritate ſcripturæ; & quidem aliqui ſolent probare ex illo loco Apoc. 12. vbi dicitur, *Locus eorum amplius non eſt inuentus in cœlo*; ergo ante prælium Angeli habebant locum in cœlo. Prima ratio. Apoc. 12.

Sed iſte locus non ſatis probat, nam ſecundùm Auguſtinum, t. 9. hom. 9. in Apocal. Bedam, Anſelmum, Gloſ. ordinariam, Riccard. & S.Thomam, ibi non deſcribitur bellum inter Angelos bonos, & apo Auguſt.

Digitized by Google

& apoſtatas, ſed bellum inter Draconem, & Eccleſiam Dei, quando per tyrannos illam perſequebatur, vt patet ex contextu, ſubditur enim ibi quòd *Angeli boni gratias egerunt Deo, quia victus eſt Draco, qui perſequebatur fratres noſtros, & ipſi vicerunt eum in ſanguine Agni*; quare per locum in eo capite intelligitur poteſtas, quam Dæmon ampliùs non habuit in hominibus, ſicut etiam eodem modo ad
Ephes. 4. Epheſ. 4. ſumitur locus, cùm ibi dicitur, *Nolite locum dare diabolo*.

5. Luc. 10. Secundò alij probant ex illo Lucæ 10. *Videbam ſatanam*, inquit Chriſtus, *ſicut fulgur de cœlo cadentem*; quæ quidem authoritas ſecundum multos Patres probat intentum, nam exponitur de caſu Diaboli de cœlo. Ita Gregorius 17. moralium cap. 4. vel
Greg. 3. Hoc exemplú, inquit Gregorius, attulit Chriſtus ad reprimendam ſuperbiam diſcipulorum, quaſi diceret; ne gloriemini, &c. Ita etiam exponit Bern.
Bernard. Ambroſ. ſerm. 5. de dedicatione Eccleſ. Ambr. de fug. ſæculi
Chryſoſt. Theophyl. cap. 6. Chryſoſt. Theophylact. & alij; Sed ſi velimus
Ianſen. ſequi expoſitionem Ianſenij, iſta authoritas non probat intentum, nam Ianſ. cap. 20. concord. alio modo exponit, quaſi diceret Chriſtus, etiam ſi eſſem abſens, videbam, vt vos tunc videbatis, dæmonem cadentem à corporibus obſeſſis, ſicut cadit fulgur de cœlo. Sed adhuc poſſet dici, quòd etiam ſtante hac expoſitione Ianſenij, illa authoritas aliquo modo probat intentum, quia etſi Dæmon non cadebat de cœlo, cadebat tamen de corporibus obſeſſis, ergo, &c.

6. Luc. 1. Tertiò clariùs probatur Luc. 1. Angelus Gabriel non ſolùm dicitur miſſus, ſed etiam ingreſſus ad locum Virginis, & poſt receſſiſſe, *Et receſſit Angelus ab ea*; & præterea habetur, plures legiones Dæmonum fuiſſe intus corpus vnius hominis, & præterea Angelos acceſſiſſe ad Chriſtum.

7. Quartò probatur authoritate Patrum, Nazianzeni, Athanaſij, Nyſſeni, Hilarij, Gregorij.

Quintò probant aliqui ea ratione, quia Deus neceſſariò propter immenſitatem eſt cum illo Angelo, qui ab aduerſariis dicitur eſſe nuſquam; ſed propinquitas dicit locum; ergo vt Deus ſit in Angelo, debet eſſe in loco vbi eſt Angelus. Sed hæc ratio non valet, quia poſſet dici, quòd Deus eſt in Angelo per propinquitatem virtualem, id eſt, in ipſamet ſubſtantia Angeli conſeruando illam.

8. Sextò igitur probatur, nam Angelus eſt in corpore aſſumpto; eſt igitur præſens illi corpori, in quo repræſentatur; per hoc enim, vt communiter tenent Theologi, differt modus eſſendi in corpore aſſumpto, ab aliis modis.

Septimò probatur, Deus per immenſitatem verè ſecundùm realem præſentiam, eſt indiſtans ab omni corpore, & tamen eſt ſimpliciſſimus ſpiritus, iuxta illud Pauli, *Non enim eſt diſtans ab vnoquoque noſtrûm*; non ergo repugnat Angelo, quamuis ſit ſpiritualis, quòd ſit coniunctus cum corpore per indiſtantiam; & quamuis non ſit vbique vt Deus, eſt tamen in aliquo loco determinato minori, vel minori, iuxta perfectionem Angeli.

9. Octauò, Angelus non eſt extra hoc vniuerſum, ergo eſt intra, ergo vel in toto vniuerſo ſicut eſt Deus, & hoc non, propter finitudinem Angeli; eſt igitur in aliqua parte vniuerſi.

10. Nec obſtant authoritates ex Philoſopho & Auguſtino ſuprà allatæ à prima ſententia, contra hanc noſtram concluſionem; nam Philoſophus, & Patres citati intelligendi ſunt, quòd Angelus non eſt in loco phyſico, continente, & ambiente, qui defini-
Ariſtot. tus eſt ab Ariſt. 4. phyſic. non autem quòd Angelus

A non ſit coniunctus cum corpore per indiſtantiam: Vel ſecundò intelligendi ſunt, quòd Angelus non eſt in loco per verum contactum, qui eſt inter duo corpora; quamuis enim Angelus tangat corpus per operationem, eſt tamen hic contactus abuſiue, & æquiuocè contactus; & quidem hæc reſponſio euidenter colligitur ex ipſomet Ariſt. & Auguſt. citatis; nam Ariſt. 1. cœli cap. 9. dicit beatas illas men- Ariſtot.
tes, quæ perpetuo fruuntur æuo, non eſſe aptas eſſe in loco, & tamen ibidem dicit collocari ſuper extimam ſuperficiem; ergo ſecundùm Ariſt. ſunt illæ mentes coniunctæ cum extima ſuperficie, non tamen ſunt aptæ propter immaterialitatem eſſe ibidem, tanquam in loco ambiente, & per verum con-
B tactum: Ex Auguſtino etiam, qui citatur in oppoſi- Auguſt.
tum, idem colligitur; nam lib. 83. quæſt. 20. reddit rationem quare Angelus non ſit in loco, quia, inquit, quod non eſt corpus, non poteſt loco contineri & circumſcribi.

Secvnda concluſio contra ſecundam ſenten- 11. Secunda cõcluſio.
tiam. Non videtur intelligibile, Angelum poſſe eſſe nuſquam, & quamuis non poſſit oppoſitum euidenter impugnari, probatur tamen concluſio, quia omnes creaturæ continentur in vniuerſo; non enim ſunt extra vniuerſum; ergo omnes creaturæ, in quibus etiam includitur Angelus, ſunt intra vniuerſum.

Quòd ſi dicas, intreitas, & extreitas ſunt diffe- Obiectio.
rentiæ locales; ſed Angelus nullam habet neceſſa-
C riò præſentiam localem; nam vel ſpectatur ratio formalis ex qua, præſentiæ localis, & hæc eſt vel operatio, vel applicatio virtutis ad operandum, ab hac autem operatione poteſt ceſſare Angelus ad libitum; quantùm igitur ex hoc capite, non neceſſitatur Angelus ad præſentiam localem: Vel ſpectatur ratio formalis per quam, quæ eſt ille modus præſentiæ localis intrinſecus Angelo, qui dicitur Vbi; & neque ex hoc capite Angelus eſt neceſſariò in loco, nam iſte modus præſentiæ ad libitum Angeli poteſt auferri, & poni, eſt enim diſtinctus ab Angelo; quod ex eo probatur, quia modò Angelus habet vnum Vbi, modò aliud, ad libitum, non ergo repugnat quòd careat ad libitum omni Vbi, at-
D que adeò Angelus non erit vbicatus, & ſic neque erit intrà, neque extrà, neque diſtans, neque indiſtans.

Sed contrà, quia hoc ipſum dico non eſſe intel- 12.
ligibile; non enim intelligi poteſt, quòd Angelus ſit creatus extra totum vniuerſum, & extra totum ſpatium imaginarium, quod eſt ſuper extimam ſuperficiem cœli, quare quamuis oppoſitum non repugnet, vinci enim poſſet imaginatio; probabilius tamen dicendum eſt, quòd modus ille præſentiæ localis, ſeu Vbi, non poſſit in vniuerſum auferri ab Angelo, quamuis ad libitum poſſit auferri hoc Vbi, vel illud; ſicut quantitas poteſt habere hanc, vel illam figuram, non tamen poteſt carere omni figura.
E Neque præterea eſt verum, quod in obiectione aſſumitur; rationem, ſcilicet, formalem ex qua, præſentiæ localis, eſſe operationem, vel applicationem virtutis ad operationem, vt infrà quæſtione tertia dicemus.

Secundò probatur eadem concluſio ex Ariſt. 4. 13.
phyſic. cap. 1. quo in loco exiſtimat, ea quæ ſunt, eſſe Ariſtot.
alicubi; & Tullius Tuſc. 1. (id quod eſt, inquit, nuſ- Tullius.
quam non eſſe poteſt.) & Hilar. cap. 5. in Matthæum, Hilar.
(omne quod creatum eſt, inquit, alicubi eſt.)

Dvbivm tamen eſt, an ſi Angelus crearetur extra 14.
vniuerſum in illo inani; ſit in loco, vel nuſquam.

Reſpondeo, reſolutionem huius dubij dependere ab illa quæſtione phyſica, vtrùm illud inane, ſeu

vacuum

Digitized by Google

A vacuum ſit aliqua capacitas à parte rei, quæ ſit longa, lata, & profunda, replebilis per quantitatem realem; Qui enim exiſtimant dari huiuſmodi capacitatem, congruenter dicunt Angelum non poſſe eſſe nuſquam, ſed creari indiſtantem ab aliqua parte huius capacitatis, & diſtantem ab alia, & quidem hanc ſententiam de capacitate exiſtimo eſſe veram, vt probaui in prædicamento Quantitatis, nam ſi ab hac domo tollatur aër intermedius, remanebit diſtantia inter terram, & pauimentum, replebilis tanta determinata quantitate; non enim poteſt concipi, quòd remanente tecto, & fundamento, vbi erat priùs, quòd non ſit aliqua diſtantia replebilis tanta quantitate quanta erat priùs.

B Dices iſtam diſtantiam, ſeu interuallum inane, eſſe ex parte terminorum, & ipſorum Vbi heterogeneorum petentium tantam diſtantiam: at verò in illo inani extra cœlum non dantur termini; Contra hoc eſt, quia iſti termini ſe habent materialiter, nam formaliter ſumpti, ſupponunt diſtantiam, ergo prior eſt diſtantia, quàm ſint termini formaliter ſumpti; non enim termini ſumpti materialiter habent ex ſe, vt petant tantam diſtantiam, vt latiùs probauimus in prædicamento Vbi.

15. Si tamen teneatur alia opinio, quæ negat dari extra cœlum huiuſmodi diſtantiam, ſeu interuallum inane, tunc poſſet dici, quòd ſi Angelus creetur in illo inani, nuſquam eſt, quia non datur ſpatium cum quo coniungatur, C & ideo non poteſt reſultare modus præſentiæ localis in Angelo, ſicut ſimiliter dici etiam deberet, quòd ſi non daretur hoc interuallum inane, Deum nuſquam fuiſſe ab æterno, ſed tantùm in ſe ipſo, ſecus autem, ſi creatur corpus in illo inani, nam quamuis corpus creatum non haberet diſtantiam à cœlo, neque indiſtantiam, quia diſtantiã ſumit, ab intermedio quantitatiuo, quod nullum ſupponitur in illo inani, diceretur tamen eſſe in loco, quia hoc corpus habet partes extra partes; vna igitur pars eſſet coniuncta cum alia, & iſti propinqua, & ab alia diſtans; hoc autem ſufficit ad rationem loci impropriè dicti, ſicut hic ſumimus locum; ſicut etiam à ſimili conuexa ſuperficies vltimi cœli, dicitur hoc modo eſſe in loco: D Præterea poſſet dici ſecundò cum aliquibus recentioribus, quòd ſi creetur Angelus in illo inani, adhuc eſſet aliquo modo in loco, iuxta opinionem multorum recentiorum, qui tenent præſentiam localem in Angelo eſſe modum extenſum in ordine ad ſpatium, tunc enim Angelus eſſet propinquus, & diſtans ſecundùm diuerſas partes illius præſentiæ extenſæ, quæ correſponderet ſpatio pleno, ſi daretur.

16. *Ad argumẽta primæ, & ſecũdæ ſententiæ.* Ad fundamentum primæ ſententiæ, patet ex prima concluſione.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt contra ſecundam concluſionem, reſpondeo negando, rationem formalem præſentiæ localis in Angelo E eſſe operationem, ſeu applicationem virtutis ad operandum, vt fuſiùs oſtendetur infrà in tertia dubitatione.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm Angeli ſint definitiuè in loco.

1. *Prima opinio. Durand.* FVIT ſententia aliquorum, Angelum non eſſe definitiuè in loco, ſed eſſe vbique. Tribuitur hæc ſententia Durando in 1. diſtinct. 37. quæſt. 1. vbi habet, per præſentiam ordinis Angelum eſſe in omnibus corporibus, quæ poteſt mouere ſucceſſiuè; per præſentiam autem ordinis intelligit Durandus præſentiam realem, aſſimilat enim præſentiæ formæ in materia; ſequitur igitur ex doctrina Durandi, quòd Angelus ſit vbique, quia omnia corpora poteſt mouere ſucceſſiuè. Sed hæc ſententia immeritò tribuitur Durando, nam ibi Durandus fatetur in fine quæſtionis ſe non loqui aſſerendo, ſed inquirendo.

Sed cuiuſcumque ſit hæc opinio, fundamentum eſt, quia Angelus conſtituitur in loco per potentiam operandi, vt infrà probabitur; ſed poteſt operari in omni loco, ergo poteſt eſſe in omni loco per illam potentiam operandi tanquam per rationem formalem. *Fundamentum opinionis.*

2. *Secũda ſententia.* Commvnis ſententia omnium Scholaſticorum, & Patrum, eſt in oppoſitum.

Notandum pro reſolutione. S. Thom. Pro reſolutione dubitationis notandum ex S. Thoma hic quæſt. 52. art. 2. tripliciter dici aliquid eſſe in loco, vt diximus in prædicamento Vbi, circumſcriptiuè, immensè, & definitiuè. Circumſcriptiuè illud locatum dicitur eſſe in loco, quando partes ipſius locati ſecundùm extenſionem reſpondent diuerſis partibus loci, & hoc modo corpora dicuntur eſſe circumſcriptiuè in loco: Immẽsè illud illud dicitur eſſe in loco, quod exiſtit per formam infinitam, quæ eſt ratio exiſtendi vbique, ſicut eſt immenſitas Dei: Definitiuè id dicitur eſſe in loco, quod ita eſt in vno loco, vt non ſit in alio. Ita S. Thom. loco citato. Debet autem ſic explicari, vt id dicatur eſſe in loco definitiuè, quod eſt per talem formam, quæ impedit ipſum, quo minùs, dum per talem formam eſt in tali loco, poſſit eſſe in alio, ſiue per illam eamdem formam, ſiue per aliam ſimilem ſecundùm illam virtutem, ſecundùm quam exiſtebat in illo ſuo primo loco. His poſitis, ſit

3. *Prima concluſio.* Prima concluſio. Certum eſt, Angelum non eſſe in loco circumſcriptiuè, quia ex dictis oſtenſum eſt, Angelum non habere corpus, ac perinde non poteſt habere commenſuratiuè partes ſecundùm extenſionem correſpondentes diuerſis partibus loci; Et quamuis Patres videantur communiter dicere, Angelos circumſcribi loco, non accipiunt circumſcriptionem pro commenſuratione partium locati partibus loci, ſed pro determinatione in loco determinato, vt oſtenderent, Angelum non eſſe immensè vbique, vt eſt Deus. Ita Chryſoſt. hom. 3. ad Hebr. Ambroſ. lib. de Spiritu ſancto c. 10. *Chryſoſt. Ambroſ.*

4. *Secunda cõcluſio.* Secvnda concluſio. Certum eſt Angelum non eſſe in loco immensè, ſeu vbique.

Probatur primò ex Patribus ſuprà citatis, qui dicunt, Angelum circumſcribi loco. Adde Gregorium in hom. 34. in Euang. & alios, qui aſſignantes differentiam inter perſonam diuinam productam, & miſſam, & Angelum miſſum, dicunt quòd perſona diuina ita mittitur, vt non mutet locum: Angelus autem ita mittitur, vt mutet locum. *Gregor.*

5. *Luc. 1.* Secundò probatur ex Scripturis, Luc. 1. *Et receſſit Angelus ab ea*, & ex aliis locis.

6. Tertiò probatur ratione, quia Angeli mouentur, ergo non ſunt vbique, motus enim eſt acquiſitio noui loci, quòd enim Angeli moueantur, patet ex Scripturis, & infrà probabitur.

Quartò probatur ex Bonauentura in 2. diſt. 37. immenſitas eſt proprium attributum Dei, conſequens infinitatem eſſentiæ, ſed Angelus eſt naturæ finitæ, ergo Angelus non eſt in loco immensè. *Bonauent.*

7. *Tertia concluſio.* Tertia concluſio. Certum eſt Angelũ, quando eſt in loco ſuo adæquato, eſſe definitiuè, non autem quando eſt in loco inadæquato.

Probatur prima pars concluſionis, quia ita per

formam

formam intrinſecam, quod eſt Vbi intrinſecum ipſi Angelo, eſt in ſuo loco adæquato, vt nec per illam eãdem formam, nec per aliam ſimilem, poſſit eſſe in alio loco ſecundùm propriã & connaturalem virtutem, ſecundùm quam exiſtebat in ſuo loco adæquato; hoc autem eſt eſſe definitiuè in loco, ex S.Thom. 1.part.quæſt. 52.art.2.& ex Alenſi 4.part. quæſt. 10. memb.6. art.3. vt ſuprà etiam dictum eſt. Hæc concluſio eſt S Thomæ 1.part.quæſt. 52. & eſt communis Scholaſticorum, & Patrum, quos ſuprà citauimus, aſſerentes Angelum eſſe in loco circumſcriptiuè, ſumunt enim circumſcriptiuè, pro definitiuè. (S.Thom. Alenſis.)

8. Secunda pars concluſionis, quòd, ſcilicet, quando Angelus exiſtit in loco inadæquato, non eſt ibi definitiuè, probatur, quia per aliã ſimilem formã virtute propria naturali poteſt eſſe in alio loco. Hæc cõcluſio colligitur expreſsè ex Alenſi, & S.Tho. locis citatis, vbi docent illud exiſtere in loco definitiuè, quod ita exiſtit in vno loco, vt non exiſtat in alio, ita ſcilicet vt per illam formam, vel aliam ſimilem, non poſſit propria virtute exiſtere in alio. (Alenſ. S.Thom.)

9. Verùm hîc quæri poteſt, ex cuius ſolutione magis patebit concluſio, quare corpus Chriſti, non dicitur eſſe definitiuè in hoſtia, vt tenet communis ſcholaſticorum cum S. Thoma 3. parte q.76. Et ratio dubitandi eſt, quia Chriſtus per præſentiam Sacramentalem, non eſt in loco immenſo, atque infinito, ſed potiùs finito, & menſurabili; erit igitur in loco Sacramentali definitiuè. Quòd ſi dicas non eſſe definitiuè, quia ita eſt in vna hoſtia, vt poſſit per diuinam virtutem eſſe in alia; Contra hoc eſt, quia idem poteſt dici de Angelo, quòd per diuinam virtutem poteſt exiſtere in aliis locis. Quare Angelus neque erit definitiuè in loco ſuo adæquato. (Dubium ex cuius ſolutione magis explicatur concluſio. S.Thom.)

Reſpondetur, quòd propter hoc argumentum Alenſis loco citato tenet, Chriſti corpus, ſi fiat comparatio ad omnia loca collectiuè, in quibus eſt Sacramentaliter, eſſe definitiuè in omnibus illis, tamquam in vno loco adæquato; ſi verò fiat comparatio ad hanc, vel aliam hoſtiam, non eſſe definitiuè, quia ſimul eſt in aliis multis.

10. Sed non eſt diſcedendum à communi ſcholaſticorum, aſſerentium corpus Chriſti non eſſe definitiuè in omnibus hoſtiis, in quibus exiſtit; Et ratio diſparitatis eſt de Chriſto, & de Angelo; quia Chriſtus eſt in hoſtia per conuerſionem ſubſtantialem, ac proinde per potentiam ſupranaturalem, ex vi igitur ſimilis conuerſionis, & potentiæ ſupranaturalis poteſt eſſe in aliis locis; at verò Angelus exiſtens in loco adæquato, exiſtit per virtutem naturalem, non poteſt autem per eamdem virtutem eſſe in aliis locis.

11. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, falſum ſupponere, Angelum conſtitui in loco per potentiam operandi in ordine ad operationem ſucceſſiuam, nam vt mox in dubitatione ſequenti probabimus, potiùs conſtituitur per potentiam operandi in ordine ad operationem ſimultaneam, quam poteſt ſimul exercere; hæc autem eſt finita, ac proinde per eam cõſtituetur Angelus in loco finito.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ ſit ratio formalis exiſtentiæ, ſeu præſentiæ localis in Angelo.

1. HÆc quæſtio eſt celebris inter ſcholaſticos. (Prima ſententia.)

PRIMA ſententia eſt Scoti in 2. diſt. 2. Franc. Albert. Coroll. Tom. 2, quæſt. 6. Ioannis de Baſſolis, diſt. eadem. quæſt. 3. art.2. Riccardi in 1. diſtinct. 37. art.2. quæſt.1. & quorundam grauium recentiorum aſſerentium rationem formalem, per quam Angelus conſtituitur in loco, eſſe Vbi intrinſecum. (Ioan. Baſſol. Riccard.)

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia hoc Vbi, eſt ſufficiens ad conſtituendum Angelum in loco; eſt enim ratio formalis præſentiæ localis, vt ſupponitur ex prædicamento Vbi, & mox infrà probabitur.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

2. HÆc ſententia vera eſt, ſed non tangit punctum noſtræ quæſtionis. (Prima concluſio contra primam ſententiam.)

Prima pars, quòd ſcilicet ſit vera, probatur, quia verum eſt dari hoc Vbi intrinſecum, quod eſt ratio formalis præſentiæ localis, vt ſatis fusè oſtendimus in prædicamento Vbi, præcipua tamen ratio eſt, quia verè datur motus localis in Angelo, vt infrà probabitur in quarta dubitatione, in prima concluſione; debet igitur dari terminus realis intrinſecus huius motus, ſeu actionis; non enim eſt actio ſolùm adductiua ad locum extrinſecum, ſed etiam productiua alicuius termini realis intrinſeci; huius enim actionis cauſa eſt virtus motiua, quæ propriè eſt cauſa efficiens, competit enim illi definitio quam tradit Ariſt. de cauſa efficiente, quòd, ſcilicet, ſit principium vnde motus; eſt ergo motus vera effectio; ergo debet habere terminum, qui per ipſam producatur. (Ariſt.)

3. Secunda pars concluſionis, quòd, ſcilicet, hæc ſententia non tangat punctum noſtræ difficultatis, probatur; nam hæc ſententia non aſſignat rationem formalem ex qua, locationis paſſiuę in Angelo, nam præter hoc Vbi intrinſecum, quod eſt ratio formalis, per quam Angelus locatur in loco, debet adhuc aſſignari ratio formalis ex qua, ſicut proportionaliter in corpore, præter Vbi intrinſecum, aſſignatur quantitas, tamquam ratio formalis ex qua locationis, ſicut etiam à ſimili, ſi quæratur quare homo eſt riſibilis, rectè reſpondetur per riſibilitatem, tamquam per rationem formalem per quam; Sed non adæquatè reſpondetur, adhuc enim inquiri poteſt de ratione formali ex qua: hæc autem eſt rationalitas; & hæc ratio formalis ex qua, eſt ea præcipuè quæ inueſtigari debet; quare ſuppoſito Vbi intrinſeco in Angelo, tamquam ratione formali per quam, quod quæritur præcipuè in hac quæſtione, eſt, quæ ſit ratio formalis ex qua locationis paſſiuæ in Angelo, quæ ſit proportionalis quantitati, quæ eſt ratio formalis ex qua in ipſis corporibus.

4. SECVNDA igitur ſententia eſt Alex. 2. part. quæſt. 22. aſſerentis rationem formalem continentiæ definitiuæ, ſeu locationis paſſiuæ, eſſe qualitatem quandam diuinitus communicatam Angelo, quia cùm Angelus ſit ſpiritualis, non habet proportionem cum loco extenſo, debet igitur illi ſupernaturaliter communicari qualitas tamquam ratio formalis, ex qua oriatur, vt Angelus reddatur aptus, vt conſtituatur in loco corporeo. (Secunda ſententia. Alex.)

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA HANC SECVNDAM SENTENTIAM.

5. RATIO formalis præſentiæ localis in Angelo non poteſt eſſe aliqua qualitas ſupranaturalis, (Secunda cõcluſio con-)

Digitized by Google

tra ſecundã ſententiam.

lis, quia ſequeretur, quòd Angelus non haberet in ſe ſufficiens principium, cùm tamen deberet habere, quia ſicut Deus eſt vbique, & non dicit imperfectionem in Deo eſſe in loco, ita neque in Angelo dicit imperfectionem, & quia cùm ſit ſubſtantia finita, non poteſt eſſe vbique, ideo debet habere in ſe connaturale principium conſtituendi ſe in loco.

6. Ad fundamentum ſententiæ oppoſitæ reſpondetur, quòd ſi quid probaret, probaret tantùm, quòd Angelus eſt in loco per dominium, vel per operationem extenſam operando in loco, mouendo ſcilicet illud corpus vbi eſt, vel per potentiam ad talem operationem, ſicut etiam dicitur de Deo, vt latiùs explicabimus infrà.

7. Tertia ſententia.

Tertia ſententia quæ eſt valde celebris in Scholis, eſt quorumdam Thomiſtarum, aſſerentium rationem formalem vbificationis ſeu locationis paſſiuæ in Angelo, eſſe operationem; & hanc operationem dicunt correſpondere proportionaliter quantitati in corpore, quæ eſt ratio formalis vbificationis; Sicut enim hæc eſt quantitas molis, ita illa eſt quantitas virtutis.

8. Duo modi dicendi in hac tertia ſententia. Primus. Ferr. Ægid.

Sed in explicanda hac opinione ſunt duo præcipuè modi dicendi Thomiſtarum. Primus modus dicendi eſt Ferr. 3. contra gentes cap. 68. vbi habet, hanc operationem eſſe tranſeuntem; Ad hanc videtur accedere Ægidius in 1. diſtinct. 37. 2. part. diſtinctionis art. 2. quamuis ab aliquibus citetur pro opinione Caietani.

Secũdus modus dicendi. Caietanus.

Secundus modus dicendi eſt Caietani, qui explicat operationem per applicationem virtutis; hanc autem applicationem dicit eſſe cognitionem practicam operis faciendi ab Angelo, & hanc etiam appellat Caiet. potentiam expeditiuam ad operandum; addit verò, quòd tunc completè eſt Angelus in loco, cùm actu operatur, incompletè autem, cùm per hanc cognitionem practicam attendit ad ea quę operatur vel operatus eſt, & eſt quædam aſſiſtentia, ſeu cuſtodia, per quam Angeli ſunt parati ad operandum, & per hanc Angelus conſtituitur in eo loco, in quo attendit, ſeu paratus eſt ad operandum. Ad hunc etiam modum accedit Argen. in 1. diſtinct. 37. & Medina 3. part. quæſt. 12. art. 2. Bagnes ibidem; Hæc autem operatio ad quam attendit Angelus, non opus eſt vt ſit motio localis, ſed ſufficit quælibet actio, pertinens ad aſſiſtentiam ſeu cuſtodiam, vt illa ſit. &c.

Argen. Medina. Bagnes.

9. Primum argumentum huius tertiæ ſententiæ ex Patribus. Nyſ. Damaſ.

Hæc ſententia probatur primò authoritate Patrum ex Nyſſeno lib. 2. Philoſophiæ cap. 11. vbi dicit, Angelum eſſe abuſiuè in loco propter operationem, & ex Damaſceno 1. de fide cap. 17. vbi dicit Angelum ibi circumſcribi, vbi dicitur operari.

10. Secũdum argumentum.

Secundò probatur ratione, Angelus eſt independens à corpore, quia eſt ſpiritualis, ergo ſi præſcindatur ab Angelo operatio extenſa, nullibi eſt, quia nullam haberet proportionem ad locum extenſum.

11. Tertium argumentum.

Tertiò, quia ſituum diuerſitas, propinquitas, diſtantia, dicunt extenſionem, ergo non poſſunt competere Angelo niſi ratione virtutis actiuæ, quæ extensè operatur ad extra.

Quartò, quod eſt in loco, debet eſſe per aliquam propinquitatem, ergo per aliquem contactum; hic autem contactus in Angelo non poteſt eſſe quantitatiuus, ſicut eſt in corporibus, ergo debet eſſe virtutis, ita vt tangatur locus ſecundùm virtutem, hoc eſt ſecundùm potentiam operandi, vel ſecundùm operationem extenſam, tamquam effectus ipſius potentiæ.

Quintò probatur authoritate S. Thomæ, in 1. A diſt. 37. quæſt. 3. art. 4. & 1. part. quæſt. 52. & quodlib. 1. quæſt. 3. art. 4.

TERTIA CONCLVSIO CONTRA TERTIAM SENTENTIAM.

12. Tertia concluſio cõtra tertiam ſententiam.

Ratio formalis locationis paſſiuæ in Angelo correſpondens proportionaliter quantitati in corpore, non poteſt eſſe operatio, ſiue illa ſit tranſiens, vt dicebat Ferrarienſ. ſiue illa ſit cognitio practica, vt dicebat Caiet.

13. Prima ratio huius tertiæ cõcluſionis.

Probatur primò in vniuerſum à Scoto in 2. diſt. 2. quæſt. 4. & à Riccardo in 1. & ab aliis Philoſophicè B ſic; Remota operatione nulla ſit mutatio in ſubſtantia Angeli; ergo ſubſtantia Angeli remanet ibi præſens, vbi erat priùs.

14. Quòd ſi dicas, ſufficere ad hoc, vt dicatur ſubſtantia Angeli deſinere eſſe in loco, ſi mutatio facta ſit in alio, ſcilicet in corpore, circa quod exercetur operatio Angeli, quia exiſtentia Angeli in loco, eſt tantùm reſpectus extrinſecus, qui variari poteſt mutatione facta tãtùm in alio, ſicut Deus dicitur eſſe in aliqua re, quando illã producit, & conſeruat, & deſinit eſſe, quando illa annihilatur: Cõtra hoc eſt, iſta operatio, qua poſita ponitur ſubſtãtia Angeli in loco, & qua ablata aufertur, vel eſt neceſſaria tãquam ratio formalis, vel tamquam applicatio actiua ſub- C ſtantiæ Angeli; ſi ſecundum, ergo illa remota poterit ſubſtantia Angeli remanere præſentialiter contra ipſos; ſi primum, vt ipſi fatentur, Contrà vel præſentia Angeli in loco eſt neceſſaria ad operandum, vel non; ſi neceſſaria, ergo ſupponitur actioni, vt neceſſaria conditio prærequiſita tamquam appropinquatio agentis ad paſſum, ergo remota operatione adhuc Angelus eſt in loco, in quo erat ante operationem; ſi non eſt neceſſaria, ergo Angelus poteſt operari in diſtans, ergo ablata operatione adhuc Angelus ſupponitur eſſe alicubi, non enim eſſet nuſquam, quia vel non poſſet operari, vel poſſet operari vbique, quod eſt abſurdum, & contra ipſos aduerſarios, ſupponitur ergo, ablata operatione eſſe D in aliquo loco determinato, & quòd poſſit operari in alio loco diſtincto.

15. Secunda ratio.

Secundò probatur, quia oppoſita ſententia fuit reprobata ab Academia Pariſienſi, pręſente Henrico, vt ipſe refert, & quamuis articuli Pariſienſes, vt dicitur, non pertranſeant Sequanam, non enim ſunt de fide; faciunt tamen probabilitatem, propter authoritatem doctiſſimorum virorum, qui florebant in illa Academia.

16. Tertia ratio.

Tertiò probatur ex abſurdis, quæ ex oppoſita opinione ſequuntur.

Primum abſurdum eſt, quòd Angeli beati non eſſent in cœlo, ibi enim nullam exercent operationem; Reſpondet tamen Caietanus, Angelos eſſe in E cœlo empyreo non per ſubſtantialem præſentiam, ſic enim, vt ſuprà oſtenſum eſt in opinione Caietani, ſunt, vbi aſſiſtunt ad operandum, ſed dicuntur eſſe in cœlo empyreo, quia vbicunque ſunt, fruuntur beatitudine, quæ ſignificatur per cœlum empyreum, quia hic locus peculiariter eſt deſtinatus ad gloriam.

Sed contrà, quia hoc dicere eſt magnum abſurdum, Primò, quia ex Matth. 18. dicuntur *Angeli eſſe in cœlis, quia ſemper vident faciem Patris, qui eſt in cœlis*; vbi illa vox repetita, *in cœlis*, clarè ſignificat, Angelum eſſe ibi præſentem ſecundùm ſubſtantiam. Secundò ex Damaſceno l. 1. de fid. cap. 17. vbi dicit Angelos dum ſunt in terra, non eſſe in cœlo, quamuis

Damaſc.

Digitized by Google

quamuis ſemper ſint in gloria, non ergo eſt verum, quod dicit Caietan. quòd Angeli dicuntur eſſe in cœlo, quia locus ille eſt deſtinatus ad gloriam; & Gregor. dicit, Angelos ſemper Deo aſſiſtere, quamuis mutent locum, quia Deus eſt vbique, ergo ſecundùm Gregor. quando Angeli ſunt in terra, non ſunt in cœlo, quia mutant locum; & præterea S. Thomas infrà quæſtione 61. dicit Angelos eſſe in cœlo empyreo; & eſt ſententia communis Patrum.

Caietan. Gregor. S. Thom.

17. Secundũ abſurdum.

Secundum abſurdum eſt, quia ſequeretur, quòd animæ non eſſent in aliquo loco, quia ſecundùm aduerſarios, non poſſunt mouere aliquod corpus naturaliter, cùm ſunt ſeparatæ à corpore, habent enim vim motiuam alligatam inſtrumentis corporeis.

18. Tertiũ abſurdum.

Tertium abſurdum, quod ſpecialiter eſt contra opinionem Ferrarienſis, & Ægidij, aſſerentium Angelum conſtitui in loco per motionem localem, quam exercent in corpus, ſequeretur enim ex hac opinione, quòd animæ damnatorum non eſſent præſentialiter in inferno, quia ibi non operantur; Sed hoc abſurdum non militat in opinione noſtri Fonſecæ 5. Metaph. quæſt. 9. ſect. 5. tenet enim Angelum ſeu animam ſeparatam, conſtitui in loco per operationem paſſiuam, & proinde tenet Dæmones, & animas damnatorum eſſe in inferno, quia torquentur ab igne.

19. Quartũ abſurdum.

Quartum abſurdum contra eundem Ferrarienſem, quia ſequeretur, quòd anima Chriſti reali præſentia non deſcenderit ad inferos, quia ibi nullam habuit operationem corpoream; hoc autem abſurdum non militat contra ſecundum modum dicendi Caietani, dicit enim Caietanus, quòd anima Chriſti erat præſentialiter in limbo per illuminationem.

Caietan.

20. Quintũ abſurdum.

Quintum abſurdum contra eundem Ferrarienſem & Ægidium, quia ſequeretur in opinione ipſorum, quòd Angelus nunquam quieſceret, ſed ſemper moueret aliquod corpus; & quidem Ægidius, quia tenet Angelum non poſſe eſſe nuſquam, tenet conſequenter, Angelum nunquam quieſcere, ſed ſemper neceſſariò mouere aliquod corpus; quod quidem videtur abſurdum; nam Angelus, qui eſt ſpiritualis, eſſet neceſſariò alligatus ad mouendum corpus, etiam ſi nullum commodum prouenirct vniuerſo; & præterea, ſi poneretur Angelus in illo ſpatio ſupra extimam ſuperficiem cœli, eſſet indiſtans ab aliqua parte vniuerſi, vt ſuprà probatum eſt, & tamen ibi nullum corpus poſſet mouere; & præterea hoc dictum Ægidij videtur contra S. Thomam, qui ſupponit Angelum quieſcere in loco; & quærit in quæſtione de motu Angelorum, quomodo moueatur poſt quietem. At verò Ferrarienſis ad abſurdum reſpondet, negando ſequelam; tenet enim, Angelum eſſe nuſquam, cùm quieſcit à motu; ſed contra Ferrarienſem ſuprà probatum eſt in dubitatione prima, non eſſe intelligibile, Angelum nullibi eſſe.

Ægid. [F]errar.

21. Reſpõſio ad primum argumentum tertiæ opinionis.

Ad argumenta tertiæ opinionis quæ ſunt cõtra hanc tertiam concluſionem, reſpondetur, & ad primum, quod eſt ex authoritate Patrum, dicitur, quòd quando Patres dicunt Angelum eſſe abuſiuè in loco, non intelligitur quòd non ſit verè ſubſtantialiter, ſed quia in loco non habet contactum phyſicum, ſicut habent corpora, ſed habet contactum ſolùm virtualem, per operationem, ſcilicet, extenſam, quando actu operatur in corpore, tunc enim dicuntur tangere metaphyſicè corpus, qui tactus dicitur virtualis, quia non eſt tactus molis, ſeu magnitudinis, ſed eſt tactus virtutis actiuæ, quatenus

A Angelus dicitur tangere locum, ſecundùm operationem extenſam, quæ à virtute, ſeu potentia ipſius Angeli producitur in corpore.

22. Ad ſecundũ.

Ad ſecundum reſpondetur concedendo, quòd quia Angelus eſt ſpiritualis, ſit etiam independens à corpore, tanquam à loco, ita vt non per ſubſtantiam ſuam tanquam per rationem formalem ſit in loco, ſed per dominium, non quidem quatenus actu operatur in loco, vt volebat iſta ſententia, ſed quia potens eſt operari in loco, vt explicabimus in noſtra ſententia in ſexta concluſione.

23. Ad tertium & quartum.

Ad tertium reſpondetur, Angelum eſſe in loco, & habere diuerſitatem ſituum, ſeu propinquitatem, & diſtantiam, non tamen per contactum quantitatiuum, B ſed per contactum virtutis, quatenus poteſt extensè operari in illo loco, vbi eſt ſubſtantialiter præſens.

Sic etiam reſpondetur ad quartum.

24. Ad quintũ S. Thom.

Ad quintum ex S. Thoma citato in 1. diſt. 37. reſpondetur, tantùm ibi dicere S. Thomam, Angelos eſſe in loco peculiari quodam modo, per contactum ſcilicet virtutis, quatenus aliquis effectus extenſus producitur ab Angelo in loco; quod nos concedimus; nam quamuis Angelus exiſtat in loco ſubſtantialiter per potentiam operandi in illo loco, tanquam per rationem formalem; ſi tamen Angelus non operetur in illo loco, non dicitur actualiter tangere locum, nec dicitur conſequenter eſſe in lo-C co peculiari modo per contactum actualem; contactus enim virtutis, ſeu contactus ſecundùm potentiam operandi in Angelo, qui correſpondet contactui quantitatiuo, debet habere aliquem effectum extenſum in loco, ratione cuius dicatur Angelus tangere actualiter locum, & vocatur à S. Thoma & cæteris Doctoribus, vt dictum eſt, contactus virtutis; non tamen negauit S. Thomas, quòd Angelus non poſſit eſſe in loco, ſi actu non operetur in loco, vt infrà oſtendemus in ſexta concluſione.

S. Thom.

25. Quarta ſententia.

Qvarta ſententia eſt aſſerentium, rationem formalem per quam Angelus conſtituitur in loco, correſpondentem proportionaliter quantitati in corpore, eſſe ipſam nudam ſubſtantiam Angeli. D Hæc opinio ſolet tribui à recentioribus Bonauenturæ in 2. diſt. 2. par. 2. diſtinctionis art. 2. quæſt. 1. Alij tribuunt hanc opinionem, vt Bagnes & Valentia, Riccardo in 1. diſtinct. 27. art. 2. alij Scoto quæſt. 6. alij Gabrieli, & Nominalibus.

Riccard. Gabriel.

Sed iſti Doctores non ita expreſsè dicunt hanc ſententiam; nam Gabriel, & Nominales ſolùm dicunt Angelum non eſſe per operationem, Bonauentura verò, Scotus, & alij, dicunt cauſam efficientem eſſe potentiam actiuam, qua Angelus mouet ſeipſum; indiſtantiam verò ſeu Vbi, eſſe cauſam formalem, qua Angelus eſt in loco, ex ſubſtantia autem Angeli finita, dicunt oriri, vt Angelus non ſit vbique, ſed certo, & finito loco: eſt autem hæc ſententia aliquorum recentiorum.

Bonauent. Scotus.

E Fundamentum eſt, quia ſicut ſubſtantia quanta in corporibus, eſt ratio formalis exiſtendi in loco, ita in Angelo eſt nuda ſubſtantia, quia ſi ab Angelo tollatur omnis operatio, & habitudo ad operandum, & remaneat ſola nuda ſubſtantia, non poteſt dici quòd ſit nullibi, quia ſupponitur creata intra vniuerſum, debet ergo, vt eſt dictum ſuprà, correpondere alicui parti, vel puncto vniuerſi, eſt ergo alicubi per nudam ſubſtantiam.

QVARTA CONCLVSIO CONTRA QVARTAM SENTENTIAM.

26. Quarta cõcluſio. RATIO formalis exiſtendi in loco, quæ correſpondere debet proportionaliter quantitati, non eſt nuda ſubſtantia, potiùs enim hæc eſt locatum, & non ratio locandi.

Prima probatio. Probatur, quia ratio exiſtendi in loco in Angelo, ſecundùm præſentiam ſubſtantialem, vel eſt relatio præſentiæ, vel modus abſolutus: Si primum, non poteſt ſubſtantia nuda eſſe fundamentum huius relationis, quia ſequeretur, Angelum ſemper eſſe, & manere in eodem loco; Probatur ſequela, quia ex eodem fundamento eodem modo ſe habente, & non mutato termino, ſemper ſequitur eadem prorſus relatio: ſed ſubſtantia Angeli ſemper remanet, tanquam fundamentum, omnino inuariata, remanet etiam inuariatum corpus tanquam terminus, in quo dicitur eſſe Angelus, ergo ſemper ſequitur eadem relatio præſentiæ, quia non eſt in poteſtate Angeli, mutare relationem ſui ad aliquem terminum inuariato fundamento, & termino; vnde vlteriùs ſequitur, quòd non poſſet Angelus ad libitum mutare hanc præſentiam localem, ſecundùm maiorem, & minorem locum; ſicut enim corpus non poteſt ad libitum habere maiorem, vel minorem locum, ſed adæquatum tanto loco, ſecundùm tantam quantitatem, ita etiam Angelus neceſſariò adæquaretur loco, ſecundùm tantam perfectionem ſubſtantiæ; Si verò dicatur ſecundum, quòd ſcilicet exiſtentia in loco in Angelo, non ſit relatio, ſed modus abſolutus, vt re vera dici debet, tunc etiam arguitur contrà, quia adhuc etiam ſequeretur, quòd non poſſet Angelus conſtituere ſe in minori loco, quia ſubſtantia eius ſemper eſt eadem, & eodem modo ſe habet, ſicut non poteſt ſubſtantia quanta eodem modo ſe habens eſſe in minori loco.

Molina. Sed ad hæc reſpondet noſter Molina, quòd Angelus per potentiam motiuam mouet ſeipſum, & poteſt mouere ſe de vno loco ad alium locum, & per hanc potentiam motiuam poteſt ſe conſtituere, nunc adæquato, nunc minori loco.

Sed contrà, quia adhuc argumentum factum remanet in ſuo robore, nam ſicut corpus per potentiam motiuam, qua mouet ſeipſum, non poteſt ſe collocare in maiori; vel minori loco, vltra id quod petit ſua quantitas; ita ſimiliter Angelus, ſi conſtituitur in loco, per nudam ſubſtantiam correſpondentem proportionaliter quantitati, non poteſt ſe per potentiam motiuam collocare in minori loco, quàm poſtulet perfectio ſuæ nudæ ſubſtantiæ; quia cùm hæc perfectio ſit independens à voluntate Angeli, neceſſariò habet effectum formalem ſibi adæquatum independenter à voluntate Angeli, eſt autem effectus formalis collocatio in tanto loco determinato iuxta tantam perfectionem ſubſtantiæ Angeli.

27. Secũda probatio. Probatur ſecundò eadem concluſio, quia Angelus cùm ſit ſpiritus, non debet determinari ad locum, eo modo, quò determinatur corpus; ſed debet determinari ad locum per dominium, quod habet ſupra locum, hoc autem dominium eſt, vel operatio in loco, mouendo illum, vel quia eſt potens operari, vt dicemus infrà.

28. Reſpõſio ad argumentũ quartæ ſententiæ. Ad argumentum in oppoſitum, poſitum in quarta ſententia, reſpondetur, quòd non eo modo debet Angelus conſtitui in loco per nudam ſubſtantiam tanquam per rationem formalem, ſicut conſtituitur ſubſtantia quanta, quia cùm ſit ſpiritualis, debet habere aliquod dominium ſupra locum, vt dictum eſt. Ad confirmationem reſpondetur, eſſe impoſſibile quòd ab Angelo tollatur potentia ad operandum, quæ potentia eſt ratio formalis, vt infrà dicemus; hanc enim potentiam non dicimus eſſe qualitatem aliquam, ſed ipſam ſubſtantiam, vt potentem operari, quæ radicaliter eſt fundamentum potentiæ operandi, & potentiæ motiuæ, quæ ſunt qualitates.

29. Quinta ſententia Durand. QVINTA ſententia eſt Durandi in 1. diſt. 37. 2. parte diſtinctionis, aſſerentis Angelum eſſe in loco per potentiam operandi ſucceſſiuè, ſicut cœlum, inquit, eſt præſens omnibus corporibus, quæ in ipſo continentur, ſed cum aliqua differentia; quia Angelus non eſt per potentiam quantitatiuam, quam vocat Durandus potentiam ſitus, ſicut eſt cœlum, & quia Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte, non autem cœlum; ſit enim cœlum præſens omnibus corporibus, quæ continet, ſucceſſiuè ſecundùm diuerſas partes.

Fundamentum Durandi eſt, quia debet Angelus eſſe in loco, per aliquod intrinſecum, & non per operationem, vt dicebat tertia ſententia; ergo per potentiam operandi; & quia Angelus non operatur ſimul in quocumque loco, in quo poteſt operari, ſed ſucceſſiuè, ideo per potentiam operandi ſucceſſiuè conſtitui debet in loco.

QVINTA CONCLVSIO CONTRA QVINTAM SENTENTIAM.

30. Quinta cõcluſio. QVAMVIS Durandus attigerit punctum veritatis aliquo modo, cùm dixit potentiam operandi, & non ipſam operationem eſſe rationem formalem, vt nos oſtendemus infrà in noſtra ſententia; deficit tamen in eo, quia hanc potentiam operandi dixit eſſe ſecundùm operationem ſucceſſiuam, & non ſimultaneam; ex cuius poſitione ſequuntur duo abſurda, quæ ipſemet Durandus conatur ſoluere, ſed non bene ſoluit, vt oſtendemus.

31. Durand. Primum abſurdum eſt: ſequeretur ex hac poſitione Durandi, quòd Angelus eſſet vbique; non ſolùm in toto vniuerſo creato, ſed in omni creabili; quia intrinſecè habet potentiam operandi ſucceſſiuè in toto vniuerſo creato, & in quocumque alio ſi crearetur. Durandus vidit difficultatem, & victus difficultate conceſſit Angelum eſſe vbique; negat tamen hoc eſſe abſurdum. Quòd autem ſit abſurdum, probatur, quia hoc eſt proprium Dei; immenſitas enim eſt proprium Dei attributum, propter ſuam infinitatem, non ergo hoc attributum immenſitatis poteſt eſſe connaturale; Eſt etiam contra communem Patrum, quos ſuprà citauimus, qui dicunt Angelum circumſcribi loco, id eſt, determinari; Præterea ſequeretur, quòd Angeli damnati eſſent in cœlo empyreo, quod neſcio an audeat concedere Durandus.

32. Durand. Secundum abſurdum quod ſequitur ex poſitione Durandi eſt, quòd Angelus non moueretur de loco in locum, quia non deſereret locum, & alium acquireret; eſſet enim vbique. Concedit hoc etiam Durandus, ſed negat eſſe abſurdum. Quòd autem ſit abſurdum, probatur, eſt enim contra Scripturas, in quibus habemus Angelum mutari de loco in locum; in Actis enim Apoſtolorum habetur, *Continuò diſceſſit Angelus ab eo*: & Angelus Gabriel dicitur ingreſſus in locum Virginis, & receſſiſſe, & præterea de Chriſto legimus, *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*, &c.

Ad

Reſponſio ad argumentum quintæ ſententiæ. Ad fundamentum Durandi facilè reſpondetur quòd poteſt Angelus conſtitui in loco per potētiam operandi ſimultaneè, & non ſucceſſiuè, vt mox oſtẽdemus in noſtra ſententia cum S. Thoma.

SEXTA CONCLVSIO, IN QVA EXPLICATVR SENTENTIA NOSTRA, *quæ eſt ſancti Thomæ.*

33. Sexta concluſio. ANGELVS eſt in loco per potentiam operandi ſimultaneè, hoc eſt per potentiam quæ dicit ordinem ad operationem, quæ ſimul in eodem tempore poteſt exerceri ab Angelo.

Pro explicatione huius concluſionis aduertendum eſt, quòd ſi eſt ſermo de ratione formali quæ dici ſolet (per quam) Angelus eſt in loco extrinſeco, illa eſt Vbi intrinſecum; & quantùm ad hoc bene dixit prima ſententia; ſi verò ſermo eſt de contactu, tunc contactus negatiuus in Angelo eſt indiſtantia à corpore, contactus verò poſitiuus correſpondens contactui quantitatiuo in corpore, eſt ipſa operatio extenſa, quam exercet in corpore, quare, vt bene dixit S. Doctor in 1. diſtinct. 47. quæſt. 3. art. 4. non dicitur Angelus eſſe in loco per cōtactum poſitiuum, niſi actualiter ibi operetur, non tamen neceſſariò requiritur hic cōtactus poſitiuus ad hoc, vt Angelus ſit ſimpliciter in loco, dummodo enim Angelus ſit indiſtans à loco, ſecundùm contactum negatiuum, ſatis eſt, vt dicatur, eſſe in loco ſimpliciter per potentiam operandi ibi, vt mox dicetur: Si verò ſermo eſt de ratione formali quæ dici ſolet (ex qua) fluit hoc Vbi intrinſecum, ſeu coniunctio cum loco extrinſeco, dẽ qua præcipuè eſt quæſtio, quæ quidem ratio formalis correſpondet quantitati in corpore, vnde fluit Vbi corporeum, tunc dicendum eſt, quòd ratio formalis conſtituendi Angelum in loco, eſt potentia in ordine ad operationem tranſeuntem, quam poteſt Angelus exercere ſimultaneè in corpore, ita vt quanta poteſt eſſe operatio Angeli in eodem tempore, poterit eſſe ſimiliter collocatio Angeli in tanto ſpatio; per potentiam autem non intelligimus qualitatem aliquam accidentalem, ſed ipſam ſubſtantiam Angeli potentem, quæ connotat extrinſecè operationem tranſeuntem.

Capr. Hæc ſententia ſic explicata eſt Capreoli in 2. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 1. vbi hanc potentiam ad operandum explicat per habitudinem ad operationem; Eſt etiam hæc ſententia Sancti Thomæ, (S. Thom.) cuius mens: vt intelligatur, oportet breuiter examinare varia loca ipſius, præcipuè autem ſunt tria. Primus eſt in 1. part. quæſt. 52. artic. 1. Secundus eſt in 1. diſtinct. 37. quæſt. 2. art. 4. Tertius eſt in quodlib. 1. quæſt. 3. art 4.

34. Examinatur mens D. Thomæ. In primo & ſecundo loco dicit S. Doctor, quòd ſicut in corpore datur dimenſiua quantitas, ita datur cum Angelo quantitas virtualis; & ſicut corpus eſt in loco per contactum dimenſiuæ quantitatis, ita Angelus eſt in loco per applicationem virtutis, qui locus non eſt contra ſententiam noſtram, immò fauet, ſolùm enim intendit S. Doctor, Angelum eſſe in loco per operationem ſecūdùm contactum poſitiuum, correſpondentem contactui quantitatiuo in corporibus, quod nos concedimus, vt dictum eſt paulò ſuperiùs. In tertio autem loco, quodlib. ſcilicet 1. quæſt. 3. art. 4. in corpore, multùm fauet noſtræ ſententiæ, dicit enim Angelum conſtitui in loco per potentiam operandi, intelligit autem non de operatione quam poteſt exercere ſucceſſiuè, vt volebat Durandus, quia tunc Angelus eſſet vbique, ſed de potentia in ordine ad operationem ſimultaneam, quam poteſt Angelus ſimul in eodem tempore exercere in corpore, vt ſuprà explicatum eſt.

Vt autem videatur quæ ſit ſententia S. Thomæ in hoc quodlibeto, ponam verba ipſius, quæ habet in corpore articuli: (Dicendum, quòd qualiter Angelus ſit in loco corporeo, conſiderari poteſt ex modo quo corpus eſt in loco; eſt enim corpus in loco per contactum loci; contactus autem corporis eſt per quantitatem dimenſiuam quæ in Angelo non inuenitur, cùm ſit incorporeus, ſeu loco eius & in eo quantitas virtualis; Sicut ergo corpus eſt in loco per contactum dimenſiuæ quantitatis, ita Angelus eſt in loco per contactum virtutis; Si quis autem velit virtutis contactum operationẽ vocare, propter hoc quòd operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur, quòd Angelus eſt in loco per operationem, ita tamen quòd per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quæcumque vnitio, qua ſua virtute ſe corpori vnit præſidendo, vel continendo, vel quocunque alio modo, &c.) Hæc S. Thomas. 35.

Ex quibus verbis colliguntur duo, Primum, quòd Angelus eſt in loco per contactum virtutis, hoc eſt potentiæ operatiuæ, quæ ſolet explicari per operationem, quia operatio eſt effectus virtutis, vt patet ex illis verbis (ſi quis autem velit, &c.) quare quando S. Thomas alibi dicit, Angelum eſſe in loco per operationem, explicandus eſt, vt ipſe videtur ſe ipſum hîc explicare, quòd ponitur operatio ad ſignificandam ipſam virtutem, ſeu potentiam actiuam, quatenus operatio eſt effectus ipſius potentiæ. Secundò colligitur ex hoc loco, quòd per operationem S. Thomas non intelligit tantùm motionem localem, vt intelligit Ferrarienſis & alij, ſed quamcunque operationem tranſeuntem, vt patet præſertim ex illis vltimis verbis (præſidendo, vel quocunque alio modo) quare Angelus poteſt eſſe in loco per operationem illuminando hominem, quia hæc exercetur in corpore; fit enim ab Angelo, formando aliquas formas in imaginatione corporea hominis, quæ formari poſſunt ex commotione organi corporalis, ſicut patet in dormientibus; De qua re videndus eſt Vincentius Belluacenſis in ſpeculo naturali tom. 1. lib. 26. cap. 74. vbi citat S. Thomam, ſed non citat locum; Locus autem eſt in quæſtionibus diſputatis quæſt. 11. de veritate, artic. 3. in corpore, vnde Belluacenſis deſumpſit eadem prorſus verba, & infrà cap. 84. agens de eadem materia, ponit eadem verba S. Thomæ quæ habentur loco citato quæſt. 11. art. 5. & tamen neque citat locum, neque authorem, nec mirum; nam idem Belluacenſis tom. 1. initio operis fatetur ſe collegiſſe notabilia ex ſcriptis aliorum Doctorum. Et hæc ſatis ſint de mente S. Thomę circa hanc ſextam cōcluſionem. Hinc colligo Vincentium Belluacēſem vidiſſe opera S. Thomæ, & ad verbum in ſua opera multa poſuiſſe.

An autem per operationem tranſeuntem intelligat S. Thomas etiam operationem inextenſam, cuiuſmodi eſt loquutio, ſeu illuminatio, qua Angelus illuminat alium Angelum, non eſt certum apud S. Thomam, nam in hoc quodlibeto loquitur de ea operatione, quæ fit circa corpus.

Hæc concluſio ſic explicata probatur, quia hæc ſententia vitat omnia abſurda aliarum opinionum, quas ſuprà confutauimus; Et primò ſoluuntur omnia abſurda quæ ſunt contra opinionem Durandi, tum non ſequitur in hac opinione, Angelum eſſe in mundis infinitis ſi dari poſſint, vel quòd non poſſit ſe mouere localiter; nam in hac ſententia noſtra dicimus, rationem formalem exiſtentiæ in loco, 36. Prima probatio.

Digitized by Google

co,non eſſe potentiam operandi ſucceſſiuè, ſed potentiam operandi ſimultaneè, operatio autem ſimultanea, quæ fit in eodem tempore, eſt determinata & finita.

Rurſus vitantur abſurda quæ ponebat tertia opinio Ferrarienſis & Caietani, abſurda autem præcipuè in illa ſententia erant,quòd Angeli, & animæ non eſſent in cœlo ſecundùm realem præſentiam; quia ibi nullam habent operationem ad operandum;at verò in ſententia noſtra hoc abſurdum non ſequitur, quia poſſunt collocari in cœlo per potentiam ad operandum,immò, & in vacuo, quia ſi ibi crearetur corpus,poſſent circa illud operari;Et præterea contra hanc ſententiam noſtram non militant articuli Pariſienſes, qui militant contra prædictam opinionem, & expreſsè contra illam fuerunt prolati,nam articulus Pariſienſis ſeptimus habet hęc verba (dicere quòd ſi eſſet aliqua ſubſtantia ſeparata, quę non moueat aliquod corpus in hoc mundo,illa non clauditur in vniuerſo, error.) hoc autem nos non dicimus, ſicut dicit Ferrarienſis,quia clauditur in vniuerſo per potentiam ad mouendum, & non per motionem actualem in recto, ſed in obliquo; Nec obſtat contra noſtram ſententiam articulus Pariſienſis 104.vbi habetur(dicere,quòd ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt in loco per operationem,quia poſſunt moueri de extremo, ad extremum, & non per medium,ex eo,quia poſſunt operari in extremis,& non in medio,error.)non,inquam,obſtat,quia per illum articulum intendebat Academia Pariſienſis, damnare illam opinionem aliquorum Thomiſtarum, qui dicebant, rationem formalem ponendi Angelum in loco, eſſe voluntatem ad operandum;& hæc voluntas efficax vocatur in illo articulo potentia, quia voluntas efficax eſt potentia proxima, ſeu potentia executionis.

37. Præterea per hanc noſtram ſententiam vitantur abſurda quartæ opinionis, quæ dicebat rationem formalem conſtituendi Angelum in loco, eſſe ſubſtantiam nudam; Nam ex hac opinione ſequebatur primò, quòd Angelus non eſſet in loco per dominium; Præterea ſequebatur ſecundò, quòd non poſſit eſſe in minori loco, quia ratio formalis ſemper eſt inuariata, nuda ſcilicet ſubſtantia; quæ duo abſurda non ſequuntur ex hac noſtra ſententia; Non primum, quia Angelus iuxta ſententiam noſtram,eſt in loco per dominium, per potentiam ſcilicet operandi ſupra locum, mouendo, ſcilicet,illum; Nec ſequitur ſecundum, nam quamuis potentia operandi ſemper ſit inuariata, eſt enim de eſſentia Angeli, (loquimur enim de potentia radicali) tamen iſta potentia in Angelo, dicit ordinem ad operationem tranſeuntem, quæ poteſt exerceri ab Angelo aliquando adæquatè iuxta perfectionē ſuæ potentiæ, aliquando inadæquatè ad libitum Angeli, ac proinde poſſet Angelus ſe conſtituere per hanc potentiam in minori loco, quatenus illa potentia reſpicit inadæquatè aliquam operationem, quam poteſt Angelus ad libitum exercere in illo loco.

38. *Secũda probatio. S. Thom.* Probatur ſecundò concluſio, nam Deus ex S. Thom.in 1. part. quæſt.8. eſt in loco per operationem, & tamen non poteſt intelligi per operationem in recto, ſeu per actualem operationem; ſed per operationē in obliquo,quæ eſt terminus potentiæ,ſeu per operationem poſſibilem, nam extra cœlum eſt diſtantia illa infinita vacui, vt ſuprà probatum eſt in prædicamento Vbi,in qua Deus eſt propter ſuam immenſitatem, & tamen nihil actu operatur, ſed poteſt operari. Quòd verò ſit in illa diſtantia, probatur, quia alioquin mutaretur Deus, nam ſi Deus crearet corpus in illa diſtantia, eſſet in illo corpore, & conſequenter etiam eſſet in illa diſtantia, vbi eſt corpus, & non per aliquam mutationem illius diſtantiæ; ergo per mutationem ſui, quod eſt abſurdum. Quòd ſi dicas eſſe per mutationem corporis creati in illa diſtantia; Contrà, quia,vt dictum eſt, Deus non ſolùm ſubſtantialiter eſt in corpore creato, ſed etiam ſubſtantialiter eſt in illa diſtantia inani, ergo ſi locaretur de nouo in illa diſtantia, locaretur per mutationem ſui, quia nulla fit mutatio in illa diſtantia inani, eſt enim illa diſtantia immobilis, vt fusè oſtenſum eſt in prædicamento Vbi.

Prima obiectio contra ſextam concluſionem. Sed contra hanc concluſionem multipliciter arguitur; Primarium autem argumentum eſt; Iſta potentia ſemper remanet inuariata independenter à voluntate, ergo ſemper conſtituet Angelum in loco determinato, & adæquato, non autem in minori, quia adæquatè dicit ordinem ad operationem tranſeuntem adæquatam ſimultaneè.

39. *Solutio.* Reſpondetur, duplicem eſſe rationem formalem conſtituendi Angelum in loco, vt dictum eſt ſuprà, altera eſt ex qua, & eſt hæc potentia operandi; altera per quam, & eſt ipſum Vbi; Si ſpectetur ipſa potentia, quantùm ad perfectionem quam dicit in recto, nullo modo dependet à libera voluntate Angeli; quantùm verò ad operationem, quam tanquam terminum dicit in obliquo, dependet à volũtate Angeli,non enim poteſt potētia exire in operationem, niſi per applicationem voluntatis, ac propterea potentia quæ eſt ratio formalis ex qua, non conſtituit Angelum adæquatè in loco, iuxta perfectionem quam habet, ſed ſecundùm applicationem liberæ voluntatis Angelicæ, ac proinde poteſt ſe conſtituere in loco adæquatè, vel inadæquatè, vt voluerit; hanc autem applicationem includit hæc ratio formalis ex qua, tanquam conditionem, ſiue qua non conſtitueretur Angelus in loco; & hoc eſt valde conueniens, quia Angelus, vt inquit S. Thomas, debet eſſe in loco per dominium: Si verò ſpectetur ratio formalis per quam,quæ quidem eſt Vbi Angelicum; tunc dicendum eſt, quòd hoc Vbi dependet à libera voluntate Angeli;nam vel Angelus, vt tenet Vaſques,producit ſibi hoc Vbi ad libitum, & tunc poteſt illud producere ad libitum; vel adæquatum ſuæ potentiæ,vel inadęquatum;vel hoc Vbi eſt terminus motus localis, & tunc quia Angelus mouet ſe liberè, liberè etiam per illud Vbi conſtituet ſe in loco ad quem mouetur.

Secunda obiectio. Obiicies ſecundò, Deus conſtituitur in loco per potentiam operandi adæquatè, & dicit maximam perfectionem in Deo; ergo etiam Angelus debet conſtitui, non quidem vbique, vt Deus, ſed in loco determinato adæquato ſibi per potentiam operandi adęquatè.

40. *Soluitur.* Reſpondetur eſſe diſparem rationem,nam Deus eſt immutabilis, & non poteſt moueri de loco ad locum, diceret enim maximam imperfectionem, & propterea per potentiam operandi adęquatam conſtituitur adæquatè in loco; at verò Angelus poteſt moueri de loco ad locum, & dicit perfectionem in Angelo, quia non poteſt eſſe vbique;quia igitur datur in Angelo iſta potentia motiua, non mirum eſt, ſi Angelus poteſt ſe conſtituere vel in loco adęquato, vel minori.

Tertia obiectio. Obiicies tertiò,ſequeretur ex hac ſententia,quòd Angelus non poſſit conſtitui punctualiter; Probatur ſequela,quia iſta potentia dicit ordinem ad operationem, operatio autem eſt extenſa, ergo, &c.

41. *Soluitur.* Reſpondetur, quòd conſtituitur in puncto per [illegible] indiui

indiuiſibile operationis, quod eſt mutatum eſſe, ſeu per ordinem ad hoc indiuiſibile.

Quarta obiectio.

Obiicies quartò, Angelus eſt in loco per contactum, ſed nullus datur in Angelo contactus, niſi contactus virtutis, quæ eſt operatio extenſa, ergo conſtituitur Angelus in loco per operationem extenſam.

42. Solutio.

Reſpondetur, quòd ad hoc, vt Angelus ſit in loco, ſufficit vt ſit per Vbi intrinſecum poſitiuum, & per contactum negatiuum, qui eſt indiſtantia, non autem opus eſt vt ſit per operationem, quaſi per contactum virtutis poſitiuum, correſpondentem contactui quantitatiuo in corporibus, quia non eſt neceſſe, vt Angelus operetur in loco, ad hoc vt ſit in loco, vt probatum eſt; corpus verò ſemper eſt in loco per contactum poſitiuum quantitatiuum; quia corpus eſt in loco per quantitatem actualem.

Quinta obiectio.

Obiicies quintò, ſi Angelus nollet ſe conſtituere in tanto vel tanto loco, ſequeretur quòd nullibi conſtitueretur; hoc autem eſt impoſſibile, vt ſuprà oſtenſum eſt.

43. Solutio.

Reſpondetur, quòd tunc conſtitueretur in loco adæquato, flueret enim naturaliter illud Vbi adæquatum; Vel dicendum, quòd neceſſitatur Angelus ad producendum ſibi aliquod Vbi, hoc, vel illud, quia ſaltem naturaliter non poteſt eſſe nullibi. Qui verò tenent, hoc Vbi poſſe impediri à Deo, tunc dicendum eſt, quòd ſtante hac hypotheſi, ſequeretur, Angelum eſſe nullibi, quia tolleretur ratio formalis (per quam) exiſtendi in loco, ſicut ſi à materia tolleretur quantitas, eſſet in puncto.

44. Ad intelligentiam autem eorum quæ dicta ſunt, afferri poteſt exemplum accommodatum de qualitate, quæ eſt intenſa per radicationem in ſubiecto, in doctrina Thomiſtica; nam illa qualitas, v.g. calor eſt qualitas ſimplex & indiuiſibilis, virtute continens totam latitudinem illorum graduum, in quos diuideretur, ſi qualitas illa eſſet diuiſibilis, & tamen non informat niſi iuxta perfectionem vnionis, vel inexiſtentiæ, ita vt, ſi vnio ſit vt duo, informet vt duo, & ſi vnio ſit vt tria, informet vt tria; hæc autem vnio liberè poteſt fieri à Deo maior, vel minor. Ita dicendum eſt ſimiliter, quòd potentia ad operandum, eſt ſimplex entitas, & indiuiſibilis, non tamen conſtituitur in loco niſi per Vbi, tamquam per rationem formalem (per quam;) potentia enim eſt ratio formalis (ex qua,) hoc autem Vbi ſi erit perfectum, vt duo, conſtituet Angelum in loco, vt duo, & ſic deinceps. Quòd autem hoc Vbi producatur in tanta, vel in tanta perfectione, habet à voluntate libera Angeli; ſicut vnio perfectior, & imperfectior in illa qualitate, erat à libera voluntate Dei, & multò magis in caſu noſtro; quia vnio ibi ſe habet, vt conditio; Vbi autem ſe habet vt ratio formalis, per quam conſtituitur Angelus in loco, & ſicut ſi in illa qualitate ſimplici nulla produceretur vnio ab agente, probabile eſſet; quòd ab illa qualitate flueret vnio adæquatè perfecta, iuxta perfectionem qualitatis, ſi nullum ſit aliud impedimentum contrariæ qualitatis: Ita in caſu noſtro ſi nullum produceretur Vbi ab Angelo, flueret Vbi, vt dictum eſt, adæquatum potentiæ ipſius Angeli; quòd ſi nullum Vbi flueret, quia Deus impediret, vel quia Deus per impoſſibile deſtrueret potentiam illam operandi, à qua fluit Vbi, tunc conſequenter dicendum eſt, quòd Angelus nullibi eſſet, ſicut ſi ſupra extimam ſuperficiem cœli nullum eſſet ſpatium inane, & ibi Angelus crearetur ſupra illam extimam ſuperficiem cœli, certè Angelus nullibi eſſet; ex vno enim impoſſibili dato, ſequi poteſt conſequenter aliud impoſſibile.

QVARTA DVBITATIO.

An detur Vbi intrinſecum in Angelo.

Hæc dubitatio pendet ex quæſtione, quam in vniuerſali tractauimus de hac eadem materia, in prædicamento Vbi; habet autem peculiarem difficultatem in Angelo.

1. Prima ſententia.

Prima ſententia eſt aliquorum aſſerentium, non dari Vbi intrinſecum in Angelo, ſed fieri præſentem loco extrinſeco per ſolam indiſtantiam, ſeu per ſolam negationem diſtantiæ, ſine aliqua forma poſitiua, quæ producatur in ipſo Angelo.

Primum argumentum.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſola negatio diſtantiæ eſt ſufficiens, vt locatum intelligatur realiter, & ſubſtantialiter præſens loco, propter quam rationem etiam negat hæc ſententia dari Vbi intrinſecum in corpore locato.

Secundò ſpecialiter probatur in Angelo, quia hoc Vbi Angelicum inuolueret implicantiam; nam reſpectu ſubiecti cui inhæret, quod eſt Angelus, neceſſariò eſt immateriale, & ſpeciale, reſpectu verò termini, ſeu loci, debet eſſe diuiſibile, & extenſum, eſt enim ratio ponens Angelum diuiſibiliter in loco; eſſe autem ſpirituale, & diuiſibile, ſunt implicantia.

2. Secunda ſententia.

Secvnda ſententia communis Scholaſticorum eſt, in Angelo dari Vbi intrinſecum, quod eſt ratio exiſtendi in loco, & cum hac eſt dicendum. Pro cuius explicatione ſit

3. Prima concluſio.

Prima concluſio. In Angelo debet dari mutatio intrinſeca, per quam ex non præſenti in loco, fiat præſens loco; & hæc mutatio eſt motus localis intrinſecus in Angelo.

Prima probatio. Scotus. Ocham.

Probatur primò, à Scoto in 4. vbi tractat de præſentia corporis Chriſti ſub accidentibus, & ex Ocham in 3. quæſt. 1. quia ſubiectum non poteſt realiter tranſire de vno extremo contradictorio in aliud contradictorium, ſine aliqua mutatione reali à parte rei, quia ſi nihil, inquit, à parte rei mutatur, nulla eſt ratio, per quam vnum extremum contradictorium verificetur vno tempore potiùs, quàm in præcedenti; ſed Angelus tranſit realiter de negatione præſentiæ in hoc loco, ad præſentiam in hoc loco, ergo à parte rei aliqua contingit mutatio, ratione cuius verum ſit, Angelum nunc eſſe præſentem, cum priùs non fuerit præſens; ergo in Angelo debet eſſe aliqua mutatio, per quam acquirat illum locum; neque mutatio poteſt eſſe in loco, quia ſupponitur inuariatus, ergo debet eſſe in Angelo, qui ex diſtante in loco, fit indiſtans, & præſens.

4. Secunda probatio.

Secundò probatur, ſeu explicatur, & confirmatur magis prior ratio, quia extrema abſoluta non poſſunt diuerſimodè inter ſe comparari ſine aliqua mutatione, quæ ſit fundamentum talis diuerſæ comparationis; res enim abſolutæ eodem modo inter ſe referuntur, quamdiu in illis nulla contingit mutatio, non enim fieri poteſt, vt res alioqui æquales, fiant inæquales, ſine additione, vel diminutione alicuius rei; ſubſtantia autem Angeli, & locus, ſunt res abſolutæ, quæ quidem diuerſimodè inter ſe referuntur; poſtquam Angelus acquiſiuit locum, quem antea non habebat, ergo in illis aſſignanda eſt aliqua mutatio, quæ ſit adæquatum fundamentum relationum, quæ de nouo reſultant; mutatio autem non poteſt eſſe in loco, quia ſupponitur locus,

Digitized by Google

cus,ſeu corpus,cum quo Angelus coniungitur, non moueri,ergo mutatio contingit in Angelo,per hoc, quòd in ſe recipit aliquid de nouo, quod priùs non habebat.

5. *Tertia probatio.* Tertiò probatur, quia Angelus de non præſenti loco denominatur præſens loco, hæc autem denominatio, ſeu reſpectus non poteſt eſſe extrinſecus, quia extrinſeca denominatio, non poteſt conuenire de nouo alicui rei ſine productione aut mutatione ipſius, vel formæ, à qua denominatur, color enim non poteſt denominari viſus, niſi incipiat actus viſionis circa ipſum; neque corpus poteſt denominari dextrum à dexteritate animalis, niſi quia vel ipſum animal mutatur, vel certè producitur in eo ſitu, ex quo oritur talis denominatio, & Deus cùm ab æterno ex non volente creare negatiuè, eſt in ſecundo ſigno volens creare poſitiuè, fit aliqua variatio in re, tranſit enim ex eſſe poſſibili ad eſſe futurum, ita vt de ea verum aliquando ſit dicere(eſt.) Cùm igitur Angelus denominetur præſens loco, non poteſt eſſe denominatio extrinſeca, niſi aliquid intrinſecum producatur in Angelo, vel in loco; non autem poteſt dici quòd variatio ſit in loco,quia ſupponitur locus eſſe inuariatus.

6. *Obiectio.* Hæc concluſio eſt contra Caietanum 1. parte, quæſt.53.art.1.& contra Ferrarienſem 3.contra gentes cap.101.& Ægidium in 1.diſtinct.37.par.2. ar.2. q.1.aſſerentes ex S.Thom.1.part.quæſt.53. ar.1. motum localem in Angelo non eſſe aliquod intrinſecum,ſed reſpectum extrinſecum ad locum, in quo operatur; & ſaluant omnia per ipſam operationem,quæ de nouo fit in corpore, ſeu loco,per hanc enim dicunt Angelum mutari, & fieri præſentem.

Soluitur. Sed hoc nihil obſtat: ſuprà enim oſtendimus contra illos, Angelum poſſe eſſe in loco ſine operatione; quapropter bene procedunt rationes allatæ pro noſtra concluſione.

7. Solùm ſupereſt reſpondere ad authoritatem S.Thomæ 1.part.loco citato;vbi dicit partes motus Angelici,nihil aliud eſſe, quàm diuerſos contactus diuerſorum locorum; quia Angelus,inquit, non eſt in loco,niſi per contactum virtutis; Videtur ergo ſentire, per motum, Angelum non variari intrinſecè; conſtat enim quòd operatio ſecundùm quam fit contactus, eſt extrinſecè in ſubſtantia Angeli;recipitur enim intrinſecè in corpore,quod mouetur.

8. Sed facilè reſpondetur, per illam particulam (niſi)excludere S. Thomam, quòd Angelus non eſt in loco per contactum quantitatiuum, ſicut ſunt corpora, ſed ſolùm per contactum virtutis correſpondentem contactui quantitatiuo corporum;poteſt enim Angelus acquirere locum duobus modis, Primò ſolùm acquirendo Vbi intrinſecum, ad exiſtendum in loco, ſine contactu virtutis, qui fit per operationem. Secundò,non ſolùm acquirendo Vbi intrinſecum, ſed acquirendo illud per contactum virtutis,tangendo locum ſua operatione;& hic modus traditur ibi à Sancto Doctore; quia hic modus eſt ſimilis contactui quantitatiuo corporis.

9. *Secunda concluſio.* SECVNDA concluſio. Præter motum localem intrinſecum in Angelo, datur Vbi intrinſecum, ita vt Angelus non fiat præſens loco per ſolam negationem diſtantiæ, ſed per formam poſitiuam realem, quæ in Angelo producitur intrinſecè,& hanc vocamus Vbi intrinſecum.

Prima ratio. Probatur primò, datur motus realis intrinſecus in Angelo, vt probatum eſt in prima concluſione, datur igitur vera cauſa efficiens, vnde motus, hæc enim definitur eſſe vera cauſa efficiens ab Ariſt. 2. Phyſic.cap.3. & 5. Metaph. cap. 2. Sed vbicumque A eſt cauſa efficiens actu operans, debet eſſe effectio vera & realis; ſed vbicumque eſt effectio realis, eſt terminus realis illius effectionis; ergo debet aſſignari terminus realis, qui ſit per hunc motum; ſed hic terminus non eſt alius, quàm Vbi intrinſecum in ipſo Angelo,hæc enim eſt ratio præſentiæ Angeli in loco. Quòd verò hoc Vbi debeat eſſe intrinſecum,probatur,quia motus ſeu mutatio, debet identificari cum termino,nihil eſt enim aliud motus,ſeu mutatio, quàm forma in fieri, vt communiter dicunt Philoſophi;ſi ergo datur mutatio intrinſeca in Angelo,debet dari Vbi intrinſecum, tamquam forma quæ fit per hanc mutationem.

Et confirmatur, quia non poteſt eſſe iſte terminus negatio diſtantiæ,quia mutatio eſt realis; ergo 10. B terminus debet eſſe realis; neque poteſt eſſe vnio, quæ recipiatur in corpore,ſeu loco,tum quia, vt dictum eſt, terminus mutationis debet eſſe intrinſecus, & identificatus cum mutatione, mutatio autem eſt in Angelo,& non in corpore localiter.

Secundò probatur, Negatio in rebus, quæ exiſtunt, non poteſt de nouo incipere ſine corruptione alicuius rei poſitiuæ, quia debet incipere per non eſſe rei poſitiuæ,cuius eſt negatio,at verò præſentia Angeli in loco, non incipit per non eſſe alicuius rei poſitiuæ, ergo hæc potentia non eſt ſola negatio. 11. *Secunda ratio.*

Tertiò probatur, Cùm mouetur Angelus extra vniuerſum, ſaltem per diuinam potentiam, manifeſtè conſtat in hoc caſu, quòd debeat dari Vbi intrinſecum, nam motus eſt verus, & realis, verè enim,& realiter variatur Angelus intrinſecè ab vno ſitu immobili, ad alium ſitum immobilem, debet ergo dari terminus realis; hic autem non poteſt eſſe in vacuo alius, quàm Vbi intrinſecum Angelicum. 12. *Tertia ratio.* C

Quartò,fundamentum propinquitatis, & præſentiæ circa aliquod corpus,non eſt ſemper motus, quia Angeli creati in cœlo empyreo,creati ſunt cum hoc reſpectu præſentiæ in ipſo cœlo, ſine vllo præcedenti motu; nec poteſt dici, quòd creatio eſt tale fundamentum huius reſpectus propinquitatis, eadem enim eſſet productio ſubſtantiæ Angelicæ, quamuis in alio loco produceretur, nec poteſt iſte D reſpectus propinquitatis fundari in ſubſtantia, aut potentia Angeli,tamquã in fundamento totali,quia hæc ſemper eſt eadem, ergo præter hæc aliqua ratio accidentalis exiſtendi in loco fuit in Angelo, quando creatus eſt, vnde ortus eſt ille reſpectus propinquitatis. 13. *Quarta ratio.*

Quintò, quando Angelus eſt in loco diuiſibili, poteſt ſe quaſi contrahere, & eſſe in minori loco, etiam in indiuiſibili, & punctuali;atque adeò amittere reſpectum præſentiæ ad aliam partem loci; ſed non poteſt Angelus ſua voluntate ad libitum, amittere reſpectum ad terminum manentem, niſi auferat aliquid à fundamento, ergo aufert aliquid à ſe, vt ceſſet reſpectus propinquitatis, quem antea ha- E bebat ad aliam loci partem. 14. *Quinta ratio.*

TERTIA concluſio. Hoc Vbi intrinſecum, eſt diſtinctum à parte rei ab ipſa ſubſtantia Angeli. 15. *Tertia concluſio*

Probatur primò,eſt vera,& realis mutatio in Angelo, vt probatum eſt in prima concluſione, ergo per illam acquiritur aliquid diſtinctum ſaltem ex natura rei ab ipſa ſubſtantia. *Prima ratio.*

Secundò probatur ex illa regula Ariſtotelica 7. Topicorum cap.1.circa finem, vbi ad arguendum diuerſitatem duorum, dat hanc regulam tamquam certiſſimam, quòd quando vnum ſine altero eſſe poteſt,illa ſunt diuerſa,& diſtincta,& quidem non *Secunda ratio. Ariſt.*

opus

Digitized by Google

opus eſt, vt vtrumque eſſe poſſit, ſed ſatis eſt ſi alterum ſine altero eſſe poſſit, quod patet ex eodem
Ariſt. Ariſt. 7. Metaph. in fine, vbi ex hac regula colligit carnem eſſe aliquid diuerſum ab elementis, ex quibus componitur, quia elementa manere poſſunt, diſſoluta carne; at verò caro ſine elementis eſſe non poteſt, & hoc modo hanc regulam explicant
Alex. Auer. grauiores Peripatetici, Alexander, Auerroës in illum locum 7. Topic. quam regulam etiam approbant Theologi & S. Patres,
Auguſt. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 7. vbi ex hac regula colligit, magnitudinem diſtingui à figura; & S. Bernardus ſerm. 47. in Cantica, & Scholaſtici,
Scotus. Scotus 2. diſt. 1. quæſt. 5. & in 3.
Durand. diſt. 8. quæſt. 1. Durand. in 1. diſtin. 30. quæſt. 2. & alij, qui ex hac regula colligunt humanitatem diſtingui à ſubſiſtentia, quia humanitas fuit in Chriſto ſine ſubſiſtentia propria, quamuis ſubſiſtentia non poſſit eſſe ſine humanitate, vt tenet Medina 3. part. quæſt. 4. artic. 2. Hac igitur regula ſuppoſita tanquam certiſſima, ſequitur, quòd quamuis Vbi Angelicum, ſeu præſentia illa localis, per quam Angelus eſt in loco, non poſſit eſſe ſine ſubſtantia Angeli, quia tamen Angelus poteſt eſſe ſine illa, ſequitur, inquam, quòd diſtinguatur à parte rei ſubſtantia Angeli, ab illa præſentia, ſeu Vbi intrinſeco.

Quòd ſi obiicias contra illam regulam Ariſtotelicam ſuprà allatam, quòd ſuppoſita illa opinione, quòd relatio nihil aliud ſit quàm forma abſoluta, connotans terminum extrinſecum, ita vt ſimilitudo, nihil aliud ſit, quàm ipſa albedo, quæ tunc dat effectum formalem, ſcilicet (eſſe ſimile) quando eſt alia qualitas eiuſdem rationis, ſeu alia albedo, quæ connotatur à priori albedine; ſuppoſita, inquam, hac opinione, poteſt remanere albedo, etiamſi ſimilitudo corrumpatur, & tamen ſimilitudo non diſtinguitur à parte rei ab albedine, quòd ſecundùm hanc opinionem ſimilitudo eſt idem cum albedine, & differt ſolùm ab albedine penes connotatum extrinſecum, quatenus ſimilitudo connotat aliud coalbum.

16. Reſpon. Reſpondetur primò, opinionem hanc de relatione eſſe falſam, vt fusè oſtendimus contra Nominales in prædicamento Relationis. Sed etiamſi ſupponatur veritas huius opinionis, adhuc reſpõdetur ſecundò, quòd regula Ariſtotelis intelligitur quando vnum poteſt eſſe ſine alio, ita vt illud aliud non ſit ens connotatiuum, quod incipiat eſſe per productionem alicuius rei extrinſecę, & ſic eſt in caſu noſtro; Nam Angelus poteſt eſſe ſine præſentia ad hunc locum, & præſentia localis, non eſt res connotatiua, quæ incipiat eſſe per productionem alicuius rei extrinſecæ; Hæc enim res extrinſeca, ad cuius productionem, produceretur præſentia localis in Angelo, non poteſt eſſe alia, quàm locus, ſeu corpus, cum quo coniungitur Angelus; Locus enim eſt, qui neceſſariò connotatur à præſentia locali, ſed locus iam ſupponitur productus, & immotus, ergo non poteſt præſentia localis conſurgere in Angelo per productionem alicuius rei extrinſecæ connotatæ, ergo ſecundùm regulam Ariſtotelicam præſentia Angeli diſtinguitur à parte rei à ſubſtantia Angeli, quia corrupta præſentia locali, remanet eadem numero ſubſtantia Angeli; in exemplo autem allato de albedine, & ſimilitudine, etiam ſuppoſita opinione Nominalium tamquam vera, adhuc eſt diſparitas, quia in illa opinione forma abſoluta, quæ eſt albedo, incipit eſſe ſimilis, ſolùm per productionem alterius coalbi, quod connotatur extrinſecè, & deſinit eſſe ſimilis, ſolùm per corruptionem eiuſdem rei extrinſecæ, quod eſt aliud coalbum.

Ad argumenta primæ ſententiæ in oppoſitum reſpondetur. Ad primum, negatur ſufficere negationem diſtantiæ, ad hoc, vt Angelus de non præſenti loco fiat præſens loco, vt probatum eſt ſuprà. 17. Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.

Vnum hic poſſet tantùm quæri, an Angelus exiſtens in loco, ſi varietur corpus, varietur Vbi Angelicum, vel ſi plura corpora, vnum alterum ambiens, ponantur in eodem loco, Angelus dicatur habere diuerſa Vbi. Quæſitum.

Reſpondetur, quòd ſecundùm ſententiam noſtram dicendum eſt quòd non, quia nos damus illud interuallum inane immobile, à quo indiuiduatur præſentia Angeli, ſeu Vbi intrinſecum; quodcumque igitur corpus ponatur, ſeu varietur in illo ſpatio, dummodo Angelus non variet illum locum immobilem, ſemper habet idem Vbi intrinſecum, & ad ſummum poſſet dici, quòd modificatur illud Vbi diuerſimodè, ſecundùm diuerſa corpora, quæ ſuccedunt. 18. Reſponſio.

Quòd ſi dicas, Angelus eſt in loco per dominium, ſed non poteſt habere dominium ſuper illud interuallum inane, quia eſt immobile; ergo non poteſt eſſe in illo tamquam in loco. Reſpondetur, quòd conſtituitur in illo loco per dominium, ſecundùm potentiam operandi, ſufficit igitur, vt poſſit mouere corpus, quod poteſt eſſe in illo loco; ſi enim Angelus eſt in illo corpore, conſequenter etiam erit in ipſo ſpatio inani, in quo eſt illud corpus, ſicut Deus dicitur præſens in illo vacuo, quia poteſt ibi producere corpus.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur ex mox dicendis in ſequenti quæſtione.

DVBITATIO QVINTA.

Vtrùm hoc Vbi Angelicum ſit indiuiſibile, vel diuiſibile, ſeu extenſum.

SOLET hæc quæſtio agitari ſub aliis titulis; Aliqui agitant ſub hoc titulo, Vtrùm Vbi Angelicum ſit forma compoſita ex diuerſis partibus integrantibus, pro ratione diuerſarum partium loci: Alij verò agitant ſub alio titulo, Vtrùm ſcilicet in illa exiſtentia Angelica locali ſint partes continuæ, & indiuiſibilia, quibus illæ partes continuantur, ita vt partes continuæ illius Vbi, correſpondeant adæquatè partibus loci, & indiuiſibilia correſpondeant indiuiſibilibus loci. 1. Explicatur titulus quæſtionis.

PRIMA ſententia aſſerit, Vbi Angelicum eſſe diuiſibile in ordine ad locum, & conſtare ex diuerſis partibus integrantibus inter ſe continuatis, & diſtantibus pro ratione diuerſarum partium corporis, cui Angelus aſſiſtit. Eſt multorum recentiorum apud Vaſques in 1. parte. 2. Prima ſententia.

Probatur primò, poteſt Angelus acquirere hoc Vbi per motum continuum, ergo neceſſariò hoc Vbi habet plures partes, quæ reſpondeant diuerſis partibus motus; nam terminus huius motus eſt Vbi intrinſecum; ergo ſi motus eſt continuus, terminus etiam continuè fiet, ergo habet partes correſpondentes partibus ipſius motus. Primum argumentum pro prima ſententia.

Secundò, hoc Vbi non poteſt eſſe indiuiſibile, ergo eſt diuiſibile. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quia cùm Angelus exiſtens in loco quadripalmari, contrahit ſe ad duos palmos, tunc quæro, quando deſinit præſentia Angeli eſſe in duobus palmis, vel non corrumpitur totum Vbi indiuiſibile quatuor palmorum, & hoc dici non poteſt, quia illud Vbi erat adæquatum quatuor palmis, Secundũ argumentum.

mis, nunc autem non eſt adæquatum, Vbi autem, A cùm ſit modus, conſiſtit in exercitio vbificationis; ſi igitur non vbificat in quatuor palmis, non erit amplius illud Vbi indiuiſibile quatuor palmorum. Quòd ſi dicas, totum illud Vbi indiuiſibile quatuor palmorum corrumpi per contractionem ad duos palmos, & produci aliud de nouo adæquatum duobus palmis; & neque hoc poteſt dici, ſequeretur enim quòd ſi Angelus ſe contrahat ſucceſſiuè, quòd tunc corrumperentur & producerentur infinita Vbi indiuiſibilia, vnum immediatè poſt aliud, quod eſt abſurdum; ex quo vlteriùs ſequeretur aliud abſurdum, quòd eſſent infinita inſtantia immediata, vnum poſt aliud immediatè, nam quodlibet Vbi indiuiſibile habet durationem ſuam intrinſecam B indiuiſibilem; At verò ſi teneatur, Vbi Angelicum eſſe diuiſibile, facilè ſoluitur hoc argumentum; diceretur enim quòd cùm Angelus ſe vult contrahere ad locum minorem, non eſt neceſſarium vt deſtruatur tota exiſtentia, ſeu præſentia localis, quæ antea erat, ſed deſtruatur tantùm pars huius præſentiæ localis, quæ reſpondebat illi parti loci, quam Angelus reliquit.

Tertium argumentum. Tertiò probari ſolet hæc ſententia duobus exemplis, Primùm animæ rationalis, quæ eſt præſens diuerſis partibus corporis, quas informat, &c. non per præſentiam indiuiſibilem, vt communiter tenetur; ſæpe enim hoc fit per nutritionem continuam. Alterum exemplum eſt corporis Chriſti, C quod eſt præſens diuerſis partibus hoſtiæ per præſentiam diuiſibilem; ſi enim vna pars hoſtiæ conſumatur, vel certè deſinat habere diſpoſitiones ſubſtantiæ panis, non propterea ſequitur, quòd quælibet particula corporis Chriſti non maneat in aliis partibus, ſicut antea manebat, quod quidem non poteſt fieri, niſi partes illius præſentiæ ſupernaturalis diuerſæ eſſent pro diuerſitate partium hoſtiæ conſecratæ.

Secvnda ſententia communior eſt in oppoſitum; Pro cuius explicatione pono duas concluſiones.

3. Prima concluſio. Prima concluſio. Certum eſt in omni opinione, Angelum conſtitui in puncto per Vbi indiuiſi- D bile, nam vel collocatur totaliter in puncto, & tunc certum eſt Vbi non poſſe eſſe extenſum, quia non conſtituit Angelum in loco diuiſibiliter, ſeu replicatiuè totum in toto, & totum in qualibet parte; Si verò Angelus non ſe conſtituit totaliter in puncto, ſed in loco extenſo, & ratione loci extenſi eſt in punctis illius loci, tunc etiam dicendum eſt, quòd eſt in puncto per Vbi indiuiſibile, ſiue teneatur opinio, quòd Angelus eſt in loco extenſo per Vbi diuiſibile, ſiue teneatur opinio, quòd Angelus eſt in loco per Vbi indiuiſibile; Nam ſi teneatur prior opinio, tunc dicendum eſt, quòd per indiuiſibile huius Vbi ponitur in loco diuiſibili, & per indiuiſibilia continuantia partes huius Vbi diuiſibilis, E collocetur in punctis continuatiuis partium illius loci; Si verò teneatur poſterior opinio, tunc dicendum eſt, quòd per idem vnum Vbi indiuiſibile conſtituatur Angelus in loco extenſo, & in quolibet puncto illius loci, quia illud Vbi cùm ſit formaliter indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile, ſatis eſt ad conſtituendum Angelum in loco diuiſibili, & indiuiſibili.

4. Secunda concluſio. Secvnda concluſio. Angelus conſtituitur in loco extenſo per Vbi, quod eſt formaliter indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile.

Prima ratio. Probatur, quia hoc Vbi, ſeu hæc præſentia localis, eſt intrinſecè ſpiritualis, eſt enim independens ſubiectiuè à corpore, ergo non poteſt eſſe hoc Vbi intrinſecè extenſum in ordine ad ſpatium.

5. Secunda ratio. Probatur ſecundò, hoc Vbi ſubiectatur in Angelo, quod eſt ſubſtantia indiuiſibilis, ergo ipſum intrinſecè non poteſt, vel ſaltem non debet eſſe extenſum.

Cōfirmatur prima ratio. Et confirmatur primò, quia alioquin extenderet Angelum ſecundùm partes, ſicut ipſum eſt extenſum ſecundùm partes, quod eſt impoſſibile. Sequela probatur, quia forma præbens ſe ipſam dat effectum ſuum formalem præſertim primarium, ſed effectus formalis, & primarius formæ extenſæ, quæ eſſentialiter eſt extenſa, eſt extendere ſubiectum, ſic autem eſſet hoc Vbi Angelicum, ſi eſſet extenſum, non enim extenderetur per aliam formam intrinſecam; ſed ſe ipſo eſſentialiter eſt extenſio localis; ergo deberet extendere Angelum ſecundùm partes localiter, quod eſt impoſſibile.

Cōfirmatur ſecundò. Confirmatur ſecundò, quia Angelo, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis & indiuiſibilis, eſt magis conueniens Vbi ſpirituale, quod ſit indiuiſibile formaliter, & virtualiter diuiſibile; per hoc enim Vbi, magis conuenienter præſtatur effectus, qui præſtari poſſet per Vbi extenſum; ſicut idem dicitur communiter à Scholaſticis de ipſo Vbi immenſo, ſeu de immenſitate Dei.

Tertiò confirmatur. Confirmatur tertiò à pari, quia communior ſententia tenet, æuum Angelicum eſſe permanens, ſicut eſt ipſa ſubſtantia Angeli, formaliter quidem indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile, correſpondens tempori noſtro maiori & maiori, ſicut etiam communiter dicitur de ipſa æternitate Dei.

6. Reſponſio ad argumēta primæ ſententiæ. Ad primum. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur; quòd motus continuus in Angelo nihil aliud eſt, quàm acquiſitio continua diuerſorum Vbi indiuiſibilium; ſicut igitur Vbi eſt indiuiſibile, ita etiam eſt indiuiſibilis acquiſitio, quomodo autem hoc fiat, mox dicetur in reſponſione ad ſecundum.

7. Ad ſecundū. Ad ſecundum reſpondetur concedendo, quòd in motu continuo Angeli infinita indiuiſibilia Vbi producuntur, & corrumpuntur, ſed inde nullum ſequitur abſurdum, nam hoc Vbi Angelicum, quod eſt formaliter indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile in ordine ad locum, habet etiam ſuam durationem proportionatam formaliter, ſcilicet, indiuiſibilem, & virtualiter diuiſibilem, durat enim quodlibet Vbi per aliquod tempus indeterminatum, ſicut duraret pars extenſa ipſius Vbi, ſi daretur Vbi extenſum, vnde fit vt non producantur, & corrumpantur infinita Vbi mediatè, durat enim vnum Vbi per aliquod tempus indeterminatum, & in inſtanti indeterminato illius temporis extrinſecè corrumpitur, & in illo inſtanti intrinſecè producitur aliud Vbi, ita vt illud inſtans ſit extrinſecum corruptioni prioris Vbi, & intrinſecum productioni poſterioris; quare Vbi corrumpitur extrinſecè, & producitur intrinſecè, vnde nulla ſequitur abſurditas.

Ad tertium. Ad tertium reſpondetur, illa duo exempla, alterum de anima rationali, & alterum de corpore Chriſti, nihil probare; dicitur enim, quòd quando anima deſinit informare, vel quando corpus Chriſti deſinit eſſe in aliqua parte hoſtiæ, tunc totum Vbi corrumpitur, & producitur aliud de nouo.

***

SEXTA

Digitized by Google

SEXTA DVBITATIO.

Vtrùm Angelus poſsit eſſe in loco minori diuiſibili, quàm ſit adæquatus, & maximus.

1. Prima ſententia. Baſſol. PRima ſententia aliquorum aſſerentium, non poſſe eſſe in minori loco. Ita videtur dicere Baſſolus in 2. diſtin. 2. q. 4. art. 1. quem ſequuntur aliqui recentiores.

Fundamentum eſt, quia ſicuti corpus eſt in loco per quantitatem, ita Angelus per perfectionem ſubſtantiæ; ſed corpus non poteſt eſſe in loco minori, quàm ſit adæquatus & maximus, niſi amittat aliquam partem quantitatis, ita neque Angelus cuius ſubſtantia eſt inuariabilis, poteſt eſſe in minori loco, ſed ſemper erit in loco adæquato, & maximo.

Secũda ſententia. S. Thom. Scot. Bonauent. Maior. Gregor. Caietan. Ferrar. SECVNDA & communior ſententia tenet, Angelum poſſe eſſe in minori loco quàm ſit maximus. Ita S. Thom. hîc, Scot. in 2. diſtin. 2. quæſt. 6. Bonauentura in eadem diſtinct. 2. part. diſtinctionis art. 2. quæſt. 3. Gregorius quæſt. 2. art. 2. Maior quæſt. 9. Caietan. hîc, Ferrarienſ. 3. contra Gentes cap. 68. Scotus autem loco citato eſt aliquantulùm dubius; mihi verò videtur diſtinguendum, & pro explicatione ſit

2. Vnica concluſio. VNICA concluſio. Qui tenent Angelum conſtitui in loco per nudam ſubſtantiam, tamquam per rationem formalem, conſequenter debent dicere, Angelum non poſſe ſe conſtituere in loco minori, ſed neceſſariò in loco adæquato maximo; quia fundamentum præſentiæ localis eſt inuariabile.

Qui verò tenent Angelum eſſe in loco per operationem extenſam, conguenter dicunt, Angelum poſſe eſſe in minori loco, quia non neceſſariò operatio, quæ eſt ratio formalis præſentiæ, eſt adæquata in Angelo, ſed ad libitum poteſt eſſe minor.

Qui verò tenent Angelum eſſe in loco non per operationem, ſed per Vbi intrinſecum, tamquam per rationem formalem, ſicut tenent Scotiſtæ, conſequenter dicunt, Angelum poſſe ſe conſtituere in loco minori, quia hoc Vbi non fluit naturaliter à ſubſtantia Angeli, ſed vel acquiritur per motum localem continuum, qui ad libitum dependet ab Angelo, vel producitur, vt tenet Vaſquez 1. part. à voluntate Angeli, maius, & minus ad libitum, dummodo non excedat locum maximum.

3. Qui verò tenent rationem formalem eſſe potentiam ad operandum ſimultaneè, vt nos tenemus, non cogimur dicere, Angelum neceſſariò eſſe in loco adæquato, ſed poſſe eſſe in loco minori; quamuis enim hæc potentia ſit inuariabilis, quia tamen non eſt ratio formalis (per quam,) ſed (ex qua,) vt patet ex ſuprà dictis, ideo poteſt limitari, & determinari à ratione formali (per quam,) quod eſt Vbi intrinſecũ: hoc autem Vbi, cùm non neceſſariò ſequatur naturaliter ex potentia, ſed acquiratur vel per motum localem, qui dependet à voluntate Angeli, vel producatur ab ipſa voluntate Angeli in ſe ipſo, ideo poteſt eſſe maius, & minus ad libitum Angeli, nec mirum, ſi hoc Vbi dependeat à libera voluntate Angeli, nam cùm Angelus debeat eſſe in loco per dominium, quatenus poteſt operari in loco; operatio autem, quia eſt terminus potentiæ, dependeat à libera voluntate Angeli, non mirum, inquam, eſt, ſi hoc Vbi dependeat etiam à libera volũtate Angeli; Et confirmatur à ſimili, nam anima rationalis vnita corpori, non ſemper eſt in loco maximo; nam per nutritionem, & augmentationem informat, vt experimur, alias partes, in quibus antè non erat.

A AD fundamentum primæ ſententiæ circa paritatem de quantitate (quòd, ſcilicet, ſicut quantum neceſſariò ſemper eſt in loco adæquato, ita ſimiliter Angelus) reſpondetur negando paritatem; quia ex quantitate connaturaliter reſultat Vbi adæquatum, quod non reſultat ex potentia operandi propter rationem aſſignatam; & præterea ipſa quantitas non ſolùm eſt ratio (ex qua) præſentiæ in loco, ſed etiam habet rationem locati, ita vt per diuerſas partes reſpondeat diuerſis partibus loci, vnde ſi conſtitueretur in minori loco cum iiſdem ſuis partibus quantitatiuis, ſequeretur, aliquam partem quantitatis non habere locum; poteſt autem per diuinam potentiam quantitas ſeptem palmorum collocari B in puncto, ſicut de facto contingit in corpore Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento; Immò qui tenent denſitatem & raritatem nihil aliud eſſe quàm Vbi, dicunt fieri poſſe naturaliter, vt eadem quantitas tripalmaris in ordine ad ſe, conſtituatur bipalmariter in ordine ad locum, ſi condenſetur; quod igitur competit quantitati neceſſariò, & ſupernaturaliter, competit connaturaliter & ad libitum ipſi Angelo, propter ſuam perfectionem. 4. Ad argumẽtum primæ opinionis.

SEPTIMA DVBITATIO.

Vtrùm Angelus poſsit ſe conſtituere in puncto tanquam in loco totali.

C PRima ſententia eſt Bonauẽturæ, Gregorij, Maioris, & aliorum Nominalium, qui quamuis teneant, vt ſuprà vidimus, Angelum poſſe eſſe in loco minori diuiſibili; negant tamen poſſe eſſe in puncto; hoc etiam tenet Ægid. locis citatis. 1. Prima ſententia. Bonauent. Gregor. Maior.

OPPOSITA ſententia eſt S. Thomæ 1. par. q. 52. Caietan. ibidem, Ferrarienſ. 3. contra Gentes c. 68. Capreoli in 2. diſtin. 2. q. 1. art. 1. concl. 2. Scotus verò in 2. diſt. 2. quæſt. 6. eſt dubius. Secũda ſententia. S. Thom. Caiet. Ferr. Capr. Scot.

Pro reſolutione nota, quòd cùm quæritur, Vtrùm Angelus poſſit eſſe in puncto, non quæritur, Vtrùm D ſi non detur punctum, Angelus poſſit eſſe punctualiter in loco, iuxta quem ſenſum acceperunt aliqui Nominales; ſed quæſtio præcipuè eſt, poſito quòd detur punctum ſaltem per deſignationem, vt cùm ſphæricum tangit planum, An Angelus poſſit ſe conſtituere in illo puncto. Nec eſt quæſtio, Vtrùm punctum ſi detur, habeat veram rationem loci; iuxta quem ſenſum accepit S. Bonauent. qui propterea negauit Angelum non eſſe in puncto, quia punctus non habet veram rationem loci; ſed quæſtio eſt, Vtrùm Angelus ſecundùm præſentiam ſubſtantialem, verè & realiter poſſit conſtitui in illo puncto, ſiue ille punctus habeat veram rationem loci, ſiue E non habeat; Circa quam dubitationem ſic explicatam ſit 2. Explicatur ſenſus difficultatis.

PRIMA concluſio. Certum eſt, Angelum poſſe ſe collocare in punctis continuatiuis loci diuiſibilis, quia ſicut locus habet ſua indiuiſibilia continuatiua, ita ſi illud Vbi intrinſecum Angeli, eſt ſecundùm opinionem recentiorum extenſum correſpondens partibus loci, tunc habet illud Vbi ſua indiuiſibilia, quare ſicut Angelus per partes extenſas illius Vbi, collocatur in partibus diuiſibilibus loci; ita per indiuiſibilia illius Vbi continuatiua, collocatur in punctis & indiuiſibilibus continuatiuis loci; ſi verò Vbi Angelicũ eſt indiuiſibile, quod probabilius eſſe ſuprà oſtenſum eſt, tunc dicendum eſt, Angelum per illud idem Vbi conſtitui in partibus, Prima concluſio.

Digitized by Google

bus,& in punctis loci, eſt enim indiuiſibile formaliter,& virtualiter diuiſibile;ſed quodcumque dicatur,non dicetur in hoc caſu, Angelum eſſe in puncto tanquam in loco totali, quia etiam eſt in aliis partibus loci.

3. Secunda cõcluſio.

SECVNDA concluſio. Angelus poteſt eſſe in puncto tanquam in loco totali.

Probatur,quia ſi poteſt Angelus ſe locare in minori,& minori loco, non eſt ratio cur non poſſit ſe locare in puncto, quia ſua ſubſtantia non habet partes,ſed eſt indiuiſibilis formaliter.

Hæc concluſio eſt S.Thomæ, in qua etiam conuenit Scotus, quamuis enim inclinet in illam opinionem, quòd Angelus non poteſt ſe conſtituere in minori,& minori loco; dicit tamen poſſe Angelũ ſe conſtituere in puncto; ſed non conſequenter loquitur,qua enim ratione probat non poſſe Angelum ſe conſtituere in minori, & minori loco diuiſibili.

Probari etiam poteſt,non poſſe ſe conſtituere in puncto: ratio enim ſua hæc eſt, quia ſequeretur, Angelum eſſe infinitæ virtutis; nam poſſe ſe applicare ad locum minorem,eſt alicuius perfectionis in virtute actiua, & poſſe adhuc ſe applicare ad minorem,eſt perfectionis maioris,ergo ad quamcumque paucitatem ſe transferre,erit infinitæ virtutis. Hæc, inquam, ratio multò magis probat, quòd Angelus non poteſt ſe collocare in puncto,tamquam in loco totali, quia quæcumque pars diuiſibilis excedit in infinitum punctum; ſi ergo Angelus non poteſt ſe collocare in minori, & minori parte, etiam congruenter debet dici, quòd non poteſt ſe collocare in puncto.

4. Nos verò,qui tenemus, Angelum poſſe ſe locare in minori & minori loco,vt ſuprà probatum eſt, conſequenter etiam dicimus,poſſe ſe locare in puncto, neque hoc arguit virtutem infinitam, nam vt bene aduertit Caietan. quamuis applicare ſe ad tantum locum, eſt alicuius virtutis, quia nullus effectus poteſt eſſe, qui non ſit ab aliqua virtute, applicare tamen ſe ad minorem & minorem locum, etiam vſque ad punctum incluſiuè, arguit quidem virtutem aliquam, ſed non maiorem & maiorem, ſed potius arguit libertatem vſus voluntatis; argueret autem virtutem maiorem & maiorem, ſi poſſet ſe applicare ad maiorem & maiorem locum.

5. Dubiũ circa ſecundam concluſionẽ.

DVBIVM tamen occurrit in opinione S. Thomæ,quam nos tenemus, quomodo Angelus poſſit ſe locare in puncto tanquam loco totali, quamuis poſſit ſe locare in minori,& minori loco. Et ratio dubij eſt,quia ſecundùm Thomiſtas, ratio formalis locandi Angelum in loco. eſt vel operatio, vel potentia ad operandum; operatio autem poteſt exerceri in minori, & minori loco, ad libitum Angeli, & ideo non mirum eſt, ſi Angelus poteſt ſibi producere Vbi,tanquam rationem formalem,per quam conſtituatur in minori, & minori loco:at verò cùm potentia operandi, non dicat ordinem ad operationem, quæ poſſit exerceri in puncto; eſt enim operatio Angeli extenſa ad extra;dubitari poteſt,quomodo Angelus poſſit ſe collocare in puncto, cùm non poſſit talis collocatio fluere ex potentia operandi,tamquam ex ratione formali.

Fateor argumentum eſſe valde difficile, apud illos, qui tenent Angelum collocari in loco per operationem,ſeu motionem alicuius corporis;quia talis operatio neceſſariò eſt extenſa; At verò tenendo opinionem, quòd ratio formalis quantitatis ſit potentia ad operationem tranſeuntem, ſiue illa ſit extenſa,vt quando Angelus mouet ali- A quod corpus,ſiue ſit inextenſa, vt quando Angelus loquitur cum alio Angelo, vel illuminat illum; tenendo, inquam, hanc opinionem, dicendum eſt, quòd per hanc operationem, ſeu per potentiam ad hanc operationem inextenſam,quam poteſt Angelus exercere, poteſt Angelus ſe collocare in loco punctuali totali,quia hæc operatio eſt indiuiſibilis, & in extenſa receptibilis in ſubiecto indiuiſibili;Si verò teneatur, quòd Angelus conſtituitur in loco per ordinem ad operationem extenſam, quam poteſt exercere in corpore, vt colligitur ex S. Thoma in quodlib.1 artic. 4. tunc dicendum eſt, quòd conſtituitur in puncto per mutatum eſſe, ſeu ordinem ad mutatum eſſe illius operationis, ſiue detur quòd B hoc mutatum eſſe ſit poſitiuum, ſiue quòd ſit negatiuum.

OCTAVA DVBITATIO.

Vtrùm poſſit contingere, quòd Angelus ſit in loco maiori,quàm ſit locus adæquatus.

CERTVM eſt, non poſſe Angelum eſſe præſentialiter in pluribus locis adæquatis,ſiue continuatis,ſiue diſcontinuatis, quia locus adæquatus eſt maximus locus, in quo poteſt eſſe C virtute naturali. Circa igitur hanc dubitationem duplex difficultas controuertitur inter ſcholaſticos. 1.

Prima difficultas eſt,Vtrùm Angelus poſſit eſſe in pluribus locis inadæquatis, diſcontinuis, & diſtantibus inter ſe,in quibus tamen non contineatur maius ſpatium,quàm in loco adæquato, in quo eſſe poteſt.

Secunda difficultas An Angelus poſſit eſſe continuè in loco anguſtiſſimo,ducto à cælo in terram.

CIRCA primam difficultatẽ eſt PRIMA ſentẽtia Caietani hic,& Ferr.3 contra Gentes cap. 8. Mar. in 2.quæſt.2.artic.2.Gabriel.ibidem quæſt.2.& 3.poſſe Angelum eſſe in duobus locis diſcontinuis. 2.

Prima ſentẽtia Caiet. circa primã difficultatẽ. Caietan. Ferrarienſ. Marſ. Gabr.

Fundamentum eſt, quia poteſt operari in duobus locis diſtantibus, quamuis non operetur in medio.

D SCOTVS verò in 2. diſt. 2.q. 7. videtur inclinare in eamdem ſententiam limitando illam; Habeat, inquit, Angelus pro loco adæquato palmum, dentur autem tres palmi continui (A, B, C,) poteſt, inquit,Angelus ſe collocare in parte ſemipalmari ſeu digitali ipſius palmi A, & in vltima parte digitali ipſius palmi B, non collocando ſe in medio ſpatio inter primam partem digitalem palmi A, in qua eſt ipſe Angelus, & vltimam partem digitalem ipſius palmi B.Ratio eſt,quia palmus B,eſt locus participans, nam à quacumque parte palmi A, ad partem palmi B, poteſt trahi palmus; non autem inquit, poteſt Angelus ſe collocare in parte palmi A, & in parte palmi C,vt dicebat Caietanus,interiecto E palmo B,in quo non eſt Angelus, quia palmus C, non eſt palmus participans cum A, non enim poteſt à parte A, trahi linea palmaris ad palmum C, ſed ſemper illa linea erit maior palmo; Hanc autem rationem Scoti fuſiùs examinauimus in primo tomo in corollario de motu Angelorum:& hæ quidem duæ ſententiæ Caietani & Scoti ſunt acutæ & probabiles. His tamen non obſtantibus, ſit circa hanc primam difficultatem

Secũda ſententia Scoti. Scotus.

3. Verior & tenenda opinio.

PRIMA concluſio. Dicendum eſt probabiliùs cum communiori ſententia Scholaſticorum, Angelum nec in caſu Caietani,nec in caſu Scoti, poſſe eſſe in duobus locis diſcontinuis, quamuis inadæquatis,interiecto illo ſpatio,quod poteſt eſſe locus adæquatus,

Digitized by Google

adæquatus Angeli, quamuis in illo ſpatio Angelus actu non conſtituatur. Hæc concluſio eſt S. Bonauent. in 2. diſt. 2. part. 2. diſtinctionis, art. 2. quæſt. 3. Gregorij quæſt. 3. art. 2. Riccardi in 1. diſtinct. 39. art. 2. quæſt. 3. Argentinæ quæſt. 1. art. 2. S. Thom. 1. part. quæſtione citata. art. 2. & in 1. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. vbi abſolutè reſpondet, Angelum non poſſe eſſe in pluribus locis; quòd ſi aliquando exiſtit in pluribus locis partialibus, in illis eſt per modum vnius loci continui & adæquati.

S. Bonauent. Gregor. Riccard. Argen. S. Thom.

4. Fundamentum huius opinionis eſt, quoniam ſi Angelus eſſe poteſt in duobus locis diſtinctis, non exiſtendo in medio, ſequeretur, quòd in illis eſſe poterit, quantumuis diſtent inter ſe; Conſequens eſt falſum, vt etiam concedunt Aduerſarij; Sequela probatur, quoniam ſi Angelus non debet exiſtere in medio, ad hoc vt exiſtat in duobus locis diſtantibus, poteſt etiam exiſtere in duobus locis maximè diſtantibus, quoniam non magis eſt eſſe in duobus locis maximè diſtantibus, quàm in duobus aliis æqualibus, quæ non tantùm inter ſe diſtant; quando enim eſt neceſſaria exiſtētia in medio, requiritur maior virtus ad exiſtendū locis plùs diſtātibus, quia introduceretur exiſtentia in maiori medio interiecto; quando verò in medio non opus eſt exiſtere, eiuſdem virtutis eſt exiſtere in locis valde diſtantibus, & in locis minùs diſtantibus; quapropter non eſt maius miraculum in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, aut opus difficilius exiſtere in duabus hoſtiis, quæ multùm inter ſe diſtant, & in duabus quæ minùs diſtant, ergo ſi Angelus habet poteſtatem exiſtendi in duobus locis aliquantulum diſtantibus, non exiſtendo in medio, exiſtere etiam poteſt in his, quantumuis inter ſe diſtent, contra Damaſcenum 2. de fide cap. 3. & Didymum lib. 1. de Spiritu ſancto.

5. Secūda difficultas.

Qvantvm ad ſecundam difficultatem, an, ſcilicet, Angelus poſſit eſſe continuè in loco anguſtiſſimo, ducto à cœlo in terram: Ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia in propoſitione 36. primi Euclidis dicitur, quòd quicquid poteſt eſſe in vno æqualium, poteſt eſſe in alio, ſi ibi figuratio non repugnet, ergo poteſt Angelus eſſe in loco quantumcumque longo, quia ſemper, vt ibidem dicitur, eſt inuenire quadrangulum, ſeu parallelogrammum ſtrictius æquale cuicumque quadrato dato, ergo poteſt eſſe in loco quantumcumque longo, quia ſi poterat eſſe, vt ſupponitur, in toto quadrato dato, ergo poterit eſſe in illo quadrangulo ſeu parallelogrammo, quod eſt æquale quadrato, in quo poterat eſſe Angelus.

Opinio Cai.

Propter hoc argumentum videtur Caietanus hîc tenere, Angelum poſſe eſſe in hoc quadrangulo ſtrictiori, ſeu parallelogrammo, atque adeò poſſe eſſe continuè in loco anguſtiſſimo, ducto à cœlo ad terram. His tamen non obſtantibus ſit

6. Secūda opinio & vera. S. Thom.

Secvnda concluſio. Angelus quamuis poſſit eſſe in toto quadrato, non poteſt eſſe in loco quantumcumque longo illius quadrati. Hæc concluſio colligitur ex S. Thom. locis citatis, & in hac etiam concluſione conuenit Scotus loco citato.

Scotus.

Damaſc.

Probatur primò authoritate Damaſceni, 2. de fide; cùm enim Angeli, inquit, ſunt in terra, non poſſunt eſſe in cœlo, & qui aſſiſtebāt Paulo in Aſia, non poterant aſſiſtere aliis Apoſtolis, qui erant in longiſſimis regionibus. Quòd ſi contraria opinio eſſet vera, potuiſſent aſſiſtere, quia ſi in cœlo erant in quadrato (A) tamquam loco adæquato, poterat fieri ex illo quadrato quadrangulum vſque ad terram ſtrictius æquale illi quadrato (A) quòd erat in cœlo, ergo non relinquendo locum cœli, poterat eſſe Angelus in terra, coëxiſtendo ſecundum præſentiam ſubſtantialem toti ſpatio ſeu areæ quadranguli, ſeu parallelogrammi.

7. Probatur ſecundò.

Secundò probatur, quia ſequeretur, quòd Angelus poſſet ſe collocare in locis in infinitum diſtantibus; nam in infinitum poteſt dari quadrangulū ſtrictius, & ſtrictius æquale ſuper quadrato dato, vt probat Euclides, ita vt ſi quadratum ſit A, B, C, D, & a lateribus D, C, ducantur duæ lineæ parallelæ in infinitum, inter quas parallelas fiat quadrangulum, ſeu parallelogrammum, ducendo lineas à B, C, ad parallelas, & etiā ſi iſtæ lineæ ducantur in infinitum ſpatium interiectū inter duas iſtas lineas, ſemper quadrāgulum erit æquale quadrato, vnde ſequeretur, quòd Angeli non indigerent proprio motu, vt operarentur, relinquendo locum priorem in quo ſunt, ſed tantùm ſatis eſſet, ſi aliqua ex parte diminuerent locum priorem, & per locum anguſtiſſimum ponerent ſe in quocumque loco voluerint.

Euclides.

8. Tertio probatur.

Probatur tertiò, quia quò Angelus magis diſtat à ſe ipſo, eò arguit maiorem virtutem, ſeu perfectionem in Angelo; ſicut enim partes quantitatis quò magis diſtant inter ſe, tantò arguunt maiorem quantitatem ſeu modum illius quæ eſt raritas, ita in Angelo maior diſtantia à ſe ipſo, arguit maiorem perfectionem, ſeu quantitatem virtutis. Nec obſtat quod dicit Caietanus, aliud eſſe, quòd Angelus poſſit eſſe in quocumque loco ſimpliciter, & aliud, quòd poſſit eſſe in quocumque loco, reſpectu datæ magnitudinis, non, inquam, obſtat, quia in vtraque diſtantia Angelus magis diſtat à ſe ipſo, & ex hac diſtantia, vt ſic, arguitur maior virtus, quæ deberēt eſſe infinita in Angelo, ſi poſſet ſe ponere in quantocumque loco diſtantiori.

Ad rationē dubitandi.

Ad rationem dubitandi ex Euclide reſpondetur, quòd Euclides ibi loquitur de eſſe in loco cōmenſuratiuè, id eſt, quòd omne commenſurabile æquabile alteri, ſit commenſurabile reliquo, niſi figuratio obſtet alicui corporali; ſicut igitur poteſt obſtare figuratio in corporali, ſic obſtat finitudo virtutis in Angelo, ſuppoſita maiori diſtantia Angeli à ſe ipſo in quadrangulo, ac erat in quadrato.

Et hæc dicta ſint de loco Angelorum; quæ autem ſupereſſent dicenda de motu Angelorum, quia non ita directè deduci poſſunt ex prædicamento Vbi, ſicut hactenus deduximus ea, quæ pertinent ad locum Angelorum, ideo commodiùs ea tractauimus in primo tomo, in Coroll. de motu Angelorum, &c.

SEXTA QVÆSTIO
THEOLOGICA CIRCA SEXTVM COROLLARIVM,

Quomodo ſcilicet infinitas Dei intenſiua cognoſci poſſit lumine naturali.

De hac agit S.Thom. 1. part. quæſt. 7. & quæſt. 25.

COLLIGITVR hoc Corollarium ex prædicamento Quantitatis in diſputat.de infinito, in qua oſtendimus entitatem ſimplicem non repugnare eſſe infinitam. A

1. Primum notandum. Antequam autem deueniamus ad dubitationes,notandum eſt primò, quòd infinitas intenſiua explicari ſolet negatiuè,id eſt,ſine fine ſeu termino,poſitiuè verò explicatur à Caiet.1.part. quæſt.6. art. 6. per plenitudinem ſeu continentiam omnis perfectionis conuenientis rationi formali eſſendi; Loquitur autem ibi præcipuè de bonitate infinita, ſed non clarè ſe explicat Caietanus, poſſet enim dici, quòd in Deo continentia omnis perfectionis ſit finita, quia omnes perfectiones poſſibiles in Deo ſunt finitæ; ideo alij clariùs explicant, B quòd ad infinitatem Dei requiritur, vt ſingulæ perfectiones ſint in Deo, perfectiori modo, quàm à creatura participari poſſint,etiam ſi magis,& magis in infinitum participentur à creaturis. Sed neque hæc explicatio videtur eſſe ſatis, ſolùm enim ex ea habetur, quòd infinitudo in Deo eſſet tantùm ſyncathegorematica,talis enim eſt participabilis à creatura,& eſſet perfectiori modo, quia eſſet in altiori, & ſupremo ordine. Quare tertiò explicari poteſt, quòd in Deo modo quodam ſimpliciſſimo ſit tanta plenitudo perfectionis intēſiuè,vt ſi diſtingui poſſit in gradus, diſtingueretur in gradus infinitos increatos;ſicut albedo infinita, quæ ſecundùm Thomiſtas eſt ſimplex qualitas,illa eſt, vt communiter explicatur, quæ ſi diſtingueretur in gradus, diſtingueretur C in gradus infinitos cathegorematicè.

2. Secũdò not. Secundò notandum, ſupponi tamquam certum de fide, Deum eſſe intenſiuè infinitum cathegorematicè. Eſt definitum in Concilio. Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur in cap.Firmit.de ſumm. Trinit.

Probatur primò ex ſcripturis. Sap. 7. dicitur *infinitus theſaurus Sapientia.* Pſal. 138. Iob 44. & citatur Baruch 1. quamuis hîc propriè ſit ſermo de immenſitate Dei. Conueniunt in hac concluſione communiter Patres, præſertim Dionyſ. quæſt. de diui. nomi. Nazian.tract.38. vbi Deum appellat pelagus immenſum eſſentiæ. Quòd autem non loquatur de infinitate æternitatis, ſed de infinitate eſſentiæ, patet, quia dicit Deum ſe ipſum appellaſſe D nomine, *Qui eſt*, vt indicaret, in ſe ipſo contineri omne quod eſt. Theodor. lib. 2. de cur. Græcan. affect. Auguſt. 7. de fide ad Petr. cap. 12. Tertull. de Trin. initio. Conueniunt etiam omnes Scholaſtici in 1.& S.Thom. cum expoſitoribus 1. part. quæſt.7.

Theodor. Auguſt. Tertull. S. Thom.

A Præterea conueniunt omnes Peripatetici cum Ariſt.8.phyſic. tex. 38. 39. præter vnum Auerroem, qui poſtea mutauit ſententiam in 12.met. Ariſt. Auerr.

3. Prima implicantia cõtra infinitatem Dei. CONTRA hoc ſuppoſitum de infinitate Dei, duæ ſolent afferri implicantiæ; Prima eſt, ſi Deus, inquiunt, eſſet infinitus, ſequeretur quòd nullum ens eſſet alio perfectius, quod quidem eſt falſum. Probatur ſequela, perfectio attenditur penes acceſſum ad ſummum ex 10.met. Deus autem,vt ibidem habetur, eſt menſura omnium ſubſtantiarum, ſed in entibus creatis nullum alio eſt propinquius ſummo enti infinito, quia quodlibet diſtat infinitè à Deo, ergo inter entia creata non daretur vnum alio perfectius,ſeu minùs perfectum, quod erat probandum tamquam abſurdum & falſum.

B Hæc repugnantia facilè ſoluitur, ſi dicatur quòd diſtantia eſt duplex,altera infinita ſimpliciter, altera infinita ſecundùm quid, & quòd quamuis primo modo omnes creaturæ æquè diſtent à primo ente ſimpliciter infinito per diſtantiam infinitam ſimpliciter, tamen vnum ens creatum, ab alio magis diſtat, ex parte diſtantiæ infinitæ ſecundùm quid, quatenus vna creatura eſt perfectior altera, & altera alia in infinitum, ex cuius parte habetur ratio maioris & minoris approximationis ad primum ens, nam creatura diſtat à Deo per ſe ipſam quæ eſt finita, & hinc habet creatura quòd vna eſt propinquior primo enti, quàm altera, vna enim eſt perfectior altera, vt bene aduertit Aureol. in primo diſtinct.4. Soluitur. Aureol.

4. Secunda repugnantia. C Secunda repugnantia quæ ſolet afferri, eſt, Si daretur,inquit,Deus infinitæ eſſentiæ, non poſſent intelligi alia entia poſſibilia ab illo diſtincta, quod quidem eſt falſum Probatur ſequela Maioris, quia tale ens infinitum totum eſſe in ſe includit, ſicut à ſimili ſi daretur corpus infinitæ magnitudinis ſimpliciter non poſſet extra illud intelligi ens aliud.

Soluitur. Sed hæc repugnantia facilè etiam ſoluitur, ſi dicatur, quòd infinitudo primi entis non conſiſtit in multitudine entium, ſed in ſimpliciſſima perfectione vnius entitatis, quia igitur non habet hoc ens infinitum per eſſentiam entitates aliarum rerum, ideo non impedit diſtinctionem illarum; Et per hæc patet diſparitas in exemplo allato de corpore infinito,quia corpus infinitum includit omnia corpora occupando omnia ſpatia, & ideo extra illud D non poteſt dari aliud corpus: Vtrùm autem adhuc à Deo poſſent fieri alia corpora penetratiuè ſe habendo cum corpore infinito, eſt alia quæſtio.

5. Pectus quæſtionis. Tota autem difficultas & controuerſia in hac quæſtione, eſt de modo probandi ratione naturali hanc

Digitized by Google

hanc ſententiam certam de fide. Oritur autem difficultas, quia non poteſt aſſignari effectus adæquatus virtuti intenſiuè infinitæ cathegorematicè, ex quo inferri poſſit, talem infinitam virtutem A eſſe in Deo, & conſequenter inferri Deum eſſe infinitæ eſſentiæ; ex Ariſtotele autem 1. cœli tex. 116. quantitas virtutis actiuæ ex quantitate affectus cognoſcitur.

Pro intelligentia autem huius Corollarij pono ſeptem dubitationes.

I. *Vtrùm ex infinitate motus rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.*

II. *Vtrùm ex infinitate mobilis rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.*

III. *Vtrùm ex velocitate motus infinita colligi poſſit virtus infinita cathegorematica in Deo.*

IV. *An ex perpetuitate motus, tamquam ex effectu primo & per ſe, probetur infinitudo intenſiua in Deo.*

V. *Vtrùm ex creatione præcisè, ſeu ex modo producendi ex nihilo, argui poſſit infinitudo in Deo.*

VI. *In qua oſtenditur ex creatione omnium poſsibilium, tamquam à poſteriori, concludi infinitatem intenſiuam cathegorematicam in Deo.*

VII. *In qua oſtenditur, bene concludi à priori, Deum eſſe infinitum, quia eſt ſuum eſſe per eſſentiam.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm ex infinitate motus rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.

1. Prima ſententia. Ariſtot. AFFIRMAT Ariſtoteles 8. Phyſic. tex. 18. & probat, Motus in tempore, inquit, infinito non poteſt fieri à virtute finita intenſiuè; ſed Deus mouet cœlum tempore infinito, ergo eſt infinitæ virtutis intenſiuè, ergo infinitæ eſſentiæ, quia ex virtute cognoſcitur eſſentia. Maiorem in qua eſt ſita difficultas, probat Ariſtoteles per demonſtrationem, quæ ducit ad impoſſibile; Sit, inquit, virtus (A.) vt centum, quæ per ſe, moueat mobile (B) centum cubitorum, in tempore infinito (C); rurſus ponatur proportionaliter alia virtus (D) in decuplo minor virtute (A) & erit, vt decem, quæ moueat mobile (E,) quod ſit minus in decuplo, mobili (B,) & ſit decem cubitorum, & quidem mouebit hoc mobile in tempore (E,) minor quàm ſit tempus (C,) quod ſupponebatur infinitum, quia quò mobile eſt maius, eò maius tempus conſumit ad pertranſeundum aliquod certum ſignum, quàm conſumat mobile minus; nam aſſignato ſigno certo in aliquo ſpatio, quod ſit pertranſeundum, priùs pertranſitur ab vna parte mobilis, quàm ab alia; vnde ſeruata æqualitate in velocitate motus, quantùm mobile eſt maius, tantò tardiùs pertranſibit ſignum illud; erit igitur tempus (F,) minus, quàm tempus (E,) & quidem ſeruata proportione mobilis & virtutis motiuæ, erit tempus decem horarum, quia virtus (D) & mobile (E) erant vt decem; Tunc argumentor ſic, augeatur virtus (D) quæ erat vt decem in decuplo, & fiat vt centum æqualis mobili (B), tunc neceſſe eſt, quòd tempus (F), decem horarum augeatur proportionaliter, & fiat tempus centum horarum; vnde ſequitur, non bene aſſumptum eſſe ab initio, quòd virtus (A) vt centum, moueat mobile (B) vt centum, in tempore infinito (C), nam virtus (D) aucta vſque ad centum, & mobile (D) auctum ad centum, ſunt æqualia virtuti (A) & mobili (B); ſi igitur virtus (D) mouet mobile (E) per tempus centum horarum, virtus etiam (A) mouebit mobile (B) per tempus etiam centum horarum, quia æquales virtutes mouent æqualia mobilia tempore æquali; ergo falſum eſt quod ſupponebatur ab aduerſariis, quòd motus in tempore infinito poſſit fieri, à virtute finita, & ſic remanet Maior probata. Minor patet, Deus enim ſecundùm Ariſtot. mouet cœlum tempore infinito à parte ante, & mouebit tempore infinito à parte pòſt, vel ſaltem poteſt mouere. His tamen non obſtantibus ſit

Inſt.

Ariſtot.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

DICENDVM eſt, ex infinitate motus, non poſſe colligi infinitatem intenſiuam virtutis Dei, nec conſequenter eſſentiæ. 2. Vnica concluſio cõtra præcedentẽ ſententiam.

Pro quo nota, quòd probatio allata ex infinitate motus, poteſt habere duplicem ſenſum; quis autem ſit ſenſus Ariſtotelis, hic non diſputo, ſufficit enim examinare rem ſecundùm veritatem.

Primus igitur ſenſus eſt de infinitate motus, qui ſe tenet ex parte ſpatij; & eſt ille, cùm motus fit, ſiue ſuper magnitudinem infinitam, ſiue per continuatam repetitionem eiuſdem mobilis, intra dem ſpatium in finito tempore. Duplex ſenſus primæ ſententiæ.

Secundus ſenſus de infinitate motus, qui ſe tenet ex parte mobilis; in hoc enim motu infinitum tempus conſumitur, antequam mobile ſecundùm omnes partes pertranſeat deſignatum, & certum punctum.

3. Primus ſenſus impugnatur. His poſitis dico, quòd modus probandi infinitatem Dei ex infinitate motus, in neutro ſenſu concludit. Probatur de primo ſenſu, quia maior illa propoſitio, quæ aſſumpta eſt ab Ariſtot. (motus, ſcilicet in tempore infinito, non poteſt fieri à virtute finita) iuxta primum ſenſum eſt falſa, nam ad mouendum in finito tempore ex parte ſpatij; ſiue illud ſpatium ſit infinitum ex parte magnitudinis, ſiue ſit infinitum per repetitionem continuam ſpatij, non requiritur virtus infinita, ſed ſufficit virtus ſpiritualis; ſeu virtus etiam corporalis inalterabilis, quæ ſit infinitæ durationis, ſecundùm enim ipſum Ariſtotelem motor orbis lunæ, eſt ſufficiens ad mouendum tempore infinito, & ſufficiens etiam eſſet ad mouendum tempore infinito, ipſa forma orbis lunæ, ſi haberet virtutem actiuam, & tamen neque motor orbis lunæ, neque forma cœli, ſunt virtutis infinitæ ſecũdùm Ariſtot. Secundò, nulla eſt probatio eiuſdem Maioris; falſa enim eſt conſequentia, quòd ſi mouens (A) vt centum, moueat mobile (B) vt centum, tempore infinito, vt (C) quòd hinc

Ariſtot.

4.

Digitized by Google

hinc ſequatur, quòd virtus (D) in decuplo minor, vt decem, mouere debeat mobile(E) vt decem, tempore(F) finito; falſa, inquam, eſt conſequentia, nam aduerſarij, qui tenent, quòd virtus mouens, vt centum, poteſt mouere mobile, vt centum, tempore infinito; concedunt etiam, quòd virtus(D) vt decem, in decuplo minor, quàm ſit virtus (A) vt centum, poſſit mouere mobile (E) in decuplo minus, quàm erat mobile(B) tempore etiam infinito; Et ratio eſt, quia virtus motiua quantumuis minima, poteſt mouere mobile ſibi proportionatum tempore infinito, dummodo illa virtus, vt dictum eſt, ſit inalterabilis, quia quantitas temporis, non debet proportionari virtuti intenſiuæ, ita vt augeatur, & minuatur ad augmentum, & decrementum illius; ſed debet proportionari virtuti extenſiuæ; ad mouendum enim tempore infinito, non requiritur maior, vel minor virtus intenſiua, nec virtus infinita intenſiua; ſed tantùm virtus infinita extenſiua, ſeu ſecundum durationem, ad quam ſufficit, vt virtus ſit inalterabilis, vt dictum eſt.

5. Si verò intelligitur iuxta ſecundum ſenſum de infinitate motus, quæ ſe tenet ex parte mobilis, iuxta quē ſenſum, dicunt aliqui accepiſſe Ariſtotelem, in ſua enim demonſtratione, vt probauimus, quantitatem temporis auget, & minuit, ſecundùm qualitatem mobilis, adhuc demonſtratio illa Ariſtotelis ad impoſſibile, non concludit, primò, quia peccat in minori propoſitione, falſum enim eſt, quod aſſumit, (Deum mouere infinito tempore ex parte mobilis,) mouet enim infinito tempore ex parte ſpatij.

Secūdus ſenſus impugnatur.

6. Quòd ſi dicas cum S.Thoma, quòd ex infinitate motus ex parte ſpatij, infertur infinitas ex parte mobilis, quia cùm infinitas motus ex parte ſpatij, ſit per accidens, debet reduci ad infinitatem motus ex parte mobilis, quia motus per accidens, debet reduci ad motum per ſe. Reſpondetur, hoc quod ſubtiliter dicit S. Doctor, dicere potiùs ad defendendum aliquo modo Ariſtotelem, quàm ſecundùm veritatem; tum quia mirum eſt, quòd Ariſt. tenuerit hunc medium terminum; tùm quia non bene infertur ex infinitate motus, quæ ſe tenet ex parte ſpatij, infinitas motus, quæ ſe tenet ex parte mobilis; quia ad mouendum infinito tempore ex parte ſpatij, ſufficit, vt probatum eſt, virtus quantumcumque minima, dummodo ſit inalterabilis; Virtus autem ad mouendum infinito tempore ex parte mobilis, requiritur vel infinita, ſi ſit virtus materialis mouens, vel virtus finita altioris ordinis: Quæ ſit autem ratio efficaciſſima ſancti Thomæ ſecundùm veritatem, infrà oſtendetur, præcipuè in vltima dubitatione. Quòd autem ſuprà loco citato S.Thom. non loquatur ex propria ſententia, ſed ad defendendum aliquo modo Ariſtotelem, colligitur ex his quæ dicit 1.par.quæſt.25.artic.2.ad 2.& 3.

S.Thom.

7. Secundò illa demonſtratio Ariſtotelis peccat in deductione, quia ſupponit quòd ſi virtus vt centum, moueat mobile (B) vt centum, tempore infinito (C), quòd virtus (D) in decuplo minor moueat mobile(E) in decuplo minus in tempore minori (F) & deducit, quòd hoc tempus minus, quod eſt (F) ſit finitum proportionaliter decem horarum. Sed non bene hoc deducitur ex vi demonſtrationis factæ ducentis ad impoſſibile, quia tantùm ex vi demonſtrationis(etiam ſi concedatur, quòd quantum minuitur de virtute motiua, tantum minui debeat de tempore, quod quidem falſum eſſe ſuprà oſtendimus, ſufficit enim ad mouendum tempore infinito, quæcumque virtus finita, dummodo ſit inalte-

A rabilis,) adhuc tamen illo conceſſo, non ſequitur, quod hoc tempus(F) minus, quàm ſit tempus(C,) ſit finitum, ſed quòd ſit infinitum, ſed minùs infinitum in decupla proportione, quàm ſit infinitum tempus (C), ſicut ſi darentur infiniti homines, ſinguli habentes decem annulos in manu, infinitum annulorum excederet in decuplo infinitum hominum, & multò magis in caſu noſtro poteſt dari vnum infinitum maius altero, quia hoc infinitum eſt infinitum ſyncathegorematicum.

SECVNDA DVBITATIO.

B *Vtrùm ex infinitate mobilis rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.*

RESPONDENT aliqui affirmatiuè, & probant, Omne mouens mobile infinitum eſt virtutis infinitæ intenſiuè; ſed Deus quantùm eſt ex ſe, poteſt mouere mobile infinitum, ergo eſt virtutis infinitæ intenſiuæ, ergo eſt eſſentiæ infinitæ, quia hæc ſe inuicem conſequuntur. Minor ſupponitur, vt vera, & conceſſa communiter, quia ſi Deus non poſſet mouere mobile infinitum, ſi daretur, hoc proueniret ex imperfectione Dei, quod non eſt conueniens. Maior probatur ex regulis proportionis virtutis motiuæ, & mobilis, hoc modo C ſyllogizando; Illa virtus (A) quæ per ſe eſt finita, potens mouere mobile infinitum, ſit illa virtus vt centum; tunc ſic arguitur per demonſtrationem ducentem ad impoſſibile; Certum eſt, poſſe dari aliquam virtutem finitam, quæ non poteſt mouere mobile infinitum, vt patet ad ſenſum; ſit igitur virtus(B), vt decem, quæ moueat mobile ſibi adæquatum, vt decem, tunc ſi iſta virtus (B) vt decem, augeatur in decuplo, & fiat, vt centum, proportionaliter etiam augebitur mobile ſibi adæquatum; fiet igitur mobile vt centum; falſum igitur aſſumebatur à te, quòd virtus finita, vt centum, mouebat mobile infinitum; quia virtutes æquales mouent mobilia æqualia tempore æquali; virtus autem (A) & virtus D (B) iam ſunt factæ æquales, ergo ſi virtus (B) mouet mobile finitum vt centum, ſibi proportionatum; falsò aſſumebatur, quòd virtus(A) ſit potens mouere mobile infinitum; concluditur ergo, quòd ad mouendum mobile infinitum, requiritur virtus infinita. His tamen non obſtantibus ſit 1.

Prima ſententia. Primum argumentum.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

DICENDVM eſt ex infinitate mobilis, quòd moueretur à Deo, ſi eſſet dabile, non poſſe colligi virtutem Dei infinitam intenſiuè; ſed virtutem E finitam altioris ordinis quàm ſit mobile. 2.

Vnica concluſio cōtra præcedentē ſententiam.

Probatur, quia quando datur virtus altioris ordinis, quàm ſit effectus, poteſt illa virtus finita producere effectum infinitum, ſi dari poſſit, vel ſaltem in infinitum, v. gr. intellectus humanus vnitus materiæ, non poteſt cognoſcere infinita indiuidua per vnam ſpeciem; ſed opus eſt vt habeat infinitas ſpecies, ad hoc vt poſſit modò cognoſcere vnum indiuiduum, modò aliud; at verò in Angelo datur vna ſpecies repræſentatiua naturæ ſpecificæ, & omnium ſingularium, quæ ſunt ſub illa ſpecie; Et ratio huius eſt, quia per calculationem, in qua fundatur proportio virtutis ad effectum, calculatur infinitas in virtute eiuſdem ordinis per additionem virtutis, ad

Digitized by Google

ad virtutem; at verò cum peruenitur ad ordinem ſuperiorem, ceſſat calculatio, quia non poteſt fieri additio, quæ fiebat priùs eiuſdem virtutis, ad virtutem, ſed deuenitur ad virtutem finitam altioris ordinis.

3. Reſponſio ad argumẽtũ primæ ſententiæ.

Ad argumentum in oppoſitum reſpondetur, requiri quidem virtutem infinitam ad mouendum mobile infinitum, quando virtus mouens eſt eiuſdem ordinis cum mobili, quia tunc per calculationem fit additio entitatis ad entitatem; quando verò tranſcenditur ad ordinem altiorem, ceſſat calculatio, quia ceſſat additio entitatis ad entitatem; ſufficit autem ex vi calculationis virtus finita in illo altiori ordine, niſi aliunde obſtet; quare argumentum ex vi calculationis non probat, niſi virtutem corpoream debere eſſe infinitam ad mouendum corpus infinitum; Sed tenendo quòd nec Angelus poteſt mouere corpus infinitum, propter proportionem, quam habet ad corpus mobile, dicendum eſt, quòd ad mouendam corpus infinitum, ſufficit virtus ſupremi ordinis abſtracta ab omni materialitate, & potentialitate, & hæc eſt actus purus, & hæc quidem virtus eſſet ſufficiens ad mouendum corpus infinitum, etiam ſi ipſa eſſet finita.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm ex velocitate motus infinita colligi poſſit virtus infinita cathegorematica in Deo.

1. Prima ſententia. Arimin. Primum argumentum.

RESPONDET affirmatiuè Ariminenſis in 1. quæſt. 3. artic. 2. & probat per calculationem, quò enim velociùs mobile mouetur, eo maior requiritur virtus ad mouendum; ſi igitur poteſt Deus mouere cœlum velociùs, & velociùs in infinitum, neceſſe eſt dicere, quòd in Deo detur virtus infinita.

2. Secundũ argumentum.

Secundò probatur, deducendo ad impoſſibile, nam ſi ad mouendum cœlum velociùs in infinitum, non requiritur virtus infinita; ſit hæc virtus finita vt centum. Rurſus detur alia virtus, vt decem, quæ moueat mobile, ſeu cœlum velociùs, vt decem, augeatur iſta virtus vt decem in decuplo, & fiat vt centum, æqualis virtuti vt centum, tunc ſecundùm proportionem virtutis motiuæ, ad velocitatem motus, ipſe motus augebitur in velocitate proportionata, vt centum, ergo falsò ſupponebatur, virtutem motiuam, vt centum, mouere velociùs in infinitum, quia æquales virtutes habent æqualem motionem.

3. Tertium argumentum.

Alij tertiò meliùs probãt, ex velocitate motus infinita cathegorematicè, hoc eſt, inſtantanea, dari virtutem motiuam in Deo infinitam cathegorematicè, non repugnare autem velocitatem inſtantaneã, infrà in hac quæſtione oſtendetur. Sumunt autem hanc probationem ex Ariſt. 6. Phyſic. 29. Si maior, inquit, virtus mouet in tempore, maxima mouet in inſtanti. (Ariſt.)

4. PRO reſolutione notandum, velocitatem infinitam motus eſſe duplicem, vel ſyncathegorematicè vel cathegorematicè: Syncathegorematicè tunc eſt, quando motus fieri poteſt ſucceſſiuè velocior, & velocior in infinitum; Cathegorematicè verò tunc eſt, quando eſt inſtantanea, ita vt motus ſit ita velox, vt non poſſit eſſe velocior, nempe cùm ſit in inſtanti. His poſitis ſit

5. Prima concluſio.

PRIMA concluſio. Ex velocitate motus ſyncathegorematicè, non poteſt colligi virtus infinita cathegorematicè in Deo, nec conſequenter poteſt argui infinitudo in eſſentia,

Prima ratio fundamentalis.

Probatur primò, quia ex velocitate motus in infinitum ſyncathegorematicè per calculationem factam à Gregorio, non poteſt argui niſi virtus infinita ſyncathegorematicè, quia virtus mouens creſcit per calculationem proportionaliter iuxta augmentum velocitatis motus; ſed velocitas motus ſupponitur à Gregorio creſcere in infinitum ſyncathegorematicè, ergo, &c.

Nec valet, ſi dicatur pro Gregorio, quòd quia in Deo iſta virtus eſt tota actu, ideo eſt infinita cathegorematicè, in motu autem, quia non tota velocitas eſt in actu, ideo eſt ſyncathegorematica; non valet, inquam, quia quicquid dicant alij Philoſophi, poſitio in actu non poteſt facere, vt probauimus in diſputatione de infinito, quæſtione ſecunda, vt infinitum, quod ex natura ſua eſt ſyncathegorematicum, fiat cathegorematicum, quia infinitum ſyncathegorematicum differt ab infinito cathegorematico infinitè, iſte autem exceſſus non poteſt addi infinito cathegorematico, ex eo, quia ponitur in actu; non enim ex hac poſitione additur noua, & noua perfectio, aut entitas, quam non habebat in potentia; ſed in potentia non habebat entitatem, ſeu perfectionem infinitam cathegorematicam, remanebit igitur hoc infinitum poſitum in actu, cum ſua entitate infinita ſyncathegorematica, hoc ſolo variato, quòd ex potentia fit actu. Quòd ſi virtus infinita ſyncathegorematica repugnat, vt ſit in actu, debet potiùs negari, quòd detur talis virtus in actu, quàm aſſeri, quòd fiat cathegorematicè infinita; Exemplo fiet manifeſtum, quod dicimus: Si Deus omnes perfectiones creaturarum, quas habet obiectiuè in intellectu producibiles in infinitum, omnes illas, inquam, poneret in actu per impoſſibile, tunc ſicut obiectiuè nulla datur perfectio infinita cathegorematicè, ſed finita, quia quamuis detur alia perfectior, & perfectior, erit tamen ſemper finita indeterminatè, ita ſi poneretur in actu, neque daretur perfectio infinita in tota latitudine creata, ſed finita, ita tamen, vt in tota latitudine ſemper ſit alia perfectior; quia ſi ex natura ſua perfectiones creaturarum non ſunt infinitæ cathegorematicè, neque ex poſitione in intellectu diuino in actu obiectiuo, erunt infinitæ cathegorematicè, neque ex poſitione in actu reali.

6. Secunda ratio.

Secundò probatur, quia virtus, eſt quid reſpectiuum tranſcendentale, ergo non poteſt excedere obiectum, ſeu terminum, quia in exceſſu non haberet id, ad quod referretur; ſi ergo velocitas motus eſt infinita ſyncathegorematicè, non poteſt reſpici tamquam terminus, ſeu obiectum, niſi à virtute infinita ſyncathegorematicè.

7. Tertiò probatur, etiam ſi concedatur, ex velocitate motus in infinitum ſyncathegorematicè, calculari virtutem infinitam cathegorematicè, adhuc non poteſt calculari virtus infinita in Deo, nam per calculationem calculatur virtus maior, & maior intra eumdem ordinem, per additionem virtutis ad virtutem; cùm verò peruenitur ad virtutem ordinis ſuperioris, vt infrà dicetur fuſiùs in quinta dubitatione, ceſſat calculatio; Sed virtus Dei, quæ eſt actus purus, tranſcendit ordinem totius naturæ creatæ, ergo, &c. Exemplum afferri ſolet in corpore graui, in eo enim corpore, quod mouetur velociùs & velociùs in infinitũ, arguitur maior, & maior grauitas in infinitum: at verò Angelus, cùm ſit ordinis ſuperioris, poteſt moueri velociùs, & velociùs ad libitum, & tamen eſt virtutis finitæ, & determinatæ.

8. Secunda concluſio.

SECVNDA concluſio. Ex infinita velocitate cathego-

Digitized by Google

thegorematicè ſeu inſtantanea, non poteſt argui euidenter virtus cathegorematicè infinita.

Prima ratio aliorum. Probatur, & PRIMO probant aliqui recentiores; quia, inquiunt, inter motum in inſtanti, & motum in tempore quocumque determinato, non eſt diſtantia infinita, ſed tantùm differunt ſicut duæ ſpecies, ergo ex velocitate motus inſtantanea, non poteſt argui virtus infinita, quia ſicut velocitas inſtantanea, non diſtat infinitè, à velocitate in tempore, ita proportionaliter virtus potens ſuper velocitatem in inſtanti, non diſtabit infinitè à virtute potenti ſuper velocitatem motus in tempore, quæcumque illa ſit. Antecedens aliqui doctiſſimi recentiores ſupponunt tamquam certum, & breuiter ſic probant, quia, inquiunt, augmentum à velocitate in tempore, ad velocitatem in inſtanti, fit per partes proportionales, non ergo poteſt eſſe diſtantia velocitatis infinitæ ſimpliciter. Et confirmari poteſt, quod dicunt iſti Doctores, ex Ariſt. 4. Phyſic. tex. 72. vbi Ariſtoteles ex diminutione corpulentiæ per partes proportionales, vſque ad non gradum corpulentiæ, calculat aliud extremum, ſcilicet virtutem motiuam, ſecundùm velocitatem motus, vſque ad inſtans, per partes etiam proportionales temporis, vſque in infinitum, quare Ariſtoteles non vtitur calculatione per partes proportionales, ex parte vnius extremi, aſcendendo per partes æquales alterius extremi in infinitum, ſed per partes proportionales: At verò cùm in caſu noſtro ex velocitate motus, vſque ad inſtans incluſiuè, calculetur virtus infinita, tunc ex diminutione vnius extremi per partes proportionales, fit augmentum ad virtutem infinitam, per partes æquales, qui modus calculãdi videtur improportionatus. (Arist.)

9. Cōfirmatur prima ratio. Sed hæc probatio non videtur efficax, nam aliquando ex diminutione per partes æquales obiecti, deuenitur ad augmentum infinitum in potentia actiua, per partes proportionales; Exemplum eſt Ariſtotelis expreſſum de ſen. & ſenſili cap. 6. vbi ex diminutione per partes proportionales obiecti viſibilis, v. g. palmaris, vſque ad non gradum ſuum, id eſt vſque ad non extenſum, ſiue vſque ad punctum intrinſecè, ſiue extrinſecè vſque ad extenſum, ſcilicet minus & minus in infinitum, calculat aliud extremum, ſcilicet, virtutem viſiuam creſcere debere per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum, id eſt infinitum.

10. Sed quæres, quare aliquando ex diminutione per partes proportionales vnius extremi, deuenitur ad augmentum, vſque ad omnem gradum alterius extremi, per partes proportionales, vt patet in exemplo ſuprà allato de diminutione corpulentiæ, vſque ad augmentum velocitatis infinitæ, hoc eſt inſtantaneæ, aliquando verò ex diminutione vnius extremi per partes proportionales, deuenitur ad augmentum alterius extremi, vſque ad omnem gradum, per partes æquales, vt patet in exemplo ſuprà allato de obiecto viſibili, & potentia viſiua.

Reſpondeo, hoc quæſitum eſſe valde difficile, & nemo quem viderim, ex profeſſo tractat, tangit tamē illud Caiet. 1. part. quæſt. 45. art. 5. Mihi videtur hæc reddenda ratio quòd quotieſcumque diminutio per partes proportionales vnius extremi, vſque ad non gradum ſuum, æquiualet augmento alterius extremi per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum, tunc poteſt fieri calculatio per diminutionem vnius extremi per partes proportionales, ad augmentum alterius extremi per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum; tunc autem diminutio vnius extremi per partes proportionales, æquiualet augmēto alterius extremi per partes æquales; quando per diminutionem per partes proportionales deuenitur vſque ad non gradum ſuum, improportionatum alteri extremo, tunc enim idem eſt, ac ſi diminutio fieret per partes æquales. Et hanc quidem reſponſionem colligo ex vno verbo, quod ſatis ſubtiliter protulit Caietanus prima parte quæſt. 45. loco citato, (ſufficit, inquit, ad huiuſmodi calculationes veritas conditionalium,) ac ſi diceret, ad noſtrum propoſitum, cum obiectum, v. g. extenſum palmariter diminuitur per partes proportionales vſque ad punctum, tunc deuenitur ad ipſum punctum improportionatum potentiæ viſiuæ, ex qua improportione oritur, quòd in potentia viſiua requiratur maior, & maior virtus, ad videndum minus, & minus extenſum. Quòd autem per calculationem deuentum fuerit ad punctum per partes proportionales, pro eodem eſt, ac ſi deuentum fuiſſet per partes æquales, ſuppoſita conditionali, quòd, ſcilicet, extenſum haberet partes æquales infinitas, vſque ad punctum, & per diminutionem illarum deueniretur ad illud punctum.

Concludo igitur contra iſtos Doctores, quòd ex velocitate maiori, & maiori vſque ad inſtantaneam incluſiuè, diminuendo tempus per partes proportionales, calculari poteſt virtus motiua, vſque ad omnem gradum, creſcens per partes æquales, ſcilicet infinitè, quia tota ratio improportionis inter potentiam motiuam, & velocitatem motus, deſumitur ex approximatione ad inſtans.

SECVNDO probatur eadem concluſio ab aliis, negando poſſe dari velocitatem inſtantaneam, & conſequenter ex illa non poſſe calculari virtutem motiuam infinitam; quòd autem repugnet dari velocitatem inſtantaneam in motu, probant. 11. Secunda ratio aliorum.

Primò, quia ſucceſſioni, quæ eſt intrinſeca motui, repugnat eſſe inſtantaneam.

Secundò, quia in eodem inſtanti, mobile acquireret, & deperderet ſpatia intermedia, quod repugnat.

Tertiò, quia ſi cœlum moueretur in inſtanti, eſſet mutatum, & non mutatum; eſſet mutatum per poſitionem ſuam; & non eſſet mutatum, quia ipſum totum, & quælibet pars eius, eſſet ſemper in loco eodem, in quo fuit priùs.

Sed neque hæc probatio eſt bona, nam nulla eſt implicantia, quòd motus fiat in inſtanti, vt fusè probaui in primo tomo, in primo principio philoſophico, corollario decimoſexto. 12.

AD implicantias autem reſpondetur; & ad primam dicitur, quòd in motu inſtantaneo non eſſet ſucceſſio, nec eſt de intrinſeca ratione motus ipſa ſucceſſio, vt motus eſt, ſed vt talis motus eſt, & quicquid ſit de vocabulo, ſufficit ad propoſitum noſtrum, quòd ſit mutatio inſtantanea localis.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd mobile vel poſſet moueri de extremo ad extremum ſine medio, vel poſſet poni ſimul in omnibus ſpatiis intermediis; hæc autem nec repugnant fieri, in corpore moto per potentiam diuinam, ſicut naturaliter non repugnat Angelum moueri vtroque modo, vt loco citato probabimus. Quòd ſi dicas, hæc potiùs eſſet replicatio corporis, quàm motus. Reſpondetur, habere rationem replicationis, quatenus idem corpus poneretur in duobus locis; at verò haberet rationē veri motus, quatenus hoc corpus acquireret per hunc motum Vbi, quod priùs non habebat; per accidens autem eſt ad rationem eſſentialem motus, quòd corpus remaneret in priori Vbi, vel ſit in aliis Vbi intermediis.

Ad

Digitized by Google

Ad tertiam reſpondetur, quòd quamuis cœlum ſit in eodem inſtanti in loco, in quo priùs erat, ſufficit tamen, quòd ſit in loco, in quo priùs non fuit; ſicut poteſt corpus exiſtens in Oriente, poni in Occidente, non recedendo ab Oriente; ſic in propoſito, quamuis cœlum eſſet in inſtanti, & omnes partes eius in eodem loco, nihilominus ipſum, & quælibet pars eius in eodem inſtanti, eſſet in illo loco, in quo priùs non erat; quod quidem non repugnat fieri per penetrationem; in illo autem caſu omnes partes cœli ſe inuicem penetrarent; penetrationem autem non repugnare ſupponimus ex philoſophia, & ideo non eſt verum, ipſum cœlum non fuiſſe mutatum.

13. *Tertia probatio huius concluſionis.* Probatur igitur TERTIO veriùs hæc ſecunda concluſio ex dictis ſuprà, & dicendis infrà, quòd verum eſt ex velocitate motus maiori, & maiori vſque ad inſtantaneam incluſiuè, augeri virtutem per partes æquales vſque in infinitum, ſiſtendo ſemper in virtute inferioris ordinis, per additionem eiuſdem virtutis ad virtutem; at verò cùm peruenitur ad virtutem ſuperioris ordinis, qualis eſt illa Dei, quæ eſt purus actus, ceſſat calculatio, quia non poteſt fieri ampliùs additio eiuſdem virtutis ad virtutem, & ideo ex calculatione non poteſt argui virtus infinita in Deo; quare ex hac calculatione probari poteſt ad ſummum, quòd Deus ſit actus purus, ſuppoſito, quòd etiam in Angelo, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis, requiratur virtus maior, & maior, ad mouendum corpus velociùs, & velociùs; ex actu autem puro argui poteſt poſtea per alium diſcurſum infinitas Dei, vt infrà dicemus in fine huius quæſtionis.

QVARTA DVBITATIO.

An ex perpetuitate motus, tamquam ex effectu, primò & per ſe, probetur infinitudo intenſiua in Deo.

1. *Prima ſententia.* AFFIRMAT Caietanus in tertio opuſculo de infinitate Dei. Pro ſuæ autem ſententiæ explicatione notat, quòd perpetuitas motus, ſicut & alia quantitas, dupliciter imaginari poteſt, quòd fiat ab aliqua virtute, vno modo per ſe primò, alio modo non per ſe primò: *Explicatur.* Per ſe primò eſt, quando cauſa cauſat effectum ex vi propriæ, & intrinſecæ perfectionis, & tunc per ſe primò reſpicit illum effectum: non per ſe autem primò, inquit, quando non ex ratione propriæ potentiæ, ſeu agentis, ſed ex conditione ſibi annexa cauſat effectum, & tunc reſpicit effectum per accidens.

His poſitis dicit, quòd Deus cauſat perpetuitatem motus in cœlo, vt cauſa perpetuitiua, ex vi propriæ & intrinſecę perfectionis, atque adeò reſpicit perpetuitatem in motu per ſe primò, tamquam effectum propriũ, quia perpetuitas eſt aliquis effectus, & ſpecies diſtincta quantitatis: debet ergo dari cauſa, quæ per ſe primò cauſet hunc effectum; hæc autem eſt Deus. Aliæ verò intelligentiæ cauſant perpetuitatem motus in cœlo, ex perpetuitate, tamquam conditione ſibi annexa; Et exemplificat in calore; Calor, inquit, vt octo, cauſat calorem, vt octo, per ſe primò, tamquam effectum proprium propriæ, & extrinſecæ perfectionis ipſius caloris, agentis, vt octo; Si verò iſte agens calor vt octo, duret in calefaciendo per annum, cauſat durationem in motu calefactionis per annum; ſi verò duret per diem, cauſat per diem; hic autem effectus A durationis per annum, ſiue per diem, non eſt effectus per ſe primò caloris vt octo, ſed prouenit ex calore vt octo, ex conditione quadam ſibi annexa, quia ſcilicet calor vt octo, durat per annum, ſiue per diem; & hæc quidem conditio concomitatur effectum proprium caloris, qui eſt calefactio, vnde ſi calor agens infinito tempore duraret, infinito tempore calefaceret; ſicut intelligentia motiua orbis lunæ, quia æterno tempore durat, æterno tempore mouet.

His notatis dicit, quòd perpetuitas, cùm ſit ſpecies diſtincta quantitatis, debet habere ſuam perfectionem intenſiuam; hæc autem non poteſt eſſe alia, niſi maior, & maior duratio; ſicut in calore B maior, & maior calor, eſt perfectio intenſiua caloris; ſi igitur duratio eſt æterna, habet perfectionem infinitam intenſiuam, ergo talis duratio non poteſt eſſe effectus per ſe primò, niſi cauſæ infinitè perfectæ, vt patet calculando; His tamen non obſtantibus ſit

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

EX perpetuitate motus, quæ cauſatur à Deo, vel eſt cauſabilis in motu cœli, non poteſt colligi virtus infinita intenſiuè in Deo. 2. *Vnica concluſio.*

Probatur primò. Suarius probat in metaph. diſput. 30. ſect. 2. ſatis C ſubtiliter contra Caietanum, quia, inquit, perpetuitas non eſt effectus per ſe primò virtutis Dei, niſi ex annexa conditione; & probat, nam alioquin ſequeretur, quòd ſi per impoſſibile, daretur talis virtus in Deo infinitè intenſa, & duraret tantùm per inſtans noſtri temporis, ſequeretur, inquit, quòd illa eſſet potens ad mouendum cœlum infinito tempore, quod eſt manifeſtè falſum; Patet ſequela, quia poſita cauſa efficienti, ponitur effectus, patet igitur, quòd ſi in virtute motiua infinita, requiritur duratio infinita, illa requiratur tamquam conditio annexa, ſicut requiritur in virtute finita.

3. *Secũda probatio à priori.* Secundò probari poteſt à priori, ſed priùs pro D explicatione notandum eſt, quòd in duratione infinita Dei, datur intenſio, & datur extenſio; intenſio non eſt maior, & maior duratio, vt ſupponit Caietanus, ſed eſt duratio cui repugnat principium, & finis, vt tenet communior, & verior opinio; extenſio verò eſt illa duratio infinita actualis. Hoc poſito dico, quòd non poteſt ex perpetuitate cauſata in motu, argui virtus intenſiuè infinita in Deo, quia illa perpetuitas motus, non dicit intenſionem durationis, vt dictum eſt, ſed extenſionem actualem, vnde non opus eſt vt ſit à Deo, tanquam effectus per ſe primò, ſed ex conditione annexa, tunc autem eſſet effectus proprius ex vi intrinſecæ perfectionis virtutis perpetuitiuæ, quando cauſaretur ef- E fectus, cui repugnaret principium & finis in duratione, quod eſt impoſſibile dari, & ideo ex perpetuitate motus non poteſt argui virtus infinita intenſiuè in Deo, ſed tantùm duratio infinita.

QVINTA DVBITATIO.

Vtrùm ex creatione præciſè ſeu ex modo producendi ex nihilo, argui poſſit infinitudo in Deo.

1. *Prima ſententia. Ricc. Henr. Dur. Caiet.* RESPONDET affirmatiuè Riccardus in 2. diſt. 1. art. 4. Henricus quodlibero 4. quæſt. 37. Durandus ibidem, Caietanus 1. parte quæſt. 45. art. 5.

Digitized by Google

Primum argumentum.

Probat primò Hericus, Inter ens, & nihil, inquit, eſt diſtantia infinita, ergo ad creandum requiritur virtus infinita: quòd autem inter ens, & nihil ſit diſtantia infinita, probatur primò, quia contradictio, vt contradictio, ſe extendit ad quamcumque maximam diſtantiam, nam extremum negatiuum negat, extremum poſitiuum opponendo ſe in infinitum, quicquid non eſt extremum poſitiuum.

Secundũ argumentum.

Secundò probatur, Inter contradictoria eſt æqualis diſtantia, quia ita eſt impoſſibile vnum contradictorium, ſicut & alterum; ſed inter aliqua contradictoria datur diſtantia infinita, vt inter Deum, & non Deum, ergo etiam inter omnia alia contradictoria datur diſtantia infinita.

Tertium argumentum.

Tertiò, Maior eſt diſtantia inter aliquod poſitiuum, & negatiuum, quàm inter duo poſitiua, quia inter duo quæcumque poſitiua, non eſt illa improportio, quæ eſt inter negatiuum, & poſitiuum, ſed inter duo poſitiua poteſt eſſe diſtantia infinita, vt inter Deum, & hominem, ergo inter poſitiuum, & negatiuum eſt diſtantia infinita, vt inter hominem, & non hominem, &c.

2. Quartum.

Quartò probant alij ex improportione nullius potentiæ paſſiuæ, ad aliquam potentiam paſſiuam ſic arguendo: Virtus potens ſuper aliquam potentiam, eſt improportionata virtuti potenti ſuper nullam potentiam, ergo virtus potens ſuper nullam potentiam eſt infinita. Antecedens probatur, quia ex improportione primorum extremorum ſequitur improportio ſecundorum extremorum; ſed prima extrema, nulla ſcilicet potentia, & aliqua potentia, ſunt improportionata, quia vnum eſt negatiuum, alterum poſitiuum, ergo & ſecunda extrema, virtus ſcilicet potens ſupra nullam potentiam, erit improportionata virtuti ſuper aliquam potentiam. Conſequentia probatur, quia magis diſtat nulla paſſiua potentia, ab aliqua potentia paſſiua, quàm diſtet potentia paſſiua infinita à potentia paſſiua finita; ſed potentia paſſiua infinita diſtat à finita infinitè, ergo nulla potentia paſſiua diſtat ab aliqua potentia etiam infinitè.

3. Quintum. Caiet. Henric.

Quintò Caietanus 1. parte quæſt. 45. loco citato, infinitatem Dei demonſtrat ex creatione, non quidem ex ratione facti, vt dicebat Henricus, exiſtimat enim cum Scoto, & Durando, eſſe diſtantiam finitam, neque præcisè ex improportione extremorum alicuius potentiæ, & nullius potentiæ, vt dicebant alij in quarto argumento, ſed ex modo faciendi, & ferè coincidit cum quarto argumento.

Regula proportionũ, & improportionum ex Ariſt. 4. phyſic.

Probat autem ex illa regula Peripatetica 4. Phyſic. tex. 72. quam ſic format. Quando, inquit, ſunt duo extrema ita ſe habentia, vt quantùm vnum minuitur, tantùm alterum creſcat proportionaliter, & è conuerſo; ſi vtrumque multiplicatum ponatur, & combinetur, ita vt quælibet combinatio conſtet ex vno vnius, & altero alterius extremi, ſi vnum ponatur diminui, vſque ad non gradum ſuum, & alterum creſcet ſuper omnem gradum ſuum, id eſt, infinitum; Et ſicut inter diminutum vſque ad non gradum, & alterum retinens gradum, nulla eſt proportio; ita inter duo reliqua creſcentia, nulla eſt proportio: quæ regula ſic applicatur propoſito: Potentia paſſiua, & virtus agens, ita ſe habent, vt quantùm minuitur de potentia paſſiua per maiorem elongationem ab actu, tantùm creſcat virtus agens, v. g. maior virtus requiritur in agente, ad lignum viride magis exſiccandum, quàm ad exſiccandum ſemiſiccum, quia viriditas magis elongatur ab actu ignitionis; ſi igitur multiplicetur vtrumque extremum, potentia, ſcilicet, paſſiua ligni, & virtus

A agens, & ponamus duas potentias paſſiuas, & duas virtutes agentes, prima potentia paſſiua ſit (A) & virtus agens correſpondens ſit (B) alia potentia paſſiua ſit (C) & virtus agens correſpondens ſit (D), ſi potentia paſſiua (A) minuatur vſque ad non gradum ſuum, ita vt nulla remaneat potentia paſſiua, tunc virtus actiua (B) creſcet in infinitum; At verò ſi potentia paſſiua (C) minuatur vſque ad gradum determinatum, virtus actiua (D) creſcet etiam vſque ad gradum determinatum, atque adeò virtus agens (B) & virtus agens (D) erunt improportionabiles, quia prior eſt aucta in infinitum, poſterior eſt finita, nam alioqui ſequeretur, quòd virtus (B) potens ſuper potentiam (A) nullum retinentem gradum, & virtus B (D) potens ſuper potentiam (C) retinentem determinatum gradum, eſſent æquales, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, virtus (B) producens ex nulla potentia (A) per te eſt finita, ſit igitur vt centum, & virtus (D) potens ſuper potentiam (C) retinentem gradum ſit in decuplo minor, & ſit vt decem, tunc vlteriùs minuatur potentia paſſiua (C) in decuplo, creſcet etiam proportionaliter virtus agens (D) in decuplo, & tunc erit vt centum adæquata virtuti (D) ergo virtus (B) agens ex nulla potentia, & virtus (D) agens ex aliqua potentia, erunt æquales; quod erat probandum tanquam abſurdum.

Cõfirmatio. Ariſt.

Et confirmatur ex Ariſtotele 4. Phy. vbi ex hac regula probat motum in pleno, & motum in vacuo, eſſe improportionabiles, quia ex diminutione C corpulentiæ ſpatij vſque ad non gradum, deuenitur ad velocitatem motus in infinitum ſcilicet in inſtanti. His tamen non obſtantibus ſit

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

4. Vnica concluſio. Caiet.

DICENDVM eſt cum Caiet. & aliis, & colligitur ex S. Thoma prima parte quæſtione 25. artic. 2. ad ſecundum & tertium, non probari euidenter infinitatem Dei ex creatione præcisè; dixi (præcisè) quia ex creatione omnium poſſibilium poteſt de-D monſtrari, vt infrà videbimus.

Prima ratio. Scot. Dur.

Probant 1. hanc conclu. Scot. & Dur. locis ſuprà cit. Extremum negatiuũ, inquiunt, non diſtat à poſitiuo, niſi deficiendo, non autem plus deficit extremum negatiuum ab extremo poſitiuo, quàm poſitiuum illud ponat; ſed poſitiuum in creatione eſt finitum, ergo negatiuum, quod eſt terminus à quo in creatione, non poteſt diſtare niſi finitè. Maior probatur à Durando, & Scoto; quando diſtantia inter extrema eſt immediata, tunc tanta eſt præcisè diſtantia extremorum, quantò vnum extremum eſt maius altero, quia dum medium non eſt inter extrema, non poteſt dari alia diſtantia, niſi per exceſſum vnius extremi ſuper alterum, ſecus verò quan-E do extrema ſunt mediata, tunc enim diſtantia ſumitur ex medio interiacente; ſed inter poſitiuum, & negatiuum diſtantia non eſt mediata, ſed immediata; quia ſecundùm Philoſophum 2. Poſt. contradictio eſt oppoſitio, cuius ſecundùm ſe non eſt medium, ergo extremum poſitiuum, non poteſt excedere extremum negatiuum, niſi quantum ipſum eſt, ipſum autem non eſt niſi finitum, quia eſt creatum, ergo non bene colligitur, ex eo quòd Deus creat ens ex nihilo, quòd creet ex diſtantia infinita; & conſequenter non bene colligitur, quòd Deus ſit virtutis infinitæ in creando. Philoſoph.

5. Secũda ratio Durãdi.

Secundò probat idem Durandus, quia illud nihil, quod implicat contradictionem, habet maiorem diſtan-

diſtantiam, quàm illud nihil, quod poteſt eſſe terminus à quo, ergo inter nihil tamquam terminum à quo, & ſuum terminum ad quem, non erit diſtantia maxima, quæ poteſt dari.

6. Tertia ratio. Tertiò probatur, quia argumenta, quæ ducuntur ex variis calculationibus ad probandum oppoſitum, non ſatis conuincunt, vt mox oſtendetur ex ſolutione argumentorum.

7. Reſponſio ad argumẽta primæ ſententiæ. Ad primum. Inter cõtradictoria datur diſtãtia. Reſpondetur, ad primum, negatur quòd non poteſt maior diſtantia intelligi, quàm ſit illa, quæ eſt inter duo contradictoria, quæcumque ſint illa, nam in vna contradictione poteſt eſſe maior diſtantia, quàm in alia, nam v. g. inter Deum, & non Deum, eſt maior diſtantia, quàm inter hominem, & non hominem; Et ratio patet ex dictis, nam exceſſus Dei ſuper non Deum, eſt infinitus, exceſſus autem hominis ad non hominem, eſt finitus. Et cùm dicitur, quòd contradictio, vt contradictio, ſe extendit ad quamcumque maximam diſtantiam, intelligi debet ſecundùm ſe, non quidem poſitiuè ſed permiſſiuè, quia poteſt dari contradictio, quæ ſe extendit ad maximam diſtantiam, vt eſt Deus, & non Deus.

8. Ad ſecundũ. Ad ſecundum cùm dicitur (omnia contradictoria ſunt æquè impoſſibilia, ergo æquè diſtantia,) conceditur antecedens, ſed negatur conſequentia; Et ratio eſt, quia impoſſibilitas ſumitur præciſè ex incompoſſibilitate terminorum: at verò diſtantia ſumitur ex ipſa entitate extremi poſitiui, vt dictum eſt.

9. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur, negando quòd inter duo extrema poſitiua, non poſſit eſſe maior diſtantia, quàm ſit inter extremum poſitiuum, & negatiuum, nam inter Deum, & hominem, eſt maior diſtantia, quàm inter hominem, & non hominem, Et ratio eſt, quia inter Deum & hominem, interiacet tamquam diſtantia intermedia, exceſſus omnium creaturarum poſſibilium ſupra hominem, qui eſt infinitus ſyncathegorematicè, & præterea eſt exceſſus Dei ſupra hominem, qui quidem exceſſus eſt infinitus cathegorematicè; at verò inter hominem, & non hominem, non eſt diſtantia niſi per exceſſum hominis ſupra non hominem, vt dictum eſt ſuprà, hic autem exceſſus eſt finitus, quia tantus eſt, quantus eſt homo, eſt autem homo finitus.

10. Ad quartũ. Prima reſpõſio Scoti cõfutatur. Ad quartum reſpondent primò Scotiſtæ ex Scoto in 4. diſtinct. 49. quæſt. 10. & diſtinct. 1. quæ. 1. negando conſequentiam, exiſtimant enim ex improportione primorum extremorum, nullius potentiæ paſſiuæ, & alicuius potentiæ paſſiuæ, non ſequi improportionem inter virtutem agentem ſuper illa extrema; Et ratio eſt, quia in primis extremis improportio fundatur in negatiuo, & poſitiuo, at verò virtutes, quia ſunt ambæ poſitiuæ, non poſſunt, inquiunt, fundare improportionem; quia ad eam fundandam, requiritur, vt vna virtus ſit finita, & altera infinita; ſicut, inquiũt, extenſio, & punctũ, ſunt improportionata, & tamen virtus potens intueri punctum, cuiuſmodi eſt intellectus Angelicus, & virtus potens intueri quantum extenſum, cuiuſmodi eſt potentia viſiua noſtra, non ſunt improportionata, exiſtimat enim Scotus locis citatis, duo extrema poſitiua, non poſſe eſſe improportionata, niſi quando vnum ex illis eſt infinitum, & alterum finitum.

Sed hæc reſponſio Scoti non placet; quia inter duo extrema poſitiua, etiam ſi ſint finita, poteſt eſſe improportio, quando vnum eſt ſuperioris ordinis, & aliud inferioris. Exemplum allatum de extenſo,

A & puncto, potiùs fauet nobis; nam virtus viſiua potens ſolùm cognoſcere rem extenſam, eſt improportionata virtuti intellectiuæ Angelicæ, potenti cognoſcere intuitiuè punctum, quia vna eſt materialis, & altera ſpiritualis; quòd autem maior improportio ſit inter virtutem finitam ſuperioris ordinis, & virtutem finitam inferioris ordinis, quàm inter vnam virtutem infinitam, & alteram finitam eiuſdem ordinis, mox infrà oſtendetur.

Secundò igitur reſpondetur, negando conſequentiam; Et ad probationem ipſius reſpondetur concedendo, magis diſtare nullam potentiam paſſiuam ab aliqua potentia paſſiua, quàm potentiam paſſiuam finitam, à potentia paſſiua infinita; ſed B hinc non ſequitur, vt falsò deducebatur ab arguente, nullam potentiam paſſiuam diſtare infinitè ab aliqua potentia paſſiua finita, quia ad improportionem ſufficit aliquando diſtantia finita; quando vnum extremum eſt in ſuperiori ordine, & alterum in inferiori, & ſic eſt in caſu noſtro; nam productio ex nulla potentia paſſiua, eſt in ſuperiori ordine, quia ad illam requiritur agens omnino eleuatum à materia; ad producendum autem ex aliqua materia, ſufficit agens materiale magis, & minùs perfectum. 11. Secunda reſponſio verior.

Quòd autem maior improportio ſit inter virtutem agentis finitam ſuperioris ordinis, & virtutem finitam inferioris ordinis, quàm ſit inter virtutem agentis finitam, & infinitam in eodem ordine C inferiori, probatur, quia virtus finita inferioris ordinis ſaltem per additionem infinitam partium æqualium eiuſdẽ virtutis, peruenire tandem poteſt ad infinitatem, & tamen adhuc illa virtus inferioris ordinis aucta in infinitũ, non poteſt attingere intrinſecè virtutem altioris ordinis, quæ vlteriùs tranſcendit ſupra infinitatem inferioris ordinis, v. g. ſi virtus ſenſitiua augeretur in infinitum intra ordinem ſenſitiui, ſemper adhuc erit immerſa materialitati, ſuper quem ordinem tranſcendit virtus intellectiua, præſertim Angelica, quæ eſt eleuata à materia; ex quo fit vt virtus ſenſitiua adhuc infinita inferioris ordinis, operetur eodem modo intra ordinem inferiorem, ac virtus ſenſitiua finita, vtraque enim co- D gnoſcit obiectum materiale per ſpecies materiales receptas à corpore; At verò virtus intellectiua, præſertim Angelica, quantumuis finitè minima, cognoſcit diſtinctè obiectum ſpirituale, & etiam materiale, modo quodam immateriali, & ſpirituali.

Concluditur igitur, quòd ex improportione nullius potentiæ paſſiuæ ad aliquam potentiam paſſiuam non probetur, aut calculetur, quòd virtus potens producere ex nulla potentia paſſiua, ſit infinita, ſed quòd ſit finita in ſuperiori ordine.

Quòd ſi inſtes, ſi eſſent impedimẽta infinita in potentia paſſiua, quæ deberent tolli ab agente, v. g. ſi in ligno eſſet infinita viriditas, & infinita frigiditas, E tunc deberet eſſe in virtute ignitiua huius ligni infinitudo, vt poſſint tolli impedimenta infinita; ſed in Deo eſt talis virtus, vt poſſit tollere huiuſmodi impedimenta, ſi eſſent in materia, ergo bene arguitur quòd in Deo ſit virtus infinita. 12. Inſtantia cõtra impugnationem.

Reſpondetur, quòd ad tollenda illa impedimenta, requireretur virtus infinita, in agente inferioris ordinis, non tamen in agente ſuperioris ordinis, qualis eſt Deus, non ergo hinc bene arguitur virtus infinita in Deo. Solutio.

Ad quintum argumentum Caietani ex illa regula Ariſt. 4. Phyſic. quod argumentum fere coincidit cum præcedenti argumento, vt dictum eſt, reſpondetur, & pro maiori intelligentia oportet exami 13. Ad quintũ. Examinatur regula proportionũ ex Ari 4. Phyſ.

Digitized by Google

examinare illam regulam adductam, quòd ſcilicet, (quando ſunt duo extrema ita ſe habentia, vt quantum vnum minuitur, alterum creſcit proportionaliter, ſequitur quòd ſi vnum diminuatur vſque ad non gradum ſuum, alterum creſcat vſque ad omnem gradum ſuum in infinitum, &c.) vt fuſiùs habetur in argumento.

Hæc autem regula poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, vt intelligatur de diminutione potentiæ paſſiuæ, vſque ad non gradum ſuum extrinſecè. Secundus ſenſus eſt, vt intelligatur de diminutione vſque ad non gradum ſuum intrinſecè. Si intelligatur primo modo, benè concluditur à Caietano, virtutem agentem materialem creſcere in infinitum, quia creſcit per additionem eiuſdem virtutis, ſeu entitatis ad priorem, vſque adeò ſemper in eodem ordine virtutis materialis educentis, nunquam enim attingit productionem ex nullo ſubiecto, ſed ſemper ex ſubiecto minori & minori in infinitum; quomodo autem virtus agens poſſit creſcere per partes æquales ex diminutione alterius extremi per partes proportionales, ſuprà dictum

14. eſt, in dubitatione tertia: Si verò regula intelligatur iuxta ſecundum ſenſum, vt illam accipit Caietanus, quia alioquin nihil probaret, tunc malè concluditur à Caietano, ex diminutione potentiæ paſſiuæ vſque ad non gradum ſuum intrinſecè, calculari virtutem agentem in infinitum: Et ratio eſt, quia, quando per calculationem tollitur omnino potentia paſſiua, tollitur etiam virtus eductiua materialis, quæ creſcebat proportionaliter ex diminutione potentiæ paſſiuæ, per additionem eiuſdem entitatis ad ſe ipſam, quare ex calculatione tranſcenditur ad virtutem ſuperioris ordinis, qualis eſt virtus ſpiritualis, non igitur per calculationem deuenitur ad virtutem infinitam in Deo; ſed ad ſummum ad actum purum, vt dicemus infrà.

15. Ad argumentum igitur Caietani reſpondetur, argumentum benè concludere, nunquam poſſe fieri adæquationem inter virtutem agentem ex aliqua potentia, & virtutem agentem ex nulla potentia, non quidem ratione infinitatis, vt ipſe exiſtimat, ſed quia virtus agens ex nulla potentia eſt ſuperioris ordinis, quæ nunquam poteſt adæquari à virtute materiali inferioris ordinis, educente ex aliqua potentia, etiam ſi augeatur in infinitum, vt ſuprà in ſexta via probatum eſt.

16. Ad cõfirmationem. Ad confirmationem ex Ariſtot. reſpondetur, & dico duo; Primum eſt Ariſtotelem benè concludere, ex diminutione corpulentiæ ſpatij deueniendum eſſe ex vi calculationis ad velocitatem motus infinitam ſeu inſtantaneam; dico tamen ſecundò, hanc calculationem de corpulentia non fauere ſententiæ Caietani; Probatur primum, quia tota reſiſtentia ex motu, vt ſupponit Ariſtot. ex mente antiquorum, prouenit ex corpulentia ſpatij; ſublata igitur tota reſiſtentia, mobile mouetur omni velocitate poſſibili. Secundum verò, quòd ſcilicet hæc calculatio non faueat ſententiæ Caietani, probatur, quia

Caiet. calculatio Caietani fundabatur in eo, quòd quantùm diminuitur de materia, tantùm augeri debet de virtute agentis ſuper materiam, quia maior virtus requiritur in agente, vt producat ex materia vt duo, quàm vt ex materia vt decem, quia materia vt duo, eſt magis elongata ab actu; at verò calculatio Ariſtotelis loco citato, ſi benè perpendatur, non fundatur in eodem, ſed potiùs in oppoſito, nam poſita corpulentia ſpatij, vt mouente ſeu mobili, quod ſe ipſum mouet, tunc ex diminutione corpulentiæ ſpatij, non debet augeri virtus in mobili, ad hoc

A vt moueatur velociùs, imò potiùs requiritur minor virtus, quia minorata eſt reſiſtentia, quare potiùs concluditur, quòd ſublata omni corpulentia, nulla virtus requiratur ad vincendam reſiſtentiam, quia ſublata eſt omnis reſiſtentia. Quòd ſi calculatio in diminutione corpulentiæ fieret eodem modo, ac fit in diminutione materiæ, ita vt quantùm diminuatur de potentia, tantùm creſcat de virtute mouente, tunc ſicut ex diminutione materiæ vſque ad non gradum materiæ, calculatur virtus infinita in agente materiali, per additionem virtutis ad virtutem, ita etiam ex diminutione corpulentiæ ſpatij, benè calcularetur virtus infinita materialis, & quanta, quæ moueret velocitate infinita, & ſicut ex diminutione materiæ vſque ad non gradum, non calcula-

B tur virtus infinita in agente ſuperioris ordinis, vt probatum eſt; ita nec calcularetur ex diminutione corpulentiæ ſpatij virtus infinita, in virtute mouente quæ ſit ſuperioris ordinis, vt eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſed virtus finita.

DVBIVM tamen non paruum occurrit circa reſponſiones allatas, videtur enim concludi, ad creandum ſufficere virtutem Angelicam, ſeu ſpiritualem, hucvſque enim ex calculationibus factis demonſtratum eſt, virtutem producentem ex nulla materia, ſeu potentia paſſiua, eſſe ſuperioris ordinis, quàm ſit agens materiale, educens ex minori, & minori materia, huiuſmodi autem virtus ſuperioris ordinis, eſt virtus Angelica, eſt enim eleuata ſuper omnem materiam. 17. Dubium an ex vi calculationis colligitur Angelum poſſe creare.

C Reſpondetur, de materia huius dubij ſatis fusè diximus in primo tomo in primo principio philoſophico, in corollariis de creatione. Breuiter nunc, omiſſis multis aliis rationibus ibi adductis, dicitur, quòd ex creatione concluditur ſaltem alio diſcurſu mediato, virtutem creatiuam debere eſſe actum purum, quicquid ſit, an ille actus purus ſit infinitæ virtutis; Probat autem hoc S. Thom. de potentia q. 3. art. 4. hoc diſcurſu; Poteſt, inquit, Deus creare ex non ſubiecto, quia actio Dei immanens eſt ſua ſubſtantia, vnde etiam rectè tamquam ex ratione adæquata infertur, nec Angelum, nec vllam aliam creaturam ſpiritualem poſſe creare. S. Thom.

Procuius intelligentia ſciendum eſt, in Angelo, & in quacumque alia creatura ſpirituali, duplicem
D eſſe imperfectionem; Vna imperfectio eſt, quòd ſit immerſus potentialitati, poterat enim non eſſe; Altera, quòd ſit ſubiectum ſuarum actionum immanentium, quia ſua actio non eſt ſua ſubſtantia ſicut in Deo: Hinc autem infertur, quòd etiam actio tranſiens in Angelo, debeat recipi in ſubiecto, actio enim immanens, non quia immanens, eſt receptibilis in ſubiecto; alioquin in Deo etiam deberet recipi in ſubiecto, ſed ideo debet recipi in ſubiecto, quia egreditur à ſubſtãtia Angeli, quæ eſt immerſa potentialitati; vnde fit, quòd ſua actio, quia debet eſſe imperfectior, quàm ſubſtãtia, non ſolùm debeat eſſe immerſa potentialitati, ſed etiam ſubiecto, benè igitur concluditur cum S. Tho. quòd non poſſit dari in Angelo, vel quacumque alia creatura, actio crea-
E tiua, eſt enim impoſſibile, vt actio creatiua ſit receptibilis in ſubiecto, cùm ſit via ad efficiendum terminum extra ſubiectum.

* * *

SEXTA

Digitized by Google

SEXTA DVBITATIO.

In qua confutatis iam aliis opinionibus, oſtenditur à poſteriori, ex creatione omnium poſſibilium, concludi infinitatem intenſiuam cathegorematicam in Deo.

1. *Prima opinio. Durand. Vaſq.* ALIQVI, vt Durandus, & Vaſques in 1. part. tenent, ex creatione indiuiduorum, præſertim ſi creatio ſimul fiat, argui poſſe infinitatem intenſiuam in Deo. Sed non videtur hoc verum, quia eadem virtus, quæ ſufficit ad producendum vnum indiuiduum, ſufficit ad producendum infinita, ſi aliunde non obſtat, ſicut, inquit Ariſtoteles, ſi eſſent infinita combuſtibilia, ignis infinita combureret, & ſi cœlum fuiſſet ab æterno, vt tenet Ariſt. produxiſſet infinita indiuidua, & tamen cœlum eſt virtutis finitæ; neque arguit infinitatem in agente, quòd hæc indiuidua omnia ſimul producantur; hoc enim potiùs arguit in agente extenſionem ad plura, quàm intenſionem; quia, vt probatum eſt, eadem virtus intenſiua quæ ſufficit ad vnum, ſufficit ad plura, quare ex ſimultate non poteſt argui, niſi ad ſummũ virtus maior extenſiua.

2. *Vera concluſio.* DICENDVM eſt igitur cum communi Doctorum, potẽtiam creatiuam in Deo, rectè argui infinitam cathegorematicè, ex creatione omnium ſpecierum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum.

3. Pro cuius intelligentia ſupponenda ſunt duo; Primum, ex creatione, ſeu productione ex non ſubiecto, concludi Deum eſſe actum purum, vt probatum eſt in fine præcedentis dubitationis, & fuſiùs in primo tomo, Corollario de creatione.

Secundò ſupponendum eſt, in creaturis dari proceſſum in infinitum, non ſolùm in indiuiduis, ſed etiam in ſpeciebus perfectioribus, & perfectioribus, vt fusè probauimus in prædicamento Quãtitatis in diſputatione de infinito, quæſtione 7. circa finem; Et breuiter nunc probatur, quia à materia prima tamquàm ab infima creatura, eſt diſtantia infinita, Deus enim eſt infinitè imitabilis: Quare ſi ſub vna ſpecie finita poſſunt dari infinita indiuidua participantia illam ſpeciem, multò magis ſub Deo, poſſunt dari ſpecies infinitæ, ſeu in infinitum participantes analogicè ipſam Dei eſſentiam, quæ eſt infinita ſimpliciter.

4. His poſitis probatur concluſio, Deus poteſt creare creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum, ergo Deus eſt infinitæ virtutis; Antecedens patet ex ſecundo ſuppoſito; Conſequentia probatur, ex creatione præcisè, ſeu ex productione ex non ſubiecto, arguitur quòd Deus ſit actus purus, vt patet ex primo ſuppoſito, ergo calculando ex creatione omnium poſſibilium perfectiorum & perfectiorum in infinitum, arguitur virtus infinita in actu puro; quò enim maior eſt perfectio in creaturis, eò maior virtus requiritur in Deo, tamquam actu puro, quia quò maior eſt perfectio in creatura, eò maior eſt elongatio à potentialitate, & maior acceſſus ad actum purum; ſicut igitur in agente creato, maior virtus requiritur educendo ex minori, & minori materia, ita ſimiliter in agente increato maior virtus requiritur, producendo ex minori, & minori potentialitate.

5. *Obiectio.* Quòd ſi obiicias, ex hac calculatione non argui virtutem infinitam intenſiuam in Deo cathegorematicè, ſed tantùm ſyncathegorematicè, quia creaturæ perfectiores, & perfectiores ſunt infinitæ ſyncathegorematicè.

A Reſpondetur, aliqui dicunt, quòd infinitum cathegorematicum, à ſyncathegorematico nõ differt, *Solutio aliquorum.* niſi quia vnum eſt actu, & alterum potentia, vnde ſi tota collectio creaturarum poſſibilium poneretur actu, eſſet infinita cathegorematicè, quia igitur, inquiunt, ex calculatione omnium poſſibilium arguitur virtus actu in Deo, illa neceſſariò erit infinita cathegorematicè.

Sed hæc reſponſio non placet, ſuprà enim in prædicamento Quantitatis in diſputatione de infinito, quæſtione 2. oſtendimus, infinitum cathegorematicum differre à cathegorematico, quoad numerum, & quoad perfectionẽ; ſi enim infinitudo ſyncathegorematica creaturarum perfectiorum & perfectiorum, B poneretur per impoſſibile tota ſimul actu, non attingeret infinitudinem cathegorematicam, quia nulla eſſet actu creatura infinita cathegorematicè, quia nulla talis erat in potentia, quare ſi ex calculatione arguitur virtus infinita in Deo cathegorematicè, hæc infinitudo erit maior quàm ſit infinitudo omnium creaturarum poſſibilium.

Secundò reſpondent alij, diſtinguendo duplicem 6. potentiam in Deo, alteram abſolutam, alteram relatiuam; & illam dicunt eſſe infinitam cathegorematicè, hanc ſyncathegorematicè. Sed contrà, quia communiter Doctores ex illa potentia relatiua arguunt, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè, non igitur diſtinguenda eſt in Deo hæc duplex potentia.

C Tertiò reſpondetur ad obiectionem, quòd bene 7. arguitur ex creatione omnium poſſibilium, potentia in Deo infinita cathegorematicè; arguitur enim per calculationem potentia in Deo ſine termino, & quia non poteſt dari infinitudo actu ſyncathegorematica, quia huiuſmodi infinitudo inuoluit eſſentialiter confuſionem & potentialitatem ad vlterius & vlterius, fit vt bene arguatur, quòd illa potentia ſit infinita cathegorematicè.

Quòd ſi inſtes, potentia creatiua in Deo dicit eſſentialiter ordinem ad creaturas poſſibiles, ergo non *Prima inſtantia.* poteſt excedere ſuum terminum, quia adhuc ille exceſſus eſſet relatiuus, & tamen non haberet correlatiuum, quia tota collectio creabilium eſt infinita D ſyncathegorematicè; at verò quòd relatiuum ſit ſine termino, eſt impoſſibile.

Soluitur inſtantia, & pro explicatione ſolutionis *Solutio.* ſupponendum eſt vnum, quòd in Deo illa habitudo ſeu ordo ad creaturas poſſibiles non eſt realis, ſed rationis, vt probat Vaſques in prima parte, ex communi ſententia Doctorum, quia alioquin Deus dependeret à creaturis; ſi enim per impoſſibile non poſſent eſſe creaturæ, non eſſet ille ordo realis in Deo, ac conſequenter non eſſet Deus.

Hoc ſuppoſito dicendum eſt, quòd in Deo non eſt potentia relatiua, ita vt illa relatio tranſcendentalis ad creaturas ſit realiter in Deo, ſed tantùm eſt rationis, & ſolùm in Deo eſt realiter poten- E tia abſoluta, connotando extrinſecè ipſum terminum factibilem; eſt autem tantæ perfectionis, vt, quantùm eſt ex ſe, poſſit producere omnes creaturas, etiam ſi dari poſſint infinitæ perfectionis cathegorematicè, ac proinde ipſa potentia debet eſſe virtutis infinitæ cathegorematicè, ſicut in ſimili dixit Ariſt. quòd ignis, quantùm eſt ex ſe, eſt combuſtiuus infinitorum incombuſtibilium, ſi dari poſſent debitè approximata. Et per hæc patet ad inſtantiam; falsò enim ſupponitur, potentiam in Deo eſſe relatiuam, quare non opus eſt vt adæquetur termino poſſibili; ſed quia eſt potentia abſoluta, poteſt eſſe tantæ perfectionis, vt quantùm eſt ex ſe, poſſit producere

Digitized by Google

producere creaturas infinitè perfectas, ſi dari poſſent.

Colligitur hæc doctrina ex S. Thoma 1. parte quæſt. 25. artic. 2. ad 2. vbi dicit, quòd potentia agentis vniuoci, ſe tota manifeſtatur in ſuo effectu, non autem potentia agentis non vniuoci; ſemper enim effectus eſt minor quàm potentia eius; quare non oportet, inquit, quòd infinita potentia Dei ſit productiua effectus infiniti, ſed eſt infinita, quia, vt dicit in corpore, eſſentia ipſius eſt infinita; Quare concluditur ſecundùm ſanctum Thomam, quòd potentia Dei non adæquatur termino creabili; quòd enim potentia Dei non poſſit producere effectum infinitæ perfectionis, non oritur ex defectu potentiæ, quia quantùm ex ſe, eſt infinita, & tantæ perfectionis, vt poſſit, vt dictum eſt, illum producere ſi eſſet producibilis.

8. Quòd ſi adhuc inſtes ſecundò, ſi reſponſio aliquid valeret, ſequeretur quòd idem poſſet dici de his calculationibus factis in præcedentibus dubitationibus, ſicut enim quamuis ex creatione omnium poſſibilium, concludatur in Deo potentia relatiua infinita ſyncathegorematicè, licet tamen poſtea inferre, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè: ita ſimiliter ex infinitate motus, & velocitate maiori, & maiori in infinitum, licet inferre, potentiam motiuam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam calculationes, quæ hactenus factæ ſunt in præcedentibus dubitationibus, tam ex infinitate motus, tum maiori, & maiori velocitate, & ex aliis ſimilibus, non ſupponebant Deum actum purum, ac propterea ex calculatione ad ſummum deducebatur aliqua virtus ſuperioris ordinis; at verò in calculatione quæ fit ex creatione omnium poſſibilium, ſupponitur quòd Deus ſit actus purus, ex præciſa ratione creationis, vt patet ex quinta dubitatione, & poſtea ſuper hunc actum purum calculatur in hac ſexta dubitatione maior, & maior perfectio in infinitum, ex creatione perfectionis, & perfectionis creaturæ in infinitum, vnde poſtea bene arguitur, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè.

DVBITATIO SEPTIMA.

In qua oſtenditur bene concludi à priori, Deum eſſe infinitum cathegorematicè, quia eſt ſuum eſſe per eſſentiam.

1. VLTIMA via probandi infinitatem Dei eſt à priori, & ipſo eſſe Dei per eſſentiam. Eſt communis Philoſophorum, Ariſtotelis 2. met. tex. 4. Auerrois 12. Met. comm. 51. & aliorum Peripateticorum ibidem. Eſt etiam S. Thom. 1. par. quæſt. 7. art. 1. & communis ſcholaſticorum, quos infrà citabimus. Sed differunt hîc ſcholaſtici in aſſignanda ratione huius eſſe, diuerſi enim diuerſas afferunt rationes.

Ariſt. Auer.

2. Prima ratio eſt Ægidij & Caietani in opuſculo de infinit. Dei, quia ens per eſſentiam debet eſſe irreceptum in alio; ſicut, inquit Caietanus, ſi daretur homo Platonicus, eſſet perfectior non ſolùm quolibet homine ſingulari, ſed omnibus hominibus ſimul, etiamſi darentur infinities infiniti homines, & vnus altero perfectior, quia ſingulares homines eſſent recepti in ſingularitate, ſeu materia ſignata; at homo Platonicus, eſſet irreceptus, & haberet omnẽ perfectionem ſingularium. Similiter Deus, quia habet eſſe irreceptum in eſſentia, habet enim eſſe de quidditate eſſentiæ, & omnino identificatum cum ipſa eſſentia, ideo habet omnem rationem eſſendi.

Affertur prima ratio & confutatur. Ægid. Caiet.

Hæc ratio impugnatur, quamuis enim concedatur quòd omnis perfectio, quæ comparatur enti per eſſentiam ex ſuo conceptu, non poſſit limitari per receptionem in alio, non tamen bene ſequitur, illam perfectionem eſſe infinitam, quia poſſet dici, quòd hoc eſſe per eſſentiam ex ſuo conceptu ſit determinatum. Quòd ſi dicas, habet Deus vnitas in ſe omnes perfectiones creaturarum, quæ ſunt infinitæ; Reſpondetur, quòd omnes illæ perfectiones poſſunt contineri in vna perfectione ſimpliciſſima ſuperioris ordinis.

Secunda ratio eſt Bacconi, à qua dicit ſe conuinci, quia cùm Deus, inquit, ſit ens per eſſentiam, eſt in illo tota entitas, & tota perfectio, vel formaliter, ſi eſt ſimpliciter ſimplex, vel eminenter, quæ reperitur in creaturis; extra autem totam entitatem, & perfectionem nihil eſt, hæc autem eſt deſcriptio infiniti. 3.

Affertur ſecunda ratio & confutatur. Baccon.

Hæc ratio eodem etiam modo impugnatur, poſſet enim dici, quòd tota hæc entitas, & perfectio eſt ex ſuo cõceptu limitata, & exiſtit ex ſe determinata, quia poſſet dici, quòd non eſt poſſibilis perfectio infinita. Quòd ſi ſecundò dicas, ſunt infinitæ perfectiones ſparſim in creaturis, quæ ſunt eminenter in Deo: Reſpõderi poſſet, vt ſuprà reſponſum eſt, quòd omnes illæ continentur in Deo ſecundùm aliquam perfectionem abſolutam finitam ſuperioris ordinis. Quòd ſi inſtes, infinitum eſt, extra quod nihil eſt accipere; ſi igitur non poteſt accipi aliqua perfectio quæ non ſit in Deo, Deus erit infinitus: Reſpondetur, quòd illa definitio infiniti eſt antiquorum, & non eſt bona ſecundùm Ariſtotelem, quia competit etiam toti finito; ſed definitio infiniti eſt, in quo ſemper eſt, vltra aliud & aliud accipere, vt oſtenſum eſt in diſputatione de infinito.

Tertia ratio eſt aliquorum ſcholaſticorum, quos ſequitur Suar. in meta. ſect. 1. diſput. 30. & Vaſques 1. par. diſp. 45. cap. 5. Eſſe, inquiunt, per eſſentiam, habet eſſe à ſe; quod intelligi debet negatiuè, id eſt eſſe irreceptum ab alio; eſſe autem a ſe, non poteſt eſſe limitatum, quia non poteſt carere aliqua perfectione, non enim datur cauſa, quæ poteſt priuare habentem eſſe à ſe aliqua perfectione, nec ipſe Deus ſeipſum poteſt illa priuare, tum quia omne ens retinet perfectionem ſibi debitam, tum quia tota latitudo perfectionis neceſſariò eſt in primo ente; & hæc ratio deſumpta eſt ex S. Thom. 1. par. quæſt. 7. art. 1. 4.

Affertur tertia ratio & impugnatur à Scoto.

Sed hæc ratio impugnatur à Scoto, poſſet enim dici, inquit, quòd hoc eſſe irreceptum ab alio, & imparticipatum, eſt in ſuo conceptu limitatum, non quidem ab aliqua cauſa extrinſeca, ſed à ſe, & ideo exiſtit ex ſe determinatum, ſicut multi Theologi tenent, quòd eſſentiæ creatæ ſunt ex ſe determinatæ, & tamen non dependent effectiuè à Deo, ſecundùm eſſe actuale eſſẽtiæ. Quòd ſi vrgeas, quod eſt ab alio, eſt limitatum, ergo quod eſt à ſe, eſt illimitatum; neganda eſt conſequentia, quia quod eſt ab alio, eſt limitabile ab extrinſeco; quod autem eſt à ſe, quamuis non ſit limitabile ab extrinſeco, poteſt tamen eſſe limitatum ex ſuo conceptu, ſeu ex ſe determinatum, quia non eſt poſſibilis vlterior perfectio, debet igitur probari, hanc vlteriorem perfectionem vſque ad infinitatem eſſe poſſibilem, vt nos infra oſtendemus. 5.

Secundò inſtatur, quia habere eſſe à ſe, eſt habere eſſe negatiuè, hoc eſt, non ab alio, debet igitur

aſſignari

Digitized by Google

aſſignari ratio formalis, per quam ei competat omnimoda perfectio, quia conceptus à ſe, præcisè non dicit hoc, quia nō eſſe ab alio, eſt tãtùm ratio illimitatiua ex parte efficientis, non tamen eſt ratio poſitiua proximè, & immediatè illimitatiua, debet igitur afferri ratio poſitiua formaliter illimitatiua, & hanc conatur aſſignare Scotus, ſed vt mox videbitur, hæc tertia ratio optima eſt, ſi bene explicetur.

6. Affertur quarta ratio Scoti, & impugnatur ab Ocham.

Quarta ratio eſt Scoti; Perfectio, inquit, infinita non repugnat cum ente, ergo poteſt eſſe, ergo neceſſe eſt eſſe. Antecedens ſupponitur; Prima conſequentia eſt manifeſta: ſecunda probatur, quia infinita perfectio non poteſt eſſe contingens, repugnat enim illi dependentia ab agente, alioquin non haberet omnem perfectionem, deeſſet enim illi iſta perfectio independẽtiæ, tum quia implicat dari ens, quod ſit cauſa infinitæ perfectionis ſimpliciter, quia vel hæc cauſa haberet infinitam perfectionem ſimpliciter, & tunc haberetur intentum, quòd iſta eſt à ſe, vel non haberet infinitam perfectionem ſimpliciter, & tunc ignobilius cauſaret nobilius.

7. Ocham.

Sed hæc ratio Scoti, quamuis ſit ſatis acuta, impugnatur tamen ab Ocham, nam non bene, inquit, ex eo, quia non repugnat perfectio infinita in primo ente, infertur, quòd poſſumus cognoſcere euidenter infinitatem Dei; quamuis enim nulla appareat in intellectu noſtro contradictio, non tamen propter hoc apparet euidenter poſſibilitas, & omiſſis exemplis, quæ afferuntur ab Ocham, poteſt ita à ſimili oſtendi; primò non ex eo, quia nulla apparet in intellectu noſtro contradictio, quòd Deus ſit trinus, & vnus, ideo inferri poteſt, euidenter cognoſci Deum eſſe trinum, & vnum; nec ex eo, quia non apparet contradictio Deum poſſe incarnari, ſequitur, quòd euidenter cognoſcatur naturaliter poſſibilitas incarnationis; & propterea multa ſunt, inquit Ocham, quæ mihi non apparent repugnare, quæ tamen repugnant; Sed hæc etiam quarta ratio Scoti eſt efficax, ſi bene explicetur, vt mox infrà videbimus.

8. Quinta ratio efficax.

Videtur tamen quòd omnes iſtæ rationes hucuſque allatæ, præſertim tertia & quarta, ſint efficaces, &c. & quòd vna explicet magis aliam, quare ad probandam infinitatem Dei intenſiuam cathegorematicè, poteſt ex his rationibus allatis, conflari hæc vna ratio adæquata, & eſt quinta in ordine.

Omnis perfectio poſſibilis, eſt in primo ente per eſſentiam, ſed perfectio infinita non ſolùm non repugnat enti, ſed maximè apparet connexio infinitatis cum illo, ergo in ente per eſſentiam eſt infinita perfectio, & ex lumine naturali poteſt cognoſci eſſe talis. Maior huius ſyllogiſmi probatur, primò, quia non eſt vnde limitetur perfectio poſſibilis in Deo, non ex eo, quia reperitur in alio, quia habet eſſe irreceptum in alio, vt dicebat prima ratio; nec poteſt limitari à cauſa extrinſeca, quia eſt à ſe, vt dicebat tertia ratio, nec ex eo, quia illi non debetur, quia tota perfectio poſſibilis debetur primo enti per eſſentiam, vt dicebat quarta ratio Scoti, quia ſi eſt poſſibilis, neceſſe eſt eſſe, non enim poteſt habere cauſam, quia repugnat dari cauſam infiniti ſimpliciter, vt dictum eſt; Minor probatur.

Duo autem ſunt probanda in hac Minori, primò, quòd nullam inuoluat repugnantiam huiuſmodi infinitas, ſecundò, quòd appareat connexio infinitatis cum Deo, quod ſecundum ponitur ad ſoluendum argumentum Ochami, ſuprà factum contra Scotum; Primum patet ex his, quæ diximus initio huius Corollarij in ſecundo notabili, vbi ſoluimus omnes implicantias contra infinitatem Dei. 9.

Secundò verò quod erat probandum circa Minorem, aſſumptum illud erat, quòd non ſolùm non appareat repugnantia, ſed quòd appareat maxima connexio infinitatis in Deo, quod quidem ponitur ad ſoluendam inſtantiam, quam fecit Ocham ſuprà contra rationem Scoti: Sicut enim, dicebat Ocham, ex eo quia non videtur repugnare myſterium Trinitatis & incarnationis, non licet inferre, quòd euidenter cognoſcantur lumine naturali; ita non ex eo quia non apparet intellectui noſtro, repugnare infinitatem in Deo, ideo euidenter cognoſcitur illam eſſe dandam; ad ſoluendam, inquam, hanc inſtantiam, poſui in Minori aſſumptum, quòd non ſolùm nulla appareat repugnantia infinitatis Dei, ſed quòd maximè appareat connexio per lumen naturale, quæ quidem connexio non apparet nec in myſterio incarnationis, nec in myſterio Trinitatis; imò potiùs apparet oppoſitum; nam in myſterio incarnationis potiùs manuducimur ex effectibus inferioribus ad ponendam mutationem in Verbo aſſumente, ſicut in cæteris vnionibus, & in myſterio Trinitatis, nō habemus in creaturis, vnde manuducamur, imò non ſolùm manuducimur ex creaturis, ſed potiùs videmus oppoſitum; at verò in infinitate Dei aſſerenda, non ſolùm habemus in creaturis aliquod veſtigium infinitatis, vt patet in continuo, & in illo inani quod eſt ſuper extimã ſuperficiẽ cœli, ſed etiam habemus vnde appareat poſitiuè & intrinſecè maxima connexio infinitatis cum Deo. 10. Ocham. Scotus.

Primò, quia nos cogitamus Deum eſſe ſummum ens, quo maius excogitari non poteſt, vt dicebat Auguſtinus & Anſelmus; ſed quodlibet finitum, vt inquit Scotus, poteſt excedi, cùm habeat terminum cui poteſt fieri acceſſio, ergo ſatis conuenienter mouemur ad dandam infinitatem in Deo, cui per intellectum non poteſt fieri acceſſio. Auguſt. Anſel.

Secundò, quia ex creatione omnium poſſibilium euidenter concluditur, quòd in Deo potentia non ſit finita, ſed infinita, vt in præcedenti dubitatione probatum eſt, ergo ex creaturis manuducimur ad oſtendendum infinitatem Dei.

Concluditur ergo à priori, quòd in Deo ſit perfectio infinita, quia omnis perfectio poſſibilis debet eſſe in primo ente per eſſentiam, vt probatum eſt, perfectio autem infinita non ſolùm non repugnat, ſed maximam connexionem habet cum lumine naturali, vt oſtenſum eſt.

Digitized by Google

SEPTIMA QVÆSTIO THEOLOGICA CIRCA SEPTIMVM COROLLARIVM,

Quomodo immenſitas, ſeu præſentia Dei in omnibus rebus demonſtrari poſſit lumine naturali.

1. Supponẽdũ Deum eſſe vbique.

HOc Corollarium deducitur ex his, quæ dicta ſunt circa prædicamentum Vbi. A

SVPPONITVR tamquam certum de fide; Deum exiſtere in omnibus rebus, contra Manichæos, quos ex Catholicis videtur ſequutus Eugubinus ſuper Pſal. 138. (Eugub.)

Probatur primò ex ſcripturis.

Probatur primò ex ſcripturis cum communi expoſitione Patrum.

Ier. 23. Nazian. Hilar. Amb. Cyrill.

Primus locus eſt Ieremiæ 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Ita interpretantur hunc locum Nazianzenus 2. de Theolog. Hilarius in pſalmo 118. Ambroſius 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. & Cyrillus dial. 7. de Trinitate.

3. Reg. 8. Auguſt.

Secundus locus eſt 3. Regum 8. *Si enim*, inquit, *cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt*, &c. Ita Auguſtinus lib. de eſſen. diuinit. initiò. B

Iob. 11. Auguſt.

Tertius locus eſt Iob 11. *Excelſior cœlo es, profundior inferno*, &c. Ita interpretatur hunc locum Auguſtinus loco citato.

Pſal. 118. Hilar. Hier.

Quartus eſt Pſal. 118. *Propè es Domine.* Ita interpretatur Hilarius & Hieronymus.

Sap. 1. Nazian. Ambroſ. Gregor.

Quintus locus eſt Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Ita interpretatur Naziãzenus lib. 2. de Theolog. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto. Gregorius 2. moral. cap. 8.

Eſa. 40. Tertull. Hieron.

Sextus eſt Eſaiæ 40. *Menſus eſt cœlum palmo, & terram pugillo.* Ita explicat Tertullianus de Trinit. Hieronymus epiſtola 446.

Eſa. 66. Hier. Hilar.

Septimus locus eſt Eſaiæ 66. *Cœlum mihi ſedes eſt.* Ita Hieronymus & Hilarius in hunc locum. C

Deut. 4. Tertu. Hier. Auguſt.

Octauus locus eſt Deut. 4. *Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Ita Tertullianus 1. de Trinit. Hieronymus ſuper Eſa. 66. & Auguſtinus lib. de eſſent. diuinit. initiò.

Act. 17. Athan. Theod. Hilar. Hieron.

Nonus locus eſt Act. 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrûm*, &c. Ita Athanaſius contra Græcales. Theodoretus ſuper 1. ad Corinth. 15. Hilarius in Pſal. 118. Hieronymus in Eſa. 66.

2. Probatur ſecundò ex Patribus. Chryſ. Aug.

Secundò probatur ex Patribus, quia hanc veritatem dicunt eſſe de fide, præſertim Chryſoſt. homil. 5. in cap. 2. ad Coloſſ. Auguſt. in lib. contra epiſtolam Fundamenti cap. 16. contra Manichæos. Nec obſtant aliqua loca Sanctorum Patrum, in quibus dicitur Deum nõ eſſe in loco, ſicut eſt ille locus Auguſt. li. de eſſent. diuin. vbi dicitur Deus eſſe illocalis, & illè alius apud Athanaſ. in reſcrip. ad Liber. vbi dicitur Deus eſſe incomprehenſibilis loco; non, inquam, hæc, & alia huiuſmodi loca obſtant, quia ex modo loquendi tantùm ſignificatur, Deum debere dici eſſe potiùs cum loco, quàm in loco, ne ſi dicatur in loco, videatur concludi loco. Idem ferè dicit Philo in lib. de confuſ. lingu. Deum omnia implere, non contentum, quaſi concluſum loco, ſed vt continentem, & conſeruantem locum. Et hanc ſententiam Philonis communiter ſequuntur Patres. (Auguſt. Athan. Philo.) D

3. Probatur tertiò ex philoſophis. Tullius. Ariſt. S. Thom. Simplic.

Probatur tertiò ex communi Philoſophorum. Ita refert Tullius de Platone & de Ariſt. in 1. Academ. & idem Ariſtoteles 1. de part. animalium laudat Heraclitum dicẽtem, Deum vbique eſſe præſentem ſecundùm ſubſtantiam. Et ſi alicubi dixit Ariſtoteles vt 2. de gen. c. 10. & alibi, Deum eſſe in ſupremo cœlo, interpretandus eſt ſecundùm S. Tho. & Simpl. 8. phyſ. & Philoponum 1. de anima, quòd peculiari modo eſt in cœlo, quia efficaciùs ibi operatur.

Punctus quæſtionis.

Suppoſito igitur tamquam de fide, Deum eſſe in omnibus rebus ſecundùm præſentiam ſubſtantialem, controuerſia eſt inter Scholaſticos, quomodo hoc ſit demonſtrabile ratione naturali; & circa hoc variæ ſunt viæ dicendi, ſeu demonſtrandi.

4. Prima via demõſtrandi immenſitatem Dei. Scot. Baſſol. Ochã Gabr.

Prima via aſſerit non poſſe alia via demõſtrari immenſitatem Dei, ſeu præſentiam in omnibus rebus, quàm ex infinitate eſſentiæ, ad quam, inquiunt, conſequitur præſentia Dei in rebus, tamquam attributum ipſius eſſentiæ. Tribuitur Scoto in 1. diſt. 37. Baſſ. Ocham & Gab. ibidem.

Impugnatur. Act. 17. Athan. Theodor. Hilar. Hier.

Sed hæc via impugnatur, quia quamuis verum ſit, quòd immenſitas Dei demonſtrari poſſit ex diuina eſſentia, non tamen verum eſt, quòd alia via demonſtrari non poſſit, nam in ſcripturis addita communi expoſitione Patrum, probatur Deum eſſe immenſum, & præſentem in rebus, ex operatione ipſius Dei. Ita habetur Act. 17. vbi Paulus loquens de immenſitate Dei, qua præſens eſt rebus, dixit, *Non longè abeſt ab vnoquoque noſtrûm.* & ſubdens rationem, inquit, *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Et quidem interpretatio quam afferunt aliqui recentiores, quòd Deus non longè abeſt à nobis (vt ſcilicet, cognoſcatur à nobis, quia ex nobis ipſis cognoſci poteſt) non videtur conformis communi expoſitioni Patrum, qui locum hunc interpretantur de præſentia ſubſtantiali Dei in rebus. Ita Athanaſius contra Græcales. Theodoretus ſuper cap. 15. primæ ad Corinth. Hilarius in pſal. 118. Hieronymus in Eſa. 66. & communiter ſcholaſtici. Præterea probatur ex pſal. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades*, &c. & reddit rationem. *Etenim illuc manus tua deducet me*, &c. quibus verbis videtur ſignificare, quòd operatio habet connexam realem Dei præſentiam; Et hunc quidem locum Patres non de cognitione Dei, qua videt omnia, vt interpretãtur iidem recentiores, ſed de præſentia reali in rebus interpretantur, Hilarius, Hieronymus, & alij ibidem; & Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 7. Hieronymus epiſt. 146. Auguſt. lib. de fide ad Petrum cap. 7. & lib. de eſſent. diuinit. initiò. Cyrillus Alexandrinus dialog. 7. de Trinitate. & Bernardus in 1. de ſentent. capite quod incipit, Quatuor gradibus. Iſidorus præterea lib. 1. de ſummo bono, cap. 2. vbi ex creatione, & (Hilar. Hieron. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Cyrillus. Bernardus. Iſidorus.)

guber

Philo. Anſelm.

gubernatione, oſtendit præſentiam Dei ſubſtantialem in rebus, Anſelmus in monolog. cap.20. Philo lib. de confuſione lingu.

5. Secũda via.

Secunda via aliquorum recentiorum, aſſerentium præſentiam Dei in rebus demonſtrari ex operatione ipſius Dei, non quatenus operatio eſt ratio formalis, & fundamentum præſentiæ, vt volunt multi Thomiſtæ, ſed quatenus præſentia eſt conditio neceſſariò prærequiſita ad operationem. Citantur pro hac opinione Albert. in 1. diſt. 37. art. 1. quæſt. 1. Bonauent. ibidem diſt. 37. in 1. part. diſt. art. 1. q. 1. Riccard. ibidem art. 1. quæſtione 1. & alij; Sed iſti Doctores citati non ſatis ſe explicant, an præſentia ſit aliquid prærequiſitum ad operationem, vel potiùs conſequatur vt effectus formalis ad operationem, tamquàm ad rationem formalem.

Albert. Bonauent. Riccard.

Fundamentũ huius ſecundæ viæ.

Fundamentum huius viæ eſt, quia ex Ariſt. 7. Phyſic. cap. 2. habetur, quòd mouens, & motum debent eſſe ſimul, ergo multò magis Deus debet eſſe ſimul cum creatura, quia operatur immediatione virtutis, operatur enim virtute propria, & immediatione ſuppoſiti, quia à ſe ipſo ſine alia cauſa intermedia creat, & conſeruat continuo effectum.

6. Impugnatur hæc ſecũda via.

Sed hæc ſecunda via non eſt omnino efficax, & primò impugnatur à Scotiſtis; Deus, inquiunt, & Angelus agunt actione tranſeunti per intellectum, & voluntatem, tamquam per principium elicitiuum; ſed intellectus, & voluntas non requirunt indiſtantiam in operando, ergo, &c.

Prima impugnatio.

Sed hæc ratio non multùm vrget, poſſet enim dici, quòd intellectus, & voluntas reſpectu actionis tranſeuntis tam in Deo, quàm in Angelo, non ſint principia immediatè elicitiua, ſed tantùm applicatiua potentiæ executiuæ, quod ex eo patet, quia alioquin ſequeretur, quòd poſſet Angelus agere in omnem diſtantiam, quod quidem eſt falſum, ſicut poteſt ferri in obiectum cognitum ſeu volitum in quacumque diſtantia.

7. Secunda impugnatio.

Impugnatur igitur ſecundò efficaciùs, ante creationem non præſupponitur paſſum, cum quo coniungatur iſta præſentia Dei tamquam conditio præuia ad operationem, præſertim ſecundùm iſtos Doctores, qui negant dari ſpatia imaginaria, ſeu interualla inania à parte rei, & tamen Deus operatur creando, ad hanc igitur operationem potiùs conſequitur præſentia Dei in re creata, quàm antecedat tamquam conditio prærequiſita.

8. Tertia impugnatio à priori.

Tertiò impugnatur à priori, quia illud principium Philoſophicum de propinquitate agentis ad paſſum, in quo nititur hæc ſecunda via, non videtur ſatis ſolidum, illud enim aſſumit Ariſtot. in agente finito, & limitato, ex cuius finitudine prouenit, vt ſit neceſſaria propinquitas agentis ad paſſum, Deus autem, quia eſt infinitus, nõ indiget propinquitate.

Quòd verò propinquitas agentis ad paſſum, non perueniat ex natura cauſalitatis; ſed ex limitatione agẽtis, probatur; Primò, quia Angelus poteſt operari in locum diſtantem immediatione ſuppoſiti; quod probatur primùm authoritate, nam præterquam quòd admittunt multi Thomiſtæ, inter quos Erueus in tract. de motu Angel. quæſt. 1. & Scotiſtæ, & Nominales, admittunt etiam veteres Philoſophi, Auicen. in libro de anima ſect. 4. cap. 4. Alex. 1. metaphyſ. comment. 18. & alij; Probatur ſecundò ratione, nam quò perfectior eſt Angelus, eò poteſt agere in magis diſtans.

Erueus. Auic Alex.

Probatur ſecundò, quia aliquando agens corporeum poteſt immediatione ſuppoſiti agere in ſpatium diſtans, ergo multò magis Deus: Antecedens tenent multi Philoſophi, & probatur multis experientiis; Probari autem ſolet illis experientiis, in quibus agens producit effectum in extremo, quem non producit in medio; Sed huiuſmodi experientiæ non ſatis probant, quia poſſet dici, quòd medium nõ recipit illum effectum, quem recipit extremum, quia non eſt diſpoſitum, recipit autem aliquam actionem præuiã, qua mediãte producit in extremo effectum aliquem ad quem eſt diſpoſitũ extremum.

Probatur igitur aliis experientiis, & prima experientia eſt, ſi agens corporeum non ageret in diſtans immediatione ſuppoſiti, non poteſt aſſignari ratio, quare partes agentis, quæ ſunt remotæ à paſſo, concurrerent ad actionem, & tamen experimur illas concurrere, quia effectus velociùs producitur, & intenſiùs. Quòd ſi dicas, partes remotas adiuuare propinquas, Contrà, quia ſi agens tripalmare eſt totum vniformiter calidum, vt octo, non poteſt primus palmus aliquid influere in ſecundum. Dicendum eſt igitur, quòd primus palmus agat immediatione ſuppoſiti ſimul cum aliis, & ideo effectus producitur velociùs & intenſiùs, quàm ſi produceretur à tertio palmo tantùm. 9. Prima experientia.

Secundò, quia experientia docet, ignem potiùs immutare paſſum ſibi propinquum è regione, quàm à latere, quamuis tale paſſum æquè ſit propinquum medio; ſignum eſt igitur, tale agens ſua virtute immediatè attingere paſſum poſitum è regione. 10. Secunda experientia.

Tertiò experimur, quòd ſi inter manum calefactam ab igne, & ipſum ignem interponatur tabula, non ſentitur in manu ille calor, qui priùs ſentiebatur, & quidem ſi ignis ageret tantùm immediatione virtutis recepta in aëre, deberet ſentiri idem calor, nam adhuc interpoſita tabula inter ignem, & manum, aër intermedius haberet eundem calorem, quia calor receptus in aëre, non dependet in conſeruari ab igne, ſi igitur non ſentitur idem calor, ſignum eſt quòd ignis agebat in manu immediatione ſuppoſiti. 11. Tertia experientia.

Poſſet aliquis ad hanc experientiam reſpondere, quòd ab igne immittuntur in manum ſpecies intentionales à toto igne tripalmari, quæ ſpecies repræſentant totum calorem ignis tripalmaris, verbi gratia calorem vt quinque, quamuis in manu realiter non ſit niſi calor vt duo, & hæ quidem ſpecies quoniam dependent in conſeruari ab igne, ideo interpoſita tabula corrumpuntur, ac proinde non ſentitur calor, niſi ille, qui repræſentatur per ſpeciem immiſſam ab aëre calefacto, qui eſt vt duo. Sed contrà, quia hæc reſponſio habet maiorem difficultatem, quàm ſi dicatur, ignem agere immediatione ſuppoſiti, tum quia in tactu, vt multi tenent, non requiruntur ſpecies intentionales, quia ipſe calor eſt intimè vnitus cum tactu; ſpecies autem datur propter abſentiam obiecti: tum quia ſpecies intentionalis in tactu, non repręſentat plus caloris, quàm ſit calor in ipſo tactu; ſicut enim ſi nullus calor eſſet in tactu, non poſſet ſpecies repræſentare calorem, ita neque plus caloris, quia ſicut calor ſe habet ad ſimpliciter, ita ſe debet habere ad ſecundùm quid.

Sed contra hoc tertium argumentũ ſumptum ex limitatione agentis, inſtant authores ſecundæ viæ; Primò, quia ipſa forma ad ſuũ effectũ formalem, requirit præſentiã, & vnionẽ cum materia, ergo idem dicendum eſt de agente naturali. Reſpondetur eſſe diuerſam rationem de forma, & de agente naturali, nam forma dat ſe ipſam, & ideo indiget pręſentia, & vnione, cum materia, ſicut à ſimili Verbum neceſſariò debet eſſe præſens ſecundùm ſubiectam materiam humanitati, cum qua vnitur hypoſtaticè, quod quidem concedunt in vnione hypoſtatica etiam illi, qui negant Deum eſſe pręſentem in rebus ex operatione, quia eſt maior, & arctior coniunctio Ver- 12.

thegorematicè ſeu inſtantanea, non poteſt argui euidenter virtus cathegorematicè infinita.

Prima ratio aliorum.

Probatur, & PRIMO probant aliqui recentiores; quia, inquiunt, inter motum in inſtanti, & motum in tempore quocumque determinato, non eſt diſtantia infinita, ſed tantùm differunt ſicut duæ ſpecies, ergo ex velocitate motus inſtantanea, non poteſt argui virtus infinita, quia ſicut velocitas inſtantanea, non diſtat infinitè, à velocitate in tempore, ita proportionaliter virtus potens ſuper velocitatem in inſtanti, non diſtabit infinitè à virtute potenti ſuper velocitatem motus in tempore, quæcumque illa ſit. Antecedens aliqui doctiſſimi recentiores ſupponunt tamquam certum, & breuiter ſic probant, quia, inquiunt, augmentum à velocitate in tempore, ad velocitatem in inſtanti, fit per partes proportionales, non ergo poteſt eſſe diſtantia velocitatis infinitæ ſimpliciter. Et confirmari poteſt, quod dicunt iſti Doctores, ex Ariſt. 4. Phyſic. tex. 72. vbi Ariſtoteles ex diminutione corpulentiæ per partes proportionales, vſque ad non gradum corpulentiæ, calculat aliud extremum, ſcilicet virtutem motiuam, ſecundùm velocitatem motus, vſque ad inſtans, per partes etiam proportionales temporis, vſque in infinitum, quare Ariſtoteles non vtitur calculatione per partes proportionales, ex parte vnius extremi, aſcendendo per partes æquales alterius extremi in infinitum, ſed per partes proportionales: At verò cùm in caſu noſtro ex velocitate motus, vſque ad inſtans incluſiuè, calculetur virtus infinita, tunc ex diminutione vnius extremi per partes proportionales, fit augmentum ad virtutem infinitam, per partes æquales, qui modus calculãdi videtur improportionatus.

Ariſt.

9. Sed hæc probatio non videtur efficax, nam aliquando ex diminutione per partes æquales obiecti, deuenitur ad augmentum infinitum in potentia actiua, per partes proportionales; Exemplum eſt Ariſtotelis expreſſum de ſen. & ſenſili cap. 6. vbi ex diminutione per partes proportionales obiecti viſibilis, v. g. palmaris, vſque ad non gradum ſuum, id eſt vſque ad non extenſum, ſiue vſque ad punctum intrinſecè, ſiue extrinſecè vſque ad extenſum, ſcilicet minus & minus in infinitum, calculat aliud extremum, ſcilicet, virtutem viſiuam creſcere debere per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum, id eſt infinitum.

Cõfirmatur prima ratio.

10. Sed quæres, quare aliquando ex diminutione per partes proportionales vnius extremi, deuenitur ad augmentum, vſque ad omnem gradum alterius extremi, per partes proportionales, vt patet in exemplo ſuprà allato de diminutione corpulentiæ, vſque ad augmentum velocitatis infinitæ, hoc eſt inſtantaneæ, aliquando verò ex diminutione vnius extremi per partes proportionales, deuenitur ad augmentum alterius extremi, vſque ad omnem gradum, per partes æquales, vt patet in exemplo ſuprà allato de obiecto viſibili, & potentia viſiua.

Reſpondeo, hoc quæſitum eſſe valde difficile, & nemo quem viderim, ex profeſſo tractat, tangit tamẽ illud Caiet. 1. part. quæſt. 45. art. 5. Mihi videtur hæc reddenda ratio quòd quotieſcumque diminutio per partes proportionales vnius extremi, vſque ad non gradum ſuum, æquiualet augmento alterius extremi per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum, tunc poteſt fieri calculatio per diminutionem vnius extremi per partes proportionales, ad augmentum alterius extremi per partes æquales, vſque ad omnem gradum ſuum; tunc autem diminutio vnius extremi per partes proportionales, æquiualet augmẽto alterius extremi per partes æquales; quando per diminutionem per partes proportionales deuenitur vſque ad non gradum ſuum, improportionatum alteri extremo, tunc enim idem eſt, ac ſi diminutio fieret per partes æquales. Et hanc quidem reſponſionem colligo ex vno verbo, quod ſatis ſubtiliter protulit Caietanus prima parte quæſt. 45. loco citato, (ſufficit, inquit, ad huiuſmodi calculationes veritas conditionalium,) ac ſi diceret, ad noſtrum propoſitum, cum obiectum, v. g. extenſum palmariter diminuitur per partes proportionales vſque ad punctum, tunc deuenitur ad ipſum punctum improportionatum potentiæ viſiuæ, ex qua improportione oritur, quòd in potentia viſiua requiratur maior, & maior virtus, ad videndum minus, & minus extenſum. Quòd autem per calculationem deuentum fuerit ad punctum per partes proportionales, pro eodem eſt, ac ſi deuentum fuiſſet per partes æquales, ſuppoſita conditionali, quòd, ſcilicet, extenſum haberet partes æquales infinitas, vſque ad punctum, & per diminutionem illarum deueniretur ad illud punctum.

Concludo igitur contra iſtos Doctores, quòd ex velocitate maiori, & maiori vſque ad inſtantaneam incluſiuè, diminuendo tempus per partes proportionales, calculari poteſt virtus motiua, vſque ad omnem gradum, creſcens per partes æquales, ſcilicet infinitè, quia tota ratio improportionis inter potentiam motiuam, & velocitatem motus, deſumitur ex approximatione ad inſtans.

11. SECVNDO probatur eadem concluſio ab aliis, negando poſſe dari velocitatem inſtantaneam, & conſequenter ex illa non poſſe calculari virtutem motiuam infinitam; quòd autem repugnet dari velocitatem inſtantaneam in motu, probant.

Secunda ratio aliorum.

Primò, quia ſucceſſioni, quæ eſt intrinſeca motui, repugnat eſſe inſtantaneam.

Secundò, quia in eodem inſtanti, mobile acquireret, & deperderet ſpatia intermedia, quod repugnat.

Tertiò, quia ſi cœlum moueretur in inſtanti, eſſet mutatum, & non mutatum; eſſet mutatum per poſitionem ſuam; & non eſſet mutatum, quia ipſum totum, & quælibet pars eius, eſſet ſemper in loco eodem, in quo fuit priùs.

12. Sed neque hæc probatio eſt bona, nam nulla eſt implicantia, quòd motus fiat in inſtanti, vt fusè probaui in primo tomo, in primo principio philoſophico, corollario decimoſexto.

AD implicantias autem reſpondetur; & ad primam dicitur, quòd in motu inſtantaneo non eſſet ſucceſſio, nec eſt de intrinſeca ratione motus ipſa ſucceſſio, vt motus eſt, ſed vt talis motus eſt, & quicquid ſit de vocabulo, ſufficit ad propoſitum noſtrum, quòd ſit mutatio inſtantanea localis.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd mobile vel poſſet moueri de extremo ad extremum ſine medio, vel poſſet poni ſimul in omnibus ſpatiis intermediis; hæc autem nec repugnant fieri, in corpore moto per potentiam diuinam, ſicut naturaliter non repugnat Angelum moueri vtroque modo, vt loco citato probabimus. Quòd ſi dicas, hæc potiùs eſſet replicatio corporis, quàm motus. Reſpondetur, habere rationem replicationis, quatenus idem corpus poneretur in duobus locis; at verò haberet rationẽ veri motus, quatenus hoc corpus acquireret per hunc motum Vbi, quod priùs non habebat; per accidens autem eſt ad rationem eſſentialem motus, quòd corpus remaneret in priori Vbi, vel ſit in aliis Vbi intermediis.

Ad

Digitized by Google

Ad tertiam reſpondetur, quòd quamuis cœlum ſit in eodem inſtanti in loco, in quo priùs erat, ſufficit tamen, quòd ſit in loco, in quo priùs non fuit; ſicut poteſt corpus exiſtens in Oriente, poni in Occidente, non recedendo ab Oriente; ſic in propoſito, quamuis cœlum eſſet in inſtanti, & omnes partes eius in eodem loco, nihilominus ipſum, & quælibet pars eius in eodem inſtanti, eſſet in illo loco, in quo priùs non erat; quod quidem non repugnat fieri per penetrationem; in illo autem caſu omnes partes cœli ſe inuicem penetrarent; penetrationem autem non repugnare ſupponimus ex philoſophia, & ideo non eſt verum, ipſum cœlum non fuiſſe mutatum.

13. *Verior probatio huius cõcluſionis.*

Probatur igitur Tertio veriùs hæc ſecunda concluſio ex dictis ſupra, & dicendis infrà, quòd verum eſt ex velocitate motus maiori, & maiori vſque ad inſtantaneam incluſiuè, augeri virtutem per partes æquales vſque in infinitum, ſiſtendo ſemper in virtute inferioris ordinis, per additionem eiuſdem virtutis ad virtutem; at verò cùm peruenitur ad virtutem ſuperioris ordinis, qualis eſt illa Dei, quæ eſt purus actus, ceſſat calculatio, quia non poteſt fieri ampliùs additio eiuſdem virtutis ad virtutem, & ideo ex calculatione non poteſt argui virtus infinita in Deo; quare ex hac calculatione probari poteſt ad ſummum, quòd Deus ſit actus purus, ſuppoſito, quòd etiamvin Angelo, qui eſt ſubſtantia ſpiritualis, requiratur virtus maior, & maior, ad mouendum corpus velociùs, & velociùs; ex actu autem puro argui poteſt poſtea per alium diſcurſum infinitas Dei, vt infrà dicemus in fine huius quæſtionis.

QVARTA DVBITATIO.

An ex perpetuitate motus, tamquam ex effectu, primò & per ſe, probetur infinitudo intenſiua in Deo.

1. *Prima ſententia.*

AFFIRMAT Caietanus in tertio opuſculo de infinitate Dei. Pro ſuæ autem ſententiæ explicatione notat, quòd perpetuitas motus, ſicut & alia quantitas, dupliciter imaginari poteſt, quòd fiat ab aliqua virtute, vno modo per ſe primò, alio modo non per ſe primò: Per ſe primò eſt, quando cauſa cauſat effectum ex vi propriæ, & intrinſecæ perfectionis, & tunc per ſe primò reſpicit illum effectum: non per ſe autem primò, inquit, quando non ex ratione propriæ potentiæ, ſeu agentis, ſed ex conditione ſibi annexa cauſat effectum, & tunc reſpicit effectum per accidens. *Explicatur.*

His poſitis dicit, quòd Deus cauſat perpetuitatem motus in cœlo, vt cauſa perpetuitiua, ex vi propriæ & intrinſecę perfectionis, atque adeò reſpicit perpetuitatem in motu per ſe primò, tamquam effectum propriũ, quia perpetuitas eſt aliquis effectus, & ſpecies diſtincta quantitatis: debet ergo dari cauſa, quæ per ſe primò cauſet hunc effectum; hæc autem eſt Deus. Aliæ verò intelligentiæ cauſant perpetuitatem motus in cœlo, ex perpetuitate, tamquam conditione ſibi annexa; Et exemplificat in calore; Calor, inquit, vt octo, cauſat calorem, vt octo, per ſe primò, tamquam effectum proprium propriæ, & extrinſecæ perfectionis ipſius caloris agentis, vt octo; Si verò iſte agens calor vt octo, duret in calefaciendo per annum, cauſat durationem in motu calefactionis per annum; ſi verò duret per diem, cauſat per diem; hic autem effectus A durationis per annum, ſiue per diem, non eſt effectus per ſe primò caloris vt octo, ſed prouenit ex calore vt octo, ex conditione quadam ſibi annexa, quia ſcilicet calor vt octo, durat per annum, ſiue per diem; & hæc quidem conditio concomitatur effectum proprium caloris, qui eſt calefactio, vnde ſi calor agens infinito tempore duraret, infinito tempore calefaceret; ſicut intelligentia motiua orbis lunæ, quia æterno tempore durat, æterno tempore mouet.

His notatis dicit, quòd perpetuitas, cùm ſit ſpecies diſtincta quantitatis, debet habere ſuam perfectionem intenſiuam; hæc autem non poteſt eſſe alia, niſi maior, & maior duratio; ſicut in calore B maior, & maior calor, eſt perfectio intenſiua caloris; ſi igitur duratio eſt æterna, habet perfectionem infinitam intenſiuam, ergo talis duratio non poteſt eſſe effectus per ſe primò, niſi cauſæ infinitè perfectæ, vt patet calculando; His tamen non obſtantibus ſit

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

2. *Vnica concluſio.*

EX perpetuitate motus, quæ cauſatur à Deo, vel eſt cauſabilis in motu cœli, non poteſt colligi virtus infinita intenſiuè in Deo.

Probatur primò.

Suarius probat in metaph. diſput. 30. ſect. 2. ſatis C ſubtiliter contra Caietanum, quia, inquit, perpetuitas non eſt effectus per ſe primò virtutis Dei, niſi ex annexa conditione; & probat, nam alioquin ſequeretur, quòd ſi per impoſſibile, daretur talis virtus in Deo infinitè intenſa, & duraret tantùm per inſtans noſtri temporis, ſequeretur, inquit, quòd illa eſſet potens ad mouendum cœlum infinito tempore, quod eſt manifeſtè falſum; Patet ſequela, quia poſita cauſa efficienti, ponitur effectus, patet igitur, quòd ſi in virtute motiua infinita, requiritur duratio infinita, illa requiratur tamquam conditio annexa, ſicut requiritur in virtute finita.

3. *Secũda probatio à priori.*

Secundò probari poteſt à priori, ſed priùs pro explicatione notandum eſt, quòd in duratione in- D finita Dei, datur intenſio, & datur extenſio; intenſio non eſt maior, & maior duratio, vt ſupponit Caietanus, ſed eſt duratio cui repugnat principium, & finis, vt tenet communior, & verior opinio; extenſio verò eſt illa duratio infinita actualis. Hoc poſito dico, quòd non poteſt ex perpetuitate cauſata in motu, argui virtus intenſiuè infinita in Deo, quia illa perpetuitas motus, non dicit intenſionem durationis, vt dictum eſt, ſed extenſionem actualem, vnde non opus eſt vt ſit à Deo, tanquam effectus per ſe primò, ſed ex conditione annexa, tunc autem eſſet effectus proprius ex vi intrinſecæ perfectionis virtutis perpetuitiuæ, quando cauſaretur ef- E fectus, cui repugnaret principium & finis in duratione, quod eſt impoſſibile dari, & ideo ex perpetuitate motus non poteſt argui virtus infinita intenſiuè in Deo, ſed tantùm duratio infinita.

QVINTA DVBITATIO.

Vtrùm ex creatione præciſè ſeu ex modo producendi ex nihilo, argui poſſit infinitudo in Deo.

1. *Prima ſententia. Ricc. Henr. Dur. Caiet.*

RESPONDET affirmatiuè Riccardus in 2. diſt. 1. art. 4. Henricus quodlibeto 4. quæſt. 37. Durandus ibidem, Caietanus 1. parte quæſt. 45. art. 5.

Digitized by Google

Primum argumentum. Probat primò Héricus, Inter ens, & nihil, inquit, A eſt diſtantia infinita, ergo ad creandum requiritur virtus infinita: quòd autem inter ens, & nihil ſit diſtantia infinita, probatur primò, quia contradictio, vt contradictio, ſe extendit ad quamcumque maximam diſtantiam, nam extremum negatiuum negat, extremum poſitiuum opponendo ſe in infinitum, quicquid non eſt extremum poſitiuum.

Secundũ argumentum. Secundò probatur, Inter contradictoria eſt æqualis diſtantia, quia ita eſt impoſſibile vnum contradictorium, ſicut & alterum; ſed inter aliqua contradictoria datur diſtantia infinita, vt inter Deum, & non Deum, ergo etiam inter omnia alia contradictoria datur diſtantia infinita.

Tertium argumentum. Tertiò, Maior eſt diſtantia inter aliquod poſi- B tiuum, & negatiuum, quàm inter duo poſitiua, quia inter duo quæcumque poſitiua, non eſt illa improportio, quæ eſt inter negatiuum, & poſitiuum, ſed inter duo poſitiua poteſt eſſe diſtantia infinita, vt inter Deum, & hominem, ergo inter poſitiuum, & negatiuum eſt diſtantia infinita, vt inter hominem, & non hominem, &c.

2\. *Quartum.* Quartò probant alij ex improportione nullius potentiæ paſſiuæ, ad aliquam potentiam paſſiuam ſic arguendo: Virtus potens ſuper aliquam potentiam, eſt improportionata virtuti potenti ſuper nullam potentiam, ergo virtus potens ſuper nullam potentiam eſt infinita. Antecedens probatur, quia ex improportione primorum extremorum ſequitur C improportio ſecundorum extremorum; ſed prima extrema, nulla ſcilicet potentia, & aliqua potentia, ſunt improportionata, quia vnum eſt negatiuum, alterum poſitiuum, ergo & ſecunda extrema, virtus ſcilicet potens ſupra nullam potentiam, erit improportionata virtuti ſuper aliquam potentiam. Conſequentia probatur, quia magis diſtat nulla paſſiua potentia, ab aliqua potentia paſſiua, quàm diſtet potentia paſſiua infinita à potentia paſſiua finita; ſed potentia paſſiua infinita diſtat à finita infinitè, ergo nulla potentia paſſiua diſtat ab aliqua potentia etiam infinitè.

3\. *Quintum. Caiet. Henric.* Quintò Caietanus 1. parte quæſt. 45. loco citato, D infinitatem Dei demonſtrat ex creatione, non quidem ex ratione facti, vt dicebat Henricus, exiſtimat enim cum Scoto, & Durando, eſſe diſtantiam finitam, neque præcisè ex improportione extremorum alicuius potentiæ, & nullius potentiæ, vt dicebant alij in quarto argumento, ſed ex modo faciendi, & ferè coincidit cum quarto argumento.

Regula proportionũ, & improportionum ex Ariſt. 4. phyſic. Probat autem ex illa regula Peripatetica 4. Phyſic. tex. 72. quam ſic format. Quando, inquit, ſunt duo extrema ita ſe habentia, vt quantùm vnum minuitur, tantùm alterum creſcat proportionaliter, & è conuerſo; ſi vtrumque multiplicatum ponatur, & combinetur, ita vt quælibet combinatio conſtet ex vno vnius, & altero alterius extremi, ſi vnum ponatur diminui, vſque ad non gradum ſuum, & al- E terum creſcet ſuper omnem gradum ſuum, id eſt, infinitum; Et ſicut inter diminutum vſque ad non gradum, & alterum retinens gradum, nulla eſt proportio; ita inter duo reliqua creſcentia, nulla eſt proportio: quæ regula ſic applicatur propoſito: Potentia paſſiua, & virtus agens, ita ſe habent, vt quantùm minuitur de potentia paſſiua per maiorem elongationem ab actu, tantùm creſcat virtus agens, v. g. maior virtus requiritur in agente, ad lignum viride magis exſiccandum, quàm ad exſiccandum ſemiſiccum, quia viriditas magis elongatur ab actu ignitionis; ſi igitur multiplicetur vtrumque extremum, potentia, ſcilicet, paſſiua ligni, & virtus agens, & ponamus duas potentias paſſiuas, & duas virtutes agentes, prima potentia paſſiua ſit (A) & virtus agens correſpondens ſit (B) alia potentia paſſiua ſit (C) & virtus agens correſpondens ſit (D), ſi potentia paſſiua (A) minuatur vſque ad non gradum ſuum, ita vt nulla remaneat potentia paſſiua, tunc virtus actiua (B) creſcet in infinitum; At verò ſi potentia paſſiua (C) minuatur vſque ad gradum determinatum, virtus actiua (D) creſcet etiam vſque ad gradum determinatum, atque adeò virtus agens (B) & virtus agens (D) erunt improportionabiles, quia prior eſt aucta in infinitum, poſterior eſt finita, nam alioqui ſequeretur, quòd virtus (B) potens ſuper potentiam (A) nullum retinentem gradum, & virtus (D) potens ſuper potentiam (C) retinentem determinatum gradum, eſſent æquales, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, virtus (B) producens ex nulla potentia (A) per te eſt finita, ſit igitur vt centum, & virtus (D) potens ſuper potentiam (C) retinentem gradum ſit in decuplo minor, & ſit vt decem, tunc vlteriùs minuatur potentia paſſiua (C) in decuplo, creſcet etiam proportionaliter virtus agens (D) in decuplo, & tunc erit vt centum adæquata virtuti (D) ergo virtus (B) agens ex nulla potentia, & virtus (D) agens ex aliqua potentia, erunt æquales; quod erat probandum tamquam abſurdum.

Et confirmatur ex Ariſtotele 4. Phy. vbi ex hac regula probat motum in pleno, & motum in vacuo, eſſe improportionabiles, quia ex diminutione corpulentiæ ſpatij vſque ad non gradum, deuenitur ad velocitatem motus in infinitum ſcilicet in inſtanti. His tamen non obſtantibus ſit *Cõfirmatio. Ariſt.*

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

Dicendvm eſt cum Caiet. & aliis, & colligitur ex S. Thoma prima parte quæſtione 25. artic. 2. ad ſecundum & tertium, non probari euidenter infinitatem Dei ex creatione præcisè; dixi (præcisè) quia ex creatione omnium poſſibilium poteſt demonſtrari, vt infrà videbimus. 4. *Vnica concluſio. Caiet.*

Probant 1. hanc conclu. Scot. & Dur. locis ſuprà cit. Extremum negatiuũ, inquiunt, non diſtat à poſitiuo, niſi deficiendo, non autem plus deficit extremum negatiuum ab extremo poſitiuo, quàm poſitiuum illud ponat; ſed poſitiuum in creatione eſt finitum, ergo negatiuum, quod eſt terminus à quo in creatione, non poteſt diſtare niſi finitè. Maior probatur à Durando, & Scoto; quando diſtantia inter extrema eſt immediata, tunc tanta eſt præcisè diſtantia extremorum, quantò vnum extremum eſt maius altero, quia dum medium non eſt inter extrema, non poteſt dari alia diſtantia, niſi per exceſſum vnius extremi ſuper alterum, ſecus verò quando extrema ſunt mediata, tunc enim diſtantia ſumitur ex medio interiacente; ſed inter poſitiuum, & negatiuum diſtantia non eſt mediata, ſed immediata; quia ſecundùm Philoſophum 1. Poſt. contradictio eſt oppoſitio, cuius ſecundùm ſe non eſt medium, ergo extremum poſitiuum, non poteſt excedere extremum negatiuum, niſi quantum ipſum eſt, ipſum autem non eſt niſi finitum, quia eſt creatum, ergo non bene colligitur, ex eo quòd Deus creat ens ex nihilo, quòd creet ex diſtantia infinita; & conſequenter non bene colligitur, quòd Deus ſit virtutis infinitæ in creando. *Prima ratio. Scot. Dur.* *Philoſoph.*

Secundò probat idem Durandus, quia illud nihil, quod implicat contradictionem, habet maiorem diſtan 5. *Secũda ratio Durãdi.*

Digitized by Google

diſtantiam, quàm illud nihil, quod poteſt eſſe terminus à quo, ergo inter nihil tamquam terminum à quo, & ſumm terminum ad quem, non erit diſtantia maxima, quæ poteſt dari.

6. Tertia ratio.

Tertiò probatur, quia argumenta, quæ ducuntur ex variis calculationibus ad probandum oppoſitum, non ſatis conuincunt, vt mox oſtendetur ex ſolutione argumentorum.

7. Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. Inter contradictoria datur diſtantia.

Reſpondetur, ad primum, negatur quòd non poteſt maior diſtantia intelligi, quàm ſit illa, quæ eſt inter duo contradictoria, quæcumque ſint illa, nam in vna contradictione poteſt eſſe maior diſtantia, quàm in alia, nam v. g. inter Deum, & non Deum, eſt maior diſtantia, quàm inter hominem, & non hominem; Et ratio patet ex dictis, nam exceſſus Dei ſuper non Deum, eſt infinitus, exceſſus autem hominis ad non hominem, eſt finitus. Et cùm dicitur, quòd contradictio, vt contradictio, ſe extendit ad quamcumque maximam diſtantiam, intelligi debet ſecundùm ſe, non quidem poſitiuè ſed permiſſiuè, quia poteſt dari contradictio, quæ ſe extendit ad maximam diſtantiam, vt eſt Deus, & non Deus.

8. Ad ſecundū.

Ad ſecundum cùm dicitur (omnia contradictoria ſunt æquè impoſſibilia, ergo æquè diſtantia,) conceditur antecedens, ſed negatur conſequentia; Et ratio eſt, quia impoſſibilitas ſumitur præciſè ex incompoſſibilitate terminorum: at verò diſtantia ſumitur ex ipſa entitate extremi poſitiui, vt dictum eſt.

9. Ad tertium.

Ad tertium reſpondetur, negando quòd inter duo extrema poſitiua, non poſſit eſſe maior diſtantia, quàm ſit inter extremum poſitiuum, & negatiuum, nam inter Deum, & hominem, eſt maior diſtantia, quàm inter hominem, & non hominem; Et ratio eſt, quia inter Deum & hominem, interiacet tamquam diſtantia intermedia, exceſſus omnium creaturarum poſſibilium ſupra hominem, qui eſt infinitus ſyncathegorematicè, & præterea eſt exceſſus Dei ſupra hominem, qui quidem exceſſus eſt infinitus cathegorematicè; at verò inter hominem, & non hominem, non eſt diſtantia niſi per exceſſum hominis ſupra non hominem, vt dictum eſt ſuprà, hic autem exceſſus eſt finitus, quia tantus eſt, quantus eſt homo, eſt autem homo finitus.

10. Ad quartū. Prima reſpōſio Scoti cōfutatur.

Ad quartum reſpondent primò Scotiſtæ ex Scoto in 4. diſtinct. 49. quæſt. 10. & diſtinct. 1. quæ. 1. negando conſequentiam, exiſtimant enim ex improportione primorum extremorum, nullius potentiæ paſſiuæ, & alicuius potentiæ paſſiuæ, non ſequi improportionem inter virtutem agentem ſuper illa extrema; Et ratio eſt, quia in primis extremis improportio fundatur in negatiuo, & poſitiuo, at verò virtutes, quia ſunt ambæ poſitiuæ, non poſſunt, inquiunt, fundare improportionem; quia ad eam fundandam, requiritur, vt vna virtus ſit finita, & altera infinita; ſicut, inquiūt, extenſio, & punctū, ſunt improportionata, & tamen virtus potens intueri punctum, cuiuſmodi eſt intellectus Angelicus, & virtus potens intueri quantum extenſum, cuiuſmodi eſt potentia viſiua noſtra, non ſunt improportionata, exiſtimat enim Scotus locis citatis, duo extrema poſitiua, non poſſe eſſe improportionata, niſi quando vnum ex illis eſt infinitum, & alterum finitum.

Sed hæc reſponſio Scoti non placet; quia inter duo extrema poſitiua, etiam ſi ſint finita, poteſt eſſe improportio, quando vnum eſt ſuperioris ordinis, & aliud inferioris. Exemplum allatum de extenſo, A & puncto, potiùs fauet nobis; nam virtus viſiua potens ſolùm cognoſcere rem extenſam, eſt improportionata virtuti intellectiuæ Angelicæ, potenti cognoſcere intuitiuè punctum, quia vna eſt materialis, & altera ſpiritualis; quòd autem maior improportio ſit inter virtutem finitam ſuperioris ordinis, & virtutem finitam inferioris ordinis, quàm inter vnam virtutem infinitam, & alteram finitam eiuſdem ordinis, mox infrà oſtendetur.

11. Secunda reſponſio verior.

Secundò igitur reſpondetur, negando conſequentiam; Et ad probationem ipſius reſpondetur concedendo, magis diſtare nullam potentiam paſſiuam ab aliqua potentia paſſiua, quàm potentiam paſſiuam finitam, à potentia paſſiua infinita; ſed B hinc non ſequitur, vt falsò deducebatur ab arguente, nullam potentiam paſſiuam diſtare infinitè ab aliqua potentia paſſiua finita, quia ad improportionem ſufficit aliquando diſtantia finita; quando vnum extremum eſt in ſuperiori ordine, & alterum in inferiori, & ſic eſt in caſu noſtro; nam productio ex nulla potentia paſſiua, eſt in ſuperiori ordine, quia ad illam requiritur agens omnino eleuatum à materia; ad producendum autem ex aliqua materia, ſufficit agens materiale magis, & minùs perfectum.

Quòd autem maior improportio ſit inter virtutem agentis finitam ſuperioris ordinis, & virtutem finitam inferioris ordinis, quàm ſit inter virtutem agentis finitam, & infinitam in eodem ordine C inferiori, probatur, quia virtus finita inferioris ordinis ſaltem per additionem infinitam partium æqualium eiuſdē virtutis, peruenire tandem poteſt ad infinitatem, & tamen adhuc illa virtus inferioris ordinis aucta in infinitū, non poteſt attingere intrinſecè virtutem altioris ordinis, quæ vlteriùs tranſcendit ſupra infinitatem inferioris ordinis, v. g. ſi virtus ſenſitiua augeretur in infinitum intra ordinem ſenſitiui, ſemper adhuc erit immerſa materialitati, ſuper quem ordinem tranſcendit virtus intellectiua, præſertim Angelica, quæ eſt eleuata à materia; ex quo fit vt virtus ſenſitiua adhuc infinita inferioris ordinis, operetur eodem modo intra ordinem inferiorem, ac virtus ſenſitiua finita, vtraque enim cognoſcit D obiectum materiale per ſpecies materiales receptas à corpore; At verò virtus intellectiua, præſertim Angelica, quantumuis finitè minima, cognoſcit diſtinctè obiectum ſpirituale, & etiam materiale, modo quodam immateriali, & ſpirituali.

Concluditur igitur, quòd ex improportione nullius potentiæ paſſiuæ ad aliquam potentiam paſſiuam non probetur, aut calculetur, quòd virtus potens producere ex nulla potentia paſſiua, ſit infinita, ſed quòd ſit finita in ſuperiori ordine.

Quòd ſi inſtes, ſi eſſent impedimēta infinita in potentia paſſiua, quæ deberent tolli ab agente, v. g. ſi in ligno eſſet infinita viriditas, & infinita frigiditas, E tunc deberet eſſe in virtute ignitiua huius ligni infinitudo, vt poſſint tolli impedimenta infinita; ſed in Deo eſt talis virtus, vt poſſit tollere huiuſmodi impedimenta, ſi eſſent in materia, ergo bene arguitur quòd in Deo ſit virtus infinita. 12. Inſtantia cōtra impugnationem.

Reſpondetur, quòd ad tollenda illa impedimenta, requireretur virtus infinita, in agente inferioris ordinis, non tamen in agente ſuperioris ordinis, qualis eſt Deus, non ergo hinc bene arguitur virtus infinita in Deo. Solutio.

Ad quintum argumentum Caietani ex illa regula Ariſt. 4. Phyſic. quod argumentum fere coincidit cum præcedenti argumento, vt dictum eſt, reſpondetur, & pro maiori intelligentia oportet exami- 13. Ad quintū. Examinatur regula proportionū ex Ari. 4. Phyſ.

Digitized by Google

examinare illam regulam adductam, quòd ſcilicet, (quando ſunt duo extrema ita ſe habentia, vt quantum vnum minuitur, alterum creſcit proportionaliter, ſequitur quòd ſi vnum diminuatur vſque ad non gradum ſuum, alterum creſcat vſque ad omnem gradum ſuum in infinitum, &c.) vt fuſiùs habetur in argumento.

Hæc autem regula poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, vt intelligatur de diminutione potentiæ paſſiuæ, vſque ad non gradum ſuum extrinſecè. Secundus ſenſus eſt, vt intelligatur de diminutione vſque ad non gradum ſuum intrinſecè. Si intelligatur primo modo, bene concluditur à Caietano, virtutem agentem materialem creſcere in infinitum, quia creſcit per additionem eiuſdem virtutis, ſeu entitatis ad priorem, vſque adeò ſemper in eodem ordine virtutis materialis educentis, nunquam enim attingit productionem ex nullo ſubiecto, ſed ſemper ex ſubiecto minori & minori in infinitum; quomodo autem virtus agens poſſit creſcere per partes æquales ex diminutione alterius extremi per partes proportionales, ſuprà dictum

14. eſt, in dubitatione tertia: Si verò regula intelligatur iuxta ſecundum ſenſum, vt illam accipit Caietanus, quia alioquin nihil probaret, tunc malè concluditur à Caietano, ex diminutione potentiæ paſſiuæ vſque ad non gradum ſuum intrinſecè, calculari virtutem agentem in infinitum: Et ratio eſt, quia, quando per calculationem tollitur omnino potentia paſſiua, tollitur etiam virtus eductiua materialis, quæ creſcebat proportionaliter ex diminutione potentiæ paſſiuæ, per additionem eiuſdem entitatis ad ſe ipſam, quare ex calculatione tranſcenditur ad virtutem ſuperioris ordinis, qualis eſt virtus ſpiritualis, non igitur per calculationem deuenitur ad virtutem infinitam in Deo; ſed ad ſummum ad actum purum, vt dicemus infrà.

15. Ad argumentum igitur Caietani reſpondetur, argumentum bene concludere, nunquam poſſe fieri adæquationem inter virtutem agentem ex aliqua potentia, & virtutem agentem ex nulla potentia, non quidem ratione infinitatis, vt ipſe exiſtimat, ſed quia virtus agens ex nulla potentia eſt ſuperioris ordinis, quæ nunquam poteſt adæquari à virtute materiali inferioris ordinis, educente ex aliqua potentia, etiam ſi augeatur in infinitum, vt ſuprà in ſexta via probatum eſt.

16. *Ad cõfirmationem.* Ad confirmationem ex Ariſtot. reſpondetur, & dico duo; Primum eſt Ariſtotelem bene concludere, ex diminutione corpulentiæ ſpatij deueniendum eſſe ex vi calculationis ad velocitatem motus infinitam ſeu inſtantaneam; dico tamen ſecundò, hanc calculationem de corpulentia non fauere ſententiæ Caietani; Probatur primum, quia tota reſiſtentia ex motu, vt ſupponit Ariſtot. ex mente antiquorum, prouenit ex corpulentia ſpatij; ſublata igitur tota reſiſtentia, mobile mouetur omni velocitate poſſibili. Secundum verò, quòd ſcilicet hæc calculatio non faueat ſententiæ Caietani, probatur, quia

Caiet. calculatio Caietani fundabatur in eo, quòd quantùm diminuitur de materia, tantùm augeri debet de virtute agentis ſuper materiam, quia maior virtus requiritur in agente, vt producat ex materia vt duo, quàm vt ex materia vt decem, quia materia vt duo, eſt magis elongata ab actu; at verò calculatio Ariſtotelis loco citato, ſi bene perpendatur, non fundatur in eodem, ſed potiùs in oppoſito, nam poſita corpulentia ſpatij, vt mouente ſeu mobili, quod ſe ipſum mouet, tunc ex diminutione corpulentiæ ſpatij, non debet augeri virtus in mobili, ad hoc vt moueatur velociùs, imò potiùs requiritur minor virtus, quia minorata eſt reſiſtentia, quare potiùs concluditur, quòd ſublata omni corpulentia, nulla virtus requiratur ad vincendam reſiſtentiam, quia ſublata eſt omnis reſiſtentia. Quòd ſi calculatio in diminutione corpulentiæ fieret eodem modo, ac fit in diminutione materiæ, ita vt quantùm diminuatur de potentia, tantùm creſcat de virtute mouente, tunc ſicut ex diminutione materiæ vſque ad non gradum materiæ, calculatur virtus infinita in agente materiali, per additionem virtutis ad virtutem, ita etiam ex diminutione corpulentiæ ſpatij, bene calcularetur virtus infinita materialis, & quanta, quæ moueret velocitate infinita, & ſicut ex diminutione materiæ vſque ad non gradum, non calculatur virtus infinita in agente ſuperioris ordinis, vt probatum eſt; ita nec calcularetur ex diminutione corpulentiæ ſpatij virtus infinita, in virtute mouente quæ ſit ſuperioris ordinis, vt eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſed virtus finita.

Dvbivm tamen non paruum occurrit circa reſponſiones allatas, videtur enim concludi, ad creandum ſufficere virtutem Angelicam, ſeu ſpiritualem, huc vſque enim ex calculationibus factis demonſtratum eſt, virtutem producentem ex nulla materia, ſeu potentia paſſiua, eſſe ſuperioris ordinis, quàm ſit agens materiale, educens ex minori, & minori materia, huiuſmodi autem virtus ſuperioris ordinis, eſt virtus Angelica, eſt enim eleuata ſuper omnem materiam. 17. *Dubium an ex vi calculationis colligitur Angelum poſſe creare.*

Reſpondetur, de materia huius dubij ſatis fusè diximus in primo tomo in primo principio philoſophico, in corollariis de creatione. Breuiter nunc, omiſſis multis aliis rationibus ibi adductis, dicitur, quòd ex creatione concluditur ſaltem alio diſcurſu mediato, virtutem creatiuam debere eſſe actum purum, quicquid ſit, an ille actus purus ſit infinitæ virtutis; Probat autem hoc S. Thom. de potentia q. *S. Thom.* 3. art. 4. hoc diſcurſu; Poteſt, inquit, Deus creare ex non ſubiecto, quia actio Dei immanens eſt ſua ſubſtantia, vnde etiam rectè tamquam ex ratione adæquata infertur, nec Angelum, nec vllam aliam creaturam ſpiritualem poſſe creare.

Procuius intelligentia ſciendum eſt, in Angelo, & in quacumque alia creatura ſpirituali, duplicem eſſe imperfectionem; Vna imperfectio eſt, quòd ſit immerſus potentialitati, poterat enim non eſſe; Altera, quòd ſit ſubiectum ſuarum actionum immanentium, quia ſua actio non eſt ſua ſubſtantia ſicut in Deo: Hinc autem infertur, quòd etiam actio tranſiens in Angelo, debeat recipi in ſubiecto; actio enim immanens, non quia immanens, eſt receptibilis in ſubiecto; alioquin in Deo etiam deberet recipi in ſubiecto, ſed ideo debet recipi in ſubiecto, quia egreditur à ſubſtãtia Angeli, quæ eſt immerſa potentialitati; vnde fit, quòd ſua actio, quia debet eſſe imperfectior, quàm ſubſtãtia, non ſolùm debeat eſſe immerſa potentialitati, ſed etiam ſubiecto; bene igitur concluditur cum S. Tho. quòd non poſſit dari in Angelo, vel quacumque alia creatura, actio creatiua, eſt enim impoſſibile, vt actio creatiua ſit receptibilis in ſubiecto, cùm ſit via ad efficiendum terminum extra ſubiectum.

***

SEXTA

Digitized by Google

SEXTA DVBITATIO.

In qua confutatis iam aliis opinionibus, oſtenditur à poſteriori, ex creatione omnium poſſibilium, concludi infinitatem intenſiuam cathegorematicam in Deo.

1. Prima opinio. Durand. Vaſq. ALIQVI, vt Durandus, & Vaſques in 1. part. tenent, ex creatione indiuiduorum, præſertim ſi creatio ſimul fiat, argui poſſe infinitatem intenſiuam in Deo. Sed non videtur hoc verum, quia eadem virtus, quæ ſufficit ad producendum vnum indiuiduum, ſufficit ad producendum infinita, ſi aliunde non obſtat, ſicut, inquit Ariſtoteles, ſi eſſent infinita combuſtibilia, ignis infinita combureret, & ſi cœlum fuiſſet ab æterno, vt tenet Ariſt. produxiſſet infinita indiuidua, & tamen cœlum eſt virtutis finitæ; neque arguit infinitatem in agente, quòd hæc indiuidua omnia ſimul producantur; hoc enim potiùs arguit in agente extenſionem ad plura, quàm intenſionem; quia, vt probatum eſt, eadem virtus intenſiua quæ ſufficit ad vnum, ſufficit ad plura, quare ex ſimultate non poteſt argui, niſi ad ſummũ virtus maior extenſiua. (Ariſt.)

2. Vnica concluſio. DICENDVM eſt igitur cum communi Doctorum, potẽtiam creatiuam in Deo, rectè argui infinitam cathegorematicè, ex creatione omnium ſpecierum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum.

3. Pro cuius intelligentia ſupponenda ſunt duo; Primum, ex creatione, ſeu productione ex non ſubiecto, concludi Deum eſſe actum purum, vt probatum eſt in fine præcedentis dubitationis, & fuſiùs in primo tomo, Corollario de creatione.

Secundò ſupponendum eſt, in creaturis dari proceſſum in infinitum, non ſolùm in indiuiduis, ſed etiam in ſpeciebus perfectioribus, & perfectioribus, vt fusè probauimus in prædicamento Quãtitatis in diſputatione de infinito, quæſtione 7. circa finem; Et breuiter nunc probatur, quia à materia prima tamquàm ab infima creatura, eſt diſtantia infinita, Deus enim eſt infinitè imitabilis: Quare ſi ſub vna ſpecie finita poſſunt dari infinita indiuidua participantia illam ſpeciem, multò magis ſub Deo, poſſunt dari ſpecies infinitæ, ſeu in infinitum participantes analogicè ipſam Dei eſſentiam, quæ eſt infinita ſimpliciter.

4. His poſitis probatur concluſio, Deus poteſt creare creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum, ergo Deus eſt infinitæ virtutis; Antecedens patet ex ſecundo ſuppoſito; Conſequentia probatur, ex creatione præcisè, ſeu ex productione ex non ſubiecto, arguitur quòd Deus ſit actus purus, vt patet ex primo ſuppoſito, ergo calculando ex creatione omnium poſſibilium perfectiorum & perfectiorum in infinitum, arguitur virtus infinita in actu puro; quò enim maior eſt perfectio in creaturis, eò maior virtus requiritur in Deo, tamquam actu puro, quia quò maior eſt perfectio in creatura, eò maior eſt elongatio à potentialitate, & maior acceſſus ad actum purum; ſicut igitur in agente creato, maior virtus requiritur educendo ex minori, & minori materia, ita ſimiliter in agente increato maior virtus requiritur, producendo ex minori, & minori potentialitate.

5. Obiectio. Quòd ſi obiicias, ex hac calculatione non argui virtutem infinitam intenſiuam in Deo cathegorematicè, ſed tantùm ſyncathegorematicè, quia creaturæ perfectiores, & perfectiores ſunt infinitæ ſyncathegorematicè.

A Reſpondetur, aliqui dicunt, quòd infinitum cathegorematicum, à ſyncathegorematico nõ differt, niſi quia vnum eſt actu, & alterum potentia, vnde ſi tota collectio creaturarum poſſibilium poneretur actu, eſſet infinita cathegorematicè, quia igitur, inquiunt, ex calculatione omnium poſſibilium arguitur virtus actu in Deo, illa neceſſariò erit infinita cathegorematicè. Solutio aliquorum.

Sed hæc reſponſio non placet, ſuprà enim in prædicamento Quantitatis in diſputatione de infinito, quæſtione 2. oſtendimus, infinitum cathegorematicum differre à cathegorematico, quoad numerum, & quoad perfectionẽ; ſi enim infinitudo ſyncathegorematica creaturarum perfectiorum & perfectiorum, B poneretur per impoſſibile tota ſimul actu, non attingeret infinitudinem cathegorematicam, quia nulla eſſet actu creatura infinita cathegorematicè, quia nulla talis erat in potentia, quare ſi ex calculatione arguitur virtus infinita in Deo cathegorematicè, hæc infinitudo erit maior quàm ſit infinitudo omnium creaturarum poſſibilium.

Secundò reſpondent alij, diſtinguendo duplicem potentiam in Deo, alteram abſolutam, alteram relatiuam; & illam dicunt eſſe infinitam cathegorematicè, hanc ſyncathegorematicè. Sed contrà, quia communiter Doctores ex illa potentia relatiua arguunt, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè, non igitur diſtinguenda eſt in Deo hæc duplex potentia. 6.

C Tertiò reſpondetur ad obiectionem, quòd bene arguitur ex creatione omnium poſſibilium, potentia in Deo infinita cathegorematicè; arguitur enim per calculationem potentia in Deo ſine termino, & quia non poteſt dari infinitudo actu ſyncathegorematica, quia huiuſmodi infinitudo inuoluit eſſentialiter confuſionem & potentialitatem ad vlterius & vlterius, fit vt bene arguatur, quòd illa potentia ſit infinita cathegorematicè. 7.

Quòd ſi inſtes, potentia creatiua in Deo dicit eſſentialiter ordinem ad creaturas poſſibiles, ergo non poteſt excedere ſuum terminum, quia adhuc ille exceſſus eſſet relatiuus, & tamen non haberet correlatiuum, D quia tota collectio creabilium eſt infinita ſyncathegorematicè; at verò quòd relatiuum ſit ſine termino, eſt impoſſibile. Prima inſtantia.

Soluitur inſtantia, & pro explicatione ſolutionis ſupponendum eſt vnum, quòd in Deo illa habitudo ſeu ordo ad creaturas poſſibiles non eſt realis, ſed rationis, vt probat Vaſques in prima parte, ex communi ſententia Doctorum, quia alioquin Deus dependeret à creaturis; ſi enim per impoſſibile non poſſent eſſe creaturæ, non eſſet ille ordo realis in Deo, ac conſequenter non eſſet Deus. Solutio.

Hoc ſuppoſito dicendum eſt, quòd in Deo non eſt potentia relatiua, ita vt illa relatio tranſcendentalis ad creaturas ſit realiter in Deo, ſed tanE tùm eſt rationis, & ſolùm in Deo eſt realiter potentia abſoluta, connotando extrinſecè ipſum terminum factibilem; eſt autem tantæ perfectionis, vt, quantùm eſt ex ſe, poſſit producere omnes creaturas, etiam ſi dari poſſint infinitæ perfectionis cathegorematicè, ac proinde ipſa potentia debet eſſe virtutis infinitæ cathegorematicè, ſicut in ſimili dixit Ariſt. quòd ignis, quantùm eſt ex ſe, eſt combuſtiuus infinitorum incombuſtibilium, ſi dari poſſent debitè approximata. Et per hæc patet ad inſtantiam; falsò enim ſupponitur, potentiam in Deo eſſe relatiuam, quare non opus eſt vt adæquetur termino poſſibili; ſed quia eſt potentia abſoluta, poteſt eſſe tantæ perfectionis, vt quantùm eſt ex ſe, poſsit producere

Digitized by Google

producere creaturas infinitè perfectas, ſi dari poſſent.

Colligitur hæc doctrina ex S. Thoma 1. parte quæſt. 25. artic. 2. ad 2. vbi dicit, quòd potentia agentis vniuoci, ſe tota manifeſtatur in ſuo effectu, non autem potentia agentis non vniuoci; ſemper enim effectus eſt minor quàm potentia eius; quare non oportet, inquit, quòd infinita potentia Dei ſit productiua effectus infiniti, ſed eſt infinita, quia, vt dicit in corpore, eſſentia ipſius eſt infinita; Quare concluditur ſecundùm ſanctum Thomam, quòd potentia Dei non adæquatur termino creabili; quòd enim potentia Dei non poſſit producere effectum infinitæ perfectionis, non oritur ex defectu potentiæ, quia quantùm ex ſe, eſt infinita, & tantæ perfectionis, vt poſſit, vt dictum eſt, illum producere ſi eſſet producibilis.

8. Quòd ſi adhuc inſtes ſecundò, ſi reſponſio aliquid valeret, ſequeretur quòd idem poſſet dici de his calculationibus factis in præcedentibus dubitationibus, ſicut enim quamuis ex creatione omnium poſſibilium, concludatur in Deo potentia relatiua infinita ſyncathegorematicè, licet tamen poſtea inferre, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè: ita ſimiliter ex infinitate motus, & velocitate maiori, & maiori in infinitum, licet inferre, potentiam motiuam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam calculationes, quæ hactenus factæ ſunt in præcedentibus dubitationibus, tam ex infinitate motus, tum maiori, & maiori velocitate, & ex aliis ſimilibus, non ſupponebant Deum actum purum, ac propterea ex calculatione ad ſummum deducebatur aliqua virtus ſuperioris ordinis; at verò in calculatione quæ fit ex creatione omnium poſſibilium, ſupponitur quòd Deus ſit actus purus, ex præciſa ratione creationis, vt patet ex quinta dubitatione, & poſtea ſuper hunc actum purum calculatur in hac ſexta dubitatione maior, & maior perfectio in infinitum, ex creatione perfectionis, & perfectionis creaturæ in infinitum, vnde poſtea bene arguitur, potentiam abſolutam in Deo eſſe infinitam cathegorematicè.

DVBITATIO SEPTIMA.

In qua oſtenditur bene concludi à priori, Deum eſſe infinitum cathegorematicè, quia eſt ſuum eſſe per eſſentiam.

1. VLtima via probandi infinitatem Dei eſt à priori, & ipſo eſſe Dei per eſſentiam. Eſt communis Philoſophorum, Ariſtotelis 2. met. tex. 4. Auerrois 12. Met. comm. 51. & aliorum Peripateticorum ibidem. Eſt etiam S. Thom. 1. par. quæſt. 7. art. 1. & communis ſcholaſticorum, quos infrà citabimus. Sed differunt hîc ſcholaſtici in aſſignanda ratione huius eſſe, diuerſi enim diuerſas afferunt rationes.

Ariſt. Auer.

2. Aſſertur prima ratio & confutatur. Ægid. Caiet.

Prima ratio eſt Ægidij & Caietani in opuſculo de infinit. Dei, quia ens per eſſentiam debet eſſe irreceptum in alio; ſicut, inquit Caietanus, ſi daretur homo Platonicus, eſſet perfectior non ſolùm quolibet homine ſingulari, ſed omnibus hominibus ſimul, etiamſi darentur infinities infiniti homines, & vnus altero perfectior, quia ſingulares homines eſſent recepti in ſingularitate, ſeu materia ſignata; at homo Platonicus, eſſet irreceptus, & haberet omnẽ perfectionem ſingularium. Similiter Deus, quia haber eſſe irreceptum in eſſentia, habet enim eſſe de quidditate eſſentiæ, & omnino identificatum cum ipſa eſſentia, ideo habet omnem rationem eſſendi.

Hæc ratio impugnatur, quamuis enim concedatur quòd omnis perfectio, quæ competatur enti per eſſentiam ex ſuo conceptu, non poſſit limitari per receptionem in alio, non tamen bene ſequitur, illam perfectionem eſſe infinitam, quia poſſet dici, quòd hoc eſſe per eſſentiam ex ſuo conceptu ſit determinatum. Quòd ſi dicas, habet Deus vnitas in ſe omnes perfectiones creaturarum, quæ ſunt infinitæ; Reſpondetur, quòd omnes illæ perfectiones poſſunt contineri in vna perfectione ſimpliciſſima ſuperioris ordinis.

Secunda ratio eſt Bacconi, à qua dicit ſe conuinci, quia cùm Deus, inquit, ſit ens per eſſentiam, eſt in illo tota entitas, & tota perfectio, vel formaliter, ſi eſt ſimpliciter ſimplex, vel eminenter, quæ reperitur in creaturis; extra autem totam entitatem, & perfectionem nihil eſt, hæc autem eſt deſcriptio infiniti. 3. Aſſertur ſecunda ratio & confutatur. Baccon.

Hæc ratio eodem etiam modo impugnatur, poſſet enim dici, quòd tota hæc entitas, & perfectio eſt ex ſuo cõceptu limitata, & exiſtit ex ſe determinata, quia poſſet dici, quòd non eſt poſſibilis perfectio infinita. Quòd ſi ſecundò dicas, ſunt infinitæ perfectiones ſparſim in creaturis, quæ ſunt eminenter in Deo: Reſpõderi poſſet, vt ſupra reſponſum eſt, quòd omnes illæ continentur in Deo ſecundùm aliquam perfectionem abſolutam finitam ſuperioris ordinis. Quòd ſi inſtes, infinitum eſt, extra quod nihil eſt accipere; ſi igitur non poteſt accipi aliqua perfectio quæ non ſit in Deo, Deus erit infinitus: Reſpondetur, quòd illa definitio infiniti eſt antiquorum, & non eſt bona ſecundùm Ariſtotelem, quia competit etiam toti finito; ſed definitio infiniti eſt, in quo ſemper eſt, vltra aliud & aliud accipere, vt oſtenſum eſt in diſputatione de infinito.

Tertia ratio eſt aliquorum ſcholaſticorum, quos ſequitur Suar. in meta. ſect. 2. diſput. 30. & Vaſques 1. par. diſp. 45. cap. 5. Eſſe, inquiunt, per eſſentiam, habet eſſe a ſe; quod intelligi debet negatiuè, id eſt eſſe irreceptum ab alio; eſſe autem a ſe, non poteſt eſſe limitatum, quia non poteſt carere aliqua perfectione, non enim datur cauſa, quæ poteſt priuare habentem eſſe a ſe aliqua perfectione, nec ipſe Deus ſeipſum poteſt illa priuare, tum quia omne ens retinet perfectionem ſibi debitam, tum quia tota latitudo perfectionis neceſſariò eſt in primo ente; & hæc ratio deſumpta eſt ex S. Thom. 1. par. quæſt. 7. art. 1. 4. Aſſertur tertia ratio & impugnatur à Scoto.

Sed hæc ratio impugnatur à Scoto, poſſet enim dici, inquit, quòd hoc eſſe irreceptum ab alio, & imparticipatum, eſt in ſuo conceptu limitatum, non quidem ab aliqua cauſa extrinſeca, ſed à ſe, & ideo exiſtit ex ſe determinatum, ſicut multi Theologi tenent, quòd eſſentiæ creatæ ſunt ex ſe determinatæ, & tamen non dependent effectiue à Deo, ſecundùm eſſe actuale eſſẽtiæ. Quòd ſi vrgeas, quod eſt ab alio, eſt limitatum, ergo quod eſt à ſe, eſt illimitatum, neganda eſt conſequentia, quia quod eſt ab alio, eſt limitabile ab extrinſeco; quod autem eſt à ſe, quamuis non ſit limitabile ab extrinſeco, poteſt tamen eſſe limitatum ex ſuo conceptu, ſeu ex ſe determinatum, quia non eſt poſſibilis vlterior perfectio, debet igitur probari, hanc vlteriorem perfectionem vſque ad infinitatem eſſe poſſibilem, vt nos infra oſtendemus. 5.

Secundò inſtatur, quia habere eſſe à ſe, eſt habere eſſe negatiue, hoc eſt, non ab alio, debet igitur

aſſignari

Digitized by Google

aſſignari ratio formalis, per quam ei competat omnimoda perfectio, quia conceptus à ſe, præciſè non dicit hoc, quia nõ eſſe ab alio, eſt tãtùm ratio illimitatiua ex parte efficientis, non tamen eſt ratio poſitiua proximè, & immediate illimitatiua, debet igitur afferri ratio poſitiua formaliter illimitatiua, & hanc conatur aſſignare Scotus, ſed vt mox videbitur, hæc tertia ratio optima eſt, ſi bene explicetur.

6. *Affertur quarta ratio Scoti, & impugnatur ab Ocham.* Quarta ratio eſt Scoti; Perfectio, inquit, infinita non repugnat enti ente, ergo poteſt eſſe, ergo neceſſe eſt eſſe. Antecedens ſupponitur; Prima conſequentia eſt manifeſta: ſecunda probatur, quia infinita perfectio non poteſt eſſe contingens, repugnat enim illi dependentia ab agente, alioquin non haberet omnem perfectionem, deeſſet enim illi iſta perfectio independẽtiæ, tum quia implicat dari ens, quod ſit cauſa infinitæ perfectionis ſimpliciter, quia vel hæc cauſa haberet infinitam perfectionem ſimpliciter, & tunc haberetur intentum, quòd iſta eſt à ſe, vel non haberet infinitam perfectionem ſimpliciter, & tunc ignobilius cauſaret nobilius.

7. *Ocham.* Sed hæc ratio Scoti, quamuis ſit ſatis acuta, impugnatur tamen ab Ocham, nam non bene, inquit, ex eo, quia non repugnat perfectio infinita in primo ente, infertur, quòd poſſumus cognoſcere euidenter infinitatem Dei; quamuis enim nulla appareat in intellectu noſtro contradictio, non tamen propter hoc apparet euidenter poſſibilitas; & omiſſis exemplis, quæ afferuntur ab Ocham, poteſt ita à ſimili oſtendi; primò non ex eo, quia nulla apparet in intellectu noſtro contradictio, quòd Deus ſit trinus, & vnus, ideo inferri poteſt, euidenter cognoſci Deum eſſe trinum, & vnum; nec ex eo, quia non apparet contradictio Deum poſſe incarnari, ſequitur, quòd euidenter cognoſcatur naturaliter poſſibilitas incarnationis; & propterea multa ſunt, inquit Ocham, quæ mihi non apparent repugnare, quæ tamen repugnant; Sed hæc etiam quarta ratio Scoti eſt efficax, ſi bene explicetur, vt mox infrà videbimus.

8. *Quinta ratio efficax.* Videtur tamen quòd omnes iſtæ rationes hucuſque allatæ, præſertim tertia & quarta, ſint efficaces, &c. & quòd vna explicet magis aliam, quare ad probandam infinitatem Dei intenſiuam cathegorematicè, poteſt ex his rationibus allatis, conflari hæc vna ratio adæquata, & eſt quinta in ordine.

Omnis perfectio poſſibilis, eſt in primo ente per eſſentiam, ſed perfectio infinita non ſolùm non repugnat enti, ſed maximè apparet connexio infinitatis cum illo, ergo in ente per eſſentiam eſt infinita perfectio, & ex lumine naturali poteſt cognoſci eſſe talis. Maior huius ſyllogiſmi probatur, primò, quia non eſt vnde limitetur perfectio poſſibilis in Deo, non ex eo, quia reperitur in alio, quia habet eſſe receptum in alio, vt dicebat prima ratio; nec poteſt limitari à cauſa extrinſeca, quia eſt à ſe, vt dicebat tertia ratio, nec ex eo, quia illi non debetur, quia tota perfectio poſſibilis debetur primo enti per eſſentiam, vt dicebat quarta ratio Scoti, quia ſi eſt poſſibilis, neceſſe eſt eſſe, non enim poteſt habere cauſam, quia repugnat dari cauſam infiniti ſimpliciter, vt dictum eſt; Minor probatur.

9. Duo autem ſunt probanda in hac Minori, primò, quòd nullam inuoluat repugnantiam huiuſmodi infinitas, ſecundò, quòd appareat connexio infinitatis cum Deo, quod ſecundum ponitur ad ſoluendum argumentum Ochami, ſuprà factum contra Scotum; Primum patet ex his, quæ diximus initio huius Corollarij in ſecundo notabili, vbi ſoluimus omnes implicantias contra infinitatem Dei.

10. Secundò verò quod erat probandum circa Minorem, aſſumptum illud erat, quòd non ſolùm non appareat repugnantia, ſed quòd appareat maxima connexio infinitatis in Deo, quod quidem ponitur ad ſoluendam inſtantiam, quam fecit Ocham ſuprà contra rationem Scoti: *Ocham. Scotus.* Sicut enim, dicebat Ocham, ex eo quia non videtur repugnare myſterium Trinitatis & incarnationis, non licet inferre, quòd euidenter cognoſcantur lumine naturali; ita non ex eo quia non apparet intellectui noſtro, repugnare infinitatem in Deo, ideo euidenter cognoſcitur illam eſſe dandam; ad ſoluendam, inquam, hanc inſtantiam, poſui in Minori aſſumptum, quòd non ſolùm nulla appareat repugnantia infinitatis Dei, ſed quòd maximè appareat connexio per lumen naturale, quæ quidem connexio non apparet nec in myſterio incarnationis, nec in myſterio Trinitatis; imò potiùs apparet oppoſitum; nam in myſterio incarnationis potiùs manuducimur ex effectibus inferioribus ad ponendam mutationem in Verbo aſſumente, ſicut in cæteris vnionibus, & in myſterio Trinitatis, nõ habemus in creaturis, vnde manuducamur, imò non ſolùm manuducimur ex creaturis, ſed potiùs videmus oppoſitum; at verò in infinitate Dei aſſerenda, non ſolùm habemus in creaturis aliquod veſtigium infinitatis, vt patet in continuo, & in illo inani quod eſt ſuper extimã ſuperficiẽ cœli, ſed etiam habemus vnde appareat poſitiuè & intrinſecè maxima connexio infinitatis cum Deo.

Primò, quia nos cogitamus Deum eſſe ſummum ens, quo maius excogitari non poteſt, vt dicebat Auguſtinus & Anſelmus; *Auguſt. Anſel.* ſed quodlibet finitum, vt inquit Scotus, poteſt excedi, cùm habeat terminum cui poteſt fieri acceſſio, ergo ſatis conuenienter mouemur ad dandam infinitatem in Deo, cui per intellectum non poteſt fieri acceſſio.

Secundò, quia ex creatione omnium poſſibilium euidenter concluditur, quòd in Deo potentia non ſit finita, ſed infinita, vt in præcedenti dubitatione probatum eſt, ergo ex creaturis manuducimur ad oſtendendum infinitatem Dei.

Concluditur ergo à priori, quòd in Deo ſit perfectio infinita, quia omnis perfectio poſſibilis debet eſſe in primo ente per eſſentiam, vt probatum eſt, perfectio autem infinita non ſolùm non repugnat, ſed maximam connexionem habet cum lumine naturali, vt oſtenſum eſt.

SEPTIMA QVÆSTIO THEOLOGICA CIRCA SEPTIMVM COROLLARIVM,

Quomodo immenſitas, ſeu præſentia Dei in omnibus rebus demonſtrari poſſit lumine naturali.

1. Supponẽdũ Deum eſſe vbique.

HOc Corollarium deducitur ex his, A quæ dicta ſunt circa prædicamentum Vbi.

SVPPONITVR tamquam certum de fide; Deum exiſtere in omnibus rebus, contra Manichæos, quos ex Catholicis videtur ſequutus Eugubinus ſuper Pſal. 138. (Eugub.)

Probatur primò ex ſcripturis. Probatur primò ex ſcripturis cum communi expoſitione Patrum.

Ier. 23. Nazian. Hilar. Amb. Cyrill. Primus locus eſt Ieremiæ 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Ita interpretantur hunc locum Nazianzenus 2. de Theolog. Hilarius in pſalmo 118. Ambroſius 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. & Cyrillus dial. 7. de Trinitate.

3. Reg. 8. Auguſt. Secundus locus eſt 3. Regum 8. *Si enim*, inquit, *cælum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt*, &c. Ita Auguſtinus lib. de eſſen. diuinit. initiò. B

Iob. 11. Auguſt. Tertius locus eſt Iob 11. *Excelſior cœlo es, profundior inferno*, &c. Ita interpretatur hunc locum Auguſtinus loco citato.

Pſal. 118. Hilar. Hier. Quartus eſt Pſal. 118. *Propè es Domine.* Ita interpretatur Hilarius & Hieronymus.

Sap. 1. Nazian. Ambroſ. Gregor. Quintus locus eſt Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Ita interpretatur Naziãzenus lib. 2. de Theolog. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto. Gregorius 2. moral. cap. 8.

Eſa. 40. Tertull. Hieron. Sextus eſt Eſaiæ 40. *Menſus eſt cælum palmo, & terram pugillo.* Ita explicat Tertullianus de Trinit. Hieronymus epiſtola 146.

Eſa. 66. Hier. Hilar. Septimus locus eſt Eſaiæ 66. *Cælum mihi ſedes eſt.* Ita Hieronymus & Hilarius in hunc locum. C

Deut. 4. Tertu. Hier. Auguſt. Octauus locus eſt Deut. 4. *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Ita Tertullianus 1. de Trinit. Hieronymus ſuper Eſa. 66. & Auguſtinus lib. de eſſent. diuinit. initiò.

Act 17. Athan. Theod. Hilar. Hieron. Nonus locus eſt Act. 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrûm*, &c. Ita Athanaſius contra Græcales. Theodoretus ſuper 1. ad Corinth. 15. Hilarius in Pſal. 118. Hieronymus in Eſa. 66.

2. Probatur ſecundò ex Patribus. Chryſ. Aug. Secundò probatur ex Patribus, quia hanc veritatem dicunt eſſe de fide, præſertim Chryſoſt. homil. 5. in cap. 2. ad Coloſſ. Auguſt. in lib. contra epiſtolam Fundamenti cap. 16. contra Manichæos. Nec obſtant aliqua loca Sanctorum Patrum, in quibus dicitur Deum nõ eſſe in loco, ſicut eſt ille locus Auguſt. li. de eſſent. diuin. vbi dicitur Deus eſſe illocalis; & ille alius apud Athanaſ. in reſcrip. ad Liber. vbi dicitur Deus eſſe incomprehenſibilis loco; (Auguſt. Athan.) D non, inquam, hæc, & alia huiuſmodi loca obſtant, quia ex modo loquendi tantùm ſignificatur, Deum debere dici eſſe potiùs cum loco, quàm in loco, ne ſi dicatur in loco, videatur concludi loco. Idem ferè dicit Philo in lib. de confuſ. lingu. Deum omnia implere, non contentum, quaſi concluſum loco, ſed vt continentem, & conſeruantem locum. (Philo.) Et hanc ſententiam Philonis communiter ſequuntur Patres.

Probatur tertiò ex communi Philoſophorum. Ita refert Tullius de Platone & de Ariſt. in 1. Academ. & idem Ariſtoteles 1. de part. animalium laudat Heraclitum dicẽtem, Deum vbique eſſe præſentem ſecundùm ſubſtantiam. Et ſi alicubi dixit Ariſtoteles vt 2. de gen. c. 10. & alibi, Deum eſſe in ſupremo cœlo, interpretandus eſt ſecundùm S. Tho. & Simpl. 8. phyſ. & Philoponum 1. de anima, quòd peculiari modo eſt in cœlo, quia efficaciùs ibi operatur. 3. Probatur tertiò ex philoſophis. Tullius. Ariſt. S. Thom. Simplic.

Suppoſito igitur tamquam de fide, Deum eſſe in omnibus rebus ſecundùm præſentiam ſubſtantialem, controuerſia eſt inter Scholaſticos, quomodo hoc ſit demonſtrabile ratione naturali; & circa hoc variæ ſunt viæ dicendi, ſeu demonſtrandi. Punctus quæſtionis.

Prima via aſſerit non poſſe alia via demõſtrari immenſitatem Dei, ſeu præſentiam in omnibus rebus, quàm ex infinitate eſſentiæ, ad quam, inquiunt, conſequitur præſentia Dei in rebus, tamquam attributum ipſius eſſentiæ. Tribuitur Scoto in 1. diſt. 37. Baſſ. Ocham & Gab. ibidem. 4. Prima via demõſtrandi immenſitatem Dei. Scot. Baſſol. Ochã Gabr.

Sed hæc via impugnatur, quia quamuis verum ſit, quòd immenſitas Dei demonſtrari poſſit ex diuina eſſentia, non tamen verum eſt, quòd alia via demonſtrari non poſſit, nam in ſcripturis addita communi expoſitione Patrum, probatur Deum eſſe immenſum, & præſentem in rebus, ex operatione ipſius Dei. Ita habetur Act. 17. vbi Paulus loquens de immenſitate Dei, qua præſens eſt rebus, dixit, *Non longè abeſt ab vnoquoque noſtrûm.* & ſubdens rationem, inquit, *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Et quidem interpretatio quam afferunt aliqui recentiores, quòd Deus non longè abeſt à nobis (vt ſcilicet, cognoſcatur à nobis, quia ex nobis ipſis cognoſci poteſt) non videtur conformis communi expoſitioni Patrum, qui locum hunc interpretantur de præſentia ſubſtantiali Dei in rebus. Ita Athanaſius contra Græcales. Theodoretus ſuper cap. 15. primæ ad Corinth. Hilarius in pſal. 118. Hieronymus in Eſa. 66. & communiter ſcholaſtici. Præterea probatur ex pſal. 138. *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades*, &c. & reddit rationem. *Etenim illuc manus tua deducet me*, &c. quibus verbis videtur ſignificare, quòd operatio habet connexam realem Dei præſentiam; Et hunc quidem locum Patres non de cognitione Dei, qua videt omnia, vt interpretãtur iidem recentiores, ſed de præſentia reali in rebus interpretantur, Hilarius, Hieronymus, & alij ibidem; & Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 7. Hieronymus epiſt. 146. Auguſt. lib. de fide ad Petrum cap. 7. & lib. de eſſent. diuinit. initiò. Cyrillus Alexandrinus dialog. 7. de Trinitate. & Bernardus in 1. de ſentent. capite quod incipit, Quatuor gradibus. Iſidorus præterea lib. 1. de ſummo bono, cap. 2. vbi ex creatione, & guber- Impugnatur. Act. 17. Athan. Theodor. Hilar. Hier. Hilar. Hieron. Ambroſ. Hieron. Auguſt. Cyrillus. Bernardus. Iſidorus.

guber

Philo. Anſelm. gubernatione, oſtendit præſentiam Dei ſubſtantialem in rebus, Anſelmus in monolog. cap. 10. Philo lib. de confuſione lingu.

5. Secũda via. Secunda via aliquorum recentiorum, aſſerentium præſentiam Dei in rebus demonſtrari ex operatione ipſius Dei, non quatenus operatio eſt ratio formalis, & fundamentum præſentiæ, vt volunt multi Thomiſtæ, ſed quatenus præſentia eſt conditio neceſſariò prærequiſita ad operationem. Citantur pro hac opinione Albert. in 1. diſt. 37. art. 1. quæſt. 1. Bonauent. ibidem diſt. 37. in 1. part. diſt. art. 1. q. 1. Riccard. ibidem art. 1. quæſtione 1. & alij; Sed iſti Doctores citati non ſatis ſe explicant, an præſentia ſit aliquid prærequiſitum ad operationem, vel potiùs conſequatur vt effectus formalis ad operationem, tamquàm ad rationem formalem.

Albert. Bonauent. Riccard.

Fundamenti huius ſecundæ viæ. Fundamentum huius viæ eſt, quia ex Ariſt. 7. Phyſic. cap. 2. habetur, quòd mouens, & motum debent eſſe ſimul, ergo multò magis Deus debet eſſe ſimul cum creatura, quia operatur immediatione virtutis, operatur enim virtute propria, & immediatione ſuppoſiti, quia à ſe ipſo ſine alia cauſa intermedia creat, & conſeruat continuo effectum.

6. Impugnatur hæc ſecũda via. Sed hæc ſecunda via non eſt omnino efficax, & primò impugnatur à Scotiſtis; Deus, inquiunt, & Angelus agunt actione tranſeunti per intellectum, & voluntatem, tamquam per principium elicitiuum; ſed intellectus, & voluntas non requirunt indiſtantiam in operando, ergo, &c.

Prima impugnatio. Sed hæc ratio non multùm vrget, poſſet enim dici, quòd intellectus, & voluntas reſpectu actionis tranſeuntis tam in Deo, quàm in Angelo, non ſint principia immediatè elicitiua, ſed tantùm applicatiua potentiæ executiuæ, quod ex eo patet, quia alioquin ſequeretur, quòd poſſet Angelus agere in omnem diſtantiam, quod quidem eſt falſum, ſicut poteſt ferri in obiectum cognitum ſeu volitum in quacumque diſtantia.

7. Secunda impugnatio. Impugnatur igitur ſecundò efficaciùs, ante creationem non præſupponitur paſſum, cum quo coniungatur iſta præſentia Dei tamquam conditio præuia ad operationem, præſertim ſecundùm iſtos Doctores, qui negant dari ſpatia imaginaria, ſeu interualla inania à parte rei, & tamen Deus operatur creando, ad hanc igitur operationem potiùs conſequitur præſentia Dei in re creata, quàm antecedat tamquam conditio prærequiſita.

8. Tertia impugnatio à priori. Tertiò impugnatur à priori, quia illud principium Philoſophicum de propinquitate agentis ad paſſum, in quo nititur hæc ſecunda via, non videtur ſatis ſolidum, illud enim aſſumit Ariſtot. in agente finito, & limitato, ex cuius finitudine prouenit, vt ſit neceſſaria propinquitas agentis ad paſſum, Deus autem, quia eſt infinitus, nõ indiget propinquitate.

Quòd verò propinquitas agentis ad paſſum, non perueniat ex natura cauſalitatis; ſed ex limitatione agẽtis, probatur; Primò, quia Angelus poteſt operari in locum diſtantem immediatione ſuppoſiti; quod probatur primùm authoritate, nam præterquam quòd admittunt multi Thomiſtæ, inter quos Erueus in tract. de motu Angel. quæſt. 1. & Scotiſtæ, & Nominales, admittunt etiam veteres Philoſophi, Auicen. in libro de anima ſect. 4. cap. 4. Alex. 1. metaphyſ. comment. 18. & alij; Probatur ſecundò ratione, nam quò perfectior eſt Angelus, eò poteſt agere in magis diſtans.

Erueus. Auic. Alex.

Probatur ſecundò, quia aliquando agens corporeum poteſt immediatione ſuppoſiti agere in ſpatium diſtans, ergo multò magis Deus: Antecedens tenent multi Philoſophi, & probatur multis experientiis; Probari autem ſolet illis experientiis, in quibus agens producit effectum in extremo, quem non producit in medio; Sed huiuſmodi experientiæ non ſatis probant, quia poſſet dici, quòd medium nõ recipit illum effectum, quem recipit extremum, quia non eſt diſpoſitum, recipit autem aliquam actionem præuiã, qua mediãte producit in extremo effectum aliquem ad quem eſt diſpoſitũ extremum.

9. Prima experientia. Probatur igitur aliis experientiis, & prima experientia eſt, ſi agens corporeum non ageret in diſtans immediatione ſuppoſiti, non poteſt aſſignari ratio, quare partes agentis, quæ ſunt remotæ à paſſo, concurrerent ad actionem, & tamen experimur illas concurrere, quia effectus velociùs producitur, & intenſiùs. Quòd ſi dicas, partes remotas adiuuare propinquas, Contrà, quia ſi agens tripalmare eſt totum vniformiter calidum, vt octo, non poteſt primus palmus aliquid influere in ſecundum. Dicendum eſt igitur, quòd primus palmus agat immediatione ſuppoſiti ſimul cum aliis, & ideo effectus producitur velociùs & intenſiùs, quàm ſi produceretur à tertio palmo tantùm.

10. Secunda experientia. Secundò, quia experientia docet, ignem potiùs immutare paſſum ſibi propinquum è regione, quàm à latere, quamuis tale paſſum æquè ſit propinquum medio; ſignum eſt igitur, tale agens ſua virtute immediatè attingere paſſum poſitum è regione.

11. Tertia experientia. Tertiò experimur, quòd ſi inter manum calefactam ab igne, & ipſum ignem interponatur tabula, non ſentitur in manu ille calor, qui priùs ſentiebatur, & quidem ſi ignis ageret tantùm immediatione virtutis recepta in aëre, deberet ſentiri idem calor, nam adhuc interpoſita tabula inter ignem, & manum, aër intermedius haberet eundem calorem, quia calor receptus in aëre, non dependet in conſeruari ab igne, ſi igitur non ſentitur idem calor, ſignum eſt quòd ignis agebat in manu immediatione ſuppoſiti.

Poſſet aliquis ad hanc experientiam reſpondere, quòd ab igne immittuntur in manum ſpecies intentionales à toto igne tripalmari, quæ ſpecies repræſentant totum calorem ignis tripalmaris, verbi gratia calorem vt quinque, quamuis in manu realiter non ſit niſi calor vt duo, & hæ quidem ſpecies quoniam dependent in conſeruari ab igne, ideo interpoſita tabula corrumpuntur, ac proinde non ſentitur calor, niſi ille, qui repræſentatur per ſpeciem immiſſam ab aëre calefacto, qui eſt vt duo. Sed contrà, quia hæc reſponſio habet maiorem difficultatem, quàm ſi dicatur, ignem agere immediatione ſuppoſiti, tum quia in tactu, vt multi tenent, non requiruntur ſpecies intentionales, quia ipſe calor eſt intimè vnitus cum tactu; ſpecies autem dantur propter abſentiam obiecti: tum quia ſpecies intentionalis in tactu, non repræſentat plus caloris, quàm ſit calor in ipſo tactu; ſicut enim ſi nullus calor eſſet in tactu, non poſſet ſpecies repræſentare calorem, ita neque plus caloris, quia ſicut calor ſe habet ad ſimpliciter, ita ſe debet habere ad ſecundùm quid.

12. Sed contra hoc tertium argumentũ ſumptum ex limitatione agentis, inſtant authores ſecundæ viæ; Primò, quia ipſa forma ad ſuũ effectũ formalem, requirit præſentiã, & vnionẽ cum materia, ergo idem dicendum eſt de agente naturali. Reſpondetur eſſe diuerſam rationem de forma, & de agente naturali, nam forma dat ſe ipſam, & ideo indiget præſentia, & vnione, cum materia, ſicut à ſimili Verbum neceſſariò debet eſſe præſens ſecundùm ſubiectam materiam humanitati, cum qua vnitur hypoſtaticè, quod quidem concedunt in vnione hypoſtatica etiam illi, qui negant Deum eſſe præſentem in rebus ex operatione, quia eſt maior, & arctior coniunctio Verbi

Digitized by Google

bi cum humanitate, quia coniungitur tamquam terminus formalis cum humanitate, & non tamquam agens, ſicut coniungitur Deus.

Secunda inſtantia. Vaſq. Secundò inſtat contra illam Vaſques 1. par. diſp. 189. Si Angelus, inquit, poſſet agere in diſtans, ſequeretur, quòd poſſit agere in quamcumque diſtantiam in infinitum, quod quidem eſt abſurdum, quia argueret virtutem infinitam in Angelo; Sequela probatur, quia diſtantia illa, in qua Angelus non agit, eſt per accidens, quòd ſit maior, vel minor, quia Angeli virtus nullam actionem exercet in illa.

13. Solutur. Reſpondetur negando ſequelam Maioris, & ad probationem dico, quòd quamuis in medio nulla exerceatur actio agentis, tamẽ pertinet ad actiuitatem agentis, maior, vel minor diſtantia, ita vt, quòd ſit maior diſtantia in quam agit, maior requiratur virtus in agente.

Tertia inſtantia. Tertiò inſtant alij, quia ſi Angelus poſſet agere in diſtans, ſequeretur Angelum non eſſe neceſſariò ſecundùm ſubſtantiam in corpore aſſumpto, quia poſſet illud mouere abſens, quod eſt contra Damaſcenum lib. 1. de fid. cap. 17.

14. Solutur. Reſpondetur, quòd peculiari quadam ratione Angelus de facto debet eſſe in corpore aſſumpto, non quia mouet, ſed quia repræſentat ſe ipſum, & ideo bene dixit Damaſcenus, Angelum eſſe in corpore aſſumpto, non quidem ratione motionis, ſed ratione repræſentationis.

15. Tertia via verior ad probandum immenſitatem Dei. Erue. Ferrar. Caietan. Ægid. Dur. Tertia igitur via communis Thomiſtarum, ad demonſtrandum immenſitatem Dei, ſeu præſentiam in omnibus locis, eſt ex operatione Dei, tamquam ex ratione formali; ita Eruc. in tract. de mot. Angel. quæſt. 1. Ferrar. 3. contra gentes c. 68. Caietan. 1. par. quæſt. 8. art. 1. Ægid. in 1. diſt. 37. in 1. par. diſt. art. 1. quæſt. 1 & Durand. ibidem quæſt. 1. & alij.

Sed quia operatio ſecundùm S. Thom. quodlib. 1. artic. 4. ſumitur dupliciter, vno modo in recto, alio modo in obliquo, quatenus eſt effectus & terminus potentiæ, & idem eſt, quod ipſa potentia ad operationem; ideo ad explicationem huius viæ tria ſunt probanda.

Primum, quòd Deus conſtituatur præſens loco per operationem.

Secundum, quòd conſtituatur in loco per operationem, non in recto, ſed in obliquo.

Tertium, quòd Deus conſtituatur vbique.

Probatur primum, quia cùm ſit ens ſpiritualiſſimũ, debet eſſe in loco per dominiũ; ſi enim hoc dicitur de Angelo, vt probatũ eſt in corollario quinto de loco Angelorũ, multò magis debet dici de Deo.

16. Probatur ſecundum, quòd, ſcilicet, Deus non ſit in loco per operationem in recto, tum quia Angelus non eſt in loco per operationem actualem, vt in dicto corollario oſtendimus: tum quia eſt peculiaris ratio in Deo, quia ſi Deus conſtitueretur per operationem actualem in loco, ſequeretur, quòd Deus non eſſet in ſpatiis imaginariis, quia ibi actu non operatur; hoc autem eſt abſurdum, quia ſequeretur, quòd Deus mutaretur, nam cùm producit aliquod in illo ſpatio imaginario, Deus eſt non ſolùm in creatura, ſed etiam in illo ſpatio interualli, vbi eſt creatura, & non per mutationem ſpatij imaginarij, quia eſt ingenerabile & immobile, ergo per mutationem ſui; Deus igitur eſt in loco per operationem in obliquo, hoc eſt, per potentiam ad operationem.

S. Thom. Et hæc eſt ſententia S. Thom. in quodlib. 1. art. 4. vbi, vt oſtendimus in quinto corolla. de loco Angelorum, dubitat. tertia, dicit S. Thomas, Angelum conſtitui in loco per operationem in obliquo, hoc eſt, per potentiam operandi, multò igitur magis hoc debet dici de Deo. Quòd autem dentur illa ſpatia imaginaria, ſatis fusè oſtendimus in prædicamento Vbi. Breuiter autem nunc probatur, quia ſi Deus annihilaret aërem palmarem inter duos parietes, remaneret profectò diſtantia illa palmaris inter illos duos terminos, vt etiam concedunt aduerſarij; & quidem ibi eſſet Deus, quia alioquin mutaretur, quando ibi produceret corpus, vt probatũ eſt ſuprà; ſicut igitur datur iſta diſtantia inanis inter illos duos parietes, dicendum eſt etiam, quòd detur diſtantia inanis infinita ſuper extimam ſuperficiem cœli; Quòd ſi dicas, illam diſtantiam palmarem dari inter duos parietes ratione terminorum inter quos clauditur illa diſtantia, ſeu Vbi heterogeneorum illorum parietum, petentium tantam diſtantiam, quod non reperitur ſuper extimam ſuperficiem cœli; Contra hoc eſt quia termini & illa Vbi non faciunt diſtantiam, ſed ſupponunt, vt probatum eſt in prædicamento Vbi, & præterea idem argumentum poſſet fieri in illa diſtantia inter illos duos parietes, nam in illa diſtantia neceſſariò eſſet Deus propter argumentum factum, & tamen in illa diſtantia actu, Deus non operatur.

Tertium quod erat probandum, illud eſt, nempe Deum eſſe vbique: Probatur autem vnica ratione fundamentali; Habet Deus potentiam operandi vbique; ergo eſt vbique. Probatur conſequentia, quia potentia operandi vbique, eſt ratio formalis conſtituendi Deum in loco, ergo effectus formalis debet eſſe adæquatus rationi formali, hic autem effectus formalis eſt præſentia vbique. 17.

Sed obiicies primò, Angelus etiã habet potẽtiam operãdi vbique, & tamen nõ propterea eſt vbique. Prima obiectio.

Reſpondetur, vt dictum eſt in coroll. quinto de loco Angelorum, quòd Angelus conſtituitur in loco per potentiam ad operationem, non quidem ſucceſſiuam, vt volebat Durandus, ſed ad operationem ſimultaneam; operatio autem ſimultanea Angeli eſt limitata, quia non poteſt ſimul mouere niſi tantum corpus ad tantam diſtantiam; at verò Deus in eodẽ inſtanti poteſt operari ſine termino; liberè autem ſe determinat ad talem determinatã operationẽ, & ad mouendum corpus ſecundùm tantam diſtantiam. Solutur.

Obiicies ſecundò, potentia Dei non eſt infinita cathegorematicè, quia non poteſt producere infinitum, nec producere corpus repletiuum totius ſpatij imaginarij, ergo non poteſt per hanc potentiam conſtitui in locis infinitis cathegorematicè, ſicut ſunt ſpatia imaginaria. 18. Secũda obiectio.

Reſpondetur negando, potentiam Dei non eſſe infinitam cathegorematicè, vt oſtendimus ſuprà coroll. 6. dubit. 6. & 7. Solutur.

Obiicies tertiò, potentia in Deo non eſt aliquod reale relatiuum, ſed quid abſolutum, quia alioquin Deus dependeret à creaturis, ſi enim nõ eſſent creaturæ, nõ eſſet illa relatio identificata cum Deo, ergo coinciditur in viam Scoti ſuprà confutatam, qui aſſerebat eſſentiam Dei eſſe relationem formalem præſentiæ eſſendi vbique, hæc enim potentia abſoluta nihil aliud eſt, quàm ipſa eſſentia. 19. Tertia obiectio.

Reſpondetur, Scotum non ſumere eſſentiam ſub ratione potentiæ, vt connotat creaturas, vt nos ſumimus, ſed ſumebat ſub ratione nudæ eſſentiæ ſimpliciter, ac proinde ratio formalis aſſignata à Scoto, nec in recto, nec in obliquo includebat operationem, cùm tamen ex Scripturis & Patribus ſuprà citatis habeatur, per operationem Deum conſtitui in loco. Scotus.

Reſtaret nunc agendum, an Deus ſit præſentialiter ſecundùm ſubſtantiam in ſpatiis imaginariis; ſed de hac materia tractatum eſt breuiter in hac quæſtione, & ſatis fusè in prædicamento Vbi.

DISPVTATIO

Digitized by Google

DISPVTATIO VNICA
CIRCA PRÆDICAMENTVM DE AD ALIQVID.

Sunt in hac diſputatione pro explicatione huius prædicamenti decem & octo quæſtiones examinandæ.

I. *Quid nomine Relationis prædicamentalis intelligatur; & an ſit realis.*
II. *Vtrùm Relatio prædicamentalis ſit realis ſecundùm eſſe Ad.*
III. *Vtrùm Relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe Ad, dicat perfectionem realem.*
IV. *Vtrùm Relatio realis prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud.*
V. *In quibus differat Relatio tranſcendentalis à prædicamentali.*
VI. *Vtrùm Relatio prædicamentalis diſtinguatur à parte rei à ſuo fundamento.*
VII. *An Relatio poßit per diuinam potentiam conſeruari ſine ſuo fundamento.*
VIII. *Vtrùm Relationes mutuæ terminentur ad abſolutum, vel ad correlatiuum.*
IX. *Vtrùm in Relationibus non mutuis, relatiuum terminetur ad correlatiuum formaliter.*
X. *Vtrùm Relatio poßit terminari ad plures terminos numero, vel multiplicari debeat numero ad numericam multitudinem terminorum.*
XI. *Vtrùm Relatio ſuſcipiat magis, & minus.*
XII. *Quæ diſtinctio requiratur inter Relationem, & terminum Relationis.*
XIII. *De fundamentis Relationum, & primò quid, & quotuplex ſit.*
XIIII. *Vtrùm Relatio fundet relationem ſicut fundant cætera prædicamenta abſoluta.*
XV. *Vtrùm Vnitas & numerus Mathematicus fundent relationem realem.*
XVI. *Vtrùm Vnitas, & numerus Metaphyſicus fundent relationem realem.*
XVII. *Vtrùm ſecunda ratio fundandi, quæ eſt actio, & paßio, fundent relationem realem.*
XVIII. *Vtrùm menſura, & menſurabile fundent relationem mutuam realem.*

Ex his quæſtionibus philoſophicis deducetur poſtea tota materia de relationibus diuinis.

PRIMA QVÆSTIO.

Quid nomine Relationis realis prædicamentalis intelligatur; & an ſit realis.

1. Prima ſententia.

PRIMA ſententia aſſerit, Relationem non dicere aliquid intrinſecè diuerſum à fundamento, ſed tantùm extrinſecè importare aliquid, quod non eſt in ipſo, ipſum ſcilicet terminum: vnde albedo & ſimilitudo, quantùm ad id quod ſunt, non ſunt diuerſæ res; ſimilitudo tamen importat rem aliquam, ad quam eſt, quam non importat albedo.

Ex qua opinione ſequitur primò, quòd eadem res, quæ facit formaliter Socratem album, prout eſt res abſoluta, facit eundem formaliter Platoni ſimi- B lem, quatenus eſt quædam conformitas Socratis albi ad Platonem album.

Secundò ſequitur, quòd relatio realis, & fundamentum, idem ſunt: nec addit aliquid relatio realis ad fundamentum, niſi coëxiſtentiam alicuius exiſtentis in altero, quod extrinſecè per relationem tanquam terminum importatur.

Tertiò ſequitur, quòd relatio in recto, non dicat aliam rem à ſuo fundamento, ſed eandem ſub alia ratione; in obliquo verò dicat terminum ad quem eſt, & vt ſic addit rem aliam à ſuo fundamento.

Digitized by Google

Quòd ſi dicas, ex hac opinione ſequi, relationem eſſe plures res, quia importat diuerſa. Reſpondet hæc ſententia, quòd non importat illa tanquam partes integrantes ſuam realitatem, ſed eſt vna res in ſe, quamuis ſit alterius rei vt ad terminum.

Quòd ſi dicatur, quòd non videtur habere vnum conceptum ſimplicem. Reſpondet, quòd quantùm ad id, quod relatio importat, habet vnum conceptum ſimplicem; importat autem in recto fundamentum.

Erueus & alij. Nominales. Ægidius. Sylueſter. S. Thom. Aureolus.

Hæc ſententia eſt Eruei quodlib. 10. quæſt. 1. & quodlib. 2. quæſt. 15. & in 1. diſtinct. 30. artic. 1. Tribuitur Nominalibus in 1. diſtinct. 30. & Ægidio in 1. diſtinct. 26. quæſt. 4. & Syluestro in conflato quæſt. 28. dubitat. 1. & Sanct. Thomæ opuſc. 48. cap. 2. Alij tribuunt Aureolo in 1. diſtinct. 30. Sed nullus iſtorum expreſsè hanc ſententiam tenet, imò Aureolus illam impugnat loco citato.

2\. *Triplex ſenſus huius primæ ſententiæ.*

Pro quo nota, quòd hæc opinio poteſt habere triplicem ſenſum.

Primus ſenſus.

Primus eſt, quòd de conceptu relationis in obliquo, ſit fundamentum, & terminus; in recto autem ſit habitudo, tamquam medium, connectens fundamentum cum termino: ita tamen, vt talis habitudo non ſit in re, ſed per operationem intellectus, totaliter fabricetur ſecundùm totum ſuum eſſe formale; & in hoc ſenſu accepit Aureolus, vt videbimus infrà in tertia ſententia.

Secundus ſenſus.

Secundus ſenſus eſt, quòd talis habitudo ſit verè in re, nihilominus non ſit diſtincta à re, niſi ex opere intellectus, atque adeò quòd ſit diſtincta à fundamento ratione ratiocinata, & contra hunc ſenſum agemus infrà; iuxta quem ſenſum intelligendi ſunt Capreolus & Sylueſter.

Proprius tertius ſenſus huius quæſtionis.

Tertius ſenſus eſt, quòd relatio non importet aliquam habitudinem, vel quæ ſit à parte rei, ſiue diſtincta, ſiue identificata cum fundamento, per modum medij cuiuſdam inter fundamentum, & terminum, ſed quòd tantummodo de conceptu relationis ſit fundamentum in recto cõnotans, & terminum in obliquo, abſque vlla media habitudine. Et hæc eſt præſens ſententia, quam tenet Erueus.

3\. *Primum argumẽtũ pro prima ſententia.*

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia præciſa omni habitudine media connectente, ſi tantùm remaneat fundamentum, & terminus, ſaluatur conceptus relationis, quia, vt album, ſit alteri albo ſimile, requiritur, & ſufficit, quòd vnum album habeat talem qualitatem, qualem alterum habet: & quòd Socrates ſit filius Platonis, requiritur & ſufficit, vt Plato ſit à Socrate genitus; hoc autem, habere qualitatem, quam alter habet, dicitur alio nomine ſimilitudo, vel hunc eſſe genitum ab illo, alio nomine dicitur filius, & quantitas bipalmaris dicitur æqualis alteri bipalmari, quia altera habet eandem quantitatem, & inæqualis, quia habet diuerſam, & ita ſimiliter de reliquis relationibus.

Secundũ argumentum.

Secundò probatur, quia tam corporum propinquitas quàm diſtantia; item æqualitas, & inæqualitas; tam vocum harmonia, quàm diſſonantia, ſunt relationes, ſunt enim vt patet, ad alterum, & tamen oculus corporeus cernit corpora propinqua, & diſtãtia, & æqualitatem, & inæqualitatem: & auris delectatur harmonia, & læditur à diſſonantia: nulla percepta ab iſtis ſenſibus habitudine media, quia hæc non cadit ſub ſenſum viſus, & auditus, cùm nec ſit lumen, aut color, nec ſonus. Relatio igitur non dicit hanc habitudinem mediam, ſed tantùm fundamentum, & terminum; fundamentum quidem in recto, & terminum in obliquo.

Tertium argumentum.

Tertiò probatur, eſſe cognitum, & eſſe viſum, ſunt relationes, quæ ſunt ad alterum, & tamen nulla habitudo media eſt in re viſa, aut cognita, ſed tantùm fundamentum, & terminus; nec ſimiliter inter Deum, tanquam cauſam, & creaturam, tanquam effectum: & quidem quòd non ſit media habitudo realis, omnes concedunt: quòd verò nec rationis, probatur, quia nulla concepta habitudine media, adhuc paries eſt viſus, & Deus eſt creator: ſufficit igitur ad ſaluandam relationem realem conſortium fundamenti, & termini.

Quartũ argumentum.

Quartò, ſi relatio eſt aliqua habitudo media inter fundamentum, & terminum, vel hæc eſt rationis, vel realis: ſi rationis, poteſt non fieri ab intellectu, & tamen adhuc paries albus erit alteri ſimilis, per coëxiſtentiam cum albedine in altero pariete, ſeu per conſortium cum alio albo: ſi verò eſt realis, cùm aduenit de nouo parieti albo per coëxiſtentiam alterius albi, diſtingueretur ſaltem modaliter à ſuo fundamento; poterit igitur ſeparari à Deo, vel impediri ne pullulet, non concurrendo cum generali concurſu ad eſſe illius, vel poſtquam eſt producta, corrumpere, ſubtrahendo ſuum concurſum, & tunc etiam paries albus adhuc erit ſimilis per coëxiſtentiam cum altero albo; non igitur relatio eſt habitudo media.

Quòd ſi dicas, fundamentum ita dependere ab hac habitudine media, vt non poſſit conſeruari illa corrupta: ſicut non poteſt conſeruari modus corrupto fundamento; atque adeò non pullulante hac habitudine media, non erit album coëxiſtens alteri albo. Sed contrà, quia fundamentum eſt prius hac habitudine media, prius autem non dependet à poſteriori, præſertim in hoc caſu noſtro, quia primum album erat independens ab hac habitudine media, antequam fieret aliud album, ergo poteſt etiam ab eadem independenter perſeuerare, cùm poſtea ſit aliud album; non enim ex coëxiſtentia alterius albi, indiget primum album maiori ſubſidio ad exiſtendum, quàm indigebat priùs ante coëxiſtentiam cum altero albo.

Quintum argumentũ Ariſt.

Quintò probatur ex Ariſt. cap. de relat. vbi explicans ex profeſſo ſignificationem illorum nominum, Idem, Simile, Æquale, ait, (Eadem dicuntur, quorum ſubſtantia eſt vna:) Similia, quorum qualitas eſt vna:) Æqualia, quorum quantitas eſt vna;) ac ſi diceret, Ea dicuntur eadem, ſimilia, vel æqualia, quæ habent vnam ſubſtantiam, vel qualitatem, vel quantitatem, quam habet aliud, ita vt ſimilitudo non ſit aliquid diuerſum ab albedine, ſed ſit ipſamet albedo non ſimpliciter, ſed ſub conditione quòd altera albedo exiſtat. Et confirmatur, quia etiam homines vulgares, & Philoſophi, & Scholaſtici, & Sancti Patres in hoc ſignificato ſumunt hæc nomina, Idem, Simile, &c. nam non alia ratione Scholaſtici, & Patres dicunt Deum eſſe ſimilem creaturis; & multi Philoſophi, qui tenent relationem non fundare aliam relationem, iuxta hoc ſignificatum dicunt relationem eſſe ſimilem alteri.

Sextum argumentum.

Sextò, Relatio æqualitatis nihil aliud eſt, quàm ipſum fundamentum connotato termino eiuſdem quantitatis; Exempli gratia, Æqualitas in vno palmo, nihil aliud eſt quàm ipſa quantitas palmaris, connotata alia quantitate palmari, ergo idem etiam poteſt dici de aliis relationibus. Conſequentia patet, quia ſi poteſt ſaluari ratio relationis in exemplo allato, per fundamentum & terminum, poteſt etiam ſaluari in aliis exemplis, quare non eſt neceſſe multiplicare nouas relationes aduenientes. Antecedens probatur, quia ſi relatio æqualitatis

Digitized by Google

tis eſſet habitudo de nouo aduenieus ipſi palmo, A ſequeretur, vel quòd eſſet indiuiſibilis, quod eſt abſurdum; eſt enim accidens materiale; vel quòd ſi eſſet diuiſibilis, ſequeretur, quòd in qualibet parte palmi, eſſet relatio æqualitatis ad palmum, quod eſt impoſſibile.

Septimum argumentũ.

Septimò, ſi daretur relatio realis de nouo adueniens, & inhærens fundamento, ſequeretur, quòd iſta relatio deberet in ſe ſuſcipere magis & minus, nam relatio æqualitatis vnius palmi, eſt magis inæqualis quantitati tripalmari, quàm bipalmari, non quidem ratione fundamenti, ſed ratione ſui, quia quantitas non ſuſcipit magis & minus, hoc autem eſt abſurdum, quia ſequeretur, quòd eadem numero relatio, vno & eodem numero actu intenderetur, & B remitteretur, quod eſt abſurdum; Probatur ſequela, nam ſi quantitas bipalmaris diminuatur, & fiat palmaris, tunc relatio inæqualitatis intenderetur penes quantitatem tripalmarem, & diminueretur penes ſemipalmum.

4. Secũda ſententia.

Secvnda ſententia eſt aſſerentium, relationem realem eſſe denominationem, ſeu actum intellectus tribuentem hoc nomen, v. g. (ſimile) ipſi albo, per conſortium cum altero coalbo; Sunt autem in hac ſecunda ſententia duo modi dicendi.

Primus modus dicendi.

Primus eſt aſſerentium, relationem realem eſſe denominationem extrinſecam, quatenus intellectus non quidem concipiendo aliquam habitudinem C mediam inter duo alba, ſed concipiendo ſeu applicando vnum coalbum, tamquam formam extrinſecam, alteri albo, denominat ipſum album (extrinſecè ſimile) per formam extrinſecam alterius coalbi, applicatam alteri albo; & idem dicunt de aliis relationibus realibus. Hic modus dicendi ſic explicatus eſt aliquorum apud Auerr. 12. meta. comment. 19. & Auicen. lib. 3. ſuæ metaph. cap. 10. Tribuitur etiam Nominalibus, Ocham in 1. diſtin. 30. & 31. quæſt. 1. & Gregorio diſtinct. 28. quæſt. 2. artic. 2. Tribuitur etiam Aureolo, ſed immeritò, vt mox videbimus in tertia ſententia.

Auer. Auicen. Ocham. Gregor. Aureol.

5. Secundus modus dicendi eſt aſſerentium, relationem realem eſſe denominationem intrinſecam, exiſtimant enim relationem realem nihil aliud D eſſe, quàm ipſum actum intellectus tribuentis hoc nomen (ſimile) ipſi albo, tamquam formæ intrinſecæ, connotando extrinſecè alterum coalbum, tamquam terminum. Differt autem à primo modo dicendi, quia ille primus modus dicebat formam, à qua album denominatur ſimile, non eſſe ipſammet entitatem intrinſecam albi, ſed eſſe alterum coalbum, applicatum ab intellectu priori albo, ac proinde illud album denominari extrinſecè ſimile, à forma extrinſeca ab altero, ſcilicet, coalbo, applicato ab intellectu ipſi albo.

6. Tertia ſententia. Aureol.

Tertia ſententia eſt Aureoli in 1. diſtinct. 30. vbi dicit, relationem non eſſe formaliter fundamentum in recto, & terminum in obliquo, vt dice- E bat prima ſententia, neque denominationem factam ab intellectu, vt dicebat ſecunda, ſed dicit relationem formaliter conſiſtere in quadam habitudine media, quaſi quodam nexu connectente fundamentum cum termino, hanc autem habitudinem dicit non eſſe realem, ſed tantùm fabricatam ab intellectu cum fundamento in re, ſicut etiam ſenſerunt veteres philoſophi apud Ammoniũ & Auerr.

Ammon. Auer.

Argumenta pro tertia ſententia ad probãdum, relationẽ nõ eſſe realem.

Duo debet probare hæc ſententia, primum, quòd debeat dari iſta habitudo; hoc autem probatur, quia vt fuſiùs oſtendemus in quarta concluſione, conceptus relationis importat (Ad). Secundum quod debet probari, eſt, quòd hæc habitudo non ſit realis, ſed rationis; Hoc autem probatur,

Primum argumentum.

Primò, quia ſecundùm Ariſt. 5. phy. t. 10. relatio aduenit ſine rei mutatione, ſi autẽ adueniret de nouo aliqua habitudo media realis inter extrema, mutaretur illud fundamentum, cui de nouo adueniret iſta relatio, quia aliquid de nouo reciperet, ergo ſecundùm Ariſt. non datur relatio realis, ſed rationis, cum fundamento in re.

Secundum argumentũ.

Probatur ſecundò, quia relatio realis deberet conſtitui per (Ad) reale, & ſecundùm hoc afficere ſubiectum, ſed non poteſt conſtitui per (Ad) reale, & per illud afficere ſubiectum, ergo &c. Maior probatur, quia (Ad) vt eſt commune relationi reali, & rationis, non poteſt ineſſe ſubiecto ſecundùm illam rationem communem, quia omne accidens ineſt ſubiecto ſecundùm rationem propriam; ſed ratio propria relationis realis, vt diſtinguitur à relatione rationis, eſt (Ad) reale, ergo ſecũdùm (Ad) reale debet ineſſe ſubiecto; ſed non poteſt ineſſe ſecundùm (Ad) reale, vt dicebatur in Minori; & probatur, quia iſtud (Ad) quod tu ponis reale, debet præſcindere ab (In) ergo præſcinderet ab eſſe reali, quia omne accidens reale habet eſſe (In), ergo eſſet reale, & non reale.

Quòd verò præſcindere debeat ab (In) probatur, quia alioquin ſequeretur abſurdum, quòd ratio contrahibilis eſſet contrahens reſpectu eiuſdem. Probatur ſequela, quia (In) ſeu accidens, contrahitur per multas rationes proprias accidentales, per qualificatiuum, quantificatiuum, per eſſe (Ad) &c. ergo eſſe (Ad) eſt ratio contrahens; & rurſus ipſum (Ad) tamquam ratio contrahens non includit intrinſecè contrahibile, quia tunc eſſet contractum, & non contrahens, & eſſet commune enti reali & rationis, ergo ipſum ad hoc vt diſtinguatur ab (Ad) rationis, debet contrahi per (In) ſeu per eſſe accidentale reale, ergo ratio contrahibilis (In) ſit contrahens reſpectu eiuſdem.

Tertium argumentum.

Probatur tertiò, quia mirabile videtur, quòd facto nouo albo in India, ſtatim de nouo in primo albo quod erat Neapoli, reſultet relatio realis: Peto enim à quo producitur talis relatio realis ſimilitudinis, non à fundamento, ſeu albo, quod eſt Neapoli, quia albedo non eſt actiua, non ab agente, quod produxit album in India, quia eſt valde diſtans, non à termino, quod eſt alterum coalbum: tum quia non ſemper eſt qualitas actiua, tum quia eſt [illegible]ximè diſtans.

Qvarta ſententia aſſerit relationem eſſe quidem habitudinem realem, ſed identificatam à parte rei cum fundamento; Sed hæc ſententia fusè examinabitur infrà quæſt. 6. ac propterea de hac ſententia nihil dicetur in quæſtione præſenti. 7. Quarta ſententia.

Qvinta ſententia eſt antiquorum Philoſophorum ante Platonem apud Sotum in prædicam. Relationis, aſſerentium relationem eſſe quidem realem, negarunt tamen efficere vnum prædicamentum reale à cæteris diſtinctum, ſed vagari per omnia prædicamenta. 8. Quinta ſententia. Plat. Scot.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, tum quia omnis creatura dicit intrinſecè relationem eſſentialis dependentiæ ad Deum, & omne accidens ad ſubſtantiam; tum quia præter hanc habitudinem communem eſt in ſingulis etiam generibus accidendentium, inuenire aliquam habitudinem peculiarem ad terminum, vt in ſubſtantia, præſertim compoſita, eſt inuenire habitudinem materiæ ad formam, & è conuerſo compoſiti ad ſuas partes.

Digitized by Google

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

9. *Prima conclusio.* RElatio prædicamentalis non eſt omnino idem cum fundamento, differens tantùm penes connotatum extrinſecum; ſed eſt aliquid aliud præter fundamentum, & terminum; quid ſit hoc hoc aliud, videbimus infra in 3. & 4. concluſione. Hæc concluſio eſt communis Scholaſticorum.

Solet autem contra primam ſententiam variè probari, ſed non omnes probationes ſunt efficaces.

Prima ratio aliquorum. Primò probant aliqui, quia non mutatis, nec corruptis, nec generatis, nec multiplicatis, nec auctis, nec diminutis fundamentis, Relationes corrumpuntur, generantur, multiplicantur, intenduntur, & remittuntur, ergo ſignum eſt relationem eſſe aliquid præter fundamentum. Antecedens probant, quia nulla mutatione recepta in entitate prioris albi, ſi alterum coalbum producatur, incipit illud prius album eſſe ſimile. Præterea non multiplicato priori albo, ſi plura alia alba producantur, illud prius album fit multipliciter ſimile. Rurſus corrupto vno albo, corrumpitur ſimilitudo in alio albo, & non corrumpitur albedo. Vlteriùs ſi vnum album augeatur, & minuatur in albedine, augebitur & diminuetur ſimilitudo in alio albo, immutata entitate albedinis; & è contra ſi duo alba ſimilia eodem decremento minuantur, vel eodem incremento augeantur, ſemper erunt ſimilia eodem modo, & tamen in entitate vtriuſque albedinis non eſt variatio.

Probant conſequentiam, quia ſi relatio eſſet idem cum fundamento, variaretur ad variationem fundamenti; Et confirmant, quia verè à parte rei album primum, quod non erat antea ſimile, poſito altero albo, incipit eſſe ſimile, ergo verè recipit de nouo aliquod eſſe reale, quod priùs nõ habebat. Quòd autem hoc eſſe de nouo ſit forma relatiua, patet, quia per hoc eſſe de nouo verè nunc reſpicit terminum, quem antea non reſpiciebat.

10. *Reiicitur hæc prima ratio.* Sed hæc ratio non eſt efficax, ſolui enim poteſt à prima ſententia, ſi dicatur, quòd quamuis nulla ſit mutatio intrinſeca in ipſa entitate fundamenti, ſufficit, vt ſit mutatio, vel variatio in cõnotato extrinſeco, à quo tamquam à conditione requiſita pendet denominatio intrinſeca; poteſt enim variatio emitatis extrinſecę, eſſe cauſa variationis denominationis intrinſecæ; Et ratio eſt, quia vt album dicatur ſimile, neceſſariò requiritur conſortium alterius, ergo ex variatione vel mutatione illius alterius extrinſeci, poteſt variari denominatio intrinſeca in primo albo: vnde corrupto alio albo, ceſſaret denominatio ſimilis abſque corruptione alicuius formæ in altero albo: & eodem modo, ſi eodem decremẽto minuantur duo alba, vel augeantur eadem incremento, ſemper perſeuerabit eadem ſimilitudo, quia ſemper dicit conſortium alterius albi eiuſdem rationis; Et confirmatur, quia Deus ſine vlla ſui mutatione incipit in tempore habere denominationem Creatoris, & cauſæ; ſolùm per mutationem extrinſeci termini, & eodem modo etiam incipit eſſe ſimilis creaturæ; Et præterea ſecundùm illos Philoſophos, qui dicunt relationes non fundare relationem, debet dici quòd adueniente alia relatione eiuſdem rationis, prima relatio fiat ſimilis ſine vlla ſui mutatione: Et præterea hoc etiam debent admittere illi, qui dant relationem realem ſimilitudinis ſuperadditam albedini: nam ſit ſimilitudo in albo vt octo, terminata ad aliud album vt octo, ſi fiat aliud

A album vt ſex, fit de nouo ſimile albo vt ſex, ſine vlla ſui mutatione: & ſi iſtud album vt ſex, creſcet aut diminuetur, etiã prior relatio ſimilitudinis creſcet, & diminuetur, ſine vlla ſui mutatione. Et cùm dicitur, ſequitur, quòd verè & realiter album, quod priùs nõ erat ſimile, verè & realiter fiat ſimile, ſi adueniat aliud album: Reſpondetur, hoc eſſe verum, ſed negatur hoc fieri per aliquod intrinſecum, diuerſum ab eo, quod habebat antea primum album, ſed per illud idem intrinſecum, ſuppoſito conſortio alterius de nouo producti.

Ad confirmationem verò cùm dicitur, quòd primum album poſito alio albo reſpicit terminum, quem priùs non reſpiciebat; reſpondere poſſet prima ſententia, quòd illa denominatio, quæ eſt à parte rei, non prouenit ab aliquo eſſe reſpectiuo de
B nouo producto, ſed ab ipſo fundamento abſoluto, poſito conſortio alterius.

Secundò probant alij, Fundamentum ſeparari poteſt à relatione, & remanere ſine illa, ergo neceſſariò aliquid reale aduenit de nouo fundamento. 11. *Secunda ratio aliorum.*

Reiicitur. Sed hæc ratio etiam poteſt ſolui, dicunt enim authores primæ ſententiæ, neque per potentiam diuinam poſſe relationem ſeparari a fundamento, ſuppoſito termino, ſolùm ergo ſeparatur cùm corrumpitur terminus, atque adeò non ſeparatur ſecundùm aliquid reale intrinſecum, quod eſt in fundamento.

Tertiò alij probant, Quando vnum album de nouo fit, vel additur alteri albo aliquid reale de nouo, 12. *Tertia ratio aliorum.*
C vel nihil: Si additur aliquid reale, habetur intentum, quia hoc reale debet eſſe reſpectiuum, cùm ſit ad aliud, ergo additur relatio. Si dicas, nihil reale addi, Contra hoc eſt, inquiunt, quia tunc non adueniret relatio ſimilitudinis, quod quidem dici non poteſt, quia priùs in primo albo non erat ſimilitudo, & poſtea eſt ſimilitudo à parte rei, ergo aliquid rei de nouo eſt in primo albo.

Reiicitur hæc tertia ratio. Sed hæc ratio adhuc ſolui poteſt, ſi dicatur quòd aliquid rei de nouo fit, ſed non intrinſecè in primo albo, ſed in termino, qui de nouo factus eſt albus, quem terminum connotat primum album; & ſuppoſita hac connotatione, albedo tribuit effectum
D formalem eſſe ſcilicet ſimile ipſi ſubiecto.

Quartò alij probant, quia ſi relatio nihil reale ponit in re, quæ reperitur, non ergo poteſt conſtituere reale genus entis. Probatur conſequentia, quia relatio ſecundùm hanc opinionem nihil præter abſoluta ponit, ergo ſimpliciter nihil eſt reſpectiuum, ergo non conſtituit diſtinctum genus entis ab abſolutis. 13. *Quarta ratio aliorum.*

Reiicitur. Sed hæc ratio etiam ſolui poteſt, ſi dicatur quòd eſſe (Ad) relationis, ſit aliquid in re, quæ refertur, ſcilicet, ipſa albedo, quæ tribuit effectum formalem (ſimilis) ſuppoſito altero coalbo, quod connotat: Et ſolùm argumentum probat non eſſe ſimilitudinem
E aliquid intrinſecũ diſtinctũ ab albedine. Ad probationem conſequentię reſpondetur, Relationem non eſſe aliquid præter abſoluta, diſtinctum ab abſolutis: & hoc concedit prima ſententia, negat tamen nõ eſſe aliquid pręter abſoluta ſumpta abſolutè ſine illa reſpicientia, quatenus vnum album dicit conſortium cum alio albo, vt ſic enim album habet rationem ſimilitudinis.

Quintò igitur efficaciùs probatur, Si relatio realis eſt ratio per quam res, vt ſit talis, connotat aliquid extrinſecum, ſequeretur quòd verè in Deo eſſent relationes reales prædicamẽtales: ſed hoc eſt abſurdum, & contra communem Philoſophorum, ergo, &c. Sequela Maioris probatur: nam Deus eſt intrinſece 14. *Quinta ratio vera, & efficax.*

Digitized by Google

ſecè ſciens, & volens creaturas; ſunt enim iſti actus vitales, & vt ſit talis actus connotat creaturas: Præterea Deus eſt cauſa creaturarum,& vt ſit talis, connotat creaturas à ſe dependentes: ſicut igitur in creaturis volitio, ſcientia, & ratio cauſæ ſunt relationes reales,non alia ratione,niſi quia,vt ſint tales, connotant extrinſecum, ſic etiam in Deo iſtæ relationes eſſent reales,vt in creaturis.

15. Sed ad hanc rationem reſpondent authores huius primæ ſententiæ, non eſſe abſurdum ponere in Deo huiuſmodi relationes reales,quomodo ab ipſis explicantur, quia ſecundùm ipſorum ſententiam ponendo has relationes, nihil intrinſecum de nouo in tempore aduenit Deo. Sed quia videbant hanc reſponſionem eſſe contra communem, reſpondent ſecundò, relationes debere eſſe inter extrema eiuſdem ordinis; Deus autem, & creatura ſunt diuerſi ordinis.

Confutatur. Sed hæc reſponſio non omnino ſatisfacit, quia ſolùm ex hac reſponſione ſequitur, quòd in Deo eſſet relatio ad creaturas diuerſi ordinis; nam in Deo ſunt illi actus connotantes creaturas diuerſi ordinis,vt probatum eſt: eſſet igitur in Deo relatio: nam relatio iuxta ſententiam iſtorum nihil aliud eſt,quàm ratio,per quam aliquid, vt ſit tale,connotat extrinſecum, ſeu dicit conſortium cum alio: ſecus autem eſſet ſi relatio de nouo reſultaret, diſtincta à fundamento, quia tunc non reſultaret ſi extrema eſſent diuerſi ordinis.

16. Secundò reſpondent alij, quòd in Deo non ſunt relationes reales ad creaturas, quia relatio ſpecificatur à termino:at ſpecificatio eſt quædam formalis cauſalitas,& dependentia: cùm ergo in Deo non ſit dependentia à creaturis, non poteſt ſpecificari ab illis,neque poteſt referri ad illas.

Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, & impugnatur primò, quia ſuppoſito quod dicit prima ſententia, contra quam argumentamur, quòd, ſcilicet, relatio ſit ratio, per quam res, vt ſit talis, connotat aliquod extrinſecum, tunc neceſſariò ſequeretur hoc abſurdum, quòd in Deo eſſet relatio realis, quia in Deo datur ratio connotans creaturas. Secundò impugnari poteſt hæc reſponſio ad hominem; nam relationem ſpecificari à termino, nihil aliud eſt, ſecundùm hanc primam ſententiam, quàm connotare terminum; at connotare terminum non dicit dependentiam à termino: nam ſecundùm eandem primam ſententiam, in Deo eſt verè ſcientia, & volitio creaturarum, & tamen hæ rationes non dependent à creaturis, tanquam à termino, quamuis in creaturis iſtæ rationes dicant dependentiam à termino.

17. Sexta ratio efficax. Probatur ſextò,ſequeretur ex hac ſententia,contra communem ſententiam, quòd denominationes extrinſecæ eſſent reales:nam paries vt ſit cognitus, præſupponit, & connotat intellectionem, ſine qua non poteſt denominari cognitus: ſicut igitur paries dicitur eſſe ſimilis ſine vlla ſui mutatione ex ſola poſitione albedinis, ex qua poſitione tunc incipit habere conſortium cum altero albo, & conſequenter albedo eſt ratio connotans extrinſecum, & ideo habet rationem relationis:ita etiam paries ſine vlla ſui mutatione incipit eſſe cognitus, ex ſola poſitione cognitionis, ex qua poſitione aduenit parieti ratio,per quam vt ſit talis, ſcilicet cognitus, connotat extrinſecum, ſcilicet, cognitionem; ergo habet relationem realem; hæc enim eſt definitio relationis realis ſecundùm Aduerſarios,vt dictum eſt.

18. Ad hanc rationem reſpondent Aduerſarij, relatiuum reale debere habere intrinſecè rationem, per A quam,vt ſit tale,connotet extrinſecum,à qua ratione intrinſeca denominatur intrinſecè tale: at verò paries, inquiunt, dicitur cognitus per denominationem extrinſecam,per cognitionem ſcilicet, quæ eſt in cognoſcente,& non in pariete.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, nam poſſet dici quòd eſſe cognitum, non denominatur à cognitione, ſed intrinſecè à cognoſcibilitate, quæ eſt in pariete, quæ quidem non tribuit effectum formalem cogniti, ſeu relati, niſi poſita cognitione vt termino requiſito; ſicut in eorum ſententia albedo ſine vlla ſui mutatione, poſito termino altero, ſcilicet co albo, incipit intrinſecè eſſe relatio ſimilitudinis per ſolam poſitionem alterius albedinis; quia B tunc albedo tribuit effectum formalem parieti relato,ſeu ſimili ad alium parietem.

19. Secundò reſpondent alij ad hanc eandem probationem noſtram, parietem cognitum non eſſe à parte rei in ordine ad aliud, ſed tantùm eſſe conceptibilem in ordine ad aliud:at verò relatio realis eſt à parte rei in ordine ad aliud.

Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, quia ideo eſſe cognitum, eſt conceptibile in ordine ad aliud, quia verè à parte rei eſt cum conſortio alterius, alioqui non poſſet intelligi in ordine ad aliud; ſi autem eſt à parte rei cum conſortio alterius, tunc eſt relatio realis ſecundùm ipſos, quia tunc eſt ratio, per quam aliquid vt ſit tale, connotat aliquid C extrinſecum, ſicut à pari ſimilitudo, quam ipſi dicunt eſſe relationem realem, ideo eſt conceptibilis in ordine ad aliud, quia à parte rei dicit conſortium cum alio,quod habet eandem qualitatem: ergo vel ſimilitudo non eſt dicenda relatio realis contra ipſos, vel ſi eſt dicenda relatio realis, etiam relatio cogniti eſt dicenda relatio realis, vt probatum eſt; quod tamen ipſi negant.

20. Septima ratio efficax. Septimò probatur,Relationes tranſcendentales, quæ ſunt (etiam ipſis Aduerſariis concedentibus) diſtinctæ à prædicamentalibus,ſunt etiam rationes, per quas,vt aliquid ſit, tale connotant extrinſecum; ergo falſum eſt relationem prædicamentalem eſſe rationem, per quam, vt aliquid ſit, tale connotat D extrinſecum.

Quòd ſi dicas, relatio tranſcendentalis non exigit terminum exiſtentẽ, quem exigit relatio prædicamentalis. Contrà, quia ex hac eorum ſententia ſequeretur, relationem etiam prædicamentalem non exigere terminum actu exiſtentem, quia relatio ſimilitudinis in pariete ſecundùm Aduerſarios, nihil aliud eſt,quàm ipſa albedo,quæ quatenus connotat aliam qualitatem ſimilem, tribuit effectum formalem ſimilitudinis parieti albo, quæ ratio cùm ſit intrinſeca, (eſt enim ipſamet albedo, quæ eſt in pariete) poteſt hunc effectum tribuere, & denominare ſimile, ſiue aliud album, quod connotatur,ſit exiſtens, ſiue ſit poſſibile, non tamen exiſtens, nam E non poteſt negari quòd maiorem ſimilitudinem,ſeu conuenientiam habeat paries albus cum alio albo poſſibili non exiſtente, quàm cum nigro non exiſtente.

21. Octaua ratio efficax. Octauò probatur. In Deo eſt vera entitas relatiua, quæ eſt habitudo conſtituens perſonas, ergo etiam in creaturis debet dari hæc habitudo inter extrema,ſi aliunde non repugnet,vt fuſiùs oſtendemus in ſecunda quæſtione.

22. Nona ratio à priori. Nonò à priori probatur,quia, vt fuſiùs oſtendetur in quarta concluſione, inter albedinem, & terminum,vt ſimul coëxiſtentia, intellectus cõcipit,vt patet experientia, habitudinem quandam mediantem inter iſta duo extrema, quæ ſit veluti mutua

connexio

Digitized by Google

connexio extremorum, ergo nomine relationis realis debemus intelligere iſtam habitudinem, reſultantem ex conſortio illorum duorum extremorum; quòd ſi talis habitudo realiter non poteſt dari, deberent potiùs congruentiùs dicere, non poſſe dari formaliter relationem realem, ſed tantùm rationis, non autem negare omnem habitudinem. Quòd verò poſſit dari iſta habitudo realis, probabimus infrà in quarta concluſione.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

23\. *Secunda cõcluſio.* RELATIO realis non eſt denominatio extrinſeca, nec intrinſeca, contra primum & ſecundum modum dicendi ſecundæ ſententiæ.

Prima probatio. Comment. Probatur primò ex commentatore 4. meta. Intellectus non poteſt denominare duo alba ſimilia, tribuendo nomen (ſimile) albo, niſi concipiat habitudinem, ſeu conformitatem mutuam inter ipſa alba; experimur enim quod dum intellectus concipit duo alba ſimilia, mutari de non conceptu relatiuo, ad conceptum relatiuum; ergo iſta denominatio ſi eſt intrinſeca, ſupponit habitudinem realem mediam inter duo alba; ſi verò eſt extrinſeca, ſaltem ſupponit habitudinem rationis confictam priùs ab ipſo intellectu, per quam poſtea denominet formaliter, ſeu tribuat nomen (ſimile) ipſi albo.

Quòd ſi dicas, vt authores huius ſecundæ ſententiæ dicunt, per intellectum non concipi habitudinem aliquam mediam, ſed tantùm applicari ſeu concipi formam abſolutam, vt coëxſtientem alteri, v. g. vnum album cum conſortio ſeu coëxiſtentia alterius coalbi.

24\. *Secũda probatio.* Contra hoc eſt, & eſt ſecundum argumentum, quia ſi per iſtam denominationem non additur ab intellectu aliquod reſpectiuum; ſolùm igitur concipitur illa connexio, ſeu coëxiſtentia, quæ eſt à parte rei vnius albi cum alio coalbo; ergo iſta denominatio nihil confert ad relationem, ſed eſt impertinens, quia intellectus ſolùm conciperet, ſeu indicaret ita eſſe à parte rei; ſi igitur à parte rei illa coëxiſtentia non eſt relatio realis, neque per intellectum, denominantem fit relatio realis; ſi verò illa coëxiſtentia eſt relatio realis; tunc iſta denominatio eſt impertinens, & nihil confert ad relationem, ſicut à pari, ſi ſecundùm aliorũ ſententiam daretur habitudo media realis, diſtincta à parte rei à fundamento, exempli gratia, albo, tunc, vt album denominaretur, ſeu iudicaretur eſſe ſimile, requireretur actus intellectus denominantis, & tamen non propterea diceretur, illam relationem eſſe denominationem, quia denominatio ſe haberet conſequenter.

25\. *Tertia probatio.* Tertiò arguitur ſpecialiter contra ſecundum modum dicendi, aſſerentem relationem realem eſſe denominationem intrinſecam, quia contra hunc ſecundum modum dicendi ſequuntur eadem abſurda, quæ diximus ſequi in prima concluſione, contra primam ſententiam aſſerentem relationem prædicamentalem, v. g. ſimilitudinem eſſe ipſum fundamentum, ſeu album, quatenus connotat extrinſecè aliud coalbum. Probatur ſequela, quia denominatio ipſa intrinſeca nihil aliud eſt, quàm actus intellectus, tribuens nomen hoc (ſimile) parieti albo, vt connotat terminum extrinſecum, ſcilicet, coalbum; ſed per hunc actum intellectus non ponitur aliquid intrinſecum in ipſa forma abſoluta, ſeu fundamento, quod eſt ipſum album connotans extrinſecum; neque concipitur aliqua habitudo, ſeu forma relatiua medians inter duo extrema, ergo ipſa forma abſoluta eſt illa, quæ formaliter denominat albũ ſimile, ſuppoſito actu intellectus, tãquam conditione, ſeu tãquam agente applicante; omnia igitur illa abſurda, quæ ſuprà attulimus contra primam ſententiã, ſunt etiam contra hunc ſecundum modũ dicendi; Et præcipuè ſequeretur illud, quòd in Deo eſſent relationes reales prædicamentales, nam iuxta hunc ſecundum modum dicendi in creaturis, v. g. in generante, relatio realis cauſæ, ſeu paternitatis, nihil aliud eſt, quàm actus intellectus, tribuens nomen hoc paternitatis generanti, quia à parte rei inuenit fundamentum in generante, connotans extrinſecè effectum à ſe dependentem, ergo pari ratione poteſt intellectus tribuere hoc nomen Creatoris ipſi Deo, quia etiam inuenit à parte rei, Deum eſſe cauſam creaturarum connotando creaturas à ſe dependentes.

26\. *Quarta probatio.* Arguitur quartò ſpecialiter contra primum modum aſſerentem, relationem realem eſſe denominationem extrinſecam, ſequitur enim eadem abſurda, præſertim illud, quòd in Deo verè eſſent relationes reales prædicamẽtales, nam denominatio extrinſeca iuxta hunc modum, nihil aliud eſt, quàm applicatio per intellectum formæ extrinſecæ ad ſubiectum denominatum; Exempli gratia, relatio realis patris ad filium iuxta hunc primum modum dicendi, nihil aliud eſt, quàm ipſe effectus, tamquam forma extrinſeca, applicata per intellectum ipſi generanti, & per hanc formam extrinſecam applicatam denominatur formaliter generans (pater); ita etiam ſimiliter dicunt, album denominari (ſimile) per aliud coalbum, tamquam per formam extrinſecam, applicatam ab intellectu ipſi albo; quare iuxta hunc modum dicendi, forma extrinſeca, eſt illa, quæ formaliter denominat (patrem) vel (ſimile) ſuppoſito actu intellectus, tamquam conditione, ſeu tamquam agente applicante, quia nihil addit intrinſecum ipſi formæ, neque concipit ſecundùm hanc opinionem aliquam habitudinem mediam, ſeu formam relatiuam, ſed hoc etiam modo poteſt intellectus applicare Deo effectus ab illo dependentes, tamquam formam extrinſecam, quia verè Deus eſt cauſa creaturarum; ergo in Deo daretur relatio realis Creatoris, ſicut datur in humanis relatio paternitatis in generante. Reſponſiones autem, quæ contra hoc abſurdum afferri ſolent, confutauimus ſuprà in prima concluſione.

Quæſitum. Vnum tantùm circa hanc ſecundam concluſionem quæri poteſt: An omne id, per quod aliquod vnum eſt conceptibile, cum conſortio alterius, connotet neceſſariò à parte rei extrinſecum. Et ratio dubitandi eſt, quia ſcientia, & volitio creaturarum in Deo, non ſunt cognoſcibiles ſine conſortio creaturarum, & tamen non propterea à parte rei ſcientia, & volitio diuina terminata ad creaturas, connotant ipſas creaturas, quia alioquin ſequeretur, quòd ſcientia, & volitio, ſecundùm entitatem ſuam intrinſecam, non poſſent eſſe in Deo ſine creaturis, quod tamen falſum eſt, quia ſcientia & volitio in Deo, ſunt ipſe Deus, quare non poſſunt dependere à creaturis.

27\. *Reſponſio.* Sed hoc non obſtante, reſpondetur ad quæſitum, omnem relationem, per quam res, vt concipiatur talis, concipi debet vt connotans aliquod extrinſecum, connotare etiam à parte rei illud extrinſecum; Et ratio fundamentalis eſt, quia idcirco res eſt intelligibilis cum conſortio alterius, quia verè à parte rei eſt cum conſortio alterius, intelligibilitas enim prouenit ab entitate, ſi ergo aliquid verè

Digitized by Google

verè intelligitur cum conſortio alterius, ita vt non poſſit aliter intelligi; etiam à parte rei eſt illa res cum conſortio alterius: nam illa ratio, quæ connotat extrinſecum, eſt fundamentum, vt intellectus tribuat nomen illi rationi, ſicut ideo intellectus verè & non fictitiè tribuit nomen (ſimile) albo, quia verè à parte rei ratio albedinis dicit conſortium cum alio albo, alioquin non poſſet intellectus hoc nomen tribuere albo.

18. Ad rationem autem dubitandi reſpondetur, quòd ſatis eſt, ad hoc vt dicatur ſcientia, & volitio creaturarum in Deo connotare creaturas: quòd ſi creaturæ non eſſent exiſtentes, illas non cognoſceret Deus exiſtentes, & ſi non eſſent poſſibiles, illas non cognoſceret poſſibiles, non tamen hinc ſequitur, quòd ſit dependentia ſcientiæ vel volitionis in Deo à creaturis, quia ſi non eſſent creaturæ poſſibiles, adhuc eſſet eadem ſcientia in Deo, & volitio, ſpecificantur enim intrinſecè ab ipſo Deo ſcito vel volito, extrinſecè autem & per denominationem extrinſecam à creaturis: ſicut ſi Deus ſtatuiſſet nullam creare creaturam, nullam cognoſceret exiſtentem, nec vllam vellet, non tamen propterea non eſſet in Deo ſcientia & volitio eadem intrinſecè, quæ modò eſt, cùm ſtatuit creare creaturas; ſufficit enim vt ſcientia, & volitio in Deo ſpecificētur intrinſecè à ſe ipſo ſcito, & volito, extrinſecè autem à creaturis ſcitis & volitis, eadem enim ſcientia & volitione ſine vlla diſtinctione cum fundamento in re, qua cognoſcit & vult ſe ipſum, cognoſcit & vult creaturas, ſicut eadem paternitate, ſecundùm Thomiſtas, qua pater refertur ad primum filium, refertur ad ſecundum, ſolùm poſita mutatione in termino.

TERTIA CONCLVSIO PRÆCIPVE CONTRA *tertiam ſententiam.*

19. Tertia concluſio continet duo dicta.

IN hac concluſione dico duo, Primũ, quòd nomen relationis formaliter ſumptæ, importat habitudinem mediam inter extrema ſimul coëxiſtentia, quæ habitudo eſt quaſi mutua quædam connexio extremorum, quæ connectuntur, quorum alterum eſt fundamentum, terminus alterum; hoc primum dictum eſt contra primam & ſecundam ſententiam. Secundum dictum, hæc habitudo eſt realis. hoc ſecundum dictum eſt contra tertiam ſententiam.

Probatur primum dictum.

Probatur primum dictum ex confutatione primæ & ſecundæ ſententiæ.

Secundò probatur.

Secundò probatur, quia inter albedinem & terminum, neceſſariò intellectus debet cōcipere quamdam habitudinem, ſeu connexionem ſiue conformitatem, quia vnum concipit, vt fundamentum, alterum vt terminum, ergo relatio vltra fundamentum, & terminum, eſt aliqua medians habitudo; Hoc argumentum eſt Aureoli in primo diſtin. 30.

30. Quòd ſi dicas, ſufficit vt hæc habitudo ſit rationis, & non realis Reſpondetur, quòd ſolùm in hac aſſertione quærimus, quid nomine relationis realis intelligamus: cùm igitur per nomen relationis importetur formaliter habitudo & connexio inter fundamentum & terminum, hanc relationem ſeu mutuam connexionem, nomine relationis realis intelligimus. An autem hæc habitudo ſit realis, vel ſolùm ſit rationis, mox infrà oſtendemus in ſequenti concluſione contra Aureolum; Et confirmatur hoc ſecundum argumentum ex comment. 3. phyſ. comm. 20. Concipit, inquit, intellectus, quòd relatio habet fundamentum & terminum, ergo neceſſariò concipit eam tamquam aliquid medians inter illa, quod fundatur in vno, & terminatur ad aliud.

31. Tertiò probatur. Aureol.

Tertiò probatur ex eodem commentatore 4. met. apud Aureolum loco citato, Intellectus, inquit, concipiendo duo alba ſimul exiſtere, nondum concipit ſimilia, ergo aliquid addit in conceptu ad illa, hoc autem additum nihil aliud eſt, quàm connexio mutua inter ipſa: Et confirmatur, quia concipit mutari de non conceptu relatiuo ad cōceptum relatiuum; ergo aliquid addit, reſpicientiam ſcilicet illam mutuam quæ eſt quædam connexio, & habitudo vnius ad alterum.

32. Secundum dictum tertiæ concluſionis.

Secundò verò dictum huius tertiæ concluſionis, quòd ſcilicet, hæc habitudo prædicamentalis media inter extrema, ſit realis, probatur contra tertiam ſententiam Aureoli tum authoritate, tum ratione.

Probatur primò ex authoritate. Plato.

Primò quidem authoritate Platonis; quamuis enim apud veteres Philoſophos ante Ariſt. non fuerit ita certum, an hæc habitudo eſſet realis, vt referunt Auicenna & Soncin: Plato tamen tenuit huiuſmodi relationes, eſſe reales. Secundò probatur authoritate Ariſtotelis, multis in locis, præcipuè 6. meta. vbi diuidit ens extra operationem intellectus in decem prædicamenta, inter quæ eſt relatio, diſtincta ab aliis prædicamentis; & 4. met. dicit, compoſita realia accidentalia fieri ex ſubſtantia, & ad aliquid, vel ex aliquo alio prædicamento; & 5. met. cap. 15. vbi agit de relatione, dicit ſcientiam dicere relationem ad ſcibile, ſed ſcibile non dicere relationem ad ſcientiam, ſed ſcibile dicit relationem rationis ad ſcientiam; ergo cùm Ariſt. dixit, ſcientiam dicere relationem ad ſcibile, ſcibile autem non dicere relationem ad ſcientiam, intellexit de relatione reali.

Ariſt.

33. Probatur ratione.

Probatur præterea ratione, ſolet autem aliquibus rationibus probari, ſed non ſunt omnes ſatis efficaces.

Prima ratio.

Prima ratio afferri ſolet, quia relationes ſenſibus percipiũtur, & præterea cauſant in ſenſibus aliquos effectus reales, ergo ipſæ ſunt reales. Conſequentia eſt manifeſta, Antecedens quoad primam partem probant, nam viſus non modò percipit corpora ordinata, ſed ordinem ipſum, percipit enim diuerſitatem corporum, quando, ſcilicet, ſunt ordinata, & quando non ſunt ordinata, præterea percipit propinquitatem, & diſtantiã, auditus præterea percipit harmoniam. Secundam partem Antecedentis, quòd ſcilicet iſtæ relationes, cauſent etiam effectus reales in ſenſibus, probant, quia ordinatio luminum delectat oculos; Quòd autem ordo delectet, & non ipſa lumina, probatur, quia inordinata lumina offendunt, item harmonia delectat auditum, & diſſonantia offendit.

Reiicitur.

Sed hoc argumentum facilè ſolui poteſt ab Aduerſariis, & primò in omnium opinione ſolui debet, quia illa habitudo realis inter extrema, non eſt ſenſu perceptibilis, vt communiter tenent Philoſophi, quare non poteſt ordo videri, cùm non ſit color, neque lumen, nec ordinatio illa vocum poteſt audiri, cùm non ſit ſonus. Reſponderi igitur poteſt ſecundò directè ad argumentum, quòd viſus non percipit ordinem quæ ſit relatio, vel habitudo inter corpora, ſeu inter lumina, ſed ipſa corpora ordinata, quatenus ad inuicem ipſa corpora diuerſimodè vnum ante aliud conſtituitur; auditus præterea non percipit rationem conſonantiæ, & diſſonantiæ, ſed plures ſonos ſimul prolatos. Hinc etiam patet ſolutio ad ſecundam partem argumenti; cùm enim dicitur, quòd lumina ita diſpoſita delectant magis, reſpondendum eſt, quod non ipſa relatio

Digitized by Google

tio coordinationis, ſed ipſa luminum diſpoſitio magis gratum reddit aſpectum, ſic etiam harmonia, non quatenus eſt relatio, ſed quatenus eſt combinatio talium ſonorum, delectat auditum.

34. Secunda ratio aliorum.

Secundò alij probant; experimur, inquiunt, relationem corrumpi, generari, intendi, remitti, non corrupto, generato, aucto, & diminuto ſuo fundamento; ergo ſignum eſt relationem eſſe realem de nouo aduenientem, vel recedentem à ſuo fundamento: Conſequentia videtur manifeſta; Antecedens probatur, quia immutato priori albo, ſi aliud album producatur, ſtatim prius album fit ſimile alteri, & ſi corrumpatur ſecundum album, ſtatim corrumpitur ſimilitudo, quæ erat in priori albo, ipſo albo non corrupto, & præterea ſi intendatur, vel B remittatur albedo in ſecundo albo, augebitur, & diminuetur ſimilitudo in priori albo, abſque eo quòd intendatur, vel remittatur albedo illius prioris albi; Præterea poteſt augeri, & minui albedo prioris albi, & tamen poteſt nec augeri, nec minui ſimilitudo, quæ erat in illo priori albo; ex gr. ſint duo alba ſimilia, & albedines iſtorum duorum alborum eodem augmento, vel decremento augeantur, vel minuantur, ſemper ſimilitudo, quæ erat in quolibet illorum alborum, perſeuerabit eadem. Præterea poteſt minui albedo, & augeri ſimilitudo, & è contra, ex. gr. ſit vnum album vt quatuor, & alterum vt duo, & albedo vt quatuor, minuatur, tunc album vt quatuor, ſemper fiet magis, & magis ſimile alteri albo vt C duo, ergo in hoc caſu minuetur fundamentum, & augebitur relatio; Quòd ſi ſint duo alba vt quatuor, ſi albedo in vno augeatur, ſemper ſimilitudo in hoc albo, quod augetur, fiet minor alteri parieti albo vt quatuor, quàm erat antea, ergo in hoc caſu aucto fundamento, diminuitur relatio; ſignum eſt igitur euidens, relationem eſſe aliquid reale præter fundamentum.

Reiicitur.

Sed hoc argumentum etiam ſolui poteſt, primò, dando inſtantiam, nam in Deo non ſunt relationes reales, etiam ſecundùm ipſos, & tamen Deus, verè in tempore incipit eſſe realiter cauſa, creator, & Dominus, ſine vlla ſui mutatione intrinſeca, ſed tantùm per mutationem, quæ eſt in termino, ita etiam D dicerent Aduerſarij, quòd prius album incipit eſſe ſimile, non per aliquam mutationem factam in ipſo, ſed per mutationem factam in altero albo, de nouo generato, & præterea Deus aliquam ſimilitudinem dicitur habere in tempore cum creaturis, præſertim cum homine ſine vlla Dei mutatione, & hæc ſimilitudo poteſt augeri, & diminui ſecundùm augmentum, & decrementum perfectioris creaturæ, & tamen non eſt dicendum, quòd in Deo hæc ſimilitudo ſit realis; Rurſus datur alia inſtantia in ipſis creaturis, nam relatio ſecundùm aliquos iſtorum non fundat relationem, & tamen relatio incipit eſſe de nouo per denominationem ſimilis alteri relationi, & magis, & minùs ſimilis, ſine vlla mu- E tatione facta in relatione, ſicut dicebatur ſuprà de albedine; v. g. ſint duo alba vt quatuor, in iſtis erit ſimilitudo, ſi fiat de nouo aliud album vt duo, in hoc etiam erit ſimilitudo ad album vt quatuor, & hæc ſimilitudo erit ſimilis ſimilitudini quæ erat in albo vt quatuor, & ſi iſtud album vt duo, creſcat, vel diminuatur in albedine, etiam relatio ſimilitudinis, quæ eſt in illo, creſcet vel diminuetur, in quo caſu relatio ſimilitudinis in albo vt quatuor, erit ſine vlla ſui mutatione magis, & minùs ſimilis relationi ſimilitudinis in albo vt duo, quæ ſimilitudo ſupponebatur in albo augeri, vel minui ad augmentum, vel diminutionem ſui fundamenti, quod erat

A albedo vt duo.

Secundò ſolui poteſt argumentum directè ab Auctoribus primæ ſententiæ, qui negant relationes reales eſſe habitudines medias, dicunt enim, quòd albedo prioris albi, eſt ratio, cur hoc album denominetur ſimile, vel magis ſimile per conſortium ſeu coëxiſtentiam alterius coalbi, eiuſdem vel inæqualis intenſionis, vt ſatis fuſè oſtendimus in prima ſententia. Secundò reiicitur.

Sed adhuc aliqui vrgent argumentum, nam verè primum album per poſitionem alterius coalbi, denominatur realiter ſimile, nam eſt prædicatum realiter conueniens primo albo, ergo aliqua ſimilitudo realis de nouo aduenit priori albo: Sed ſoluitur, ſi dicatur, quòd primum album realiter denominatur ſimile, non quia aduenit noua relatio ſimilitudinis, ſed quia incipit verè de nouo habere qualitatem, quam alterum coalbum habet, poſita enim coëxiſtentia duorum alborum, albedo, quæ erat in priori albo, denominat illud ſimile; quòd ſi ponatur alia diuerſa qualitas, puta nigredo, denominat illud diſſimile, & iuxta hunc ſenſum videtur diffiniſſe ſimilia Ariſtoteles in capite de relatione, cùm dixit, ſimilia ſunt, quorum qualitas eſt vna; æqualia verò, quorum quantitas eſt vna, &c. Prima replica. Soluitur. Ariſtot.

Vrgent præterea ſecundò hoc idem argumentum alij, ſi denominatio, inquiunt, eſt realis, ergo datur realis forma relatiua, à qua prouenit iſta denominatio, nam modus ſignificandi ſequitur modum intelligendi, & modus intelligendi modum eſſendi, ergo ſi ſignificatio erit relatiua, eſſe quoque erit relatiuum, ergo ab aliqua relatione relatiuum, nam cuiuſcumque effectus formalis debet dari cauſa formalis, cauſa autem formalis eſſe relatiui, eſt ipſa forma relatiua, quæ eſt relatio. Sed hoc etiam ſolui poteſt à negantibus relationes reales; & primò dici poteſt, quòd illud principium: modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi: eſt verum in eo ſenſu, vt fuſè oſtendimus in primo tomo, quòd intellectus immenſus materialitati, non poteſt intuitiuè cognoſcere rem ſpiritualem, non autem, quòd intellectus non poſſit aliqua intelligere ad modum entis, quæ non ſunt entia, vel ad modum entis relatiui, quæ non ſunt relatiua, quare poſſet intellectus intelligere aliquam relationem ſimilitudinis in albo per modum relationis realis, quæ verè non eſt realis. Secundò reſponderi poteſt, quòd ſignificatio non eſt relatiua, nam eſt effectus formalis denominationis, denominatio autem non eſt relatiua, ſed eſt actus intellectus, quo tribuitur aliquod nomen rei cum fundamento in re. Secunda replica. Soluitur.

Tertiò igitur efficaciter probatur hoc ſecundum dictum ex relationibus diuinis, paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſiuæ; Dantur, inquiunt, in Deo relationes reales, vt habetur ex fide, ergo dari debent etiam in creaturis; Probatur paritas, quia ideo in Patre eſt paternitas, & in Filio filiatio, quia in Patre datur ratio principij, & in Filio ratio principiati; ſed verè reperitur in creaturis ratio principij, & principiati, ergo etiam in creaturis reperiri debet relatio: Probatur conſequentia, quia relatio fundata in ratione principij, & principiati, non repugnat ex intrinſeco ſuo conceptu, quia ſi repugnaret ex intrinſeco ſuo conceptu, repugnaret etiam in Deo, ſi ergo repugnat creaturæ, repugnat ex parte ſubiecti; ſed neque hoc modo poteſt repugnare, quia ſi repugnaret hoc modo, eſſet propter ſummam relationis perfectionem: ſed hoc dici non poteſt, quia relatio dicit minimam entitatem, ſufficit enim ad conceptum relationis, vt ſit habitudo 35. Tertia ratio efficax.

mediæ

Digitized by Google

media inter extrema, nullum aliud munus exercendo circa terminum, quàm actualiter referendi.

Aliqui verò impugnant hanc rationem ex eo, quia dicunt relationes in diuinis æquiualere potiùs relationibus tranſcendentalibus: nam paternitas in Deo conſtituit primam perſonam, & complet illam in ratione principij productiui; hoc autem non habet ex conceptu relationis prædicamentalis, ſed quia illa relatio in Deo æquiualet relationi tranſcendentali, & præterea, inquiunt, illa relatio in Diuinis eſt infinita, & ſubſtantialis, non ergo bene arguitur, ex illa dari relationem in creatura, quæ eſt finita, & accidentalis.

Sed hæc impugnatio facilè ſoluitur: nam relatio in Diuinis, quamuis propter ſuam infinitatem æquiualeat relationi tranſcendentali, æquiualet etiam noſtræ prædicamentali: nam in primo ſigno, in quo intelligitur paternitas conſtituere primã perſonam, non intelligitur paternitas in actu ſecundo, ſeu ſecundùm actum exercitum referre Patrem ad Filium, ſed tantùm in actu primo, quia in hoc primo ſigno non intelligitur adhuc ratio fundandi, quæ eſt generatio; in poſteriori igitur ſigno paternitas in Diuinis, refert Patrem ad Filium; & quantùm ad hoc, conuenit cum relatione noſtra prædicamentali, & in hoc ſaluatur verus conceptus relationis prædicamentalis, quia alia munera, quæ in Patre exercet paternitas, conſtituendi ſcilicet, & generandi, in creaturis exercent formæ abſolutæ, vel relationes tranſcendentales; non igitur hæc munera ſunt de conceptu relationis prædicamentalis, vt relatio prædicamentalis eſt, ſeu vt à nobis concipitur, ſed ſunt de conceptu talis relationis diuinæ, quia non poteſt Pater in Diuinis conſtitui per formam abſolutam, quia forma abſoluta non habet oppoſitionem ex ſe, & ideo propter infinitatem identificaret ſibi ſecundam perſonam; debet igitur conſtitui per relationem originis, quæ ex ſe, & ex natura ſua, dicit oppoſitionem cum termino.

36. Nec obſtat quod ſecundo loco opponebatur, quòd relatio in Diuinis ſit infinita & ſubſtantialis, non, inquam, obſtat, ſicut à ſimili, non negatur in creaturis intellectio, quamuis in Deo intellectio ſit infinita, & ſubſtantialis, imò bene arguitur ex intellectione Dei, quòd debeat dari gradus intellectiuus in creaturis, quare hanc tertiam rationem exiſtimo ſatis bonam, vnde ſententia illa, quæ negat omnino relationes reales creatas, cenſetur periculoſa; quia inde ſequeretur, poſſe negari relationes diuinas, talem enim connexionem habent ad inuicem relationes creatæ, cum Diuinis, vt vnæ poſſint ex aliis inferri, quia tamen nobis ex principiis philoſophicis probandæ ſunt cõcluſiones Theologicæ, ideo inueſtiganda eſt ratio philoſophica; ex qua poſtea deduci poſſit, dari huiuſmodi relationes prædicamentales originis in Deo.

37. Quarta ratio philoſophica à priori. Ratio autem philoſophica, quæ mihi videtur ſatis probabilis, hæc eſt; non repugnat dari conceptum relationis prædicamentalis, quæ ſit habitudo media inter extrema relata, nec repugnat hunc conceptum eſſe realem; ergo de facto datur relatio realis. Antecedens quoad primam partem, ſupponitur probatum ex ſecunda & tertia concluſione.

Quòd verò hæc habitudo, ſeu relatio ſit realis, quod erat ſecunda pars Antecedentis, probatur, tum authoritate Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum, vt ſuprà oſtenſum eſt, tum ratione, quia nulla poteſt aſſignari implicantia, quòd hæc habitudo non poſſit eſſe realis, nec ſecundùm ſe, nec ex parte ſubiecti, vt mox patebit ex ſolutione implicantiarum, ſeu argumentorum quæ allata ſunt præſertim à tertia ſententia contra hanc concluſionem noſtram. Conſequentia, quòd, ſcilicet, de facto dentur huiuſmodi relationes, probatur, quia à parte rei ſunt omnia requiſita ad reſultantiam huius relationis: nam ſuppoſitis duobus albis ſimul coëxiſtentibus, eſt totum fundamentum proximum huius relationis, nec aliud requiritur; igitur neceſſariò reſultat ſaltem in aliquo extremorum relatio, niſi à Deo miraculosè contra curſum naturalem impediatur.

Reliquum eſſet modò, oſtendere contra quintam ſententiam, hanc relationem, ſeu habitudinem realem non eſſe identificatam, ſed diſtinctam à parte rei à fundamento: ſed de hac re infrà commodiùs agetur in quæſtione ſexta.

RESPONSIO AD ARGVMENTA.

AD argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt directè contra primam & tertiam concluſionem, reſpondetur in vniuerſum, argumenta ſolùm probare relationem fundamentalem, non autem relationem formalem, quam diximus eſſe habitudinem mediantem inter extrema exiſtentia. Ad ſingula autem argumenta reſpondetur, & 38. Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.

Ad primum negatur, quòd præciſa omni habitudine media, ſaluetur conceptus relationis formaliter ſumptæ inter extrema, ſed ad ſummum per illud argumentum probatur relatio fundamentalis. 39 Ad primum.

Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, quòd oculus videns diſtantiam, & propinquitatem corporum, & æqualitatem & inæqualitatem: & auris percipiens harmoniam, qua delectatur, & percipiens diſſonantiam, qua triſtatur, percipit tantùm relationem fundamentalem, & non formalem: nam videre diſtantiam, & propinquitatem, nihil aliud eſt, vt ſuprà oſtendimus, niſi videre ipſamet corpora, quæ diſtant, nec non ſpatium, quod inter huiuſmodi corpora intercedit, quod ſpatium appellatur diſtantia; non autem hoc ſpatium eſt relatio diſtantiæ, ſed corpus abſolutum intermedium: ſic etiam cùm videt propinqua corpora, nihil aliud videt, quàm ſpatium intermedium non eſſe nimium: ſic etiam cùm videt ordinata corpora, tantùm videt, quòd vnum ſit poſt aliud, vel ſuprà vel infrà: ſicut cùm videt duo alba, non videt habitudinem ſimilitudinis inter illa duo, ſed vnum corpus eſſe album, & alterum album: ſic etiam dum videt duo æqualia, videt vnum eſſe tantæ longitudinis, quantùm alterum, non autem videt habitudinem intermediam, quæ eſt formaliter relatio: ſic etiam cùm auditus percipit conſonantiam, & diſſonantiam, non percipit habitudinem vocum inter ſe, ſed ipſas voces, ſeu plures ſonos ſimul prolatos, qui ſi tali modo proferantur, erunt grati auditui: ſic etiam tactus non percipit relationem contactus, ſed percipit lenitatem, ſeu aſperitatem. 40. Ad ſecundũ.

Ad tertium reſpondetur, & dico primò eſſe magnum diſcrimen inter primam ſententiam, quam impugnauimus in prima concluſione, & ſententiam, quæ aſſerit relationem eſſe denominationem extrinſecam, nam denominationes extrinſecæ (cogniti ſeu viſi) non dicunt aliquam formam intrinſecam, à qua ſit denominatio intrinſeca, nam paries dicitur viſus à viſione, quæ non eſt in pariete, ſed in vidente; at verò album, iuxta primam opinionem, denominatur ſimile ab ipſamet albedine, quæ quatenus connotat aliud album, dicitur ſimilitudo, & 41. Ad tertium

Digitized by Google

A & dat effectum formalem (ſcilicet eſſe ſimile) ipſi albo; Sic etiam dicimus de Creatore, denominari ſcilicet Deum Creatorem denominatione extrinſeca ab actione creandi, quæ eſt in creatura.

Præterea dico ſecundò, quòd poteſt contra aduerſarios retorqueri argumentum, probando quòd ex eorum ſententia ſequatur, denominationes extrinſecas eſſe relationes reales, vt contra ipſos oſtendimus in prima concluſione, nam poſſet dici quòd viſibilitas in pariete, tunc tribuit parieti effectum formalem relationis, cùm connotat viſionem in vidente, & ſic ſequeretur contra ipſos, quòd eſſet vera relatio realis, quia eſſet ratio intrinſeca, per quam res vt ſit talis, connotat aliquod extrinſecum; ſic etiam poſſet dici, quòd in Deo potentia creatiua eſt ratio intrinſeca, quæ tunc tribuit effectum formalem relationis cauſæ, cùm connotat actionem ad extra, & tamen ipſi negant, huiuſmodi denominationes extrinſecas eſſe relationes reales. B

42. Tertiò reſpondeo ad argumentum in forma, negando denominationes extrinſecas eſſe relationes formaliter, quia non ſunt habitudines; eſt autem de conceptu relationis habitudo, vt probatum eſt in tertia concluſione; non igitur ex denominationibus extrinſecis viſi, ſeu cogniti, bene infert prima ſententia, relationem realem nihil aliud eſſe, quàm ipſam formam abſolutam connotando terminum.

43. Reſponſio ad quartum. Ad quartum reſpondetur, relationem eſſe realem; Et cùm inſtatur, corrumpatur à Deo iſta relatio, & remaneat fundamentum, & terminus, adhuc concipiuntur relata: Reſpondeo, tunc vnum extremum referri ad aliud fundamentaliter à parte rei, formaliter autem per rationem. C

44. Reſponſio ad quintum & ſextum & ſeptimum. Ad quintum reſpondetur, ibi Ariſtotelem definire ſimilia, & æqualia, fundamentaliter ſumpta.

Ad ſextum & ſeptimum argumentum reſpondebitur infrà in propriis quæſtionibus quæſt. 11. & 15.

45. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ & tertiæ. AD fundamentum ſecundæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis in ſecunda & tertia concluſione.

AD argumenta tertiæ ſententiæ, quibus contra ſecundum dictum tertiæ concluſionis probatur, relationem non eſſe habitudinem realem, ſed rationis, reſpondetur, & ad primum dicunt aliqui, diſtinguendo in ipſa relatione inter eſſe (In) & eſſe (Ad), & dicunt relationem ſecundùm (In) eſſe realem, & non aduenire de nouo, ſed identificari cum fundamento, & ideo non eſſe mutationem in ſubiecto quantùm ad eſſe (In.) Quantùm verò ad eſſe (Ad), dixerunt, relationem non eſſe realem, quia eſt quid commune relationi reali, & rationis, ac propterea quamuis reſultet de nouo hoc eſſe (Ad) per aduentum termini, nulla tamen fit mutatio in ſubiecto, quia non eſt quid reale. D

Sed hæc reſponſio inuoluit multa impoſſibilia, vt infrà dicemus in ſequenti quæſtione; quomodo enim (Ad) poteſt conſtituere prædicamentum reale, vt diſtinctum à cæteris prædicamentis, ſi (Ad) vt (Ad) non eſt reale, & præterea eſſe (In) eſt modus tranſcendentalis, qui imbibitur in omni accidenti reali, non poteſt igitur ſaltem à parte rei, dari eſſe (Ad) diſtinctum ab eſſe (In); Quare ad argumentum reſpondetur ſecundò, quòd relatio dicitur aduenire ſine rei mutatione, non quia non aliquid de nouo adueniat fundamento, ſed quia reſultat ſecundariò ad poſitionem alterius. E

Verior reſponſio.

Ad ſecundũ. Ad ſecundum ſolutio patebit ex his quæ dicemus in ſequenti quæſtione: Breuiter nunc dicitur, quòd eſſe (In) non contrahit eſſe (Ad), ſed imbibitur in eſſe (Ad) tamquam ratio ſuperior tranſcendentalis.

Ad tertium reſpondetur, relationem reſultare ex fundamento, poſito termino tamquam conditione. Sed inſtatur, quia albedo, quod eſt fundamentum ſimilitudinis, non eſt actiua; reſpondetur quòd ex eo albedo dicitur non eſſe actiua, quia non producit aliam albedinem; poteſt tamen producere relationem: ſicut poteſt producere ſpeciem repræſentatiuam ſui. Alij reſpondent, quòd relatio non propriè fit per actionem productiuam, ſed per reſultantiam; Sed hæc reſponſio non ſatis euacuat argumentum, quia cùm relatio diſtinguatur à parte rei à fundamento, fit per nouam actionem; dicitur autem fieri per reſultantiam, quia fit ad poſitionem alterius, ſcilicet termini, cuius poſitio primariò, & per ſe intenditur ab agente. 46.

Ad fundamentum quintæ ſententiæ, patebit reſponſio ex quæſtione quinta, vbi fusè tractantur differentiæ inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalem. 47. Ad fundamentũ quintæ ſententiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm Relatio prædicamentalis ſit realis ſecundùm eſſe (Ad.)

PRIMA ſententia eſt Caietani, & Canarienſis 1. part. quæſt. 28. art. 2. aſſerentium, relationem prædicamentalem ſecundùm eſſe (Ad) non eſſe realem, ſed dicere rationem communem enti reali, & rationis. 1. Prima ſententia. Cai. Canar.

Fundamentum eſt, quia ſola ratio (Ad) præciſa ab (In), reſpicit terminum tantùm, hæc autem communis eſt reali, & rationis: Et confirmatur ex S. Thom. 1. par. quæſtione 28. art. 2. vbi dicit, quòd peculiare eſt prædicamento relationis, quòd ratio ipſius non ſignificetur cum ordine ad ſubiectum, ſed ad terminum extrinſecum; in reliquis verò prædicamentis ſumitur ex ordine diuerſo ad ſubiectum; atque adeò peculiare eſſe generi relationis, quòd aliquando ſub eo contineatur relatio realis, aliquando verò per ſolam rationem. S. Thom.

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

DICENDVM eſt cum S. Thom. in 1. diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 4. ad 3. & communi, quòd relatio non ſolùm ſecundùm eſſe (In) ſed etiam ſecundùm eſſe (Ad) ſit realis. 2. Vnica concluſio contra primam ſententiam. S. Thom.

Probari ſolet, quia alioquin prædicamentum reale relationis, non diſtingueretur ab aliis prædicamentis realibus, diſtinguitur enim per eſſe (Ad), ergo eſſe (Ad) quod eſt peculiare, & proprium huius prædicamenti, non poteſt eſſe commune alteri. Prima ratio.

Sed hæc ratio non eſt efficax, quia, vt bene aduertit Caiet. ſolui poteſt, ſi dicatur, quòd eſſe (Ad), quod eſt commune reali, & rationis, non reperiatur in aliis prædicamentis, ſed tantùm in prædicamento Ad aliquid, ſicut ſi cœlum non eſſet animal, & haberet animam rationalem, ſicut multi Philoſophi tenuerunt, rectè homo, qui ſolus inter animalia habet animam rationalem, diſtingueretur ab aliis animalibus, per ipſam animam rationalem, quamuis hæc eſſet communis cœlo, & homini, ſufficit enim ad diſtinctionem, vt in nullo animali reperiatur, niſi in homine. Caiet.

Secundò probant quidam, quia non datur aliquid commune enti reali, & rationis, ſed tantùm eſt 3. Secunda ratio.

Digitized by Google

eſt conuenientia in nomine ſeu voce, ergo (Ad) prædicamentale, erit vel reale, vel rationis; non rationis, vt etiam ipſi aduerſarij concedunt, quia eſt (Ad) prædicamenti realis, ergo erit reale.

Confutatur.

Sed neque hæc ratio eſt efficax, ſupponit enim relationem ſecundùm eſſe (Ad,) non eſſe rationem communem relationi reali, & rationis, cuius oppoſitum oſtendemus mox infra.

4. Tertia & verior probatio ſecundæ opinionis.

Probatur igitur veriùs tertiò, quia eſſe (Ad), conſtituit verum prædicamentum reale, ergo ipſum (Ad) vt ſic, debet eſſe reale, quia alioquin prædicamentum Ad aliquid, ſecundùm proprium conſtitutiuum, non eſſet reale.

Quarta ratio.

Quartò, (Ad) prædicamenti realis, non poteſt præſcindere ab (In,) nam non poteſt concipi relatio, ſeu ordo, niſi vt alicuius ad aliud, ergo includit rationem (In,) realis enim relatio non eſt alicuius per fictionem intellectus, ſed à parte rei, ergo ſi (Ad) prædicamenti realis non poteſt concipi niſi vt alicuius, dicendum eſt, quòd verè includit (In) reale.

5. Quinta ratio.

Quintò, vel (Ad) prædicamenti realis, vt (Ad), ineſt in ſubiecto, vel non ineſt, ſi non ineſt, non poteſt referre ſubiectum ad terminum, quia vt referat, debet afficere, non enim forma dat effectum formalem niſi inhærendo, & afficiendo, quare ſi (Ad) vt (Ad) ſecundùm propriam rationem non ineſt, non daret ſubiecto proprium effectum relatiuum; ſi verò vt (Ad) ineſt, ergo non poteſt diſtingui ab eſſe (In,) ſed intrinſecè includit illud; ergo eſſe (Ad) eſt reale.

6. Prima reſponſio ad fundamentũ Caietani. Caiet. Can. Erueus & plures alij.

Ad fundamentum Caietani, & Canarienſis in oppoſitum, reſpondet Erueus apud Soncin. 4. memb. quæſt. 6. negando (Ad) vt (Ad) eſſe commune enti reali, & rationis, ſed tantùm conuenire in voce, ſicut homo viuus, & mortuus, quia ens rationis, inquit Suarius, nihil eſt, non poteſt igitur in ente rationis eſſe verum (Ad,) ſed ſolùm apprehenditur, ac ſi eſſet aliquid.

Sed hæc reſponſio mihi non probatur, nam cùm dicitur, quòd relatio rationis non habet verum eſſe (Ad), vel intelligunt per (Ad) veram realitatem ipſius (Ad), & facile illis conceditur, quòd ens rationis non habet verum (Ad), quia eſt (Ad) per apprehenſionem; ſi verò per verum (Ad) intelligunt, quòd verè per intellectum vna res nõ referatur ad aliam, falſum eſt, vt bene aduertit Caiet. in 1. par. quæſt. 28. art. 1. & Capreolus in 1. diſt. 25. quæſt. 1. & Ferrarienſ. 4. contra gen. cap. 4. cum S. Thom. 1. par. quæſt. 28. art. 1. nam proprium munus intellectus eſt vnam rem intelligere cum ordine ad aliam, ergo in hac ratione ordinis conuenit (Ad) reale, & rationis, quia ſicut per ordinem realem, vna res refertur ad aliam, ita per ordinem rationis ab intellectu, vna res refertur ad aliam, quapropter rectè dixit S. Thom. 1. par. quæſt. 28. art. 1. peculiare eſſe generi relationis, ſub eo aliquando eſſe realem relationem, aliquando verò per ſolam rationem, non autem aliis generibus, vt Subſtantiæ, Quantitati, & Qualitati, quia intellectus apprehendens ſubſtantiam, ac qualitatem, non dicitur ſubſtantificare, aut qualificare, ſeu facere ſubſtãtiam rationis, & qualitatẽ rationis; Dicuntur autem entia rationis, quatenus ab intellectu apprehenduntur vt entia, at verò relationem, non ſolùm apprehendit intellectus vt ens, ſed etiam per illã relationem rationis ab intellectu vna res refertur ad aliam; eſt igitur conuenientia relationis realis, & rationis in eſſe (Ad), quatenus vtraque, vt ſic, reſpicit terminum; nec eſt par ratio de exemplo allato ab Erueo apud Soncin. de homine viuo, & mortuo, nam homo viuus, & mortuus, non conueniunt in eſſentia hominis, at verò (Ad) reale, & rationis, conueniunt in ratione (Ad), quia (Ad) vt (Ad) in ſuo conceptu nihil aliud dicit quàm reſpicere terminum; Quòd vero ſit reale, vel rationis, videtur accidere reſpectui, vt reſpectui ad terminum, quia eſſe reale, non eſt intra latitudinem reſpectus; Et cùm arguitur ex Suar. quòd (Ad) rationis cùm nihil ſit, non poteſt habere conuenientiam cum ente reali; Reſpondetur eſſe æquiuocationem in ly (nihil), nam ſi per nihil, intelligit nihil realè, facilè conceditur, ens rationis eſſe nihil reale, ſed non hinc ſequitur, non poſſe habere aliquod commune cum ente reali; ſi verò per ly (nihil) intelligit purum nihil, quod illud eſt, quod nullum exercet actum, ſicut eſt negatio eſſentiæ hominis, non enim poteſt dari hęc negatio exercens actum negatiuum, impoſſibile eſt enim, vt non detur eſſentia hominis, ſecus autem eſt de negatione exiſtentiæ hominis, quia hæc ante creationem mundi exercebat actum negationis, ſicut cæcitas exercet à parte rei in oculo actum negationis videndi, tunc autem dicitur negatio exiſtere, cùm exercet actum ſuum negatiuum, qui actus eſt exiſtentia quædam abuſiua, ſic etiam relatio rationis dicitur exiſtere abuſiuè, quando obiectiuè cum fundamento in re, exercet actum referendi; non igitur relatio rationis eſt purum nihil, poteſt igitur eſſe conuenientia inter ens reale, & non reale, quod non eſt purum nihil, quia vtrumque exercet ſuum actum aliquo modo exiſtendi.

Suar.

7. Verior reſponſio.

Quare ſecundò reſpondetur ad fundamentum Caietani, & Canarienſis, cõcedendo (Ad) vt abſtrahit ab ente reali, & rationis, eſſe commune vtrique, negatur tamen conſequentia, quòd (Ad) prædicamenti realis, ſit commune, quia, vt probatum eſt, cùm ſit conſtitutiuum prædicamenti realis, debet eſſe coarctatum ad ens reale; Et cùm inſtatur, quòd (Ad,) quod eſt commune enti reali, & rationis, non poteſt contrahi per ens reale, quia (Ad) eſt inferius; Reſpondetur quòd ens reale, ſeu (In) reale, non contrahitur, ſed imbibitur in (Ad) prædicamentali, non enim poteſt præſcindere ab (In), vt ſuprà oſtendimus, ſicut rationes inferiores entis realis, non poſſunt præſcindere ab ente reali. Et confirmatur exemplo, in opinione eorum, qui extra cœlum dant diſtantiam infinitam vacui, dicunt illam diſtantiam eſſe longam, latam, & profundam, ac propterea motum in illa diſtantia non poſſe fieri in inſtanti, habet igitur aliquam conuenientiam cum quantitate reali; ſed differt, quia in quantitate reali imbibitur eſſe reale, quod explicatur per aptitudinem ad exiſtendum; at verò illa diſtantia vacui, non poteſt exiſtere, quamuis enim tollatur negatio corporis per aduentum corporis, quæ negatio cõnotatur ab illa diſtantia, ſemper tamen remanet illa diſtantia, quæ eſt immobilis, ingenerabilis, & incorruptibilis, vt tenet Fonſecã, & plures alij.

Fonſ.

8. Ad cõfirmationem S. Thom.

Ad confirmationem ex S. Thom. 1. par. quæſt. 28. art. 2. reſpondetur nihil facere contra nos, ſed potiùs fauere ſententiæ noſtræ, vt ſuprà oſtendimus, ſolùm enim intendit, quòd intellectus ſuo actu nõ ſolùm apprehendit relationem rationis vt ens reale, ſicut apprehendit ſubſtantiam rationis, & quantitatem, ſed etiam ſuo actu refert vnam rem ad aliam, cùm tamen per ſuum actum non ſubſtantificet, nec quantificet, ſed ſolùm apprehendat rem vt ſubſtantificatam, & quantificatam, quæ à parte rei non eſt ſic; at verò relationem rationis, non ſolùm apprehendit vt ens, ſed etiam per illam formaliter refert verè cum fundamento in re, vnam rem ad aliam.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm Relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe (Ad) dicat perfectionem realem.

Fonſec.

DE hac quæſtione diſputat Fonſeca 5.met.cap. 5. quæſtione 3. & lib. 4. cap. 2. quæſtione 7. & Scholaſtici in 1. diſt. 3. & 24. & in 1. part. diſt. 28.

1. Prima ſententia. Scot. Durand. Riccard. Capreol. Aure. Mair. Caiet. Can. Torres.

Eſt autem PRIMA ſententia aliquorum ſcholaſticorum, relationem realem prædicamentalem non dicere perfectionem realem ſecundum eſſe (Ad). Ita tenet Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 1. ad 4. & Dur. diſt. 1. quæſtione 7. Riccard. diſt. 24. art. 1. quæſtione 3. Capreolus in 1. diſt. 22. quæſtione 1. art. 3. ad primum, & tertium Aureoli. Mairon. in 1. diſt. 23. Caiet. & Canarienſ. & Torres 1. parte q. 28. artic. 2.

Explicatur ſenſus quæſtionis.

Omitto fundamentum Caietani & Canarien. quoniam enim iſti tenent, relationem non eſſe realem ſecundùm eſſe (Ad) ſed tantùm ſecundùm eſſe (In), tenent conſequenter relationem realem non dicere perfectionem realem ſecundùm eſſe (Ad) propter eandem rationem, quia (Ad) vt (Ad) ſecundùm iſtos eſt commune enti reali, & rationis; Sed hoc fundamentum in ſuperiori quæſtione ſatis confutauimus, oſtendentes relationem realem prædicamentalem non ſolùm ſecundùm eſſe (In), ſed etiam ſecundùm eſſe (Ad) eſſe realem.

Hac igitur ſuppoſita ſententia tanquam veriori, quæritur in hac quæſtione, an relatio prædicamentalis, quæ etiam ſecundùm eſſe (Ad) eſt realis, dicat etiam ſecundùm eſſe (Ad) perfectionem realem, & tenet hæc prima ſententia quòd non, & probat;

Primum argumentum primæ ſententiæ.

Primò, quia ex relatione reali nihil emolumenti accreſcit fundamento, ſupponit enim relatio prædicamentalis fundamentum perfectè conſtitutum, quare ſiue reſultet, ſiue non reſultet relatio, fundamentum eodem modo ſe habet.

Secundũ argumentum.

Secundò probat, quia in Deo tanquam in creatore, non datur relatio prædicamentalis, & tamen non propterea caret aliqua perfectione.

Tertium argumentum.

Tertiò, Si relatio ſecundùm eſſe (Ad) diceret perfectionem; ſequeretur quòd in Diuinis vna perſona careret aliqua perfectione, quia careret perfectione alterius perſonæ, & conſequenter non eſſet infinita, & ſimpliciter perfecta in omni genere, eſſet enim maior perfectio in tota Trinitate, quàm in qualiber perſona.

2. Supponendum pro reſolutione quæſtionis. Ariſt.

SED ad hanc quæſtionem, mihi videtur reſpondendum cum diſtinctione de perfectione abſoluta ipſius relationis, & reſpectiua. Pro quo nota ex Ariſtot. 5. met. c. 16. perfectionem aliam eſſe abſolutam, aliam reſpectiuam.

Quæ dicatur perfectio abſoluta.

Perfectio abſoluta, ſiue in ente abſoluto, ſiue in ente relatiuo, eſt integritas rei, per quam res dicitur perfecta in ſe, quatenus ſibi nihil deeſt ex his, quæ ſibi poſſunt conuenire, ac propterea iſta perfectio dicitur abſoluta etiã in ente relatiuo, quia nõ reſpicit aliud, ſed ipſam entitatem ſeu eſſentiam rei, cuius eſt perfectio.

Sed quæ ſint iſta, quæ debeant conuenire rei, controuerſia eſt inter Doctores, nam aliqui ſatis largè accipiunt hanc conuenientiam, ita vt includant ea omnia, quæ rei conueniunt, vel eſſentialiter, vt corpus, & anima, homini, vel quæ ſubſtantialiter, vt partes integrantes, cuiuſmodi eſt oculus, manus, &c. vel accidentariæ, cuiuſmodi ſunt potentiæ, quibus ad operandum homo eſt potens, vel

A alia accidentia, quæ pertinent ad bonam ipſius hominis habitudinem; Ita videtur accipere Erueus quodlib. 3. q. 3. art. 2. ex Auguſtino lib. de natura boni cap. 3. 4. & 5. & Caiet. & Vaſq. ex S. Thom. 1. par. q. 5. art. 5. & 1. 2. quæſt. 81. art. 4. Sed alij ſtrictius accipiant hanc perfectionem abſolutam, quatenus rei nihil deeſt ex his, quæ ſibi cõueniunt eſſentialiter, hoc enim modo bonitas & perfectio eſt paſſio entis, quia reciprocatur ſemper cum ente, priori autem modo non ſemper reciprocatur, quia poteſt res carere aliqua perfectione ſubſtantiali, ſiue accidentali. Erueus. Caiet. Vaſq. S. Thom.

Perfectio verò reſpectiua eſt illa, quæ eſt alteri conueniens, ſicut forma dicitur perfectio materiæ. 3. Quæ dicatur perfectio reſpectiua.

B Dubitari autem ſolet, an hæc perfectio reſpectiua neceſſariò debeat eſſe diſtincta à re, quam perficit; Et quidem Vaſq. tenet quòd ſic, in 1. par. diſp. 132. c. 6. quia tenet ex ſuo principio diſp. 23. quòd perfectio abſoluta dicit omnia, quæ conueniunt rei ſiue eſſentialiter, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter; quare conſequenter tenet perfectionem reſpectiuam reſpicere alterum diſtinctum, cui illa perfectio comparata, ſit conueniens, nam ſi eſſet ipſimet rei conueniens, eſſet perfectio abſoluta, vnde concludit, omnia attributa, & perſonalitatem pertinere ad perfectionem abſolutam Dei, perfectionem verò reſpectiuam in Deo eſſe quatenus eſt creaturæ conueniens; ſed in opinione noſtra dicendum eſt, quòd non debet eſſe perfectio reſpectiua diſtincta ab ipſa re, nam ipſimet rei conſtitutæ eſſentialiter, poteſt tribui perfectio reſpectiua, vt ſunt

C accidentia, quæ pertinent ad ipſius rei bonam habitudinem, imò aliquando ab ipſa re hæc perfectio reſpectiua non diſtinguitur niſi ratione ratiocinata, vt ſunt attributa, & perſonalitates in Deo, & in Angelo ipſæ potentiæ operandi.

His poſitis reſpondeo ad quæſtionem, & ſit

PRIMA concluſio. Si ſermo eſt de perfectione abſoluta ipſius relationis, tunc relatio ſiue creata, ſiue increata, dicit ſecundùm eſſe (Ad) perfectionem realem, quia, vt probatum eſt in ſuperiori quæſtione, relatio eſt realis, eſſe ſecundùm eſſe (Ad,) ergo etiam dicit perfectionem abſolutam realem, quia hæc nihil aliud eſt, vt patet ex dictis, quàm integritas eſſentialis ipſius relationis, & reciprocatur

D cum ipſa relatione. 4. Prima concluſio.

Notandum eſt tamen hîc, quòd cùm dicimus relationem eſſe perfectionem abſolutam, quia eſt cõueniens rei, quam conſtituit, non intelligimus nomine perfectionis ipſam relationem conuenientiæ, nam certum eſt hanc eſſe relationem rationis, eſt enim eiuſdem ad ſeipſum, ſed nomine perfectionis intelligimus ipſam integritatem eſſentialem ipſius relationis realis, & hanc dicimus eſſe realem, in qua fundatur alia relatio conuenientiæ, quæ eſt rationis.

Si verò ſermo eſt de perfectione reſpectiua creata relationis, ſit

SECVNDA concluſio. Huiuſmodi perfectio reſpectiua non eſt realis, quia comparata ad ſubie- 5. Secunda cõcluſio.

E ctum, ſeu fundamentum, quod afficit, nullam addit perfectionem, nihil enim accreſcit fundamento ex aduentu relationis, ſupponitur enim ex dictis, quòd fundamentum relationis ante aduentum relationis, eſt perfectè conſtitutum, & nullum aliud munus exercet relatio afficiendo ſubiectum, quàm illud referendo ad terminum; Quòd autem ſubiectum referatur ad terminum per formam relatiuam, nullam dicit perfectionem in ſubiecto, ſeu fundamento; quod ex eo confirmatur, quia Deus tanquam

Digitized by Google

tanquam Creator refertur ad creaturas perfectiſſimè, & tamen non refertur formaliter per formam relatiuam, ſed fundamentaliter, & præterea Deus eſt intrinſecè volens, & ſciens creaturas, & tamen nullam relationem realem dicit ad creaturas volitas vel ſcitas.

6. Tria quæſita circa hanc ſecũdam concluſionem.

Circa verò hanc ſecundam concluſionem, ad maiorem ipſius intelligentiam tria quæruntur.

Primũ quæſitum.

Primò, Vtrùm relatio increata in Diuinis, dicat non ſolùm perfectionem realem abſolutam, quatenus comparatur ad ſeipſam, quod quidem certum eſt dicere, vt probatum eſt in prima concluſione, ſed etiam dicat perfectionem realem reſpectiuam quatenus comparatur ad eſſentiam.

Reſponſio.

B Reſpondetur cum diſtinctione, quòd relatio increata in Diuinis, vt paternitas, æquiualet relationi tranſcendentali, & prædicamentali; quatenus igitur æquiualet relationi tranſcendentali, dicit perfectionem reſpectiuam realem; habet enim circa eſſentiam aliud munus, quàm referendi, facit enim illam fœcundam & ſubſiſtentem; at verò quatenus æquiualet relationi prædicamentali, quæ quidem, poſtquam eſt concepta per intellectum noſtrum eſſentia diuina fœcunda, & ſubſiſtens, intelligitur in poſteriori ſigno habere actuale exercitium referendi, ſicut habet relatio in humanis, & tunc videtur dicere Caietanus ſuprà citatus, quòd vt ſic, nullam dicit perfectionem realem reſpectiuam, ſicut nec etiam in humanis, quia vt ſic concepta, nullum aliud habet munus, quàm referendi; ſed de hac re quid dicendum ſit videbimus infrà in Corollariis de Trinitate.

7. Secundum quæſitum.

Secundò quæritur, Vtrùm relatio comparata ad relatum, vt relatum, formaliter dicat perfectionem abſolutam, vel reſpectiuam.

Reſponſio.

Reſpondetur, quòd dicit perfectionem realem abſolutam, quia eſſentialiter integrat relatum, vt relatum formaliter, hoc autem relatum formaliter comparatum ad ſubiectum, ſeu fundamentum, neque dicit perfectionem abſolutam, neque reſpectiuam realem; non abſolutam, quia non integrat eſſentiam ſubiecti, ſeu fundamenti; neque reſpectiuam, quia nihil accreſcit ſubiecto, & fundamento per eſſe relatum formaliter, vt probatum eſt exemplariter de Deo, qui quidem eſt perfectè Creator & Dominus cum ſola relatione fundamentali.

8. Tertiũ quæſitum.

Tertiò quæritur, Vtrùm perfectio reſpectiua in humanis, fundet relationem realem conuenientiæ, ex gr. accidens abſolutum debitum ſubſtantiæ dicit perfectionem realem reſpectiuam ad ſubſtantiam, & præterea fundat relationem conuenientiæ ad ſubſtantiam, quæritur an iſta relatio conuenientiæ ſit realis.

Primus modus reſpondendi ad quæſitum. Vaſq.

Aliqui dicunt vt Vaſq. 1. part. loco citato, non eſſe realem, quia abiretur in infinitum, nam iſta relatio fundaret aliam relationem conuenientiæ, & ſic in infinitum.

Secũdus modus reſpondẽdi verior.

Sed dicendum eſt eſſe realem in creaturis, quia non eſt eiuſdem ad ſeipſum, ſicut dicebatur de relatione cõuenientiæ fundata in perfectione abſoluta, ſupponimus enim illud accidens diſtingui à ſubſtantia, ſecus autem eſt in Deo, quia attributa, quæ dicunt perfectionem reſpectiuam ad eſſentiam, identificantur cum eſſentia: Nec obſtat proceſſus in infinitum, nam relatio realis conuenientiæ, non dicit perfectionem reſpectiuam in ordine ad ſubiectum, ſeu fundamentum, ad quod reſultat, vt probatum eſt, ergo non eſt neceſſarium, vt fundet relationem realem conuenientiæ, ſed ſufficit relatio rationis.

9. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, &

Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primũ. Ad ſecundũ.

A ad primum quidem, & ſecundum dicitur, illa tantùm probare, relationem non dicere perfectionem reſpectiuam in creaturis, quod concedimus, vt dictum eſt in ſecunda concluſione.

10. Ad tertium.

Ad tertium verò, quo probatur relationem in Diuinis non dicere perfectionem, reſpondetur, quòd relatio Diuina ſi comparetur ad perſonam, eſt perfectio abſoluta, quia eſt integrans eſſentialiter perſonam, atque adeò eſt realis, quia nihil aliud eſt, quàm integritas eſſentialis ipſius relationis realis; Si verò comparetur ad naturam Diuinam, eſt perfectio reſpectiua, & hæc etiam eſt realis in Deo, quamuis non ſit realis in creaturis, & ratio diſparitatis eſt, quia relatio diuina eſt conueniens eſſentiæ, B quia eſſentia per illam ſubſiſtit, non tamen hinc ſequitur, quòd vna perſona careat aliqua perfectione, quia quãuis non habeat formaliter perfectionẽ alterius perſonæ, habet tamen eminenter, ſeu æquiualenter, & præterea habet perfectionem alterius perſonæ identificatam cum eſſentia, vt fuſiùs dicetur in Corollariis de Trinitate.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm Relatio realis prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud.

1. Prima ſententia.

C Prima ſententia eſt quorundam aſſerentium relationem ſecundùm eſſe (Ad) totum ſuum eſſe habere ad aliud, non autem ſecundùm eſſe (In).

Fundamentum huius primæ ſententiæ.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia, vt viſum eſt ſuprà, diſtinguit hæc ſententia duplex eſſe in relatione, eſſe (In) & eſſe (Ad), & dicit, eſſe (In) cõuenire fundamẽto antequam reſultet eſſe (Ad); Qua poſita diſtinctione, conſequenter dicit iſta ſententia, quòd ſecundùm eſſe (In,) relatio non habet totum eſſe ad aliud, quia hoc eſſe (In) eſt diſtinctum ab eſſe (Ad), & eſt commune cũ cęteris accidentibus, accidentis autem eſſe eſt ineſſe, non igitur ſecundùm eſſe (In) reſpicit terminum, ſed afficit ſubiectum, D ſecundùm verò eſſe (Ad) totum ſuum eſſe habet ad aliud, quia (Ad) vt (Ad), quatenus diſtinctum ab (In) non reſpicit niſi terminum, non enim afficit ſubiectum ſecundùm eſſe (Ad) cùm ſit diſtinctum ab eſſe (In), & ſit commune enti reali, & rationis, ergo totum ſuum eſſe habet ad terminum.

2. Secũda ſententia.

Secunda ſententia videtur eſſe Maironis in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. & aliorum, aſſerentium relationem ſecundùm eſſe (Ad) non habere totum ſuum eſſe ad aliud.

Fundamentum.

Fundamentum eſt, relatio non eſt actualis referentia ad terminum, ita vt tota ratio ipſius conſiſtat in actuali exercitio referendi, ſed in aptitudinali referentia, ergo non habet totum ſuum eſſe ad aliud. E Conſequentia probatur, quia ſi totum ſuum eſſe haberet ad terminum, non haberet aliud munus, quàm reſpiciendi terminum, conſiſteret igitur ratio ipſius in actuali exercitio referendi. Antecedens probatur, quia poteſt concipi relatio in abſtracto ſecundùm totam ſuam eſſentiam, & tamen tunc actu non refert; Quòd verò actu referat in concreto, non facit, quòd ratio relationis conſiſtat in actuali exercitio, ſicut albedo non dicitur conſiſtere in actuali exercitio albificandi, quamuis ſit de ratione albedinis in concreto, vt afficientis ſubiectum, conſtituere actu album, quia ſufficit, vt in abſtracto, non habeat albedo ſecundùm eſſentiam ſuam conſtituere album.

3. Tertia ſententia. Peripatet. Ariſtot.

Tertia ſententia aſſerit, relationem prædicamentalem ſecundùm eſſe(In)& ſecundùm eſſe (Ad) totum ſuum eſſe habere ad aliud. Eſt communis Peripateticorum cum Ariſtotele in prædicamento Ad aliquid, vbi dicit, ea eſſe ad aliquid, quorum eſſe eſt ad aliud ſe habere. Et nota, quòd hic eſt ſermo de relatione prædicamentali creata, nam de increata, aliter eſt philoſophandum; hæc enim propter ſuam infinitam perfectionem, æquiualet relationi tranſcendentali & prædicamentali, vt dicemus in fine huius quæſtionis.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM SENTENTIAM.

4. Prima concluſio contra ſecundã ſententiam. Prima probatio.

Est impoſſibile, vt relatio totum eſſe ſuum habeat ad aliud, ſecundùm eſſe (Ad) & non ſecundùm eſſe (In.)

Probatur, impugnando fundamentum oppoſitæ ſententiæ; fundamentum autem erat, quòd eſſe (Ad)eſt diſtinctum ab eſſe (In),& ſecundùm eſſe(In) afficit ſubiectum, non autem ſecundùm eſſe (Ad,) quod eſt commune relationi reali & rationis.

Sed hoc fundamentum impugnatur primò, quia, vt ſuprà probatum eſt, relatio ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum, eſt realis, ergo ſi(Ad)vt (Ad) exiſtit in rerum natura, neceſſariò dicendum eſt, quòd exiſtat vt(In)quia non exiſtit per ſe.

Secunda.

Secundò ſi vt(Ad)non inhæret in ſubiecto, quomodo poteſt afficere ſubiectum, informando illud ſecundùm eſſe (Ad), alioquin eſſet dicendum, quòd nullum effectum formalem tribueret ſubiecto.

5. Inſtantia.

Quòd ſi dicas, ſi relatio afficit ſubiectum, ergo non habet totum ſuum eſſe ad terminum.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd non afficit ſubiectum quaſi habeat diſtinctum eſſe (In) ab eſſe (Ad), vt dicebat prima ſententia, ſed afficit ſubiectum ſecundùm eſſe (Ad) exercendo in ſubiecto tantùm munus referendi illud ad terminum; & per hæc patet ad fundamenta primæ ſententiæ.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA SECVNDAM SENTENTIAM.

6. Secunda cõcluſio contra ſecundã ſententiam.

Relatio prædicamentalis, eſt actuale exercitium referendi fundamentum, ſeu ſubiectum ad terminum, vel reſpiciendi terminum; Poteſt hæc concluſio habere triplicem ſenſum.

Explicatur ſecunda cõcluſio.

Primus ſenſus eſt, quòd ſit de eſſentia relationis, vt exiſtat à parte rei, referendo ſubiectum, & hic ſenſus eſt falſus, quia tunc non poſſet concipi ſine actuali exiſtentia, quod eſt proprium Dei, & dicit ſummam, & infinitam perfectionem.

Secundus ſenſus eſt, quod de ratione relationis vt afficientis ſubiectum, habet referre illud ad terminum, & iuxta hunc ſenſum, eſt certum, relationẽ eſſe actuale exercitium referendi, quia effectus formalis relationis creatæ eſt actu referre. Sed hoc non eſt proprium relationis, ſed eſt commune omnibus aliis accidentibus, nam de eſſentia etiam albedinis eſt, quatenus eſt afficiens, ſeu informans ſubiectum præbere illi effectum ſuum formalem, conſtituendo illud album.

Tertius ſenſus eſt, quòd non poteſt exiſtere relatio, quin afficiat ſubiectum, referendo illud ad terminum; & iuxta hunc tertium ſenſum intelligitur hæc ſecunda concluſio; non autem intendimus hoc eſſe proprium ſolius relationis prædicamentalis, competit enim omnibus modis, cuiuſmodi ſunt aliquæ relationes tranſcendentales, vt actio, & vnio, & alij huiuſmodi, non enim poteſt exiſtere actio, quin actu referatur ad terminum productum, quamuis huiuſmodi relationes tranſcendentales, vt mox infrà dicetur in tertia concluſione, differant à prædicamentalibus, quia relatio tranſcendentalis, vt actio, præter referentiam, exercet aliud munus circa terminum, eſt enim via ad terminum, per quam ipſe terminus ponitur in rerum natura.

7. Probatur.

Fundamentum huius ſecundæ concluſionis eſt, quia relatio prædicamẽtalis non poteſt exiſtere, niſi actu afficiat ſubiectum, ſeu fundamẽtum, ergo dum eſt, ſemper eſt in actuali exercitio referendi. Conſequentia eſt manifeſta ex dictis, quia dum forma afficit ſubiectum, neceſſariò illi præbet effectum formalem, effectus autem formalis relationis prædicamentalis, non eſt alius, quam referendi, cùm igitur relatio non poſſit exiſtere, quin afficiat, & informet, informat autem referendo, ſequitur neceſſariò, quòd dum exiſtit, neceſſariò refert. Antecedens verò, in quo eſt tota difficultas, quòd, ſcilicet, relatio non poſſit exiſtere, quin afficiat ſubiectum, ſeu fundamentum; probatur ex Erueo quodl. 10. quæſt. 1. & quodl. 2. quæſt. 15. & in 1. diſtinct. 30. art. 1. quia relatio ſecundùm Erueum, & alios, vt oſtenſum eſt in prima quæſtione, nihil aliud eſt, quàm forma abſoluta, connotans terminum extrinſecum; Ex. gr. inquiunt, ſimilitudo nihil aliud eſt, quàm ipſa albedo, quæ tunc præbet effectum formalem ſimilitudinis, quando eſt alia albedo, non poteſt igitur relatio exiſtere ſine ſuo fundamento, quia reipſa nihil aliud eſt, quàm ipſum fundamentum, prout connotat terminum extrinſecum. Sed quia ſuprà quæſt. 1. citata oſtendimus, præter fundamentum, & terminum extrinſecũ connotatum, debere dari habitudinem mediam connectentem fundamẽtum cum termino, & hanc habitudinẽ intelligimus nomine relationis; ideo aliter à nobis probandum eſt illud antecedens. Probatur autem, quia relatio eſt modus fundamenti; tum quia reſultat naturaliter ad poſitionem fundamenti, & termini, huiuſmodi autem reſultantia eſt propria modorum; tum quia, vt mox infrà probabitur in tertia concluſione, relatio non habet aliud munus circa ſubiectum, aut terminum, quàm referendi, ad hoc autem ſatis eſt, vt ſit modus fundamenti, modus autem non poteſt exiſtere ſeparatus à ſubiecto, non enim habet aliam realitatem, quàm realitatem ſubiecti, non poteſt igitur relatio, cùm ſit modus, exiſtere ſine ſubiecto, ſed dum eſt in ſubiecto, vt probatum eſt, neceſſariò afficit illud referendo, quia non habet aliud munus, ergo dum eſt, neceſſariò ſemper eſt in actuali exercitio referendi.

Erue. & alij.

Argumentum autem ſecundæ ſententiæ ſuprà allata, quæ ſunt contra hanc ſecundam concluſionem, probant tantùm, relationem non conſiſtere in actuali exercitio referendi, iuxta primum, & ſecundum ſenſum ſuprà explicatum.

TERTIA CONCLVSIO.

8. Tertia concluſio. Ariſt.

Relatio prædicamentalis totum ſuum eſſe habet ad aliud. Eſt communis concluſio Peripateticorum cum Ariſtotele in prædicamento Ad aliquid.

Primò probatur.

Solet primò probari ex eo, quia relatio prædicamentalis non poteſt exiſtere, niſi actu referat, ergo ſignum eſt, quòd totum ſuum eſſe habet ad aliud.

Sed

Digitized by Google

Reiicitur. Sed hæc ratio non eſt efficax, nam actio, & vnio non poſſunt exiſtere in rerum natura, quin actu referant ſubiectum ad aliud extremum, & tamen ſunt relationes tranſcendentales.

Quòd ſi dicas, actionem, & vnionem, non conſiſtere in ſolo exercitio referendi ad aliud, ſed habere aliud munus circa terminum, nam actio eſt via ad terminum, per quam terminus in eſſe conſtituitur, & vnio præter reſpicientiam, connectit ſimul extrema à parte rei; Contrà inſtatur, hoc eſt enim quod controuertitur, an ſcilicet relatio prędicamentalis præter actuale exercitium referendi ſubiectum ad terminum, habeat aliquod aliud munus.

9. Secūda probatio efficax. Probatur igitur ſecundò aliter concluſio, quia relatio prædicamentalis reſultat ad poſitionem termini, & fundamenti, non poteſt igitur relatio prædicamentalis habere aliud munus circa ſubiectum, & terminum, quàm referendi, vel reſpiciendi. Conſequentia eſt manifeſta, quia tam ſubiectum, quàm terminus, ſupponuntur integrè conſtituta in ſuo eſſe, non indigent igitur alio ad conſtitutionem ipſorum, vt ſic; ſi igitur reſultat relatio, reſultat vt purus reſpectus; non ſic autem eſt actio, vel aliæ relationes tranſcendentales, quia nec ſupponunt ſubiectum perfectè conſtitutum in ordine ad terminum, nec ipſum terminum, nam actio eſt via agentis ad conſtituendum terminum in ſuo eſſe, fit enim terminus per actionem, & agēs non agit, niſi per actionem, ita etiam ſcientia, quæ includit terminum tranſcendentalem ad obiectum, afficit ſubiectum, tanquam repræſentatiuum obiecti, ita vt ponat obiectum, quaſi intra intellectum ſcientis. Antecedens verò ſupponitur, nomine enim relationis, vt patet ex prima quæſtione, intelligimus illam habitudinem mediam inter fundamentum, & terminum, reſultantem ex poſitione vtriuſque, & hanc oſtendimus in præcedenti quæſtione eſſe realem, vnde in præſenti quæſtione bene colligimus, non habere aliud munus quàm referendi, & oſtēdi poteſt exemplariter, breuiter diſcurrendo per omnia genera relationum prædicamentalium.

10. Et primò circa illud genus relationum, quod fundatur in vnitate, & diuerſitate, patet hoc clariùs, nam ſimilitudo ſupponit duo alba conſtituta in ratione albedinis, & poſtea intelligitur reſultare relatio, non igitur poteſt illa relatio reſultans habere aliquod munus circa illa duo alba, quàm referendi vnum ad alterum, præſertim cùm ipſum fundamentum, quod eſt primum album, non habeat aliquod munus circa ſecundum coalbum.

Circa ſecundum verò genus relationum quod fundatur in actione, & paſſione, patet, quòd neque relatio poteſt exercere aliud munus, quàm referendi, nam paternitas non reſultat, niſi priùs ſupponatur fundamentum proximum, quod eſt potentia generatiua cum actione generandi, & terminus ipſe genitus, non poteſt igitur relatio reſultans exercere aliud munus circa terminum vt terminum, vel circa fundamentum, vt fundamentum eſt; in Diuinis autem, quia paternitas non ſupponit eſſentiam integrè conſtitutam in ratione potentiæ generatiuæ, ideo dicunt Theologi, quòd paternitas in Diuinis, quatenus conſtituit integrè perſonam Patris ſecundùm potentiam generatiuam, æquiualet propter ſuam infinitam perfectionem relationi tranſcendentali; quatenus verò ſupponit in priori ſigno perſonam integrè conſtitutam in ratione principij, & actum generantis, poteſt in alio poſteriori ſigno æquiualere relationi prædicamentali, quatenus exercet ſolum munus referendi Patrem ad Filium.

Circa verò tertium genus relationum, quod fundatur in menſura, & menſurabili, patet, priùs enim ſupponitur potentiam cognouiſſe obiectum, quàm reſultare relationem cognoſcentis ad cognitum, non igitur poteſt iſta relatio reſultans exercere aliud munus circa cognoſcentem, & obiectum cognitum, quàm referendi, nam tam potentia, quàm obiectum in ratione potentiæ, & obiecti, quatenus illa eſt repræſentatiua, & hoc repræſentabile, intelliguntur perfectè conſtituta in ratione obiecti & potentiæ, quare ſi nulla aduenirct relatio prædicamentalis in cognoſcente, ſicut de facto nulla aduenit in obiecto cognito, adhuc cognoſcens, vt cognoſcens, & obiectum, vt obiectum, quatenus eſt terminus cognoſcētis, intelligerentur perfectè conſtituta in ſuo eſſe; cùm igitur reſultat reſpectus prędicamentalis, tanquam habitudo media, inter illa extrema, non poteſt exercere aliud munus, quàm referendi.

11. Tertia probatio ex Ariſtotele. Probatur tertiò hæc concluſio ex Ariſt. in prædicamento Ad aliquid circa finem capitis, vbi definiēs relationem prædicamentalem, dixit eſſe accidens, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, & per hoc diſtinguitur prædicamentum Ad aliquid, à reliquis abſolutis prædicamentis. *Ariſt.*

Inſtātia cōtra tertiam probationē. Quòd ſi quis obiiciat contra hanc probationem, quòd Ariſt. in eodem capite initiò definiens relationem tam tranſcendentalem ſeu ſecundùm dici, quàm prædicamentalem, vtitur eadem definitione, ea ſcilicet eſſe ad aliquid, quæ id, quod ſunt, aliorū ſunt, vel ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, non igitur ſecundùm Ariſt. id, cuius totum eſſe eſt ad aliud eſſe, eſt relatio prædicamentalis.

Prima ſolutio. Reſpondent aliqui, quòd in priori definitione tradita initio capitis, additur verbum illud (dicuntur); non autem in poſteriori, tradita circa finem capitis, ad ſignificandum, quòd prior definitio traditur de relatiuis ſecundùm eſſe, quia in poſteriori tradita in fine capitis, loco verbi (dici) adhibuit verbum (habere) per quod excluduntur relationes ſecundùm dici. Vocant autem relationem ſecundùm dici, eam quæ in re nullam habet habitudinem, ſed concipi non poteſt ſine habitudine, ſicut in Deo eſt potentia ad creaturas, quæ quidem, vt ſuprà dictum eſt, non includit aliquem reſpectum realem ad creaturas, ſed quia non poteſt concipi ſine hoc reſpectu, dicitur illam potentiam eſſe relationem ſecundùm dici.

Impugnatur. Sed hæc reſponſio poteſt impugnari, tum quia apud Ariſt. pro eodem ſumuntur illa verba (eſſe, ſeu, habere, & dici,) definiens enim Ariſt. qualitatem, dicit eſſe eam, ſecundùm quam quales dicuntur, tum quia ſi in priori definitione tradita initio capitis, includuntur tantùm relatiua ſecundùm dici, vt colligunt ex illo verbo (dicuntur,) & in poſteriori definitione tradita in fine capitis, traditur tantùm definitio de relatiuis ſecundùm eſſe, fit vt nullibi Ariſtoteles definierit relationes tranſcendentales, quæ ſecundùm ipſos neque ſunt relationes ſecundùm dici, neque ſecundùm eſſe, & tamen Ariſtoteles dicit, in priori definitione tradita initio capitis, comprehendi relationes tranſcendentales, quæ ſunt in ſubſtantiis ſecundis partialibus, vt caput, inquit, capitati eſt caput. *Ariſt.*

12. Secunda ſolutio verior. Reſpondetur igitur ſecundò ad obiectionē, primam definitionem cōtinere duas propoſitiones, vt ſub diſiunctione, & facit hūc ſenſum, relationes nō ſolùm ſunt illæ formæ, quæ totum ſuum eſſe habent ad aliud, ſed etiam illæ, quæ aliqua ratione ſunt ad

aliquid, licèt præter hoc eſſe ad aliud, exerceant aliud munus circa ſubiectum, & terminum, ſed poſtea volens Ariſtoteles aſſignare definitionem ſolius relationis prædicamentalis, dixit ea eſſe ad aliquid, quorũ eſſe eſt ad aliud ſeſe habere; quaſi diceret, ea ſunt ad aliquid, quorum totum eſſe eſt ad aliud, ita vt non exerceant aliud munus quàm referendi.

QVARTA CONCLVSIO.

13. Quarta cõcluſio.

PRæcipva proprietas relationis prædicamentalis eſt, quòd reſpiciat terminum purè ſub ratione termini, & non ſub aliqua ratione determinata, ſicut reſpicit relatio tranſcendentalis. Hæc eſt ſententia Caietani (Caiet.) in opuſculo de ente, & eſſentia, cap. 7. quæſt. 5. vbi ponens diſtinctionem inter relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem, inquit, quòd reſpectus prædicamentalis eſt ille, qui reſpicit terminum purè ſub ratione termini, tranſcendentalis autem reſpicit aliud, non vt purè terminum, ſed ſub aliqua alia determinata ratione, vel ſubiecti, vel obiecti, vel efficientis, aut finis.

Triplex ſenſus concluſionis.

Poteſt autem hæc ſententia Caietani, & noſtra concluſio habere triplicem ſenſum.

14. Primus ſenſus.

Primus ſenſus eſt, vt relatio prædicamentalis reſpiciat purè terminum ſub aliqua ratione cõmuni, & abſtracta, non autem determinata, & ſpecificata; Et hic ſenſus falſus eſt, reſpicit enim terminum ſub determinata ratione termini, nam paternitas reſpicit talem terminum, ſcilicet, (eſſe genitum, ſeu filium.)

15. Secundus ſenſus.

Secundus ſenſus eſt, quòd relatio prædicamentalis reſpicit terminum abſolutum ſub pura ratione termini, ita vt non exerceat aliud munus circa illum terminum, quàm referendi ſubiectum ad illum; & hoc modo diſtinguitur relatio paternitatis ab actione, quæ eſt relatio tranſcendentalis; nam quamuis tam paternitas, quàm actio, reſpiciant (eſſe genitum) tamquam terminum; actio tamen ita reſpicit eſſe genitum, vt præter reſpicientiam habeat munus cauſalitatis, per quam eſſe genitum ponitur in eſſe; at verò paternitas reſpicit eſſe genitum ſub pura ratione termini, quia nullum aliud munus exercet circa eſſe genitum, quàm referendo generantem ad eſſe genitum; & hunc ſecundum ſenſum tribuunt aliqui Caietano; Sed non videtur hic ſenſus eſſe Caietani, nam Caietanus (Caietanus.) potiùs loquitur iuxta tertium ſenſum mox explicandum; tenet enim in 1. par. quæſt. 13. art. 7. relationem terminari ad terminum correlatiuum, qui eſt purus terminus ſub pura ratione termini.

16. Tertius ſenſus proprius & verus cõcluſionis.

Tertius igitur concluſionis ſenſus verior eſt, quòd proprium relationis ſit reſpicere purum terminum ſub pura ratione termini; ita vt non ſolùm non exerceat aliud munus, quàm referendi circa terminum, ſed quòd etiam ipſe terminus ſit purus terminus; ita vt nullam aliam habeat rationem, quàm terminandi: huiuſmodi autem terminus non poteſt eſſe, niſi correlatiuus, nam terminus abſolutus (vt eſſe genitum) præter rationem terminandi, habet rationem effectus, & etiam eſt talis, vt ab illo ſaltem tamquam à poſteriori, dependeat actio ſecundùm eſſe; & hic tertius ſenſus eſt Caietani, vt ſuprà dictum eſt.

Duo autem ſunt probanda; Primum, quòd relatio prædicamentalis reſpiciat terminum ſub pura ratione termini: ita vt nullum aliud munus exerceat circa terminum, quàm referendi; Et hoc primum patet ex dictis, nam, vt dictum eſt in tertia concluſione, totum eſſe relationis eſt ad aliud; ergo non poteſt reſpicere terminum ſub alia ratione particulari, quam terminandi, ſi enim haberet aliam rationem circa terminum, vt habet actio circa eſſe genitum (cauſatur enim ab actione) tunc totum eſſe relationis prædicamentalis non eſſet ſolùm reſpicere terminum.

Secundum verò quod iuxta hunc tertium ſenſum probandum remanet, eſt, quòd non ſolùm relatio reſpiciat terminum ſub pura ratione termini, ſed quòd ipſe terminus ſit purus, ita vt nullam aliam habeat rationem, quàm terminandi, & huiuſmodi, vt dictum eſt, eſt terminus correlatiuus; Infertur autem hoc ſecundum à primo, nam ſi v.g. paternitas reſpiceret terminum abſolutum, verb. grat. (eſſe genitum) non poſſet illum reſpicere ſub ratione effectus, vt effectus eſt, ſicut reſpicit actio; ſed tantùm ſub ratione termini; ergo quòd eſſe genitum, præter rationem terminandi habeat aliam rationem, ſcilicet, effectus, eſt impertinens ad rationem termini relationis, nam eſſe genitum, non reſpicitur à relatione prædicamentali, niſi ſub pura ratione terminandi. Præterea ſicut relatio prædicamentalis non exercet aliud munus circa terminum, quàm referendi ſubiectum ad illum terminum; ita etiam à pari terminus, qui reſpicitur à relatione, nullum aliud munus exercere debet circa relationem, quàm terminandi; at vero ſi terminus relationis, v. g. paternitatis, non eſſet purus terminus, ſicut eſt terminus correlatiuus filiationis, ſed eſſet terminus abſolutus, ſicut eſt (eſſe genitum) ſequeretur quòd terminus haberet aliud munus circa relationem, quàm terminandi: quia eſſe genitum non ſolùm habet circa relationem munus terminandi, ſed etiam dependentiæ actiuæ; dependet enim relatio ab eſſe genito; ſi enim auferatur eſſe genitum, aufertur relatio: at verò ſi auferatur filiatio, non aufertur paternitas. Et hæc ſatis ſint, fuſiùs enim in quæſtione octaua oſtendetur, relationem terminari ad correlatiuum.

Sed circa hæc quæ hactenus dicta ſunt, occurrunt duo dubia: Primum eſt, an relatio prædicamentalis, vt relatio eſt, abſtrahens à creata, & increata, totum ſuum eſſe habeat ad aliud; & vt ſic abſtrahens reſpiciat terminum ſub pura ratione termini; Et ratio dubitandi eſt, quia ſi hoc haberet relatio prædicamentalis, vt relatio eſt, ſequeretur, quòd etiam in diuinis paternitas totum ſuum eſſe haberet ad Filium, & illum reſpiceret ſub pura ratione termini, quod quidem videtur falſum; nam paternitas in diuinis non ſolùm refert Patrem ad Filium, ſed etiam conſtituit primam perſonam; non enim poteſt, vt ſupponitur ex Theologia, conſtitui per abſolutum, quia cùm abſolutum non habeat ex terminis oppoſitionem cum alio abſoluto, ſequeretur, quòd vna perſona propter infinitatem identificaretur cum alia. 18. Primum dubium circa tertiam & quartã concluſionem.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, relationem prædicamentalem, vt abſtrahit à creata, & increata, totum ſuum eſſe habere ad aliud, & reſpicere terminum ſub pura ratione termini, vt patet ex his quæ diximus in tertia & quarta concluſione. 19. Reſpõſio ad primum dubium.

Ad rationem autem dubitandi reſpondet Ferrarienſis (Ferrar.), relationem paternitatis in diuinis, non conſtituere Patrem ſecundùm eſſe (Ad) ſed ſecundùm eſſe (In), quatenus eſt forma hypoſtatica, quæ vt abſtrahit ab eſſe abſoluto, & reſpectiuo, conſtituit primam perſonam ingenitam, id eſt, à nullo procedentem.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit,nam relatio debet conſtituere primam perſonam vt incommunicabilem, ſed prima perſona non conſtituitur incommunicabilis,ex eo,quia à nullo procedit, ſed ex eo, quia aliæ perſonæ procedunt ab ipſa, hoc enim dicit oppoſitionem cum alia perſona, ratione cuius oppoſitionis eſt incommunicabilis,conſtituit igitur relatio primam perſonam ſecundùm eſſe(Ad) & non ſecundùm eſſe(In).

10. Quare dicendum eſt, vt fuſiùs explicabitur infrà in Corollariis, quòd paternitas in diuinis, quamuis ſit vna forma ſimpliciſſima,tamen propter ſuam infinitatem,æquiualet relationi tranſcendentali, & prædicamentali, ſecundùm diuerſa munera; in primo enim ſigno paternitas ſecũdùm eſſe(Ad,) cõſtituit primam perſonã,& facit illam fœcundam,& integrat cum eſſentia vnum completũ principiũ productiuũ ſecundæ perſonæ,& per hoc diſtinguitur à ſecũda perſona, quia principium productiuũ neceſſariò debet eſſe diſtinctũ à producto;æquiualet etiam paternitas relationi prædicamentali, quia ſuppoſita in primo ſigno prima perſona conſtituta, & in ſecundo ſigno actione generationis,quæ eſt etiam ipſa paternitas, iam in tertio ſigno æquiualet relationi prædicamentali,actu enim refert Patrem ad Filium, & vt ſic per intellectum noſtrum concepta in hoc tertio ſigno exercet tantùm munus referendi Patrem ad Filium, & reſpiciendi Filium ſub ratione termini, ſeu Filij,nam ſub ratione geniti, reſpicitur à paternitate,vt eſt principium productiuum in primo ſigno, ſeu vt integrans principium productiuum,& vt actio eſt in ſecundo ſigno.

Dubium ſecundũ circa ſecundã concluſionem.

Secundum dubium, an relatio prædicamentalis, vt relatio eſt,abſtrahens à creata, & increata,conſiſtat in actuali exercitio referendi; & ratio dubitandi eſt, quia in diuinis paternitas in primo ſigno, quando intelligitur conſtituere primam perſonam ſecundùm eſſe(Ad) vt dictum eſt in priori dubio,in illo, inquam, primo ſigno non actu refert, ſed eſt apta referre, quia ad hoc vt referat, debet præſupponi actio generationis, quæ eſt in ſecundo ſigno.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, vt patet ex his quæ diximus in ſecunda concluſione, relationem prædicamentalem vt abſtrahit à creata & increata, conſiſtere in actuali exercitio referendi.

Ad rationem autem dubitandi reſpondent primò aliqui, quòd paternitas in Diuinis ſecundùm conceptum confuſum concipitur in primo ſigno conſtituens,& apta ad referendum, & in alio ſigno vt actu referens, ſed ſecundùm conceptum diſtinctum,ſimul actu refert,& conſtituit.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, nam paternitas in Diuinis etiam ſecundùm conceptum diſtinctum, priùs concipi debet vt conſtituta in primo ſigno,& vt producens in ſecundo ſigno, & in tertio ſigno,vt actu referens,nam de cõceptu paternitatis, vt paternitas eſt, præſupponit actionem generandi, quia relatio prædicamentalis,vt diſtinguitur à tranſcendentali, debet habere fundamentum, in quo fundetur; non igitur poteſt paternitas intelligi, quòd actu referat ad Filium, niſi præintelligatur generatio Filij.

Quare ad rationem dubitandi reſpondetur ſecundò,quòd relatio in Diuinis, vt paternitas,æquiualet,vt dictum eſt ſuprà,relationi tranſcendentali, & prædicamentali; Vt autem eſt relatio tranſcendentalis,conſtituit primam perſonam; in poſteriori autem ſigno,quatenus æquiualet relationi prædicamentali,eſt in actu ſecundo, ſeu in actuali exercitio referendi, & eſt ſimilis relationi prædicamentali

A creatæ.Et hæc de relationibus diuinis breuiter dicta ſint, quantùm ſpectat ad Philoſophum, ad cognoſcendum naturam relationis; fuſiùs poſtea de illis dicturi in Corollariis de hac materia.

QVÆSTIO QVINTA.

In quibus differat relatio tranſcendentalis à prædicamentali.

MVLTÆ à Doctoribus aſſignantur differentiæ inter relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem; Sed ferè ſingulæ habent ſuas peculiares difficultates, & ideo B ſigillatim examinandæ ſunt.

PRIMA DIFFERENTIA.

1. Prima differentia radicalis.

PRIMA radicalis differentia, ex qua ortum habent aliæ, illa aſſignatur, quòd relatio prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud,non item tranſcendentalis,quia hæc præter munus referendi, exercet aliud munus circa terminum, vel cauſandi, vel repræſentandi, ſicut actio non ſolùm refertur ad effectum, ſed etiam eſt via, per quam ponitur in eſſe effectus, & ſcientia non ſolùm refertur ad ſcibile, ſed etiam eſt repræſentatiua ſcibilis; & forma C refertur ad materiam actuando illam, & complendo compoſitum: at verò relatio prædicamentalis,vt patet ex ſuperiore quæſtione, ſolùm habet munus referendi ſubiectum ad terminum, & reſpiciendi illum,quia reſultat ex fundamento, & termino iam conſtitutis, nullum igitur aliud munus poteſt exercere circa illa niſi referendi,aut reſpiciendi.

2. Prima difficultas ſeu argumentum contra primam ſentẽtiam. Scotus. Ant. Andr.

Sed contra hanc primam differentiam vnde oriuntur aliæ differentiæ, occurrit difficultas, & arguitur primò ex Scoto in 4. diſtinct. 12. quæſt. 1. & 7.met.quæſt.1.& ibi Anto.Andr. quæſt. 1. Relatio tranſcendentalis conſequitur ad rem abſolutam, quia nullus reſpectus tranſcendentalis includitur in re abſoluta, vt abſoluta eſt, ergo reſpectus tran- D ſcendentalis, vt diſtinctus à re abſoluta, quatenus reſpectus eſt, nullum aliud munus exercere poteſt vel circa ſubiectum, vel circa terminum, quam referendi ad terminum rem illam abſolutam, vel tanquam cauſam, vel tanquam viam, vel tanquam repræſentatiuam.

Cõfirmatio.

Et confirmatur, quia ſi auferatur iſta relatio tranſcendentalis, & remaneat ſolùm forma abſoluta,quæ tantùm connotet extrinſecè terminum,tunc poſſent bene ſaluari omnia munera circa terminum, præter referentiam realem, ergo etiam ſi iſta relatio tranſcendentalis daretur diſtincta realiter à forma abſoluta, non haberet aliud munus, quàm referendi illam formam abſolutam, ad ter- E minum.

Conſequentia eſt clara. Antecedens probatur, quia de facto in Deo bene ſaluatur potentia creatiua cum ſolo conceptu abſoluto,connotando extrinſecè creaturas poſſibiles, ſeu non implicantes contradictionem,impoſſibile eſt enim,quòd huiuſmodi reſpectus tranſcendentalis ad creaturas detur à parte rei in Deo,quia diceret dependentiam à creaturis tanquam à termino, ſequeretur enim, quòd ſi non poſſent eſſe creaturæ per impoſſibile, non eſſet illa relatio tranſcendentalis in Deo, quod quidẽ eſt abſurdũ,quia Deus poſſet carere ſeipſo,ille enim reſpectus eſt identificatus cum Deo & id clariùs patet in ſcientia viſionis, qua Deus videt creaturas vt futu-

ras,

Digitized by Google

tas, manifeſtè enim conſtat in hac ſcientia viſionis non poſſe dari relationem tranſcendentalem ad creaturas, vt futuras, quia creaturæ potuiſſent non eſſe, poſitæ enim ſunt per liberam voluntatem Dei, quare iſte reſpectus tranſcendentalis potuiſſet eſſe ſub nihilo, quod eſt impoſſibile, quia eſſet ens increatum, nulla enim res creata identificari poteſt cum Deo, quare cócluditur, quòd etiam in creaturis poſſunt omnia ſaluari, ponendo formam abſolutam connotantem terminum extrinſecum, quare ſi propter imperfectionem creaturæ admittatur, præter formam abſolutam, reſpectus realis tranſcendentalis ad terminum extrinſecum, profectò ſequitur, quod dicebat Scotus, quòd talis reſpectus vt ſic, non habet aliud munus, quàm referendi formam abſolutam, ſeu ſubiectum ad terminum, quare reſpectus tranſcendentalis vt ſic, non differet quantùm ad hoc, à relatione prædicamentali, nulla igitur eſt hæc prima differentia.

3. Reſpóſio ad primam difficultaté, ſeu argumentú ex Scoto. Caiet. S. Thom. Ægid. Iand. Capr. Eru.

Reſpondetur ad primum argumentum, ſeu difficultatem, negando hunc reſpectum tranſcendentalem in creaturis, eſſe conſequentem ad formam abſolutam, ſed dicimus contra Scotum ſuprà citatum, includi eſſentialiter in ipſa forma abſoluta. Ita tenet Caiet. de ente & eſſentia cap. 1. quæſt. 15. & ſumitur ex S. Thom. 3. part. quæſt. 77. art. 1. & in 4. diſt. 12. quęſt. 1. ar. 1. quęſtiúcula 1. art. 2. & ex Ægid. 7. met. quæſt. 2. Iand. quæſt. 9. Capr. in 1. diſt. 42. quęſt. 1. art. 3. ad primum, contra quintam, & ſextam concluſionem, & ex Eru. in quodlib. quæſt. 9. Et probatur, quia illa entitas abſoluta, quæ eſt quaſi potentialis, & imperfecta, eſt primò, & ex natura ſua ordinata ad aliud, ſicut patet de materia, quæ eſt propter formam, & forma propter materiam ad actuandum illam, & ſcientia propter obiectum, & actio eſt via ad ponendum terminum, & ſic de reliquis, ergo ille ordo ex primario fine talis entitatis, conuenit illi entitati, & eſt idem cum illa.

Scot.

Et confirmatur ex eo, nam non videtur poſſe præſcindi ab illa forma abſoluta relatio illa tranſcendentalis, quam dicit Scotus eſſe conſequentem, nam facta quacunque præciſione, adhuc intrinſecè entitas illa eſſet ordinata ad aliud, ergo ſignum eſt, quòd hic reſpectus, includitur intrinſecè, & eſſentialiter in forma abſoluta, & quòd ſit idem cum illa, & illi proportionatus; & hoc quidem clariùs patet in relatione tranſcendentali dependentiæ, quam habet creatura ad Deum, hæc enim includitur intrinſecè in ipſa creatura, & eſt idem cum illa, neceſſariò enim, ſub quocunque conceptu vltimato creaturæ concipiatur ipſa creatura, dicit neceſſitatem dependentiæ à Deo, non ergo poteſt præſcindi relatio tranſcendentalis dependentiæ intrinſecè à creatura.

4. Reſpóſio ad confirmationem.

Ad confirmationem argumenti reſpondetur, quòd quando entitas abſoluta non eſt ex natura ſua inſtituta ad aliud, ſed eſt perfecta, & completa in ſe, nullam dicens dependentiam à termino, tunc non opus eſt, vt per relationem realem tranſcendentalem intrinſecam referatur ad terminum, ſed ſatis eſt ad hoc, vt poſſit exercere munera circa terminum, vt connotet illum extrinſecè, ita eſt potentia creatiua in Deo, & ſcientia poſſibilium, ſeu futurorum: An autem ſcientia Dei ad ſeipſum dicat relationem tranſcendentalem intrinſecè, eſt alia quæſtio, fortè enim non dicit, quia eſt ad ſeipſum, ſecus autem eſt de potentia generatiua Patris, quæ eſt ad Filium, diſtinctum realiter, quia præter eſſentiam, dicit relationem paternitatis, quæ quatenus complet principium productiuum in Patre, æquiualet relationi tranſcendentali, vt dictum eſt in ſuperiori quæſtione; at verò in creaturis, & quia illæ entitates abſolutæ, quas dicimus includere reſpectum, ſunt ex natura ſua inſtitutæ, & ordinatæ ad terminum extrinſecum, ideo non mirum, ſi intrinſecè, & eſſentialiter includant illum reſpectum cum ipſis identificatum.

Quare concluditur, quòd inter relationem realem prædicamentalem, & tranſcendentalem realem, prima differentia vera eſt, quòd ſcilicet relatio prædicamentalis non habeat aliud eſſe, quàm ad aliud; nec eſt ſimile de relatione tranſcendentali, quia prædicamentalis non includitur in conceptu formæ abſolutæ, perfectio enim abſoluta eſt in ſe conſtituta ſine iſto reſpectu prædicamentali, relatio verò tranſcendentalis, habet aliud munus quàm referendi, quia includitur in conceptu formæ abſolutæ cuius proprium munus eſt vel cauſare, vel repræſentare, &c.

SECVNDA DIFFERENTIA.

5. Secunda differentia.

RELATIO tranſcendentalis eſt de eſſentia rei quam conſtituit, vt oſtenſum eſt in prima differentia, non item prædicamentalis.

Difficultas circa ſecundam differentiam.

Sed circa hanc differentiam occurrit difficultas, nam videtur eadem paritas inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalem; nam cum dicitur, reſpectum tranſcendentalem eſſe de eſſentia rei, quam conſtituit, poteſt habere duplicem ſenſum: Primus eſt, quòd reſpectus tranſcendentalis, ſit eſſentialis formæ, quam conſtituit, ex. gr. reſpectus tranſcendentalis ad ſcibile, ſit eſſentialis ſcientiæ, tamquam forma metaphyſica conſtituens ſcientiam, quæ eſt forma phyſica reſpectiua ad obiectum, & iuxta hunc primum ſenſum non differt à prædicamentali; nam etiam eſſe (Ad) eſt eſſentiale prædicamento relationis, tamquam differentia conſtituens talem eſſentiam prædicamentalé. Secundus ſenſus eſt, quòd reſpectus tranſcendentalis ſit eſſentialis ſubiecto, ita vt ipſa ſcientia, quæ eſſentialiter eſt reſpectus, ſit eſſentialis ipſi ſubiecto, quod refert ad obiectum; & hic ſenſus eſt falſus, nam ſcientia eſt accidentalis ſubiecto, & iuxta hunc ſenſum idem eſt dicendum de relatione prædicamentali, quia quatenus afficit ſubiectum, referendo illud ad terminum, accidit ſubiecto.

6. Prima ſolutio.

Propter hanc difficultatem aliqui videntur approbare ſententiam aſſerentium, quantùm ad hoc, nullam eſſe differentiam inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalem, ſed differentiam eſſe in eo, quia reſpectus tranſcendentalis ad ſcibile, qui eſſentialiter includitur in ſcientia, & accidit ſubiecto, habet aliud munus circa ſubiectum, & terminum, quàm referendi; nam ſcientia, quæ eſt reſpectus eſſentialiter, eſt repræſentatiua obiecti; at verò (Ad) prædicamentale, quod eſt incluſum eſſentialiter in relatione paternitatis, & accidit ſubiecto, non habet aliud munus circa ſubiectum, & terminum, quàm referendi, quare ſecundum iſtos, nulla eſt hæc ſecunda differentia, ſed tantùm ſiſtendum eſt in prima.

7. Secunda ſolutio & verior.

Mihi verò videtur dicendum, quòd ex prima habet ortum hæc ſecunda differentia, explicanda autem eſt hoc modo, quòd quamuis (Ad) prædicamentale ſit de eſſentia paternitatis, ſicut (Ad) tranſcendentale ad obiectú, eſt de eſſentia ſcientię, & ſicut ſcientia accidit ſubiecto, ita & paternitas, vt dicebatur in argumento, accidit ſubiecto; tamen (Ad) prædica

Digitized by Google

prædicamentale, non eſt de eſſentia fundamenti, quod eſt entitas abſoluta, non enim paternitas eſt de eſſentia potentiæ generantis, at verò reſpectus tranſcendentalis, eſt intrinſecus, & eſſentialis rei abſolutæ, ex. gr. reſpectus potentiæ generatiuæ ad generabile, & reſpectus ſcientiæ ad ſcibile, eſt eſſentialis ipſi potentiæ, & ſcientiæ, potentia autem, & ſcientia, ſunt formæ abſolutæ de prædicamento qualitatis, & tam potentia, quàm ſcientia, ſunt veluti fundamentum, quamuis incompletum, ad hoc vt ſubiectum referatur ad generabile, ſeu ſcibile, tamquam ad terminum; hæc autem ſecunda differentia, vt dicebam, oritur ex prima, nam cùm relatio prædicamentalis non habeat aliud munus, quàm referendi, ſupponit fundamentum complete conſtitutum ſine hac relatione; at verò, quia relatio tranſcendentalis exercet aliud munus, quàm referendi circa ſubiectum, & terminum, ideo non ſupponit fundamentum perfectè, & completè conſtitutum, ſed conſtituit rem illam abſolutam, quæ eſt ex natura ſua inſtituta ad aliud: Sed hoc meliùs explicabitur in tertia differentia.

TERTIA DIFFERENTIA.

8. *Tertia differentia.* TERTIA differentia quæ affertur, eſt, quòd relatio prædicamentalis requirit fundamentum, at verò relatio tranſcendentalis nullum requirit fundamentum, intimè enim includitur in ipſa re, quam conſtituit, vt reſpectus tranſcendentalis materiæ ad formam includitur in ipſa materia, & reſpectus tranſcendentalis ſcientiæ ad obiectum, includitur in ipſa ſcientia.

Difficultas circa tertiã differẽtiam. Sed circa hanc tertiam differentiam occurrit difficultas, nam duobus modis poteſt relatio tranſcendentalis referre ſubiectum ad terminum; Primo modo, mediante aliquo accidente, in quo includitur ipſa relatio tranſcendentalis, ſicut relatio tranſcendentalis ad ſcibile, refert ſubſtantiam intellectualem ad ſcibile, mediante ſcientia. Secundus modus eſt, cùm relatio tranſcendentalis conuenit ſubſtantiæ immediatè, ſicut relatio tranſcendentalis materiæ ad formam, conuenit immediatè materiæ: Si primo modo accipiatur relatio tranſcendentalis, vel comparatur ad ipſam ſubſtantiam relatam, & tunc habet pro fundamento ipſum accidens, putà ſcientiam, mediante qua refertur ad ſcibile; vel comparatur ad ipſam ſcientiam, & tunc non habet fundamentum, ſed conuenit ſine alio fundamento immediatè; ſic etiam dicendum eſt de relatione prædicamentali, quia quando relatio prædicamentalis, vt ſimilitudo, conuenit ſubiecto mediante albedine, tunc habet pro fundamento ipſam albedinem, ſi verò relatio comparetur ad albedinem, non competit albedini mediante alio fundamento, ſed immediatè illi conuenit, ergo quantùm ad hoc, non differt relatio prædicamentalis à tranſcendentali; Si verò relatio tranſcendentalis accipiatur ſecundo modo, quatenus, ſcilicet, conuenit ſubſtantiæ immediatè, tunc ſicut reſpectus tranſcendentalis materiæ ad formam, conuenit materiæ immediatè, ſine alio fundamento, ita etiam dicendum eſt de illa relatione prædicamentali, quæ conuenit ſubſtantiæ immediatè, vt eſt relatio identitatis ſpecificæ, inter duos homines, nam hæc non conuenit medio aliquo accidenti, quod ſit fundamentum huius relationis.

9. *Solutio.* Propter hanc difficultatem, nonnulli tenent, hanc differentiam nullam eſſe: ſed dicendum eſt cum communi, hanc eſſe bonam differentiam, & ad difficultatem reſpondetur, quòd quando iuxta primum modum relatio tranſcendentalis conuenit ſubſtantiæ, mediante accidente, tunc ſi relatio comparetur ad ipſam ſubſtantiam, habet pro fundamento ipſum accidens, quod eſt ipſamet relatio tranſcendentalis, quare idem eſt fundamentum, & relatio, vt cùm refertur ſubſtantia intellectualis mediante ſcientia ad ſcibile: at verò relatio prædicamentalis, vt ſimilitudo comparata ad parietem, refert parietem mediante albedine; quæ albedo non eſt fundamentum, & relatio ſimul, ſicut eſt relatio tranſcendentalis: ſi verò relatio comparetur ad ipſam ſcientiam, non habet fundamentum, ſed illi immediatè conuenit: at verò relatio prædicamentalis, vt ſimilitudo, ſi comparetur ad albedinem, quamuis non competat albedini medio alio fundamento, conuenit tamen albedini tanquam fundamento perfectè conſtituto, ſine tali reſpectu; quare reſpectus adueniens refert ipſum fundamentum tamquam diſtinctum ad terminum: at verò relatio tranſcendentalis ad ſcibile, non conuenit ſcientiæ, tamquam fundamento perfectè completo, conſtituitur enim ſcientia completè, vt dictum eſt, per reſpectum tranſcendentalem ad ſcibile, & ſeipſa refertur ad ſcibile, quia idem eſt relatum, & relatio. Rurſus quando relatio tranſcendentalis iuxta ſecundum modum, conuenit ſubſtantiæ immediatè, cuiuſmodi eſt reſpectus tranſcendentalis materiæ ad formam, tunc verum eſt, quòd competat illi immediatè ſine aliquo fundamento, quod ſit accidens, & in hoc conuenit cum relatione prædicamentali identitatis, quæ conuenit ſubſtantiæ, quia hæc relatio identitatis inter duos homines, non conuenit homini, medio aliquo accidenti, differunt tamen, quia reſpectus tranſcendentalis non habet pro fundamento ipſam naturam materiæ, nam conſtituitur materia per ipſum reſpectum tranſcendentalem ad formam, at verò relatio identitatis ſpecificæ habet pro fundamento ipſam naturam hominis, quæ intelligitur perfectè conſtituta in ratione fundamenti, ſine illo reſpectu identitatis, qui reſultat ad illud fundamentum.

QVARTA DIFFERENTIA.

RELATIO tranſcendentalis non requirit terminum exiſtentem, imò poteſt habere pro termino ens rationis, vt eſt ſcientia de ente rationis, at verò relatio prædicamentalis, debet habere terminum exiſtentem. 10. *Quarta differentia.*

Sed hæc differentia, niſi benè explicetur, habet difficultatem, nam ſunt aliquæ relationes tranſcendentales, quæ requirunt terminum exiſtentem, vt actio, & vnio. Quòd ſi dicas, non competere relationi tranſcendentali, vt relatio eſt, habere terminum exiſtentem, quia datur aliqua relatio tranſcendentalis, quæ non requirit terminum exiſtentem, vt eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile, adhuc tamen vrgetur, quia debet aſſignari differentia inter illas relationes tranſcendentales, quæ requirunt terminum exiſtentem: Rurſus vrgeo, quia relatio prædicamentalis habet pro termino, vt ſuprà in quæſtione ſuperiori tetigimus, & infrà etiam oſtendemus, ipſum correlatiuum, quod non ſemper eſt exiſtens, vt patet in relationibus non mutuis. *Difficultas circa quartã differẽtiam.*

Quare ad difficultatem dicendum eſt, quòd in opinione eorum, qui tenent terminum formalem relationis eſſe correlatiuum, quam opinionem nos infrà 11. *Reſpõſio ad difficultatẽ.*

infrà oſtendemus eſſe ſatis probabilem, dicendum A eſt, inquam, in hac opinione, hanc quartam differentiam nullam eſſe: nam ſicut aliqua relatio tranſcendentalis non requirit terminum exiſtentem, vt eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile, ita nec aliqua relatio prædicamentalis, requirit terminum correlatiuum exiſtentem, ſicut eſt relatio menſurabilis ad menſuram, & in aliis relationibus non mutuis. Et rurſus, ſicut aliqua relatio tranſcendentalis requirit terminum exiſtentem, ita etiam aliqua relatio prædicamentalis, requirit terminum exiſtentem, vt patet in relationibus eiuſdem ordinis; pater enim requirit filium tamquam correlatiuum exiſtens, & ſimilitudo aliud ſimile. In opinione verò eorum, qui tenent, terminum relationis eſſe formam abſolutam, tunc dicendum eſt, quòd omnis relatio prædi- B camentalis requirit terminum exiſtentem abſolutum: at verò non omnis relatio tranſcendentalis requirit terminum exiſtentem, vt patet in potentia generatiua, & ſcientia; quòd ſi aliqua requirit terminum exiſtentem, vt actio, & vnio, prouenit ex eo, quòd natura ipſarum conſiſtat in actuali exercitio agendi, vel vniendi, non enim poteſt intelligi actio, vel vnio, niſi intelligatur actum, & vnitum; & quantùm ad hoc, huiuſmodi relationes tranſcendentales, conueniunt cum relatione prædicamentali, cum hac tamen differentia, vt dictum eſt, quòd relationi prædicamentali conuenit, vt relatio prædicamentalis eſt præciſè, at verò huiuſmodi rela- C tioni tranſcendentali conuenit, non vt relatio tranſcendentalis eſt præciſè, ſed vt talis relatio.

QVINTA DIFFERENTIA.

12. *Quinta differentia.* RELATIO prædicamentalis non eſt per ſe primò intenta à natura, & ideo nunquam fit per ſe primò, ex vi alicuius agentis, ſed reſultat ad poſitionem fundamenti, ex Ariſtot. 5. phyſ. *Ariſt.* Et ratio eſt, quia non eſt inſtituta ad aliquod aliud munus, niſi referendi: at verò reſpectus tranſcendentalis fit per ſe primò; per ſe enim primò fit ſcientia, &c. in qua D intrinſecè & eſſentialiter includitur reſpectus tranſcendentalis, tamquam conſtituens ipſam ſcientiam, ſcientia enim præter munus referendi, habet proprium munus repræſentandi.

Difficultas circa quintã differẽtiam. Sed circa hanc differentiam occurrit difficultas, quia in diuinis relatio filiationis per ſe primò fit, influxus enim Patris per ſe, primò terminatur ad relationem filiationis, perſona enim Filij, quæ propriè dicitur produci, per nihil aliud conſtituitur, & diſtinguitur à cæteris perſonis, quàm per filiationem.

13. *Reſponſio.* Reſpondetur, quòd, vt dictum eſt, relatio in diuinis propter ſuam infinitatem, æquiualet relationi tranſcendentali; quare nihil obſtat, quòd perſona Filij, quæ conſtituitur per relationem filiationis, per E ſe primò producatur à Patre, tanquam à principio generante, & vt ſic, ipſa relatio filiationis, habet munus conſtituendi incommunicabiliter ſecundam perſonam; quatenus verò æquiualet relationi prædicamentali, tunc in ſequenti ſigno concipitur habere exercitium referendi Filium ad Patrem, & vt ſic, dicunt aliqui, quòd non concipitur per ſe primò produci, ſed potiùs concipitur ſecundùm imperfectum noſtrum modum intelligendi, quaſi reſultare ex eſſe producto ſeu genito, quia vt ſic, non habet aliud munus, quàm referendi Filium ad Patrem.

SEXTA DIFFERENTIA.

SEXTA differentia eſt, quòd relatio prædicamentalis non eſt principium agendi, quia à natura 14. *Sexta differentia.* non eſt inſtituta ad aliud munus, quàm ad referendum; ſecus verò relatio tranſcendentalis: nam potentia generatiua eſt principium agendi, & ſcientia principium repræſentandi; habet igitur relatio tranſcendentalis aliud munus præter munus referendi.

Sed circa hanc differentiam occurrit difficultas: *Difficultas circa ſextam differẽtiam.* nam paternitas in diuinis, eſt principium agendi, ſeu generandi Filium.

Reſpondetur ex dictis, quòd paternitas, quatenus 15. *Reſponſio.* æquiualet relationi tranſcendentali, conſtituit primam perſonam, & facit illam fœcundam, & vt ſic, eſt principium, ſeu integrat principium generandi; quatenus verò æquiualet relationi prædicamentali, tantùm refert Patrem ad Filium, quia ſuppoſita perſona conſtituta, & ſuppoſita actione generandi, concipitur quaſi reſultare in tertio ſigno referentia prædicamentalis Patris ad Filium, quæ conſiſtit in ipſo exercitio referendi.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm Relatio prædicamentalis diſtinguatur à parte rei à ſuo fundamento.

PRIMA ſententia negat relationem diſtingui à ſuo fundamento aliqua diſtinctione 1. *Prima ſententia.* intrinſeca, ſiue à parte rei, ſed tantùm diſtingui ratione, ſeu penes connotatum extrinſecum. Hæc ſententia eſt omnium illorum Doctorum, quos citauimus in prima quæſtione aſſerentium, relationem nihil aliud eſſe, quàm ipſammet formam abſolutam fundamenti, vt connotantem terminum extrinſecum. Eſt expreſsè Eruei in 1. *Erueus & alij.* diſtinct. 30. art. 1. & quodl. 7. quæſt. 15. & quodl. 10. quæſt. 1. Citatur pro hac ſententia S. Thom. opuſcu- *S. Thom.* lo 48. cap. 2. ad aliquid. Sed S. Thomas loco citato, tantùm intendit non diſtingui relationem à ſuo fundamento, ſicut rem à re, non autem, quòd non diſtinguatur actuali aliqua diſtinctione, vt videbimus infrà in fine huius quæſtionis.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia hæc di- 2. *Primum argumentum ſeu fundamentũ primæ ſententiæ.* ſtinctio rationis, ſeu penes connotatum extrinſecum, ſufficit ad ſaluandum omnia, quæ de rebus abſolutis relatiuè dicuntur.

Probatur primò: nam poſitis duobus albis in rerum natura, & præciſo omni alio reali, iſta duo alba ſunt ſimilia, nihil enim aliud eſt eſſe ſimile, quàm habere qualitatem eiuſdem rationis, ex Ariſt. *Ariſtot.* in cap. de Relatione.

Probatur ſecundò, quia in Deo ſaluamus omnia *Secundũ argumentum.* ſine iſtis relationibus; non ſunt igitur multiplicanda hæc entia reſpectiua ſine neceſſitate.

Tertiò, quia ſi hæc diſtinctio actualis intrinſeca *Tertium argumentum.* daretur à parte rei, deberẽt dari infinitæ relationes, quia inter partes continui deberent dari relationes ſimilitudinis, quæ ſunt infinitæ.

Quartò probatur, quia Ariſt. 5. phyſ. t. 10. dicit *Quartũ argumentum. Ariſtot.* ad relationem non eſſe motum; ergo relatio non diſtinguitur à parte rei, à forma abſoluta fundamenti. Probatur conſequentia, quia ſi relatio diſtingueretur à parte rei, de nouo aduenirer, & adderetur fundamento; ergo illa forma abſoluta, quæ eſt fundamentum, aliter ſe haberet, & diceretur mutari,

Digitized by Google

tati, quia aliquod additum haberet de nouo, quod A antea non habebat.

Quintū argumentum. Quintò probatur, poſito fundamento, & termino, & aliis requiſitis, impoſſibile eſt etiam per potentiam diuinam non aduenire relationem; ergo ſignum eſt relationem non eſſe aliquam formam relatiuam diſtinctam à fundamento, ſed eſſe ipſam eamdem formam abſolutam fundamenti, quæ poſito termino, denominat relationem. Conſequentia videtur manifeſta, quia ſi eſſet entitas diſtincta, vel poſſet non produci à Deo de nouo, vel ſi eſſet producta, poſſet corrumpi conſeruato fundamento, & termino. Antecedens probatur, nam poſitis duobus, albis, impoſſibile eſt, vt illa alba non ſint ſimilia.

3\. Secūda ſententia. SECVNDA ſententia aſſerit contra primam ſen- B tentiam, dari relationem à parte rei, tanquam habitudinem mediam, connectentem fundamentum cum termino; dicit tamen hanc habitudinem non diſtingui à parte rei à fundamento, ſed eſſe identificatam cum illo, & conſequenter fundamentum à parte rei eſſe intrinſecè ſimul abſolutum, & reſpectiuum; Dicit præterea congruenter hæc ſententia duo; Primum, relationem ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum, non aduenire de nouo fundamento; identificatur enim cum fundamento, ſed de nouo aduenire denominationem ex poſitione termini, ita vt paternitas, quæ ſemper fuit coæua cum Petro, non denominet Petrum patrem, niſi poſtquā aduenit terminus, qui eſt filius. Dicit præterea ſecundò, C relationem diſtingui ſecundùm ſuum eſſe intrinſecum à fundamento, ratione ratiocinata, quia intellectus inuenit rem reſpectiuam in fundamento, & tantùm facit diſtinctionem, ſecundùm autem denominationem diſtingui ex natura rei penes connotatum extrinſecum, quia vt denominet fundamentum, requirit poſitionem termini extrinſeci, & eo corrupto corrumpitur denominatio; corrupto enim filio, Petrus non denominatur ampliùs pater, quamuis intrinſecè habeat ſibi identificatam entitatem paternitatis. Differt autem hæc ſententia à prima, quia prima nullam agnoſcit habitudinem mediam connectentem extrema, ſed relationem appellat ipſam coëxiſtentiam fundamenti cum ter- D mino; hæc verò ſecunda ſententia, quamuis quoad denominationem, requirat coëxiſtentiam termini, ponit tamen conceptum relatiuum habitudinis, identificatum cum fundamento.

4\. Probatur hæc ſecunda ſententia ex eo præcipuè, quia præciſa omni diſtinctione actuali relationis à fundamento, cum ſola identificatione & poſitione termini, ſaluantur omnia, quæ de rebus relatiuis dicuntur, & ex alio capite non eſt aliqua repugnantia peculiaris, ex eo quia ponitur res relatiua identificata cum forma abſoluta fundamenti, ergo, &c.

Antecedens quoad primam partem, probatur, quia bene ſaluatur, quòd v. g. hoc album ſit ſimile alteri albo, & ſic de aliis relationibus, ſi ponatur albedo E identificata cum albo, & ponatur coëxiſtentia cum altero coalbo; & hoc meliùs ſaluatur in hac ſententia, quàm in prima, ſi quid enim obſtat contra primam ſententiam, illud eſt, quòd relatio ſimilitudinis ex ſuo conceptu dicit rationem habitudinis connectentis duo extrema, fundamentum, ſcilicet, cum termino; at verò in hac ſecunda ſententia hoc non obſtat, quia admittit conceptū reſpectiuū habitudinis, identificatum cū fundamēto. Secunda verò pars Antecedentis, quòd, ſcilicet, nullam dicat repugnantiam, ponere rem relatiuam identificatam cum forma abſoluta fundamenti, probatur, non enim implicat ex conceptu relationis, vt relatio eſt, quia in Deo ſunt relationes ſecundùm proprium conceptum relationum, & tamen identificatur cum diuina eſſentia; Nec repugnat ex eo, quia relatio eſt finita, & fundamentum finitum, nam licet finitas impediat, ne aliqua natura ſibi identificet omnem perfectionem entis, non tamen impedit, quin poſſit aliqua natura aliquas perfectiones ſibi identificare, vt patet in relationibus tranſcendentalibus, quæ identificantur cum forma abſoluta; Neque repugnat, quia eſt relatio prædicamentalis, nam ſi hac ratione repugnaret, ex eo præcipuè repugnaret, quia relatio prædicamentalis debet eſſe accidens, ac propterea dicere neceſſariò dependentiam ab eo, cui accidit: at ſi relatio prædicamentalis identificaretur cum fundamento, non poſſet pendere ab illo, quia idem penderet à ſeipſo; Sed neque ex hoc capite repugnat, ſufficit enim, vt ſit accidens metaphyſicum, quod accidit rei quatenus eſt extra eſſentiam illius, aduenit enim rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe.

TERTIA ſententia tenet, relationem realem diſtingui à ſuo fundamento, ſicut rem à re. Eſt Capreoli in 1. diſtinct. 30. quæſt. 1. Caiet. 1. par. quæſt. 28. art. 2. Ferrarienſis 4. contra gent. cap. 14. Citant S. Thom. quæſt. 8. de potentia art. 2. & in 1. diſt. 33. quæſt. 1. art. 1. ſed immeritò; Citatur S. Thom. pro hac ſententia, vt videbimus infrà in fine huius quæſtionis. 5. Tertia ſententia. Capr. Caiet. Ferr. S. Thom.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia relatio poteſt ſeparari à fundamento per corruptionem termini, ergo diſtinguitur realitas à fundamento, per regulam illam topicam Ariſtotelis 7. topic. vbi habet, quòd ſignum euidens diſtinctionis realis eſt ſeparabilitas. Citatur pro hac ſententia Durandus in 1. diſtinct. 30. quæſt. 2. Sed reuera hoc non dicit, ſi bene perpendatur ipſius ſenſus, diſtinguit enim ibi relationem tranſcendentalem à prædicamentali, quamuis non vtatur his vocibus, & de relatione tranſcendentali dicit, diſtingui realiter à re, cuius eſt relatio, ſicut inhærentia actualis diſtinguitur ab accidenti, quia ſeparari poteſt ab illo, quantùm verò ad relationem prædicamentalem, vt eſt relatio ſimilitudinis, dicit omnino idem, quod prima ſententia. 6. Fundamentum tertiæ ſententiæ. Ariſt. 7. Durandus.

PRIMA CONCLVSIO CONTRA PRIMAM ET SECVNDAM SENTENTIAM.

8\. RELATIO prædicamentalis diſtinguitur à parte rei, intrinſeca & actuali diſtinctione ab ipſo fundamento abſoluto. Hæc concluſio eſt communis Capreoli, Caietani, Ferr. locis ſuprà citatis, & Scoti in prædicamento Ad aliquid. Fonſecæ lib. 5. m. cap. 5. Iauelli 5. m. quæſt. 22. S. Thomæ quæſt. 8. de pot. art. 2. & in 1. diſtinct. 33. quibus in locis expreſsè dicit relationem prædicamentalem creatam non identificari cum fundamento, & per hoc differre à relatione increata. Capr. Caiet. Ferr. Scot. Fonſ. Iauel. S. Thom.

Prima probatio. Probatur primò, Relatio prædicamentalis producitur de nouo, & corrumpitur de nouo non producta, vel corrupta de nouo entitate abſoluta fundamenti, ergo entitas relatiua, & entitas abſoluta, diſtinguuntur à parte rei. Conſequentia eſt manifeſta, quia ſeparabilitas vnius ab altero, eſt euidens ſignum diſtinctionis actualis à parte rei, vt dicit expreſsè Ariſtoteles 7. Topicorum capite 1. circa finem, & ex hoc ſigno 7. Metaph. in fine, colligit carnem eſſe diuerſam ab elementis, quia hæc manere poſſunt ſine carne. Idem ſignum tradunt communiter Philoſophi, Alex. Auerr. & S. Thom. in 7. Topicorum,

picorum, & Scotus in 2.diſtinct. 1. quæſt. 5. & in 3. diſtinct.8.quæſt.1.Dur.in 1.diſtinct. 13. quæſt. 1. & Auguſtinus 7.de Trinitate cap.7. vbi ex hoc colligit magnitudinem diſtingui à figura, quod quidem ſignum habet locum, præſertim, quando res ipſæ ſecundùm conceptum ſunt diuerſæ, vt ſunt in caſu noſtro entitas abſoluta, & relatiua. Antecedens probatur, nam ex noua poſitione termini, v. g. filij, incipit eſſe relatio paternitatis, per quam denominatur quis pater, qui antea non denominabatur, & nihil entitatis fundamentalis abſolutè producitur, & rurſus corrupto filio, corrumpitur relatio paternitatis, remanente eadem forma abſoluta fundamentali; ſignum eſt igitur euidens, quòd entitas realis relatiua, quæ eſt diuerſa ab entitate reali abſoluta, ſit diſtincta actuali diſtinctione à parte rei ab ipſa entitate abſoluta, quomodo enim eadem entitas realis à parte rei poteſt corrumpi, & conſequenter non eſſe & ſimul permanere, & rurſus eadem entitas de nouo produci, quod eſt nunc primò incipere, & immediatè antea non fuiſſe, & quòd eadem entitas antea fuerit.

9. *Cōfirmatio.* Et confirmatur hæc prima probatio, nam vel relatio eſt ipſamet entitas abſoluta fundamenti, quæ adueniente termino, dat effectum formalem referendi, vt dicebat prima ſententia, vel eſt habitudo quædam reſpectiua, identificata cum forma abſoluta fundamenti, vt dicebat ſecunda ſententia: Non primo modo, quia ſi non adueniret aliquid reſpectiuum de nouo, & conſequenter diſtinctum à fundamento, ſequeretur quòd relatio non eſſet ens reale reſpectiuum, nam antequam adueniret de nouo relatio in fundamento, nihil erat reale relatiuum, ſed tota entitas erat abſoluta, & de nouo ex poſitione termini non aduenit, ſecundùm hanc ſententiam, aliquod reale reſpectiuū ſuperadditum fundamento, ergo relatio, vt relatio, ſecūdùm hanc ſententiam, non eſt realis: Non ſecundo modo, quia ſi daretur entitas reſpectiua idētificata cum forma abſoluta, ſequeretur quòd relatiuè denominaret fundamentum antequam adueniret terminus, quod eſt abſurdum, quia omnis homo poſſet denominari pater, antequam haberet filium; Sequela Maioris probatur, quia entitas relatiua prædicamentalis, vt patet ex quinta quæſtione, conſiſtit in actuali exercitio referendi, non enim habet aliud munus, ſi igitur afficit per identitatem ſubiectum, neceſſariò illud actu refert; dicendum eſt igitur, quòd entitas relatiua de nouo aduenit fundamento abſoluto, adueniente termino, & conſequenter diſtinguitur à fundamento.

10. *Secūda probatio.* Secundò probatur præcipuè contra ſecundam ſententiam, quia ſi relatio prædicamentalis eſſet idem cum fundamento, ſequeretur, non diſtingui relationem prędicamentalem à relatione tranſcendentali, quod eſt contra communem Philoſophorum, & contra id, quod ſupponimus; Sequela Maioris probatur, ſuppono autem ex quæſtione ſexta, differentiam inter relationem prædicamentalem, & tranſcendentalem, eam eſſe primam, & radicalem, quòd prædicamentalis totum ſuum eſſe habet ad terminum, non enim habet aliud munus, quàm referendi ſubiectum ad terminum: at relatio trāſcendentalis, vt eſt ſcientia, vel actio, habet aliud munus, quàm referendi, quia actio eſt via per quam ponitur terminus in eſſe, & ſcientia eſt qualitas repræſentatiua obiecti: Hoc ſuppoſito, probatur ſequela, quia ſi relatio tranſcendentalis conſideretur, non vt identificata cum entitate abſoluta, ſed conſideretur ſecundùm ſuum conceptum præciſum relatiuum, totum ſuum eſſe habet ad aliud, nec habet aliud munus, quàm referendi, vnus enim conceptus ſimplex non poteſt eſſe ſimul abſolutus, & relatiuus, ſunt enim contradictorij, quare non poſſunt conuenire in vno conceptu ſimplici; Dixi (ſimplici) nam ſi non eſt ſimplex, poteſt conſtare duobus conceptibus ratione diſtinctis, cum fundamento in re, ſicut conceptus ſimplex ſpeciei, includit genus, & differentiam, quare ſi relatio tranſcendentalis differt à prædicamentali, eſt ex eo, quia identificatur cum entitate abſoluta, quæ non habet totum ſuum eſſe ad aliud; ſi igitur relatio prædicamentalis identificaretur etiam cum re abſoluta, non differret à relatione tranſcendentali, quia vt ſic identificata, non haberet totum ſuum eſſe ad aliud.

Quòd ſi dicas, relationem tranſcendentalem differre à prædicamentali, etiam ſi conſideretur præciſè ſecundùm ſuum conceptum, quia relatio tranſcendentalis dicit ordinem ad terminum poſſibilem, non item prædicamentalis: Contrà, quia quidquid ſit de hoc, ſaltem relatio prædicamentalis non differret ab aliquibus relationibus tranſcendentalibus, quæ neceſſariò reſpiciunt terminum exiſtentem, vt eſt actio, vnio, &c. quod quidem non eſt dicendum, quia hæc relatio tranſcendentalis, vt actio, etiam ſi reſpiciat terminum, non tamen totum ſuum eſſe habet ad terminum, quia præter munus reſpiciendi terminum, habet etiam munus viæ, per quam ponitur terminus in ſuo eſſe; at relatio prædicamentalis (vt dictum eſt) non habet aliud munus, quàm reſpiciendi terminum.

Circa hanc primam concluſionem, dubium occurrit ex Scoto, an ſaltem relatio, quæ nullo modo ſeparari poteſt à ſuo fundamento, (vt eſt relatio creaturæ ad Creatorem) identificetur cum ſuo fundamento; Et ratio dubitandi eſt, quia ceſſat ſignum diſtinctionis actualis (quod diximus cum Ariſtotele eſſe ſeparabilitatem.) 11. *Dubiū circa primam cōcluſionem. Scot. Ariſt.*

Propter quam rationem dubitandi tenet Scotus in 2.diſtinct. 1.quæſt.3.& in 3.diſtinct.8.quæſt. 1. huiuſmodi relationes non diſtingui à ſuis fundamentis: Sed hoc cum communi philoſophorum non eſt dicendum, quia contra hanc opinionem facit ſecundum argumentum, quo probauimus, quòd ſi hæc relatio prædicamentalis, identificaretur cum fundamento abſoluto, non diſtingueretur à tranſcendentali, cuiuſmodi eſt actio, & conſeruatio, per quam Deus influit in creaturam. *Scot.*

Ad rationem verò dubitandi reſpondetur, verum eſſe, quòd ſeparabilitas eſt euidens ſignum diſtinctionis actualis, præſertim ſi res ſint diuerſæ ſecundùm conceptum, vt probatum eſt; non tamen valet è contrà, vbi non eſt hoc ſignum, ibi non eſſe diſtinctionem actualem, poteſt enim aliunde colligi diſtinctio actualis, ſicut in caſu noſtro colligitur ex eo, quòd alioqui ſequeretur, quòd relatio prædicamentalis non diſtingueretur à tranſcendentali, quod ſuprà oſtendimus non eſſe dicendum.

SECVNDA CONCLVSIO CONTRA TERTIAM SENTENTIAM.

RELATIO prædicamentalis non diſtinguitur realiter, ſicut res à re, à ſuo fundamento. 12.

Probatur ab aliquibus hæc concluſio; Signum, inquiunt, diſtinctionis realis rei à re, eſt, cùm extrema diſtinctionis poſſint ſaltem per potentiam Dei ſeparatim exiſtere; ſed relatio ſepa- *Prima probatio.*

rata

tata à fundamento, non poteſt exiſtere, quia ipſius
natura, (vt patet ex quæſtione quinta) conſiſtit in
actuali exercitio referendi, ergo non diſtinguitur
realiter à fundamento.

Reiicitur. Sed hæc ratio non ſatis probat intentum, quia
illud ſignum diſtinctionis realis valet tantùm affir-
matiuè, non autem negatiuè, quia contingit ali-
quando duo extrema non poſſe ſeparari, vt cùm
vnum depender eſſentialiter ab alio, vt notant Ca-
preolus in 1.diſt.3.quæſt.3.& diſtin.8.quæſt.1.ad 8. &
Tromb. Trombetta in ſuis formalitatibus, ſicut ipſa relatio
paternitatis diſtinguitur realiter à filio, tamquam à
termino producto, & tamen non poteſt ſeparatim
exiſtere ſine termino producto, ita etiam poſſet di-
ci, quòd relatio, quamuis diſtinguatur realiter à fun-
damento, non tamen poteſt ſeparari à fundamento,
quia dependet eſſentialiter à fundamento, nullum
enim aliud munus haber, quàm referendi funda-
mentum ad terminum: quod munus non poteſt
exercere, niſi intrinſecè afficiendo fundamentum,
& ideo non poteſt ſeparari ab illo.

13. Quare ſecundò efficaciùs probatur hæc ſecunda
Secũda pro- concluſio. Non eſt neceſſarium, vt relatio ad hoc,
batio. vt referat fundamentum ad terminum, ſit diſtin-
cta realiter à fundamento, tamquam res à re, ſed
ſufficit, vt diſtinguatur tamquam modus à ſuo fun-
damento, nam natura modi conſiſtit in actua-
li exercitio modificandi, ſed natura relationis
(vt probatum eſt in quæſtione quinta) conſiſtit, vt
ſit in actuali exercitio referendi ipſum fundamen-
tum ad terminum, non enim habet aliud munus,
Ariſtot. quia, vt probatum eſt, totum ſuum eſſe, ex Ariſt. in
prædicamento Ad aliquid, habet ad terminum, er-
go habet rationem potiùs modi, quàm realitatis.

14. Sed circa hanc ſecundam concluſionem, dubium
Primum du- occurrit, primò an hæc diſtinctio à parte rei rela-
bium circa tionis à fundamento, cùm non ſit realis, ſit diſtin-
ſecundã cõ- ctio modalis, vel formalis. Ianellus 5.met. quæſt. 22.
cluſionem. & Sotus in prædicamento Ad aliquid quæſt. 2. &
Ianell. alij, tenent, hanc diſtinctionem eſſe modalem, quia,
Sot. & alij. inquiunt, non datur medium inter diſtinctionem
realem, & modalem, nam ſi vnum extremum non
diſtinguitur ab alio, tanquam res à re, diſtinguetur
neceſſariò, tamquam modus à re modificata, ergo
modaliter.

Fonſ. Sed mihi placet opinio Fonſecæ lib. 5. metaphyſ.
cap.15.quæſt. 2. quòd hæc diſtinctio ſit formalis, &
non modalis; ſed explicandum eſt, in quo differat
diſtinctio modalis à formali, & quidem ſi latè, &
impropriè ſumatur diſtinctio modalis, omnis di-
ſtinctio quæ non eſt realis tamquam rei à re, eſt
modalis propter argumentum factum ſuprà, quia ſi
non diſtinguitur vt res, ſeu vt realitas, diſtinguitur,
vt modus, ſed propriè accipiendo diſtinctionem
modalem, differt modalis à formali.

15. Nonnulli afferunt hanc differentiam, quòd in
diſtinctione modali, modus non habet proprium
eſſe diſtinctum ab eſſe rei cuius eſt modus, ſed exi-
ſtit per exiſtentiam ipſius rei modificatæ, ac proin-
de hunc modum non appellant entitatem; quæ ve-
rò diſtinguuntur formaliter, habent proprias exi-
ſtentias; quia igitur relatio habet proprium eſſe
diſtinctum, ab eſſe fundamenti, quia hoc eſt abſolu-
tum, & illud reſpectiuum, ideo, inquit, relationem à
fundamento diſtingui formaliter; ſed hanc diffe-
rentiam, inter diſtinctionem modalem, & forma-
lem, meritò confutat Suarius in metaphyſ. diſp. 47.
ſect.12. quia omnis modus, qui eſt diſtinctus à parte
rei à re modificata, habet propriam exiſtentiam, ſi
enim exiſteret per exiſtentiam rei modificatæ, non

A diſtingueretur actualiter, ſed potiùs ratione ratio-
cinata.

Differentia igitur inter diſtinctionem modalem, 16.
& formalem, ea eſt, vt colligitur ex Scoto in ſuis
formalitatibus, & in 1. d. 8. vt infra fuſiùs explica-
bimus in quæſt. 13. quòd quamuis in vtraque di-
ſtinctione vnum extremum ſe habet vt modus, ta-
men in diſtinctione modali, vnum extremum de-
bet eſſe talis modus, qui ſit intra formalitatem rei
modificatæ, ſicut calor vt quatuor, & calor vt octo,
non differunt ſpecie; at verò in diſtinctione forma-
li, vnum extremum non dicit eandem formalita-
tem, quam dicit alterum, ſicut figura diſtinguitur
formaliter à quantitate, quia non dicit eamdem
B formalitatem, quam dicit quantitas, & vnus gra-
dus metaphyſicus diſtinguitur formaliter ab alio,
ex eo præcipuè, quia vnus eſt extra formalitatem
alterius, cùm igitur relatio non dicat eamdem for-
malitatem, quam dicit fundamentum, quia funda-
mentum, dicit eſſe abſolutum, relatio verò dicit
eſſe reſpectiuum, ideo non diſtinguitur propriè di-
ſtinctione modali, ſed potiùs formalitatem, quam
dicit fundamentum, quia fundamentum eſt abſolu-
tum, ideo non diſtinguitur propriè diſtinctione mo-
dali, ſed potiùs formali.

Aliud præterea dubium circa eamdem conclu- 17.
ſionem occurrit; quæ fuerit mens S. Thomæ circa Secundum
diſtinctionem relationis à fundamento; Aliqui exi- dubiũ circa
C ſtimant, S. Thomam nullam ponere diſtinctionem eamdem ſe-
inter relationem, & fundamentum, ſed affirmare cundam cõ-
opuſc.48.cap. 2. de Ad aliquid, eſſe idem cum fun- cluſionem.
damento, habet enim hæc verba (cùm autem dico, Primus di-
quòd ſimilitudo Socratis habet albedinem eius, vt cendi mo-
fundamentum, non eſt intelligendum, quòd ſimili- dus.
tudo Socratis ſit aliqua res in Socrate, alia ab ipſa
albedine, ſed ſolùm eſt ipſa albedo, vt ſe habet ad
albedinem Platonis, vt ad terminum).

Alij verò, vt Capreolus in 1.diſt.13.quæſt. 1. Ca- Secũdus di-
ietanus in 1.p.q.28.ar.2. Ferrarienſis 4. contra Gen. cẽdi modus.
cap.14.tenet, in S. Thoma relationem diſtingui rea- Capr. Caiet.
liter à fundamento; Et probant ex quæſt. 8. de po- Ferrarienſ.
tentia ar.2.& in 1.diſt 33. quæſt. 1. art. 1. in quibus S. Thom.
D locis ponens S. Doctor differentiam inter relatio-
nem creatam, & increatam, dicit, quòd creata eſt
alia res à fundamento, & facit compoſitionem cum
illo, ſecus autem eſt in relatione increata.

Mihi verò videtur media via amplectenda, quòd 18.
ſecundùm S. Thomam, relatio non eſt omnino idem Tertius di-
cum fundamento, contra primum dicendi modum, cẽdi modus
nec diſtincta realiter à fundamento, contra ſecun- verior.
dum dicendi modum, ſed quòd apud S. Thomam S. Thom.
diſtinguatur formaliter, & hoc modo, vt colligitur
ex 1.par.quæſt.28.art.2. Conciliari poſſunt illa duo
loca citata, quæ videntur repugnantia, quorum alter
locus eſt in opuſc.48.cap.2. alter in quæſt. 8. de po-
tentia, & in 1.par.quæſt. 28. & in 1.diſt.33. nam in
E priori loco S. Thom. ſolùm intendit, relationem eſſe S. Thom.
idem realiter cum fundamento, non autem idem
formaliter, nam in prima p. ne quæſt.28. & quæſt 8.
de potentia, & in 1.diſt.33. locis citatis, dicit rela-
tionem creatam differre ab increata, quia increata,
omnino identificatur cum ſubſtantia, non autem
creata; ſi igitur iuxta primum modum dicendi vel-
let in opuſc.48.S.Thom. relationem omnino iden- S. Thom.
tificari cum fundamento, repugnaret ſibi ipſi in
quæſt.8. de potentia, & alibi; cùm ergo dicit in opu-
ſculo citato, quòd ſimilitudo Socratis, non eſt alia
res ab ipſa albedine, debet intelligi, quòd non di-
ſtinguatur ab albedine realiter, ſicut res à re, ſed
tantùm formaliter; cùm verò in prima parte quæſt.

28.& in quæſt. 8. de potentia, & in primo diſt. 33. dicit, relationem diſtingui à fundamento, interpretandus eſt de diſtinctione formali, hæc enim erat ſufficiens ad probandum, quod ibi intendebat S. Thom. ſcilicet, relationem creatam differre ab increata, quia increata nullo modo diſtinguitur actualiter à parte rei ab eſſentia, at verò creata diſtinguitur à parte rei formaliter à ſubſtantia, ſeu à fundamento. *S. Thom.*

19. *Inſtantia ex S.Thom.* Quòd ſi obiicias, quòd S. Thom. in illo opuſc. citato 48. cap. 2. reddens rationem, quare ſimilitudo non ſit alia res ab albedine, dicit eam eſſe, quia ſimilitudo aduenit ſine mutatione albedinis, ſed ſi diſtingueretur à parte rei formaliter ab illa, adueniret cum mutatione albedinis. *Solutio.* Reſpondetur, tantùm intendere S. Thomam, quòd, quia ad relationem non eſt motus per ſe, ſed per accidens, ex 5. phy. t. 10. producitur enim (Ad) per mutationem alterius, ſcilicet, termini, ideo non eſt neceſſarium, vt ſit realitas diſtincta à termino, ſed ſufficit, vt ſit diſtincta tamquam modus.

RESPONSIO AD ARGVMENTA.

20. *Reſpóſio ad primũ primæ ſententiæ.* AD quinque argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra primam concluſionem, reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd relatio, vt patet ex dictis in prima quæſtione philoſophica, inter extrema eiuſdem ordinis reſultat ex neceſſitate naturæ, quia cùm ſunt omnia requiſita, tum ex parte fundamenti, tum ex parte termini, neceſſariò concipitur habitudo media inter illa extrema, & cùm non repugnet dari hanc relationem, dicendum eſt, quòd neceſſariò naturaliter, quando ſunt omnia requiſita, reſultat in fundamento, nec eſt fruſtra, quia per hanc relationem fundamentum refertur formaliter, ſine qua referretur fundamentaliter tantùm.

21. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum reſpondetur, eſſe diſparem rationem in Deo, & in creaturis; in Deo enim ideo non reſultant huiuſmodi relationes, quia Deus eſt diuerſi ordinis; multa autem competunt connaturaliter creaturæ, quæ non dicuntur fruſtra reſpectu creaturæ, quamuis propter ſummam Dei perfectionem non competant Deo.

22. *Ad tertium.* Ad tertium cùm arguitur, hinc ſequi, dandas eſſe relationes infinitas; Reſpondetur hoc non ſequi, vt infrà probabimus, nec ſi ſequeretur, eſſet abſurdum, vt ibidem dicemus.

23. *Ad quartũ.* Ad quartum reſpondetur, Ariſtotelem negare à relationibus motum per ſe, relatio enim cùm conſequatur ad motum, ſeu mutationem alterius extremi, dicitur ipſa moueri non per ſe, ſed per accidens, ſicut indiuiſibilia dicuntur fieri per accidens, quia reſultant tanquam termini ad poſitionem rei diuiſibilis, & partes dicuntur moueri per accidens, quia mouentur ad motum totius: Et quòd hæc ſit mens Ariſtotelis, patet expreſsè ex verbis ipſius, *Ariſtot.* ſubdit enim loco citato, (quare ſecundùm accidens horum motus eſt) non excludit igitur Ariſtot. à relationibus quamcumque mutationem, & tranſitum de non eſſe ad eſſe, ſed tantùm mutationem per ſe, quare potiùs Ariſt. nobis fauet, nam admittit in relatione aliquem tranſitum de non eſſe ad eſſe, vnde nos ſuprà collegimus diſtinctionem à parte rei contra aduerſarios, qui nullum tranſitum realem de non eſſe ad eſſe admittunt in relatione.

24. *Ad quintũ.* Ad quintum reſpondetur, quòd poſito fundamento, & termino, eſt quidem impoſſibile etiam A per diuinam potentiam, vt non intercedat relatio fundamentalis, negatur autem de relatione formali, poteſt enim poſito fundamento, & termino, per diuinam potentiam non reſultare aliqua ratio formaliter reſpectiua in fundamento, & ſi reſultauit, poteſt à Deo corrumpi remanentibus extremis ſecundùm eſſe abſolutum, quæ ſunt fundamenta relationis formalis.

25. *Reſpóſio ad fundamentũ ſecũdæ ſententiæ contra eamdem primam cõcluſionem.* AD argumentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt contra eamdem primam concluſionem, reſpondetur, quicquid ſit, an bene poſſint per relationem identificatam cum fundamento, omnia bene ſaluari, non tamen poteſt dari huiuſmodi identificatio, vt probatum eſt in prima concluſione.

B *Ad argumẽtum tertiæ ſentẽtiæ cõtra ſecundã concluſionem.* AD argumentum tertiæ ſententiæ, quod eſt contra ſecundam concluſionem, reſpondetur ex dictis, quòd ſignum euidens diſtinctionis realis tamquam rei à re, illud eſt, quando vtrumque extremum poteſt ſeparatim exiſtere, quod non contingit in relatione, quia quamuis fundamentum poſſit exiſtere ſine relatione, non tamen poteſt exiſtere relatio ſine fundamento.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An Relatio poſſit per diuinam potentiam poni in alieno fundamento?

C 1. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia aſſerit, hoc fieri poſſe per diuinam potentiam; Hanc congruenter videntur tenere illi, quos citauimus ſuprà quæſtione ſexta pro tertia ſententia, exiſtimantes relationem eſſe realitatem diſtinctam à fundamento, tamquam rem à re.

Fundamentum eſt, quia ſuppoſita diſtinctione reali relationis à fundamento, nulla aſſignari poteſt repugnantia, quare non poſſit relatio paternitatis poni in lapide; non enim propterea lapis referretur tanquam pater ad filium genitum à ſe, quia non eſt neceſſe, vt relatio tribuat ſuum effectum formalem ſubiecto; ſicut à pari poſſet Deus ponere intellectionem in lapide, tanquam in ſubiecto, non ta- D men propterea lapis diceretur formaliter intelligens, quia præter ſubiectare, requireretur vt lapis influat in intellectionem, bene tamen diceretur lapis habere ſubiectiuè intellectionem.

Similiter etiam multi tenent, Vbi Angelicum eſſe extenſum, & tamen non facit Angelum extenſum, ſed vbicatum, & anima rationalis informans materiam, non dat materiæ eſſe ſpirituale, quia non eſt capax; ita poteſt dici quòd paternitas poteſt ſubiectari in lapide, faciendo lapidem patrem, non tamen referendo lapidem ad filium, quia lapis non eſt capax, præter enim ſubiectum requiritur vt ſit fundamentum proximum, quod eſt generatio.

E

VNICA CONCLVSIO CONTRA PRÆCEDENTEM SENTENTIAM.

2. *Verior ſententia. Probatio.* COMMVNIOR, & verior ſententia eſt, non poſſe per diuinam potẽtiam relationem poni ſubiectiuè in alieno fundamento; Ratio eſt manifeſta, quia ex dictis natura relationis conſiſtit in actuali exercitio, nec habet aliud munus, quàm referendi ſubiectum ad terminum, ergo non poteſt poni in alieno ſubiecto, quin illud referat ad terminum, qui importatur per illam relationem. Sed hoc eſt impoſſibile, quod probatur, primò in relationibus diſqui

Digitized by Google

diſquiparantiæ, nam ſi relatio paternitatis poneretur in lapide, neceſſariò referret illum ad filium, vt genitum à ſe; ſed hoc eſt impoſſibile, vt patet. Probatur præterea in relationibus æquiparantiæ, quia ſi ſimilitudo poneretur in aliquo albo per quam referatur ad nigrum, tunc ſequeretur, quòd idem album, vt album, referretur ad nigrum, vt ſimile, & ad idem nigrum vt diſſimile, per relationem diſſimilitudinis, & ſic idem album eſſet ſimile, & diſſimile, reſpectu eiuſdem.

3. Quæſitum. Quæres, an ſaltem poſſit Deus conſeruare relationem ſine ſuo fundamento.

Reſponſio. Reſpondetur quòd non, quia relatio conſiſtit in actuali exercitio, vt probatum eſt ſuprà, non ergo poteſt exiſtere in rerũ natura, niſi afficiat ſubiectum referẽdo; ſicut nec vnio poteſt exiſtere quin vniat.

4. Reſpõſio ad fundamentũ primæ ſententiæ. Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, quòd argumentum militat fortè in opinione eorum, qui tenent relationem eſſe realitatem diſtinctam, tunc enim poſſet per diuinam potentiam facere ſubiectum habens abſque eo, quòd tribuat effectum formalem, vt patet in exemplis allatis in argumento.

Sed meliùs alij negant, & ad argumentum reſpondent diſtinguendo effectum, quòd alius eſt primarius, alius ſecundarius; dicunt igitur, quòd accidens etiam realiter diſtinctum, non poteſt non tribuere effectum formalem primarium ſubiecto; poteſt autem non tribuere effectum ſecundarium, ac propterea dicunt circa exempla allata, quòd Deus non poteſt ponere intellectionem in lapide; quia afficiendo lapidem tribuit ſeipſam, ergo tribuit effectum formalem primarium, faceret, ſcilicet, lapidem intelligentem formaliter, id eſt, attingentem formaliter, & vitaliter obiectum, quod eſt impoſſibile.

Circa verò ſecundum exemplum dicunt; poſſe Vbi extenſum ſubiectari in Angelo, quia afficiendo Angelum vbicat illum in loco diuiſibili, hic autem eſt effectus primarius ipſius Vbi, extendere verò ſecundùm partes ſubiecti, eſt effectus ſecundarius, & quia Angelus non eſt capax huius extenſionis, ideo non communicatur illi ab Vbi. Similiter etiam ad exemplum de anima, dicitur, quòd effectus primarius animæ, eſt facere animatum; ac propterea non poteſt informare ſubiectum, quin faciat animatum; tribuere autem ſpiritualitatem, eſt effectus ſecundarius cuius ſpiritualitatis ipſa materia non eſt capax, quare ſecundùm iſtos Doctores dicendum eſt, quòd etiam ſi relatio diſtinguatur realiter à fundamento, non poſſet adhuc per diuinam potentiam poni in alieno fundamento; quia neceſſariò tribuendo ſeipſam ſubiecto, deberet tribuere effectum formalem primarium, referendo illud ſicut importatur per rationem, & denominationem relationis, quod eſt impoſſibile, vt probatum eſt: poſſet tamen ſecundùm iſtam opinionem conſeruari à Deo relatio ſine ſuo fundamento, quia cùm ſit realitas diſtincta, non habet dependentiam neceſſariam à ſubiecto.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm Relationes mutuæ terminẽtur ad abſolutum vel ad correlatiuum.

1. QVÆSTIO eſt de relationibus mutuis, nam de non mutuis tractabitur in ſequenti quæſtione.

Prima ſententia. PRIMA ſententia tenet, relationes terminari ad abſolutum formaliter. Eſt Scoti, quem communiter ſequuntur Scotiſtæ in 1. diſtinct. 13. quæſt. 1. & inter Thomiſtas hanc ſequuntur Capreolus ibidem quæſt. 1. art. 2. ad 3. & Soncin. 5. met. quæſt. 13. ad 2. & aliqui alij recentiores. (Scot. Capr. Soncin.)

Primum argumentum primæ ſententiæ. Hæc ſententia probatur primò, Poſito fundamento, & termino, reſultat relatio prædicamentalis, & aliàs non reſultaret, vt patet ex dictis, ergo terminus relationis non poteſt eſſe alterum correlatiuum oppoſitum. Probatur conſequentia, quia ſi relatio reſultat ex termino, ergo terminus neceſſariò præcedit ſolùm ordine naturæ ipſam relationem: ſed correlatiuum eſt ſimul natura cum relatiuo, ergo non poteſt eſſe terminus.

2. Secundũ argumentum. Secundò probatur, Si impoſſibilis eſſet terminus abſolutus, impoſſibilis eſſet relatio: at ſi impoſſibile eſſet correlatiuum, non eſſet impoſſibilis relatio; ergo ſignum eſt, quòd ratio terminandi non ſit correlatiuum, ſed abſolutum.

3. Tertium argumentum. Tertiò probatur, Ille eſt terminus formalis, qui habet formaliter rationem terminandi: ſed formalis ratio terminandi eſt abſolutum, ergo abſolutum eſt terminus formaliter. Maior eſt manifeſta, intelligitur autem non de terminatione in actu ſecundo, nam hæc eſt denominatio extrinſeca, quatenus reſpicitur ab alio, ſed de terminatione in actu primo, quatenus ſupponitur in termino aliqua ratio formalis, per quam terminat, ſicut eſt vnitas in duobus ſimilibus, & actio generandi in parte. Minor probatur, quia filius refertur ad patrem relatione filiationis, non quia pater refertur ad ipſum, ſed quia in patre eſt principium generationis, & genuit ipſum, & pater refertur ad filium, quia filius eſt genitus, non quia filius refertur ad patrem: ratio igitur formalis terminandi eſt abſolutum, & non correlatiuum.

4. Quartũ argumentum. Quartò probatur; Illa ratio formalis, quæ in vno extremo eſt ratio fundandi propriam relationem, eſt etiam ratio formalis terminandi ad ſe aliam relationem oppoſitam: ſed ratio formalis fundandi filiationem, eſt abſolutum, ſcilicet, eſſe genitum, ergo eſt etiam ratio formalis terminandi paternitatem ad ſe. Minor eſt clara, & patet ex dictis. Quòd ſi aliquando contingat relationem fundare aliam relationem, tunc per accidens eſt, vt relatio ſit fundamentum: neque in hoc caſu ipſa eſt, quæ formaliter eſt correlatiua, ſed alia relatio, quæ fundatur in ipſa, quare ipſa ſe habet potiùs per modum abſoluti reſpectu alterius relationis, quam fundat. Maior probatur, quia non eſt maior ratio cur abſolutum, vt eſſe genitum, ſit ratio fundandi filiationem, & non poſſit eſſe ratio terminandi paternitatem.

5. Quintũ argumentum. Quintò probatur. In relationibus non mutuis, relatio terminatur ad abſolutum, quia non habet correlatiuum, ad quod terminetur, ergo etiam in relationibus mutuis relatio terminatur ad abſolutum. Probatur conſequentia, quia ſi in relationibus non mutuis, abſolutum eſt ſufficiens ratio terminandi relationem, terminabit etiam in relationibus mutuis, quamuis enim in relationibus mutuis detur à parte rei correlatio, tamen terminus abſolutus ordine naturæ præcedit correlationem: nam correlatio ſubſequitur ex poſitione illius termini abſoluti; ergo in illo priori ſicut abſolutum ſufficienter in relationibus non mutuis terminat relationem, ita & in relationibus mutuis. Et confirmatur, ſeu explicatur, quia in relationibus non mutuis, ideo Deus vt creator terminat relationem realem creaturæ ad ſe, non quia à nobis concipitur, vel poteſt

Digitized by Google

concipi per modum correlatiui, ſed quia verè, ac realiter influit eſſe in creaturas. Sed hæc ratio militat, etiam ſi in Deo aduenirer correlatio realis, ergo par eſt ratio in relationibus mutuis ac in non mutuis.

6. Sextum argumentum.

Sextò probatur, quia alioqui ſequeretur, quòd deberent dari duo ſumma genera relationis, quod eſt abſurdum, ergo &c. Probatur ſequela Maioris, nam cùm definitur relatio eſſe accidens, cuius totum eſſe eſt ad aliud, tunc peto, vel (illud aliud) eſt abſolutum, & tunc habetur intentum; vel (illud aliud) eſt correlatio, & tunc vera eſt ſequela Maioris, quòd. ſcilicet, præter ſummum genus relationis, debeat dari aliud ſummum genus correlationis, nam hoc ſummum genus correlationis, eſſet diſtinctum ab alio ſummo genere relationis, tum primò, quia in ipſa definitione dicitur, quòd deberet eſſe (aliud): tum ſecundò, quia non poteſt idem realiter referri ad ſeipſum: tum tertiò, quia hoc ſupremum genus correlationis, conſtitueretur per rationem correlatiuam terminandi, quæ vt ſic, non eſt ratio referendi; erunt igitur duo ſumma genera ad aliquid, alterum relatiuorum, alterum correlatiuorum; Sed concedere duplex genus relatiuorũ eſt abſurdum, tum quia eſt contra cõmunem: tum quia ratio relatiui communiſſima abſtrahens, comprehendit omne relatiuum, ergo etiam comprehendit aliud correlatiuum.

7. Secunda ſẽtentia. Caiet.

Secvnda ſententia eſt Caietani 1. part. quæſt. 13. art. 7. & Hiſpalen. in 7. diſtinct. 13. quæſt. 1. not. 3. aſſerentium contra Scotiſtas, relationem habere pro formali termino oppoſitam correlationem.

Fundamentum Caietani eſt, vt colligitur de ente, & eſſen. cap. 5. ſicut relatio prædicamentalis eſt pura relatio, quia non habet aliud munus, quàm referendi, ita terminus ipſius debet eſſe purus reſpectus, huiuſmodi autem eſt correlatio. Secundò, quia in paternitate actio generationis terminatur ad eſſe genitum, quod eſt terminus abſolutus, non poteſt igitur paternitas referri ad eundem terminum formaliter, quia cùm ſit diſtincta ſpecie ab actione, non poteſt ſpecificari ab eodem termino formaliter.

8. Sentẽtia authoris per quam recõciliantur opiniones.

Mihi verò videtur diſtinguendum, quòd relatio poteſt tripliciter conſiderari; Primò vt eſt aliquis effectus, qui producitur à ſua cauſa, & vt ſic, dicit relationem tranſcendentalem ad ſuam cauſam, ſicut cæteri effectus creati.

Tripliciter accipitur relatio.

Secundò poteſt conſiderari, vt eſt ratio qua refertur fundamentum abſolutum, & ſpecificatiuè relatiuum, ad ſuum terminum, v. g. paternitas refert generantem vt generantem formaliter, ad eſſe genitum, in quo caſu generans, quamuis ſit affectum paternitate, non tamen refertur vt pater formaliter, ſed vt generans, ſtat autem ſub paternitate ſpecificatiuè, ſicut vnio vnit materiam cum forma, quatenus materia ſtat ſub vnione ſpecificatiuè, non autem reduplicatiuè, quia materia eſt, quæ vt potentia, facit vnum per ſe cum forma, & non vnio, non autem faceret vnum per ſe, niſi eſſent vnita.

Tertiò poteſt concipi relatio paternitatis, quatenus refert generantem, vt patrem, formaliter, & reduplicatiuè, in quo caſu generans potiùs ſe habet quaſi materialiter, & per hanc diſtinctionem exiſtimo poſſe conciliari primam & ſecundam ſententiam. Sit igitur

9. Prima concluſio iuxta primum modum quo accipitur relatio.

Prima concluſio. Si relatio ſumatur primo modo, vt eſt effectus, tunc certum eſt, referri ad terminum abſolutum, ſcilicet ad eſſe genitum, tanquã ad aliquod prærequiſitum, non enim reſultaret relatio paternitatis, niſi poſito termino abſoluto, quod eſt (eſſe genitum) refertur autem non quidem relatione prædicamentali, ſed relatione tranſcendentali & eſſentiali; & ſecundùm hunc modum ipſa relatio eſt relatum, & relatio, quia ipſa eſt, quæ ſe ipſa refertur eſſentialiter ad eſſe genitum; Et hanc concluſionem probat primum argumentum poſitum in prima ſententia, quòd, ſcilicet, relatio refertur ad eſſe genitum, tanquam ad aliquod requiſitum, ſine quo non poſſet reſultare ipſa relatio; ſicut igitur cæteri effectus dicunt relationem tranſcendentalem ad ſuam cauſam, & ad omnia illa, quæ prærequiruntur ad ipſorum exiſtentiam, ita etiam relatio prædicamentalis dicit ordinem tranſcendentalem non ſolùm ad Deum, tanquam ad cauſam primam, & ad ſuum fundamentum, tanquam ad cauſam ſecundam, ſed etiam ad terminum abſolutum tanquam ad prærequiſitum neceſſariò, ad exiſtẽtiam relationis; quare ſecundùm hanc conſiderationem ipſamet relatio, quæ quatenus eſt ratio, qua refertur fundamentum ad terminum, eſt prædicamentalis, eodem, inquam, eſt tranſcendentalis, quatenus ipſa ſe ipſa refertur ad eundem terminum ſub diuerſa ratione, nam quatenus eſt ratio, qua refert generantem ad eſſe genitum, refert illum accidentaliter tanquam cauſam ad effectum; at verò quatenus eſt res, quæ refertur, tunc ipſa relatio ſe ipſa tranſcendentaliter, & eſſentialiter refertur ad eſſe genitum, tanquam effectus ad aliquod prærequiſitum ad ſui exiſtentiam.

Secundò eandem concluſionem probat ſecundum argumentum primæ ſententiæ, nam ſi impoſſibilis eſſet terminus abſolutus, impoſſibilis eſſet relatio, at verò ſi eſſet impoſſibilis correlatio, nõ eſſet impoſſibilis relatio, vt patet in relationibus nõ mutuis, ergo relatio eſſentialiter dependet à termino abſoluto; dicit igitur relatio prædicamentalis relationem tranſcendentalem ad terminum abſolutum, vnde patet, quòd hoc, & præcedens argumentum, quæ ſunt fundamenta primæ ſentẽtiæ, non probant relationem prædicamentalem, quatenus eſt ratio, qua accidentaliter refertur fundamentum ad terminum, habere pro termino ens abſolutum, ſed tãtùm probant relationem, vt paternitatem, tanquam effectum ſeipſa tranſcendentaliter, & eſſentialiter referri ad terminum abſolutum, ſcilicet eſſe genitum, tanquam ad aliquod prærequiſitum. 10.

Si verò relatio conſideretur ſecundo modo, vt ratio (qua), quatenus eſt ratio referens fundamentum abſolutum vt formaliter abſolutum & ſpecificatiuè relatiuum ad ſuum terminum, tunc ſit

Secvnda concluſio. Relatio refert fundamentum ad terminum abſolutum; Hanc ſecundam concluſionem probat tertium, & quartum argumentum primæ ſententiæ, quia pater refertur ad filium, non quia filius refertur ad patrem, ſed quia filius eſt genitus, ratio igitur formalis terminandi patrem, vt eſt cauſa filij, eſt abſoluta & non correlatiua. Explicatur magis hęc ratio, quia paternitas refert prædicamentaliter, & accidentaliter generantem, vt cauſam actualem ad ſuum effectum, tanquam ad terminum, effectus autem generantis eſt, eſſe genitum, quod eſt terminus abſolutus. 11.

11. Secunda cõcluſio iuxta ſecundũ modum, quo accipitur relatio.

Quòd ſi obiicias primò, cauſa refertur ad ſuum effectum per relationem tranſcendentalem, & eſſentialem, non ergo accidentaliter per relationem prædicamentalem. Reſpondetur diſtinguendo, vel cauſa ſumitur ſecundùm potentiam generandi, & tunc refertur eſſentialiter ad effectum poſſibilem; ſi verò ſumitur, vt actu generans, refertur accidentaliter 12.

Digitized by Google

taliter ad filium exiſtentem per relationem prædicamentalem.

13. Obiicies ſecundò, actio quæ eſt relatio tranſcendentalis, refertur ad terminum exiſtentem, quod eſt eſſe genitũ,ergò fruſtra datur relatio prædicamentalis, quæ referat generantem tanquam cauſam actu generantem ad eſſe genitum. Reſpondetur,quòd aliqui,vt dicetur infra, propter hoc negarunt,actionem fundare relationem prædicamentalem : dicendum tamen eſt,quòd actio non immediatè refert cauſam ad effectũ, ſed refert immediatè ſeipſam ad effectum,tanquam viam, mediatè autem, & in obliquo tanquam via, & vt eſt actus agentis, refert agentem, at verò relatio prædicamentalis in rectò, & immediatè refert agentem ad effectum.

Si verò relatio conſideretur tertio modo, quatenus eſt ratio, quæ refert patrem vt patrem reduplicatiuè, vt relatiuum formaliter ad ſuum terminum,tunc ſit

14. Tertia concluſio iuxta tertiũ modũ quo accipitur relatio.

Tertia concluſio, relationem referri ad correlationem tanquam ad terminum formalem.

Prima ratio. Caiet.

Et hanc concluſionẽ probant argumẽta ſecundæ ſententiæ, quòd ſicut relatio prædicamentalis, vt bene argumentatur Caiet.in opuſc. de ente, & eſſen.cap.5,eſt pura relatio,quia nullum habet munus, niſi referendi fundamentum ad terminum, ita etiam terminus proprius ipſius debet eſſe pure terminus,ita vt non habeat aliud munus, quam terminandi, hic autem terminus non poteſt eſſe alius, quàm purus reſpectus,& correlatio;

Et cõfirmatur primò hæc ratio, quia ideo relatio tranſcendentalis reſpicit terminum abſolutum,quia ponit aliquid in termino, nam per actionem,& potentiã generatiuã ponitur terminus in eſſe reali, per ſcientiam verò ponitur obiectum in eſſe repræſentato; at verò cùm relatio nihil ponat in termino, non poteſt illum formaliter reſpicere, niſi vt purè terminum ſeu purum reſpectum, nam quidquid eſt in termino abſoluto, reſpicitur à fundamento, non vt relatiuum formaliter, & reduplicatiuè, ſed vt eſt abſolutum formaliter, & ſpecificatiuè relatiuum,quia quòd terminus abſolutus, ex.gr. (eſſe genitum)ſit effectus generantis, non habet ex eo, quia generans, eſt relatiuum formaliter, ſed ex eo formaliter, quia generauit,non autem referretur formaliter per formam reſpectiuam ad eſſe genitum, niſi ſtaret ſpecificatiuè ſub relatione prædicamentali; Et idem dicendum de aliis relationibus, nam ſimilitudo quatenus refert albedinem, vt fundamentum abſolutum, refert illud ad aliud coalbum,quia ſimilia, inquit Ariſt. ſunt illa, quorum qualitas eſt vna, quare ratio terminandi albedinem, eſt vnitas in eadem qualitate, at verò quatenus refert album, vt ſimile formaliter, vel reduplicatiuè, tunc illud refert ad correlationem ſimilitudinis propter rationem allatam, quia relatio formaliter non habet aliud munus circa terminum, quàm reſpiciendi,ergo reſpicit illum, vt purè terminum,& vt purum reſpectum ; quidquid enim aliud eſt in termino,præter reſpectum, ſe habet impertinenter, vt oſtenſum eſt.

Et confirmatur ſecundò, quia relatio tranſcendentalis à prædicamentali diſtinguitur, vt dictum eſt, quia prædicamentalis reſpicit purè terminum, non item tranſcendentalis; reſpicere autem purè terminum, non ſolùm eſt, quatenus nihil ponit in termino, ſed quatenus nihil recipit à termino, dependentia enim paſſiua in effectu, eſt relatio tranſcendentalis,& tamen nihil ponit in termino,nem-

A pe in cauſa agente,ſed potiùs accipit ab ipſo,dependet enim ab ipſa cauſa eſſentialiter,tanquam à termino,relatio ergo prædicamentalis,v.g. filiatio ſaltem quatenus refert filium formaliter, vt filium, non poteſt habere pro termino, ipſum generantem, quia quamuis nihil ponat in generante, dependet tamen eſſentialiter à generante, reſpicit ergo tanquam terminum correlatiuum, ſcilicet patrem;hic enim eſt terminus purè terminus, quia filiatio neque dat aliquid patri,vt patri, neque recipit à patre, vt patre, non enim filiatio eſſentialiter dependet à paternitate; poteſt enim remanere ſine paternitate,vt patet in relationibus non mutuis.

Probatur ſecundò hæc concluſio. Relatio opponitur correlatiuo, formali oppoſitione, nam eſt inter proprias formas quatenus ſe excludunt ab eodem ſubiecto, ergo opponuntur terminatiuè: Aliqui negant conſequentiam,dicunt enim tantùm ſequi,quòd opponantur relatiuè, & non terminatiuè:Sed contrà, quia debet aſſignari terminus relationis, & hoc debet habere oppoſitionem, debet enim relatio terminari ad aliud, ergo ad oppoſitum, ergo illud erit formaliter terminus, quod erit formaliter oppoſitum, ſed correlatiuum eſt formaliter oppoſitum,vt probatum eſt, ergo etiam erit formaliter terminus. 15. Secunda ratio. B

Tertiò probatur, quia magis hæc ſententia fauet myſterio Trinitatis, in quo paternitas refert Patrem, vt principium generandi, ad Filium, tamquam ad genitum,quatenus concipitur ipſa filiatio, vt conſtituens perſonam Filij, quæ producitur à Patre;& præterea refert ipſum Patrem,vt relatiuum formaliter,& quaſi prædicamentaliter ad ipſum Filium vt correlatiuum formaliter. 16. Tertia ratio. C

Quartò probatur auctoritate Ariſtotelis in cap. de Ad aliquid, vbi dicit omnia,quæ ſunt ad aliquid, dici ad conuertentiam,& loquitur de relatiuo,quod formaliter refertur ad correlatiuum, nam ibi aſſignans id, cum quo dicitur relatiuum ad conuertentiam, aſſignat correlatiuum, quamuis non vtatur hac voce correlatiui,dicit enim ſeruum dici ad conuertentiam cum domino, & dominum cum ſeruo, D duplum cum dimidio, & dimidium cum duplo, & ibidem monet eſſe maximè aduertendum in aſſignando termino relatiui;& dat regulam, quòd ille erit verus terminus, cum quo relatiuum conuertitur;ac propterea, inquit, terminus relationis in ſeruo, non eſt homo, ſed dominus:ſi enim ab homine omnia tollantur, & remaneat eſſe dominum, conuertetur cum ipſo ſeruus. 17. Quarta ratio ex auctoritate Ariſtotelis.

Ad hanc auctoritatem Ariſtotelis reſpondent aduerſarij, quòd Ariſtoteles per id, ad quod alterum relatiuum dicitur ad conuertentiam, non intelligit correlatiuum formaliter, ſed correlatiuum materialiter, quod eſt terminus abſolutus, nec vnquam vſus eſt hac voce correlatiui : & hic quidem E terminus abſolutus conuertitur cum relatiuo, nam ſi in homine remaneat poteſtas coërcitiua, dicetur ad conuertentiam cum ſeruo : & ſi in duplo remaneat exceſſus ſupra dimidium, ſemper dicetur ad conuertentiam cum dimidio. Et confirmant hanc ſolutionem ex eo, quòd Ariſt. ibidem ponit etiam exemplum in relationibus non mutuis, vt in ſcientia, & ſcibili; conſtat autem in ſcibili non eſſe ſecundùm Ariſtotelem correlationem oppoſitam. Ariſt.

Sed hæc ſolutio non omnino ſatisfacit, nam in filio remanet eſſe genitum, & tamen hic terminus abſolutus non ſemper dicitur ad conuertentiam cum relatiuo, quod eſt paternitas, contingit enim patrem eſſe mortuum, & ſic nulla erit relatio at

Digitized by Google

concipi per modum correlatiui, ſed quia verè, ac realiter influit eſſe in creaturas. Sed hæc ratio militat, etiam ſi in Deo adueniret correlatio realis, ergo par eſt ratio in relationibus mutuis ac in non mutuis.

6. *Sextum argumentum.* Sextò probatur, quia alioqui ſequeretur, quòd deberent dari duo ſumma genera relationis, quod eſt abſurdum, ergo &c. Probatur ſequela Maioris, nam cùm definitur relatio eſſe accidens, cuius totum eſſe eſt ad aliud, tunc peto, vel (illud aliud) eſt abſolutum, & tunc habetur intentum; vel (illud aliud) eſt correlatio, & tunc vera eſt ſequela Maioris, quòd, ſcilicet, præter ſummum genus relationis, debeat dari aliud ſummum genus correlationis, nam hoc ſummum genus correlationis, eſſet diſtinctum ab alio ſummo genere relationis, tum primò, quia in ipſa definitione dicitur, quòd deberet eſſe (aliud): tum ſecundò, quia non poteſt idem realiter referri ad ſeipſum: tum tertiò, quia hoc ſupremum genus correlationis, conſtitueretur per rationem correlatiuam terminandi, quæ vt ſic, non eſt ratio referendi; erunt igitur duo ſumma genera ad aliquid, alterum relatiuorum, alterum correlatiuorum; Sed concedere duplex genus relatiuorũ eſt abſurdum, tum quia eſt contra cõmunem: tum quia ratio relatiui communiſſima abſtrahens, comprehendit omne relatiuum, ergo etiam comprehendit aliud correlatiuum.

7. *Secunda ſententia. Caiet.* Secunda ſententia eſt Caietani 1. part. quæſt. 13. art. 7. & Hiſpalen. in 7. diſtinct. 13. quæſt. 1. not. 3. aſſerentium contra Scotiſtas, relationem habere pro formali termino oppoſitam correlationem.

Fundamentum Caietani eſt, vt colligitur de ente, & eſſen. cap. 5. ſicut relatio prædicamentalis eſt pura relatio, quia non habet aliud munus, quàm referendi, ita terminus ipſius debet eſſe purus reſpectus, huiuſmodi autem eſt correlatio. Secundò, quia in paternitate actio generationis terminatur ad eſſe genitum, quod eſt terminus abſolutus, non poteſt igitur paternitas referri ad eundem terminum formaliter, quia cùm ſit diſtincta ſpecie ab actione, non poteſt ſpecificari ab eodem termino formaliter.

8. *Sentẽtia authoris per quam recõciliantur opiniones. Tripliciter accipitur relatio.* Mihi verò videtur diſtinguendum, quòd relatio poteſt tripliciter conſiderari; Primò vt eſt aliquis effectus, qui producitur à ſua cauſa, & vt ſic, dicit relationem tranſcendentalem ad ſuam cauſam, ſicut cæteri effectus creati.

Secundò poteſt conſiderari, vt eſt ratio qua refertur fundamentum abſolutum, & ſpecificatiuè relatiuum, ad ſuum terminum, v. g. paternitas refert generantem vt generantem formaliter, ad eſſe genitum, in quo caſu generans, quamuis ſit affectum paternitate, non tamen refertur vt pater formaliter, ſed vt generans, ſtat autem ſub paternitate ſpecificatiuè, ſicut vnio vnit materiam cum forma, quatenus materia ſtat ſub vnione ſpecificatiuè, non autem reduplicatiuè, quia materia eſt, quæ vt potentia, facit vnum per ſe cum forma, & non vnio, non autem faceret vnum per ſe, niſi eſſent vnita.

Tertiò poteſt concipi relatio paternitatis, quatenus refert generantem, vt patrem, formaliter, & reduplicatiuè, in quo caſu generans potiùs ſe habet quaſi materialiter, & per hanc diſtinctionem exiſtimo poſſe conciliari primam & ſecundam ſententiam. Sit igitur

9. *Prima concluſio iuxta primum modum quo accipitur relatio.* Prima concluſio. Si relatio ſumatur primo modo, vt eſt effectus, tunc certum eſt, referri ad terminum abſolutum, ſcilicet ad eſſe genitum, tanquã ad aliquod prærequiſitum, non enim reſultaret relatio paternitatis, niſi poſito termino abſoluto, quod eſt (eſſe genitum) refertur autem non quidem relatione prædicamentali, ſed relatione tranſcendentali & eſſentiali; & ſecundùm hunc modum ipſa relatio eſt relatum, & relatio, quia ipſa eſt, quæ ſe ipſa refertur eſſentialiter ad eſſe genitum; Et hanc concluſionem probat primum argumentum poſitum in prima ſententia, quòd, ſcilicet, relatio refertur ad eſſe genitum, tanquam ad aliquod requiſitum, ſine quo non poſſet reſultare ipſa relatio; ſicut igitur cæteri effectus dicunt relationem tranſcendentalem ad ſuam cauſam, & ad omnia illa, quæ prærequiruntur ad ipſorum exiſtentiam, ita etiam relatio prædicamentalis dicit ordinem tranſcendentalem non ſolùm ad Deum, tanquam ad cauſam primam, & ad ſuum fundamentum, tanquam ad cauſam ſecundam, ſed etiam ad terminum abſolutum tanquam ad prærequiſitum neceſſariò, ad exiſtẽtiam relationis; quare ſecundùm hanc conſiderationem ipſamet relatio, quæ quatenus eſt ratio, qua refertur fundamentum ad terminum, eſt prædicamentalis, eadem, inquam, eſt tranſcendentalis, quatenus ipſa ſe ipſa refertur ad eundem terminum ſub diuerſa ratione, nam quatenus eſt ratio, qua refert generantem ad eſſe genitum, refert illum accidentaliter tanquam cauſam ad effectum; at verò quatenus eſt res, quæ refertur, tunc ipſa relatio ſe ipſa tranſcendentaliter, & eſſentialiter refertur ad eſſe genitum, tanquam effectus ad aliquod prærequiſitum ad ſui exiſtentiam.

Secundò eandem concluſionem probat ſecundum argumentum primæ ſententiæ, nam ſi impoſſibilis eſſet terminus abſolutus, impoſſibilis eſſet relatio, at verò ſi eſſet impoſſibilis correlatio, nõ eſſet impoſſibilis relatio, vt patet in relationibus nõ mutuis, ergo relatio eſſentialiter dependet à termino abſoluto; dicit igitur relatio prædicamentalis relationem tranſcendentalem ad terminum abſolutum, vnde patet, quòd hoc, & præcedens argumentum, quæ ſunt fundamenta primæ ſentẽtiæ, non probant relationem prædicamentalem, quatenus eſt ratio, qua accidentaliter refertur fundamentum ad terminum, habere pro termino ens abſolutum, ſed tãtùm probant relationem, vt paternitatem, tanquam effectum ſeipſa tranſcendentaliter, & eſſentialiter referri ad terminum abſolutum, ſcilicet eſſe genitum, tanquam ad aliquod prærequiſitum. 10.

Si verò relatio conſideretur ſecundo modo, vt ratio (qua), quatenus eſt ratio referens fundamentum abſolutum vt formaliter abſolutum & ſpecificatiuè relatiuum ad ſuum terminum, tunc ſit

Secunda concluſio. Relatio refert fundamentum ad terminum abſolutum; Hanc ſecundam concluſionem probat tertium, & quartum argumentum primæ ſententiæ, quia pater refertur ad filium, non quia filius refertur ad patrem, ſed quia filius eſt genitus, ratio igitur formalis terminandi patrem, vt eſt cauſa filij, eſt abſoluta & non correlatiua. Explicatur magis hęc ratio, quia paternitas refert prædicamentaliter, & accidentaliter generantem, vt cauſam actualem ad ſuum effectum, tanquam ad terminum, effectus autem generantis eſt, eſſe genitum, quod eſt terminus abſolutus. 11. *Secunda cõcluſio iuxta ſecundũ modum, quo accipitur relatio.*

Quòd ſi obiicias primò, cauſa refertur ad ſuum effectum per relationem tranſcendentalem, & eſſentialem, non ergo accidentaliter per relationem prædicamentalem. Reſpondetur diſtinguendo, vel cauſa ſumitur ſecundùm potentiam generandi, & tunc refertur eſſentialiter ad effectum poſſibilem; ſi verò ſumitur, vt actu generans, refertur acciden- 12.

taliter

Digitized by Google

taliter ad filium exiſtentem per relationem prædicamentalem.

13. Obiicies ſecundò, actio quæ eſt relatio tranſcendentalis, refertur ad terminum exiſtentem, quod eſt eſſe genitũ, ergò fruſtra datur relatio prædicamentalis, quæ referat generantem tamquam cauſam actā generantem ad eſſe genitum. Reſpondetur, quòd aliqui, vt dicetur infra, propter hoc negarunt, actionem fundare relationem prædicamentalem: dicendum tamen eſt, quòd actio non immediatè refert cauſam ad effectũ, ſed refert immediatè ſeipſam ad effectum, tanquam viam, mediatè autem, & in obliquo tanquam via, & vt eſt actus agentis, refert agentem, at verò relatio prædicamentalis in recto, & immediatè refert agentem ad effectum.

Si verò relatio conſideretur tertio modo, quatenus eſt ratio, quæ refert patrem vt patrem reduplicatiuè, vt relatiuum formaliter ad ſuum terminum, tunc ſit

14. *Tertia concluſio iuxta tertiũ modũ quo accipitur relatio.* Tertia concluſio, relationem referri ad correlationem tanquam ad terminum formalem.

Prima ratio. Caiet. Et hanc concluſionē probant argumēta ſecundæ ſententiæ, quòd ſicut relatio prædicamentalis, vt bene argumentatur Caiet. in opuſc. de ente, & eſſen. cap. 5. eſt pura relatio, quia nullum habet munus, niſi referendi fundamentum ad terminum, ita etiam terminus proprius ipſius debet eſſe purè terminus, ita vt non habeat aliud munus, quam terminandi, hic autem terminus non poteſt eſſe alius, quàm purus reſpectus, & correlatio;

Et cōfirmatur primò hæc ratio, quia ideo relatio tranſcendentalis reſpicit terminum abſolutum, quia ponit aliquid in termino, nam per actionem, & potentiā generatiuā ponitur terminus in eſſe reali, per ſcientiam verò ponitur obiectum in eſſe repræſentato; at verò cùm relatio nihil ponat in termino, non poteſt illum formaliter reſpicere, niſi vt purè terminum ſeu purum reſpectum, nam quidquid eſt in termino abſoluto, reſpicitur à fundamento, non vt relatiuum formaliter, & reduplicatiuè, ſed vt eſt abſolutum formaliter, & ſpecificatiuè relatiuum, quia quòd terminus abſolutus, ex. gr. (eſſe genitum) ſit effectus generantis, non habet ex eo, quia generans, eſt relatiuum formaliter, ſed ex eo formaliter, quia generauit, non autem referretur formaliter per formam reſpectiuam ad eſſe genitum, niſi ſtaret ſpecificatiuè ſub relatione prædicamentali; Et idem dicendum de aliis relationibus, nam ſimilitudo quatenus refert albedinem, vt fundamentum abſolutum, refert illud ad aliud coalbum, quia ſimilia, inquit Ariſt. ſunt illa, quorum qualitas eſt vna, quare ratio terminandi albedinem, eſt vnitas in eadem qualitate, at verò quatenus refert album, vt ſimile formaliter, vel reduplicatiuè, tunc illud refert ad correlationem ſimilitudinis propter rationem allatam, quia relatio formaliter non habet aliud munus circa terminum, quàm reſpiciendi, ergo reſpicit illum, vt purè terminum, & vt purum reſpectum; quidquid enim aliud eſt in termino, præter reſpectum, ſe habet impertinenter, vt oſtenſum eſt.

Et confirmatur ſecundò, quia relatio tranſcendentalis à prædicamentali diſtinguitur, vt dictum eſt, quia prædicamentalis reſpicit purè terminum, non item tranſcendentalis; reſpicere autem purè terminum, non ſolùm eſt, quatenus nihil ponit in termino, ſed quatenus nihil recipit à termino, dependentia enim paſſiua in effectu, eſt relatio tranſcendentalis, & tamen nihil ponit in termino, nempe in cauſa agente, ſed potiùs accipit ab ipſo, dependet enim ab ipſa cauſa eſſentialiter, tanquam à termino, relatio ergo prædicamentalis, v.g. filiatio ſaltem quatenus refert filium formaliter, vt filium, non poteſt habere pro termino, ipſum generantem, quia quamuis nihil ponat in generante, dependet tamen eſſentialiter à generante, reſpicit ergo tanquam terminum correlatiuum, ſcilicet patrem; hic enim eſt terminus purè terminus, quia filiatio neque dat aliquid patri, vt patri, neque recipit à patre, vt patre, non enim filiatio eſſentialiter dependet à paternitate; poteſt enim remanere ſine paternitate, vt patet in relationibus non mutuis.

15. *Secunda ratio.* Probatur ſecundò hæc concluſio. Relatio opponitur correlatiuo, formali oppoſitione, nam eſt inter proprias formas quatenus ſe excludunt ab eodem ſubiecto, ergo opponuntur terminatiuè: Aliqui negant conſequentiam, dicunt enim tantùm ſequi, quòd opponantur relatiuè, & non terminatiuè: Sed contrà, quia debet aſſignari terminus relationis, & hoc debet habere oppoſitionem, debet enim relatio terminari ad aliud, ergo ad oppoſitum, ergo illud erit formaliter terminus, quod erit formaliter oppoſitum, ſed correlatiuum eſt formaliter oppoſitum, vt probatum eſt, ergo etiam erit formaliter terminus.

16. *Tertia ratio.* Tertiò probatur, quia magis hæc ſententia fauet myſterio Trinitatis, in quo paternitas refert Patrem, vt principium generandi, ad Filium, tamquam ad genitum, quatenus concipitur ipſa filiatio, vt conſtituens perſonam Filij, quæ producitur à Patre; & præterea refert ipſum Patrem, vt relatiuum formaliter, & quaſi prædicamentaliter ad ipſum Filium vt correlatiuum formaliter.

17. *Quarta ratio ex authoritate Ariſtotelis.* Quartò probatur auctoritate Ariſtotelis in cap. de Ad aliquid, vbi dicit omnia, quæ ſunt ad aliquid, dici ad conuertentiam, & loquitur de relatiuo, quod formaliter refertur ad correlatiuum, nam ibi aſſignans id, cum quo dicitur relatiuum ad conuertentiam, aſſignat correlatiuum, quamuis non vtatur hac voce correlatiui, dicit enim ſeruum dici ad conuertentiam cum domino, & dominum cum ſeruo, duplum cum dimidio, & dimidium cum duplo, & ibidem monet eſſe maximè aduertendum in aſſignando termino relatiui; & dat regulam, quòd ille erit verus terminus, cum quo relatiuum conuertitur; ac propterea, inquit, terminus relationis in ſeruo, non eſt homo, ſed dominus: ſi enim ab homine omnia tollantur, & remaneat eſſe dominum, conuertetur cum ipſo ſeruus.

Ariſt. Ad hanc auctoritatem Ariſtotelis reſpondent aduerſarij, quòd Ariſtoteles per id, ad quod alterum relatiuum dicitur ad conuertentiam, non intelligit correlatiuum formaliter, ſed correlatiuum materialiter, quod eſt terminus abſolutus, nec vnquam vſus eſt hac voce correlatiui: & hic quidem terminus abſolutus conuertitur cum relatiuo, nam ſi in homine remaneat poteſtas coërcitiua, dicetur ad conuertentiam cum ſeruo: & ſi in duplo remaneat exceſſus ſupra dimidium, ſemper dicetur ad conuertentiam cum dimidio. Et confirmant hanc ſolutionem ex eo, quòd Ariſt. ibidem ponit etiam exemplum in relationibus non mutuis, vt in ſcientia, & ſcibili; conſtat autem in ſcibili non eſſe ſecundùm Ariſtotelem correlationem oppoſitam.

Sed hæc ſolutio non omnino ſatisfacit, nam in filio remanet eſſe genitum, & tamen hic terminus abſolutus non ſemper dicitur ad conuertentiam cum relatiuo, quod eſt paternitas, contingit enim patrem eſſe mortuum, & ſic nulla erit relatio. at

Digitized by Google

nunquam contingit, quòd in filio ſit correlatio A filij,& non dicatur ad conuertentiam cum relatione patris, quia mortuo patre, corrumpitur etiam correlatio in filio; Intelligendus eſt igitur Ariſtoteles, cùm monet maximè eſſe aduertendum in aſſignando vero termino, qui debet eſſe talis, inquit, vt dicatur ad conuertentiam; intelligendus eſt,inquam, de termino correlatiuo formaliter, & de hoc ſemper ibi exemplificat. Nec obſtat quòd afferat exemplum in relationibus non mutuis, vt de ſcientia,& ſcibili, de ſenſu,& ſenſibili, quia, vt dicemus infrà in quæſtione ſequenti, etiam in iſtis relatiuis non mutuis, verus terminus eſt etiam correlatiuum formaliter.

Reſpondent ſecundò aduerſarij ad eandem auctoritatem, ibi Ariſtotelem non loqui ex propria B ſententia,ſed ex antiquorum.

Sed neque hæc ſolutio videtur vera, nam facilè apparet legenti textum, ibi Ariſtotelem loqui ex propria ſententia, inculcat enim ſæpius monendo, vt aduertatur conuertentia in aſſignando vero termino.

18. *Secunda authoritas ex Ariſtotele.* Secunda auctoritas Ariſtotelis eſt ibidem, vbi dicit correlatiua eſſe ſimul natura: at ſi filiatio terminaretur non ad patrem,ſed ad generantem, tamquam ad correlatiuum,tunc ſequeretur, quòd filiatio & eſſe generans, eſſent ſimul natura, quia eſſe generans, eſſet terminus filiationis, ſecundùm aduerſarios; ſed hoc eſt impoſſibile, quia generans præcedit eſſe genitum; & eſſe genitum, præcedit natura filiationem, ergo filiatio eſt in tertio ſigno C naturæ,poſt eſſe generans; Nec valet ſi dicas, quòd Ariſtoteles tantùm velit quòd paternitas, & filiatio ſint ſimul natura; & ita ſimiliter de aliis relationibus & correlationibus, non autem, quòd relatio & terminus, qui formaliter reſpicitur, ſint ſimul natura,quia huiuſmodi terminus eſt quid abſolutum, & præcedit natura alteram correlationem, ſicut eſſe genitum, quod eſt terminus paternitatis, præcedit filiationem; non poteſt ergo paternitas eſſe ſimul natura,cum eſſe genito,cùm ſit ſimul natura cum filiatione,quæ eſt poſterior, & conſequitur ad eſſe genitum, non, inquam, valet, quia Ariſt. vt patet ex prima authoritate citata, loquitur D de correlatiuis quæ opponuntur formaliter, & quorum vnum terminatur ad alterum, & hæc dicit eſſe ſimul natura, & dici ad conuertentiam, & exemplificat de ipſis correlatiuis formaliter, vt de duplo & dimidio, & de ſeruo & domino.

19. Ad hanc igitur authoritatem reſpondent aliqui graues recentiores,terminum abſolutum eſſe ſimul natura cum relatione, quatenus eſt actu terminans, quia vt ſic,formaliter conſtituitur per extrinſecam denominationem à relatione, quæ in illum tendit.

20. Sed hæc ſolutio non placet, quia quatenus relatio concipitur in actu exercito, vt exercens actum referendi, eſt cauſa, vt terminus denominetur actu E terminans, quia ex illa vt ſic, conſurgit in termino actualis terminatio, & non è contra, ergo relatio & terminus abſolutus, vt actu terminans, non ſunt ſimul natura;quia relatio,tanquam cauſa huius terminationis actualis, eſt prior ipſa terminatione. Nec obſtat quòd hæc cauſalitas non ſit vera cauſalitas, ſufficit enim vt ſit talis cauſalitas, vt faciat aliquo modo prioritatem naturæ ſecundùm conceptum,verè enim illa actualis terminatio termini dependet à relatione; non ſolùm vt concepta in abſtracto, ſed etiam vt exercita, ſeu exercente actum referendi tanquam à forma extrinſeca denominante.

Quòd ſi quis obiiciat contra Ariſt. quòd nec correlatiua formaliter ſumpta, vt pater & filius, ſunt ſimul natura, quia in primo ſigno naturæ datur generans, in ſecundo ſigno datur paternitas, in tertio eſſe genitum, & in quarto filiatio, ergo filiatio non eſt ſimul natura cum paternitate. Conſequentia eſt manifeſta;Antecedens probatur,nam paternitas ſtatim conſequitur ad eſſe generans tanquam ad ſuum completum fundamentum. Quòd ſi dicas,non ſtatim conſurgere, quia deeſt terminus, nempe (eſſe genitum), quo poſito ſtatim ſimul conſurgunt paternitas & filiatio, tanquam termino vnius, & fundamento alterius: Contra hoc eſt, quia non eſt neceſſe ad hoc, vt conſurgat paternitas, quòd terminus nempe(eſſe genitum) præcedat in aliquo ſigno naturæ, ſed ſatis eſt vt ſubſequatur in poſteriori ſigno, ſicut non poteſt dari cauſa actualiter generans, niſi ſit eſſe genitum, & tamen eſſe genitum, non præcedit natura ipſum generantem,ſed eſt in poſteriori ſignò naturæ;ergo cùm paternitas fundetur in generante, poteſt conſurgere tanquam veluti quædam paſſio ipſius generantis,dependens ab eſſe genito in poſteriori ſigno, tanquam à termino, ſicut dependet ipſum actualiter generans à poſteriori, tanquam à ſuo effectu.

Reſpondetur, quòd paternitas nunquam conſurgit, niſi poſito termino abſoluto, nempe(eſſe genitum) tanquam conditione neceſſariò requiſita, non enim poteſt pater referri ad filium, niſi ſupponatur eſſe genitum, quia ideo refertur ad filium, quia aliquid communicauit filio, nempe (eſſe genitum); cùm igitur paternitas non poſſit dependere ab eſſe genito, tanquam à poſteriori, ſicut dependet generans, quia paternitas nihil ponit in eſſe genito, neque eſſe genitum habeat ſe concomitanter ad paternitatem, quia ſaltem requiritur tanquam conditio, fit vt paternitas pendeat ab eſſe genito, tanquam à priori, & hinc patet, quòd paternitas & filiatio, ſint ſimul natura, nam poſita conditione, nempe eſſe genitum, ſtatim conſurgunt ſimul relatio paternitatis & filiatio,quia tunc vtraque relatio habet iam ſuum fundamentum & terminum;fundamentum enim filiationis eſt (eſſe genitum), terminus autem eſt (eſſe generans), paternitatis autem è contra fundamentum nempe eſt (eſſe generans),& terminus eſt (eſſe genitum);patet igitur ex his locis citatis Ariſtotelem tenuiſſe hanc noſtram concluſionem, vel ſaltem colligitur Ariſtotelem magis ad illam acceſſiſſe;nec vnquam meminit huius termini abſoluti,ſed potiùs verum terminum relationis ſemper exemplificat in relatiuis formaliter.

Ad argumentum primæ & ſecundæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis,nam primum & ſecundum argumentum primæ ſententiæ, probant primam concluſionem, tertium verò & quartum probant ſecundam concluſionem; quintum verò petit difficultatem, an relationes non mutuæ terminentur ad correlatiuũ,de qua dicetur in ſequenti quæſtione. 21. *Reſponſio ad argumenta primæ & ſecundæ ſententiæ.*

Argumenta verò ſecundæ ſententiæ, probant tertiam concluſionem, ſolùm remanet vt reſpondeatur ad ſextum argumentum primæ ſententiæ, per quod probatur, quòd ſi relatio terminaretur ad correlatiuum, ſequeretur dari duo ſumma genera (Ad aliquid)alterum relatiui,alterum correlatiui.

Soluitur ſextum argumentum primæ ſententiæ, & explicatur,vtrùm ſint duo ſumma genera Ad aliquid, vnum relatiui,& alterum correlatiui.

Hoc ſextum argumentum peculiarem habet difficultatem in opinione noſtra, nam in opinione eorum, 22.

eorum, qui tenent, rationem terminandi eſſe abſolutam, nullam ferè aut paruam difficultatem habet argumentum; non enim ſequitur, dari duo genera ſumma relatiuorum, nam terminus non eſt relatiuus, neque ſequitur, quòd conſtituat genus alterius prædicamenti, quia terminus abſolutus vagatur per omnia prædicamenta, ratio enim terminandi abſoluta, eſt eadem entitas abſoluta, non enim eſt proprietas vel accidens additum entitati, ſed eſt entitas vniuſcuiuſque rei, & ſecundùm illam entitatem terminat: ſicut à pari rationem fundandi Ariſtoteles tribuit diuerſis prædicamentis.

Ad argumentum igitur in opinione noſtra qui tenemus, terminum eſſe correlatiuum, reſpondetur, aſſerendum omnino eſſe, quòd ſit vnum ſummum genus relatiui, & correlatiui, quia tam relatiuum quàm correlatiuum, conueniunt in ratione eſſendi ad aliud, & illa ratio terminandi in correlatiuo, non eſt proprietas quædam ſuperaddita, ſed eſt ipſamet entitas relatiua ipſius correlationis, quatenus eſt apta ad terminandam aliam relationem, ſicut dicebamus de ratione abſoluta.

Et cùm inſtatur, quòd correlatiuum ponitur in definitione relatiui in communi, vt diſtinctum, tum quia relatiuum in communi definitur eſſe Ad aliud, tum quia nihil refertur ad ſeipſum, ergo facit aliud ſummum genus Ad aliquid, diſtinctum à relatiuo.

13. Reſpondent aliqui ad Antecedens ex Alberto 5. m. tract. 3. cap. 3. & in prædicamento Ad aliquid, quòd non eſt neceſſarium, nec de eſſentia relatiui, quod concipitur in communi, vt illi correſpondeat immediatè correlatiuum diſtinctum, ſed ſufficit, vt in inferioribus, & indiuiduis correſpondeat diſtinctio, & idem etiam dicendum eſt in aliquibus ſpeciebus relatiuis, vt ſunt relatiua æquiparantiæ, nam definitur ſimile per aliud ſimile, ſecus autem in relationibus diſquiparantiæ, vt cùm definitur pater per filium, quia etiam in communi filius eſt alius à patre.

Sed hæc reſponſio, niſi meliùs explicetur, non probatur, quia relatiuum, vt relatiuum, debet eſſe ad aliud; at relatiuum vt relatiuum, non refertur ad hoc relatiuum in particulari, quod ponitur eſſe ad aliud, ſed ad correlatiuum in communi, ergo correlatiuũ in communi debet eſſe aliud, & diſtinctum.

14. Reſpondetur igitur ſecundò, magis explicando primam reſponſionem, quòd relatiuum in communi, dicitur ad aliud correlatiuum in communi, quod quidem correlatiuum diſtinguitur à relatiuo, ſecundùm conceptum, eadem enim entitas relatiua poteſt concipi, vt ratio (qua) referendi, & vt ratio (ad quam) refertur: & primo modo habet rationem relatiui, ſecundo verò modo habet rationem correlatiui; iſtud autem correlatiuum in communi, quod diſtinguitur ſecundùm conceptum à relatiuo, habet ex natura ipſius correlatiui, vt quatenus ſupponit perſonaliter, ſupponat ſemper pro correlationibus, quatenus ſunt oppoſitæ relationibus; ex. gr. ſub correlatiuo in communi, continetur paternitas, vt eſt ratio (ad quam), & vt ſic habens oppoſitionem cum filiatione, & eadem paternitas continetur ſub relatiuo in communi, quatenus eſt ratio (qua) referendi, & vt ſic non dicit oppoſitionem cum filiatione, quatenus filiatio eſt ratio (qua), non enim filiatio opponitur paternitati, quatenus eſt ratio (qua) referendi, ſed quatenus eſt ratio (ad quam.)

15. Maior difficultas eſt in relationibus æquiparantiæ; ſed dicendum eſt, quòd ſimilitudo, quatenus eſt ratio (qua) referendi, continetur ſub relatiuo, quatenus verò eſt ratio (ad quam), continetur ſub A correlatiuo: quatenus autem eſt ratio (ad quam) contenta ſub correlatiuo in communi, habet, vt perſonaliter ſeu in indiuiduis ſupponat pro alia ſimilitudine diſtincta ab illa, quæ erat ratio (qua) referendi.

Quòd ſi dicas, correlatiuum vt ſic, quatenus eſt terminus in communi, non eſt quid reale, ſed rationis, & ſecundùm rationem tantùm diſtinctum: at terminus relationis debet eſſe diſtinctus a parte rei. Reſpondetur, quidquid ſit, an relatiuum in communi vt ſic formaliter, ſit quid reale, vel rationis, ſufficit tamen, vt ſubſtrata materialia ſint entia realia, quæ ſunt ipſa particularia; ideo quamuis correlatiuum in communi, ſit ratione diſtinctum à relatiuo in communi, ſatis eſt tamen, vt ſecundùm ſub- B ſtrata materialia, ſit diſtinctum à parte rei, ita vt omnia ſubſtrata materialia, quatenus continentur ſub illa ratione correlatiui, diſtinguantur à parte rei à ſubſtratis, quæ continentur ſub relatiuo in communi, vt relatiuum eſt.

QVÆSTIO NONA.

Vtrùm in Relationibus non mutuis relatiuum terminetur ad correlatiuum formaliter.

HABET hæc quæſtio maiorem difficultatem, quàm præcedens, nam in relationibus mutuis aſſignari poteſt correlatio, C tanquam terminus realiter exiſtens, at verò in relationibus non mutuis hoc videtur impoſſibile, quia in alio extremo non reſultat correlatio. Quare circa hanc quæſtionem ſunt variæ ſententiæ. 1. Punctus difficultatis.

AFFERTVR PRIMA SENTENTIA ET IMPVGNATVR.

PRIMA ſententia eſt Caietani, qui aſſerit in relationibus non mutuis terminum, exempli gratia, ſcibile, non terminare ſcientiam per rationem abſolutam entis, neque per relationem realem, aut rationis, ſed per denominationem relatiuam extrinſecam à forma relationis, quæ eſt in ipſa ſcientia, D quatenus denominatur extrinſecè relatiuè ſcibilis per formam relationis, quæ eſt in ſcientia. 2. Prima ſententia. Caiet.

Sed hæc ſententia non placet, & impugnatur, primò, quia ſequeretur, quòd ipſa relatio terminaretur ad ſe ipſam, quod eſt abſurdum. Probatur ſecundò, quia ſequeretur, quòd cauſa formalis eſſet poſterior ſuo effectu formali, nam terminus eſt cauſa formalis terminationis, ergo debet præcedere terminationem; ſed in hoc caſu Caietani non præcederet, nam in ſcibili terminus, ad quem terminatur ſcientia, eſt denominatio per Caietanum, ergo iſta denominatio, tanquam ratio formalis, deberet eſſe prior, quàm ſit terminatio, quæ eſt effectus formalis; ſed iuxta hanc opinionem eſſet poſterior, nam prius eſt relationem ſcientiæ termi- E nari ad ſcibile, quàm ſcibile denominari à relatione, nam ideo terminus, ver. grat. ſcibile, denominatur tale, quia terminat relationem.

AFFERTVR SECVNDA SENTENTIA ET IMPVGNATVR.

SECVNDA ſententia eſt, terminum relationis non mutuæ, eſſe relationem rationis, quæ ſemper 3. Secũda ſententia.

Digitized by Google

per eſt actu obiectiuè in intellectu, ſaltem diuino, qui vel facit relationem rationis, vel ſaltem cognoſcit vt factibilem ab intellectu creato.

Sed neque hæc ſententia placet, nam ſi nulla concipiatur relatio obiectiua in Deo, adhuc eſſet relatio quæ referretur, & tunc quæro, quis ſit terminus formalis illius.

VERIOR SENTENTIA EXPLICATVR.

4. *Tertia ſententia. Fonſ.* TERTIA ſententia eſt Fonſecæ lib. 5. meta. cap. 15. quæſt. 5. ſect. 4. aſſerentis terminum relationis non mutuæ, eſſe relationem rationis, non quidem ſecundùm exiſtentiam actualem obiectiuam, quæ tunc eſt, quando concipitur ab intellectu, ſed ſecundùm conuenientiam.

5. *Duplex ſenſus tertiæ ſententiæ.* Sed hæc ſententia Fonſecæ poteſt habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus, quòd relatio antequam exiſtat obiectiuè, actu conueniat fundamento ſecundùm veritatem propoſitionis per connexionem extremorum, quæ abſtrahunt ab exiſtentia, ſicut homini actu conuenit eſſe animal, etiam ſi non exiſtat; *Primus ſenſus impugnatur meritò à Suario.* & iuxta hunc ſenſum accipit Suarius ſententiam Fonſecæ, & bene impugnat, nam iſta prædicatio non conuenit prædicatis contingentibus, cuiuſmodi eſt relatio, ſed tantùm conuenit prædicato, quod vel eſt de eſſentia ſubiecti, vel habet neceſſariam connexionem cum ſubiecto.

6. Secundus ſenſus, qui fortè eſt iuxta mentem Fonſecæ, eſt, quòd relatio rationis actu dicitur conuenire fundamento, vel termino, quatenus intellectus poteſt ſtatim verè tribuere fundamento relationem rationis: poſito enim, quòd Deus creauit, vel viſio terminata eſt ad parietem, ſequitur tanquam ex cauſa, quòd poſſit intellectus ſtatim verè tribuere relationem rationis Creatoris in Deo, & relationem viſi in pariete, ſicut virtuti cõuenit laus, etiam cùm actu non laudetur; eſt igitur in Deo vel pariete viſo hæc relatio rationis, ſecundùm actualem conuenientiam; & iuxta hunc ſecundum ſenſum, quem exiſtimo verum, dicendum eſt, in relationibus non mutuis, relationem non terminari formaliter ad correlatiuum, ſed ad correlatiuum ſecundùm conuenientiam, quod eſt dicere ad terminum abſolutum, nó quomodolibet ſumptum, ſed vt ſibi conuenit correlatio, non tamen inde fit, vt correlatiuum ſecundùm conuenientiam, ſit correlatiuum formaliter, ſicut non ex eo, quia virtuti debetur laus, actu laudetur, nec ex eo quia B. virgo dicitur peccaſſe in inſtanti conceptionis ſecundùm debitum, ideo actu peccauit.

7. *Inſtantia.* Quòd ſi dicas, eodem modo dici debere in relationibus mutuis, nam in priori naturæ, relatio refertur ad terminum abſolutum, cui debetur correlatio; *Soluitur.* Reſpondetur idem eſſe dicendum, ſi ſermo eſt de termino fundamentali, ſed in relationibus mutuis, præter terminationem fundamentalem, datur terminatio formalis, quo vnum relatiuum, formaliter ſumptum, vt relatiuum, refertur formaliter ad correlatiuum, quod eſt ſimul natura cum relatione; at verò in relationibus non mutuis, non poteſt dari terminatio formalis.

8. *Prima obiectio.* Sed contra hanc ſententiam ſic explicatam inſurgunt aliqui moderni, & obiiciunt primò, modus, inquiunt, loquendi iuxta hunc ſenſum eſt falſus, tam philoſophicè, quàm Theologicè; falsò enim dicitur, aquæ feruenti actu conuenire, eſſe ſummè frigidam, vel aëri frigido conuenire actu, eſſe ſummè calidum: vel humanitati Chriſti actu conuenire ſubſiſtentiam humanam, cùm tamen verum ſit, aquę feruenti deberi frigiditatem, & aëri frigido caliditatem, & humanitati Chriſti propriam ſubſiſtentiam, quare non ex eo quia fundamento debetur relatio, ideo bene dicitur relatio actu illi conuenire.

Reſpondetur, eſſe differentiam manifeſtam inter hanc propoſitionem (relatio actu conuenit fundamento) & inter alias allatas, exemp. grat. aquæ feruenti actu conuenit ſumma frigiditas, vel humanitati Chriſti actu conuenit ſubſiſtentia creata, &c. *Solutio.* nam in illa priori propoſitione, in qua dicitur (relatio actu conuenit fundamento), fundamentum, ſeu terminus non ſtat cum oppoſita forma poſitiua, ſed eſt taliter diſpoſitum, vt intellectus poſſit verè tribuere illi relationem rationis, vnde ſi terminus eſſet capax relationis realis, neceſſariò naturaliter in illo reſultaret relatio realis: at verò in poſterioribus propoſitionibus, ſubiectum ſtat cum forma oppoſita, & ideo non poteſt verificari illa propoſitio, quòd, ſcilicet, ſumma frigiditas actu conueniat aquæ feruenti, ſed tantùm, quòd debeatur aquæ ſumma frigiditas, reſpiciendo ad principium intrinſecum eſſentiale ipſius aquæ, & ſic de reliquis propoſitionibus. Quare ſicut illa propoſitio eſt vera (omnes in Adam peccauerunt) quia intelligitur à Theologis ſecundùm debitum, & in eo dicunt comprehendi B. Virginem, etiam ſi fuerit concepta ſine peccato originali; quia in illo inſtanti, in quo erat debitum conſurgendi peccatum originale, fuit præuenta B. Virgo à gratia: ita à pari, quia in illo inſtanti deberet in ſubiecto reſurgere relatio ſaltem rationis, poteſt dici ſubiectum eſſe relatum ſecundùm debitum ſeu conuenientiam.

Secundò obiicitur, quia color priùs terminat viſionem, quàm relatio viſi conueniat colori, nam illud prius eſt cauſa huius, ergo priùs color habet rationem termini, quàm illi actu conueniat relatio rationis, fruſtra igitur configitur in termino hæc relatio ſecundùm conuenientiam, cùm iam habeatur in priori ſigno ratio termini. 9. *Secunda obiectio.*

Sed hæc impugnatio nulla eſt, nam conceditur, quòd color ſit terminus formalis, ſeu tanquam formale obiectum ipſius viſionis, non tamen eſt formalis terminus ipſius relationis, quæ conſurgit in ipſa viſione, ſed tantùm eſt terminus materialis, ſeu fundamentalis, vt patet ex dictis; terminus autem formalis debet eſſe correlatio viſi, quæ cùm non ſit actu exiſtens, nec realiter, nec obiectiuè, eſt ſaltem, vt dicit Fonſeca, ſecundùm actualem conuenientiam. *Soluitur.*

QVÆSTIO DECIMA.

Vtrùm eadem numero relatio poſſit terminari ad plures terminos numero.

PRIMA ſententia eſt Scoti in 3. diſtinct. 8. quæſtione vnica, aſſerentis relationem multiplicari numero ad numericam multitudinem terminorum. Hanc ſequitur Suar. in ſua met. diſp. 47. *Prima ſententia. Scot. Suar.*

Probatur primò, relatio prædicamentalis pendet ſecundùm ſuum eſſe exiſtentiæ à termino, eſt enim actualis ordo coëxiſtentium, ergo variato termino, & multiplicato numericè, variatur etiam, & multiplicatur numericè, ſeu ſecundùm exiſtentiam ipſa relatio. Cõſequentia probatur, quia ſicut relatio ſpecifica, variato, & multiplicato termino ſpecifico, ipſa 1. *Primum argumentum primæ ſententiæ.*

Digitized by Google

ipſa variatur,& multiplicatur ſpecificè,quia dependet quoad ſuum eſſe eſſentiale ſpecificum , à termino , ita variato , & multiplicato ſecundùm exiſtentiam termino numerico , ipſa etiam variabitur, & multiplicabitur numericè , quia dependet quoad exiſtentiam à termino , eſt enim relatio , vt dictum eſt,actualis ordo coëxiſtentium, ſicut à ſimili variatur motus numericè, variato ſpatio , & variatur viſio,variato obiecto.

2. Secundũ argumentum. Secundò probatur,& eſt confirmatio præcedentis argumenti , vnus effectus non poteſt ſaltem naturaliter dependere à pluribus cauſis totalibus , ſeu adæquatis , nam vna cauſa adæquatè explet indigentiam effectus, non ergo poteſt dependere ab alia cauſa, cùm non indigeat illa; cauſa enim intrinſecè eſt expletiua indigentiæ ; ſupponit igitur indigentiam in effectu;ſed paternitas ſufficienter & adæquatè dependet quoad ſuum eſſe à primo filio, tamquam à termino ; ergo non poteſt dependere à ſecundo filio , tamquam à termino , quare neceſſe eſt,vt ſit alia paternitas numero,quæ terminetur ad ſecundum filium.

3. Tertiũ argumentum. Tertiò probatur, quia ſicut variato termino ſpecifico fit alia perfectio intenſiua , & eſſentialis relationis , ita variato termino numerico debet fieri noua extenſio ad nouum terminum , hæc autem extenſio,cùm ſit ad alterum, non poteſt eſſe niſi relatiua,erit igitur noua relatio ad nouum terminum.

4. Quartũ argumentum. Quartò probatur magis directè , Relatio paternitatis non ſolùm quoad exiſtentiam , ſed etiam quoad terminationem, pendet adæquatè à primo filio, ergo non poteſt præter primum filium alium reſpicere.

Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur dupliciter, Primò, quia poſito primo filio , ſtatim reſultat relatio paternitatis, quæ ſecundùm ſe totam reſpicit primum filium , quia nihil eſt illius relationis paternitatis , quod non terminetur ad hunc primum filium , & nihil eſt in primo filio, vt terminus eſt, qui per talem relationem non reſpiciatur , quare paternitas reſpicit adæquatè primum filium tamquam terminum adæquatum.

Secundò probatur idem Antecedens , quia hæc relatio paternitatis pendet in ſuo produci ab hoc numero termino tantùm,ſcilicet, à primo filio , per hanc numero actionem , tamquam per rationem fundandi , ergo hunc tantùm numero terminum reſpicit. Conſequentia probatur , quia non poteſt plura, neque alia reſpicere, quàm ſit eius ratio fundandi , nam effectus ex communi conſenſu Philoſophorum non poteſt latiùs patere , quàm ſit eius cauſa, ideo enim pater non reſpicit filios omnium hominum,quia generatio, quæ eſt ratio fundandi, non reſpicit illos, ſed hæc actio , quæ eſt ratio fundandi,reſpicit hunc numero filium , ergo paternitas non poteſt reſpicere niſi hunc numero filium. Et confirmatur , quia multiplicato priori , multiplicatur poſterius;ſed ratio fundandi eſt prius, & multiplicatur,quia tot ſunt actiones, quot ſunt filij, ergo etiam multiplicabitur id, quod eſt poſterius,ſcilicet paternitas.

5. Quintũ argumentum. Quintò , ſecundus terminus cum ſecunda ratione fundandi non eſt minùs efficax ad fundandam relationem,quàm erat primus,ergo non eſt cur non fundet.

6. Sextum argumentum. Sextò , variato effectu formali intrinſeco, ſiue ſpecifico,ſiue numerico , variatur forma intrinſeca, ſicut variata numero albedine , variatur hoc numero album ; ſed poſito ſecundo termino numerico, ex. gr. ſecundo filio , variatur effectus formalis in-
A trinſecus paternitatis , quia pater antea ſolùm referebatur ad primum , modò verò refertur intrinſecè ad ſecundum, intrinſecè enim pater denominatur pater reſpectu ſecundi filij,ergo variatur etiam forma intrinſeca paternitatis , ponitur enim actualis ordo de nouo;Et confirmatur , quia pater alio modo reſpicit hunc ſecundum filium , quàm reſpiciebat primum , ergo alio reſpectu relationis, quando enim vna res poteſt ſeparari ab alia , ſunt plures numero,ſed relatio patris ad primum filium , ſeparari poteſt à relatione ad ſecundum filium , quia mortuo primo filio , non remanet ampliùs ordo actualis ad primum filium , cùm tamen remaneat idem ordo actualis, qui erat ad ſecundum,ergo,&c.

B Septimò , ſi daretur eadem numero relatio ad plures terminos, ſequeretur , quòd eadem numero relatio diſſimilitudinis, eodem numero actu intenderetur,& remitteretur;ſit enim album vt ſex,quod ſit diſſimile albo vt quatuor , & albo vt octo , remittatur album vt ſex,& fiat vt quinque , tunc hoc eodem numero actu remittetur diſſimilitudo ad album vt quatuor , & eadem intendetur ad album vt octo. 7.

SECVNDA ET VERIOR SENTENTIA.

C SECVNDA ſententia eſt S. Thomæ 3. p. q. 35. & Caietani hic, & Ferrarienſis 1.contra Gent. c. 4. Soncinnatis 1. met. quæſt. 32. concl. 3. & aliorum Thomiſtarum , aſſerentium vnam numero relationem terminari ad plures terminos numero, & conſequenter non multiplicari numero ad numericam multitudinem terminorum ; & cum hac ſententia videtur mihi dicendum. 8. Verior ſententia & varij modi explicandi illam. S. Thom. Caiet Ferr. Soncinn.

Sunt autem tres modi explicandi hanc ſententiam:Primus modus eſt aliquorum,qui tenent eamdem numero paternitatem , reſpicere plures filios; ſed dicunt hanc paternitatem eſſe quaſi compoſitam ex pluribus partibus quaſi extenſiuis paternitatis ; Sicut, inquiunt, cùm producitur in ſubiecto D nouus calor, vbi eſt alter calor , fit ex vtroque vnus numero calor ; ita ſimiliter , inquiunt, adueniente nouo termino , producitur noua relatio in eodem ſubiecto, vbi eſt altera relatio,& ex vtraque fit vna numero relatio, compoſita ex pluribus partibus relationis.Mouentur iſti Doctores ad hoc dicendum, quia exiſtimant,plura numero accidentia non poſſe eſſe in vno eodémque ſubiecto , putant enim indiuiduari ab indiuiduatione ſubiecti , quare conſequenter concludunt , quòd in eodem patre non poſſunt eſſe plures paternitates diſtinctæ numero circa plures filios ; ſed erit vna paternitas numero compoſita ex pluribus partibus paternitatis , ſicut vnus calor numero componitur ex pluribus gradi- E bus caloris.Circa quem modum explicandi,ſit 9. Primus modus explicãdi ſecũdam ſententiam.

PRIMA concluſio. Hic primus modus explicandi hanc ſententiam non poteſt ſubſiſtere ; nam in calore ideo fit maior intenſio in ordine ad idem ſubiectum , quia calor reſpicit ſubiectum , magis illud perficiendo intenſiuè : At verò paternitas non alio modo afficit ſubiectum , quàm referendo ad terminum ; ſi igitur ſunt plures termini , potiùs dicetur relatio extendi, quàm intendi;quòd ſi admittatur noua extenſio, iam admittenda eſt noua relatio , quia hæc noua extenſio habet hunc proprium, & adæquatum terminum quem reſpicit , ſecundum ſcilicet filium,nulla igitur eſt ratio , cur illæ diuerſæ partes extenſionis vniantur , niſi quia tantùm ſunt 10. Prima concluſio.

Digitized by Google

ſunt in vno ſubiecto, hæc autem vnitas non tollit A multiplicationem numericam, poſſunt enim eſſe plura accidentia in eodem ſubiecto.

11\. Nec obſtat ratio, quæ in oppoſitum allata eſt in hac ſecunda ſententia in primo modo explicandi, quòd ſcilicet plura numero accidentia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, non, inquam, obſtat, quia quicquid ſit accidentibus abſolutis, quæ ſi multiplicarentur, eſſent fruſtra, hoc idem dici non poteſt de accidentibus reſpectiuis, quia ſingula accidentia reſpectiua habent peculiare munus, hæc enim paternitas reſpicit hunc numero filium, illa alium numero filium, ſicut ſimiliter poſſunt eſſe plures numero viſiones in eodem oculo; non enim ſunt fruſtra, quia hac viſione videmus hoc obiectum, & B illa aliud, ſimiliter poſſunt eſſe plures ſpecies intentionales in eodem medio, quarum vna eſt repræſentatiua vnius obiecti, altera alterius.

12\. *Secũdus modus explicãdi ſecũdam ſententiam.* Secundus modus explicandi eſt aliorum, qui dicunt, quòd adueniente nouo termino, v.g. ſecundo filio, corrumpitur prior paternitas, & reſultat alia de nouo perfectior priori, nõ quidem ſpecificè, quia habent eundem terminum formalem, ſed ſecundùm rationem indiuidualem, quia habet pro termino adæquato primum & ſecundum filium, quare vna ſimplex paternitas æquiualet duabus paternitatibus, ſeu duabus extenſionibus, quæ componerent vnam numero paternitatem. Circa quem modum ſit

13\. *Secunda cõcluſio.* Secunda concluſio. Hic ſecũdus modus explicandi mihi videtur probabilis, quia vitat abſurdum, in quod diximus incurrere primum modum explicandi, ponentem plures extenſiones componentes vnam numero paternitatem; Soluit præterea ſatis bene omnia argumenta primæ ſententiæ, quæ ponebat multiplicari numero relationes ad multiplicationem numericam terminorũ; omnia enim illa argumenta probant tantùm, debere reſultare ad multiplicationem terminorum nouam relationem, quæ non eſt neceſſe, vt ſit alia diſtincta numero à præcedenti, reſpiciens tantùm ſecundum nouum terminum, ſed ſatis eſt, vt ſit vna noua relatio perfectior priori, continens virtute priorem; habens D pro termino adæquato vtrumque terminum.

Sed quia hic modus explicandi mihi non videtur eſſe ſancti Thomæ, nec Thomiſtarum, vt patet *S. Thom. Caiet. Ferr.* ex S. Thom. Caiet. & Ferrarienſi, locis citatis, ideo ſit

14\. *Tertia concluſio.* Tertia concluſio. Probabilius eſt, quòd per eandem numero relationem ſimplicem, v. gr. paternitatem, per quam pater refertur ad primum filium, refertur etiam ad ſecundum, & tertium, & reliquos, qui de nouo adueniunt.

Ratio fundamentalis huius concluſionis. Probatur vnica ratione fundamentali, quia poſito primo filio, reſultat relatio paternitatis in patre; quæ perfectè actuat fundamentum patris in eſſe relatiuo patris, ergo poſito alio termino de nouo, non poteſt ampliùs actuare per nouam relationem ad illum terminum. Conſequentia probatur, E quia ſi fundamentum per poſitionem primi filij, reperitur totaliter expletum, ſecundùm eſſe relatiuum paternitatis, ergo non poteſt per poſitionem ſecundi termini, aliquod relatiuum aduenire fundamento ſecundùm eſſe paternitatis, ſicut calidum vt vnum, quamuis habeat virtutem producendi vnum gradum caloris in ligno; ſi tamen inuenit paſſum actuatum vno gradu caloris, non poteſt producere in illo paſſo nouum gradum.

Probatur antecedens tripliciter. Antecedens tripliciter probatur, & quidem ſi ſermo eſſet quòd non poſſit fundamentum habens paternitatem, ampliùs actuari per aduentum ſecundi filij, ſecundùm eſſe ſpecificum relationis, facilè probaretur, quia ſecundus filius non eſt diuerſus ſpecie à primo: At verò quòd non poſſit actuari ſecundùm eſſe numericum, de quo eſt præſens quæſtio, maiorem habet difficultatẽ, & ratio difficultatis eſt, quia prior paternitas non ſe extendebat niſi ad primum filium, requiritur igitur noua extenſio ad ſecundum filium de nouo aduenientem, ſicut patet in aliis formis reſpectiuis, non enim poteſt eadem viſio inuariata, quæ repræſentabat vnum obiectum, repræſentare aliud, nec eadem actio referri poteſt ad plures effectus, nec eſt ſimile de calore vt vnum, quia non eſt forma reſpectiua, ſed abſoluta, quæ vt vnum, perfectè actuat ſubiectum, & ideo ſubiectum, vt ſic, non eſt ampliùs actuabile, præſertim ſi gradus ſint heterogenei.

Verùm his non obſtantibus; probatur Antecedens, tum quia graues Philoſophi, vt habetur apud 15. Vaſq. 1. p. diſput. 5. in formis reſpectiuis non requi- *Vaſq.* runt hanc extenſionem intrinſecam, ſed dicunt ſufficere extrinſecam per poſitionem noui termini, vt patet in potentia, quæ inuariata, extenditur ad plures terminos producendos, & viſio Dei inuariata extenditur ad cognoſcendum futurum, quod poterat non cognoſci, ſi non fuiſſet futurum, & ſpecies Angeli ſecundùm communiorem opinionem Theologorum, quæ repræſentat abſtractiuè obie- C ctum, extenditur ad repræſentandum intuitiuè idem obiectum præſens abſque vlla modificatione intrinſeca, ſed ſolùm extenditur, quia ponitur obiectum ſecundùm eſſe exiſtentiæ, quo poſito ſtatim refertur ad illud per aſſimilationem.

Præterea probatur ſecundò Antecedens, quia etiã ſi concedatur noua & intrinſeca extenſio in aliis formis reſpectiuis, adhuc non eſt neceſſarium hoc concedere in relatione; Et ratio diſparitatis eſt, quia aliæ formæ reſpectiuæ, præter referentiam, exercent aliquod aliud munus circa terminum, & circa ſubiectum, vt viſio non ſolùm refertur ad terminum, ſed repræſentat terminum, & facit vt ſubiectum vitaliter, & totaliter attingat obiectum, & actio ponit tanquam via ipſum terminum in eſſe, & ſic de reliquis, & ideo, quia plures ſunt termini, quos reſpiciunt, dicunt maiorem perfectionem in ſe, & maiorem perfectionem etiam ponunt in ſubiecto, quare huiuſmodi formæ reſpectiuæ, vel debent multiplicari numero ad multiplicationem terminorum, vel prior intrinſecè extendi, vel corrumpi prior, & fieri alia forma perfectior ſecundùm rationem indiuidualem, quæ reſpiciunt vtrumque terminum: At verò, quia relatio prædicamentalis, vt patet ex dictis in quæſtione quinta, non habet aliud munus circa terminum, & ſubiectum, quàm reſpicere terminum ſub pura ratione termini, & ſub hac ratione tantùm referre ſubiectum ad terminum, nec vllam perfectionem realem ponit in ſubiecto, vt diximus in quarta quæſtione; ideo non mirum, ſi eadem numero relatio abſque eo, quòd augeatur intrinſecè, poſſit referre ſubiectum ad plures terminos numero.

Probatur ſecundò antecedens.

Præterea probatur tertiò illud idem Antecedens, 16. quòd ſcilicet paternitas poſito filio primo, ſibi perfectè & adæquatè actuat fundamentum in eſſe relatiuo patris, nam etiam ſi concedatur, quòd requiratur in omnibus formis reſpectiuis noua intrinſeca extenſio, cùm aduenit nouus terminus, vel quòd corrumpatur prior forma, & producatur alia perfectior, ſecundùm rationem indiuiſibilem, quæ adæquatè reſpiciat vtrumque terminum, adhuc dico, quòd per eandem numero paternitatem, per quam

Probatur tertiò illud idem antecedens.

Digitized by Google

quam reſpiciebatur primus filius, reſpicitur etiam ſecundus, & reliqui, quia cùm producitur primus filius, fundamentum eſt potens ad producendum paternitatem ita perfectam ſecundùm rationem indiuidualem, vt non poſſit eſſe perfectior: quare hæc eſt ſufficiens quantùm eſt ex ſe, vt reſpiciat omnes filios, qui poſſunt eſſe ab hoc patre, actu tamen non reſpicit niſi primum, quia alij filij non ſunt præſentes. Et ratio eſt, quia fundamentum eſt perfectius paternitate, quæ eſt minimæ entitatis, poteſt igitur producere paternitatem perfectiſſimã, ſecundùm eſſe paternitatis. Nec obſtat, quòd actio, quæ eſt ratio fundandi, terminetur tantùm ad primum filium, quia ratio fundandi non concurrit actiuè, ſed tantùm vt conditio, determinans fundamentum ad producendum paternitatem, quia paternitas debet reſultare ad terminum exiſtentem, natura enim ipſius relationis conſiſtit, vt dictum eſt, in actuali exercitio referendi; poſito igitur termino exiſtenti, iam fundamentum producit paternitatem quantùm poteſt perfectiſſimam, quia producit naturaliter neceſſariò, & cùm ſit perfectius ipſa relatione, & quaſi in altiori ordine, quia eſt ens abſolutum, producit paternitatem perfectiſſimam in eſſe paternitatis.

17. Quòd ſi inſtes contra hanc tertiam probationẽ, relatio cùm ſit modus, conſiſtit in actuali exercitio, ita vt non poſſit exiſtere, niſi referendo ſubiectum, ergo ſi ex ſe eſt ſufficiens referendi ſubiectum C ad plures terminos, referet illud antequam termini exiſtant.

Reſpondetur verum eſſe, quòd ad hoc, vt reſultet relatio, neceſſe eſt, vt aliquis terminus exiſtat, quia cùm eius natura conſiſtat in actuali exercitio; non poteſt exiſtere, niſi actuet ſubiectum, cùm autem actuat, neceſſariò debet referre, non poteſt autem referre niſi ad terminum exiſtentem, quia relatio eſt ordo coëxiſtentium, at verò non eſt neceſſarium, vt referat ad omnes terminos, quos poteſt reſpicere, hoc enim prouenit ex defectu terminorum, qui non ſunt exiſtentes, ſicut vnio, cùm exiſtit, neceſſariò vnit vnum extremum cum alio extremo exiſtenti, & tamen in homine eſt vna indiuiſibilis vnio, quæ quantùm eſt ex ſe, eſt ſufficiens ad vnien- D dum partes, quæ accreſcunt ex nutrimento, non tamen illas vnit, niſi cùm actu ſunt, & ſpecies intentionalis eſt ſufficiens, quantùm eſt ex ſe ad repræſentandum Angelo obiectum exiſtens; non autem repræſentat, quando non eſt exiſtens, ex defectu termini.

18. Quòd ſi inſtes ſecundò, contra eamdem tertiam probationem, illa paternitas deberet eſſe infinita, quia quantùm eſt ex ſe, eſt ſufficiens ad reſpiciendum filios, qui in infinitum poſſunt produci ab hoc patre, ſi hic pater conſeruaretur per totam æternitatem à Deo.

Reſpondetur primò, quod naturaliter non re- E ſpicit filios infinitos. Secundò reſpondetur, quòd nihil obſtat reſpicere terminos infinitos, vel quia, vt dictum eſt, non requiritur maior perfectio in relatione ad reſpiciendum plures terminos; vel ſi requiritur, tunc illa paternitas eſt vna ſimplex ratio ita perfecta ſecundùm indiuiduam ſuam rationem, vt æquipolleat infinitis paternitatibus diſtinctis numero; ſicut à ſimili, vna cognitio Angelica, ſeu ſpecies, eſt ita perfecta ſecundùm eſſentiam, vt æquipolleat infinitis cognitionibus, ſeu ſpeciebus humanis, per illam enim vnam cognitionem, ſeu ſpeciem Angelicam, repræſentantur abſtractiuè infinita ſingularia ſub vna natura ſpecifica, quæ com- A prehenſiuè cognoſcitur ab Angelo, quæ tamen infinita ſingularia non poſſunt repræſentari niſi per infinitas cognitiones, ſeu ſpecies humanas.

19. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra tertiam concluſionem. Ad primum & ſecũdum.

AD argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt præcipuè contra tertiam concluſionem, reſpondetur, & ad primum, & ad ſecundum dicitur, quòd relatio duobus modis pẽdet à termino, vel quoad terminationem, vel quoad ſuam exiſtentiam, tanquã ex conditione, quia non poteſt eſſe ſine termino; Si primo modo, dicendum eſt, quòd inadæquatè dependet ab vno termino; quare ſicut materia prima non variatur ad multiplicationem formarum, etiamſi formæ diſtinguantur ſpecie, quia adæquatè reſpicit omnes formas, ita nec relatio variatur ſecundùm eſſe nu- B mericum ad multiplicationem diuerſorũ terminorum numero, quia omnes reſpicit adæquatè, vt fuſiùs dicetur in reſponſione ad quartum; Si verò ſermo eſt de dependentiâ relationis à termino ſecundo modo, quoad, ſcilicet, exiſtentiam à termino, & hunc ſecundum modum petit argumentum, tunc dicendum eſt, quòd adæquatè dependet ab vno termino, cùm verò accedit ſecundus terminus, iam inuenit indigentiam relationis adæquatè expletam à primo termino, ideo non concurrit ad exiſtentiam, ſed ad terminationem tantùm, quæ non erat adæquatè expleta per primum terminum: vel ſecundò dicendum, quòd tunc partialiter concurrit primus, & ſecundus terminus: vel tertiò, Deus tanquam auctor naturæ determinat, qui terminus debeat concurrere tanquam conditio, ſicut etiam ipſe determinat, cùm ſimul concurrunt plures cauſæ, ſicut à ſimili ad productionem ignis poteſt concurrere totaliter calor vt octo, qui eſt in agente, & calor vt octo, qui eſt paſſo; vel ergo concurrunt partialiter, vel Deus ab æterno determinauit, quis illorum debeat concurrere.

20. Ad tertium. Ad quartũ.

Ad tertium patet ex dictis in tertia concluſione.

Ad quartum reſpondetur negando, primum filium eſſe terminum adæquatum, terminus enim adæquatus paternitatis, eſt omnis filius, qui eſt à tali patre, quilibet igitur filius eſt terminus inadæquatus.

Ad primam autem probationem Antecedentis, cùm dicitur, quòd paternitas ſecundùm ſe totam reſpicit primum filium, quia nihil eſt illius paternitatis, quod non terminetur ad illum primum filium: Reſpondetur, quòd tantùm probat, paternitatem ſecundùm ſe totam terminari ad primum filium, non autem totaliter, poteſt tamen primus filius, antequam ſit ſecundus, dici terminus adæquatus in hoc ſenſu, quatenus ſolus ipſe eſt, qui ſecundùm exiſtentiam actu terminat totam paternitatem ſecundùm ſe totam, quamuis non ſit adæquatus ſecundùm eſſentiam; quia ſi ſpectetur paternitas ſecundùm eſſentiam, poteſt eadem numero reſpicere alios filios, ſi ponantur ſecundùm exiſtentiam.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, verum eſſe, quòd relatio non poteſt latiùs patere, quàm ſit ſua cauſa; ſed cauſa effectiua relationis non eſt ratio fundandi, ſed fundamentum, ratio enim fundandi ſolùm eſt conditio determinans fundamentum ad producendum paternitatem; eadem autem paternitas producta ex ſe, eſt ſufficiens ad extendendum ſe ad omnes filios, vt ſuprà probatum eſt. Ad confirmationem reſpondetur, quòd tunc multiplicato priori, multiplicatur poſterius, quando id, quod eſt poſterius, non inuenitur primò productum per aliam rationem priorem.

21. Ad quintũ.

Ad quintum reſpondetur ex Caietano loco citato,

Digitized by Google

Caiet. tato, quod ſecundus filius cum noua ratione fundamenti, eſt ex ſe ſufficiens ad fundandam relationem paternitatis, non autem fundat, quia inuenit iam paternitatem productam, & expletam capacitatem fundamenti per primam paternitatem.

22. *Ad ſextum.* Ad ſextum reſpondetur, quòd poſito ſecundo filio, tota mutatio de nouo eſt in termino, & non in forma relatiua, quia prior forma relatiua paternitatis erat ſufficiens, vt poſito ſecundo filio, referretur formaliter à parte rei ad ſecundum filium. Et ad confirmationem reſpondetur ex S.Thom.3.part. quæſt.35. art.5. ad 3. quòd ſunt diuerſi reſpectus ſecundùm rationem ad diuerſos filios, quia pluralitas terminorum, præbet occaſionem diſtinguendi diuerſos reſpectus. (S.Thom.)

23. *Ad ſeptimũ.* Ad ſeptimum reſpondetur concedendo, quòd mortuo primo filio, non tollatur relatio realis, quæ conſeruatur per ſecundum filium, ſed tantùm tollatur terminatio in actu ſecundo ad primum filium; ad conſeruandam enim relationem realem paternitatis, ſufficit vnus filius, vt dictum eſt.

24. *Ad octauũ.* Ad octauum, hoc argumentum petit illam quæſtionem, an relatio ſuſcipiat magis, & minus; de qua mox infrà erit diſputatio.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Vtrùm Relatio ſuſcipiat magis, & minus.

1. *Prima ſententia.* PRIMA ſententia aſſerit relationem non ſuſcipere magis, & minus; hanc tenent illi, qui exiſtimant relationem multiplicari ad multiplicationem terminorum. Probatur, quia illud dicitur formaliter intendi, & remitti, quod idem ſecundùm ſuam entitatem manens remittitur, vel intenditur ſecundùm partes graduales illius entitatis.

Sed tenendo opinionem, quòd relatio multiplicatur numero ad multiplicationem terminorum, non poteſt relatio eadem manens intendi, ſuſcipiendo aliquid relationis de nouo, ſed fiet alia noua relatio diſtincta numero à priori, nec poteſt eadem relatio remitti perdendo aliquid de veteri relatione; cùm enim fit aliqua mutatio in fundamento, vel termino, tunc ſecundùm hanc opinionem perit prior relatio, & aduenit de nouo alia relatio, diſtincta numero à priori, ex. gr. cùm album vt ſex, fit album vt quinque, dicunt, quòd poſita hac mutatione in fundamento, iam perit prior diſſimilitudo, quam habebat album vt ſex, ad album vt quatuor, & fit alia de nouo numero diſtincta, quam habet album, vt quinque, ad album vt quatuor, non igitur eadem manens acquirit, vel deperdit aliquas partes eiuſdem entitatis, quod eſt de intrinſeco conceptu intenſionis, vel remiſſionis.

Solùm igitur quæſtio agitari poteſt inter auctores noſtræ ſententiæ, ſecundùm quam tenemus relationem non multiplicari ad multiplicationem terminorum, ſed remanere eandem numero etiam variatis terminis.

2. *Secũda ſententia. Simplic. Alb. Tolet. Ariſt.* SECVNDA igitur ſententia inter iſtos auctores eſt aliquorum apud Simplicium, & Alb. in cap. Ad aliquid, & Toleti, aſſerentium relationem intrinſecè, & formaliter ſuſcipere magis, & minus, ſecundùm gradus, ſicut ſuſcipit calor. Probatur primò ex Ariſt. qui proprium dixit eſſe aliquorum relatiuorum ſuſcipere magis & minus; dicitur enim hoc eſſe magis, vel minus ſimile, vel diſſimile, vel inæquale, quàm alterum.

Quòd autem hoc non ſit denominatio tantùm extrinſeca à fundamento, probatur, tum quia aliquando fundamentum remittitur, & augetur diſſimilitudo, ſi enim remittatur album vt ſex, & fiet vt quinque, tunc augebitur diſſimilitudo ad album vt octo: tum quia quantitas tripalmaris eſt magis inæqualis palmari, quàm bipalmari, & tamen quantitas, quod eſt fundamentum, non ſuſcipit magis, & minus.

PRIMA concluſio. Relatio intrinſecè, & formaliter non ſuſcipit magis, & minus, ſed ad ſummum in aliquibus relationibus extrinſecè, & fundamentaliter per mutationem, ſcilicet, factam in fundamento, vel termino; Ratio eſt, quia ſi teneatur, quòd relatio intrinſecè, & formaliter ſuſcipiat incrementum, & decrementum, ſequeretur, quòd vt bene arguebatur in vltimo argumento præcedentis quæſtionis, eadem numero relatio eodem numero actu ſimul intenderetur, & remitteretur; Sit enim album, vt ſex, diſſimile quoad gradus intenſionis, albo vt quatuor, & albo vt octo, ſi remittatur album vt ſex, & fiat vt quinque; tunc eodem actu remiſſionis, eadem numero diſſimilitudo remittetur penes album vt quatuor, & intendetur penes album vt octo; quare ad ſoluendum hoc argumentum, vel debet dici, quòd relatio diſſimilitudinis multiplicetur ad multiplicationem terminorum, quod in ſuperiori quæſtione confutatum eſt; vel dicendum, quòd diſſimilitudo intendatur, & remittatur, & quidem non formaliter, propter argumentum factum, ergo fundamentaliter. 3. *Prima concluſio.*

Sed quæres hîc vnum, an detur magis, vel minus æquale, vel magis, vel minus ſimile, ſaltem fundamentaliter, ſicut datur magis, & minus inæquale, & diſſimile ſaltem fundamentaliter. Reſpondeo, & ſit

SECVNDA concluſio. Certum eſt in relatione æqualitatis non poſſe dari exceſſum, & defectum, nec formaliter, nec fundamentaliter; Ratio eſt, quia æqualitas conſiſtit in indiuiſibili, ſi enim à duobus æqualibus, quid minimum detrahatur, iam ſunt inæqualia; Nec obſtat Ariſtoteles, qui dicit, æquale magis, vel minus dici; æqualia enim vocat ea, quæ parum diſtant ſecundùm communem conceptum, nam vt dicitur 2.phyſic.tex.56. parum tanquam nihil diſtare videtur. 4. *Secunda concluſio.*

De ſimilitudine verò maior eſt difficultas, dico tamen ſimiliter, & ſit

TERTIA concluſio, quòd in relatione ſimilitudinis non poteſt dari exceſſus, & defectus, nec formaliter, vt in vniuerſum de omni relatione probatum eſt in prima concluſione, nec fundamentaliter, quia ſimilitudo ſecundùm rationem fundamenti conſiſtit in indiuiſibili, ſicut dictum eſt de æqualitate. 5. *Tertia concluſio.*

Probatur, quia ſimilitudo dicit duo, & quòd ſit identitas in entitate, & quòd ſit conuenientia in gradu; Et quidem certum eſt, quòd ſemper remanet eadem entitas, quia alioquin non daretur intenſio & remiſſio; ſupponit enim intẽſio & remiſſio eamdem identitatem ſpecificam & numericam. Quantùm verò ad gradus, ſi retinent duæ qualitates eoſdem gradus, iam in illis ſunt ſimiles, ſi non retinent, iam ſunt diſſimiles; tollitur igitur omnino ſimilitudo.

Probatur ſecundò, ſint duo alba vt quatuor (A) & (B) & conſequenter ſimilia vt quatuor; intendatur album (A) vt duo, & fiat vt ſex, iam per te erit ſimile albo (B) vt duo, quia ſicut antea erant ſimilia, vt quatuor, quia vtrumque erat album, vt quatuor, 6.

Digitized by Google

tuor, ita quia modò in eſſe albo facta ſunt minùs, A conuenientia erunt etiam vt duo, ſcilicet, vt duo, minùs ſimilia; Rurſus album (A.) quod factum eſt album vt ſex, intendatur vlteriùs, & fiat album vt octo, tunc decreſcet ſimilitudo per duos alios gradus, ex quo ſequitur, quòd inter album vt octo, & album vt duo, non ſit ampliùs ſimilitudo. Idem igitur poteſt dici, quòd nec ſit ſimilitudo inter album vt ſex, & album vt quatuor, nam ſi per te ideo datur ſimilitudo inter album vt ſex, & album vt quatuor, quia eſt conuenientia in qualitate, & etiam aliquo modo in gradu, quia in albo vt ſex, ſunt etiam quatuor gradus, ſicut ſunt in albo vt quatuor, eadem ratione etiam inter album vt octo, & album vt duo, deberet eſſe ſimilitudo, quia conueniunt in qualitate, & in gradu; nam in albo vt octo, ſunt B etiam gradus vt duo; ſed iam probatum eſt, quòd inter album vt octo, & album vt duo, non eſt ſimilitudo, ſed diſſimilitudo, ergo nec erit ſimilitudo inter album vt ſex, & album vt quatuor.

7. Obiicies primò, ſint duo alba vt quatuor, ſi vnum album fiat vt ſex, adhuc ſunt ſimilia, quia conueniunt in identitate, & vtrumque habet quatuor gradus albedinis, & tamen non ſunt ſimilia, ergo ſimilitudo ſuſcipit magis & minùs, ſaltem ratione fundamenti.

Reſpondeo, quòd iam facta ſunt diſſimilia, & ideo facta mutatione in fundamento corrumpitur ſimilitudo, quæ conſiſtebat in indiuiſibili, & conſurgit diſſimilitudo, ſicut cùm quantitati fit additio, C oritur inæqualitas inter illa duo quanta.

Quòd ſi inſtes, eſt conuenientia in eadem qualitate, ergo eſt ſimilitudo.

Reſpondetur, quòd remanet relatio identitatis, quæ eſt inter qualitates eiuſdem ſpeciei, non autem remanet ſimilitudo ſecundùm gradus, ſicut inter duas quantitates inæquales, remanet identitas ſecundùm rationem eamdem ſpecificam quantitatis, non tamen eſt æqualitas ſecundùm partes.

8. Obiicies ſecundò, ſi ſint duo alba vt quatuor, & duo alba vt octo, magis ſimilia erunt duo alba vt octo, quàm duo alba vt quatuor, ergo ſaltem in iſto caſu ſimilitudo ſuſcipiet magis, & minùs, ſaltem fundamentaliter. Antecedens probatur, nam perfe- D ctior eſt ſimilitudo inter duo alba, vt octo, quàm inter duo alba vt quatuor; ſicut enim duæ qualitates vt octo, ſunt perfectiores intra eamdem ſpeciem, quàm duæ qualitates vt quatuor, ita etiam perfectior ſimilitudo conſurget inter duo alba vt octo, quàm inter duo alba vt quatuor.

Reſpondetur quòd fortè in hoc exemplo poteſt concedi maior ſimilitudo inter duo alba vt octo, quia nulla intercedit diſſimilitudo; probabiliùs tamen exiſtimo oppoſitum, nam quamuis ſit maior perfectio in intenſione qualitatis, non tamen eſt maior perfectio in ratione ſimilitudinis; ſicut maior perfectio extenſiua eſt inter duo quadripalma- E ria, quàm inter duo bipalmaria, non tamen propterea eſt maior æqualitas inter duo quadripalmaria, quàm inter duo bipalmaria; nec ratio dupli, vt bene dixit Ariſtoteles, eſt magis dupla inter duo, & (Ariſt.) quatuor, quàm inter decem, & quinque, quamuis quinque, & decem, ſecundùm numerum dicant aliquo modo perfectionem maiorem, quàm duo, & quatuor.

9. (Reſpōſio ad argumentū primæ ſententiæ quod eſt contra primam cōcluſionem.) Ad argumentum primæ ſententiæ, quæ eſt contra primam concluſionem, reſpondetur non militare contra nos, qui tenemus eamdem numero entitatem relationis reſpicere plures terminos, quia ſecundùm hanc opinionem poteſt eadem entitas manens eadem numero ſuſcipere magis, & minus, ſaltem fundamentaliter.

10. (Ad argumēta ſecundæ ſententiæ cōtra eamdem concluſionem.) Ad argumenta verò ſecundæ ſententiæ, per quæ probatur relationem ſuſcipere magis, & minus, non ſolùm fundamentaliter, ſed etiam intrinſecè, & formaliter, reſpondetur, & ad primum dicitur, (Ad primum.) Ariſtotelem loqui de intenſione, & remiſſione, quæ eſt in relatiuis extrinſecè, & fundamentaliter.

11. (Ad ſecundū.) Ad ſecundum, quamuis fundamentum remittatur, tamen ex remiſſione facta in fundamento, excreſcit terminus abſolutus ſupra fundamentum; nam cùm album vt ſex, fit vt quinque, tunc terminus, qui erat vt octo, maiorem exceſſum habet ſupra quinque, quàm habebat ſuper ſex, & conſequenter maiorem diſtantiam, & diſconuenientiam, & ideo non mirum, ſi ex remiſſione fundamenti præbeatur occaſio intellectui, vt verè poſſit concipere diſſimilitudinem maiorem, non quidem quòd diſſimilitudo formaliter intendatur, ſeu remittatur, ſed quòd ſit maior & minor ratione tantùm fundamenti.

12. (Ad tertium.) Ad tertium reſpondetur, quòd quamuis quantitas non ſuſcipiat magis, & minus, quia tamen vna eſt maior altera extenſiuè, in qua fundatur inæqualitas, poteſt eſſe fundamentum, vt poſſit intellectus concipere maiorem inæqualitatē, ſi enim ſecundùm opinionē aduerſariorum, quando augetur quantitas, reſultat maior inæqualitas formaliter, & intrinſecè, cur etiam non poteſt reſultare maior inæqualitas extrinſecè ratione fundamenti.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Quæ diſtinctio requiratur inter relationem & terminum relationis.

PRO explicatione huius quæſtionis pono duas dubitationes.

Prima eſt de variis modis diſtinctionum.

Secunda, qui modi fundent relationem realem.

PRIMA DVBITATIO.

De variis modis diſtinctionum.

CIRCA primam dubitationem ſit

1. (Prima dubitatio. Prima concluſio.) PRIMA concluſio. Duplex eſt diſtinctio, altera actualis à parte rei, altera rationis, vt licet videre apud Erueum in tract. de relat. quæſt. 1. ar. 1. & Soncinnatem 7. met. quæſt. 3. Caiet. p. 1. quæſt. 3. art. 3. Durandum in 1. diſt. 2. quæſt. 2. & diſtin. 33. quæſt. 1. Scot. in 1. diſt. 8. & in ſuis formal. Bulifer. epit. formalit. Tromb. Achil. & alios, in propriis tract. de hac materia. (Eru. Sonc. Caiet. Dur. Scot Bulif. Tromb. Achil.)

Hanc duplicem diuiſionem diſtinctionis probat Erueus, quia inter hæc duo membra diuidentia non datur medium, ſunt enim contradictoria, Quæcunque enim diſtinguuntur, vel diſtinguuntur per operationem intellectus; & hæc eſt diſtinctio rationis; vel non per operationem intellectus, & hæc eſt diſtinctio à parte rei.

Argumenta, quæ contra hanc diuiſionem fieri ſolent, probant ſolùm, dari medium inter diſtinctionem rationis, & diſtinctionem realem, per quam duo diſtinguuntur, ſicut res, & res, quod quidem facilè conceditur, datur enim inter hæc duo membra diuiſionis medium, diſtinctio, ſcilicet, formalis, ſeu modalis; per quam res diſtinguitur à ſuo modo, ſicut calor à ſua intenſione; non autem propterea

diuiſio non eſt bona, vniuerſaliùs enim accipimus membrum illud diuidens, (ſcilicet, à parte rei,) ita vt complectatur omnem diſtinctionem, quæ non fit per operationem intellectus, & hoc modo illa duo membra diuidentia, includunt omnes alios modos diſtinctionum.

2. *Secunda cõcluſio. Primùm genus diſtinctionis rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ.*

Secvnda concluſio. Circa primum genus diſtinctionis, quod fit per rationem. Dicendum eſt, diſtinctionem rationis eſſe duplicem: alteram ratiocinantis, alteram ratiocinatæ.

Ratiocinantis eſt illa, quæ conuenit rebus, vt ſunt obiectiuè in intellectu, ita vt in extremis, quæ diſtinguuntur, ſemper concipiatur aliquod ens fabricatum ab intellectu, ex. gr. ratio cogniti, ratio ſubiecti prædicati: poteſt enim intellectus applicare eidem rei duo entia rationis diſtincta, & vt ſic, res eadem, putà Petrus, quatenus ſtat ſub vno ente rationis, putà ſubiecti, diſtinguitur à ſeipſo, vt ſtat ſub alia ratione prædicati, vt cùm dicitur (Petrus eſt Petrus) & ita in ſimilibus. Et contra hanc diſtinctionem hoc modo explicatam ceſſant argumenta Nominalium, non enim dicimus, Petrum differre à ſeipſo ſecundùm ſubſtantiam, ſed à ſeipſo vt cognito, ita vt extrema quæ diſtinguuntur ſint entia rationis.

Quòd ſi inſtetur, ergo Petrus non differt à ſeipſo, ſed potiùs ens rationis, quod affigitur Petro, differt ab alio ente rationis, quod eidem affigitur: Reſpondetur, totum eſſe verum, ſed dicimus, Petrum differre à ſeipſo, quatenus illa entia rationis ſunt concreta in Petro.

3. *S. Thom. Capreol.*

Diſtinctio verò rationis ratiocinatæ, vt colligitur ex S. Thom. quæſt. 1. art. 3. & clariùs ex Capreolo in 1. diſtinct. 8. quæſt. 3. eſt illa, quæ in extremis diſtinctis per intellectum, ſupponit, entitatem ipſorum extremorum eſſe à parte rei, diſtinctionem autem inter illa extrema facit intellectus: eſt enim in illa re plenitudo fundamentalis, ita vt intellectus, vel non poſſit adæquatè illam concipere vnico conceptu, propter ipſius rei perfectionem, & ideo format plures conceptus; & diſtinguit in illa re ſimplici duo extrema, cùm tamen ſit vna res, quæ tota correſpondet vnico conceptui, ſed non totaliter: vel quamuis adæquatè concipiat rem, cognoſcit tamen eſſe formabiles de illa plures conceptus: Ad cognoſcendam autem hanc diſtinctionem rationis ratiocinatæ ſecundùm Nominales, ſignum eſt, quando de vno extremo poteſt affirmari aliquid cum reduplicatione, & non de alio, dummodo id, quod reduplicatur, non ſit ens fabricatum ab intellectu, ſed ſit à parte rei, ex. gr. cùm dicitur (Deus vt intelligens neceſſariò cognoſcit omnia) non vt volens.

4. Differt igitur diſtinctio rationis ratiocinantis à ratiocinata; quia in ratiocinante, intellectus facit extrema, & diſtinctionem, nam extrema ſunt entia rationis, vt dictum eſt, & conſequenter diſtinctio etiam inter illa eſt rationis. At verò in ratiocinata intellectus inuenit rem, cuilibet enim conceptui reſpondet aliquid, quod verè eſt à parte rei, & tantùm intellectus facit diſtinctionem, & pluralitatem, ſicut in Deo, verè eſt intellectus; & voluntas, ſunt tamen vna res: Intellectus igitur creatus, quia non poteſt intelligere adæquatè Deum, vt eſt, concipit ſub vno conceptu ipſum intellectum, qui verè à parte rei eſt in Deo, & ſub alio voluntatem, quæ etiam à parte rei eſt in Deo, & ita diſtinguit.

Et cùm obiicitur à Scotiſtis, ſequeretur, quòd erraret intellectus concipiendo, vt plura, id quod eſt vnum. Reſpondeo, non errare, quia dum concipit

A vnum non concepto alio, non affirmat, ſed tantùm abſtrahit negatiuè, ſicut viſus non errat dum cognoſcit colorem, non cognoſcendo ſaporem.

Tertia concluſio circa ſecundum genus diſtinctionis à parte rei. Dicendum eſt, quòd quamuis à Thomiſtis vnica tantùm detur, ſcilicet, realis, ſub qua comprehenduntur omnes aliæ, quæ aſſignantur à Scotiſtis: Vt tamen diſtinctiùs procedamus, diuidimus diſtinctionem à parte rei in quatuor membra. Primò, in realem propriè dictam: Secundò, in diſtinctionem ſe totis ſubiectiuè: Tertiò in diſtinctionem ſe totis obiectiuè: Quartò in eam, quæ à Scotiſtis dicitur ex natura rei. 5.

Tertia concluſio. Secundum genus diſtinctionis quod eſt à parte rei.

B Realis eſt illa, quæ eſt inter rem, & rem: ſignum autem diſtinctionis realis eſt, cùm extrema diſtinctionis poſſunt ſaltem per potentiam Dei ſeparatim exiſtere, ita vt valeat argumentari non ſolùm affirmatiuè, ſed etiam negatiuè, ex. gr. cùm ſic argumentamur; poſſunt albedo, & ſubiectum ſeparari, ita vt ſeparatim exiſtant, ergo diſtinguuntur realiter: Negatiuè, ex. gr. actio non poteſt à motu ſeparari, ita vt ſeparatim exiſtat, ergo non diſtinguitur realiter à motu.

Diſtinctio realis quæ ſit.

Sed aduertendum eſt ex Capreolo in 1. diſt. 5. quæſt. 3. & diſtin. 8. quæſt. 1. ad 8. & Tromb. in ſuis formalit. quòd hoc ſignum negatiuè debet intelligi, dummodo vnum extremum non dependeat ab

Capreol. Tromb.

C alio, quæ quidem dependentia intelligenda eſt maximè tunc, quàndo vnum eſſentialiter dependet ab alio, ſicut relatiuum à ſuo correlatiuo; Ex his infero, quòd qui tenent totum non diſtingui realiter à partibus contra Thomiſtas, non bene probant ex hoc præciſè, quià totum non poteſt ſeparari à partibus, nam poſſet reſponderi, quòd eſt dependentia eſſentialis totius à partibus, aliunde igitur probari debet totum non diſtingui realiter à partibus.

Secundò infero, non bene probari contra Thomiſtas, potentiam vitalem non diſtingui realiter ab anima, ex eo, quòd non poſſit ſeparari ab anima, poſſent enim dicere Thomiſtæ quòd ideo non poſſunt ſeparari, quia dicunt dependentiam ab anima tànquam à principio vitæ.

D Qvarta concluſio circa tertium genus diſtinctionis, nempe ſe totis ſubiectiuè; quod appellari ſolet ab aliquibus diſtinctio ſuppoſitalis. Dicendum eſt, quòd hæc diſtinctio differt à reali in hoc, quòd diſtinctio ſe totis ſubiectiuè requirit in extremis exiſtentiam ſeorſim, id eſt, non vnitam in eodem ſubiecto, vel ſuppoſito, vt ſunt duo indiuidua ſaltem eiuſdem ſpeciei ſubſtantialis, vel etiam accidentalis, ſi ſupponamus accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſe eſſe plura in eodem ſubiecto: at verò diſtinctio realis ſupponit quidem, extrema habere exiſtentiam ſeu realitatem diſtinctam, ſed eſſe idem per identitatem ſubiectiuam, quatenus ſunt in eodem ſubiecto per modum informantis, vt albedo, & dulcedo in eodem pomo; vel per modum informabilis, vt ſubiectum, & accidens, vnde non quæcunque diſtinguuntur realiter, diſtinguuntur ſubiectiuè; nam perſonæ diuinæ diſtinguuntur realiter, non tamen diſtinguuntur ſubiectiuè, ſunt enim idem in eſſentia, & ſi non per informationem, ſaltem per identitatem. 6.

Quarta cõcluſio. Tertiũ genus diſtinctionis, id eſt, ſe totis ſubiectiuè.

Qvinta concluſio circa quartum genus diſtinctionis, quòd eſt ſe totis obiectiuè. Dicendum eſt, quòd hæc diſtinctio differt à diſtinctione ſe totis ſubiectiuè, quia diſtinctio obiectiua dicit extrema, quæ non conueniunt in aliquo conceptu communi tranſcendentali, ſaltem analogico, huiuſmodi ſunt 7.

Quinta cõcluſio. Quartũ genus diſtinctionis, id eſt, ſe totis obiectiuè.

ens

ens reale,& negatio; & in doctrina Scoti ſunt paſſiones entis,ſeu duæ differentiæ vltimæ;nam ſecundùm Scotum paſſio entis non eſt ens,& etiam differentiæ vltimæ non conueniunt in aliquo communi.

8. Sexta cõcluſio. Quintum genus diſtinctionis quod eſt ex natura rei.

Sexta concluſio circa quintum genus diſtinctionis,quod eſt ex natura rei. Dicendum eſt, hanc diſtinctionem eſſe mediam inter diſtinctionem realem, & rationis ratiocinatæ; differt quidem à reali,& multò magis à diſtinctione ſe totis obiectiue, & ſubiectiuè, nam extrema in hac diſtinctione non differunt ſicut res à re, ita vt poſſint ſaltem per Dei potentiam ſeparatim exiſtere; differt etiam à diſtinctione rationis ratiocinatæ, quia vnum extremum poteſt exiſtere ſine alio, ergo ſignum eſt euidens, quòd eſt diſtinctio actualis a parte rei, ex regula tradita ab Ariſt. 7. topic. cap. 1. loco 15. & 7. in fine, vbi ex hac regula colligit, carnem eſſe aliquid diſtinctum ab elementis, ex quibus componitur; quia hæc manere poſſunt ſine carne, caro autem non ſine illis; & hoc modo hanc regulam explicant grauiores Peripatetici, Alex. Auerr. & S.Thom. in 7.topic.Scot.diſt.1.quæſt 5.& in 3.diſtinct.8. quæſt. 1. Durand. in 1. diſtinct. 30. quæſt. 2. & Auguſtinus 7.de Trinit.cap.9.vbi ex hac regula colligit,magnitudinem diſtingui à figura, huiuſmodi autem non eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, vt ſuprà explicuimus.

Ariſt.

Alex. Auer. S.Thom. Scot. Dur. Auguſt.

Quare non videtur bene Scotiſtas ſuprà citatos, regulam, ad diſcernendam diſtinctionem ex natura rei,aſſignare eam, quando extrema ita differunt,vt de illis verificari non poſſint contradictoria, nam, vt ſuprà oſtendimus, ad hoc ſufficit diſtinctio rationis ratiocinatæ, cum fundamento in re: Regula igitur ex Ariſtotele & philoſophis citatis, illa eſt, quando vnum poteſt exiſtere ſine alio, non autem poteſt ſeparatim exiſtere vtrumque; per primum differt à diſtinctione rationis ratiocinatæ, per ſecundum à reali; exemplum eſt in figura, & quantitate,& in motu locali,& mobili.

9. Verùm alij recentiores concedunt quidem, diſtinctionem ex natura rei, differre à diſtinctione rationis ratiocinatæ, ex regula allata ex Ariſtotele, quatenus vnum poteſt exiſtere remanente alio, ſed dicunt, hoc prouenire tantùm ex aliquo extrinſeco connotato,quod deperditur, non autem ex eo,quia deperditur modus, quem dicunt eſſe omnino idem cum re,cuius eſt modus; conuenit igitur ſecundùm iſtos diſtinctio ex natura rei, cum diſtinctione rationis ratiocinatæ, quia quantùm ad id quod eſt reale à parte rei, non poteſt vnum deperdi ſine alio propter identitatem; differt autem,quia diſtinctio ex natura rei connotat extrinſecum, quod poteſt aliquando deperdi, quod non connotat diſtinctio rationis ratiocinatæ:Quare,inquiunt, in diſtinctione ex natura rei, eadem res ſimplex concipitur diuerſo conceptu,in ordine ad diuerſum connotatum reale,vel rationis.

Probant autem hoc primò exemplis illis, in quibus communiter dicitur vnum diſtingui ab alio ex natura rei, ex.gr. Quantitas ideo differt à modo inhærendi, quia in conceptu inhærendi concipitur quantitas, & inſuper ſubiectum, cui ineſt, quod nullo modo concipitur in conceptu quantitatis ſecundùm ſe; Idem eſt de diſtinctione albedinis à ſimilitudine, quia ſimilitudo in ſuo conceptu includit terminum; albedo verò non; Similiter ens, & vnum, ideo differunt ex natura rei, quia in conceptu vnius, connotatur ens rationis, quod eſt negatio,& non in conceptu entis:Idem eſt de figura, & quantitate, nam figura connotat ſpatium extrinſecum,quod non connotat quantitas.

In his igitur exemplis, inquiunt, dicitur vnum deperdi manente altero, ex ablatione tantùm connotati, ſicut dicitur deperdi in Euchariſtia modum inhærendi in quantitate, per remotionem ſubiecti, & amitti ſimilitudinem manente albedine, ex ablatione tantùm termini connotati, & variari figuram manente quantitate ex variatione ſpatij, & ſic de aliis.

Secundò probant, quia ſi daretur inter hæc extrema actualis diſtinctio, ſequeretur quòd hæc diſtinctio eſſet realis, & non ex natura rei. Sequelam probant, quia ſi extrema diſtinguuntur actualiter ſecundùm ſe intrinſecè, haberent proprias exiſtentias, ergo non poſſet aſſignari ratio, cur per potentiam diuinam, ſaltem abſolutam, non poſſint conſeruari in eſſe:& ſi aliqua eſt dependentia vnius eſſe ab alio, non videtur cur non poſſit hæc dependentia per diuinam potentiam ſuppleri, ſicut ſuppletur dependentia accidentis à ſubiecto in Euchariſtia.

Sed hic modus dicendi, quamuis acutus ſit, & defendi poſſit, tamen probabiliùs videtur dicendum,diſtinctionem ex natura rei, dicere diſtinctionem actualem extremorum inter ſe, etiam nullo alio extrinſeco connotato; nam motus localis ſecundùm veriorem opinionem eſt aliquid reale,quia ad illud requiritur nouus conatus, hic autem non poteſt identificari cum mobili, ita vt fiat à parte rei vna res ſimplex,quia motus localis de nouo incipit; diſtinguitur igitur à mobili à parte rei, & non realiter,quia non eſt res,ſed modus ipſius mobilis, aliter ſe habentis circa ſpatium, ac propterea non poteſt per diuinam potentiam ſeparatim exiſtere; non igitur eſt verum, quòd cùm motus deſinit, deſinat tantùm reſpectu connotati, & quòd cùm concipitur, concipiatur diuerſo conceptu in ordine ad connotatum tantùm, & ſic dicendum de reliquis modis, præſertim de illis, qui eſſentialiter conſiſtunt in exercitio, ſicut eſt Vbi, & vnio, eſt enim Vbi actualis coniunctio mobilis cum ſpatio, & vnio eſt actualis nexus duorum, non autem poteſt concipi eſſe actualem nexum, & non actu vnire, non poſſunt igitur iſti modi intrinſecè remanere.

Ad argumenta autem in oppoſitum facilè reſpondetur;ad primum quidem patet ex dictis. 10.

Ad ſecundum reſpondent primò aliqui, negando eſſe plures exiſtentias, ſed tantùm eſſe vnam vtriuſque extremi exiſtentiam, & ideo, inquiunt, aliud extremum non poteſt ſeparatim exiſtere. Sed hæc reſponſio impugnatur à quibuſdam recentioribus, quia ſequeretur, inquiunt, illud accidens, quod ex natura rei diſtinguitur à ſubſtantia, ſubſiſtere, quia exiſteret ſaltem ſecundariò eadem exiſtentia, qua exiſtit ſubſtantia. Sed hæc impugnatio non eſt efficax, tum quia poſſet dici,quòd ſubſiſtentia, vt nos ſuprà oſtendimus in prædicam. ſubſtantię,diſp.tertia,eſt diſtinctus modus ab exiſtẽtia ſubſtantiæ, poterit igitur communicari accidenti eadẽ exiſtentia ſubſtantiæ, non autem ſubſiſtentia:tum quia ſi extrema haberent eandẽ exiſtentiam,tũc non diſtinguerentur ex natura rei, ſed tantùm ratione ratiocinata, quia, vt ſuprà oſtendimus, quæ diſtinguuntur ratione ratiocinata, habent conceptus reales, ſed identificatos: hæc autem identificatio, vt ibidem oſtendimus,non poteſt intelligi niſi in ordine ad vnam,& eandem exiſtentiam.

Secundò reſpondent alij, eſſe vnam exiſtentiam cum diuerſa ratione formali, vt patet in gradibus metaphy- 11.

Digitized by Google

metaphyſicis, quatenus enim exiſtentia ſtat ſub vna ratione formali, facit exiſtere vnum extremum extra ſuas cauſas; quatenus verò ſtat ſub alia ratione formali, facit eſſe extra ſuas cauſas aliud extremum. Hæc quidem reſponſio bona eſt, ſed non eſt vniuerſalis, ſolùm enim valet in his, in quibus neutrum extremorum poteſt ſeparatim exiſtere, quia cùm ſit vna exiſtentia realis indicens duplicem rationem formalem, non poſſunt ſeparari ab illa natura, cuius eſt illa exiſtentia realis, vt contingit in gradibus metaphyſicis; non autem valet hæc reſponſio in his, quorum vnum poteſt remanere altero ſublato, vt inter figuram, & quantitatem, & inter ſeſſionem, & ſedentem, & ſimilia. Adde quòd huiuſmodi modi de nouo adueniunt rei, ergo de nouo producitur noua exiſtentia, per quam ſiunt extra ſuas cauſas. In his igitur aſſignanda eſt alia ratio.

12. Ratio igitur quare modus non poteſt ſeparatim exiſtere, etiamſi habeat propriam exiſtentiam, hæc eſt, quia exiſtentia modi eſt imperfecta, ſicut enim accidens realiter diſtinctum, habet exiſtentiam ita imperfectam, vt naturaliter actu materialiter dependeat à ſubſtantia, ita accidẽs, quod non eſt realitas, ſed modus realitatis, debet eſſe ita imperfectum, vt neceſſariò in genere cauſæ formalis habeat actualem connexionem cum alia exiſtentia, ita vt nec per potentiam diuinam poſſint ſeparari, quia ſunt modi realitatis, & tota eſſentia ipſorum conſiſtit in afficiendo actualiter rem, cuius ſunt modi; ex.gr. cùm ſubſtantia mutatur ſecundùm locum, indiget nouo Vbi, hoc autem Vbi, nihil eſt aliud, quàm præſentia mobilis, non igitur ſeparari poteſt à mobili, & ſic de aliis modis, vt figura, vnione, inhærentia, intenſione, & remiſſione, & ſimilibus.

13. *Septima cõcluſio. Sextum genus diſtinctionis.* SEPTIMA concluſio. Diſtinctio ex natura rei, diuiditur præcipuè in duo membra, in modalem, & formalem; ſi propriè ſumatur modalis: dixi (propriè) quia lato vocabulo omnis formalitas appellari poteſt modus.

Quæ ſit diſtinctio modalis, & quæ formalis. Fonſ. Sed quæ differentia ſit inter modalem, & formalem, non omnes conueniunt. Fonſeca dicit modalem diſtingui à formali, quia in modali diſtinctione modus, & res modificata exiſtunt eadem exiſtentia, at verò quæ diſtinguuntur formaliter, habent proprias exiſtentias. Sed hæc opinio non placet, nam quando ſunt duo, quæ non ſunt idem ſecundùm conceptum, & habent eandem exiſtentiam, diſtinguuntur ratione ratiocinata, vt ſuprà oſtenſum eſt.

Scot. Dicendum eſt igitur, vt colligitur ex Scoto, quòd diſtinctio modalis propriè dicta, vt diſtinguitur à formali, debet habere tres conditiones.

Prima eſt, vt modus additus rei modificatæ non variet rationem formalem illius; nam intenſio caloris vt octo, addita calori; non variat rationem formalem, & in hoc conuenit cum differentia, & aliis modis; ex.gr. rationale additum generi, vt animali, non variat rationem formalem generis etiamſi ſit contractum; nam contractio adueniens accidentaliter generi.

Secunda conditio eſt, vt modus intrinſecus additus rei modificatæ faciat, vt res modificata ſimul cum ſuo modo, non differat eſſentialiter ab alia re modificata per alium modum, nam calor vt octo, & calor vt quatuor, non differunt ſpecie, & per hanc ſecundam conditionem, differt hic modus intrinſecus, de quo loquimur, à differentia, nam hæc addita generi conſtituit ſpeciem hominis differentem eſſentialiter ab eſſentia equi conſtituta per aliam differentiam.

Tertia conditio eſt, vt modus propriè dictus, ſit A idem formaliter negatiuè rei modificatæ, nam calor vt octo, eſt intra formalitatem caloris; ſit enim calor per illam intenſionem maior ſecundùm formalitatem caloris, quidquid ſit an illa intenſio fiat per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicationem in ſubiecto, de qua re infrà in quæſtione de qualitate diſputabimus. Dixi (negatiuè) nam poſitiuè hoc non poteſt dici, quia modus non eſt de intrinſeca ratione rei modificatæ, ſicut animal rationale dicitur idem homini, quia eſt de intrinſeca ratione eius, modus autem, vt v. g. intenſio vt quatuor, quamuis ſit intra formalitatem caloris, quia calor vt quatuor, eſt intra formalitatem caloris, non tamen eſt de eſſentia caloris.

B Propter hanc tertiam conditionem diſtinguitur modus hic intrinſecus & propriè dictus, de quo hic loquimur, ab entitatibus formalibus, vt ab Vbi, figura, & ſimilibus, nam Vbi, non dicit eandem formalitatem, quam dicit mobile, nec figura eandem, quam dicit quantitas, & ſic de ſimilibus: Patet igitur ex dictis, quòd diſtinctio modalis differt à formali, nam modalis, de qua loquimur, includit extrema, quæ magis accedunt ad vnitatem, quia dicit eandem formalitatem, vt explicatum eſt: At verò formalis, qualis eſt ſecundùm aliquos inter differentiam, & genus, vel differentiam, & ſpeciem, vel inter mobile, & Vbi, vel inter figuram, & quantitatem, non dicit hanc vnitatem, & quamuis differentia ſit de eſſentia ſpeciei, non tamen dicit eandem C formalitatem, ſicut dicit calor vt octo, cum calore, quia excreſcit calor per illam intenſionem, ſecundùm eandem formalitatem caloris: at verò per differentiam conſtituitur ſpecies, quæ dicit aliam formalitatem à differentia, & à genere.

DVBITATIO SECVNDA.

Qui modi diſtinctionum inter fundamentum, & terminum ex ſuprà explicatis fundent relationem realem.

D CIRCA primum genus diſtinctionis, quod eſt rationis; eſt 1. *Prima ſententia circa extrẽ diſtincta ratione tantùm.*

PRIMA ſententia aliquorum exiſtimantium, diſtinctionem rationis inter fundamentum, & terminum eſſe ſufficientem, ad hoc vt poſſit reſultare in extremis relatio realis, quare exiſtimant relationem identitatis, alicuius rei ad ſeipſam, eſſe realem.

Probant primò, quia ſicut à parte rei circumſcripto omni opere intellectus, vnum ens eſt diuerſum ab alio, ita eſt idem ſibi ipſi. 2.

Secundò probant, quia datur relatio tranſcendentalis ad terminum, diſtinctum tantùm ratione, ergo ſimiliter etiam poteſt dari relatio prædicamentalis ad terminum, diſtinctum tantùm ratione à fundamento. Conſequentia probatur, quia ſi requiritur E diſtinctio inter terminum, & fundamentum, ad hoc vt reſultet relatio, ea ratio eſt, quia habitudo, vt habitudo, vt patet ex ipſo termino habitudinis, requirit pluralitatem extremorum, pluralitas autem includit diſtinctionem. Sed ſi hæc ratio probaret diſtinctionem à parte rei, probaret etiam in relatione tranſcendentali, ſed in relatione reali tranſcendẽtali non eſt neceſſe, vt dentur extrema diſtincta à parte rei, ſed ratione tantùm, ergo nec in prædicamentali reali, opus eſt vt dentur extrema diſtincta à parte rei.

Quòd verò detur aliqua relatio realis tranſcendentalis,

Digitized by Google

dentalis,quæ non ſit inter extrema diſtincta à parte rei, probatur,nam ſcientia diuina,qua Deus cognoſcit ſeipſum, dicit relationem tranſcendentalem ad ipſum Deum,tanquam ad obiectum,eſt enim ſcientia eſſentialiter repræſentatio obiecti; ſcientia autem diuina non diſtinguitur à parte rei ab ipſo Deo. His tamen non obſtantibus, ſit

3. PRIMA concluſio contra præcedentem ſententiam. Non ſufficit diſtinctio rationis inter terminum & fundamentum, ad hoc vt reſultet relatio realis. Ita tenent communiter Thomiſtæ cum S. Thom.1.part.quæſt.42.ar.4.ad tertium.

Prima ratio aliquorum.

Primò probant aliqui hanc concluſionem, quia ideo negatur inter diuinas perſonas eſſe relationem realem æqualitatis, quia idem referretur ad ſeipſum relatione reali,vt licet videre apud S.Thomam 1.par.quæſt.42.ar.4.ad 3. Sed hæc ratio quamuis ſit bona,non tamen conuincit aduerſarios, poſſent enim dicere, quòd non eſt hæc ratio, quare inter diuinas perſonas non ſit relatio realis æqualitatis, quia ſi hæc eſſet ratio adæquata, ſequeretur, quòd ſaltem inter diuinas perſonas debet dari relatio diuerſitatis,ſeu diſſimilitudinis,extrema enim ſunt diſtincta,& tamen ſecundùm S. Thomam non datur huiuſmodi relatio; Ratio igitur adæquata, quare non detur relatio in Deo præter illas originis eſt,quia aliæ relationes non eſſent per ſe primò, ſed eſſent per reſultantiam, ſicut in creaturis, quod dicit imperfectionem in Deo, vt oſtendimus infrà in corollariis de relationibus diuinis.

S.Thom.

4. Secunda ratio.

Secundò probant alij, quia in ipſo nomine habitudinis importatur aliud à relato, ac propterea ab Ariſtotele diffinitur per eſſe ad aliud. Sed hæc ratio non omnino conuincit,quia poſſet dici,quòd importatur aliud diſtinctum ratione.

5. Tertia ratio efficax.

Quare tertiò probatur efficaciter concluſio,magis explicando, & confirmando rationem præcedentem, quòd habitudo eſt veluti quædam connexio inter fundamentum, & terminum, & ad hunc finem à natura eſt ordinata; connexio autem ex intrinſeco ſuo conceptu, dicit extrema diſtincta, ſi enim extrema ſunt idem, non opus eſt connexione,ſi igitur fundamentum, & terminus ſunt idem à parte rei, ad quid à natura datur relatio realis, vt connectat,ſi iam à parte rei ſunt idem? quare ſi tantùm per rationem apprehenduntur vt diſtincta, ita etiam ſimiliter relatio tanquam connectens debet eſſe rationis.

6. Quarta ratio efficax. Ariſt.

Quartò probatur, nam correlatiua ex Ariſtotele realiter opponuntur, ergo debent eſſe à parte rei diſtincta, quæ quidem ratio valet præcipuè apud nos, qui tenemus relationem terminari ad correlationem;Qui verò tenent terminum eſſe abſolutum, non ita poſſunt ex hac ratione immediatè probare, probant autem mediatè, quatenus correlatio oppoſita relationi, identificatur realiter cum ſuo fundamento, quod eſt terminus abſolutus relationis, ſi igitur relatio, & correlatio diſtinguuntur à parte rei, etiam ipſa extrema, cum quibus identificatur relatio,diſtinguentur à parte rei.

7. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ quæ ſunt contra primam cõcluſionem. Ad primum.

AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd res non eſt eadem ſibi ipſi à parte rei,ſed tantùm per intellectum, ſi ſermo eſt de identitate formali, nam hæc eſt tantùm per rationem, quia intellectus eſt qui comparat idem ad ſeipſum,ac ſi eſſent duo extrema diſtincta, at verò à parte rei eſt tantùm identitas fundamentalis, quia nihil aliud eſt, quàm ipſamet res cum negatione diſtinctionis, & hinc patet diſparitas inter diuerſum, & idem, nam vnum ens à parte rei, eſt diuer-

A ſum ab alio,quia à parte rei extrema ſunt diſtincta.

Poſſet hic aliquis quærere, an ſi eadem numero albedo ponatur in duobus ſubiectis,fundet relationem realem,ſed de hoc dicetur infrà.

8. Ad ſecundũ primæ ſententiæ.

Ad ſecundum reſpondetur negando,quòd ſcientia in diuinis dicat relationem tranſcendentalem ad Deum, tanquam ad obiectum, quia ſunt vnum, & idem à parte rei;Dicendum eſt igitur,quòd ſcientia diuina, qua Deus cognoſcit ſeipſum, eſt ens abſolutum, connotando Deum tanquam obiectum, & hoc ſufficit, vt poſſit dici ſcientiam terminari ad Deum, ſicut etiam terminatur ad creaturas, connotando illas,& præterea etiam ſi concederetur ſcientiam diuinam referri relatione tranſcendentali B ad Deum, eſſet diſpar ratio de relatione prædicamentali, quia relatio prædicamentalis non eſt eadem res omnino à parte rei cum re, quæ refertur, ſed aduenit de nouo, & ideo debet ſupponere extrema diſtincta à parte rei.

Circa verò ſecundum genus diſtinctionis, quod eſt diſtinctio realis,eſt

9. Secũda ſententia circa extrema realiter diſtincta.

SECVNDA ſententia Soncinnatis 5. met. q. 29. aſſerentis,ad hoc vt reſultet relatio realis,non ſufficere illam diſtinctionem realem, in qua vnum extremum ſe habet vt includens, & alterum vt incluſum,ſed debere eſſe omnimodam diſtinctionem: Probat,quia alioquin ſequeretur quòd totum quantitatiuum, nempe linea, referretur infinitis relationibus C realibus diuerſarum proportionum maioris inæqualitatis, ad infinitas partes proportionales, nam linea eſſet dupla ad partes ſuas medias, & eſſet tripla ad partes tertias,& quadrupla ad partes quartas,& cùm iſtæ partes proportionales ſint infinitæ, eſſent etiam in linea actu relationes infinitæ.His tamen non obſtantibus,ſit

10. Secunda cõcluſio.

SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. Dicendum eſt cum communi, ad fundandam relationem realem, ſufficere ſi extrema ſint realiter diſtincta,etiã ſi ſe habeant vt includens & incluſum.

Probatur, quia in toto eſſentiali, quod diſtinguitur realiter à ſuis partibus, tanquam incluſum ab includentibus, ſunt omnia requiſita ad fundan- D dam relationem realem, nec illud abſurdum allatum à Soncinnate de proceſſu infinitarum relationum, militat in hoc toto eſſentiali, quia non habet partes infinitas; ſolùm illud abſurdum poteſt habere locum in toto quantitatiuo. Sed neque ex hoc capite eſt negandum, quòd totum quantitatiuum, exemp. gra.linea,non dicat relationes reales ad ſuas partes, quia non eſt abſurdum, in continuo eſſe infinitas relationes, ſicut ſunt infinitæ partes proportionales; ſed ex alio capite non ſunt dandæ iſtæ relationes reales in toto quantitatiuo, quia relatio proportionis, v.g. dupli,ſicut eſt (octo ad quatuor) deberet eſſe in ſingulis vnitatibus tanquam in fundamento;hoc autem eſt impoſſibile, quia ſingu- E læ vnitates non habent rationem dupli ,quia ratio dupli conſiſtit in indiuiſibili.

Circa verò tertium genus diſtinctionis , quod eſt ſe totis ſubiectiuè , ſit

11. Tertia cõcluſio.

TERTIA concluſio. Certum eſt apud omnes, hoc genus fundare relationem realem ; Solùm poteſt quæri, quando relatio requirat inter extrema hanc diſtinctionem realem ſuppoſitalem, ſeu ſe totis ſubiectiuè ; Et reſpondeo cum communi, tunc requiri, quando ratio fundandi eſt realis proceſſio ſuppoſiti, nam cùm ſuppoſitum non poſſit procedere à ſeipſo ; vt infrà probabitur in prædicamento Actionis, neceſſariò debet procedere ab alio ſuppoſito.

An autem relatio ſpecificæ identitatis, vel ſimilitudinis requirat extrema hoc modo diſtincta, Suarius tenet quòd ſic. Sed contrà, quia in vniuerſum non eſt verum, nam duæ partes albæ vnius continui, habent relationem ſpecificæ identitatis, & ſimilitudinis, & tamen non diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè. A

Suar.

Circa verò quartum genus, quod eſt ſe totis obiectiuè, cuiuſmodi eſt inter ens, & non ens, ſit

12. Qvarta concluſio. Certum eſt apud omnes præter vnum Ariminenſem in 1. diſtin. 28. quæſt. 23. non ens non poſſe referri realiter ad ens, quod enim non eſt actu, non poteſt realiter actu referri; Nec obſtat ratio quam affert, quòd relatio debet eſſe mutua, ſed ens, inquit, dicit relationem realem ad non ens, ergo non ens dicit relationem realem ad ens; non, inquam, valet, nam neque ens poteſt dicere relationem realem prædicamentalem ad non ens, vt mox dicemus, & etiam ſi diceret, eſſet relatio non mutua, quoad terminum abſolutum; quòd ſi terminus eſt correlatiuus, tunc, vt dictum eſt ſuprà quæſt. 10. terminaretur ad correlatiuum poſſibile. B

Quarta cõcluſio circa extrema diſtincta ſe totis obiectiuè contra Ariminenſem. Arim.

Dvbivm circa hoc quartum genus poſſet eſſe, An ens dicat relationem realem prædicamentalem ad terminum non exiſtentem; Et ſermo eſt de termino abſoluto, circa quod qui tenent, relationem identificari cum fundamento, conſequenter dicunt, quòd relatio paternitatis incompletè concepta terminatur ad omnes filios poſſibiles, ſeu producibiles ab hoc patre, quia relatio, cùm non ſit realitas, ſed modus, conſiſtit in actuali exercitio; ſiue igitur informet ſubiectum per inhæſionem, ſiue per identitatem, debet referre ad terminum, cùm ergo non poſſit referre ad terminum exiſtentem, refert ad terminum poſſibilem. His tamen non obſtantibus, ſit C

13. Qvinta concluſio. Dicendum tamen quintò cum communi ſententia omnium Scholaſticorum, cum D. Thoma præſertim par. 1. quæſt. 13. art. 7. & omnium philoſophorum, cum Ariſtot. in cap. Ad aliquid, & in 5. met. cap. 15. quòd non poteſt eſſe relatio realis prædicamentalis, ſi terminus abſolutus non exiſtat.

Quinta cõcluſio circa idem genus diſtinctionis.

Sed in aſſignanda ratione, eſt difficultas; & ratio difficultatis eſt, quia relatio tranſcendentalis, poteſt ordinari ad terminum non exiſtentem, ſicut patet de ſcientia quæ refertur ad ſcibile, cur ergo non poteſt etiam relatio prædicamentalis referri ad terminum non exiſtentem.

14. Sed reſpondetur, quòd ratio diſparitatis eſt, quia relatio prædicamentalis, eſt modus diſtinctus à fundamento, & aduenit de nouo, vt probatum eſt ſuprà; non poteſt autem intelligi, quomodo adueniat de nouo ipſi fundamento niſi per coëxiſtentiam termini. Secundò, quia non refert eſſentialiter, ſicut refert relatio tranſcendentalis, ſed accidentaliter, & ideo refert ad terminum exiſtentem, ſicut ſimilitudo, quia eſt ratio accidentalis, eſt ordinata à natura, vt referat album, non ad quodcumque album, ſed ſolùm ad illud album, quod habet coëxiſtentiam cum alio albo; & per hæc ceſſat ratio dubitandi, quia relatio tranſcendentalis identificatur cum abſoluta, quæ immediatè refertur, ſicut ordo ad formam identificatur cum materia, quæ refertur ad formam; & præterea relatio tranſcendentalis eſt eſſentialis illi, quod immediatè refertur; & ideo refert ſuum abſolutum, ad quemcumque terminum poſſibilem, niſi ſit talis relatio tranſcendentalis, quæ requirat terminum exiſtentem, vt eſt actio, & vnio. D

Circa verò alterum genus diſtinctionis, quod eſt diſtinctio modalis ſeu formalis, ſit

Sexta concluſio. Dicendum eſt, hanc diſtinctionem eſſe ſufficientem ad fundandam relationem realem, quia ſunt omnia requiſita: Et idem dicendum eſt de diſtinctione ex natura rei, ſi præter terminum, quem connotat, dicit modum intrinſecum diſtinctum à fundamento. Secundùm verò illos, qui tenent diſtinctionem ex natura rei præter fundamentum, tantùm connotare terminum extrinſecum, tunc non poteſt fundare relationem realem; quare idem philoſophandum eſt de illa, ac philoſophati ſumus ſuprà in prima concluſione, de diſtinctione rationis ratiocinatæ; quare ſi figura diſtinguitur à quantitate, penes tantum ſpatium extrinſecum, quatenus connotatur à figura illud ſpatium, quod non connotatur à quantitate, tunc inter figuram, & quantitatem, non poteſt eſſe aliqua relatio realis, quia figura nihil intrinſecum ſuperaddit quantitati, ſed tantùm relatio realis erit inter quantitatem, & ſpatium extrinſecum; ſi verò figura ita diſtinguitur à quantitate, vt non ſolùm connotet ſpatium extrinſecum, ſed etiam ſuperaddat modum quemdam intrinſecum ipſi quantitati, tunc inter quantitatem & figuram poteſt eſſe relatio realis, ſiue diuerſitatis, ſiue effectus ad cauſam, & aliæ huiuſmodi, ſunt enim omnia requiſita ad fundandum relationem realem. 15.

Sexta concluſio circa extrema diſtincta formaliter ſeu modaliter.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De fundamentis relationum, & primò quid, & quotuplex ſit.

Disputatvm eſt hucuſque de natura, & termino relationis, nunc diſputandum eſt de fundamento ipſius, & primò de fundamento in communi; poſtea de fundamentis in particulari; prima igitur quæſtio ſeſe offert, tamquam fundamentum aliarum, quid, & quotuplex ſit fundamentum relationis.

Prima concluſio. Fundamentum relationis formaliter diſtinguitur à ſubiecto immediato eiuſdem relationis, eſt tamen idem realiter. 1.

Prima concluſio, quid ſit fundamẽtum, & quomodo diſtinguatur à ſubiecto immediato relationis. Capr. Aure. Soncina.

Probatur prima pars huius concluſionis, nam ratio ſubiecti formaliter conſiſtit in ratione ſuſtentandi materialiter ipſam relationem; Ratio verò formalis fundamenti conſiſtit in ratione principij effectiui ſecundùm Capreolum in 1. diſt. 30. quæſt. 1. ad ſecundum Auteoli, & Sonc. 5. met. quæſt. 25. in ſecunda reſponſione ad primum; cùm enim relatio, ſit ens reale creatum, non poteſt tranſire vi ſua de non eſſe ad eſſe, tranſit igitur ex vi primæ cauſæ, tamquam vniuerſaliſſimæ, & ex vi cauſæ ſecundæ, tamquam cauſæ particularis; hæc autem ſecunda cauſa non poteſt alia aſſignari, quàm ipſa entitas ſubiecti, quæ quatenus eſt cauſa effectiua, habet rationem fundamenti, non enim poteſt dici quòd terminus ſit cauſa relationis, nam contingit terminum aliquando longè abeſſe à ſubiecto, vbi eſt relatio. E

Secunda pars huius concluſionis, quòd, ſcilicet, ſubiectum & fundamentum relationis, ſint vna & eadem res, probatur, quia, quod refertur ad terminum, debet habere rationem ſubiecti, quia debet ſubiectare relationem; ſed fundamentum refertur ad terminum, ergo fundamentum debet etiam eſſe ſubiectum; Probatur Maior, nam relatio refert id, quod afficit, quod autem afficitur, habet rationem ſubiecti, 2.

Digitized by Google

ſubiecti. Minor probatur diſcurrendo per ſingula genera relationum, nam relatio identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, vel diuerſitatis, inæqualitatis, & diſſimilitudinis, quæ fundantur in vnitate, & numero, habent pro fundamento ſecundùm Ariſtotelem, vel ipſam ſubſtantiam, vel ipſam qualitatem, vel ipſam quantitatem, & iſta ſunt, quæ referuntur ad terminum; nam Eadem ſunt, quorum ſubſtantia eſt vna; Æqualia quorũ quantitas eſt vna; Similia quorũ qualitas eſt vna, vt patet ex definitione Ariſtotelis, quam tradit in prædicamento Ad aliquid: Probatur præterea in relationibus fundatis in menſura, & menſurabili, ſcientia enim, quæ eſt fundamentum relationis ad ſcibile, ipſa eſt quæ refertur ad ſcibile: Præterea probatur in relationibus fundatis in actione, & paſſione, nam ipſa entitas effectus eſt fundamentum relationis, & ipſamet entitas effectus eſt, quæ refertur ad cauſam; & idem dicendum de relatione cauſæ.

Ariſtot.

3. Dubiũ circa rationem allatam.

Sed circa hanc rationem, quæ communiter circumfertur, occurrit dubium, & primò circa probationem Minoris, nam potentia generatiua, eſt fundamentũ relationis, qua cauſa refertur ad effectum, & tamen quod refertur, non eſt ipſa potentia generatiua, ſed ipſa ſubſtantia generans.

Solutio.

Reſpondetur, quòd duplex relatio fundatur in generante, altera in potentia generatiua, tanquam inſtrumento, altera in ipſa ſubſtantia generante, tanquam cauſa principali; per eam autem quæ ineſt in potentia generatiua, refertur ipſa potentia generatiua, tanquam inſtrumentum ad effectum, per eam verò, quæ eſt in ſubſtantia generante, refertur ſubſtantia generans, tanquam cauſa principalis; vel poteſt dici, quòd eſt vna relatio, quæ afficit intrinſecè vtrumque, tanquam vnum ſubiectum adæquatum, & vtrumque refert tanquam vnam cauſam adæquatam ad effectum.

4. Secundò occurrit dubium circa probationem Maioris, in qua dicebatur, quòd relatio debet inhærere in eo, quod refertur; dubium, inquam, eſt, quia ſicut actio non eſt in agente, ſed in paſſo, & tamen refert agentem ad effectum, & denominat agens extrinſecè: ita ſimiliter non eſt neceſſe, vt relatio, qua agens refertur ad effectum, ſit in agente, ſed ſatis eſt ſi ſit in paſſo.

Reſpondetur, quòd relatio debet eſſe neceſſariò intrinſeca agenti; non enim relatio poteſt denominare extrinſecè, quia quod extrinſecè denominat, non refert denominatum ad aliud; ſed potius denominãs refertur ad ipſum, ſicut patet de actione, quæ quoniam non refert agens ad terminum, niſi valde remotè, ſed potiùs ipſa actio refertur ad agens vt ad id, à quo, ideo poteſt extrinſecè denominare agens; at verò relatio, quia eſt ratio qua refertur agens ad aliud, debet, vt bene notauit S. Thom. 2. cont. gen. cap. 13. intrinſecè ineſſe in agente, tanquam in ſubiecto, & fundamento, quod refertur.

5. Secunda cõcluſio quid ſit ratio fundandi.

Secunda concluſio. Præter fundamentum datur ratio fundandi, quæ eſt ratio determinans fundamentum, nam cùm fundamentum, ex. gr. album, ſit indifferens ad fundandam relationem ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis, vel alias huiuſmodi, debet aſſignari ratio determinans illud ad talem, vel talem relationem, hæc autem ratio determinans appellatur à philoſophis ratio fundandi.

6. Sed hîc occurrit dubium, Vtrùm hæc ratio fundandi ſit cõditio ſine qua non, vt eſt approximatio, an verò ſit cauſa formalis; non enim videtur poſſe dici primum, nam approximatio non dat virtutem igni, vt agat, nam ignis eſt ex ſe determinatus ad

A talem actionem, at verò ratio fundandi complet extrinſecè fundamentum in ratione agendi, determinat enim intrinſecè fundamentum, vt potiùs fundet hanc relationem, quàm illam: nec poteſt dici ſecundum, quia non eſt ipſa, quæ formaliter fundet, & formaliter refertur; ſed eſt ipſum fundamentum, ipſum enim album eſt quod, quatenus ſtat ſub vnitate ſpecifica, fundat relationem ſimilitudinis, & refertur ad aliud coalbum; Et confirmatur, quia ratio fundandi, aliquando eſt negatio, aliquando eſt extrinſeca fundamento, vt eſt actio, quæ non eſt in agente, ſed in paſſo, ratio igitur fundandi non eſt ratio formalis, quia ratio formalis debet eſſe realis, & intrinſeca ſuo effectui reali.

B Reſpondetur, quòd ratio fundandi non poteſt dici eſſe mera conditio, ſicut eſt approximatio in igne, nec ratio formalis per rationem aſſignatam in argumento; ſed dicendum eſt, quòd eſt ratio cõplens intrinſecè rationem formalem; ſicut in artificialibus, dentatura in ſerra non eſt mera conditio, quia ferrum non habet in ſe vim proximam ſecandi tali modo, niſi haberet dentaturam; nec eſt ratio formalis, quia ſectio non eſt à dentatura, ſed à ferro, ferrum eſt enim, quod ſcindit, vel efficienter, vel formaliter, quatenus ſeipſo formaliter propter impenetrabilitatem expellit aliud corpus, erit igitur dentatura ratio complens intrinſecè rationem formalem ſerræ, & in naturalibus hæcceitas, vel exiſtentia, non eſt ratio formalis producendi aliud; ipſa enim natura eſt, quæ producit ſibi ſimile, & à qua fluit actio, non autem natura produceret, niſi eſſet hæcceizata, nec eſt mera conditio, ſicut approximatio, nam natura ſine hæcceitate, non habet vim completam ad producendum, quia debet producere aliquod ſimile, diſtinctum tamen à ſe, non enim poteſt idem ſeipſum producere; ad hoc autem requiritur vt natura ſit hæcceizata.

7. Tertia concluſio quotuplex ſit fundamentũ. Ariſt.

Tertia concluſio. Tria genera rationum fundandi aſſignantur ab Ariſtotele: Primum vnitas, & numerus, ſeu conuenientia, & diſconuenientia, quæ fundant relationem ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, &c. Secundum actio, & paſſio, quæ fundant relationem effectus ad cauſam, & cauſæ ad effectum. Tertium menſura, & menſurabile: Sumitur autem hîc menſurabile paſſiuè, nam ſi ſumatur actiuè, eſt idem quod menſura, & hoc modo accepit Ariſt. cùm dixit, obiectum eſſe menſurabile, id eſt, actiuè, ſcientia autem eſt menſurabilis paſſiuè: Nota autem quòd per menſuram non intelligitur quodcunque medium, quod aſſumitur tanquam notius nobis, ad cognoſcẽdum ignotum, ſicut artifex aſſumit vlnam ad menſurandum pannum, ſed per menſuram intelligimus aliquam entitatem, à qua eſſentialiter, tanquam à regula, dependet menſurabile, ſicut viſio menſuratur ab obiecto.

Ariſt.

8. Primum dubium circa tertiam concluſionem, quare ſint tria genera fundamentorum.

E Sed hîc occurrit primò dubium, quæ ſit ratio ponendi tria genera rationum fundandi, & non plura, aut pauciora; Et ratio dubij eſt, quia nulla ab Ariſtotele aſſignatur ratio. Suarius dicit nullam poſſe aſſignari rationem, ſed hoc conſtare tantum inductione, quia nulla inuenitur relatio, quæ non reuocetur ad aliquod iſtorum trium generum.

Suar.

9. Alenſis.

Mihi verò placet ratio Alenſis, quæ eſt à priori, hanc, ſcilicet, diuiſionem trium generum rationum fundandi, ſumptam eſſe ex tribus modis vniuerſalibus entis. Primus eſt idem & diuerſum; omne enim ens aut eſt idem, aut diuerſum, & in hoc fundatur vnitas, & numerus, ſeu conuenientia, & diſconuenientia. Secundus modus eſt actus, & potentia, omne enim ens vel eſt id, quod dependet, vel à

quo

quo dependet, & in hoc fundatur ſecundum genus actionis,& paſſionis. Tertius modus eſt perfectum, & imperfectum; omne enim ens aut eſt perfectum, aut imperfectum, & in hoc fundatur tertium genus,menſura ſcilicet,& menſurabile.

10. Sed reſpondetur,quòd Alenſis accipit perfectum pro entitate illa, quæ ſuapte natura eſt regula, & menſura alterius rei, ita vt res menſurata non habeat perfectionem maiorem, quàm ſit illa entitas, à qua menſuratur, & hoc modo dicitur ſcientia menſurari ab obiecto: At verò cauſa & effectus contenta in ſecundo membro,non ſunt huiuſmodi, quia effectus dependet à cauſa tantùm quoad exiſtentiam, vt fuſiùs dicetur in propria quæſtione. Hic igitur tertius modus entis ſecundùm perfectum,& imperfectum, eſt diſtinctus à ſecundo modo entis.

11. *Secundum dubiũ circa tertiam cõcluſionem.* Occurrit ſecundò dubium circa eamdem concluſionem, quia potentia actiua dicit relationem realem ad potentiam paſſiuam proximam, & actu exiſtentem, habent enim ad inuicem aliquam reſpicientiam,ſeu proportionem, & ſunt omnia alia requiſita ad fundandum reſpectum realem, & tamen non videtur,ſub quo genere rationis fundandi poni debeat hæc relatio, nam certum eſt non eſſe ſub tertio genere menſuræ, & menſurabilis, ſicut eſt ſcientia,& obiectum; nec poteſt poni ſub ſecundo genere actionis, & paſſionis, quia nulla intercedit actio, nec ſub primo, vnitatis ſcilicet, & numeri, quia potentia actiua, & paſſiua non conſiderantur, quatenus habent quandam conuenientiam, vel diſconuenientiam; ſed quatenus vna poteſt agere in alteram,debet igitur aſſignari quartum genus.

Ariſt. Reſpondetur, quòd reducitur ad ſecundum genus; Ita expreſsè Ariſt. in cap. Ad aliquid, vbi dicit potentiam actiuam, & paſſiuam, dici per actionem, & quidem non intelligit Ariſtoteles per actionem in recto, quia nulla intercedit actio, ſed per actionem in obliquo,per virtutem ſcilicet agendi.

Quòd ſi dicas, hoc etiam modo agens poſſet dicere relationem realem ad effectum futurum; Reſpondetur, concedunt aliqui, quia Ariſt. in cap. Ad aliquid,videtur hoc affirmare; Sed dicendum quòd non; & ratio diſparitatis eſt, quia effectus futurus non exiſtit; at potentia actiua, & paſſiua ſunt exiſtentes; relatio verò, vt dictum eſt, requirit terminum exiſtentem, quia eſt ordo coëxiſtentium; nec obſtat locus Ariſtotelis qui ponit relationem etiam ad effectum futurum, quia ibi loquebatur de relatione in communi,ſiue ſit realis,ſiue rationis.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Vtrùm relatio fundet relationem,ſicut fundant cætera prædicamenta abſoluta.

1. *Prima ſententia. Scot.* PRima ſententia tenet, relationem poſſe fundari in relatione.Eſt Scoti 1.diſtinct.1. quæſt.4.& 5.& in 4.diſt.6.quæſt.10.quem communiter ſequuntur Scotiſtæ, Lichet. & Maior in illis locis, & Ant. And. 5. m. quæſt. 13. & Sonc.in met diſp.47.ſect. 11. à num. 8. & alij graues recentiores.

Probatur primò, quia ſicut duæ albedines fundant relationem ſimilitudinis, quia habent conuenientiam,& vnitatem formalem, ita etiam duæ paternitates. Quòd ſi in duabus paternitatibus ſufficit ſimilitudo fundamentalis, ita etiam debet ſufficere in duabus albedinibus, præſertim cùm relatio ſimilitudinis, coëxiſtentibus duobus albis, conſurgat ex neceſſitate naturæ, quid ergo impedit, vt non poſſit conſurgere etiam in duabus paternitatibus.

Secundò arguunt recentiores, proportionalitas, quæ eſt relatio, fundatur in proportionibus, quia nihil aliud eſt, proportionalitas, quàm ſimilitudo proportionum, ex. gr. ſicut ſe habet quatuor ad octo,ita tria ad ſex; ſed proportio eſt relatio, ergo datur relatio ſimilitudinis fundata in relatione. 2. *Sonc.*

CONTRARIA ſententia eſt Thomiſt. & verior. Eſt S.Thom.1.part.quæſt. 42. art. 4. & 2. cont. gen. cap.13.& quæſt.7.de pot.art.11.& Ferr.4. cont. gen. cap.11.& Sonc.5. met. quæſt. 29. ad 1. Caiet. quæſt. 42.art.1. 3. *Secũda ſententia verior.*

Difficultas eſt in probatione huius ſententiæ, Aliqui primò probant, quia alioquin, inquiunt,in diuinis darentur relationes reales plures, quàm ſint illæ quatuor originis, fundatæ in actione,& paſſione, darentur enim aliæ fundatæ in vnitate, & præſertim in numero,& quamuis dici poſſit quòd illæ, quæ fundantur in vnitate, ſint relationes rationis, quia eſſentia eſt vna numero in omnibus perſonis, tamen hoc dici non poteſt de relationibus, quæ fundantur in numero, nam paternitas eſt diuerſa à filiatione,cur ergo non fundabit relationem diſſimilitudinis, ſeu diuerſitatis, ſunt enim omnia requiſita,nam eſt diſtinctio realis inter extrema. *Prima probatio & cõfutatur.*

Sed hæc ratio non ſatis probat, nam,vt diximus in Corollariis, in diuinis non dantur aliæ relationes reales, præter illas quatuor originis, fundatas in actione,& paſſione, quia aliæ ſicut in humanis, eſſent per reſultantiam in vtroque extremo, quod dicit imperfectionem in Deo.

Secundò acutè probant aliqui recentiores, quia (Ad) & (Sub), ſunt rationes omnino diuerſæ, ergo relatio cuius eſſe eſt(Ad) non poteſt eſſe fundamentum,cuius eſſe eſt(Sub). 4. *Secũda probatio confutatur.*

Sed poteſt hæc ratio impugnari, tum quia magis diuerſum videtur eſſe (Ad) ab (In) quam à (Sub), & tamen eſſe(Ad)habet rationem eſſendi (In,)eſt enim accidens;tum quia quantitatis ratio propriè eſt eſſe in ſubiecto, cùm ſit accidens, & tamen poteſt habere adhuc rationem ſubiecti reſpectu aliorum accidentium.

Poſſet tamen hæc ſecunda probatio habere maiorem vim, ſi dicatur, quòd totum eſſe relationis, vt patet ex quæſtione quinta, eſt referre ſubiectum ad terminum, ſed ſi haberet eſſe (Sub),haberet aliquod aliud munus circa ſubiectum, præter munus referendi, nam relatio ſubiectaret aliam relationem immediatè, & faceret vt ſaltem mediatè ſubiectum ipſius relationis, ſubiectaret illam aliam relationem. 5.

Sed neque hæc probatio eſt efficax, nam cùm dicitur, relationem totum ſuum eſſe habere ad aliud;ſenſus eſt,quòd nõ exercet aliud munus circa terminum, quàm illum reſpiciendi, vt purè terminum, ad differentiam relationis tranſcendentalis,vt eſt actio, quæ non ſolùm reſpicit terminum, ſed etiam tanquam via ponit terminum in eſſe; ad hanc autem differentiam eſſentialem conſtituendam inter relationem prædicamentalem, nihil refert, quòd relatio prædicamentalis poſſit eſſe fundamentum alterius relationis.

6. Tertiò probant etiam acutè alij recentiores,Res, inquiunt, quæ indiget aliquo extremo, tanquam termino,non poteſt ipſa eſſe extremum, ſeu terminus alterius rei, in eodem ordine, in quo indiget, ex. g. linea indiget puncto tanquam termino, non poteſt *Tertia probatio confutatur.*

Digitized by Google

poteſt ipſa eſſe terminus alterius lineæ; & ſuperficies,quia indiget linea, tamquam termino, non poteſt ipſa eſſe terminus alterius ſuperficiei; & actio, quia habet pro termino neceſſariò exigito, rem quæ fit per ipſam, non poteſt ipſa eſſe terminus alterius actionis, ergo cùm relatio indigeat termino, non poteſt ipſa relatio eſſe terminus alterius relationis, eſſet autem terminus, ſi relatio fundaret relationem, nam ſi paternitas fundaret relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem, tunc hæc alia paternitas,eſſet terminus ſimilitudinis.

Sed hæc ratio poteſt impugnari, quia ſicut in exemplis allatis, linea, quæ indiget termino, non poteſt eſſe terminus alterius lineæ, poteſt autem eſſe terminus ſuperficiei,& rurſus ſuperficies, quæ indiget linea,tanquam termino,non poteſt eſſe terminus alterius ſuperficiei, poteſt autem eſſe terminus profunditatis, atque adeò ſiſtendo in ordine quantitatis, linea, quæ indiget puncto, tamquam termino, poteſt eſſe terminus alterius quantitatis, ſcilicet, ſuperficiei, & ſuperficies eſſe terminus alterius quantitatis, ſcilicet, profunditatis, ita poſſet dici,quòd paternitas, quæ indiget termino, ſcilicet, filiatione,non poteſt eſſe terminus alterius paternitatis, poteſt autem eſſe terminus alterius relationis, ſcilicet, ſimilitudinis, & ſic eſt in caſu noſtro, nam in exemplo allato de paternitate, quæ fundat relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem,illa alia paternitas non eſt terminus prioris paternitatis, quæ fundat ſimilitudinem, ſed eſt terminus ſimilitudinis,ſicut linea quæ indiget puncto tanquam termino,ſiſtendo in ordine quantitatis, poteſt eſſe terminus ſuperficiei,quæ eſt altera ſpecies in ordine quantitatis.

7. Ad ſummum verò, ſi quid probat argumentum, probat tantùm,quòd relatio ſimilitudinis non poſſet fundare aliam relationem ſimilitudinis, quia tunc ſiſtendo in eadem ſpecie ſimilitudinis, ſimilitudo,quæ indiget termino, eſſet terminus alterius ſimilitudinis; Sed tunc hæc ratio non probaret in vniuerſum,relationem non poſſe fundare aliam relationem.

Sed neque hoc probat de ſimilitudine,quia poſſet dici, & eſt ratio à priori de omni relatione, quòd cum relatio ſit ad aliud, non eſt modus intrinſecus ipſius relationis, quam terminat, ſed extrinſecè ſe habet,quare poteſt habere ſecundùm eamdem entitatem relatiuam, rationem vt à quo, & vt ad quod, reſpectu diuerſorum, ſicut eadem entitas abſoluta, per eamdem entitatem abſolutam, fundat vnam relationem; & terminat aliam correlationem; eſſe enim terminum non addit aliquam proprietatem, ſeu aliquod accidens ſupra ipſam entitatem, linea verò & ſuperficies,quatenus ſunt termini,quia ſunt termini tanquam modi intrinſeci terminantes rem, cuius ſunt modi, debent habere à parte rei rationem indiuiſibilis,quam non habent, vt ſunt res terminatæ, & ideo non poteſt linea, quæ vt terminetur, indiget termino indiuiſibili, & ipſa, vt res terminata, eſt diuiſibilis; non poteſt,inquam, eſſe terminus alicuius lineæ, ſed poteſt eſſe terminus ſuperficiei, quia vt ſic, habet rationem indiuiſibilis, quare punctum, quia non poteſt habere niſi rationem indiuiſibilis, non poteſt eſſe niſi terminus reſpectu lineæ, non autem poteſt terminari ab altero.

8. Ad tertium verò exemplum allatum de actione dicitur,quòd non eſt par ratio, quia actio ſeipſa fit, habet enim eamdem denominationem, & rationem; at verò paternitas debet fundare relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem, quia non poteſt ſeipſa referri relatione ſimilitudinis ad aliam paternitatem, cùm ipſa paternitas non ſit formaliter ſimilitudo.

Quartò igitur probatur à S. Thom. ſatis probabiliter,ſi relatio fundaret relationem, deberet relatio efficere relationem, & ſuſtentare illam immediatè, vt patet de aliis fundamentis; nam vt bene aduertit Capreolus in 1.diſt. 30. quæſt. 1. ad ſecundum Aureoli, cùm relatio de nouo reſultet ex fundamento, & non poſſit vi ſua tranſire de non eſſe ad eſſe,danda eſt præter cauſam primam, & vniuerſaliſſimam, aliqua cauſa ſecunda, à qua dependeat, hæc autem non poteſt eſſe terminus, quia aliquando longiſſimè abeſt, ergo eſt fundamentum, ſed relatio non poteſt habere vim effectiuam, & ſuſtentatiuam, quia eſt minimæ entitatis. Confirmatur, quia modi non ſunt productiui in eodem genere ſimilium modorum, vt patet in actione,in viſione, & inhærentia. 9. Quarta probatio efficax. Capreol. Aureol.

Sed obiiciunt primò aliqui graues recentiores, quòd tempus,& motus, ſunt minimæ entitatis, & tamen fundant relationem. 10.

Reſpondetur,quòd tempus,& motus ſunt maioris entitatis, quàm ſit relatio, tum quia non fiunt per reſultantiam,ſicut fit relatio;tum quia exercent circa ſubiectum aliquod munus perficiendo ipſum ſubiectum; at verò relatio fit per reſultantiam, & nullo modo perficit ſubiectum, vt dictum eſt ſuprà; ſupponit enim illud perfectum in toto ſuo eſſe abſoluto,antequam referat illud ad aliud, non igitur eſt mirum, ſi tempus, & motus poſſunt fundare relationem, quæ eſt minoris entitatis, non autem relatio poſſit fundare aliam relationem.

Secundò obiiciunt alij, etiam relatio, quæ fundatur, eſt minimæ entitatis, ergo poteſt fundare relatio aliam relationem, quia effectus non excederet cauſam; Reſpondetur, quòd non ex eo relatio non poteſt fundare relationem, quia effectus eſſet perfectior,ſed quia relatio, cùm ſit minimæ entitatis, non poteſt efficere ſibi ſimile, ſicut calor exiſtens in vltima parte ſphæræ, quia habet virtutem maximè remiſſam, non poteſt producere alium calorem etiam remiſſiorem, ſed debet dari terminus in ſphæra actiuitatis; ita etiam relatio, cùm ſit in genere entium minimæ entitatis, non habet vim vlteriùs producendi, ſed debet eſſe ſtatus, & terminus in genere entium, ſicut eſt in ſphæra actiuitatis caloris; & ratio à poſteriori eſt,quia alioquin in calefactione procederetur in infinitum,ita etiam eſt in relationibus,vt mox dicemus. 11.

Quintò probatur, quia ſi relatio fundaret relationem, ſequeretur, quòd cauſa æquiuoca produceret effectum nobiliorem ſe, vel ſaltem æquè nobilem; vtrumque autem repugnat: Primum quidem patet, quia effectus non poteſt excedere perfectionem ſuæ cauſæ principalis. Secundum patet, quia ex Ariſtotele 5. metaph. & communi Philoſophorum, vt fusè probauimus tomo primo in principio ſexto, non poſſunt dari duæ ſpecies æquè perfectæ, cauſa autem æquiuoca eſt diſtincta ſpecie à ſuo effectu, non ergo poteſt eſſe eiuſdem perfectionis cum ſuo effectu: Sequela Maioris probatur, nam ſi paternitas, ſeu relatio cauſæ fundat relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem, ſeu relationem cauſæ, hæc paternitas ſeu relatio cauſæ, eſt cauſa æquiuoca; nam producit relationem ſimilitudinis, quæ eſt diſtincta ſpecie, vel ergo ſimilitudo eſt nobilior relatione cauſæ,vel ignobilior, vel æquè nobilis;non tertium vel primum,vt patet ex dictis;neque ſecundum, quia ſimilitudo fundat relationem 12. Quinta probatio efficax.

diſſimili

Digitized by Google

diſſimilitudinis ad relationem diſſimilitudinis, & cùm iſta diſſimilitudo fundata ſit effectus; ſequitur quòd ſimilitudo fundet relationem cauſæ ad diſſimilitudinem, tanquam ad effectum, ergo ſimilitudo, quam tu dicebas eſſe ignobiliorem relatione cauſæ, iam efficit relationem cauſæ, quæ eſt nobilior ſe, & hoc modo intelligendus eſt Alenſ. 5. met.tex.13. cùm dicit, relationem non poſſe fundare relationem, quia fundamentum debet habere ſolidiorem entitatem quàm habeat res fundata, hoc enim dictum quamuis non verificetur in cauſis vniuocis, verificatur tamen in cauſis æquiuocis efficientibus, vel quaſi efficientibus: Et præterea ſequitur aliquo modo quidam circulus, nam ſimilitudo fundaret diſſimilitudinem, & diſſimilitudo fundaret ſimilitudinem, & relatio cauſæ fundaret ſimilitudinem, & ſimilitudo fundaret relationem cauſæ, & ſic de reliquis.

13. Sexta probatio. Sextò probatur, quia ſi relatio fundaret relationem, ſequeretur quòd exiſterent actu infinitæ relationes, nam relatio, v.g. paternitatis ad filium, fundat relationem ſimilitudinis ad aliam paternitatem, & diſſimilitudinis ad filiationem, & iſtæ duæ aliæ relationes, ſimilitudinis ſcilicet, & diſſimilitudinis, fundant alias duas, nam ſimilitudo eſſet ſimilis alteri ſimilitudini, & diſſimilis diſſimilitudini, ſeu alteri relationi diuerſæ, & ſic etiam dicendum de diſſimilitudine, dari autem hunc proceſſum in infinitum, cum ſubordinatione originis in genere cauſæ efficientis, & materialis, eſt contra Ariſtotelem, & communem Philoſophorum, ſic autem eſſet in caſu noſtro, quia vna relatio fundaret aliam efficiendo, & ſubiectando illam, & illa aliam, & ſic in infinitum. (Ariſtot.)

Ad hanc rationem reſpondent graues recentiores, quòd vitatur proceſſus in infinitum, quia ſimilitudo, quæ fundatur in paternitate, non fundat aliam ſimilitudinem, quia cùm habeat eamdem denominationem, & rationem, ſeipſa refertur, ſicut actio, inquit Ariſtoteles, ſeipſa fit, ſic etiam diſſimilitudo ſeipſa refertur ad aliam relationem diuerſam, v.g. ad paternitatem.

14. Sed contrà primò, quia argumentum militat ad hominem contra Suarium, & alios, qui tenent, relationes multiplicari numero ad multitudinem numericam terminorum, nam ſecundùm iſtos vna paternitas non poteſt referri ad plures filios, ſed multiplicantur paternitates ad multiplicationem terminorum, paternitas igitur fundabit tot relationes ſimilitudinis, quot ſint numero paternitates, & ſimilitudo tot fundabit relationes ſimilitudinis, quot ſunt aliæ ſimilitudines, & ſic in infinitum.

Secundò, quia neque per hanc reſponſionem vitatur proceſſus in infinitum, nam ſimilitudo, quæ fundatur in paternitate, eſt diſſimilis diſſimilitudini, ergo fundabit relationem diſſimilitudinis, quia ſeipſa non poteſt referri ad diſſimilitudinem, cùm ipſa non ſit diſſimilitudo, & rurſus hæc diſſimilitudo fundabit relationem ſimilitudinis ad diſſimilitudinem, nam non poteſt referri per priorem ſimilitudinem, quia habet diuerſum fundamentum, & rurſus hæc ſimilitudo fundabit relationem diſſimilitudinis ad aliam ſimilitudinem, & ſic in infinitum, & idem proceſſus etiam poteſt fieri in relatione diſſimilitudinis, quia fundat relationem ſimilitudinis ad aliam diſſimilitudinem, & hæc ſimilitudo relationem diſſimilitudinis ad aliam relationem.

15. Caiet. AD argumenta reſpondetur, & ad primum reſpondet Caietanus 1.par.quæſt.42.art.1. paternitatem realiter relatiuè ſeipſam referri, vt ſimilem, ad aliam paternitatem, quia paternitas, inquit, eſt etiam relatio, & citat S.Thomam ibidem ad quartum, vbi ait, quòd vna relatio non refertur ad aliam per aliam relationem, ſicut enim, inquit, actio ſeipſa fit, ita relatio, ſeipſa refertur ad aliam; quia relatio eſt veluti curſus, & via, qua vnum relatum ad aliud refertur.

Sed hæc reſponſio non placet, quia paternitas non habet eamdem denominationem, & eamdem rationem ſimilitudinis, & ideo non poteſt referri ſeipſa vt ſimilis.

Secundo, diuerſi effectus formales proueniunt à diuerſis cauſis formalibus, ſed effectus formalis referendi patrem ad filium, eſt diuerſæ rationis ab effectu formali referendi vnam paternitatem, ad aliam paternitatem, ergo relatio referens patrem ad filium, eſt diuerſæ rationis à relatione, quæ refert vnam paternitatem ad aliam.

Tertiò de eſſentia paternitatis eſt relatio ad filium; ſed de eſſentia paternitatis non eſt relatio identitatis ad aliam paternitatem, quia ſi non eſſet alia paternitas, non referretur paternitas relatione ſimilitudinis, ergo relatio ſimilitudinis inter duas paternitates, non poteſt eſſe ipſa relatio paternitatis; quia tunc idem eſſet de eſſentia, & idem eſſet accidens reſpectu eiuſdem. Ad exemplum autem de actione, reſpondetur quòd actio habet eamdem rationem, & denominationem.

Reſpondetur igitur ſecundò ad argumentum ex D.Thom. quòd paternitas refertur fundamentali ſimilitudine ad aliam paternitatem, ſeu, vt alij dicunt, negatiuè, quia non refertur per formalem ſimilitudinem: Quare autem idem dici non poſſit de aliis fundamentis abſolutis, ratio eſt, quia poſito altero coalbo, ſunt omnia requiſita ad reſultantiam relationis ſimilitudinis; at verò in paternitate, ſeu alio fundamento relatiuo, non ſunt omnia requiſita, quia, vt dictum eſt, relatio propter ſuam minimam entitatem, non habet vim efficiendi relationem; & præterea, ſi daretur hæc vis in relatione fundandi aliam relationem, ſequeretur proceſſus in infinitum, vt probatum eſt, quod non ſequitur in fundamentis abſolutis. 16. S.Thom.

QVÆSTIO DECIMA-QVINTA.

Vtrùm vnitas, & numerus Mathematicus fundet relationem realem.

NOTA quòd vnitas, altera eſt Mathematica, ſicut eſt proportio dupla octo ad quatuor, & quatuor ad octo, & proportionalitas, quæ eſt proportio proportionum, ex.gr. ſicut ſe habet octo ad quatuor, ita tria ad ſex: altera eſt vnitas Metaphyſica, quæ eſt conuenientia, numerus autem eſt diſconuenientia; præſens autem quæſtio eſt de vnitate, & numero Mathematico, ſequens autem quæſtio erit de vnitate, & numero Metaphyſico. 1. Not.

Circa hanc quæſtionem, eſt

PRIMA ſententia illorum, qui quoniam tenent relationem eſſe ipſam entitatem abſolutam, cum conſortio alterius, ſeu vt connotantem terminum extrinſecum, ſicut tenet Erueus, Suarius, & alij, quos citauimus in 1.quæſt. dicunt, vnitatem, ſeu numerum Mathematicum fundare relationem realem; nam à parte rei ſunt vnitates rerum abſolutarum, 2. Prima ſententia. Erue. Suar.

rum,

Digitized by Google

rum, connotantes terminum extrinſecum; ſunt enim quatuor & octo, tria & ſex, &c.

3. *Verior ſententia.* VERIOR ſententia. Suppoſita veriori opinione, quæ tenet relationem eſſe modum realem reſultantem intrinſecè in fundamento, ad poſitionem termini, vt fusè probauimus in dicta quæſtione prima, dicendum eſt conſequenter cum Alenſi quinto Metaph. textu 2. vnitatem, & numerum Mathematicum, non poſſe fundare relationem realem.

Prima ratio. Probant alij hanc ſententiam ex eo, quia darentur relationes infinitæ, nam quælibet linea eſſet dupla ad partes ſuas medias, vel ad aliam lineam, quæ æqualis eſt parti mediæ ipſius, & tripla ad partes tertias, & quadrupla ad partes quartas, & cùm iſtæ partes proportionales ſint infinitæ, eſſent etiam in linea actu relationes infinitæ.

4. *Secunda ratio efficax.* Probatur ſecundò efficaciùs, quia hæc relatio non poteſt eſſe in ſingulis vnitatibus totaliter, aut partialiter, ſingulæ enim vnitates non poſſunt eſſe fundamentum relationis proportionis, ſeu proportionalitatis; quia ſingulæ vnitates non habent rationem dupli, vel ſubdupli, nec poteſt eſſe hæc relatio in omnibus ſimul vnitatibus, quia vnum accidens numero, non poteſt ſubiectari in pluribus entibus diſcretis ſimul.

5. *Inſtantia contra ſecundam rationem.* Dices, ſicut pater & mater dicunt vnam relationem principij adæquati ad filium, quæ quidem relatio partialiter eſt in patre, & partialiter in matre: ita ſimiliter, &c.

Soluitur. Reſpondetur, quicquid ſit, an relatio principij actiui partialiter ſit in patre, & partialiter in matre, hoc enim dependet ab illa quæſtione, an mater concurrat actiuè ad generationem, adhuc neganda eſt paritas, quia cùm pater concurrat partialiter, poteſt etiam fundare relationem partialem, ita & mater; eſt enim hæc relatio diuiſibilis, ſicut ſunt principia concurrentia; at verò ratio dupli, vel ſubdupli, conſiſtit in indiuiſibili; non igitur poteſt partialiter fundari in ſingulis vnitatibus; Si quid autem probat argumentum, ſolùm probat, quòd quælibet vnitas Mathematica, fundat partialiter relationem, ad componendum vnum numerum maximum, qui eſt in vniuerſo, & ſit v.g. millenarius, quia quælibet vnitas concurrit, ſecundùm quod eſt ipſa, ad componendum totum numerum millenarium, qui eſt partialiter diuiſibilis per mille vnitates, non ſic autem eſt ratio dupli, quia octo ad quatuor, ita dicunt rationem dupli, vt omnes octo vnitates ſimul fundent relationem proportionis dupli, quæ quidem ratio dupli, quia, vt dictum eſt, conſiſtit in indiuiſibili, non poteſt eſſe in ſingulis vnitatibus.

6. *Difficultas ſeu obiectio.* SED hinc inſurgit difficultas, ſequeretur enim ex doctrina tradita, non dari relationem æqualitatis in vno palmo, ad alium palmum, quod quidem videtur contra Ariſtot. qui in prædicamento relationis, inter fundamenta relationis realis numerat quantitatem, tanquam fundantem relationem realem æqualitatis; Sequela verò probatur, quia cùm iſta relatio æqualitatis in vno palmo, ſit materialis, & diuiſibilis, & conſequenter ſubiectata in partibus palmi; ſequeretur, quòd etiam in ſemipalmo eſſet relatio æqualitatis ad palmum, quod eſt impoſſibile.

Prima reſponſio. Reſpondetur ad difficultatem, & primò poſſet dici, relationem æqualitatis non eſſe realem, propter argumentum factum, ſed tantùm eſſe habitudinem rationis, neque eſſet hoc expreſsè contra Ariſtotelem, quia etiam inter fundamenta numerat menſuram, quæ tamen non fundat relationem realem; neque hinc ſequeretur, non dari alias relationes reales, quia ceſſat in aliis relationibus ratio peculiaris implicantiæ, quæ reperitur in relatione æqualitatis & dupli.

Secundò reſpondetur ad difficultatem, concedendo relationem æqualitatis eſſe realem, quòd in qualibet parte vnius palmi, eſt relatio partialis æqualitatis, ad aliam partem alterius palmi, quæ omnes ſimul faciunt vnam completam æqualitatem ad palmum, quod quidem dici non poteſt de relatione dupli, nam relatio dupli octo ad quatuor, non eſt partialiter in vna vnitate, & partialiter in alia, ita vt omnes ſimul vnitates faciant ſimul vnam relationem dupli octo ad quatuor. 7. *Secunda reſponſio.*

Tertiò reſpondere poteſt, quòd relatio æqualitatis ſit realis, & ſit diuiſibilis ſubiectiuè, & indiuiſibilis obiectiuè, ita vt quælibet pars illius relationis, quæ eſt ſubiectiuè in quacumque parte palmi, ſit apta referre totum palmum ad alium palmum; ac proinde non referat illam partem in qua ſubiectatur, ſed potiùs referat totum palmum ad alium palmum, ſicut à ſimili dicitur de ſpeciebus viſibilibus, quòd quælibet pars ſpeciei, quæ eſt ſubiectata in quacumque parte oculi, eſt apta repræſentare totum obiectum, quia eſt producta à toto obiecto, & ſicut cùm detegitur noua pars obiecti, tota prior ſpecies corrumpitur, & ſit alia de nouo; ita ſimiliter, ſi illæ duæ quantitates palmares fiant bipalmares, corrumpitur prior relatio æqualitatis, & ſit alia de nouo, quæ reſultat in quacumque parte continui, ex tota quantitate bipalmari: Hæc autem reſponſio non poteſt ita cómodè accommodari relationi dupli, nam cùm vnitates ſint diſcretæ, non videtur poſſe reſultare vna relatio dupli in ſingulis vnitatibus, ſicut reſultat vna relatio æqualitatis, in ſingulis partibus vnius palmi continui. 8. *Tertia reſponſio.*

Omitto reſponſionem aliorum, dicentium relationem æqualitatis eſſe indiuiſibilem totam in *toto* palmo, & totam in qualibet parte palmi; nec obſtat, inquiunt, materialitas, quia in doctrina Thomiſticæ, anima equi eſt materialis, & tamen eſt indiuiſibilis; Sed hæc reſponſio nullum tribuit accidenti materiali, quicquid ſit de anima equi, quæ eſt forma ſubſtantialis, & ſatis perfecta, cùm ſit vita ſentitiua in actu primo. 9. *Quarta reſponſio.*

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

Vtrùm vnitas & numerus Metaphyſicus fundet relationem realem.

SVPPONITVR tanquam certum, vnitatem æquiuocam non fundare relationem, quia tantùm eſt conuenientia in nomine. Quod igitur controuertitur, eſt de vnitate numerica analogicè, & vniuocè, genericè autem vnitatem numericam ſit 1. *Suppoſitũ.*

PRIMA concluſio. Dicendum eſt ſecundùm communem ſententiam, vnitatem numericam non fundare relationem realem, quia non habet extrema diſtincta ex natura rei, quare ſi Deus poneret eandem albedinem numero in duobus ſubiectis, albedo quæ eſt in vno ſubiecto, non fundaret relationem identitatis ad ſe ipſam, vt eſt in alio ſubiecto; Nec obſtat quòd duo indiuidua, tanquam extrema diſtincta, fundent relationem realem ſimilitudinis, ſeu identitatis, propter eandem conuenientiam in vna & eadem natura ſpecifica, non, inquam, obſtat, tum quia eſt diſparitas in exemplo, fundamentum enim proximum eſt natura, quæ non eſt 2. *Prima concluſio.*

Digitized by Google

eadem numero, ſed diuerſa in omnibus indiuiduis; A at verò in duobus illis ſubiectis, albedo eſt eadem numero, quare formaliter idem referretur ad ſe ipſum, ad ſe ipſum autem non poteſt eſſe relatio realis; tum quia ſi illa vna & eadem albedo numero in duobus ſubiectis ſumatur, prout dat effectum formalem duobus albis, tunc eſt eadem paritas in exemplo, de illis duobus hominibus, nam ſicut illi duo homines dicunt relationem realem ſimilitudinis, ſeu identitatis in natura, & diſtinctionem in hac natura; ita ſimiliter illa duo alba dicunt relationem ſimilitudinis, quatenus dicunt conuenientiam in albedine, & diſtinctionem in effectu formali albedinis, quia alius eſt effectus formalis in vno albo, & alius in alio; ſimilitudo enim debet dicere par- B tim conuenientiam, & partim diſtinctionem.

3. Secunda concluſio de vnitate analogica.

Secunda concluſio. Dicendum eſt, vnitatē analogicam, quæ eſt conuenientia ſecundum proprias analogatorum differentias, non fundare relationem realem, quia vltima differentia eſt irreſolubilis in plures rationes, & ideo non eſt à parte rei conuenientia realis, ſed tantùm per intellectum, non ergo poteſt fundare relationem realem. Probatur conſequentia, quia ratio fundandi non debet eſſe intētionalis, ſed realis, nam re ipſa debet determinare fundamentum ad productionem huius relationis, & non illius, at vnitas analogica ſecundum proprias differentias analogatorum, eſt intentionalis, vt dictum eſt, ſecus autem exiſtimo in analogis, C quæ poſſunt reſolui in duos conceptus, quia verè eſt conuenientia à parte rei, ſicut qui tenent, per eundē gradum, Petrum à parte rei eſſe hominem, & hunc hominem, non negant, Petrum eſſe reſolubilem in duos conceptus, quorum alter eſt humanitatis perfectè præciſus, & vniuocus; alter Petreitatis, verè enim eſt conuenientia cum Paulo in humanitate, quamuis humanitas non ſit diſtincta à Petreitate.

4. Quæſitum de analogis attributionis.

Quæres, quòd ſi analoga ſint attributionis, an fundent relationem realem. Reſpondeo, quòd ſi ratio analoga intrinſecè repetiatur in vtroque extremò analogato, quamuis in vno reperiatur per attributionem ad aliud; poteſt fundare relationem realem, quia conueniunt ſecundum analogiam pro- D portionis; ita Caiet. in 1. part. quæſt. 4. art. 3. ad 4. & Suar. diſp. 47. ſect. 11. atque adeò, vt colligitur ex S. Thom. de potentia q. 7. artic. 6. in creatura eſt relatio ſimilitudinis ad Deum.

Caiet. Suar.

5. Tertia concluſio de vnitate vniuoca ſpecifica.

Tertia concluſio. Certum eſt, vnitatem vniuocam ſpecificam, v. g. vnitatem in natura humana, fundare relationem realem ſimilitudinis, ſeu identitatis in Petro & Paulo; ſunt enim omnia requiſita, quia indiuidua, quę ſūt extrema, ſūt diſtincta, & habent conuenientiā realem in natura, ergo nihil obſtat, quin in extremis reſultet relatio realis idētitatis.

6. De vnitate vniuoca generica.

Dubium eſt de vnitate generica, & ratio dubitandi eſt, nam res diſtinctæ ſpecie, ſunt adæquatè E diſconuenientes, quare ſimpliciter dicuntur diſſimiles, quia ratio ſpecifica ponit non ſolùm diſtinctionem, ſed diuerſitatem inter duas ſpecies, differentia autem indiuidualis non importat diuerſitatem, ſeu diſconuenientiam inter duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed tantùm diſtinctionem; quare vnitas generica non videtur quòd poſſit fundare relationem identitatis, ſeu ſimilitudinis, ſicut fundat vnitas, ſeu conuenientia ſpecifica; Et quidem hæc opinio eſt ſatis probabilis, ſicut à pari dicitur, quòd album vt quatuor, & album vt octo, ſunt ita diſſimilia in intenſione, vt non ſint ſimilia in quatuor tantùm gradibus.

Sed his non obſtantibus, ſit

Quarta concluſio. Probabilius eſt ſecundùm communem ſententiam Thomiſtarum cum S. Thoma 1. part. quæſtione 26. artic. 1. ad primum, vnitatem genericam fundare relationem; Et ratio eſt, quia ratio generica eſt extra rationem ſpecificam, præſcindit enim à differentiis ſuorum inferiorum, ergo ratio ſpecifica non poteſt impedire vniformitatem, quam habet ratio generica, in pluribus ſpeciebus eiuſdem generis; ſicut nec differentia indiuidualis impedit, quin ratio ſpecifica fundet relationem identitatis inter duo indiuidua, propter eamdem rationem, quia ratio ſpecifica eſt extra rationem indiuidualem, at verò ratio magis albi impedit ſimilitudinem, quia illa exceſſus eſt intra rationem albi, ac proinde impedit, vt album vt octo, ſit ſimile albo vt quatuor, ſecundùm illos quatuor gradus, in quibus conueniunt, quia totum album vt octo, intra rationem albi, eſt diſſimile toti albo vt quatuor. 7.

Quarta concluſio. S. Thom.

Ad rationem verò dubitandi reſpondetur, quòd vtraque ratio tam ſpecifica, quàm indiuidualis, diuerſificant, licèt diuerſo modo, nam ratio ſpecifica diuerſificat eſſentialiter; ratio autem indiuidualis diuerſificat numericè; ex qua diſparitate ſolùm probari poteſt, quòd duæ ſpecies ſub eodem genere ſint ſimpliciter diſſimiles, non autem, quòd non ſint ſecundùm quid ſimiles in natura generica; Et confirmatur, quia duo indiuidua eiuſdem ſpeciei conueniunt non ſolùm in gradu ſpecifico, ſed etiam in gradu generico, ergo habent relationem identitatis ad vtrumque gradum, ſiue illa relatio identitatis ſit multiplex, altera ad gradum genericum, altera ad gradum ſpecificum, ſiue, quod probabilius eſt, ſit vna ad totam naturam ſpecificam; & hæc de vnitate Metaphyſica. 8.

Soluitur ratio dubitandi cōtra primam cōcluſionem.

Sed maior controuerſia eſt, an numerus, ſeu diſconuenientia Metaphyſica fundet relationem realem diſſimilitudinis, circa quam ſit

Dubium an diſconueniētia fundet relationem realem diſſimilitudinis.

Quinta concluſio. Numerus Metaphyſicus, ſeu diſconuenientia, fundat relationem realem diuerſitatis, ſeu diſſimilitudinis. 9.

Quinta concluſio. Prima ratio. Ariſtot.

Probatur primò ex Ariſtotele, qui æquè ponit in cap. Ad aliquid, vnitatem fundare ſimilitudinem; ac ponit numerum fundare diſſimilitudinem; ſed vnitas, vt viſum eſt ſuprà, fundat relationem realē ſimilitudinis, ergo etiam numerus fundat relationē realem diſſimilitudinis; Et in cap. de Quantitate, cùm docuiſſet, quantitati nihil eſſe contrarium, obiicit ſibi, quòd magnum, & paruum, quæ ad quantitatem pertinent, ſunt contraria. Ad quam obiectionem reſpondet, magnum & paruum pertinere ad aliquid, magnum autem, & paruum fundantur in diſconuenientia.

Quòd ſi dicas, magnum, & paruum pertinere ad aliquid, ſed eſſe rationes intentionales. Contrà, quia Ariſt. ibi ſupponit eſſe reales, inueſtigabat enim ibi Ariſt. proprietates reales quantitatis; Quod ſi magnum, & paruum exiſtimaſſet non eſſe rationes reales, facilè ſe expediſſet ab obiectione.

Secundò probatur ratione, quia ſunt omnia requiſita ad fundandam relationem, ſunt enim extrema realia exiſtentia, quæ ſe mutuò reſpiciunt tanquam diſconuenientia, ergo nullum eſt impedimentum, vt non reſultet relatio realis.

Secunda ratio.

Obiicies primò, relatio habet rationem nexus, ſed ea, quæ ſunt diſconuenientia, non ſunt connexa ad inuicem, ſed potiùs disiuncta; non poteſt igitur conſurgere relatio realis; Propter hoc argumentum Valentia 1. part. diſp. 7. quæſt. 16. puncto primo ad quartum tenet, diſconuenientiam eſſe ineptam 10.

Prima obiectio.

Valentia.

Digitized by Google

ineptam rationem ad fundandum relationem realē.

Solutio. Sed contrà primò, quia hæc ratio probaret etiam non eſſe conceptibilem hanc relationem diſſimilitudinis contra omnium ſententiam. Secundò, actus odij, & ſimiles circa aliquam rem, intrinſecè includit relationem tranſcendentalem ad rem odio habitam, ſeu nolitam, ſicut actus amoris, & ſimiles, ad rem amatam, cur ergo actus odij non poteſt fundare relationem realem prædicamentalem.

Directè igitur ad obiectionem reſpondendo, dico, quòd ratio relationis conſiſtit in reſpicientia, quam habet ad terminum; cùm igitur ea, quæ ſunt diſconuenientia, inuoluant in ſuo conceptu terminum, poteſt dari reſpicientia, ſeu reſpectus realis vnius extremi ad aliud extremum, tanquam ad terminum, qui reſpectus poteſt dici aliquo modo nexus, non quidem, vt nexus dicit connexionem ſecundùm conuenientiam ſeu identitatem, ſed vt nexus dicit quandam mutuam reſpicientiam.

11. Secunda obiectio. Secundò obiicit idem Valentia, ſi diſconuenientia, inquit, poſſet fundare relationem realem, ſequeretur, quòd etiam inter perſonas diuinas realiter diſtinctas daretur relatio realis diſſimilitudinis, quod non audent concedere Theologi.

Solutio. Reſpondetur, quòd aliqui Scotiſtæ admittunt, ſed meliùs cum Thomiſtis non eſt admittendum, non quia diſconuenientia ex natura ſua non ſit ratio fundandi, ſed quia quælibet alia relatio præter relationes originis dicit imperfectionem in Deo, nam illa relatio non eſſet per ſe primò, ſed eſſet per reſultantiam in vtroque extremo, vt eſt in creaturis, vt dicemus infrà fuſiùs in Corollariis.

12. Tertia obiectio. Tertiò obiiciunt acutè aliqui recentiores, diſſimilitudo eſt negatio ſimilitudinis, ergo non eſt relatio realis.

Solutio. Reſpondetur, quòd diſſimilitudo eſt ratio poſitiua, nam ſi daretur vnus tantùm color, verbi gratia, albedo, diceret negationem ſimilitudinis, nō tamen diceret diſſimilitudinem, requireretur enim alius color diuerſus, ad hoc vt fundetur ratio diſſimilitudinis.

QVÆSTIO DECIMA-SEPTIMA.

Vtrùm ſecunda ratio fundandi, quæ eſt Actio, & Paſſio, fundent relationem realem.

1. PRÆTER ea, quæ diximus de actione in quæſt. 14. occurrit hîc diſputandum, an actio agentis fundet relationem realem; & idem dicendum de vnione, quia vnio inter materiam, & formam, & inter alia extrema, reducitur ad idem genus fundandi, quod eſt actio, & paſſio, eſt enim vnio cauſalitas quædam materiæ, vel cauſalitas formæ.

Prima ſententia. PRIMA ſententia tenet, quòd actio, & vnio ſint relationes prædicamentales, quia ſunt reſpectus ad terminum, & requirunt terminum exiſtentem, non ergo differunt à prædicamentalibus.

2. Secūda ſententia. SECVNDA ſententia eſt Scoti in 4. d. 13. quæſt. 1. aſſerentis, actionem, & vnionem eſſe relationes extrinſecùs aduenientes; Quòd autem diſtinguantur huiuſmodi reſpectus extrinſecùs aduenientes, à reſpectibus intrinſecùs aduenientibus, quæ ſunt prædicamentales, probat, quia reſpectus intrinſecùs aduenientes, poſito fundamento, & termino, non ſtatim conſurgunt, nam poſito agente, præſertim libero, non ſtatim conſurgit actio, nec poſita materia, & forma, ſtatim conſurgit vnio, nec poſito Verbo, & humanitate, ſtatim conſurgit vnio cum humanitate, quia alioquin omnis humanitas eſſet vnita cum Verbo.

3. Tertia ſententia. TERTIA ſententia tenet, actionem, & vnionem eſt relationes tranſcendentales; & fundare relationes prædicamentales, quia habent omnia requiſita ad fundandum illas.

4. Quarta ſententia. QVARTA ſententia tenet vnionem, & actionem eſſe quidem relationes tranſcendentales, contra primam opinionem, ſed dicit illas non fundare relationes prædicamentales, quia fruſtra darentur iſtæ relationes prædicamentales, actio enim, & vnio, reſpiciunt ipſum terminum exiſtentem, ad quem reſpiciendum dantur relationes prædicamentales.

Pro reſolutione quæſtionis pono tres concluſiones.

5. Prima concluſio cōtra primā ſententiam. Prima ratio. PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Tam actio, quàm vnio, ſunt relationes tranſcendentales, & non prædicamentales; quia non ſolùm reſpiciunt terminum ſub pura ratione termini, ſed etiam exercent aliquod aliud munus circa terminum, nam actio quatenus via, ponit terminum in eſſe, & vnio vnit realiter vnum extremum cum alio extremo; at verò relatio prædicamentalis non habet aliud munus, quàm reſpiciendi terminum, ſub pura ratione termini, vt oſtendimus quæſt. quarta.

Secunda ratio. Secundò probatur ſpecialiter de vnione, quia vnio æquè reſpicit extrema, vnit enim æquè materiam cum forma, & formam cum materia, & ideo diximus in prædicamento Subſtantiæ, quæſtione quarta, ſufficere vnam vnionem ad vniendum extrema; at verò relatio præſertim diſquiparantiæ, vt paternitas, non æquè reſpicit fundamentum, & terminum, nam fundamentum reſpicit in recto, & terminum in obliquo, vnde non poteſt vtrumque extremum per eandem relationem referri.

6. Secunda cōcluſio cōtra ſecundā ſententiam. Erue. Soncinn. Scotus. SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. Dicendum eſt cum Erueo quodl. 7. quæſt. 14. & Soncin. 5. m. quæſt. 39. & aliis Thomiſtis, quòd actio, & vnio, non ſunt relationes extrinſecùs aduenientes; Probatur, nam vel Scotus vult, quòd iſtæ relationes ſint ſecundùm eſſe, vt videtur dicere, & hoc dici non poteſt, quia relationes ſecundùm eſſe, ſunt relationes prædicamentales; at actio, & vnio, non ſunt relationes prædicamentales, vt ſuprà in prima concluſione probatum eſt; vel Scotus vult, iſtas relationes eſſe tranſcendentales, & tunc eſt quæſtio de nomine; vel vult eſſe aliquam mediam relationem inter tranſcendentalem, & prædicamentalem, & tunc etiam eſt quæſtio de nomine, nam eſſentialiter non differret à tranſcendentali, tum quia non reſpicit terminum ſub pura ratione termini, tum quia includit aliquod abſolutum, quod ſeipſo refertur ad terminum, nam actio, & vnio, non ſunt reſpectus ſecundùm eſſe, ſeu puri reſpectus, ergo includunt aliquod abſolutum, quod ſeipſo refertur ad terminum, actio enim ſeipſa tamquam via refertur ad effectum, quem ponit in eſſe.

7. Tertia concluſio contra quartam ſententiam. Prima ratio. TERTIA concluſio contra quartam ſententiam. Actio ſaltem (quidquid ſit de vnione, de qua in ſequenti concluſione dicetur,) fundat relationem realem prædicamentalem; quamuis enim actio ſit reſpectus ad terminum, & requirat extrema exiſtentia, ſicut relatio prædicamentalis, non tamen relatio prædicamentalis eſt fruſtra, quia tranſacta actione, remanet adhuc agens, relatum ad ſuum effectum, tanquam ad terminum, ergo debet dari ratio forma

Digitized by Google

formalis huius relati; hæc autem eſt relatio.

Quòd ſi dicas, poſſe dici quòd tranſacta actione, tunc fit relatio, non igitur eſt neceſſe, vt dum eſt actio, ſit ſimul relatio: probatur, nam vario modo denominat hæc relatio agentem, quàm denominabat actio, nam actio denominabat, vt actu agentem, hæc verò relatio denominat eum, qui effecit.

Sed contra hoc eſt, quia tranſacta actione, non eſt ratio fundandi, ad quam reſultare poſſit noua relatio: quia actio, vt præterita, non poteſt illam fundare, non ſolùm ea ratione, quia eſt ceſſatio, ſeu priuatio actionis, vt dicunt quidam recentiores, nam aliquando ratio fundandi poteſt eſſe negatio, multi enim tenent vnitatem eſſe negationem, ſed quia actio ſecundùm conceptum ſuum dicit agere de præſenti, non ergo poteſt denominare agentem de præterito, ergo neque fundare relationem agentis de præterito, fundat igitur actio relationem, cùm præſens eſt, poteſt autem relatio, quoniam non dependet in conſeruari ab actione, ſed tantùm in fieri, poteſt, inquam, referre agentem ad terminum eo modo, quo effectus habet eſſe à ſua cauſa, & quidem ſi effectus, habet eſſe vt nunc fit, refert agentem ad effectum, tanquam ad terminum, vt nũc fit, ſi verò terminus eſt in facto eſſe, refert agentem ad effectum, vt fuit ab agente.

8. Secundò probatur, quia actio, quamuis ſit eſſentialiter reſpectus ad terminum, non tamen proximè, & immediatè refert agentem, ſed refert potiùs ſeipſam, ſed quia ipſa eſt via, & actus agentis, conſequenter refert agentẽ remotè, & quaſi in obliquo ad effectum, at verò relatio eſt ordinata à natura ad hunc finem, vt proximè, & immediatè referat agentem ad ſuum effectum, tamquam ad terminum.

9. *Quarta cõcluſio cõtra tertiam ſententiam. Bonauent. Riccar. S.Thom.*

Qvarta concluſio contra tertiam ſententiam. Mihi videtur probabilius, vnionem non fundare relationem realem; Hæc ſententia videtur eſſe Bonauent. in 3. d. 1. art. 1. quæſt. 1. & 2. & diſt. 3. art. 3. quæſt. 2. & Riccardi diſt. 5. art. 3. quæſt. 1. & 2. & S. Thom. in 3. p. q. 2. qui vnionem vocant relationem; Et ratio eſt, quia fruſtra additur ſupra vnionem relatio prædicamentalis vnionis, nam vnio requirit extrema exiſtentia, ſicut relatio prædicamentalis, quæ immediatè, & proximè refert vnum extremum ad aliud, ſicut faceret relatio, ſi daretur; nec poteſt dici, quòd requiritur, vt referat tranſacta vnione, ſicut dicebamus de relatione agentis tranſacta enim vnione, non remanent extrema ampliùs vnita; fruſtra igitur datur hæc relatio in vno extremo, & correlatio in alio, & præterea vnio refert proximè vnum extremum ad aliud, ſicut facit relatio.

10. *Prima obiectio.*

Sed contra hanc concluſionem tenet tertia ſententia, & præſertim graues recentiores, & obiiciunt primò, quia idem, inquit, eſſet dicendum de actione, quod eſt contra Ariſtotelem. Sed ad hoc iam reſponſum eſt ſuprà, eſſe diſparem rationem, tum quia actio non immediatè refert agentem, tum quia tranſacta actione, adhuc agens refertur ad effectum, quia effectus productus remanet tranſacta actione; debet igitur dari relatio, quæ ſaltem tranſacta actione referat agentem ad effectum; at verò tranſacta vnione, non remanet effectus ſeu compoſitum; non igitur requiritur aliqua relatio ad hoc, vt componentia tranſacta vnione referantur ad compoſitum, neque requiritur relatio, dum eſt vnio, quia, vt probatum eſt, ſatis eſt vnio ad referentiam.

11. *Secũda obiectio.*

Obiicit ſecundò, quòd ſequeretur, idem eſſe dicendum de viſione; ſed hoc eſt contra communem; Sequelam probat, quia viſio etiam eſt relatio tranA ſcendentalis ad obiectum exiſtens, & tranſacta viſione, non remanet ampliùs potentia relata ad obiectum. Reſpondetur, quòd viſio non propriè, & immediatè refert potentiam ad obiectum, ſed ſe ipſam immediatè refert, remotè autem, & quaſi in obliquo, refert potentiam, ſicut dicebamus de actione; at vnio immediatè vniendo refert vnum extremum ad aliud, & præterea poteſt per potentiam diuinam remanere viſio in oculo, corrupto obiecto, ſecundùm S.Thom. in 3. par. quæſt. 77. & tamen tunc non eſſet relatio prædicamentalis, quia requirit obiectum exiſtens, eſt enim relatio prædicamentalis eſſentialiter actualis ordo coëxiſtentium, vt oſtenſum eſt ſuprà.

B Obiicit tertiò S. Thomam in 3. d. 7. art. 1. quæſt. 3. Sed reſpondetur S.Thom. ibi vel loqui de relatione rationis, vel de ipſa vnione, quæ ſecundùm diuerſum conceptum vocatur vnio, & relatio, vt patet ex eodem S. Thom. quia, quidquid dixerit in 3. ſent. loco citato, tamen in 3. p. q. 2. vnionem naturæ humanæ cum Verbo ferè ſemper appellat relationem. 12. *Tertia obiectio. S. Thom.*

Ad argumenta patet ex dictis. Ad fundamentum primæ ſententiæ, quod eſt contra primam concluſionem, reſpondetur concedendo, vnionem & actionem referri ad terminum exiſtentem, ſed negatur, hoc ſolum ſufficere ad relationem prædicamentalem, requiritur enim, vt ſit purus reſpectus, cuiuſmodi non eſt actio & vnio, quia exercet aliC quod aliud munus circa terminum, quàm reſpiciendi. 13. *Reſpõſio ad argumenta aliarũ opinionum.*

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt contra ſecundam concluſionem, reſpondetur ex dictis ibidem.

Ad fundamentum tertiæ ſententiæ, quod eſt contra quartam concluſionem, reſpondetur ex dictis ibidem, quòd vnio non fundat relationem prædicamentalem; & rationem ibidem aſſignauimus, quia talis relatio eſſet fruſtra.

Ad fundamentum quartæ ſententiæ, quod præcipuè eſt contra tertiam concluſionem, reſpondetur quòd quamuis illa ſententia verum dicat de vnione, non tamen bene dicit de actione, quia actio D fundat relationem prædicamentalem; non enim datur fruſtra, ſicut daretur in vnione, vt patet ex rationibus in tertia & quarta concluſione allatis.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

Vtrùm menſura, & menſurabile, quod eſt tertium genus rationis fundandi, fundet relationem mutuam.

Nota primò, non eſſe hîc ſermonem de menſura quæ ſumitur tamquam medium magis notum, ſicut eſt vlna, quæ aſſumitur E ad menſurandum pannum, & ſicut eſt ſecundùm communiorem opinionem, tempus primi mobilis, quod aſſumitur ad menſurandum motus inferiores, ſed accipitur menſura, vt eſt cauſa formalis extrinſeca, à qua eſſentialiter dependet menſurabile, ita vt menſurabile, quatenus menſurabile, habeat entitatem, & perfectionem ſuam proportionatam menſuræ, dependentem ab illa, ita vt talis, & tanta ſit entitas rei menſurabilis, quantam exigit menſura, vnde dicitur ſcientia menſurari à ſcibili, id eſt, à tali obiecto, quia ipſa ſcientia non habet maiorem perfectionem, quàm ſit cognoſcibilitas ſui obiecti, & habet talem, & tantam perfectionem, quantam poſtulat perfectio obiecti; aduerte tamen hîc quòd obiectum 1. *Explicatur titulus quæſtionis Not. primò.*

Digitized by Google

obiectum appellat aliquando Ariſt. menſurabile, non paſſiuè, ſed actiuè, quod eſt ipſa menſura.

2. Nota ſecundò. Nota ſecundò, certum eſſe, aliquando inter menſuram, & menſurabile eſſe relationem mutuam, quando menſura ſe habet non vt propria menſura, cuiuſmodi eſſet cauſa formalis extrinſeca, ſed quando menſura ſe habet vt cauſa efficiens, ſicut cùm obiectum immutat potentiam producendo ſpeciem ſui, tunc enim menſura continetur in ſecundo genere fundandi, quod eſt actio.

3. Quod igitur hîc controuertitur, eſt, vtrùm inter menſurabile, & menſuram propriè dictam, vt eſt cauſa formalis extrinſeca, cui eſſentialiter commenſuratur res menſurabilis, ſit relatio mutua.

Communis ſententia & tenenda. COMMVNIS quidem ſententia & vera, tenet cum Ariſt. 5. m. cap. 15. quòd tantùm relatio ſit in re menſurabili, cuiuſmodi eſt ſcientia, & non in menſura, cuiuſmodi eſt obiectum ſiue ſcibile.

4. SED contra hanc communem ſententiam occurrit dubium perdifficile, quia ſicut in ſecundo genere fundandi, dependentia actiua in agente, fundat relationem realem, ita etiam dependentia actiua, debet fundare relationem realem in menſura, v. g. in ſcibili.

Dubiũ contra hanc cõmunẽ ſententiam. Variæ reſpõſiones. Ad hoc dubium ſunt variæ Doctorum reſponſiones, quæ tamen non omnes ſoluunt difficultatem.

Prima reſponſio cõfutatur. Et primò reſpondent aliqui, quòd ſcibile non eſt entitas realis, ſed denominatio extrinſeca, & ideo non fundat relationem realem. Sed hæc reſponſio non valet, nam ſcibile, vt dicit intrinſecam entitatem & intelligibilitatem, eſt ens reale.

5. Secunda reſpõſio confutatur. Reſpondent ſecundò alij, rem menſurabilem, vt ſcientiam, dependere quoad ſuam eſſentiam à ſcibili; at verò effectum dependere à cauſa efficienti quoad exiſtentiam tantùm. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia cùm vtrobique ſit dependentia, deberet explicare hæc reſponſio, quare dependentia quoad eſſentiam, non fundat in eo, à quo eſt dependentia, relationem realem, fundet autem dependentia in agente producente rem, quoad exiſtentiam.

6. Tertia reſpõſio confutatur. Tertiò alij reſpondent, quòd in agente datur ratio fundandi realis, quæ eſt actio; at verò in menſura non datur huiuſmodi ratio fundandi, ſed tantùm ratio fundandi in re menſurabili, eſt commenſuratio paſſiua ad ſuam menſuram. Sed neque hæc reſponſio, niſi meliùs explicetur, ſatis eſt, quia etiam in menſura datur dependentia actiua, ex perfectione enim ſeu intelligibilitate ipſius ſcibilis, oritur tanta perfectio in ſcientia, ergo ſicut dependentia actiua in agente fundat relationem, ita ſimiliter in menſura.

7. Quarta reſponſio S. Thomæ defenditur. Quartò reſpondet S. Thom. quæſt. 7. de ſimplicit. diuinæ eſſent. art. 10. quòd ideo agens fundat relationem realem, quia accipit aliquam perfectionem ab effectu, conſeruatur enim in ſuo effectu; at menſura nullam accipit perfectionem à menſurabili; quæ ratio quamuis ab aliis impugnetur, ſi tamen bene explicetur, eſt probabilis.

8. Pro cuius explicatione nota, quòd relationes quæ fundantur in primo genere, ſunt mutuæ, quia æquè vnum extremum reſpicit alterum, ac propterea non eſt maior ratio, cur vnum ſimile fundet relationem, & non aliud ſimile; relationes etiam ſecundi generis ſunt mutuæ, quia effectus percipit perfectionem à cauſa, & cauſa recipit perfectionem ab effectu, quatenus cauſa aliquo modo cõſeruatur in ipſo effectu, tanquam in aliquo ſui, ac propterea agens non ſolùm eſt id, ad quod aliud refertur, ſed

A etiam eſt id, quod ordinatur ſeu refertur ad effectum, accipiendo aliquam perfectionem ab effectu; at verò menſura, vt obiectum, non recipit eſſe à re menſurabili vt à ſcientia, quia obiectum non tranſmutatur realiter ex actu, ſed tantùm intentionaliter; nec conſeruatur ſecundùm eſſe reale in ſcientia tanquam in ſuo effectu, quia ſcientia non recipit exiſtentiam ab obiecto, tanquam à menſura, ſicut recipit effectus ab agente, ſed dependet ab obiecto ſecundùm eſſentiam, quatenus perfectio eſſentialis ſcientiæ commenſuratur, vt dictum eſt ſuprà, ipſi obiecto, habet enim talem, & tantam perfectionem eſſentialem, qualem, & quantam poſtulat natura, & intelligibilitas obiecti.

B Obiicies primò, hinc ſequeretur, quòd Deus reciperet perfectionem à creatura. Reſpondetur, quòd eſt diſpar ratio de Deo, qui eſt cauſa prima, & de creaturis, quæ ſunt cauſæ ſecundæ, nam omnes cauſæ ſecundæ ſunt defectibiles ſaltem per diuinam potentiam, & ideo eſt perfectio in illis, vt poſſint conſeruari in ſuo effectu; at verò Deus eſt cauſa omnino indefectibilis, & ideo non indiget conſeruatione, & propterea actio in Deo non fundat relationem agentis, non ſolùm, quia Deus non eſt capax relationis de nouo aduenientis propter ſummam ſuam ſimplicitatem; ſed quia etiam eſt cauſa prima omnino indefectibilis, & non ordinata ad effectum, recipiendo perfectionem ab effectu. 9. Prima obiectio. Solutio.

C

Obiicies ſecundò, dum agens agit, non poteſt per diuinam potentiam corrumpi, ergo ſaltem in illo inſtanti actio non fundat relationem, quia in illo inſtanti eſt indefectibile, ex ſuppoſitione ergo non indiget, vt conſeruetur in ſuo effectu. Reſpondetur, ſufficit quòd agens ex natura ſua ſit defectibilis, & præterea actio illa tendit ad effectum, qui durare poteſt poſt illud inſtans, in quo poteſt agens conſeruari in ſuo effectu, tanquam in aliquo ſui. 10. Secũda obiectio. Solutio.

Obiicies tertiò, etiam menſura, vt obiectum, conſeruatur in re menſurabili, vt in ſcientia, tanquam in ſuo effectu, ergo deberet etiam fundare relationem. Reſpondetur, obiectum tantùm intentionaliter, & in eſſe cognito, dependere à ſcientia, D quoad eſſe verò reale, non dicitur conſeruari in ſcientia, tanquam in effectu, quia, vt dictum eſt, eſſe exiſtentiale, quod habet ſcientia, non eſt ab obiecto, & ideo non poteſt dici, quòd in illo eſſe conſeruetur obiectum, ſcientia enim dependet ab obiecto, quoad eſſentiam, quatenus perfectio eſſentialis ſcientiæ, eſt commenſurata obiecto, quia non poteſt eſſe maior, quàm ſit intelligibilitas obiecti. 11. Tertia obiectio. Solutio.

Obiicies quartò, ſequeretur quòd in Diuinis actio producendi non fundaret relationem, quia non poteſt dici, quòd perſona diuina producens, quæ eſt omnino indefectibilis, conſeruetur in perſona producta; Reſpondetur, quòd in Diuinis eſt diuerſa ratio, quia per illam actionem producendi, E quam concipimus in Diuinis, communicatur perſonæ productæ eadem eſſentia producentis, ac propterea altiori quodã modo Pater eſt in Filio in Diuinis, & præterea in Diuinis non datur, vt ſupponitur ex fide, dependentia actiua, & paſſiua, ac propterea non eſt maior ratio, quòd in perſona producta detur relatio, & non in producente, quod non eſt ſimile in creaturis, nam effectus dicit dependentiam paſſiuam ab agente, & ideo fundat relationem effectus ad agentem, quia recipit perfectionem ab ipſo agente, ſcilicet, eſſe, in agente verò eſt dependentia actiua, & quidem ſi agens non conſeruaretur in effectu, poſſet dici, quòd illa dependentia actiua non fundaret relationem realem, quia 12. Quarta obiectio. Solutio.

 cùm

Digitized by Google

cùm agens nullam accipiat perfectionem ab effectu, ſicut effectus accipit ab ipſa cauſa, ſequeretur quòd cauſa, non ordinaretur ad effectum, ſed tantùm effectus ad illam; ergo ſolùm effectus fundaret relationem ad cauſam.

13. Quinta & verior reſpõſio eiuſdem S. Thomæ.

Quintò tamen, & veriùs reſpondetur cum eodem S. Thom. quæſt. 7. de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ loco citato, & eſt ratio à priori, & fundamentalis, quòd ratio actiua menſuræ, non poteſt fundare relationem realem, quia conſtituit formaliter menſuram, vt id, ad quod refertur aliud, non poteſt igitur fundare relationem, quæ faciat menſuram referri ad aliud. Conſequentia probatur, nam ratio ad quam aliud refertur, & ratio quæ refertur ad aliud, ſunt rationes oppoſitæ, non poſſunt ergo habere idem proximum fundamentum; Si ergo ratio menſuræ actiuæ, dat menſuræ rationem termini, vt, ſcilicet, aliud referatur ad ipſam, non poteſt eadem ratio dare eidem menſuræ, vt ipſa referatur ad aliud. Antecedens probatur, nam ratio menſuræ in hoc conſiſtit, vt res menſurabilis proportionetur, & commenſuretur, ſecundùm ſuam eſſentiam perfectionis menſuræ, ita vt res menſurabilis talem, & tantam, id eſt, non maiorem habeat perfectionem, qualem, & quantam exigit menſura, ex. gr. ſcientia talem, & tantam perfectionem poteſt habere, ſicut eſt tale obiectum, & quanta intelligibilitas eſt in illo obiecto, ergo menſura eſt cauſa exemplaris, ad quam eſt alterum per commenſurationem; at verò in agente datur actio, quæ ex ſua propria ratione non dicit ad quod, ſed à quo, & vt ſic importat terminum; ergo poteſt eſſe ratio fundandi relationem in agente, per quam agens referatur ad terminum, qui importatur ab vnione.

Quòd ſi dicas, etiam in menſura eſt quædam dependentia actiua, quæ oritur ex perfectione menſuræ, quæ quidem dependentia actiua ex ſua ratione formali importat terminum; Reſpondetur, quòd dependentia in menſura, à qua dependet res menſurabilis, non eſt propriè actiua, ſed potiùs eſt formalis, quare potiùs conſiſtit, vt ſit ratio ad quam aliud terminatur, quàm vt ſit ratio, à qua aliud procedat. 14. Obiectio. Solut.

Quæres, an cauſa finalis reſpectu agentis præſertim per cognitionem, reducatur ad hoc tertium genus menſuræ. Reſpondetur quòd ſic, nam actio agentis commenſuratur fini, agens enim non operatur niſi iuxta exigentiam finis, quia finis eſt, qui vt cognitus mouet agentem ad operandum. Finis autem, vt finis eſt, omnino eſt independens in ſuo eſſe ab agente, vnde aliquando finis, vt apprehenſus, etiam ſi à parte rei ſit impoſſibilis, habet ſuam cauſalitatem; finis ergo vt cognitus habet rationem obiecti menſurantis, & regulantis actionem agentis, atque adeò finis non fundat relationem realem etiam ſi à parte rei exiſtat. 15. Quæſtiõ de cauſa finali.

COROL

Digitized by Google

COROLLARIA THEOLOGICA DE DIVINIS RELATIONIBVS,

Quæ deducuntur ex Prædicamento Relationis, ſeu Ad aliquid.

PRIMVM COROLLARIVM.

In Deo non datur relatio prædicamentalis ad creaturas.

SECVNDVM COROLLARIVM.

In Deo non datur aliqua relatio tranſcendentalis ab æterno, ſiue potentiæ, ſiue ſcientiæ ad creaturas poſſibiles.

TERTIVM COROLLARIVM.

Verbum Diuinum, vt Verbum, non dicit relationem realem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, tanquam ad obiecta dicta à Patre in Verbo.

QVARTVM COROLLARIVM.

In Deo dantur relationes reales perſonales originis, ſcilicet, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua.

QVINTVM COROLLARIVM.

Huiuſmodi relationes originis non ſolum ſunt reales, ſed etiam dicunt perfectionem realem, non ſolum abſolutam, ſed etiam relatiuam.

SEXTVM COROLLARIVM.

Præter illas tres relationes perſonales originis ſuprà dictas, datur etiam in Deo relatio realis ſpirationis actiuæ.

SEPTIMVM COROLLARIVM.

Præter has quatuor relationes reales originis, quæ ſunt paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiua, & ſpiratio actiua, non ſunt ponendæ aliæ relationes reales in Deo.

OCTAVVM COROLLARIVM.

Relationes originis perſonales in diuinis, diſtinguuntur inter ſe à parte rei realiter.

Digitized by Google

NONVM COROLLARIVM.

Relationes diuinæ non habent proprias exiſtentias relatiuas, ſed exiſtunt exiſtentia abſoluta.

DECIMVM COROLLARIVM.

Perſonæ conſtituuntur in eſſe hypoſtaſis, ſeu perſonæ, per proprietates relatiuas, vt relatiuas.

VNDECIMVM COROLLARIVM.

Præter relationes originis, danda eſt in Deo potentia notionalis productiua, quæ ſit fundamentum harum relationum.

DVODECIMVM COROLLARIVM.

Præter relationes originis, & potentiam productiuam, danda eſt in Deo origo, ſeu actio notionalis, qua producuntur perſonæ tanquam ratio fundandi, ſeu fundamentum proximum.

DECIMVMTERTIVM COROLLARIVM.

De perſonis diuinis in particulari, & primò, de perſona Patris.

Pater ſolus in diuinis eſt innaſcibilis, ſeu ingenitus; hæc autem proprietas notionalis fundatur in relatione paternitatis.

DECIMVM QVARTVM COROLLARIVM.

De perſona Filij.

Filius procedit ex cognitione omnium quæ ſunt in Deo formaliter, non autem ex cognitione creaturarum quæ ſunt in Deo eminenter; procedit autem ex cognitione tamquam ex via generatiua, & hinc fit, vt ratio geniti, & ratio imaginis, ſint rationes ſeu proprietates notionales ſolius Filij.

DECIMVMQVINTVM COROLLARIVM.

De perſona Spiritus ſancti.

Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, tamquam ab vno principio, poſtulat tamen ex natura ſua pluralitatem ſuppoſitorum, quia procedit vt nexus Patris & Filij: quòd ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA THEOLOGICA CIRCA PRIMVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia primi Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo non detur relatio prædicamentalis ad creaturas.

1. Prima ſententia. IN oppoſitum eſt PRIMA ſententia, quę aſſerit dari in Deo relationes prędicamentales ad creaturas, vt Creatoris, Domini, &c. Hanc ſententiam coguntur tenere omnes illi Doctores quos citauimus in prædicamento Relationis, quæſtione prima philoſophica, pro prima opinione, qui tenent relationem realem eſſe ipſam formam abſolutam, prout connotat extrinſecè terminum, ita vt eadem res, quæ eſt albedo, & facit Socratem album, prout eſt res abſoluta, eadem faciat formaliter Platoni ſimilem, quatenus connotat coëxiſtentiam alterius albi, ita vt denominetur denominatione intrinſeca (ſimilis) per formam ipſam albedinis, quæ dat Socrati effectum formalem (ſimilis) ſuppoſita coëxiſtentia alterius albi; quia, inquiunt, præciſa B omni alia habitudine media, ſi remaneat fundamentum, & terminus, ſufficienter ſaluatur conceptus ſimilitudinis; Similia enim ex Ariſt. in cap. de relationibus dicuntur ea, quorum qualitas eſt vna; & idem dicendum eſt de aliis relationibus. Ex hac autem opinione ſequitur conſequenter, quòd admittenda eſt relatio realis prædicamentalis in Deo, nam in Deo eſt forma abſoluta, potentia, ſcilicet, creandi connotans effectum tanquam terminum extrinſecum; eſt igitur in Deo relatio realis Creatoris ad creaturas. Quare Soncinnas 5. metaph. quæſt. 25. & Erueus in 1. diſt. 30. quæſt. vnica, ita alij graues Recentiores ſequentes hanc ſententiam, dicunt conſequenter poſſe ſine vllo abſurdo admitti relationem prædicamentalem realem in Deo; Subdunt tamen recentiores, ne videantur diſcedere à communi modo loquendi, poſſe dici non eſſe in Deo relationem prædicamentalem realem, quia extrema non ſunt eiuſdem ordinis; Sed non videntur conſequenter loqui, quòd enim extrema ſint diuerſi ordinis, nihil obſtat, quia in hac opinione relatio non reſultat de nouo, tanquam res diſtincta à forma abſoluta, nihil enim eſt aliud, quàm ipſamet forma abſoluta connotans terminum extrinſecum; cùm igitur in Deo verè ſit forma abſoluta, ſeu potentia creandi, connotans creaturam tanquam terminum extrinſecum, verè erit in Deo ſecundùm hanc opinionem relatio realis, etiam ſi extrema ſint diuerſi ordinis.

Ariſt.

Sonc. Erueus. Recētiores.

2. Ocham. Greg. Hanc primam ſententiam tribuunt recentiores D Nominalibus in 1. diſtinct. 30. Ocham quæſt. 1. & diſt. 31. quæſt. 1. Gregor. diſt. 28. quæſt. 2. art. 2. ſed re vera Nominales hoc non dicũt, dicunt enim has relationes in Deo eſſe reales, non ex eo, quia ſunt aliquid intrinſecum in Deo, neque per denominationem intrinſecam, à forma abſoluta intrinſeca, quæ A ſit in Deo, ſed per denominationem extrinſecam, à forma intrinſeca, quæ eſt in termino.

His tamen non obſtantibus, TENENDA eſt ſententia Corollarij, non dari, ſcilicet, relationem prædicamentalem realem in Deo, quæ ſententia eſt communior, & verior. 3.

Pro cuius explicatione notandum eſt tripliciter poſſe concipi relationem realem prædicamentalem in Deo, iuxta varias Philoſophorum acceptiones huius nominis Relationis, quas retulimus quæſt. 1. philoſophica.

Primò poteſt concipi in Deo relatio realis prædicamentalis, v. g. Creatoris, aut Domini; tanquam habitudo quædam media, de nouo in tempore adueniens intrinſecè Deo, per poſitionem creaturæ, tanquam termini extrinſeci.

Secundò poteſt concipi eſſe habitudo ad creaturas, ab æterno identificata cum ipſo Deo, ſed non denominare Deum Creatorem aut Dominum, niſi poſita creatura tanquam termino.

Tertiò poteſt relatio concipi in Deo, non vt eſt formaliter habitudo realis Creatoris ad creaturam, ſed quòd, vt explicatum eſt in prima ſententia, relatio Creatoris in Deo, ſit ipſa forma abſoluta potentiæ creandi, quæ, ſuppoſito termino, ſcilicet creatura, facit Deum formaliter relatum ad creaturas, nullo addito reſpectiuo formaliter in Deo, ſiue de nouo adueniente, ſiue ab æterno identificato cum ipſo, ſed tantùm poſito de nouo ipſo termino, tanquam extrinſecè connotato.

C His poſitis probandum nunc eſt, nullo ex his modis eſſe relationem prædicamentalem realem in Deo; Pono igitur tres concluſiones.

PRIMA concluſio. In Deo non poteſt eſſe relatio prædicamentalis realis primo modo, vt ſcilicet, ſit habitudo quædam Creatoris ad creaturam, de nouo reſultans in tempore ipſi Deo, ad poſitionem termini. 4. Prima concluſio.

Probatur primò, quia ſequeretur, dari compoſitionem in Deo, quod repugnat ſummæ ſimplicitati ipſius Dei. Sequela Maioris probatur, quia compoſitio, eſt extremorum diſtinctorum vnio; ſed relatio de nouo adueniens, diſtinguitur à parte rei ab ipſo Deo, quia poteſt ſeparari, ſeparabilitas autem eſt ſignum euidens diſtinctionis, ex Ariſt. 7. top. Prima ratio.

Secundò, hæc relatio eſſet de nouo producta, quia eſſet ſeparabilis, ergo aliquod creatum eſſet intrinſecè in Deo, imò eſſet dependens ab aliquo creato, quod eſt terminus. Secunda ratio.

Tertiò ſequeretur, Deum mutari, nam intrinſecè adueniret illi relatio. Tertia ratio.

Sed ad hanc rationem reſpondent primò Aduerſarij,

Digitized by Google

ſarij, Deum non mutari, quia hæc relatio identificatur cum Deo; Sed contrà, quia eſt ſeparabilis, ergo à parte rei diſtinguitur à Deo, vt probatum eſt.

Secundò reſpondent, Deum non mutari, quia ex Ariſt. 5 phyſ. & 10. met. ad relationẽ non eſt motus, quia reſultat per mutationem alterius extremi. Sed contrà, quia quamuis Deus non mutaretur per nouam formam abſolutam, ſicut mutatur alterum extremum, quod eſt creatura, quæ de nouo producitur ſecundùm eſſe abſolutum, mutaretur tamen intrinſecè, per formam relatiuam de nouo illi aduenientem; cùm autem dicit Ariſt. ad relationem non eſſe motum, intelligit per ſe primò, quia reſultat ad mutationem alterius extremi, quod mutatur ſecundùm eſſe abſolutum.

5. *Secunda cõcluſio.* SECVNDA concluſio. Neque in Deo eſt relatio prædicamentalis ſecundo modo, habitudo, ſcilicet, Creatoris ad creaturam identificata ab æterno cum ipſo Deo.

Prima ratio pro ſecunda cõcluſione. Probatur primò Philoſophicè, quia ſequeretur, quòd talis relatio denominaret ab æterno Deum relatiuè Creatorem; ſed hoc eſt falſum, eſt enim actualiter Creator in tẽpore; Sequela Maioris probatur, nam relatio cùm ſit identificata cum Deo, afficit neceſſariò ipſum Deum referendo, quia, vt probatum eſt in quæſtione quinta philoſophica, relatio prædicamẽtalis non habet aliud munus, quàm referendi, & per hoc diſtinguitur à relatione tranſcendentali.

6. *Secunda ratio.* Secundò probatur Theologicè, quia hæc relatio identificata cum Deo, eſſet Deus, & tamen dependeret à creatura, quia ſuum eſſe dicit ad creaturam.

Tertia ratio. Tertiò, hæc relatio identificata cum Deo, potuiſſet eſſe ſub nihilo, quia ſi nulla creatura futura fuiſſet, non fuiſſet hæc relatio prædicamentalis; at repugnat, id, quod identificatur cum Deo, eſſe ſub nihilo.

7. *Inſtantia cõtra rationẽ.* Sed contra hanc rationem inſtant Aduerſarij, quia Deus ab æterno vult creaturas, & cognoſcit creaturas futuras, qui quidem actus volitionis, & viſionis dicunt reſpectum ad creaturas exiſtentes, & tamen non repugnat, huiuſmodi actus eſſe identificatos cum Deo, & nihilominus poſſent fieri eadem argumenta contra huiuſmodi actus, in illo enim priori ſigno indifferentiæ, in quo intelligitur Deus indifferens ad volendum, & non volendum creaturas, huiuſmodi actus volitionis, & viſionis, erant ſub nihilo, quia poterant non eſſe in ſequenti ſigno, & præterea dependent à creaturis, quia ſi nullæ futuræ fuiſſent creaturæ, non fuiſſent huiuſmodi actus.

Soluitur. Reſpondetur, ſupponimus ex prima parte, vbi fusè hanc materiam tractauimus, nec volitionem qua Deus vult creaturas, nec multò magis cognitionem, ſeu ſcientiam viſionis, qua illas cognoſcit eſſe entitates ſuperadditas, nec vllo modo eſſe diſtinctas per rationem cum fundamento in re, à volitione, & cognitione, qua Deus vult, & cognoſcit ſeipſum, ſed hanc eandem terminari extrinſecè ad creaturas, ſicut in opinione Thomiſtarum eadem relatio paternitatis, quæ refertur ad primum filium, refertur ad ſecundum, & tertium, nulla ratione reali intrinſecè ſuperaddita priori paternitati, ſed tantùm adueniente alio termino, illa eadem paternitas terminatur extrinſecè ad alium filium; at verò iſta relatio prædicamentalis identificata, eſſet ſecundùm authores huius opinionis, ratio quædam relatiua diſtincta ratione, cum fundamento in re, à ratione abſoluta.

8. TERTIA concluſio. Si relatio realis in Deo concipiatur tertio modo, ita vt nihil aliud ſit niſi ipſamet entitas fundamenti, ſeu potentiæ abſolutæ creandi, quæ ſit ratio reſpiciendi alterum, ſine vlla ſui mutatione, ex ſola poſitione termini, vt dicebatur in prima ſententia, ſi, inquam, hoc tertio modo concipiatur relatio, non ita facilè probari poteſt contra authores huius ſententiæ, in Deo non eſſe huiuſmodi relationem realem prædicamentalem ad creaturas, ceſſant enim argumenta facta ſuprà; Primò, quia non diceretur Deus mutari, quia nihil intrinſecum adueniret Deo, illa enim eadem forma abſoluta ſeu potentia creandi, quæ priùs non habebat rationem referendi Deum tanquam Creatorem ad creaturam, nunc ex ſola mutatione termini, habet rationem referendi, & dandi Deo effectum formalem relati: Neque ſecundò poneretur in Deo compoſitio, quia hæc relatio non eſſet quid diſtinctum ab ipſa forma abſoluta: Nec tertiò dici poſſet, quòd hæc relatio potuiſſet eſſe ſub nihilo, quia entitatiuè eſt ipſamet forma abſoluta, quæ recedente termino, ſemper eſt eadem, quamuis corrumpatur denominatio, quod eſt tantùm dicere, quòd intellectus non habeat fundamentum proximum denominandi Deum Creatorem, ex defectu termini connotati extrinſecè, quod eſt creatura, quæ ſupponitur corrupta. *Tertia concluſio.*

9. *Prima ratio pro tertia cõcluſione.* Sed his non obſtantibus, nullo modo eſt ponenda in Deo hæc relatio realis ad creaturas, illo tertio modo concepta; Primò, quia eſt contra communem modum loquendi Doctorum.

Secunda ratio. Secundò, quia hanc opinionem, quæ dicit relationem eſſe ipſammet formam fundamenti abſolutam, connotantem terminum extrinſecum, confutauimus rationibus Philoſophicis in prędicamento Relationis, quæſtione prima & ſecunda, vbi oſtendimus, inter formam abſolutam fundamenti, & terminum, intercedere habitudinem realem, debet enim intellectus, vt bene notat Aureolus, in 1. diſt. 30. cùm concipit vnum extremum vt fundamentum, & alterum vt terminum, concipere quandam habitudinem, ſeu connexionem, ſeu conformitatem inter vtrumque; dum enim concipit duo alba ſimul exiſtere, nondum concipit ſimilia, vt aduertit etiam comment. 4. met. hanc autem habitudinem mediam intelligimus nomine relationis, quam ibi probauimus eſſe realem. *Aureol.*

Tertia ratio aliorum. Tertiò probant alij, quia eſſet abſurdum dicere, rationem aliquam in Deo compleri per creaturas; in hac autem opinione forma illa abſoluta, quæ ante poſitionem termini, non eſt completa ratio reſpiciendi ſeu referendi, ſit poſito termino, tanquam ſ complemento extrinſeco, completa ratio referendi.

Sed hæc ratio poſſet ab Aduerſariis ſolui, ſiſtendo præcisè in ratione incompleti, ſi dicatur non eſſe abſurdum, in Deo eſſe aliquas perfectiones, quæ requirunt aliquam conditionem extrinſecam, à qua tamen non dependeant; vt ſcientia creaturarum requirit creaturas ſcibiles, & volitio volibilia, & ratio actualis Creatoris requirit creaturas actu dependentes: Et ratio eſt, quia quamuis ſi non eſſent iſtæ creaturæ, non eſſet in Deo ſcientia, vel volitio, vt terminata ad iſtas creaturas, remaneret tamen in Deo eadem entitas diuina ſcientiæ, & volitionis, ita etiam, quamuis illa relatio requirat creaturas vt terminum, ſine quo non eſſet relatio ad creaturas, tamen ſi non eſſent hæ creaturæ, remaneret adhuc eadem entitas diuina abſoluta, quæ erat prorſus idem cum ſeipſa, quatenus erat ratio reſpectiua ſuppoſitis creaturis.

Probatur

Digitized by Google

10. *Quarta ratio explicās priorem.* Probatur igitur quartò, magis explicando tertiam rationem, quia ſequeretur ex hac opinione, quòd Deus ordinaretur intrinſecè ad creaturas, intrinſecè enim ſecundùm hanc opinionem Deus denominaretur relatus, quatenus illa forma abſoluta per poſitionem termini, fit formaliter ratio reſpiciendi, & dandi ſubiecto effectum formalem intrinſecum relati; dicere autem Deum eſſe ordinatum ad creaturas, eſt abſurdum.

Quòd ſi dicas, Deus intrinſecè eſt volens, & ſciens creaturas, & tamen nullum dicit abſurdum in Deo, imò ſummam perfectionem, & tamen per hos actus videtur Deus ordinatus ad creaturas, neceſſariò enim ad illos actus requiruntur creaturæ.

Reſpondetur eſſe diſparem rationem, nam per actū volitionis, creaturæ potiùs dependent à Deo, quàm Deus à creaturis; per actum autem ſcientiæ viſionis, quamuis creatura non dependeat à ſcientia viſionis, quantùm ad eſſe repræſentabile, quia ſupponitur repræſentabilis, tamen illa ſcientia non habet totum ſuum eſſe ad creaturas, ſed ſuum eſſe habet ad obiectum primarium, quod eſt ipſe Deus, eadem enim ſcientia nullo ſuperaddito, vt dictum eſt, quæ terminatur ad Deum, terminatur ad creaturas ſcitas; terminatio verò illa, quæ præciſè eſt ad creaturas, non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca in Deo: at verò hæc relatio prædicamētalis, quæ ponitur ab hac ſententia, totum ſuum eſſe habet ad creaturam, vt relatio eſt, & eſt intrinſeca Deo, ipſa enim forma abſoluta, adueniente termino, fit in hac opinione formaliter ratio reſpiciendi, & dans intrinſecè effectum formalem relati.

Ad argumentum primæ ſententiæ patet reſponſio ex tertia concluſione. Ad Ariſtotelem verò dicitur, quòd ibi definit ſimilia fundamentaliter. 11. *Reſpōſio ad fundamenta primæ ſententiæ.*

QVÆSTIO SECVNDA
THEOLOGICA CIRCA SECVNDVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia ſecundi Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo, non ſit aliqua relatio tranſcendentalis ab æterno, ſiue potentiæ, ſiue ſcientiæ,&c.ad creaturas poſſibiles.

1. *Prima ſententia.* EST PRIMA ſententia in oppoſitum aliquorum, quos ſequuntur graues recentiores, qui aſſerunt dari huiuſmodi relationem tranſcendentalem in Deo ad creaturas neceſſariò ab æterno.

Primum argumentum. Probatur primò. Hæc relatio nullam dicit imperfectionem in Deo, quia nec aduenit de nouo, ſicut aduenit relatio prædicamentalis; neceſſariò enim eſt in Deo ab æterno, quia non eſt ad creaturas exiſtentes, ſed ad poſſibiles.

Secundū argumentum. Secundò, quia verè & realiter in Deo eſt omnipotentia, & non ad ſe, ergo ad aliud realiter extra ſe.

Tertiū argumentum. Tertiò, continentia eminentialis creaturarum in Deo, eſt perfectio in Deo: ſed hæc continentia eminentialis includit intrinſecè eſſe relatiuum ad creaturas, quia continere eminenter, eſt continere in virtute cauſæ, ergo, &c.

Quartū argumentum. Quartò, cognitio Dei terminata ad creaturas poſſibiles, dicit relationem tranſcendentalem intrinſecè ad illas; quia eſt perfectio cognitionis diuinæ, vt illa ſit comprehenſiua, ergo eſt de perfectione cognitionis diuinæ, vt terminetur ad obiectum poſſibile, quia non comprehenderet Deus ſeipſum perfectè vt cauſam, niſi cognoſceret omnes creaturas poſſibiles.

2. *Reſolutio quæſtionis. S.Th. Caiet. Ferrat. Scot.* His tamen non obſtantibus TENENDA eſt ſententia corollarij, quæ eſt communis Scholaſticorum cum S.Thom. quæſt. 13. art. 7. & 2. cont. Gent. cap. 10. & in his locis Caietanus, & Ferrat. Scot. in 1. diſt. 30. & alij Scholaſtici ibi. Henr. quodlib. 4. quæſt. 1. *Henr.* non dari in Deo huiuſmodi relationes tranſcendentales, nec potentiæ, nec ſcientiæ, ad creaturas poſſibiles.

Prima ratio. Ariſt. Solet hoc probari ex eo, quia Deus eſt magis ens neceſſarium quàm ſit creatura, ex Ariſt. 12. metaph. tex. 18. quia Deus eſt ens à ſe, & primum; alia verò entia neceſſaria ſunt ab ipſo, & ſunt entia ſecundaria: ex quo ſequitur, quòd nulla eſt, nec poteſt eſſe ratio realis in Deo, quæ neceſſariò coëxigat aliud à ſe; quia illo non exiſtente, hæc ratio realis in Deo non exiſteret, & ſic aliquid haberet in Deo eandem neceſſitatem, quam habet creatura.

Sed hæc ratio præciſè ſumpta ex maiori neceſſitate in Deo, non adæquatè probat intentum: nam in corpore cæleſti ponitur reſpectus realis ad generabilia & corruptibilia, & tamen corpus cæleſte eſt magis neceſſarium, quàm corpus generabile & corruptibile; adæquata igitur ratio, vt rectè colligitur ex Scoto in 1. ſent. loco citato, debet ſumi ex ſumma ſimplicitate Dei, & ſumma neceſſitate; nam ſi ens magis neceſſarium non eſt ſummè ſimplex, poteſt eſſe componibile cum alia realitate minùs neceſſaria: vnde cœlum, quia non eſt ſummè ſimplex, poteſt recipere in ſe realitatem aliquam non neceſſariam, quia hæc realitas eſſet alia à cœlo: at verò in Deo hæc dici non poteſt, quia in Deo illa realitas, ſeu ratio realis, eſt identicè ipſe Deus; ſequeretur igitur, quòd haberet eandem neceſſitatem, quam habet ipſe Deus; ſed hoc eſt abſurdum; non poteſt

ergo

Digitized by Google

ergo pendere ab alio neceſſario coëxigito, quod ſit minùs neceſſarium, quàm ſit ipſe Deus. Sequela Maioris patet. Minor, quòd ſcilicet ſit abſurdum, relationem illam tranſcendentalem habere eamdem neceſſitatem, quam habet Deus, probatur, quia hæc relatio realis haberet eamdem neceſſitatem, quam haberet terminus coëxigitus, qui ſunt creaturæ, ad quas terminatur, quia ſi non eſſet illud coexigitum, non eſſet illa relatio; ſed abſurdum eſt dicere, quòd id, quod dependet à creaturis; habeat tantam neceſſitatem, quantam habeat ipſe Deus, quod eſt ens independens, non eſt ergo aſſerendum, dari in Deo relationem realem tranſcendentalem, terminatam ad creaturas; Hæc autem ratio efficaciùs probat in ſententia Thomiſtarum, ſecundùm quam omnia quæ ſunt in Deo, identificantur omnino à parte rei cum ipſo Deo, quàm probet in ſententia Scotiſtarum, qui admittunt diſtinctionem à parte rei in Deo.

3. Obiectio contra hanc rationem. Sed contra hanc rationem arguunt aliqui graues recentiores, non habentes pro abſurdo concedere, quòd Deus ſecundùm eſſe actuale, habeat tantam neceſſitatem, quantam habent creaturæ, ſecundùm eſſe poſſibile, quia neceſſitas exiſtendi conſiſtit in quodam indiuiſibili, quod eſt non inuoluere contradictionem.

Et confirmatur primò, quia ſicut non poteſt aſſignari cauſa quare Deus ſit, ita non poteſt aſſignari cauſa, quare creatura ſit poſſibilis, non enim Deus eſt cauſa, quòd creatura ſit poſſibilis, ſed quia in ſe habet quamdam rationem poſitiuam, per quam non repugnat, & ideo poteſt à Deo poni in actu, ſecundum eſſe exiſtentiæ, ſicut non poteſt à contrario afferri cauſa, quare Chimæra ſit impoſſibilis.

Sed hæc reſponſio certè non videtur admittenda, nam quamuis non implicantia contradictionis tam in Dei exiſtentia, quàm in creaturæ poſſibilitate, ſit quid negatiuum, fluit tamen à ratione poſitiua, quæ quidem ratio poſitiua in Deo, eſt magis ens neceſſarium, quia eſt omnino independens, quia ſi non eſſet creatura poſſibilis, adhuc eſſet Deus, ratio verò poſitiua, per quam creatura eſt poſſibilis, etiam ſi non dependeat à Deo in genere cauſæ efficientis, quia non producitur in eſſe eſſentiæ, ſed totum in eſſe exiſtentiæ, dependet tamen in genere cauſæ exemplaris, tum quia ſi non eſſet Deus, repugnaret omnino eſſe eſſentiam creaturæ, quia non haberet rationem poſſibilitatis ad exiſtendum; tum quia creatura ſecundùm eſſe eſſentiæ eſt imago, & participatio Dei; quare ſicut ſi repugnaret prototypum, repugnaret etiam imago repræſentatiua illius; ita ſimiliter non exiſtente Deo tanquam prototypo, & exemplari, repugnaret ipſum eſſe eſſentiæ creaturarum, ſecundùm eſſe eſſentiæ eſſentiale, vt probatum eſt in prædicamento Subſtantiæ in prima quæſtione dubitatione prima.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd minorem habet difficultatem argumentum in doctrina eorum, qui tenent ſatis probabiliter, eſſentiam rerum non eſſe realiter ab æterno ſecundùm eſſe eſſentiæ, ſed poni in eſſe actuali eſſentiæ per exiſtentiam in tempore, & ſic tantùm habere ab æterno eſſe in cauſa: Secundùm verò nos, qui probabiliter tenemus in prædicamento Subſtantiæ, creaturas habere eſſe reale eſſentiæ ab æterno; reſpondetur, vt ſuprà dictum eſt, dependere à Deo in genere cauſæ exemplaris.

4. Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd quamuis talis relatio eſſet ab æterno in Deo, & neceſſariò, non tamen poteſt dari, quia haberet eamdem neceſſitatem, quam haberet Deus, quod ſuprà oſtendimus repugnare.

Reſpōſio ad ſecundum. Ad ſecundum dicitur, quòd Deus eſt talis virtutis in ſe ipſo, ſecundùm eſſe abſolutum in priori ſigno, antequam concipiantur creaturæ poſſibiles, quòd etiamſi nulla creatura foret poſſibilis, adhuc Deus eſſet æqualis perfectionis, ac modò eſt, quia haberet omnipotentiam, quæ eſt ipſamet eſſentia ſua, potens facere quantùm eſt in ſe, quidquid non implicat contradictionem: quare creaturæ ſiue poſſibiles ſint, ſiue non ſemper, Deus eſt eiuſdem perfectionis, & virtutis eſſentialis & abſolutæ, ex S. Thom. quæſt. 1. de potentia ad nonum, & 1. part. quæſt. 23. artic. 1. ad 2. & 3.

Dubium. Quòd ſi quæras, per quid referatur ad creaturas? Reſpondetur, quòd tantùm per intellectum; eſt tamen in Deo fundamentum, vt intellectus poſſit concipere hanc relationem relatiuam tranſcendentalem, cuius fundamentum eſt ipſa eſſentia potens.

Reſpōſio ad tertium. Ad tertium reſpondetur, quòd Deus in priori quodam ſigno concipiendus eſt, ſecundùm eſſe abſolutum infinitæ perfectionis, quod eſt fundamentum, vt dictum eſt, vt intellectus poſſit concipere in Deo potentiam ſecundùm eſſe relatiuum ad omne id, quod non implicat contradictionem; non ergo opus eſt vt intrinſecè & realiter ſit hæc potentia relatiua in Deo, ad hoc vt dicatur Deus continere eminenter creaturas, & hanc perfectionem abſolutam habet Deus, ſiue dentur creaturæ poſſibiles, ſiue per impoſſibile non dentur, quia quantùm eſt ex ſe, eſt tantæ perfectionis, vt poſſit illas producere, ſi darentur.

Reſpōſio ad quartum. Ad quartum reſpondetur, quòd terminatio cognitionis diuinæ ad creaturas poſſibiles, eſt terminatio extrinſeca; ſi enim per impoſſibile nullæ eſſent creaturæ poſſibiles, adhuc cognitio Dei, quæ terminatur ad ſe ipſum, eſſet eiuſdem perfectionis, quia nec Deus, nec cognitio ipſius, dependet vllo modo à creaturis; ſed ſuppoſito quòd creaturæ ſint poſſibiles, eſt de perfectione Dei, vt illa cognitio infinita Dei terminetur extrinſecè ad illas, ſicut eadem cognitio extrinſecè terminatur ad futura, quæ tamen ſunt contingentia, & dependent à libera voluntate Dei, & ſicut cognitio Dei non diceretur comprehenſiua, niſi terminaretur ad iſta futura, quod tamen non dicit perfectionem in cognitione ipſa Dei, niſi ex ſuppoſitione, quòd ſint futura; ſic etiam proportionaliter dicẽdum eſt de poſſibilibus.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA THEOLOGICA CIRCA TERTIVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia tertij Corollarij ſit vera, quòd, ſcilicet, Verbum Diuinum, non dicat relationem realem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles tanquam ad obiecta dicta.

1. Prima ſententia affirmatiua. Aureol. Primum argumentum. Secundũ argumentum.

PRIMA ſententia affirmatiua eſt Aureoli apud Capreol. in 1. diſtinct. 23. & aliquorum recentiorum.

Probatur primò, Verbum eſt repræſentatiuum creaturarum, ergo dicit relationem tranſcendentalem ad illas.

Secundò, & eſt fundamentum huius ſententiæ, Verbum procedit formaliter ex cognitione creaturarum poſſibilium, ergo dicit relationem tranſcendentalem ad illas, tanquam ad obiecta dicta.

Conſequentia probatur, quia cognitio creaturarum eſt via & origo paſſiua ad Verbum, vt Verbum eſt, ſecundùm proprietatem perſonarum, neceſſe eſt igitur, vt Verbum, vt Verbum, dicat relationem tranſcendentalem ad obiecta in ipſo dicta.

Antecedens probatur primò, quia cognitio creaturarum poſſibilium in Deo, importat intrinſecam & realem perfectionem cognitionis, diſtinctam ratione à cognitione, qua Deus cognoſcit ſeipſum: ſed Verbum debet procedere ex illa cognitione, quæ in Deo importat intrinſecam & realem perfectionem.

Secundò probatur idem Antecedens; Verbum procedit ex cognitione, qua Deus comprehendit ſeipſum, quia alioqui non procederet adæquatè, & perfecto modo, ſed in cognitione comprehenſiua Dei, includitur formaliter cognitio omnium poſſibilium, quia ſecundùm S. Thom. 1. cont. gent. cap. 99. Deus per cognitionem comprehenſiuam ſui cognoſcit omnia, quæ illi conueniunt ſecundùm ſuam naturam; eſſe autem cauſam rerum, conuenit Deo ſecundùm ſuam naturam; debet igitur cognoſcere omnia obiecta poſſibilia in ſe, tanquam in cauſa, procedit igitur Verbum ex cognitione omnium poſſibilium.

2. Secũda ſententia. S.Thom. Scot. Capr. Ferr. Molin. Val. Vaſq.

SECVNDA ſententia verior, negat Verbum dicere relationem tranſcendentalem ad obiecta tanquam dicta. Eſt S. Thomæ 1. p. quæſt. 34. art. 3. Scoti in 1. diſt. 27. quæſt. 3. Capr. ibid. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 13. Molina & Valentia & Vaſq. 1. part. diſp. 104. c. 6.

3. Notandum.

Pro cuius ſententiæ explicatione, notandum eſt, tribus modis poſſe conſiderari, Verbum diuinum dicere relationem ad creaturas poſſibiles, ſeu eſſe Verbum ipſarum creaturarum. Primò, quòd ſit à creaturis, tanquam à proferentibus, ſeu dicentibus. Secundò, quòd dicat relationem ad creaturas, tanquam ad obiecta repræſentata. Tertiò, quòd dicat relationem ad creaturas, tanquam ad obiecta dicta, ita vt creaturæ poſſibiles quę intelliguntur à Patre, dicantur in Verbo, atque adeò ipſæ creaturæ repræſententur in Verbo, non vtcumque, ſed cum origi-

A ne, ita vt ipſa cognitio creaturarum poſſibilium ſit intrinſecè, & quidditatiuè, via & origo paſſiua Verbi. His notatis, ſit

4. Prima concluſio.

PRIMA concluſio; Primo modo Verbum non poteſt dicere relationem ad creaturas tanquam ad dicentem: nam ſolus Pater dicit Verbum, ac propterea Verbum ad ſolum Patrem tanquam ad dicentem, à quo producitur, dicit relationem realem: ſicut Verbum in humanis, dicit relationem realem ad dicentem, cum hac differentia, quòd in humanis Verbum producitur ſecundùm eſſe abſolutum repræſentatiuum rei cognitæ, ad quod reſultat relatio realis ad dicentem, à quo producitur: At verò in Diuinis Verbum realiter producitur primò & immediatè, ſecundùm eſſe relationis, quam habet ad B Patrem loquentem, quia per ipſam relationem conſtituitur in eſſe, vt dicemus infrà in Coroll. de conſtitut. perſonarum, & in hac prima concluſione conuenit etiam prima ſententia.

5. Secunda cõcluſio.

SECVNDA concluſio contra primam ſententiam; Verbum quatenus eſt repræſentatiuum creaturarum, non dicit relationem realem ad illas, tanquam ad obiecta repræſentata, quia hoc conuenit Verbo ratione eſſentiæ, vt rectè dicit S. Thomas quæſt. cit. Probatum eſt autem in ſuperiori dubitatione, ſcientiam diuinam non dicere reſpectum intrinſecum, ad creaturas cognitas.

6. Si verò Verbum conſideretur tertio modo, quatenus dicit relationem ad creaturas, vt dictas à Patre in ipſo Verbo, tunc variæ ſunt opiniones; Nam C qui tenent, Verbum produci formaliter ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium, tanquam per viam & originem, conſequenter debent dicere, Verbum dicere relationem realem tranſcendentalem ad creaturas tanquam ad obiecta dicta. Ita tenet Aureolus loco citato, & aliqui recentiores, nam iſte reſpectus ad creaturas non conuenit Verbo, vt falsò exiſtimant Molina, Bagnes, & Ferrarienſis, ratione eſſentiæ, ſeu intellectionis eſſentialis, quia tunc, vt oſtendimus ſuprà in ſecunda concluſione, non diceret relationem tranſcendentalem ad creaturas: ſed conuenit Verbo ratione proprietatis perſonalis Verbi; nam hæc cognitio eſt origo paſſiua Verbi, ergo Verbum non tantùm in eſſentia includit hanc habitudinem ad poſſibilia, ſed etiam in origine paſſiua: quare Verbum ſi procedit ex cognitione D creaturarum poſſibilium, dicit neceſſariò relationem tranſcendentalem ad obiecta poſſibilia, vt dicta à Patre; quia talis cognitio obiectorum dictorum, eſt eſſentialiter origo paſſiua Verbi. At verò qui tenent, vt nos tenemus, Verbum non procede-

Digitized by Google

re formaliter ex cognitione poſſibilium, tunc dicendum eſt, & ſit

7. Tertia concluſio.

TERTIA concluſio, Verbum, vt Verbum, non poſſe dicere relationem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, tanquam ad obiecta dicta; Et fundamentum eſt, quia cognitio creaturarum poſſibilium, non eſt intrinſecè via, & origo paſſiua Verbi, quia non procedit Verbum formaliter ex cognitione poſſibilium, ergo non poteſt Verbum dicere relationem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, tanquam ad obiecta dicta à Patre in Verbo, ſeu repræſentata cum origine. Conſequentia eſt manifeſta; Tota difficultas eſt in Antecedenti, (quòd, videlicet, Verbum non procedat formaliter ex cognitione creaturarum poſſibilium,) de quare fuſiùs dicetur Coroll. 14. dubit. 1.

8. Probatur autem Antecedens, quia ſi Verbum procederet formaliter ex cognitione creaturarum, ſequeretur, quòd tantam neceſſitatem haberet Verbum diuinum, vt Verbum, quantam neceſſitatem haberent creaturæ poſſibiles, quia talis cognitio, eſſet via & origo paſſiua intrinſeca, & quidditatiua ipſius Verbi; tantam autem neceſſitatem habet perſona producta, quantam habet origo paſſiua; & præterea vlteriùs ſequeretur, quòd Verbum dependeret à creaturis, ſi enim non eſſent creaturæ poſſibiles, non eſſet Verbum; quia non poſſet eſſe cognitio illarum creaturarum, quæ, vt dictum eſt, intrinſecè & quidditatiuè, ſecundùm aduerſarios, eſt origo Verbi.

Ad hoc argumentum, quod eſt fundamentum in hac materia, aliqui recentiores reſpondent concedendo, tantam neceſſitatem habere Verbum, quantam habent creaturæ; negant tamen id, quod vlteriùs infertur, Verbum ſcilicet dependere à creaturis; & ad probationem in oppoſitum dicunt, quòd quãuis Verbum producatur ex cognitione omnium poſſibilium, non tamen ita producitur, vt ſi non eſſent creaturę poſſibiles, non produceretur Verbum, quia ſi non eſſent creaturæ poſſibiles, tunc adęquatè produceretur ex ſola cognitione eſſentiæ, non igitur eſt abſurdum concedere, tantam eſſe neceſſitatem in Verbo, quanta eſt in creaturis, quia nec Verbum dependet à creaturis, vt oſtenſum eſt, nec creaturæ dependent à Verbo, vt Verbum eſt, ſed vt Deus eſt.

Sed hæc reſponſio non placet; duo enim aſſeruntur in hac reſponſione, quæ ſunt falſa: Primum, quòd ſi creaturæ non eſſent poſſibiles, Verbum adhuc eſſet; hoc autem falſum eſt, quia vt ſupponitur ex eorum doctrina, Verbum procedit adæquatè ex cognitione diuinæ eſſentiæ, & creaturarum, conſequenter dicendum eſt, quòd ſi non eſſet talis cognitio creaturarum, Verbum non produceretur, quia non foret via & origo adæquata, quæ requiritur ad productionem Verbi. Secundum quod aſſeritur, eſt, quòd ſcilicet, ſi Verbum non eſſet, adhuc creaturæ eſſent, hoc autem etiam eſt falſum, quia quamuis immediatè creaturæ non procedant à Verbo, vt Verbum eſt, quia tamen eſſentia diuina in ſuo conceptu includit perſonalitatem Verbi, vel ſaltem requirit illam neceſſariò, tanquam proprietatem intrinſecam ſibi identificatam; ideo ſi per impoſſibile non eſſet hæc perſonalitas Verbi, non eſſet Deus, & conſequenter non eſſent creaturæ poſſibiles, quę dependent à Deo, tanquam à cauſa efficienti, & exemplari, maiorem igitur neceſſitatem habet Verbum, quàm habeant creaturæ.

9. Reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.

AD argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, & ad primum, quod eſt contra ſecundam concluſionem, dicitur concedendo, Verbum eſſe repræſentatiuum creaturarum, ſed hoc conuenit Verbo ratione intellectionis eſſentialis, quam in ſuperiori dubitatione oſtendimus, non dicere relationem tranſcendentalem ad creaturas.

10. Ad ſecundũ, Vtrùm verbum procedat ex cognitione omnium creaturarũ poſſibilium. Anſel.

Ad ſecundum, quod eſt contra tertiam concluſionem, negandum eſt Antecedens, Verbum, ſcilicet, procedere formaliter ex cognitione creaturarum poſſibilium, tanquam per viam & originem paſſiuam ipſius Verbi, vt bene adnotauit Anſel. in Monol. cap. 33. & 34. & S. Thom. 9. de verit. artic. 5. vbi docet, Verbum principaliter, & quaſi per ſe, referri ad Patrem; & ibidem ad ſecundum dicit, Verbum non eſſe de creatura, id eſt, tanquam principio, ſed eſſe illius repræſentatiuum, tanquã obiecti.

Quòd ſi obiiciatur S. Tho. 1. part. quæſt. 39. art. 1. & quæſt. 34. art. 5. vbi videtur dicere, quòd Pater dicendo ſe, & omnia, producit Verbum. Reſpondetur quòd S. Thom. loquitur de cognitione omnium rerum, quaſi materialiter & identicè, quia cognitio Dei cùm ſit ſimpliciſſima, eſt eadem omnium rerum, etiam futurorum contingentium, non autem dicit S. Thomas, quòd Verbum procedit formaliter ex cognitione omnium, ita vt cognitio ſit intrinſecè via & origo ad Verbum.

11. Ad primam autem probationem Antecedentis, negatur, quòd cognitio creaturarum ſecundùm terminationem ad creaturas, importet realem perfectionem, quia diuina cognitio tantùm terminatur extrinſecè ad creaturas poſſibiles, vt probatum eſt in ſuperiori dubitatione.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, cognitionem comprehenſiuam, quæ eſt origo paſſiua Verbi, non includere cognitionem poſſibilium, ſed tantùm eorum, quæ formaliter continentur in Deo. Et cùm inſtatur, quòd Deus debet ſe cognoſcere vt cauſam; Reſpondetur, quòd eſſe reſpectiuum ad creaturas, non eſt in Deo intrinſecè, nec dicit perfectionem in ipſo, ſed eſt tantùm in Deo perfectio abſoluta infinita, quæ quãtùm eſt ex ſe, poteſt ſe extẽdere ad omnia poſſibilia, ſi aliunde non repugnẽt, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, ſatis eſt igitur vt in illo priori ſigno, in quo producitur Verbum, comprehendat ſe Deus ſecundùm totam ſuam perfectionem infinitam abſolutam.

12. Quæſitum, Vtrùm Verbum procedat formaliter ex cognitione perſonarum diuinarum.

Vnum hîc poſſet ad pleniorem huius dubitationis examinationem quæri, An Verbum, ſicut non dicit relationem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles vt dictas, eodem etiam modo nec dicat relationem tranſcendentalem ad Patrem, & ad ſe ipſum, & ad Spiritum Sanctum, vt perſonas dictas. Hoc dubium pendet ex illa quæſtione, Vtrùm Verbum procedat formaliter ex cognitione perſonarum diuinarum; Et ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia videtur eadem paritas, ac de creaturis, nam in illo priori ſigno, in quo Pater intelligit eſſentiam ſuam, tanquam primarium obiectum, ſicut non intelligit creaturas, quia ſunt ſecundarium obiectum; ita nec intelligit perſonas, imò nec attributa, ſi diſtinguuntur eſſentialiter ab eſſentia, tanquam proprietates conſequentes, quia tam perſonæ, quàm attributa, comparata ad eſſentiam, ſunt ſecundarium obiectum. Adde quòd maior eſt ratio, quòd in illo primo ſigno repræſententur creaturæ, quàm Filius & Spiritus ſanctus; nam in illo primo ſigno poſſunt creaturæ repræſentari per eſſentiam, tanquam per ſpeciem, quia continentur eminenter in eſſentia, tanquam in cauſa, quo modo non continentur perſonæ, atque adeò non poſſunt repræſentari, neque per ſeipſas, cùm in illo primo

ſigno

Digitized by Google

ſigno non exiſtant, neque per eſſentiam, tanquam per ſpeciem, quia non continentur eminenter in illa.

Scotus. Propter hanc rationem dubitandi tenet Scotus in 1. diſtinct. 1. quæſt. 1. art. 1. ad 2. & quodlib. 24. Verbum procedere tantùm ex cognitione ſolius eſſentiæ.

13. Communis tamen opinio Thomiſtarum, vt infrà etiam dicetur fuſiùs coroll. 14. eſt, Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, cuiuſmodi ſunt attributa, & perſonæ, vt Pater, & Spiritus ſanctus, & etiam ipſum Verbum, quia Verbum producitur ex cognitione, quam habet Pater de ſeipſo, & de Spiritu ſancto, & de ipſo Verbo; Et ratio eſt, quia non maiorem neceſſitatem habet Verbum, quàm habeant attributa, & aliæ perſonæ, & ideo cognitio attributorum, & perſonarum, poteſt eſſe via & origo paſſiua ipſius Verbi. Adde quòd, vt mox dicemus, pertinet hæc cognitio ad intrinſecam perfectionem comprehenſionis, quam habet Pater in illo primo ſigno, in quo producit Verbum; Ex his autem infertur, Verbum dicere relationem ad eſſentiam diuinam, & ad attributa, & ad perſonas, vt dictas, cum hac differentia, quòd ad eſſentiam attributa, & ad ſe ipſum, vt dictum eſt, hæc relatio eſt rationis, quia inter hæc nulla eſt diſtinctio, ſed identificatio; ad Patrem verò & Spiritum ſanctum, vt perſonas dictas, eſt realis; & hæc quidem relatio eſt ipſamet origo paſſiua, quæ adæquatè identificatur cum relatione originis, ſeu cum filiatione, ita vt per eamdem relationem originis, Filius referatur ad Patrem, & Spiritum ſanctum, vt perſonas dictas, quatenus Filius procedit ex cognitione, quam habet Pater de ſe ipſo, & de Spiritu ſancto, & referatur etiam ad ipſum Patrem ſolum, tanquam ad perſonam dicentem.

14. Ad rationem dubitandi in oppoſitum reſpondetur, diuinam eſſentiam in illo primo ſigno, non A poſſe comprehendi, quin cognoſcatur vt communicabilis per identitatem, tribus ſuppoſitis, quia hoc eſt de quidditate eſſentiæ diuinæ. Nec obſtat, quòd attributa, & perſonæ, ſint ſecundarium obiectum; non, inquam, obſtat, quia terminant habitudinem primarij obiecti; quare non poteſt primarium obiectum comprehenſiuè cognoſci, niſi cognoſcantur perſonæ & attributa. Et quidem, quòd Verbum procedat ex cognitione Patris, magis eſt certum, quia cùm Pater producit Verbum, eſt exiſtens, & eſt obiectum intelligibile, ergo poteſt intelligere ſe ipſum; quòd ſi ſeipſum intelligat, neceſ- B ſario etiam intelligit Filium, & Spiritum ſanctum, quia debet ſe intelligere comprehendendo; non comprehenderet autem ſe, ſi non cognoſceret ſe vt principium Filij, & Spiritus ſancti.

Quòd ſi dicas, hoc idem ſimiliter dicendum eſſe de cognitione creaturarum poſſibilium, quia non poſſet Deus comprehendere ſe vt cauſam, niſi cognoſceret omnia poſſibilia. Reſpondetur ex dictis, eſſe diſparem rationem, Primò, quia cognitio Dei ad creaturas, terminatur extrinſecè, nam alioquin cognitio, quæ eſt quid increatum, dependeret à creaturis, quod eſt impoſſibile: at verò cognitio Dei ad perſonas, terminatur intrinſecè. Secundò eſt diſparitas, quia Verbum non poteſt procedere ex cognitione creaturarum, tanquam via & origine C ad ipſum Verbum, quia haberet tantam neceſſitatem, quantam haberent creaturæ, vt probatum eſt ſuprà, quod quidem eſt abſurdum; at verò ceſſat hoc abſurdum in opinione dicentium, Verbum procedere ex cognitione perſonarum.

Hæc eadem applicari poſſunt Spiritui ſancto, quæ dicta ſunt hucuſque de Verbo, nam cùm Spiritus ſanctus non procedat ex amore creaturarum, ſed ex mutuo amore Patris & Filij, conſequenter dicendum eſt, quòd non dicat relationem tranſcendentalem ad creaturas, vt amatas à Patre & Filio.

QVÆSTIO QVARTA
THEOLOGICA CIRCA QVARTVM COROLLARIVM.

Vtrùm ſententia quarti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo ſint relationes reales originis, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua.

1. Not. primò. NOTANDVM ex his quæ diximus in prædicamento Relationis, quòd dupliciter poteſt intelligi, relationem eſſe realem; Primò ſecundùm eſſe, In; ſecundò ſecundùm eſſe, Ad, id eſt, ſecundùm propriam rationem relatiui. Et quidem Caietanus 1. part. quæſt. 28. ar. 2. & Canarienſ. ibidem, & Capr. in 1. diſt. 24. quæſt. 1. ar. 3. ad 1. & 3. Aureoli, tenent, relationem prædicamentalem in creaturis, eſſe realem quoad eſſe, In, quatenus eſt ratio accidentalis; non autem ſecundùm eſſe, Ad, id eſt, præcisè ſecundùm rationem re- C latiuam; quia, inquiunt, hæc abſtrahit à reali, & rationis.

Not. ſecundò. Caiet. Canar.

Prima concluſio ſecundùm communem omnium Scholaſticorum. Relationes perſonales in diuinis, ſaltem ſecundùm eſſe, In, ſunt reales, vel quatenus ſunt identificatæ cum eſſentia, vel quatenus ſunt ſubſiſtentes; ſubſiſtentia enim in relationibus diuinis eſt loco (In) ſeu inhærentiæ, quæ eſt in relationibus creatis. 2. Prima concluſio.

Eſt propoſitio de fide, definita in multis Conciliis, ſed expreſsè in Tolet. XI. in confeſſ. fid. & in Conc. Prima probatio ex Conciliis. Tolet XI.

Form. Florent. Conc. Format. in confeſſ. fid. & Florent. ſeſſ. 18. & 19. in quibus habetur, perſonas diuinas relationibus referri, & diſtingui.

Secunda ex Patribus. Aug. Anſel. Probatur ſecundò ex communi Patrum, præſertim Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 8. & Anſel. de proceſſ. Spir. ſan.

Tertia ex ſcripturis. Ioan. 15. Præterea probatur tertiò ex Scripturis, præſertim Ioan. 15. vbi dicitur vna ex perſonis eſſe *Filius*, & alia *Pater*. Quòd ſi dicas, etiam dicitur *Dominus*, & tamen non habet relationem realem dominij: Reſpõdetur, quòd quia Deus, & creatura, ſunt diuerſi ordinis, ideo ſufficit, vt dicatur *Dominus* per relationem ſeruitutis, quæ eſt in creaturis. Sed in Diuinis Pater & Filius ſunt eiuſdem ordinis, ſi ergo datur Pater, debet ſaltem relatio eſſe vel in Patre, vel in Filio, ſed non eſt maior ratio, cur dicatur potiùs eſſe in Patre, quàm in Filio, quia ſunt eiuſdem ordinis in natura; ergo cùm in Scripturis dicatur *Pater*, & *Filius*, non eſt cur ſecundùm propriam nominum ſignificationem non debeamus accipere.

3\. Quarta probatio. Quartò probatur ratione, ex quæſtione ſecunda philoſophica, quando extrema ſunt realiter diſtincta, quorum vnum ſe habet vt producens per influxum realem, & aliud vt productum, ſi ſint eiuſdem naturæ, & ordinis, fundant relationem realem. Sed Pater, & Filius in diuinis, ſunt realiter diſtincti, quorum vnum eſt vt producens, & alterum vt productum, ſeu procedens per verum influxum realem, vt ſupponitur ex fide, & ex infrà dicendis; & ſunt eiuſdem ordinis, & naturæ, quia vterque eſt Deus, ergo inter illa eſt relatio realis mutua paternitatis, & filiationis. Eſt ratio S. Thomæ 4. contra Gent. cap. 14. vbi dicit, quòd quando extrema non ſunt eiuſdem ordinis, & naturæ, vt inter Creatorem, & creaturam, non intercedit relatio mutua realis, ſed quia creatura eſt diuerſi, & inferioris ordinis, ideo ſolùm relatio reperitur in creaturis. S. Thom.

4\. Secunda concluſio. SECVNDA concluſio. Relatio in diuinis, etiam ſecundùm eſſe, Ad, eſt realis. Eſt contra Capreolum ſuperiùs citatum; Eſt etiam contra Caietanum, qui quamuis teneat 3. p. quæſt. 3. art. 1. relationes diuinas ſub ratione, In, ſeu ſubſiſtentis, eſſe reales: videtur tamen negare in Deo, quamuis non expreſsè, quòd ſub ratione relatiua, vt relatiua, ſeu ſub ratione, Ad, ſint reales, quia eſſe, Ad, in prædicamento Relationis, abſtrahit ab eſſe reali, & rationis. Canarienſis autem ſuprà citatus, quamuis dicat eſſe, Ad, prædicamenti realis in creaturis, abſtrahere ab ente reali, & rationis; negat tamen in Deo: ſed non videtur loqui conſequenter. Capreol. Caiet. Canar.

5\. Prima ratio. Probatur hæc noſtra concluſio ratione philoſophica, quia eſſe, Ad, prædicamenti realis, non poteſt abſtrahere ab ente reali, quia non poteſt abſtrahere ab eſſe, In, ſaltem completo, ſicut rationes inferiores non poſſunt abſtrahere ab ente ſaltem incompleto, vt ibidem probatum eſt, quia differentiæ ſemper ſunt intra latitudinem ſui generis, vel quaſi generis; ſi ergo, Ad, contrahit ens reale, debet eſſe intra latitudinem accidentis realis, ſicut fixio pedis, vt dixit Ariſtoteles in metaphyſ. eſt intra latitudinem pedalitatis; alioqui faceret vnum per accidens. Et cùm arguitur, quòd eſſe, Ad, abſtrahit ab reali, & rationis. Reſpondetur, quòd verum eſt de eſſe, Ad, ſecundùm totam ſui analogiam, non autem de eſſe, Ad, prædicamenti realis accidentis, de quo eſt controuerſia. Ariſtot.

6\. Secunda ratio. Concilium Tolet. XI. Secundò peculiariter probatur in Deo, quia perſonæ diuinæ ſunt realiter diſtinctæ per relationes, ex Toletano XI. ergo ipſæ relationes, quæ ſunt ratio diſtinguendi, debent eſſe reales. Et præterea Pater, eſt Pater formaliter per relationem, ex cap. Firmiter. de ſumma Trinit. in 6. ergo relatio paternitatis, non ſolùm quatenus identificatur cum eſſentia, nec quatenus eſt ratio ſubſiſtens vt ſic, ſed quatenus eſt ratio relatiua, eſt realis; & ideo non immeritò exiſtimauit Molina 1. part. quæſt. 28. ar. 1. hanc concluſionem eſſe de fide. Molina.

QVÆSTIO QVINTA

THEOLOGICA CIRCA QVINTVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia quinti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes originis in Diuinis dicant perfectionem realem.

1\. Explicatur ſenſus quæſtionis. Primũ ſuppoſitum. SVPPONO pro explicatione ſtatus quæſtionis, duo, quæ examinauimus in prædicamento Relationis. Primum eſt, duplicem eſſe perfectionem, ex Ariſtotele 5. met. in cap. de relatione, alteram abſolutam, alteram relatiuam. Abſoluta eſt integritas eſſentialis ipſius relationis, quatenus relatio habet omnia, quæ requiruntur ad integritatem ſuam eſſentialem: Perfectio verò reſpectiua eſt illa, quæ ſumitur in ordine ad aliud, quatenus, ſcilicet, eſt alteri conueniens, ſiue illud aliud ſit diſtinctum à parte rei, ſiue non; ſufficit enim, vt perfectio hæc reſpectiua non ſit de eſſentia rei, cui conuenit, vt probatum eſt in prædicamento Relationis, contra aliquos doctiſſimos recentiores, aſſerentes perfectionem reſpectiuam dicere ordinem ad aliud, cui eſt conueniens: ita vt illud aliud, ſit diſtinctum à parte rei ab eo, quod conuenit. Hoc ſuppoſito, certum eſt, relationem in Diuinis ſecundùm perfectionem abſolutam, eſſe realem, quia, vt probatum eſt, ipſa relatio eſt realis, etiam ſecundùm eſſe, Ad, contra Caietanum, ergo & integritas eſſentialis huius relationis,

Status controuerſiæ.

tionis, quæ eſt perfectio abſoluta, eſt realis. Quod igitur controuertitur, eſt de perfectione reſpectiua, Vtrùm ſcilicet relatio dicat perfectionem, quatenus eſt conueniens perſonæ vel eſſentiæ diuinæ.

2\. Secundũ ſuppoſitum.

Secundò ſupponendum eſt, certum eſſe relationem conuenientiæ, quæ reſultat ex perfectione abſoluta, vel reſpectiua, eſſe in Deo relationem rationis: Et quidem de relatione, quæ reſultat ex perfectione abſoluta, certum eſt, quia eſt eiuſdem ad ſe ipſum, integritas enim eſſentialis, quæ eſt perfectio abſoluta, eſt ipſamet res conſtituta; De relatione verò conuenientiæ, quæ reſultat ex perfectione reſpectiua, eſt etiam certum eſſe rationis in Deo, nam perfectio reſpectiua eſt conueniens ſiue perſonæ, ſiue eſſentiæ diuinæ, quæ nõ diſtinguitur à parte rei à relatione; erit igitur rationis, quia eiuſdẽ ad ſeipſum non datur relatio realis. Quod igitur controuertitur eſt, non de relatione conuenientiæ, ſed de ipſa perfectione, non quidem abſoluta, ſed reſpectiua, quæ eſt alteri conueniens.

Status controuerſiæ.

3\. Prima ſententia. Riccard. Capr. Mayr. Dur. Torr.

CIRCA quam quæſtionem eſt PRIMA ſententia multorum Theologorum, aſſerentium, relationem in Diuinis non dicere perfectionem reſpectiuam. Ita tenet Riccardus in 1. diſt. 14. art. 1. quæſt. 3. ad 1. Cap. ibidem diſtinct. 5. quæſt. 1. ad 3. con. 1. concl. Mayr. ibid. diſtinct. 23. Scot. ibid. quæſt. 1. ad 4. Dur. diſtinct. 1. quæſt. 3. Torr. 1. pat. quæſt. 28. art. 2. diſp. 3. & Mol. 1. part. quæſt. 42. art. 6. diſp. 2. dicit hanc ſententiam eſſe communem; Caietanus verò diſtinguit in 1. part. quæſt. 28. art. 2. & dicit, relationem, quatenus eſt ratio ſubſiſtendi, ſeu ſecundùm eſſe, In, dicere perfectionem realem abſolutam, & reſpectiuam; ſecundùm verò eſſe, Ad, nec dicere perfectionem abſolutam, nec reſpectiuam, quia iuxta ſuam doctrinam, Ad, vt, Ad, ſiue relationis creatæ, ſiue increatæ, non eſt reale, ſed commune enti reali, & rationis: Sed iam contra Caietanum tum in Prædicamento Relationis, tum in ſuperiori quæſtione probatum eſt, relationem prædicamentalem etiam ſecundùm eſſe, Ad, eſſe realem, & multò magis in Diuinis.

4\. Fundamentum huius primæ ſententiæ. Caiet.

Omiſſa igitur hac diſtinctione Caietani, fundamentum primę huius ſententiæ eſt, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur illud abſurdum, quòd in vna perſona eſſet aliqua perfectio relatiua, quæ non eſt in alia; Sequela probatur, quia iſtę perfectiones inter ſe, ſunt realiter diſtinctæ, ſicut ſunt diſtinctæ relationes. Quòd verò hoc ſit abſurdum, probatur, quia tunc quælibet perſona non eſſet infinitè perfecta; Quod probatur tum ex eo, quia careret perfectione alterius perſonæ, tum ex eo, quia maior perfectio eſſet in tota Trinitate, quàm in qualibet perſona.

5\. Secunda ſententia. S. Thom.

SECVNDA ſententia tenet, relationem in Diuinis, dicere perfectionem reſpectiuam realem. Hanc videtur tenere S. Thom. 1. part. quæſt. 27. art. 2. ad 3. vbi dicit Verbum, vt principium, habere perfectionem, principium autem Verbi, & ipſum Verbum, addit ſupra naturam tantùm relationem, ergo ſecundùm relationem tam principium Verbi, quod eſt Pater, quàm ipſum Verbum, dicit perfectionem. Tenet etiam hanc ſententiam Erueus in 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. art. 1. Gabriel in 1. diſtinct. 27. quæſt. 3. Suar. 1. part. lib. 3. de Trinit. cap. 9.

Erueus. Suar.

6\. Prima concluſio.

PRIMA concluſio. Certum eſt, relationem diuinam dicere perfectionem realem reſpectiuam, comparatam ad perſonam, quia eſt de eſſentia perſonæ, conſtituit enim perſonam incommunicabiliter: quare quatenus comparatur ad perſonam, potiùs eſt perfectio abſoluta, quàm reſpectiua; nam eſt de conceptu formali eius rei, cui eſt conueniens; nempe perſonæ; ſicut etiam diximus in prædicamento Relationis, quòd relatio prædicamentalis comparata ad relatum, vt relatum, formaliter dicit perfectionem realem abſolutam, quia eſt de integritate formali relati, vt relatum eſt: multò igitur magis dicendum de relatione in Diuinis, quæ non ſolùm conſtituit relatum, vt relatum formaliter, ſed etiam conſtituit perſonam, & facit illam ſubſiſtentem incommunicabiliter. Neque hanc concluſionem videtur negaſſe Caietanus, conceſſit enim, relationem in Diuinis, vt eſt ratio ſubſiſtendi, dicere perfectionem realem: Addimus nos, non ſolum ſecundùm eſſe, In, ſed etiam ſecundùm eſſe, Ad, dicere perfectionem realem, quia vt, Ad, conſtituit incommunicabiliter, non enim poteſt conſtituere incommunicabiliter, niſi ſecundùm oppoſitionem, non opponitur autem vna perſona alteri, niſi ſecundùm eſſe, Ad.

7\. Secunda cõcluſio.

SECVNDA concluſio. Relatio in Diuinis non ſolùm comparatiuè ad perſonam, ſed etiam comparatiuè ad eſſentiam Diuinam, dicit perfectionem reſpectiuam realem. Hæc concluſio videtur repugnare his, quæ diximus in prædicamento Relationis, vbi oſtendimus, relationem prædicamentalem creatam, nullam dicere perfectionem reſpectiuam comparatiuè ad ſubiectum ſeu fundamentum: ſed non repugnat, quia, vt ibidem oſtendimus, tunc relatio non dicit perfectionem reſpectiuam realem, quando ex relatione nihil accreſcit ſubiecto, ſeu fundamento: ſicut accidit relationi prædicamentali creatæ; at verò relatio increata, eſt conueniens eſſentiæ, quia eſſentia diuina per illam ſubſiſtit in tribus perſonis, & per relationes habet, vt Deus ſit trinus in perſonis, quod eſt magna perfectio in Deo: ſicut igitur attributa dicunt perfectionem reſpectiuam comparata ad eſſentiam, ita etiam relatio, & clariùs patet in paternitate; nam per paternitatem habet eſſentia, vt ſit fœcunda, & conſtituatur vt principium proximum generationis.

8\. Reſponſio ad fundamentum primæ ſententiæ. Prima reſponſio.

AD fundamentum primæ ſententiæ, quod præcipuè eſt contra ſecundam concluſionem, primò reſpondent aliqui, perfectionem in Diuinis non multiplicari ad multiplicationem relationum, ſed tantùm eſſe vnam numero, in omnibus perſonis. Ita tenet Canarien. 1. par. quęſt. 28. art. 2. & alij recentiores, quam opinionem inſinuauit etiam Caietanus & Ariminenſis in 1. diſtinct. 19. art. 1. & diſt. 33. Et ratio iſtorum eſt, quia perfectio reſpectiua debet diſtingui ab eo, cuius eſt perfectio: cùm igitur relationes diuinę non diſtinguantur ab eſſentia, non dicunt plures integritates, ſed vnam ſimplicem integritatem rei, quam conſtituunt.

Sed hęc reſpõſio non placet, quia, vt bene arguit Suarius, hæc perfectio dicit oppoſitionem, quia eſt perfectio relationis, quæ eſſentialiter eſt alteri oppoſita, ergo non poteſt eſſe vna ſimplex integritas. Reſpondẽt recentiores, quòd perfectio relatiua non eſt ex conceptu ſuo oppoſita, ſicut eſt relatio; quia perfectio ex conceptu ſuo, dicit tantùm integritatem rei, quam conſtituit.

Sed hæc ſolutio non probatur, dictum enim eſt ſuprà, quòd perfectio reſpectiua, non dicit neceſſariò diſtinctionem ab eo, cui conuenit, ſed ſufficit, vt non ſit idem eſſentialiter cum eo, cui conuenit: cùm igitur relationes diuinæ non ſint de integritate eſſentiæ, habent ſuas perfectiones reſpectiuas, quamuis identificatas cum eſſentia, quia quælibet relatio ſecundùm ſuum conceptum, per quem non eſt idem eſſentialiter cum eſſentia, dicit perfectionem conuenientem eſſentiæ; quare Deum eſſe trinum,

Digitized by Google

num, eſt maxima perfectio, eſt autem Deus trinus A per tres relationes.

Aduertendum tamen eſt, quòd cùm volumus proferre has tres perfectiones, debemus dicere cum addito, perfectiones relationum, cùm enim abſolutè profertur, eſſe perfectionem in Deo, intelligitur de perfectione eſſentiæ, quæ perfectio eſt vna: ſicut cùm ſimpliciter profertur, in Deo eſſe infinitatem, intelligitur de infinitate eſſentiæ, quæ eſt vna, ſed cum addito rectè dici poteſt eſſe tres rationes relatiuas.

Secunda reſponſio verior. Reſpondetur igitur ſecundò ad fundamentum primæ ſententiæ, quòd quamuis vna perſona careat formaliter perfectione alterius perſonæ, non tamen hæc carentia dicit imperfectionem in illa perſona, quia perfectio relatiua alterius perſonæ, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, imò eſt de perfectione perſonæ, vt ſit incommunicabilis, quam incommunibilitatem habet per oppoſitionem, ſufficit igitur originis, vt in illa perſona ſit perfectio alterius perſonæ eminenter, ſeu potiùs æquiualenter, quatenus in quacumque perſona eſt eadem eſſentia, quæ identificat ſibi vnamquamque relationem, & perfectionem relatiuam, vt dicit S. Doct. 1. par. quæſt. 42. at. 2.

QVÆSTIO SEXTA THEOLOGICA CIRCA SEXTVM COROLLARIVM.

Vtrùm ſententia ſexti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet ſpiratio actiua, ſit relatio realis in Deo.

1. Suppoſitũ. SVPPONO tanquam certum ex dictis in ſuperiori quæſtione, relationes perſonales fundatas in actione, & paſſione, eſſe reales; hæ autem ſunt tres, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua: Dubium eſt de ſpiratione actiua. Et quidem certum eſt, quòd quatenus eſt origo, eſt realis, vt definitum eſt in cap. vlt. de ſum. Trinit. in 6. & in Conc. Flor. ſeſſ. 14.

2. Punctus difficultatis. Primum argumẽtũ pro parte negatiua. Difficultas ſolùm eſt de ſpiratione actiua, vt relatio eſt, & videtur quòd non ſit realis. Primò, quia ſequeretur, quòd in Deo daretur relatio realis per reſultantiam: hoc autem eſt abſurdum, ergo, &c. Sequela Maioris probatur, quia Pater, & Filius ſunt perfectè conſtituti in eſſe perſonali, & per ſpirationem actiuam, vt per originem ſufficienter diſtinguuntur à Spiritu ſancto: vel igitur non datur hæc C relatio ſpirationis, quæ ſit realis, ſed tantùm per intellectum; vel ſi datur, erit per reſultantiam. [illegible] confirmatur, quia ſi hæc relatio non eſſet per [illegible]ultantiam, ſequeretur, quòd priùs eſſet in Patre quàm in Filio, vnde vlteriùs ſequeretur, quòd actus ſpirandi priùs origine eſſet in Patre, quàm in Filio, ac proinde Spiritum ſanctum priùs procedere à Patre, quàm à Filio, quia in Patre in primo inſtanti originis, antequam producatur Filius, fuiſſet ſufficiens ad ſpirandum.

Quòd verò hoc ſit abſurdum, vt dicebatur in Minori, probatur dupliciter; Primò, quia relatio per reſultantiam inuoluit imperfectionem, vt patet in creaturis; Secundò, quia ſequeretur, quod Filius non D haberet ſpirationem actiuam communicatam à Patre, quod videtur falſum, quia ex Concil. Florent. in litt. vnionis Pater communicat Filio omnia, quæ habet, præter eſſe Patris. Conc. Flor.

3. Secundũ argumentum. Durand. Secundum argumentum, ſi relatio ſpirationis actiuæ eſſet realis, ſequeretur opinio Dur. quòd talis relatio diſtingueretur realiter: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Sequela Maioris probatur dupliciter B à Durando; Primò, quia ſi eſſet realis, & non realiter diſtincta, identificaretur cum paternitate, & filiatione, realiter diſtinctis; hoc autem ſolùm conceditur eſſentiæ diuinæ propter infinitatem ſimpliciter. Secundò probatur ſequela ex commutata proportione: Ita ſe habent inter ſe generare, & ſpirare, ſicut generari, & ſpirari: ſed generari diſtinguitur realiter à ſpirari, nam Filius diſtinguitur realiter à Spiritu ſancto, ergo generare diſtinguitur realiter à ſpirare, ergo & paternitas à ſpiratione actiua. Quòd autem hoc ſit abſurdum, vt dicebatur in Minori, probatur; quia ſequeretur, dari quaternitatem rerum in Deo, contra Concilium Lateranenſe, in cap. Conc. Later.
Damnamus. vt mox dicetur in ſequenti argumento.

Tertium argumentum, ſi ſpiratio actiua eſſet relatio realis, ſequeretur eſſe quatuor relationes reales in Deo: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Sequela Maioris probatur, quia quamuis hæc relatio eſſet identificata, faceret tamen numerum, quia haberet terminum diſtinctum realiter; Quòd autem hoc ſit abſurdum, probatur, quia ſi relationes multiplicarentur, multiplicarentur res, nam res eſt quid ſuperius ad relationem; ſi igitur multiplicatur inferius, multiplicatur ſuperius: ſed falſum eſt, eſſe quatuor res in Deo; quia eſt contra Lateranenſe, in cap. Damnamus. & Toletanum, vbi habetur, quòd omnis ratio numeri habetur ex oppoſitione; ſed paternitas non opponitur ſpirationi actiuæ, ergo falſum eſt dicere eſſe quatuor relationes; ſpiratio igitur actiua non erit realis in Deo, ſed per intellectum. 4 Tertium argumentum. Conc. Later. & Toletan.

Quartum argumentum ſumitur ex Auguſtino 5. de Trinit. cap. 14. vbi ad oſtendendum, quomodo Spiritus ſanctus diſtinguatur à Patre & Filio, adducit exẽplum de creatura & Creatore, ſed inter creaturam & Creatorẽ non eſt mutua relatio realis, ſed tantùm ex parte creaturæ: ergo etiam relatio ſpirationis non erit realis in Patre & Filio, ſed tantùm in Spiritu ſancto, vt in perſona producta. 5. Quartum argumentum. August.

Quintò,

Digitized by Google

Quintũ argumentum.

Quintò, ſi daretur relatio ſpirationis actiuæ, illa adueniret per conſtitutionem perſonarum, ergo habet rationem formæ accidentalis, quod eſt abſurdum.

Sextum argumentum.

Sextò, ſi Pater & Filius haberent hanc relationem ſpirationis communem, ſequeretur quòd Pater, & Filius eſſent ſimiliores inter ſe, quam cum Spiritu ſancto; hoc autem eſt abſurdum; Probatur ſequela, quia Pater & Filius eſſent ſimiles inter ſe, non ſolùm in eſſentia, ſed etiam in hac relatione ſpirationis; at verò cum Spiritu ſancto eſſent tantùm ſimiles in eſſentia. His tamen non obſtantibus, ſit

VNICA CONCLVSIO PRO PARTE AFFIRMATIVA.

6. Vnica concluſio pro parte affirmatiua. Prima ratio. Florent.

DICENDVM eſt cum communi ſententia omnium Scholaſticorum, ſpirationem actiuam non ſolùm vt origo eſt, ſed etiam vt relatio eſt, eſſe realem in Deo.

Probatur, ſpiratio actiua, vt eſt origo, eſt realis, vt definitur cap. vlt. de ſumm. Trinit. in 6. & in Flor. ſeſſ. 14. vbi dicitur Patrem, & Filium, vna ſpiratione producere Spiritum ſanctum, ergo ſpiratio, etiam vt relatio eſt, eſt realis. Probatur conſequentia non ſolùm ex eo, quia ſecundùm communiorem opinionem ſcholaſticorum, origo non eſt aliud, quàm ipſa relatio, ſed ratione philoſophica probatur à S. Thoma, quando extrema exiſtunt in eodem ordine, ita vt producens, & procedens ſint eiuſdem naturæ, tunc ſi datur relatio in vno extremo, debet dari in alio, vt patet in humanis, ſed in Spiritu ſancto datur relatio ſpirationis paſſiuæ tanquam in procedente; ergo in Patre, & Filio, cùm ſint eiuſdem naturæ cum Spiritu ſancto, debet dari relatio realis ſpirationis actiuæ. Confirmatur ratio S. Thomæ, quia verè, & realiter eſt ſpirans, & ſpiratus, ergo realiter etiam debet dari relatio, ſicut a pari eſt relatio inter Patrem & Filium, quia ita hæc ſpiratio eſt productio Spiritus ſancti, quemadmodum generatio eſt productio Filij; ſicut igitur datur relatio Patris, quia datur generatio, ita datur relatio ſpirantis, quia datur actio ſpiratiua.

S. Thom.

7. Reſpõſio ad argumenta. Prima difficultas circa primum argumentum, vtrùm in Patre & Filio ſit ſpiratio actiua ante originẽ paſſiuam. Henr. S. Thom.

Difficultas eſt in ſoluendis argumentis initiò poſitis, quæ inuoluunt varias difficultates.

Primum quidem argumentum petit illam difficultatem, Vtrùm ſpiratio actiua ſit in Patre, & Filio, ante originem paſſiuam, vel reſultet poſt originem paſſiuam. Henric. quodlib. 5. quæſt. 9. tenet eſſe per reſultantiam; Et probabilem tenent hanc opinionem quidam graues recentiores, ex S. Thom. quæſt. 40. artic. 2. & 4. per rationem allatam in primo argumento. Opinio tamen oppoſita eſt probabilior, & communior; Probatur primò, quia ex Concilio Florent. in litt. vnionis habetur, Patrem communicare Filio omnia præter eſſe Patris, communicauit igitur relationem ſpirationis, non igitur reſultat in Filio, ex eo quia ſpirat Spiritum ſanctũ. Probatur ſecũdò, quia alioquin ſequeretur, quòd Pater, & Filius viderentur accipere aliquid à Spiritu ſancto. Tertiò, quia iſta reſultantia dicit imperfectionem.

8. Reſpõſio ad primum argumentum in forma.

His poſitis, ad primum argumentum reſpondetur in forma, negando ſequelam Maioris, quòd ſcilicet, ſi in Deo relatio ſpirationis actiuæ eſſet realis, illa eſſet per reſultantiam; Et ad probationem reſpondetur, quòd Pater & Filius non eſſent perfectè diſtincti à Spiritu ſancto, per originem, quia eſſent diſtincti tamquam per viam, debent igitur di-

A ſtingui per relationem, tanquam per terminum.

Ad confirmationem reſpondetur concedendo, quòd virtus & relatio ſpirandi, quæ eſt vnica indiuiſibilis forma, ſit priùs origine in Patre, quàm in Filio, quatenus Pater illam habet à ſe, Filius autem communicatam per generationem; hinc autem non ſequitur, Spiritum ſanctum priùs procedere à Patre quàm à Filio, nam priùs intelligendus eſt actus generandi Filium; & poſtea actus communis ſpirandi exercitus ab vtraque perſona.

9. Secũda difficultas circa ſecundũ argumentum, vtrùm ſpiratio actiua diſtinguatur realiter à paternitate.

Secundũ verò argumentum petit illam aliam difficultatem, An ſpiratio actiua diſtinguatur realiter à paternitate, & filiatione. Circa quam difficultatem eſt opinio Durandi in 1. diſt. 13. q. 2. vbi tenet diſtingui realiter, & conſequenter tenet, in Deo eſſe B quatuor relationes, & quatuor res. Probat rationibus ſuprà relatis in hoc ſecundo argumento.

10. Lateran.

Communis tamen opinio Scholaſticorum, præter vnum Durandum, tenet non diſtingui realiter. Ita videtur definitum in Lateranenſi, in cap. Damnamus. vbi quamuis definitum videatur non eſſe quaternitatem rerum, eſſentiæ ſcilicet diuinæ, & relationum perſonalium, tamen illa occaſione vniuerſaliter definitum eſt, nullam eſſe quaternitatem rerum, & clariùs patet ex Toletano in confeſſione fidei, vbi dicitur, quòd omnis ratio numeri deſumitur ex oppoſitione. Probatur ex Patribus, præcipuè Cyrillo lib. 1. in Ioan. cap. 1. Damaſc. lib. 2. de C fide. Athanaſ. ad Epictetum 4. Probatur ratione, quia ſi ſpiratio actiua diſtingueretur realiter à paternitate, & filiatione, conſtitueretur per illam, alia perſona, quæ eſſet Spirator, quæ neque Pater, neque Filius eſſet, ſed diſtinctus, quia ſi conſtitutiuum eſt diſtinctum, etiam conſtitutũ eſt diſtinctum.

Concilium. Toleta.

Cyrill Dam. Athanaſ.

11. Reſpõſio in forma ad ſecundũ argumentum.

His poſitis ad ſecundum argumentum reſpondetur in forma, negando ſequelam Maioris, (quòd ſcilicet, ſi relatio ſpirationis actiuæ eſſet realis, ſequeretur quòd talis relatio diſtingueretur realiter, vt dicebat Durandus.) Et ad primam probationem Durandi reſpondetur, ſufficere ad identificationem, infinitatem in ſuo genere: paternitas igitur quia eſt infinita in ſuo genere, identificare poteſt ſibi ſpira- D tionem actiuam, quæ illi non opponitur.

12.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, non valere argumentum à commutata proportione in Diuinis, quia proportio eſt ab oppoſitis ad non oppoſita: oppoſita autem in diuinis diſtinguuntur realiter, non oppoſita autem identificantur, & ideo non ita ſe habet generari ad ſpirari, ſicut generare, & ſpirare, nam generare, & ſpirare non opponuntur, at generari, & ſpirari opponuntur, immò in generatione paſſiua neceſſariò includitur ſpiratio actiua, ſic etiam nec generare opponitur ſpirari, quia quod eſt generans, etiam eſt ſpirans.

Spirare.

13. Tertia difficultas circa tertium argumentum, vtrùm poſſit dici eſſe quatuor relationes in Deo. Ocham. Gabr.

Ad tertium argumentum reſponſio petit illã difficultatem, Vtrùm poſſit dici, eſſe quatuor relationes in Deo. Circa quam difficultatẽ Ocham & Ga- E briel in 1. diſt. 7. quæſt. 1. dicunt, non poſſe dici, propter rationes allatas in tertio hoc argumento.

14. S. Thom. Scotus

Sed communior ſententia tenet eſſe quatuor. Ita S. Thom. 1. part. quæſt. 27. art. 4. & Scot. in 1. diſt. 13. quæſt. 1. Ratio ſolet aſſignari, quia ſicut poteſt dici, quòd in Deo ſint plura attributa, quia ſufficit diſtinctio ſecundùm rationem, ita ſimiliter poteſt dici, eſſe quatuor relationes, quia ſufficit, vt ſpiratio actiua diſtinguatur ratione, à paternitate & filiatione.

Sed hæc ratio non ſatisfacit, quia attributum, vt attributum, ſignificat ſecundam intentionem, & ideo ad multiplicandum attributa, ſufficit diſtinctio

Digitized by Google

rationis; et verò relatio, vt relatio, ſignificat formam exiſtentem à parte rei, ergo ſi debet dici, eſſe quatuor relationes in Deo, præter tres perſonales, deberet ſpiratio actiua dicere aliquod diſtinctum;

15. Ratio igitur, quare poſſit dici, eſſe quatuor relationes in Deo, ea eſt, quia quamuis paternitas & ſpiratio, ſecundùm entitatem intrinſecam reſpectiuam, non ſint plures, tamen extrinſecè ſunt plures, quia paternitas à parte rei, habet diuerſum terminum à termino, quem connotat extrinſecè ſpiratio actiua, nam ſpiratio actiua connotat Spiritum ſanctum, paternitas Filium; & per hæc patet ad primam rationem in oppoſitum.

16. *Reſpōſio ad tertium argumentū in forma.* His poſitis ad tertium argumentum reſpondetur in forma, concedendo ſequelam Maioris, (quòd ſcilicet ſequeretur, quòd ſi ſpiratio actiua eſſet ſpiratio realis, eſſent quatuor relationes reales in Deo:) ſed negatur Minor (quòd hoc ſit abſurdum:) Et ad probationem reſpondetur, quòd quamuis res ſit quid ſuperius ad relationem, quia tamen res ſignificat entitatem intrinſecam, ideo cùm dicitur eſſe quatuor res, facit ſenſum, eſſe quatuor entitates intrinſecas, quod eſt falſum; at verò cùm dicitur, eſſe quatuor relationes, non facit ſenſum, quòd omnes quatuor in entitate intrinſeca ſint diuerſæ, ſed quòd ſaltem extrinſecè ex parte termini; & hoc modo ſpiratio actiua eſt entitas diuerſa à paternitate, non intrinſecè, quia eſt identificata cum illa, ſed extrinſecè, ratione termini connotati, ſcilicet, Spiritus ſancti, quem non connotat paternitas.

17. *Reſpōſio ad quartum.* Ad quartum argumentum reſpondetur, eſſe diſparem rationem, cur in Deo non ſit relatio realis ad creaturas productas, ſit autem in Patre & Filio, reſpectu Spiritus ſancti, quem producunt, nam reſpectu relationis ſpirationis actiuæ ad Spiritum ſanctum, ſunt omnes conditiones requiſitæ, vt ponatur relatio realis ſpirationis actiuæ, & præcipuè ea eſt, quia omnes perſonæ habent æqualem neceſſitatem in ſua exiſtentia actuali. ac proinde ſpirans, & ſpiratum ſunt in eodem ordine; quare ſi datur ſpiratio paſſiua in Spiritu ſancto, non poteſt aſſignari ratio, cur etiam in Patre & Filio, non ſit alia correlatio ſpirationis actiuæ; hæc autem conditio non reperitur in Deo, reſpectu ad creaturas productas, imò neque reſpectu ad creaturas poſſibiles, quia non ſunt in eodem ordine, imò ſequeretur, quòd Deus dependeret à creaturis, vt probatum eſt ſuprà tum in primo tum in ſecundo corollario.

18. *Reſpōſio ad quintum.* Ad quintum argumentum reſpondetur, relationem ſpirationis actiuæ non poni in Patre, nec in Filio, vt perſonaliter conſtituantur, imò neque in rigore vt diſtinguantur, quia ſufficeret ſpiratio paſſiua in Spiritu ſancto, ſed quia Pater & Filius tanquam principium ſpiratiuum, ſunt in eodem ordine cum Spiritu ſancto; ſi igitur in Spiritu ſancto datur relatio ſpirationis paſſiuæ, debet dari in Patre & Filio relatio ſpirationis actiuæ, vt dictum eſt.

19. *Reſpōſio ad ſextum.* Ad ſextum reſpondetur, negandum eſſe ſimpliciter, Patrem & Filium eſſe ſimiliores inter ſe, quàm cum Spiritu ſancto, quia ſimilitudo ſimpliciter in diuinis perſonis dicit ſimilitudinem in eſſentia diuina, & hæc eadem eſt in omnibus perſonis; aliqui tamen cum addito dicunt, Patrem & Filium eſſe ſimiliores inter ſe, ſecundùm rationem notionalem, & relatiuam, quæ eſt ſpiratio actiua, quam habent Pater & Filius, & quam non habet Spiritus ſanctus.

QVÆSTIO SEPTIMA
THEOLOGICA CIRCA SEPTIMVM COROLLARIVM.

Vtrùm ſententia ſeptimi Corollarij ſit vera; Quòd præter quatuor relationes originis, non ſint ponendæ aliæ relationes reales in Deo.

1. VIDIMVS ſuprà, relationes diuinas fundatas in actione, & quaſi paſſione, eſſe quatuor, paternitatem, filiationem, ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam; quæſtio eſt modò, an alia fundamenta relationum in Deo, fundent relationem realem. Sunt autem præter actionem, & paſſionem, tria alia fundamenta; primum menſura & menſurabile: ſecundum quantitas, non quidem molis, hæc enim non datur in Deo, ſed quantitas virtutis: tertium vnitas, & diuerſitas.

2. *Primum dubium.* Primum dubium eſt circa relationem fundatam in menſura, & menſurabili, circa quod ſit

Prima concluſio. PRIMA concluſio. Certum eſt, in Deo non eſſe relationem fundatā in menſura, & menſurabili, nam menſura non fundat relationē realem, neque etiam in humanis, vt patet ex dictis in prædicamento relationis; menſurabile autem, quamuis fundet relationem realem in humanis, non tamen in Deo poteſt cadere huiuſmodi relatio, quia Deus non eſt menſurabilis, hoc enim dicit imperfectionem.

3. *Secundū dubium.* Secundum dubium eſt circa quantitatem virtutis, an in ea fundetur relatio æqualitatis; Circa quod notandum eſt, quòd triplex poteſt concipi relatio; Prima de æqualitate fundata in eſſentia; Secunda de æqualitate fundata in perſonalitate relatiua, in qua conueniunt perſonæ; Tertia de relatione fundata in vnitate.

Opinio Scoti. Circa priorem relationem æqualitatis Scot. in 1. diſt. 1. quæſt. 2. & quodlib. 6. articul. 2. tenet eſſe relationem in Deo, quia ſunt omnia requiſita ad relationem realem, & quamuis vnum videatur

tat deeſſe, quia, ſcilicet, eſt vna eſſentia numero in omnibus, hoc tamen, inquit Scotus, nihil obſtat, quia ſi poneretur, inquit, albedo in duobus ſubiectis, eſſet relatio identitatis inter illa duo, & tamen fundamentum proximum eſſet idem numero.

Sed his non obſtantibus, ſit

4. Secunda cõcluſio circa ſecundũ dubium. S.Thom. Caiet. Marſ. Capr. Durand.

Secunda concluſio, in qua dico tria: Primò, In Deo ſecundùm communem ſententiam Scholaſticorum, non eſt realis relatio æqualitatis in eſſentia. Ita S. Thom. 1. part. quæſt.17. artic.4.& quæſt.42. artic.2.vbi Caiet. & alij expoſitores, præterea Marſil. Capreol. Durand. & alij in 1. diſtinct. 32. Ratio eſt, quia fundamentum proximum, quod eſt eſſentia diuina, eſt eadem numero in tribus perſonis, vnde congruenter tenuimus in prædicamento relationis, quæſtione 16. quòd ſi eadem albedo numero, poneretur in duobus ſubiectis, non eſſet relatio realis identitatis, inter illa duo, quia fundamentum proximum eſt, eadem numero albedo, quicquid ſit, an ſit relatio realis ſimilitudinis, præter illa duo alba, de qua re diximus in prædicamento Relationis; cùm igitur Pater & Filius in Diuinis, ſint omnino iidem, & æquales in eſſentia, non poteſt eſſe relatio realis æqualitatis inter illas perſonas.

5. Hinc ſequitur vlteriùs, quòd relatio circuminceſſionis non ſit realis in Deo, quia hæc circumceſſio nihil aliud eſt, quàm intima præſentia perſonarum inter ſe. Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Hæc autem circumceſſio fundatur in duobus, tum quia eadem natura diuina eſt idem formaliter cum omnibus perſonis; tum quia, propter immenſitatem habent perſonæ, vt etiam ſint intimæ in ſe inuicem, & ſecundùm proprias relationes, quam immenſitatem habent ratione eſſentiæ, quam includunt: fundatur ergo relatio circumceſſionis in radice eſſentiæ, tanquam adæquata ratione; ſed hæc eſſentia, quæ eſt fundamentum proximum, eſt vna numero in omnibus perſonis, non igitur poteſt fundare relationem realem circumceſſionis.

6. Circa verò poſteriorem relationem fundatam in communi ratione perſonalitatis, maior eſt difficultas, quia perſonæ ſunt æquales in hac ratione communi perſonalitatis, quatenus hæc ratio dicit quandam perfectionem, & hæc non eſt vna numero in omnibus perſonis; Dicendum tamen eſt ſecundò, neque hanc eſſe realem, quia illa ratio communis, non eſt formalis conuenientia, ſed analogica; quare cùm illa ratio communis non ſit diſtincta à parte rei, à perſonalitate particulari, non poteſt fundare relationem realem, ſicut neque conuenientia in illa ratione communi, fundat ſimilitudinem realem.

7. Tertia concluſio circa tertium dubium.

Circa verò relationes fundatas in vnitate dico tertiò, huiuſmodi relationes non fundant relationẽ realem, vt patet ex dictis, quia vel fundamentum proximum eſt vna eſſentia numero, vel ſi eſt vna ratio communis perſonalitatis, in qua conueniunt perſonæ, non poteſt fundare relationem realem, quia eſt analogica.

8. Quartũ dubium.

Sed dubium præcipuè eſt in relatione fundata in diuerſitate, nam ex prædicamento Relationis videtur, quòd hæc relatio ſit realis in Deo, nam ſunt omnia requiſita; ſicut enim in rebus creatis vna perſonalitas fundat relationem diuerſitatis, ſeu diſſimilitudinis, ita in Diuinis; nec poſſumus recurrere ad fundamentum proximum, quòd ſit vnum numero, ſicut dicebamus in relationibus fundatis in vnitate, & æqualitate, quia fundamenta proxima, in hoc caſu noſtro ſunt diſtincta realiter, nam vna perſona non eſt alia propter diſtinctam perſonalitatem,

A ac propterea tenet Scotus, hanc relationem præcipuè eſſe realem; nec obſtat, quòd diſtinctio ſit rationis, ſufficit enim quòd res quę diſtinguitur ſit realis. Opinio Scoti.

His tamen non obſtantibus, ſit

9. Concluſio circa quartũ dubium. Conc. Flor.

Tertia concluſio. Dicendum eſt cum communi ſententia Scholaſticorum, relationem diuerſitatis in Diuinis fundatam in diuerſitate & diſtinctione reali vnius perſonæ ab alia, non eſſe realem; Probatur ex Concilio Florentino in literis vnionis, vbi habetur, Patrem communicare Filio omnia pręter eſſe Patrem; at ſi aliqua realis relatio diuerſitatis eſſet in Patre, hanc non communicaret Filio, non ergo communicaret omnia præter eſſe Patris, & in eod. Conc. ſeſſ. 19. dicit Beſſarion, inter Filium B & Spiritum ſanctum, non eſſe aliam relationem præter illam, quæ eſt inter cauſam & cauſatum.

Sed in aſſignanda ratione huius concluſionis, eſt varietas inter Scholaſticos; Aliqui primò dicunt, rationem eam eſſe, quia ex principio philoſophico, relatio non fundat relationem, ſed ſi daretur relatio diuerſitatis in Diuinis, illa fundaretur in relationibus originis, ergo non poteſt dari.

Sed hæc ratio non placet, quia etſi valeat in creaturis, non tamen valet in Deo, nam ideo in creatūris relatio non fundat ſecundùm aliquos relationem, quia ſequeretur, quòd daretur proceſſus in infinitum, cum ſubordinatione originis in genere cauſæ efficientis & materialis, quod quidem, vt di- 10. Confutatur.

C ctum eſt in prædicamento Relationis, eſt contra Ariſtotelem. Sequela probatur, quia vna relatio fundaret aliam, efficiendo & ſubiectando illam, & illa aliam, & ſic in infinitum, nam paternitas fundaret duas relationes, alteram ſimilitudinis ad paternitatem, alteram diſſimilitudinis ad filiationem; & quidem paternitas tanquam fundamentum illarum duarum relationum, efficeret ipſas relationes ſimilitudinis & diſſimilitudinis, quia relationes, vt alibi dictum eſt, pullulant ex fundamento, poſito termino, & præterea eædem ipſæ relationes ſubiectarentur in ipſa paternitate, tanquam in fundamento. Rurſus illæ duæ relationes, ſimilitudo & diſſimilitudo, fundarent eodem modo alias duas relatio- D tiones, alteram ſimilitudinis ad aliam ſimilitudinem, alteram diſſimilitudinis ad diſſimilitudinem, & ſic in infinitum; hæc autem ratio ceſſat in Deo, tum quia vna relatio in Deo non efficienter, nec materialiter cauſaret alteram; tum quia non conſurgeret multitudo infinita, quia in Diuinis non eſſet diſtinctio, inter iſtas relationes, non igitur eſſet multitudo, ſed ſumma identitas.

Alij ſecundò dicunt, quia ſequeretur, quòd duplex relatio referretur ad vnum terminum, quod eſt abſurdum. Sequela probatur, nam paternitas refertur ad Filium, vt ad relatiuum, quia non datur abſolutum diſtinctum, & relatio diuerſitatis terminaretur etiam ad Filium, quia reſpectu huius relationis, Filius haberet vices termini abſoluti. 11.

E Sed neque hæc ratio mihi probatur, poſſet enim ad illam reſponderi, quòd relatio diuerſitatis alio modo terminatur ad Filium, quàm terminatur paternitas, nam paternitas terminatur ad Filium, vt Filius eſt, at verò Pater relatione diuerſitatis terminatur ad Filium, vt diſſimilis eſt: Si verò velimus tenere, quòd relatio non terminetur ad correlatiuum, tunc dicendum eſt, quòd relatio diuerſitatis terminatur ad Filium, ſub diuerſa ratione fundandi; nam Filius terminat paternitatem, ſub ratione fundandi actionis vel quaſi paſſionis, terminat verò relationem diuerſitatis ſub alia ratione fundandi, nempe diſtinctionis.

Tertiò

Digitized by Google

2. Tertia ratio efficax. Tertiò igitur mihi videtur eſſe ea ratio efficacior, quia tales relationes eſſent per reſultantiam, hic autem modus dicit imperfectionem, vt diximus in philoſophia, nihil enim per talem relationem accreſcit fundamento, nec eſt per ſe neceſſariò, ſed per accidens; at quicquid eſt in Deo, dicit eſſe per ſe neceſſarium, & debet dicere aliquam perfectionem; Et hæc ratio communiter probat, nullas relationes reales eſſe in Deo, præter eas, quæ ſunt fundatæ in actione & paſſione; iſtæ enim non ſunt per reſultantiam, nam filiatio in Diuinis conſtituit perſonam Filij, quæ per ſe primò producitur. De paternitate verò dicendum eſt, quòd eſſentia diuina ſibi primò vendicat paternitatem, vt complementum principij generatiui, hoc autem non reperitur in creaturis, quia ad relationem, vt inquit Ariſt. non eſt per ſe primò motus, ſeu actio, ſed reſultat ad productionem alicuius abſoluti; ſolùm ſupereſt difficultas, quia relatio ſpirationis actiuæ, videtur eſſe per reſultantiam in Patre & Filio; Sed ad hanc difficultatem reſponſum eſt in ſuperiori dubitatione, vbi oſtendimus, non eſſe per reſultantiam.

Sed etiam ſi concederetur ſpirationem actiuam eſſe per reſultantiam in Patre & Filio, adhuc eſſet diſpar ratio in hac, & in alijs relationibus, tum quia ſpiratio paſſiua in Spiritu ſancto non eſt per reſultantiam, per ſe enim primò producitur perſona Spiritus ſancti, de cuius formali conceptu eſt ſpiratio paſſiua; ex ſpiratione autem paſſiua tanquam ex correlatione, reſultaret relatio ſpirationis actiuæ: Præterea, quia per relationem ſpirationis actiuæ, diſtinguuntur Pater & Filius à Spiritu ſancto, quamuis enim diſtinguantur etiam per ſpirationem actiuam, tanquam per originem, diſtinguuntur tamen per illam, tanquam per viam; per relationem verò ſpirationis diſtinguuntur à Spiritu ſancto, tanquam per terminum viæ: Hæ autem rationes ceſſant in alijs diuinis relationibus, quæ ſunt diuerſitatis; Ceſſat enim prima ratio, quia in alijs tam relatio quàm correlatio, eſſent per reſultantiam, quod quidem dicit imperfectionem; Ceſſat præterea ſecunda ratio, quia aliæ relationes diuerſitatis in Diuinis, non diſtinguunt vnam perſonam ab alia; ſupponũt enim iam diſtinctionẽ realem inter perſonas.

QVÆSTIO OCTAVA THEOLOGICA CIRCA OCTAVVM COROLLARIVM.

Vtrùm ſententia octaui Corollarij ſit vera, quòd, ſcilicet, relationes originis in Diuinis diſtinguantur inter ſe realiter.

1. Vnica concluſio. RESPONDETVR ad quæſtionem VNICA concluſione affirmatiua, relationes diuinas originis, diſtingui inter ſe realiter.

Prima ratio ex philoſophia. Probatur primò ex principio Philoſophico, diximus enim in prædicamento Relationis, relationes producentis, & producti, eſſe diſtinctas inter ſe realiter, quia producens neceſſariò diſtinguitur à producto, nulla enim res poteſt producere ſeipſam, quia ad actionem præſupponitur exiſtentia cauſæ; ſed in Diuinis iſtæ relationes originis fundantur in producente, & producto, ergo diſtinguuntur realiter inter ſe. Et confirmatur, quia

2. hæc ratio peculiariter habet locum in relationibus diuinis, quia repugnat in Diuinis diuinam perſonam ſeipſam producere, quia ſi Pater produceret ſeipſum, deberet ſeipſum producere per intellectionem; ſed intellectio non poteſt ex ſua ratione formali habere alium terminum, quàm Verbum, nam intellectio nihil aliud eſt, quàm ſpecies expreſſa obiecti, quare vt ſic, non poteſt habere pro termino, niſi ipſum Verbum; ſed Pater, vt ſupponitur ex ſcripturis, non eſt Verbum, non ergo Pater poteſt producere ſeipſum.

3. Secunda ratio ex ſcripturis. Secundò probatur ex Scripturis, in quibus habetur, in Deo eſſe vnam perſonam, quæ eſt Filius, & aliam quæ eſt Pater, quæ quidem relationes, ſicut intrinſecè includunt oppoſitionem relatiuam, ita intrinſecè includunt diſtinctionem.

Tertiò probatur ex Concilio Tolerano XI. in cõfeſſione fidei, vbi definitur, in Deo non eſſe numerum in eſſentia, eſſe tamen numerum in relationibus. Quòd autem hæc diſtinctio, de qua loquuntur Scripturæ & Concilia, ſit diſtinctio realis, ex eo patet, quia iſtæ relationes ſunt conſtituentes perſonas, quæ ſunt diſtinctæ realiter, vel etiam ſi non eſſent conſtituentes, adhuc non eſſent diſtinctæ à perſonis a parte rei, ſi ergo perſonæ ſunt diſtinctæ realiter, erunt & relationes diſtinctæ realiter, & fauet Concil. Toler. in quo habetur in Deo eſſe numerum trinitatis in relationibus. 4 Tertia ratio ex Concil.

Sed contra hanc concluſionem de fide, eſt difficillimum argumentum, quod eſt hoc: Relationes diuinæ identificantur cum eſſentia omnino a parte rei, ergo implicat diſtingui realiter inter ſe. 5. Argumentũ contra concluſionem.

Probatur Antecedens ex illo loco Ioannis 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quem locum ſatis bene & docte examinat Salas in primam ſecundæ S. Thom. tract. 2. diſput. 4. ſect. 3. & probat, illum locum non poſſe intelligi niſi de viſione beata, qua propter vnitatem, & identitatem eſſentiæ cum perſonis, non poteſt videri eſſentia, quin ſaltem materialiter videantur perſonæ; & colligitur etiam ex Toleto annotatione 11. in eum locum, & ex Hilario 7. de Trinit. & Athanaſio in confeſſione fidei ad Epictetum, & Chryſoſtomo homil. 73. in Ioannem. Probatur antecedens duplicirer, ſcilicet identificari cum eſſentia. Ioan 14. Salas.

Probatur ſecundò ex Concil. Later. relato in cap. Damna- Concil. Later.

Gilb. Port. Bonauent.

Damianus, de ſumma Trinitate, & in Cõcil. Remenſi ſub Eugenio III. in quo Gilbertus Porretanus retractauit ſuum errorem, vt refert Bonauent. in 1. diſt. 33. quæſt. 2. ex Concil. Florent. ſeſſ. vltima, vbi habetur, ſubſtantiam ſola ratione diſtingui à perſonis.

6. Sophron. Bernard.

Probatur tertiò idem Antecedens ex communi conſenſu Patrum, qui hoc myſterium appellant admirabile, vt Baſilius cap. 46. & Sophronius in epiſtola approbata in VI. Synodo act. 13. & Bernardus lib. 5. de conſideratione; non eſſet autem admirabile, ſi daretur aliqua diſtinctio à parte rei inter eſſentiam, & perſonas: tum quia propterea dicunt eſſentiam & attributa prædicari poſſe de perſonis in abſtracto, ita vt ſit vera hęc propoſitio, (Tres perſonæ ſunt vna diuinitas) falſa autem eſſet hæc propoſitio, ſi inter eſſentiam & perſonas non eſſet omnino identitas. Ita Bernard. lib. 5. de conſiderat. & Auguſt. 2. de Trinit. cap. 7. dicit perſonam, & Deum eſſe omnino idem.

Bernard. August.

7. Scot.

Quartò probatur ratione, quia ſi eſſet diſtinctio, eſſet compoſitio, quæ quidem repugnat ſimplicitati Dei; Quòd ſi dicas cum Scoto, non facere compoſitionem, quia eſſentia imbibitur in perſonalitate, ſicut ens imbibitur in differentiis inferioribus. Contrà, tum quia ſi ratio entis diſtingueretur à parte rei à differentiis inferioribus, faceret compoſitionem, ergo ſi eſſentia diſtingueretur à perſonalitatibus, faceret compoſitionem cum illis; tum ſecundò, quia eſſentia diuina, vt eſt principium operationum, non imbibitur in perſonalitate, ſed tantum imbibitur ens increatum, quod eſt tranſcendentale, ſicut ens creatum imbibitur in differentiis ſuis; tum tertiò, quia etiam ſi eſſentia imbiberetur in relationibus, ſi tamen à parte rei diſtingueretur ab illis, faceret compoſitionem, ſicut etiam ens creatum, ſi diſtingueretur à parte rei à differentiis inferioribus, faceret compoſitionem, quicquid dicat Scotus, quia illa diſtinctio tolleret omnimodam identitatem. Et hæc dicta ſint circa probationem Antecedentis.

Scotus.

8. Probatur conſequẽtia tripliciter, quòd ſcilicet implicet perſonas diſtingui inter ſe realiter ſi idẽtificẽtur cũ eſſentia. Prima probatio conſequentiæ.

Conſequentia verò argumenti, quòd ſcilicet implicet, perſonas diſtingui inter ſe realiter, ſi identificentur cum eſſentia, probatur tripliciter, ex tribus principiis Philoſophicis communiter receptis.

Et primò per illud principium communiter receptum à philoſophis, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, ex 3. Phyſic. & 7. Topic. Si igitur relationes diuinæ ſunt eadem cum eſſentia, tanquam cum vno tertio, vt dicitur in Antecedenti, ergo erunt eadem inter ſe.

9. Secũda probatio conſequentiæ.

Secundò probatur conſequentia per illud aliud principium philoſophicum in 2. Priorum, quòd in ſyllogiſmo expoſitorio valet, ſi arguatur in 3. figura, Hoc currens eſt hoc album, hoc currens eſt Petrus, ergo Petrus eſt hoc album; quare valeret etiam in Diuinis idem modus argumentandi, Paternitas eſt eſſentia, filiatio eſt eſſentia, ergo filiatio eſt paternitas; & tamen in Diuinis conſequentia eſt falſa, & hæretica; ergo ſignum eſt, vel eſſentiam diſtingui à perſonis à parte rei, cuius oppoſitum probatum eſt, vel relationes non diſtingui inter ſe, quod erat probandum.

10. Tertia probatio eiuſdẽ conſequentiæ.

Tertiò per illud axioma receptum in Philoſophia, quòd non poſſunt de eodem duo contradictoria verificari: ſi igitur relationes identificantur cum eſſentia omnino à parte rei, & diſtinguuntur realiter inter ſe, ſequitur, quòd duo contradictoria, de eodem verificarentur; nam ſi relatio paternitatis diſtinguitur realiter à filiatione, erit igitur incommunicabilis, & propria, vt autem identificata cum eſſentia, eſt communis, quare eadem eſſentia erit communis, & non communis, communicabilis, & incommunicabilis, quæ ſunt contradictoria de eodem. Confirmatur, quia non poteſt eadem natura eſſe à parte rei abſoluta, & reſpectiua.

11. Reſpõſio ad argumenta negando cõſequẽtiam. Ad primam probationẽ cõſequẽtiæ. Quomodo intelligatur illud principiũ, quę ſunt eadem vni tertio ſũt eadẽ inter ſe. Prima explicatio illius principij. Caiet. Scot. Capr. Ferr. Ariſtot.

Ad argumentum reſpondetur, concedendo Antecedens; Sed negatur Conſequentia; & ad primam probationem ſumptam ex illo principio philoſophico, quæ ſunt eadem vni tertio, &c. variæ ſunt reſponſiones Doctorum; Aliqui dicunt, illud principium intelligendum eſſe, quando extrema ſunt eadem in tertio, eſſe eadem inter ſe in illo tertio, non verò in reliquis, & ideo diuinas perſonas, quia identificantur cum eſſentia, tanquam cum vno tertio, identificari inter ſe in illo tertio, ſcilicet, in eſſentia, non autem inter ſe perſonaliter. Hoc modo reſpondet Caiet. art. 3. huius quæſtionis. Scot. in 1. diſt. 2. quæſt. 4. ad 1. Capreolus in 1. diſt. 2. q. 3. Ferrarienſ. 2. contra gent. cap. 9.

Sed hæc ſolutio non placet, quia ſi hoc modo intelligeretur, illa propoſitio eſſet identica, & inepta ad colligendum vnitatem duorum, at Ariſt. tum 3. phyſ. tum præcipuè 7. top. ex illo principio vult venari vnitatem duorum, ex vnitate in tertio, & re vera in rebus creatis, colligitur hæc vnitas inter duo, ex eo quia identificantur vni tertio, quod optimè & clarè explicuit Ariſt. 7. top. c. 1. vbi hanc propoſitionem ponit inter locos topicos, ad cognoſcendum quando aliqua duo ſunt eadem inter ſe, vel diuerſa inter ſe, & dicit inferri tanquam ex loco topico, tunc videlicet duo eſſe diuerſa inter ſe, ſi vtrumque non identificetur cum illo, cum quo alterum identificatur, eſſe verò eadem inter ſe, ſi vtrumque identificetur cum vno tertio. Deſeruit præterea hoc principium tertiæ figuræ, in qua colligitur duo extrema eſſe eadem inter ſe, quia ſunt eadem vni tertio.

12. Secunda explicatio. Capr. Ferr.

Alij reſpondent, illam propoſitionem eſſe veram in iis tantùm quæ re, & ratione ſunt eadem vni tertio. Ita Capr. & Ferrarienſis ſuprà citati, quare ſecundùm ipſos tantùm valet illa propoſitio in ſynonymis, & putant hanc ſolutionem eſſe Sancti Doctoris, &c.

S. Doctor.

Sed hæc ſolutio non placet, quia quis vnquam dubitauit, ſynonyma eſſe eadem inter ſe: at illa propterea affertur à Philoſophis ad venandum, quando aliqua extrema, de quibus dubitatur, ſint eadem inter ſe. Præterea Ariſtot. 3. phyſ. [illegible] adducit hanc propoſitionem ad probandum actionem, & paſſionem eſſe eadem inter ſe realiter, quia ſunt eadem vni tertio, ſcilicet, motui: at actio, & paſſio non ſunt eadem inter ſe re, & ratione, nam ſaltem diſtinguuntur ratione ratiocinata, vel, vt multi tenent, à parte rei.

Ariſtot.

13. Tertia explicatio. Molina. Vaſq. Valent.

Tertiò reſpondent alij, & eſt communis reſponſio Theologorum communiter recepta, quam adducit noſter Molina, Vaſq. & Valentia, quòd illa propoſitio valet, quando extrema ſunt eadem vni tertio ſingulari finito, & limitato, non autem quando illud tertium eſt ſingulare infinitum, vt eſt eſſentia diuina; Et ratio diuerſitatis eſt, inquiunt, quia ſingulare finitum non poteſt identificari cum pluribus ſingularibus diſtinctis realiter, atque adeò bene infertur vnitas duorum cum vnitate vnius tertij finiti; at verò eſſentia diuina, quia eſt ſingulare infinitum, poteſt identificari cum pluribus diſtinctis realiter, & ideo non bene infertur, quòd ſi extrema ſunt eadem eſſentiæ diuinæ, ſint eadem inter ſe.

Explicatur magis.

Sed iſta reſponſio indiget explicatione, nã iſta infinitudo,

finitudò, quæ facit, vt relationes remaneant realiter diſtinctæ, etiam ſi identificentur vni tertio, poteſt ſe tenere ex vno duorum capitum, vel quia requiritur infinitudo ad hoc, vt diſtincta realiter identificentur tertio, ſcilicet, cum eſſentia; vel ſecundò requiritur ad hoc, vt ea, quæ ſunt identificata cùm tertio, diſtinguantur inter ſe.

Dico igitur, quòd infinitudo non requiritur quantùm ad hoc ſecundum, quia identificatio non tollit oppoſitionem, & diſtinctionem, quam habent extrema inter ſe, nam actio, & paſſio identificantur vni tertio, ſcilicet, motui, & tamen ſunt adhuc diſtincta ſecundùm formalitates ipſarum, etſi per impoſſibile actio, & paſſio, vt ſunt formaliter diſtincta, eſſent diſtincta realiter, & poſſent identificari cum tertio, ſcilicet, cum motu, adhuc ſicut remanent modò de facto formalitates diſtinctæ, remanerent realitates diſtinctæ. Infinitudo igitur requiritur præcipuè, ad hoc, vt duæ realitates, ſeu plures, identificari poſſint vni tertio, quod non reperitur in rebus creatis, nam in iis, vt vnum identificetur cum altero, prouenit ex altero duorum capitum, vel quia quòd identificatur indiget realitate, cui innitatur, ſicut ſunt modi rerum, vel quia realitas, cui identificantur, eſt ſummè ſimplex, & ex ſumma ſimplicitate habet, quòd omnia ſibi identificet. Hoc ſecundum reperiri non poteſt in creatura, ſed tantùm in Deo; reperitur igitur tantùm primum, vnde fit, vt quæ identificantur cum tertio in creaturis, non poſſint eſſe realitates diſtinctæ, ſed erunt modi realitatis, ſeu modificationes, vt habetur ex communi conſenſu omnium philoſophorum, vt licet videre apud Suarium in met. diſp. 71. ſect. 1. & apud Fonſ. 5. met.

Suar.
Fonſ.

Et confirmatur, quia iſti modi dantur in creatura identificari cum realitate creaturæ, quoniam cùm creatura ſit imperfecta, indiget aliquibus modis, qui illam afficiant, ver. g. quia natura creata mutatur ſecundùm præſentiam localem, indiget vbi, alia verò, quia non poſſunt habere omnimodam identitatem, indigent vnione, alia verò indigent inhærentia; at verò, quia eſſentia diuina eſt infinita, & ſummè ſimplex, non mirum ſi ſibi identificet relationes realiter diſtinctas, cum quibus non habet oppoſitionem; hac autem ſtante identificatione, non requiritur infinitudo, ad hoc vt relationes remaneant realiter diſtinctæ, quia identificatio vt ſic, non tollit oppoſitionem, & diſtinctionem, quam habent extrema inter ſe, vt diximus; Patet igitur, quòd illud principium, (quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe) nihil obſtat Trinitati, imò potiùs fauet, valet autem ſolùm in creaturis propter rationem aſſignatam.

14. Ad ſecundã probationẽ conſequentiæ.

Ad ſecundam probationem deſumptam ex ſecundo illo principio philoſophico de ſyllogiſmo expoſitorio, reſpondetur, quòd ille ſyllogiſmus allatus in exemplo de Trinitate non eſt propriè ſyllogiſmus expoſitorius, quia medium reipſa ponitur ſine debita diſtributione; Et ratio eſt peculiaris in exemplo allato de Trinitate, quia medium ſingulare eſt commune, quod non accidit in rebus creatis; cùm enim arguitur in tertia figura, eſſentia diuina à parte rei, eſt paternitas, & eadem eſſentia eſt filiatio, ergo à parte rei paternitas eſt filiatio. Conceditur Maior, & Minor, ſed negatur conſequentia; Et ratio eſt, quia non ponitur debitè in figura, medium enim non eſt debitè diſtributum, nam eſſentia diuina, quæ eſt medium, eſt communis paternitati, & filiationi, vnde ſi ſyllogiſmus fieret hoc modo, clarè pateret fallacia (omnis eſſentia diuina ex natura rei eſt paternitas) eſſet falſa Maior, quia eſſentia diuina non eſt indiuiduum ſingulariter incommunicabile, ſicut ſunt indiuidua creata. Quare eſſentia diuina non eſt aptum medium ad ſyllogiſmum, quia hæc eſt falſa (omnis res quæ eſt eſſentia, eſt paternitas:) at verò in rebus creatis, valet cùm dicitur, Hoc currens eſt hoc album, hoc currens eſt Petrus, ergo Petrus eſt hoc album; nam medium, quod eſt, hoc currens, non eſt commune, ſed incommunicabile, valet enim hæc vniuerſalis, omnis res, quæ eſt hoc currens, eſt hoc album, non autem valet, omnis res, quæ eſt hæc eſſentia, eſt paternitas.

Quomodo intelligatur ſyllogiſmus expoſitorius.

Ad tertiam probationem deſumptam ex alio principio philoſophico, quòd non poſſunt de eodem, &c. reſpondetur, quòd in argumento eſt fallacia compoſitionis, & diuiſionis; cùm enim dicitur, eſſentia eſt communis, ſumitur eſſentia ſecundùm ſenſum diuiſum, vt eſſentia eſt, non includens perſonalitates: at verò cùm dicitur, res, quæ eſt eſſentia, eſt incommunicabilis, ſumitur in ſenſu compoſito, & includens perſonalitates. Eodem modo cùm dicitur, eſſentia non generat, eſt in ſenſu diuiſo, pro eſſentia præciſè, vt diſtincta à relationibus: cùm verò dicitur, illa res, quæ eſt eſſentia, generat, non ſumitur eſſentia ſupponens immobiliter præciſè pro eſſentia, ſed pro illa re ſingulari, quæ eſt eſſentia, & perſona, & ideo verum eſt, quòd illa res eſt incommunicabilis, & generat; quare non poteſt dici, quòd contradictoria verificantur de eodem: nam eſſentia ſub affirmatione, & negatione, non ſtat eodem modo, nam in vno ſtat immobiliter, & in ſenſu diuiſo, in alio mobiliter, & in ſenſu compoſito. Quare omnes rationes dubitandi poſitæ, & aliæ ſimiles, ex hoc vno principio, facilè ſoluuntur, quòd eſſentia diuina eſt ſingulare indiuiduum non incommunicabile, ſed communicabile, propter ſummam, & infinitam ſimplicitatem; Rationes verò dubitandi habent vim, quando indiuiduum ſingulare eſt incommunicabile, vt ſemper eſt in creaturis.

Ad tertiam probationẽ eiuſdem cõſequentiæ.
Explicatur illud principium de eodem nõ poſſunt verificari duo cõtradictoria.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO NONA

THEOLOGICA CIRCA NONVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia noni Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes diuinæ non habeant proprias exiſtentias relatiuas, ſed exiſtant exiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ.

1. *Secernũtur certa ab incertis.*

CERTVM eſt dari vnam exiſtentiam abſolutam eſſentialem Deitati omnibus Perſonis cõmunem. Eſt communis omnium Scholaſticorum, & Patrum, nam eſt vna eſſentia communis tribus; hæc autem eſſentia habet propriam ſuam exiſtentiam, & abſolutam, ergo & communem omnibus perſonis; Quod quidem probant Patres ex illo Exodi 3. vbi à Moyſe interrogatus Deus, hoc nomen ſibi impoſuit, *Qui eſt*; at (Qui eſt) ſignificat (Qui exiſtit:) Videndus Hilarius lib. 1. de Trin. Nazianz. orat. de Theologia, quæſt. 4. Chryſoſt. hom. 14. in Ioan. Athan. in epiſt. de ſynodis, & alij. Quod probat S. Thom. in 1. quæſtione 40. art. 1. ad 3. quia nulla res, inquit, poteſt habere aliquam perfectionem ſine actuali entitate, ergo eſſentia diuina etiam præciſa à perſonalitatibus relatiuis, habet exiſtentiam abſolutam; & præterea proprium conſtitutiuum eſſentiale diuinum eſt, eſſe à ſe, ergo exiſtentia eſt eſſentialis eſſentiæ, prout eſſentia eſt, ergo ſi quælibet perſona eſt hic Deus eſſentialiter, exiſtit etiam prout hic Deus, exiſtentia eſſentiæ, quæ, vt dictum eſt, eſt de quidditate eſſentiæ diuinæ.

Hilar. Naz. Chryſoſt. Athan. S. Thom.

2. *Punctus difficultatis.*

Controuerſia igitur inter Scholaſticos ſolùm eſt, Vtrùm ſententia noſtri Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes diuinæ, vt diſtinctæ ratione ab eſſentia, non exiſtant exiſtentiis relatiuis, ratione diſtinctis ab exiſtentia eſſentiæ, ſed exiſtant vnica, & eadem exiſtentia abſoluta, qua exiſtit ipſa eſſentia.

Argumenta contra ſententiam Corollarij. Primum.

Et ratio dubitandi in oppoſitum eſt primò, quia videtur ex principio philoſophico colligi oppoſitum; oſtenſum eſt enim in prædicamento relationis quæſtione ſeptima, relationem creatam prædicamentalem non exiſtere exiſtentia abſoluta fundamenti, ſed propria relatiua; quamuis ipſa relatio ſit identificata cum fundamento.

Secundum.

Secundò, Perſona eſt entitas actualis ratione diſtincta ab eſſentia, ergo exiſtentia perſonalis eſt diſtincta ratione, ab exiſtentia eſſentiæ; Antecedens ſupponunt aduerſarij vt certum; Conſequentiam probant; nam perſona conſtituitur in eſſe entitatis actualis per exiſtentiam; ſi ergo multiplicetur entitas actualis perſonalis, multiplicari debet conſtitutiuum huius entitatis actualis, quod eſt exiſtentia.

Tertium.

Tertiò, eſt realis productio entitatis perſonalis, vt infrà oſtendetur, ſed perſonalis productio non tendit tanquam in terminum productum in exiſtentiam eſſentiæ, prout eſſentia eſt, quia hoc eſſe non producitur, ſed præſupponitur in producente, ergo productio perſonalis neceſſariò tendit in eſſe perſonale relatiuum, ratione diſtinctum ab eſſe abſoluto eſſentiæ.

Propter hæc argumenta tenent nonnulli Theologi, relationes vt diſtinctas ſaltem ratione ab eſſentia, exiſtere exiſtentiis propriis relatiuis, diſtinctis ſaltem ratione ab exiſtentia abſoluta. Ita tenent Riccard. Victor. 4. de Trin. cap. 16. Fonſ. 5. met. c. 8. Suar. tum 1. par. tum in 3. part. diſp. 11. ſect. 2. ad hanc videtur accedere Scot. in 1. diſtinct. 11. quæſt. 2.

Sententia Riccardi. Fonſ. Suar.

His tamen non obſtantibus, ſit

3. *Vnica concluſio.*

VNICA concluſio. Tenenda eſt tanquam verior ſententia Corollarij, relationes ſcilicet diuinas exiſtere vnica tantùm, & eadem exiſtentia abſoluta, qua exiſtit eſſentia. Hæc ſententia eſt S. Tho. multis in locis, & primò in 1. part. quæſt. 29. artic. 2. dicit eſſentiam, & relationem habere idem eſſe, & quæſtione 30. art. 2. dicit, perſonas non diſtingui in eſſe, in quo ſubſiſtunt, & in 3. part. quæſt. 3. art. 2. dicit in diuinis perſonis non eſſe aliud eſſe præter eſſe naturæ, & 3. part. quæſt. 17. art. 2. ad 3. dicit, perſonas diuinas non habere niſi vnum eſſe, quia in Deo idem eſt eſſe naturæ, & perſonæ, & hîc Caiet. & præterea S. Thomas quæſt. 2. de pot. art. 6. & quæſt. 8. art. 2. & quæſt. 9. artic. 5. tenet in Deo eſſe vnum eſſe non reſpectiuum, ſed abſolutum; neque relationes addere aliud eſſe præter abſolutum; neque perſonas eſſe niſi per eſſe naturæ, ſeu eſſentiæ, quod quidem non videtur poſſe dici clariùs: Et quamuis aliqui Thomiſtæ conentur S. Thomam explicare in oppoſitum, dicentes, S. Doctorem non dicere, quòd eſſe relationis diuinæ ſit eſſe abſolutum, ſed quòd eſſe eſſentiæ diuinæ ſit abſolutum; non tamen hæc expoſitio eſt admittenda: nam loco citato dicit expreſsè, eſſentiam, & relationem habere idem eſſe, & perſonas non addere aliud eſſe ſuper abſolutum: Explicant præterea alij S. Thomam, quaſi velit dicere, quòd relatio non habet eſſe inexiſtentiæ, ſicut relatio creata, quæ per inexiſtentiam reſpicit ſubiectum potiùs, quàm terminũ. Sed neque hoc dici poteſt, nam quæſtione 2. cit. de pot. & quæſt. 8. & 9. loquitur expreſsè de exiſtentia relationis, vt dicit eſſe, Ad, & hanc dicit eſſe vnam abſolutam in Deo, nec relationem addere aliquod eſſe ſuper eſſe abſolutum; exiſtimo igitur hanc eſſe veram ſententiam S. Thomæ.

S. Thom.

4 *Prima ratio.*

Probari ſolet primò hæc noſtra ſententia, quia quælibet exiſtentia habet aliquam durationem ſibi propriam; ſi igitur relationes habent exiſtentias proprias, erunt tres durationes: at videtur abſurdum concedere très durationes in Deo, nam quælibet

O o

bet duratio in Deo eſt æternitas, erunt igitur tres æternitates, quod eſſe abſurdum patet ex S. Athan. in Symbolo (Non ſunt tres æterni, ſed vnus æternus.)

Sed hæc probatio quamuis ſit bona, non tamen conuincit aduerſarios; poſſent enim iuxta principia Philoſophię reſpondere dupliciter; Primò, ſi teneatur opinio, quòd duratio nihil aliud ſit, quàm ipſa intrinſeca exiſtentia rei, prout apta ad coexiſtendum alteri, ita vt duratio ſubſtantiæ ſit in prædicamento ſubſtantiæ, & duratio accidentis in prædicamento accidentis: ſi, inquam, teneatur hæc opinio, poteſt concedi, in Deo eſſe tres durationes relatiuas, ſicut ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ; negandum tamen eſt, relationem, quamuis ſit æterna, eſſe æternitatem, nam æternitas non ſignificat quamcumque durationem æternam, ſed durationem, ſeu exiſtentiam entis infiniti, æquabili modo ſemper exiſtentis in omnibus, ratione immutabilitatis, & de hac loquitur Athan. cùm dicit (Non ſunt tres æterni): Si verò teneatur alia opinio in Philoſophia, quòd duratio ſit præſentia accidentalis rei in tempore reali, vel imaginario, ſuperaddita exiſtentiæ, ſicut vbi eſt præſentia accidentalis rei in ſpatio reali, vel imaginario, tunc negandum eſt in Deo eſſe tres durationes relatiuas; nam quicquid ſit de creaturis, vtrùm quælibet entitas creata habeat ſuam durationem, ſicut habet ſuum Vbi, negandum tamen eſt in ente infinito propter infinitatem, quia ſicut per vnam immenſitatem identificatam cum perſonis, Deus exiſtit vbique, ita per vnam æternitatem abſolutam identificatam cum perſonis, Deus eſt præſens omni tempori ſiue reali, ſiue imaginario.

Secunda ratio. Solet ſecundò probari ex eo, quòd modus exiſtēdi non affert ſecum exiſtentiam, ſicut in rebus creatis inhærentia, & perſeitas, non habent diuerſas exiſtentias ab exiſtentiis naturarum, quarū ſunt modi, ſed ex Damaſceno 1. de fide, quæſt. 1. & 18. Relatio eſt modus exiſtentiæ diuinitatis, quia relatio in diuinis eſt ipſa perſeitas, non igitur affert ſecum exiſtentiam diſtinctam ratione ab abſoluta.

Sed neque hæc ratio omnino conuincit, negandum eſt enim, modum exiſtendi per ſe, vel in alio, non habere in creaturis propriam exiſtentiam, ſupponimus enim, diſtingui ſaltem ex natura rei modaliter à re modificata.

5. **Tertia ratio efficacior.** Tertiò igitur veriùs probatur. In Deo exiſtentia abſoluta, per quam exiſtit eſſentia, eſt infinita, & identificatur omnino à parte rei cum omnibus relationibus, ergo per illam exiſtunt omnes relationes: Antecedens ſupponitur, & probatum ſuprà; Conſequentia probatur, quia illa exiſtentia cùm ſit infinita, & identificata cum omnibus relationibus, eſt ſufficiens, vt per illam exiſtant relationes, non igitur multiplicari debent exiſtentiæ relatiuæ, nam quod in Deo eſt poſſibile, eſt de facto; quare ſi poſſūt relationes exiſtere exiſtentia abſoluta, de facto exiſtūt.

6. **Quarta ratio efficax.** Probatur quartò, quia ſi relatio diuina haberet propriam exiſtentiam relatiuam, ſequeretur, quòd à parte rei diſtingueretur ab eſſentia, nam quidditas relationis non eſt de eſſentia naturæ diuinæ, quia tota eſſentia communicatur Filio, & non communicatur paternitas formaliter: ſi igitur relatio haberet propriam exiſtentiam relatiuam, diſtingueretur à parte rei ab eſſentia, quid enim plus requiritur ad diſtinctionem à parte rei? Quòd ſi dicamus vnam tantùm eſſe exiſtentiam, rectè concludimus, relationem, & eſſentiam, eſſe vnam entitatem actualem exiſtentem à parte rei, quamuis ſecundùm conceptum quidditatiuum ſint diſtinctæ.

Probatur quintò, quia alioqui ſequeretur, quòd ſpiratio actiua haberet ſuam exiſtentiam, quia eſſet par ratio, & ſic eſſent quatuor exiſtentiæ relatiuæ, quod nec aduerſarij concedunt. 7. **Quinta ratio efficax.**

Reſponſio ad argumenta ſeu ad rationes dubitandi initiò poſitas. Ad primum. Ad argumenta, ſeu rationes dubitandi in oppoſitum: Ad primum dicendum eſt, quòd ideo relatio creata prædicamentalis habet exiſtentiam propriam relatiuam, quia quamuis identificetur realiter cum fundamēto, diſtinguitur tamen ex natura rei ab illo, quia vt in prædicamento Relationis quæſtione ſeptima probatum eſt, relatio aduenit de nouo, & poteſt ſeparari à fundamento, quod eſt ſignum euidens diſtinctionis; quæ autem à parte rei diſtinguuntur, neceſſariò habent proprias exiſtentias, vt alibi probatum eſt: at verò in Diuinis relatio omnino identificatur à parte rei cum eſſentia, vt oſtenſum eſt, & ideo non opus eſt, vt exiſtat propria exiſtentia relatiua, imò neceſſe eſt, vt exiſtat exiſtentia tantùm abſoluta, quia hæc eſt ſufficiens, vt per illam exiſtat relatio.

Ad ſecundum negatur, quòd perſonalitas, ſeu relatio, conſtituatur in eſſe actualis entitatis per exiſtentiam, quaſi quòd relatio ſecundùm eſſe quidditatiuum habeat eſſe potentiale tantùm, fiat autem actuale per exiſtentiam, ſicut dicunt in creaturis, quòd eſſentia creata non habet eſſe actuale eſſentiæ, ſeu quidditatiuum reale ante productionem, ſed tantùm eſſe potentiale in cauſa, atque adeò per exiſtentiam fiat actualis entitas non ſolùm in eſſe exiſtentiali, ſed etiā eſſentiali; negatur, inquam, tum quia in prædicamento de ſubſtantia, q. 1. probauimus cum Caietano de ente, & eſſ. cap. 1. quæſt. 11. & multis aliis, probabile eſſe, eſſentias creatas habere eſſe actuale quidditatiuum reale ab æterno, poſitiuam ſcilicet aliquam rationem, ex qua oritur, quòd habeant eſſe in cauſa, quam rationem non habet Chimæra: multò igitur magis hoc concedendum eſt in relationibus diuinis, quæ ſunt entia neceſſaria independentia ab alio, tanquam à cauſa; in illo igitur priori ſigno, in quo adhuc filiatio ſecundùm modum noſtrum imperfectum concipiendi non concipitur vt producta, habet relatio ſuum eſſe actuale quidditatiuum reale, & in ſequenti ſigno concipitur exiſtere actualiter per actionem Patris, diſtinguitur igitur relatio ratione ab eſſentia, ſecundùm ſuum eſſe actuale quidditatiuum. 8. **Ad ſecundū.**

Ad tertium reſpondetur, quòd verè in Diuinis eſt productio, & hæc tendit in exiſtentiam relationis, ſed non opus eſt quòd iſta exiſtentia ſit diſtincta ab abſoluta, ſed ſufficit, vt vi actionis paternæ relationi filiationis communicetur exiſtentia abſoluta per identificationem: nec eſt ſimile de intelligere, quod communicatur, quia intelligere præſupponebatur idem in Patre exiſtens: at verò relatio filiationis non ſupponebatur in Patre exiſtens, & ad hanc relationem vt exiſtentem, terminatur actiò Patris, ſufficit enim, vt productio terminetur ad rem exiſtentem in actu exercito, quod in priori ſigno non exiſtebat, ſiue exiſtat exiſtentia propria, ſiue alterius, & hoc modo, vt dictum eſt, productio in Diuinis terminatur ad relationem diuinam, nempe ad filiationem, quia filiatio in primo ſigno originis non ſupponebatur exiſtere, & ex vi actionis paternæ in ſecundo ſigno exiſtit exiſtentia eſſentię, quod, vt diximus, non eſt ſimile de intelligere, nam communicatio non terminatur ad intelligere vt exiſtens, quia hoc ſupponebatur in primo ſigno, ſed terminatur ad communicandum ipſum intelligere Filio ſecundùm eandem exiſtentiam, & exercitium exiſtendi, quod habebat in primo ſigno in Patre, ratione eſſentiæ 9. **Ad tertium.**

Digitized by Google

eſſentiæ diuinæ, ſicut ſi in humanis per Dei potentiam Paulus exiſteret exiſtentia Petri, quod non eſſe impoſſibile, oſtendimus ſuprà in principio Philoſophico, diſput. ſecunda, tunc Paulus verè produceretur, quia productio terminatur ad Paulum, vt exiſtentem, cum hac tamen differentia, quòd in Paulo requireretur vnio, per quam natura Pauli vniretur cum exiſtentia Petri: at in Diuinis loco vnionis eſt identificatio relationis cum exiſtentia eſſentiæ diuinæ; quæ identificatio eſt ex vi actionis paternæ; quamuis enim eſſentia propter ſuam infinitatem omnia ſibi in diuinis identificet, indentificat tamen quaſi materialiter; at verò quaſi efficienter fit identificatio perfectionum diuinarum cum Filio, ex vi actionis paternæ. Exemplum poteſt eſſe ad explicandum ea, quæ hucuſque dicta ſunt, ſi ſupponamus illam opinionem, quam tenent multi Scholaſtici, quos retulimus in prædicamento Subſtantiæ, diſputat. quarta de vnione, quòd forma, ex. gr. ignis, habet vnionem ſibi identificatam; hoc enim ſuppoſito detur, quòd per diuinam potentiam forma ignis exiſtat ſeparata à materia, & materia etiam exiſtat, tunc ſi daretur agens, quod vniret ſubſtantialiter materiam cum forma, diceretur de nouo produci compoſitum ſubſtantiale, ex vi actionis agentis, cùm tamen nec materia, nec forma, nec vnio producantur; ſufficit enim ad productionem ſubſtantialem, vt actio terminetur ad compoſitum ſubſtantiale, quod de nouo fit, quare in caſu noſtro cùm ſuppoſitum Filij ex vi actionis paternæ producatur in eſſe ſeu exiſtens in ſecundo ſigno, quod nō erat in primo ſigno, verè dicitur produci à Patre, etiam ſi exiſtentia præſupponatur in primo ſigno.

Aliud exemplum afferri poteſt ſatis aptum de nutritione, ſeu augmento hominis, quando enim cibus conuertitur in ſubſtantiam aliti, tunc non producitur noua exiſtentia, quia materia, quæ erat ſub forma cibi, retinet eandem exiſtentiam in viuente, quod nutritur, neque producitur noua exiſtentia in forma aliti, quia forma aliti, eſt anima rationalis, quæ habet ſuam exiſtentiam; neque producitur noua vnio, quia, vt probatū eſt in prædicamēto Subſtantię, diſputatione quarta, vnio quæ eſt in anima rationali ante nutritionem, ſatis eſt ad vniendum materiam, quæ erat ſub cibo cum ipſa anima rationali, quia illa vnio eſt indiuiſibilis & ſpiritualis, & ſimul cum anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte materiæ viuentis; dicitur autem produci noua ſubſtantia aliti, ex eo ſolùm, quia ex vi influxus agentis fit vt anima vniatur materiæ, quæ erat ſub cibo, ac proinde fit nouum aliquod vnitum, & nouum aliquod producatur, quod priùs non erat; ita ſimiliter in Diuinis ex influxu paterno fit, vt in ſecundo ſigno ſecundùm modum noſtrum concipiendi, ſit Filius exiſtens exiſtentia ipſius eſſentiæ, quæ exiſtentia vnitur, ſeu identificatur, ex vi eiuſdem influxus cum ipſa filiatione; hæc autem exiſtentia non intelligebatur vnita ſeu identificata cum Filio in primo ſigno, quia in illo primo ſigno adhuc non intelligebatur influxus paternus.

Hìc eſſet tractandum, an præter tres ſubſiſtentias relatiuas detur vna ſubſiſtentia abſoluta; ſed de hoc egimus in prædicamento Subſtātiæ, corollario primo de incarnatione.

QVÆSTIO DECIMA
THEOLOGICA CIRCA DECIMVM COROLLARIVM,

De conſtitutione relatiua perſonarum diuinarum.

Sunt in hac quæſtione duæ dubitationes.

I. *Vtrùm perſona verè & propriè conſtituatur ex eſſentia, & proprietate perſonali.*
II. *Vtrùm perſona diuina conſtituatur per relatiuum vel abſolutum.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm perſona diuina verè & propriè conſtituatur ex eſſentia & proprietate perſonali.

1. Prima concluſio. Scholaſtici in primo.

PRIMA concluſio. Perſona diuina conſtituitur verè, & propriè ex eſſentia, & proprietate perſonali. Eſt ſententia communis Scholaſticorum in 1. diſtinct. 26. 27. & 28. excepto Gregorio ibidem, diſt. 27. quæſt. 1.

Prima ratio ex Cōciliis. Florent.

Probatur primò ex Conciliis, Florentino ſeſſ. 19. in qua dicitur diuinam perſonam conſtare ex eſſentia, & proprietate, & ex VI. Synodo actione 2. in epiſtola Sophronij, quæ fuit approbata ab eadem VI. Synodo, in qua dicitur perſonas habere aliquid commune, ſcilicet Deitatem, & aliquam infinitam proprietatem qua diſtinguantur. VI Synod.

2. Secunda ratio.

Probatur ratione, & etiam ſumitur ex iiſdem Conciliis, quia à parte rei in perſona, eſt ratio, per quam conuenit cum alia perſona, & hæc eſt

Digitized by Google

Deitas, & eſt ratio, per quam differt ab alia perſona, & hæc eſt proprietas perſonalis, neque identificatio proprietatis perſonalis cum eſſentia, tollit rationem propriam conſtitutionis, quia hæc identificatio non tollit diſtinctionem à parte rei, quæ eſt inter vnam perſonam & aliam, quæ diſtinctio oritur ex proprietate perſonali, quatenus vna proprietas eſt in vna perſona formaliter, & non in alia.

3. *Quæſitũ circa primam concluſionem.* Quæres. Poteſt ne dici perſona ſe tota differre ab alia perſona; Et ratio dubitandi pro parte affirmatiua eſt, quia vltima differentia dicitur ſe tota differre ab alia, & tamen includit ens, in quo fundatur ratio conuenientiæ; ergo perſona diuina quamuis includat eſſentiam, in qua conuenit cum alia, poteſt dici ſe tota differre ab alia.

Reſpondetur dicendum eſſe, perſonam non per ſe totam differre ab alia, ſed per proprietatem perſonalem; Ita loquuntur Concilia, vt patet ex VI. Synodo citata, vbi dicitur, perſonas habere inſitas proprietates, per quas diſtinguantur; & ex Florent. cit. vbi dicitur diuinam perſonam conſtare ex ſubſtantia, & proprietate, per quam proprietatem diſtinguitur ab alia.

Ad rationem dubitandi reſpondetur, quòd vltima differentia dicitur ſe tota differre ab alia, quia ens, per quod conuenit cum alia, imbibitur eſſentialiter in qualibet differentia; At verò eſſentia diuina ſecundùm veriorem opinionem Scholaſticorum, vt eſt principium operationum, non imbibitur eſſentialiter in qualibet perſonalitate, quamuis identificetur cum illa.

4. Quòd ſi dicas, proprietas perſonalis eſt eſſentialiter ens diuinum, & increatum, ergo in illa imbibitur eſſentia diuina. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ens increatum eſt prædicatum tranſcendentale in ſanctiſſima Trinitate, ſicut eſt ens creatum in creaturis: at verò eſſentia diuina, vt eſt principium operationum, non eſt prædicatum tranſcendentale.

5. *Secunda cõcluſio. S. Thom. Vaſq. Suar. Gabr. Dur. Scot. Caiet. Canar. Mol.* Secunda concluſio. Hæc conſtitutio non ſolùm eſt fundamentalis, ſed formalis à parte rei. Eſt S.Thom. 1.p. quæſt. 40. quem ſequuntur recentiores, Vaſq. Suar. & alij, & in hac conueniunt Gabriel in 1. diſtinct. 26. quæſt. 1. Durand. ibidem quæſt. 1. Scot. diſt. 28. quæſt. vl. contra Caiet. 1. par. quæſt. 40. ar. 2. & 3. Canar. 4. contra Gent. cap. 2. & 6. Molina quæſt. 4. diſput. 1. Ratio eſt, quia verè à parte rei eſt ratio conuenientiæ, & ratio diuerſitatis in perſona, per quam vna perſona differt ab alia. Neque identificatio proprietatis perſonalis cum eſſentia obſtat, imò potiùs fauet, quia reddit naturam magis incommunicabilem. Nec etiam obſtat quòd in creaturis conſtitutio ex genere, & differentia, non ſit à parte rei, ſed fundamentaliter ſuppoſita opinione, quòd inter genus, & differentiam, nulla ſit diſtinctio à parte rei; non obſtat, inquam, quia quamuis concedatur non eſſe conſtitutionem à parte rei, eſt diſpar ratio in conſtitutione perſonæ diuinæ; quia in conſtituto ex genere, & differentia, ratio conuenientiæ, quæ fundatur in genere, non eſt reipſa communis, & indifferens, ſed per intellectum: at verò in perſona diuina, ratio communis, quæ eſt eſſentia indiuidua, eſt reipſa communis, vnde fit, vt verè à parte rei perſona conſtet ex eſſentia diuina, vt communi, & ex proprietate perſonali, tanquam ex differentia, vt habetur ex Florentino citato.

6. *Tertia concluſio.* Tertia concluſio. In perſona diuina, quamuis ſit verè conſtitutio ex eſſentia, & perſonalitate, nullo tamen modo dicendum eſt eſſe compoſitionem, nec actualem à parte rei, nec fundamentalem; De actuali eſt certum, quia hæc requirit extrema diſtincta; De fundamentali probatur, quia non poteſt intellectus concipere Deum, vt quid compoſitum, nam conciperet vt dependentem; apprehenſio igitur illa prima, qua comprehendit Deum, vt independentem, repugnat apprehenſioni ſecundæ, qua apprehendit Deum, vt compoſitum, & ſic ſecunda deſtruit primam; & quamuis intellectus dicat hoc non eſſe ita à parte rei; tamen hoc dicit per aliam cognitionem reflexam: quare non propterea tollitur, quin ſecunda apprehenſio directa non deſtruat primam apprehenſionem directam.

Quòd ſi dicas, cùm nos cognoſcimus Deum per phantaſma materiale, apprehendimus vt idolum quoddam materiale, & tamen concipimus per illud Deum ſpiritualem. Reſpondetur, quòd illud idolum ſe habet extrinſecè, non enim apprehendimus materialitatem intrinſecè in ipſo Deo, ſed in idolo extrinſeco, per quod ducimur in cognitionem Dei, in quo terminatiuè, & intrinſecè apprehendimus ſpiritualitatem; at verò in caſu noſtro terminatiuè & intrinſecè apprehendimus Deum, vt compoſitum, apprehenſione directa, quæ apprehenſio obiectiua, eſt contradictoria alteri apprehenſioni obiectiuæ, quam habemus de Deo, vt eſt omnino ſimplex. 7. *Inſtantia.*

Quòd ſi dicas, hinc ſequi, pari ratione dicendum eſſe, intellectum noſtrum non poſſe diſtinguere proprietatem perſonalem ab eſſentia; Probatur paritas, quia in Deo, nulla eſt diſtinctio à parte rei. Reſpondetur hoc non ſequi, quia in diſtinctione habet ſe intellectus tantùm negatiuè, apprehendendo vnum, & non apprehendendo alterum; quare ſecunda apprehenſio, non repugnat poſitiuè primæ apprehenſioni. 8.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm perſona diuina conſtituatur per relatiuum, vel per abſolutum.

Prima ſententia aſſerit perſonas Diuinas conſtitui per proprietatem abſolutam. Hanc ſententiam refert & tenet probabilem Scot. in 1. diſtinct. 27. quæſt. 1. 1. *Prima ſententia. Scotus.*

Probatur primò, quia relatio ſecundùm eſſe, ſupponit extremum conſtitutum, quod refert; in hoc enim differt à tranſcendentali, quia cùm hæc ſit de eſſentia, conſtituit quod refert; at verò relatio in Diuinis, refert perſonam ad aliam perſonam, debet igitur ſupponere perſonam conſtitutam. *Primum argumentum.*

Secundò relatio, quæ fundatur in actione, cuiuſmodi eſt paternitas, neceſſariò ſupponit actionem generandi, in qua fundatur ipſa relatio, actio verò generandi ſupponit ſuppoſitum conſtitutum; non poteſt igitur relatio conſtituere perſonam, ſeu ſuppoſitum; Quòd ſi dicas, paternitatem in diuinis habere duplicem rationem, alteram formæ hypoſtaticæ; & alteram formæ relatiuæ; quatenus autem eſt forma hypoſtatica, conſtituit, quatenus verò eſt forma relatiua, refert, & vt ſic eſt poſt generationem. *Secundũ argumentum.*

Tertiò quia primarius effectus formæ relatiuæ eſt referre; non ergo poteſt priùs exercere munus conſtituendi, quàm referendi, quia referendo conſtituit. *Tertium argumentum.*

Secunda ſententia eſt aliquorum Scholaſticorum aſſerentium, perſonam Diuinam conſtitui per proprietatem relatiuam, ſed non vt relatiuam formali 2. *Secũda ſententia.*

Digitized by Google

Capr. Ferr. S. Thom.

formaliter, ſed per relatiuam materialiter; Ita Capreol. in 1. diſt. 26. quæſtione 1. & Ferrarienſ. 4. contra gentes cap. 26. Diſtinguunt autem cum S. Tho. 1. parte quæſtione 40. artic. 4. duplicem rationem in forma relatiua, alteram quæ eſt forma hypoſtatica; alteram, quæ eſt forma relatiua vt relatiua, vt ſcilicet exercens munus referendi vnam perſonam ad aliam; Dicunt igitur, quòd quatenus eſt forma hypoſtatica, conſtituit perſonam, & antecedit generationem, quatenus verò eſt forma relatiua, ſubſequitur generationem.

Rurſus dicunt, quòd forma hypoſtatica poteſt dupliciter conſiderari, primò vt eſt contrahibilis per differentias materiales creati & increati; Secundò, vt contrahibilis per differentias formales abſoluti, & relatiui.

Auguſt.

His poſitis dicunt, quòd paternitas quatenus eſt forma hypoſtatica, conſtituit primam Diuinam perſonam, à nullo alio procedentem, & vt ſic præcedit originem actiuam, & in ſecundo ſigno eſt origo actiua, & in tertio eſt forma relatiua, quæ actu refert Patrem ad Filium. Ratio iſtorum eſt ex Auguſt. 7. de Trinit. cap. vltimo deſumpta, quia relatiuum, vt relatiuum eſt ad aliud; at vero forma hypoſtatica eſt ad ſe; poteſt igitur in illo priori ſigno paternitas conſtituere primam perſonam, quatenus eſt forma hypoſtatica, quæ vt ſic dicitur ad ſe, & in poſteriori ſigno referre ad aliud.

3. Prima concluſio. Magiſt. S. Thom. Scotus.

PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Dicendum eſt cum communi ſententia Scholaſticorum præſertim cum Magiſtro diſt. 26. & S. Tho. 1. part. quæſtione 40. artic. 2. & 3. perſonam Diuinam conſtitui per proprietatem relatiuam, quam opinionem vt propriam, ſequitur Scot. ibidem diſt. 28. quæſtione tertia, quamuis oppoſitum tenuerit probabilem in 1. diſt. 27. loco citato. Eandem concluſionem tenet Gabriel in 1. diſt. 26. dubitat. 4. & Durand. ibidem, diſt. 26. & 27. quæſt. 1. Suar. 1. par. lib. 8. cap. 8.

Prima ratio.

Probatur primò ratione, quam affert Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 8. quia iſta proprietas abſoluta vnius perſonæ, non poteſt diſtinguere illam ab alia perſona, nec facere incommunicabilem; nam identificaretur cum alia perfectione abſoluta; vbi enim non eſt oppoſitio ex natura ſua, omnia identificantur in Diuinis, non ſolùm cum natura Diuina, ſed etiam cum proprietate perſonali; propter hanc enim rationem paternitas & filiatio, identificant ſibi ſpirationem actiuam, quamuis enim proprietas perſonalis non ſit infinita ſimpliciter, tamen eſt infinita in genere ſuo, per proprietatem autem abſolutam, vt ſic, non habent perſonæ Diuinæ oppoſitionem ex natura ſua.

4. Prima inſtãtia contra primam rationem. Soluitur.

Quòd ſi dicas primò, iſtæ proprietates abſolutæ in creaturis, ſunt incommunicabiles, ergo etiam in Deo. Reſpondetur, quòd propter imperfectionem & limitationem, ſunt in creaturis incommunicabiles, & non ex eo, quia ſunt oppoſitæ ex natura ſua.

5. Secunda inſtantia contra eandem rationem. Soluitur.

Quòd ſi dicas ſecundò, iſta proprietas abſoluta in prima perſona eſſet principium originis alterius perſonæ, ergo poſſet diſtinguere, quatenus eſt principium, ſicut per aduerſarios Pater ſeu Filius conſtitutus per paternitatem ſeu filiationem, diſtinguitur à Spiritu ſancto, quatenus eſt principium Spiritus ſancti. Reſpondetur, quòd tunc non diſtingueretur per abſolutum, vt ſic, ſed per relatiuum, vnde ſi Filius non eſſet principium ſpiratiuum, non diſtingueretur à Spiritu ſancto igitur opus eſt, vt per relationem originis vna perſona diſtinguatur ab alia,

A non eſt neceſſe ponere proprietates abſolutas, quia proprietas relatiua eſt ſufficiens, vt dicemus in ſolutione argumentorum, ad conſtituendum, & ad referendum.

Probatur ſecundò ex Patribus, Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 7. & 8. & lib. 6. cap. 2. vbi dicit, quòd id, quod eſt ſubſtantiale ad ſe, & per ſe, eſt commune Trinitati, quod autem eſt relatiuum, eſt proprium. Cyrill. lib 1. de fide cap. 10. dicit perſonas diſtingui, quia vna eſt Pater, & alia Filius, &c. 6. Secunda ratio. Auguſt. Cyrill.

Probatur tertiò ex Florentino, & Toletano II. vbi habetur, numerum in Diuinis eſſe ex relationibus. 7. Tertia ratio. Flor. Tolet.

SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. B Dicendum eſt cum communi ſententia Scholaſticorum, Magiſt. S. Thom. Scot. Durand. Gabr. & aliorum, quos in prima concluſione citauimus, perſonam Diuinam non conſtitui per relationem materialiter ſumptam, quatenus eſt forma hypoſtatica. 8. Secunda cõcluſio. Magiſter. S. Thom. Dur. Gabr. Sotus.

Probatur concluſio. nam in illo priori ſigno, in quo dicit oppoſita ſententia, conſtitui perſonam Patris per relationem, vt eſt forma hypoſtatica diuina, conſtituens Patrem à nullo procedentem, non ponit rationem originis, ergo in illo priori ſigno non poteſt concipi, vt diſtincta ab aliis perſonis, & incommunicabilis, quia diſtinctio & incommunicabilitas eſt ex origine relatiua, vt relatiua eſt. Prima ratio.

Probatur ſecundò ex Conciliis Tridentino & C Toletano ſuprà citatis in præcedenti dubitatione, & ex Auguſt. Cyrill. & Damaſc. ſuprà citatis; Dum enim dicunt, perſonas diuinas conſtitui proprietatibus relatiuis, intelligunt de relatiuis, vt relatiuæ ſunt, quia ſatis clarè videntur loqui de relationibus, quatenus ad inuicem ſunt oppoſitæ, & per quam vna per ſe diſtinguitur ab alia, ſunt autem relationes inter ſe oppoſitæ, & diſtinctiuæ, vt relationes ſunt formaliter. 9. Secunda ratio. Trident. Tolet.

AD argumenta primæ ſententiæ, quæ ſunt contra primam concluſionem, reſpondent primò in vniuerſum aliqui graues recentiores, illud principium philoſophicum, quòd ſcilicet relatio ſecundùm eſſe, ſupponat, extremum, quod refert, eſſe D conſtitutum, & etiam ſupponat, generationem tanquam rationem fundandi, valere in humanis, paternitas enim creata ſupponit extremum quod refert, & ſupponat generationem actiuam in qua fundatur, non autem valet hoc principium in relatione diuina, quia relatio diuina non reſultat ad fundamentum, nam perſona Filij, quę per ſe primò producitur, cõſtituitur & diſtinguitur per ſe primò, per ipſam relationem filiationis, nec paternitas reſultat ad fundamentum quod eſt eſſe generans, ſed potiùs conſtituit perſonam Patris, & facit generantem, non igitur opus eſt vt relationes diuinæ ſupponant ſuppoſitum conſtitutum, aut vt ſupponant generationem in qua fundentur, ſed ſimul natura conſtituunt, & producunt, & referunt, ita vt nec ſecun- E dùm rationem diſtincto conceptu poſſit concipi perſona producta priùs, vt terminus productionis, quàm vt terminus relationis. 10. Prima reſponſio ad ista argumẽta primæ ſententiæ.

Sed hæc reſponſio, niſi meliùs explicetur, mihi non placet, nam illud principium philoſophicum verificatur de relatione, vt relatio eſt, ſub ea ſcilicet ratione, quatenus relatio exercet munus referendi, non enim videtur intelligibile, quòd relatio paternitatis referat actu ad aliud correlatiuum, niſi præſupponat extremum conſtitutum, & ipſum eſſe (Ab) ſeu originem, per quam eſt relatiuum, ideo enim refert relatiuum ad correlatiuum, quia correlatiuum eſt ab eo, quod eſt relatiuum. Confutatur, ſeu explicatur prima reſponſio.

Digitized by Google

Quare ad illa tria argumenta mihi videtur reſpondendum, concedendo illud principium philoſophicum tam in humanis quàm in Diuinis, cum hac tamen differentia, quòd in humanis, id quod conſtituit extremum relatum, eſt forma abſoluta, & ab illa eſt origo actiua, & deinde reſultat relatio paternitatis; at verò in Diuinis, quia relatio non reſultat, ſed vel ſe primò producitur, vt eſt filiatio, vel conſequitur ad naturam Diuinam, vt eſt paternitas: ideo dicendum eſt cum Caiet. 1. part. quæſt. 40. a. 4. quòd in ipſamet entitate relationis paternitatis propter ſuam infinitatem, eſt diſtinguere duplicem relationem: altera eſt quatenus relatio in primo ſigno concipitur, ſecundùm eſſe conceptum, vt eſt forma hypoſtatica afficiens incommunicabiliter Patrem; in ſecundo verò ſigno concipitur ſecundùm eſſe exercitum, quatenus refert Patrem ad Filium; ſeu clariùs, ipſa paternitas propter ſuam infinitatem, fungitur munere relationis, tráſcendétalis & prędicamétalis; in primo igitur ſigno conſtituit primam perſonam incommunicabilem, & facit illam fœcundam, & potenté producere Filium, & ſic in illo primo ſigno opponitur Filio, tanquam principium productiuum ipſius, in ſecundo verò ſigno illamet relatio habet rationem originis, & in tertio ſigno fungitur munere relationis prędicamétalis, exercendo actum referendi Patrem ad Filium, ſicut in humanis ſecundùm illos philoſophos, qui tenent relationem paternitatis, ſicut & omnes alias relationes, eſſe concreatas cum homine, dicitur, quòd illa relatio eſt quaſi ſimilis relationi tranſcendentali, efficit enim hominem ſecundùm eſſe relatiuum formaliter in ordine ad filios poſſibiles, ſed adhuc actu non refert hominem ad filium actualiter exiſtentem, quia nondum eſt generatio actiua, ſtatim autem ac eſt generatio actiua, illa relatio exercet munus referendi; & hoc forte voluit dicere Caiet. loco citato, relationem paternitatis in Deo, conſtituere Patrem, vt conceptam, & non vt exercitam.

Caiet.

12.

Et cùm inſtatur, relatio vt relatio, dicit (Ad) intrinſecè, ergo in illo primo ſigno refert. Reſpondeo negando, quòd ſecundùm ſuam rationem formalem dicat (Ad) ſecundùm actum exercitum; hic enim actus exercitus eſt veluti quidam actus ſecundus; ſed dicit (Ad) ſecundùm ſuam rationem formalem, quaſi in actu primo, ſeu vt eſt relatio tranſcendentalis ad Filium.

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, quod eſt contra ſecundam concluſionem, patet ex dictis ibidem; falsò enim ſupponitur, quòd correlatio, vt eſt forma hypoſtatica, & vt eſt ad ſe, poſſit conſtituere perſonam Diuinam, quia perſona Diuina conſtituitur, & diſtinguitur ab aliis perſonis per originem, ſecundùm oppoſitionem relatiuam ad illas.

QVÆSTIO VNDECIMA THEOLOGICA CIRCA VNDECIMVM COROLLARIVM,

De fundamento relationum originis, quod eſt potentia productiua in perſona producente.

Pro explicatione huius quæſtionis pono tres dubitationes.

I. *Vtrùm detur in Deo principium (quo) ſeu potentia productiua, quæ ſit fundamentum relationis originis.*

II. *Quænam ſit iſta potentia, eſſentia ne, vel relatio, vel vtrumque.*

III. *An eſſentia Diuina ſit principium productiuum, vt natura eſt, vel vt intellectus, & voluntas eſt.*

Materiam harum dubitationum tractat S. Doctor 1. part. quæſt. 27. & 41. & Scholaſtici in 1.

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm in Deo detur principium (quo) ſeu potentia productiua.

1. Prima ſententia. Aur. Arim.

Prima ſententia eſt Aureoli, & Ariminenſis in 1. diſt. 7. quæſt. 1. qui negant, dari in Deo principium (quo) producendi, ſed ſatis eſſe dicunt principium (quod), ipſam nempe perſonam Diuinam producentem.

Primum argumentum.

Probant primò, quia Pater eſt ſimpliciſſima natura, non ergo poteſt in Deo diſtingui principium (quod) à principio (quo.)

Secundũ argumentum.

Probatur ſecundò, quia potentia productiua in Diuinis, ſecundùm communem ſententiam Scholaſticorum, vt in ſequenti dubitatione videbimus, debet neceſſariò includere relationem producentis, & modificari per illam, alioquin enim non poſſet producere diſtinctum à producente; eſſentia enim eſt communis omnibus tribus perſonis, ergo potentia

Digitized by Google

tia productiua non poteſt eſſe fundamentum relationis, quia eſſet fundamentum ſui ipſius.

Tertium argumentum. Tertiò, potentia productiua dicit magnam perfectionem in producente, ergo perſona producta, quæ non poteſt aliam producere, vt eſt Spiritus ſanctus, careret hac perfectione, quod quidem eſt abſurdum, quia ſequeretur, perſonas non eſſe inter ſe æquales.

Quartũ argumentum. Quartò, ſi daretur potentia productiua in producente, ſequeretur abſurdum, quòd daretur potentia paſſiua in perſona producta, per quam reciperet ipſum generari, & ſpirari.

Quintũ argumentum. Quintò, potentia productiua dicit ordinem ad actionem, ſed actio repugnat in Diuinis, quia dicit dependentiam, ergo repugnat etiam ipſa potentia.

Sed his non obſtantibus, ſit

2. Vnica concluſio. VNICA concluſio contra præcedentem ſententiam. Dicendum eſt cum communi Scholaſticorum, præter Aureolum & Ariminenſem locis citatis, dari in Deo præter principium (quod) etiam principium productiuum vt (quo), ſeu potentiam productiuam, quæ eſt ratio producendi, ſiue per generationem in Patre, ſiue per ſpirationem in Patre & Filio.

3. Prima ratio philoſophica. Probatur primò philoſophicè, nam ſecundùm principia Philoſophiæ, ſi datur realiter producens, debet etiam dari realis ratio producendi, quomodo enim producet, ſi non habet in ſe vim, & rationem producendi.

4. Secunda ratio. Secundò probatur ex natura ipſius relationis originis, quia relatio originis, vt diximus in prædicaméto Relationis, neceſſariò ſupponit principiũ (quo) productiuũ, tanquam fundaméntum; quia neceſſariò ſupponit productioné, productio autem neceſſariò ſupponit rationem, & vim producendi, vt dictũ eſt.

5. Tertia ratio. Florent. Probatur tertiò ex Concilio Florentino, ſeſſione 18. & 19.

6. Reſpõſio ad argumentũ primũ primæ ſententiæ. AD argumenta reſpondetur, & ad primum dicitur, ſatis eſſe ad ponendum in Patre diſtinctionem ſecundùm rationem inter principium productiuum vt (quod) & vt (quo), vt ſit fundamentum in re.

7. Ad ſecundũ. Ad ſecundum reſpondetur concedendo, potentiam productiuam in Deo præter eſſentiam includere intrinſecè relationem producentis, vt dicemus in ſequenti dubitatione, negatur tamen, non poſſe eſſe fundamentum ſui ipſius. Pro quo nota relationem Diuinam, vt ſuprà diximus, in quæſtione de conſtitutiuo perſonarum, æquiualere propter ſuam infinitatem relationi tranſcendentali, & prædicamentali noſtræ. Quatenus igitur paternitas æquiualet relationi tranſcendentali, conſtituit in primo ſigno perſonam Patris incommunicabiliter, & facit illam fœcundam, & relatam quaſi tranſcendentaliter ad Filium, qui concipitur vt producendus in alio poſteriori ſigno; & in hoc primo ſigno paternitas hoc modo concepta, eſt fundamentum quaſi remotum ipſiuſmet paternitatis, quatenus concipitur in tertio ſigno, vt relatio prædicamentalis; in ſecundo verò ſigno intelligitur influxus, ſeu actio Patris, & in hoc ſecundo ſigno Pater eſt in fundamento proximo, vt referatur prædicamentaliter ad Filium; in tertio verò ſigno concipitur eadem paternitas in actuali exercitio referendi, & in hoc tertio ſigno æquiualet relationi prædicamentali noſtræ, cuius ratio, ſeu natura, vt diximus in prædicamento Relationis, conſiſtit in actuali exercitio referendi. Relatio igitur originis in Diuinis, vt æquiualet relationi prædicamentali noſtræ, habet pro fundamento ipſam potentiam productiuam, quæ ſimul includit intrinſecè eſſen- A tiam, & relationé producentis, quatenus hæc relatio æquiualet in primo ſigno relationi tranſcendentali.

Ad tertium argumentũ. Ad tertium argumentum reſpondent primò aliqui, dicentes potentiam productiuam ſecundùm ſe non dicere maiorem perfectionem, nam animal poteſt generare, & non poteſt Angelus, non tamen propterea animal eſt perfectius Angelo.

Sed hæc reſponſio non probatur; ſemper enim virtus productiua dicit in eodem ordine maiorem perfectionem; Angelus autem & animal non ſunt in eodem ordine, ſicut ſunt perſonæ in Diuinis.

Quare reſpondetur ſecundò, quicquid ſit in humanis, in Diuinis eſt certum, potentiam productiuam non dicere maiorem perfectionem in producente, B nam eſſentia Diuina in Patre, vt fusè probabitur mox infrà, quamuis ſi non eſſet modificata per paternitatem, non influeret; ipſa tamen ſola eſt, quæ vt principium (quo) influit, hæc autem eſt vna, & eadem numero in omnibus tribus perſonis; quòd autem in Filio & Spiritu ſancto non generet, oritur ex eo, quia priùs reperitur modificata per relationem paternitatis, vt fuſiùs dicetur in ſequenti dubitatione.

Ad quartũ. Prima reſponſio. Ad quartum autem reſpondet Durand. in 1. diſtinct. 1. quæſt. 2. & Henric. quodlib. 5. quæſt. 9. concedentes, in Deo dari potentiam paſſiuam, ſeu principium materiale; hanc autem dicunt eſſe ſubſtantiam Diuinam perſonæ productæ, & hanc habitu- C dinem dicunt ſignificari, cùm dicitur, Filium eſſe de ſubſtantia Patris; ſubſtantia enim, ſeu eſſentia perſonæ producentis, ad modum principij materialis, recipit identificando ſibi perſonalitatem productam; quia producitur immanenter in ipſa eſſentia Diuina.

Auguſt. Sed hæc reſponſio non eſt tenenda; falſum eſt enim, eſſentiam Diuinam, vt dicetur infrà coroll. 12. dubit. 4. ſe habere tanquam principium materiale, vt notauit Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. Et ratio eſt, quia principium materiale, non concurrit niſi ſuſtinendo, & recipiendo: at verò eſſentia Diuina, præterquam quòd non propriè recipit, & ſuſtinet perſonalitatem, ſed ſibi identificat, concurrit adhuc vt terminus formalis ad conſtituendam per- D ſonam, quia eſt principium operatiuum: cùm verò dicitur, Filius eſt de ſubſtantia Patris, illud (de) non ſignificat eſſentiam tanquam principium materiale, ſed ſignificat ordinem realem originis perſonæ productæ à producente, cum conſubſtantialitate naturæ, vt fuſiùs dicetur in dicto Corollario 12. loco citato.

8. Secunda reſponſio verior. Reſpondetur igitur ſecundò ad illud quartum argumentum, quòd generari & ſpirari ſunt rationes ſubſtantiales, & identificatæ cum eſſentia perſonæ, & ideo non egent potentia paſſiua, in qua inhæreant, ſeu recipiantur.

9. Ad quintum argumentũ. Ad quintum argumentum reſpondetur, in Di- E uinis actionem non dicere dependentiam, quod modò ſuppono, fusè dicturus de hac materia in quæſtione ſequenti, in prima dubitatione.

SECVNDA DVBITATIO.

Qua ſit iſta potentia productiua in Deo, vtrùm ſola eſſentia, vel relatio producentis, vel vtrumque.

1. Prima ſententia confutatur. PRIMA ſententia aſſerit, potentiam productiuam in Deo, eſſe ſolam eſſentiam.

Sed hoc dici non poteſt, primò, quia

Digitized by Google

tunc potentia productiua non eſſet notionalis, ſed eſſet communis omnibus perſonis etiam productis. Secundò producens debet eſſe diſtinctum à producto, nulla enim res poteſt ſe ipſam producere, vt ſupra oſtenſum eſt, quod maximè verificatur de ipſo principio (quo) ſeu ratione agendi, ipſa enim eſt, quæ immediatè influit ex S. Thoma 1. contra Gentes cap.4. & 1.p.q.39.art. 4. & 79.art. 1. ſed eſſentia neceſſariò eſt identificata cum omnibus perſonis, ergo non poteſt eſſe principium quo totale, ſeu habere rationem totalis potentiæ productiuæ.

2. **Secũda ſententia Dur. confutatur.**

SECVNDA ſententia aſſerit, potentiam productiuam eſſe ſolam relationem, tanquam propriam formam producentis, ſicut in humanis principium (quo) producendi, eſt propria forma diſtincta realiter à producto. Ita tenet probabiliter Durandus in 1.diſt.7.quæſt.2.& Bonauentura quæſt.9.

Sed neque hoc dici poteſt; primò, quia relatio non eſt actiua, quia alioquin ſequeretur, quòd relatio in Spiritu ſancto, quæ nullo modo eſt actiua, eſſet minùs perfecta quàm relatio Patris, & Filij, quæ ſunt actiuæ, influere enim in aliud, dicit magnam perfectionem. Secundò, quia productio in Diuinis fit per aſſimilationem cum producente, aſſimilatio autem eſt ſecundùm eſſentiam; concurrit igitur eſſentia ad productionem, ſaltem quantùm ad aſſimilationem, ſicut etiam contingit in humanis. Tertiò, quia in Concilio Florentino ſeſſione 18.& 19.videtur approbata ſententia Ioannis Theologi, quòd Filius generatur de ſubſtantia Patris, & principium quo Pater generat, eſſe id quod ſolùm communicabile eſt, hoc autem eſt eſſentia. Argumenta in oppoſitum ponemus in fine dubitationis. **Florent.**

3. **Confutatur tertia ſententia.**

TERTIA ſententia tenet, potentiam productiuam in recto dicere eſſentiam, quia productio præcipuè eſt propter aſſimilationem, & in obliquo ſeu extrinſecè connotare relationem producentis, ita vt hæc relatio ſe teneat ex parte potentiæ, ſicut in humanis requiritur ſubſiſtentia, tanquam conditio, ſine qua ipſa natura non produceret. Ita tenet Capreol. in 1.diſtinct.7.quæſt.1. Ferrarienſis 4. contra Gentes cap.13. Caietanus, & Molina 1.p.q.41.art.5. Marſilius in 1.diſt.7.quæſt.11. **Capreol. Ferrarienſ. Caietan.**

Sed neque hæc opinio probatur, quia ſi relatio producentis eſſet ſolùm connotata extrinſecè, ſequeretur, quòd eſſentia eſſet intrinſecè in ſe completum & totale principium producendi, hoc autem eſt abſurdum propter duo; Primò quia ipſum principium (quo) intrinſecè completum, debet, vt dictum eſt ſupra, eſſe diſtinctum à termino producto; eſſentia autem Diuina neceſſariò eſt identificata cum termino producto. Secundò ſequeretur, quòd eſſentia, quæ ponitur tanquam principium intrinſecè completum, indigeret quoad ſuam actionem, aliquo extrinſeco, quod quidem videtur abſurdum; ſecus autem eſſet, ſi relatio intrinſecè integraret vnum principium cum eſſentia; tota enim ratio abſurditatis eſt, quia ponitur eſſentia vt principium intrinſecè completum, & adhuc indigens alio extrinſeco.

4. **Confutatur quarta ſententia recẽtiorum.**

QVARTA ſententia eſt grauiorum recentiorum, aſſerentium idem quod dicit tertia ſententia, ſolùm differt in eo, quia hanc relationem producentis connotatam à potentia productiua, dicit non ſe tenere ex parte potentiæ, ſed ex parte perſonæ producentis: neceſſe eſt enim, inquit, ad hoc, vt eſſentia habeat rationem principij (quo), vt in producente præexiſtat ſine illo actu, quem exercet circa perſonam productam, quia eſſentia diuina non eſt communicabilis perſonæ, niſi per vnum modum

A productionis. Quare Pater, vt poſſit generare, debet eſſe ingenitus, & Filius, vt poſſit ſpirare, debet eſſe inſpiratus: hoc autem habent Pater, & Filius per proprias relationes. Et confirmatur ex Concilio Florentino ſeſſione 18. & 19. vbi habetur, quòd principium (quo) ſolùm eſt illud, quod eſt communicabile; hoc autem eſt eſſentia.

Sed hæc opinio eodem modo confutatur ac præcedens. Quid autem ſibi velit Florentinum, infrà dicemus; Argumenta autem in oppoſitum tam huius quartæ quàm tertiæ ſententiæ, ſoluemus in fine dubitationis. 5.

His igitur opinionibus confutatis, eſt

6. **Quinta ſententia.**

QVINTA ſententia, quæ verior mihi videtur, B eſſentiam diuinam & relationem producentis integrare, & complere intrinſecè vnam potentiam, ſeu principium (quo.) Ita Albertus 1. & Riccardus in 1. diſtinct.7.ar.1.quodl.3.quæſt.5. Valentia in 1.p.diſp. de Trinit.quæſt.15.& S.Thomas 1.par.quæſt.78.art. ad 3.& quæſt.39.art.4.& 1.contra Gentes cap. 4. & quæſt.1.de potent. art.1.cap.4. **Albert. Ricc. & aliorum. S.Thomæ.**

Explicatur hæc noſtra ſententia.

Poteſt autem hæc ſententia habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt, vt non ſolùm eſſentia influat, ſed etiam ipſa relatio producentis, quem ſenſum videntur ſequuti aliqui ex Doctoribus citatis, præſertim Valentia; ſed hic ſenſus mihi non probatur, quia maxima perfectiò tribueretur relationi producentis, ſi influeret, quæ quidem deeſſet C in perſona producta.

Secundus ſenſus, & verior eſt, quòd relatio integret intrinſecè vnum principium cum eſſentia, non quia influit, ſed quatenus confert ad diſtinctionem realem à termino producto, ſicut hæcceitas in humanis, quæ cõtrahit naturã ad indiuiduum, & quaſi diuidit, & diſtinguit vnam naturam ab alia, dicitur integrare vnum principium productionis cum natura, quia natura non influeret producendo diſtinctum, niſi eſſet hæcceizata. Sic igitur ſe habet quodammodo relatio producentis modificans naturam diuinam; complet enim per talem modificationem intrinſecè ſimul cum eſſentia, vnam potentiam actiuam completam; ſeu principium (quo) produ- D cendi; niſi enim eſſet natura diuina ſic modificata per relationem producentis, non poſſet producere, quia non poſſet producere diſtinctum à ſe. 7.

8. **Senſus Sancti Thomę explicatur.**

Et hic ſecundus ſenſus videtur S.Thomæ 1.p.& 1. contra Gentes locis citatis. Talis potentia, inquit, ad hoc; vt habeat rationem principij, includere debet diſtinctionem à re producta, quia nulla res poteſt eſſe principium & cauſa ſui ipſius. Neque oppoſitum dicit S. Thomas 1. p. q. 41. art. 5. quamuis enim dicat, potentiam generandi principaliter ſignificare eſſentiam, relationem autem in obliquo; hoc tamen dictum non eſt contra nos, nam ibi S. Thomas tantùm intendit, quòd relatio diuina connotatur extrinſecè à potentia productiua, non qua- E tenus relatio eſt forma relatiua formaliter, ſed quatenus vel concipitur præciſè; vt ſubſiſtentia eſt; & tunc ſicut in humanis ſubſiſtentia eſt neceſſariò requiſita ad productionem, ita etiam ſubſiſtentia in Diuinis; vel quatenus relatio concipitur vt forma relatiua materialiter, quatenus v. g. Pater per paternitatem eſt ingenitus, & tunc paternitas prærequiritur in Patre, tanquam conditio neceſſaria, vt potentia ſit in illa perſona producente, quia debet eſſe ſine illo actu, quem exercet circa perſonam; Pater enim debet eſſe ingenitus, ad hoc vt poſſit generare, & iuxta hunc ſenſum bene dixerunt autores citati, in tertia & quarta opinione: at verò ſi relatio ſumatur, quatenus eſt vna forma propria & **S.Thom.**

relatiua

Digitized by Google

relatiua formaliter, diſtinguens vnam perſonam ab alia, tunc dicendum eſt, quòd relatio in diuinis non connotatur à potentia productiua, ſed integrat & complet intrinſecè ſimul cum eſſentia diuina, vnam completam potentiam productiuam, ſeu principium (quo), cum S. Thom. 1. contra gentes & 1. part. locis citatis.

9. Probatur hæc noſtra ſententia primò.

Hæc autem noſtra ſententia probatur primò, ex confutatione aliarum opinionum, quia potentia productiua, vt probatum eſt ſuprà, nec poteſt eſſe ſola eſſentia, nec ſola relatio, nec eſſentia connotans extrinſecè relationem; ergo vt intrinſecè includens illam, ſed non poteſt includere illam vt influentem, vt probatum eſt; ergo reſtat vt includat intrinſecè, vt conferentem ad diſtinctionem termini, qui produci debet.

Secūdò probatur.

Secundò probatur, quia terminus productus cùm fiat per aſſimilationem, debet produci ſimilis, ſeu idem in natura, & diſtinctus à producente. Primum habet ab eſſentia: ſecundum verò habet à relatione producentis, modificante eſſentiam; Complet igitur relatio ipſum principium (quo); ſicut in humanis generatur filius ſimilis, & diſtinctus à patre; Quòd autem fiat ſimilis, habet à natura: quòd verò fiat diſtinctus, habet ab hæcceitate, quæ diſtinguit vnam naturam ab alia, & contrahit ad indiuiduum; Quod autē facit hæcceitas in humanis, facit ſuo modo relatio in diuinis, nam quamuis natura in diuinis etiam hæcceizata, ſit vna, & eadem in omnibus; quatenus tamen hæc natura hæcceizata modificatur per relationem, contrahitur quodammodo ipſa natura ad talem perſonam, diſtinctam realiter ab alia.

Tertiò probatur. Ariſtot.

Tertiò probatur ex Ariſtotele 9. met. text. 17. vbi definiens potentiam, dicit eſſe principium agendi in alterum. Potentia igitur includit intrinſecè diſtinctionem à producto; includit autem diſtinctionem per relationem producentis, integrat igitur & complet intrinſecè potentiam productiuam in Deo.

10. Quæſitum.

Quòd ſi quæras, quid principaliùs dicat potentia productiua in Deo, eſſentiam, an relationem. Reſpondetur, ex æquo dicere vtramque, in recto, quatenus vtrumque includit ad complementum ſui: principaliùs tamen dicere eſſentiam, quia productio præcipuè fit ſecundùm Ariſtotelem per aſſimilationem.

11. Inſtatut cōtra hanc noſtram ſententiam ſeptem argumentis. Primum argumentum.

Sed contra hanc noſtram ſententiam arguunt primò Durandus & Bonauentura in 1. diſtinct. 7. locis citatis in ſecunda opinione, volentes probare, ſolam relationem eſſe principium (quo) productiuum. Principium, inquiūt, actionis eſt forma propria producentis, diſtincta realiter à producto, huiuſmodi autem in diuinis non eſt eſſentia, ſed relatio producentis, ergo ſola relatio producentis eſt potentia productiua.

Solutio.

Reſpondetur, quòd principium (quo) actionis in humanis eſt forma hæcceizata; debet enim actio fieri per aſſimilationem, quia includit ſimilitudinē in natura, & per diſtinctionem à producente producente; forma autem hæcceizata in humanis, ſemper eſt diſtincta à termino producto, quare proportionaliter in diuinis dicendum eſt, quòd principium actionis, eſt propria forma producētis, quæ non eſt relatio, ſed eſſentia, vt modificata per relationē producētis; nō enim poteſt eſſe ſicut in humanis, natura diuina hæcceizata, quia hæc eſt communis tribus.

12. Secundū argumentum.

Secundò arguunt iidem Doctores, ſi potentia productiua quæ influit, eſſet eſſentia ſola, ſequeretur, quòd ipſa eſſentia, eſſet in perſona producta, cum perpetuo impedimento exeundi in actum.

Solutio.

Reſpondetur, quòd in perſona producta, non eſt potentia completa productiua, & ideo non eſt cum perpetuo impedimento, quamuis enim ſola eſſentia influat, non tamen poteſt influere, niſi ſit modificata per relationem producentis, vt dictum eſt.

13. Tertium argumentum. Capr. Marſ. Ferr. Molin.

Tertiò arguunt Capreolus, Marſilius, Ferrarienſis, & Molina locis citatis in tertia ſententia, volentes probare contra noſtram ſententiam, potentiam productiuam in diuinis in recto ſignificare eſſentiam, & in obliquo, & extrinſecè connotare relationem producentis, quatenus ſe tenent ex parte potentiæ productiuæ. Relatio, inquiunt, ſe habet in diuinis, ſicut ſubſiſtentia in humanis, quia relatio in diuinis, eſt forma hypoſtatica, ſed ſubſiſtentia in humanis, connotatur tantùm tanquam conditio à principio actiuo, ergo etiam relatio in diuinis.

Solutio.

Reſpondetur, eſſe diſparem rationem, nam relatio in diuinis, non ſolùm eſt forma hypoſtatica, ſicut ſubſiſtentia in humanis; ſub hac enim ratione conceditur connotari à potentia productiua; ſed etiam confert ad diſtinctionem realem perſonæ producentis à producta, ad quam diſtinctionem non confert ſubſiſtentia in humanis, ac propterea relatio, vt probatum eſt, includitur intrinſecè in potentia productiua.

14. Quartum argumentum.

Quartò arguunt recentiores citati pro quarta ſententia, qui tenent relationem connotari à principio productiuo, quatenus ſe tenet ex parte perſonæ producentis. Requiritur, inquiunt, in perſona producēte, vt non ſit producta, ſaltem per eundem modum productionis, per quem producit aliam perſonam, ac propterea Pater debet eſſe ingenitus, ad hoc vt poſſit generare, & præterea Pater, & Filius debent eſſe inſpirati, vt poſſint ſpirare Spiritum ſanctum, quia eſſentia diuina non eſt communicabilis perſonæ, niſi per vnum modum productionis; ſed eſſe ingenitum, & inſpiratum, concurrunt tanquam conditio ſine qua non; ergo etiam relatio paternitatis, quia per paternitatem habet Pater, vt ſit ingenitus & inſpiratus.

Solutio.

Reſpondetur, verum eſt relationem paternitatis, quatenus conſtituit Patrem ingenitum, & relationem ſpiratoris, quatenus conſtituit Patrem & Filium inſpiratum, concurrere vt conditiones extrinſecas connotatas à principio productiuo; ſed quatenus relatio, vt relatio eſt, formaliter dat incōmunicabilitatē, & diſtinctionem, dicimus cōcurrere ex æquo cum eſſentia diuina, ad conſtituēdum principiū productiuum, vt probatum eſt in quinta noſtra ſententia: Hanc autem diſtinctionem habet perſona à relatione, vt relatio eſt, per oppoſitionem originis ad alterum: eſſe autem ingenitum, & inſpiratum, vt ſic, ſub iſtis rationibus præciſè non dicunt diſtinctionem, quia vt ſic, non dicunt oppoſitionem originis, quia ſi Pater eſſet ſolus ingenitus, & non generaret, non diſtingueretur à Filio, & ſi Filius eſſet ſolùm inſpiratus, & non ſpiraret, non diſtingueretur à Spiritu ſancto.

15. Quintū argumentum Conc. Flor.

Quintò arguunt iidem recentiores, ex Concil. Florentino ſeſſione 18. & 19. vbi videtur approbata illa ſententia Ioannis Theologi, qui aſſerebat principium (quo) generationis eſſe id ſolùm, quod eſt communicabile: hoc autem eſt eſſentia ſola, & non eſſentia modificata per relationem; & idem videtur dicere Anſelmus in monologio cap. 12. & 54. & lib. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 15. & 30. aſſerens Spiritum ſanctum non procedere ab eo, in quo perſonæ differunt, ſed ab eo, in quo conueniunt; & Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 10. & 15. aſſerit Filium

Anſel.

Auguſt.

procedere

procedere de ſubſtantia, & eſſentia Patris, vt etiam dicitur in eodem Concilio Florentino loc. cit.

Reſpondetur, huiuſmodi auctoritatem eſſe præcipuè contra Durandum, & nonnullos alios, qui tenent potentiam generatiuam eſſe ſolam relationem, non autem contra nos; tantùm enim Concilium intendit, ſolam eſſentiam eſſe principium (quo) quoad influxum: non autem intendit, quòd relatio non integret, & compleat intrinſecè rationem potentiæ; non enim poſſet eſſe ratio agendi in alterum, niſi eſſet modificata per relationem. Et patet reſponſio ex his, quæ ibidem addit Concilium; dicit enim Filium generari ex ſubſtãtia Patris; at ſubſtantia Patris non includit ſolùm eſſentiam, ſed eſſentiam modificatam per paternitatem; Et per hæc etiam patet reſpõſio ad Anſelmum & Auguſtinum.

Sextum argumentum. Arguitur ſextò, ſi principium (quo) completum, includeret eſſentiam & relationem intrinſecè, ſequeretur, quòd non diſtingueretur principium (quod) à principio (quo), nam Pater, vt principium (quod) nihil aliud includit intrinſecè præter eſſentiam, & relationem; Sed hoc eſſe abſurdum, probatum eſt in prima dubitatione contra Aureol. & Greg.

Solutio. Reſpondetur, quòd principium (quod) ſignificatur explicitè per modum ſubſiſtentis, non autem principium (quo), quod ſignificatur per modum habitudinis quaſi aduenientis.

Septimũ argumentum. Septimò arguitur, quia ſequeretur etiam in noſtra ſententia, quòd aliqua perfectio eſſet in Patre, quæ non eſſet in Filio, nam in Patre eſt potentia completa generandi, quę non eſt in Filio: hoc autem adduximus, pro abſurdo in aliis opinionibus.

Hoc argumentum habet minorem difficultatem in noſtra ſententia, in qua tenemus relationem producentis, non influere, quamuis includatur intrinſecè in potentia productiua; Reſpondetur enim, quòd nulla eſt imperfectio in Filio, ex eo, quia non habet potentiam completam generandi; ſufficit enim quòd habeat eſſentiam eandem, quæ ſola influit in Patre; quòd verò non habeat totum complementum potentiæ, oritur ex eo, quia paternitas priùs intelligitur eſſe coniuncta cum eſſentia, quàm ipſa filiatio: hoc autem poſtulat perfectio ipſius naturæ, quæ quidem in omnibus eſt communis; eſſet autem aliquo modo, vt diximus ſuprà, abſurdum in opinione illorum, qui dicunt, non ſolùm eſſentiam, ſed relationem paternitatis influere, quia tunc paternitas videretur habere aliquam perfectionem, quam non haberet filiatio; influere enim dicit aliquam perfectionem.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm eſſentia diuina ſit potentia productiua vt natura eſt, vel vt eſt intellectus, & voluntas.

1. Opinio Durandi. Primum argumentum. SOLVS Durandus inter Scholaſticos in 1. diſtinct. 6. quæſt. 2. tenet eſſentiam diuinam concurrere ad productionem perſonarum, vt natura eſt, & non vt intellectus, & voluntas eſt. Solet citari pro hac ſententia Ariminenſis in 1. diſt. 7. quæſt. vnica art. 2. & diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. ſed immeritò; ſolùm enim ibi dicit, vt dictum eſt, non diſtingui in Deo principium (quo) à principio (quod) propter ſummam ſimplicitatem.

Probat primò Durandus auctoritate Auguſtini lib. 1. de Trinit. & Hilarij lib. 1. de ſynodis, qui ponentes differentiam inter productionem creatura- A rum, & perſonarum diuinarum dicunt creaturas produci à Deo per voluntatem, pſonas verò produci per naturam.

Secundò probat multis rationibus: fundamentum autem ad quod omnes reducuntur, hoc eſt, vel intellectio, & volitio, concurrunt, vt principium (quo) vel vt actio; ſed neutro modo; propter duo; Primò quia intellectio, & volitio, ſiue vt principiũ (quo) ſiue vt actio, ſunt eadem numero in perſona producta, quia non ſunt duo intelligere, aliud in Filio, & aliud in Patre, nec duo velle, aliud in Patre, & Filio, & aliud in Spiritu ſancto, abſoluta enim ſunt communia, ergo etiam perſonæ productæ producerent, & ſic in infinitum. 2. Secundũ argumentum.

B Tertiò probat, quia actus immanentes ſecundùm Ariſtotelem 9. met. text. 16. ſiue vt principium (quo) ſiue vt actio, ſunt infœcundi. 3. Tertia ratio.

Quartò, productiones diſtinguuntur realiter, ſed intellectio & volitio non diſtinguuntur realiter, ergo intellectio & volitio non ſunt actiones, ſeu productiones perſonarum.

Quintò, ſi intellectio & volitio eſſent actiones, ſeu productiones perſonarum, ergo etiam Filio conueniret producere Filium; Probatur conſequentia, quia cui conuenit actio, conuenit etiã productio termini per ipſam actionem: ſicut ſi alicui agenti conuenit actus calefactionis, conuenit etiam producere calorem; ſed intellectio conuenit Filio, & C per te intellectio eſt actio, qua producitur Filius; ergo etiam Filio conuenit productio Filij.

SECVNDA ſententia verior & tenenda, perſonas in Diuinis produci per intellectum, & voluntatem, vt intellectus & voluntas eſt; Hæc eſt communis omnium Scholaſticorum, S. Thom. hîc artic. 2. & 5. Alenſ. 1. part. quæſt. 42. memb. 2. Bonauent. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 4. & diſtinct. 10. Henric. quodlib. 6. quæſt. 2. Scot. diſt. 2. quæſt. 4. & diſtinct. 17. quæſt. 1. artic. 2. & quodlib. 2. artic. 2. Gabr. diſtinct. 7. quæſt. 2. & diſtinct. 10. quæſt. 2. Greg. Arimin. in 1. diſtinct. 7. quæſt. vnica artic. 1. & diſtinct. 10. quæſt. 1. artic. 1. qui quamuis communiter afferatur pro ſententia Durandi, nullo tamen modo dicit quod dicit Du- D randus, vt dictum eſt ſuprà. 4. Secũda ſententia tenẽda. S. Thom. Alenſ. Bonauent. Henric. Gabr. Arim.

Hæc ſecunda ſententia eſt adeò certa, vt oppoſita Durandi communiter exiſtimetur erronea, vel ſaltem errori proxima, quia eſt ſingularis in re graui, & aliena à ſenſu Sanctorum, & à modo loquendi Scripturæ, vt videre licet apud recentiores, Bagnes, Molinam, Valentiam, Zumel, & Suarium, apud S. Thom. 1. part. quæſt. 27. artic. 1. vbi dicit ſecundùm fidem Catholicam conſtituendam eſſe emanationem Verbi intelligibiliter à dicente. 5. Bagnes. Molina. Valentia. Zumel. Suar.

Probatur primò, ex modo loquendi ſcripturæ in quibus habetur, Filium Dei eſſe Verbum, Ioannis 1. & prodire ex ore Altiſſimi; Prouerbiorum 8. Prima ratio.

Secundò ex communi Patrum, qui appellant ſecundam perſonam Verbum, ſeu Sermonem; Ita Au- E guſtinus tractatu 108. in Ioannem, Cyprian. lib. 2. aduerſus Iudæos, Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 5. Præterea apud Patres expreſsè habetur, Filium produci per intellectum. Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 6. Theodoretus lib. 2. ad Græcos, Auguſtinus 7. de Trin. cap. 2. & 16. & de cognitione veræ vitæ cap. 14. & Anſelmus in Monologio cap. 46. & 48. vbi etiam addit Spiritum ſanctum produci per voluntatem. Secunda ratio.

Tertiò probatur ratione, & fundamentum eſt, quia Deus eſt eſſentialiter vita. Producit igitur vt viuens; Sed non habet aliam vitam niſi intellectiuam; ergo producit, vt vita intellectiua, ſecus autem eſt 6. Tertia ratio.

Digitized by Google

eſt in homine, quia cùm habeat vitam etiam vegetatiuam, poteſt fœcunditas etiam procedere à vita vegetatiua, per diſpoſitiones naturales.

7. Quarta ratio. Præterea quartò probatur, quia non poteſt aſſignari ratio in opinione Durãdi, cur ſola productio Verbi, dicatur generatio in Scripturis; & non productio Spiritus ſancti; cùm in ipſius opinione vtraque procedat immediatè à natura: at verò in alia ſententia, quæ tenet Filium produci per intellectionem, & Spiritum ſanctum per volitionem, poteſt aſſignari ratio diuerſitatis, ex modo producendi; & breuiter hîc aſſigno rationem, fuſiùs alibi de hac materia acturus. Ratio igitur eſt, vel quia intellectus diuinus informatus eſſentia diuina, tanquam ſpecie, producit Verbum, aſſimilando illud ſuo principio: at verò voluntas producit Spiritum ſanctum, non vt conſtituta per aliquam ſimilitudinem, & quamuis voluntas præhabeat obiectum cognitum, non tamen concurrit obiectum cognitum cum voluntate, tamquam principium operatiuum, ſed vt habet rationem finis, metaphoricè mouens voluntatem: Vel ſecundò, quia natura diuina conſtituitur vel per intellectionem in eſſe naturæ diuinæ, vel ſaltem per habitudinem ad intellectionem, tamquam ad primam operationem, atque adeò cùm intelligere primò communicetur ſecundæ perſonæ, & per illud, tamquam, vt ita dixerim, per quamdam diſpoſitionem ſeu viam, communicetur natura ſecundæ perſonæ, fit vt ſecunda perſona dicatur Filius, vt fuſiùs dicetur infrà corollario 14. in ſecunda dubitatione: Tertiò non poteſt bene ſaluare Durandus, cur Spiritus ſanctus dicatur procedere à Patre & Filio, vt habetur ex fide, quia in opinione Durandi, quamuis priùs producatur ſecunda perſona, quàm tertia, tamen ipſa eſſentia diuina, vt natura eſt, immediatè producit perſonas: at verò in ſententia noſtra Filius producitur per intellectum, & illi communicantur omnia, præter paternitatem, neceſſariò igitur ſimul cum Patre per voluntatem producit Spiritum ſanctum, vt fuſiùs dicetur infrà in corollario 15. dubitatione prima.

8. Reſpõſio ad primum argumentum Durandi. Ad argumenta Durandi reſpondetur, & ad primũ dicitur, quòd ſolùm intendebant Patres citati, proceſſionem creaturarum eſſe liberam, & non conſubſtantialem Deo: proceſſionem verò perſonarum eſſe neceſſariam, & conſubſtantialem producenti, & ideò hanc vocarunt naturalem, illam verò voluntariam. Et confirmatur, quia idem Auguſtinus & omnes alij Patres, ſunt pro noſtra ſententia, vt ſuprà oſtendimus.

9. Ad ſecundũ. Ad ſecundum, quod erat ratio fundamentalis Durandi, reſpondetur, perſonas produci per intellectionem, & volitionem, tamquam per principium (quo): Et cùm inſtat Durandus, quòd hoc principium eſt etiam in Filio; ergo produceretur alius Filius, & ſic in infinitum; Reſpondetur non ſequi, quòd Filius debeat producere alium Filium, quia, vt oſtendimus ſupra, non ſola eſſentia eſt principium generatiuum, ſed quatenus intrinſecè includit relationem paternitatis, & vt ſic vt principium notionale ſoli Patri eſt conueniens; ita etiam ſi ponatur intellectio vt actio, erit actio quatenus eſt intellectio notionalis includens paternitatem, & vt ſic ſoli Patri conuenit, imò potiùs, vt oſtenſum eſt, ſequeretur in opinione Durandi, proceſſus in infinitum in productione perſonarum, quia cùm eſſentia ſit infinita, & ipſa ſola immediatè concurrat in opinione Durandi, vt natura eſt, non eſt vnde limitetur in productione extenſiua perſonarum.

10. Reſpõſio ad tertium. Ad tertium reſpondetur, quòd cum dicit Ariſt. actus immanentes eſſe actus infœcundos, intelligendus eſt de actione tranſeunti in alterum: at verò perſonæ diuinæ producuntur immanenter in eſſentia: Adde quòd etiam intellectio, & volitio in humanis, producunt habitus in eodem ſubiecto, & quòd facit magis ad rem, per ipſum intelligere ſecundùm multorum Philoſophorum opinionem, ſiue vt per principium (quo), ſiue vt per actionem, producitur Verbum mentis, diſtinctum realiter à producente.

11. Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur ex dictis ſuprà, quòd actus intelligendi & volendi, ſi ſumuntur eſſentialiter, nullam dicunt diſtinctionem realem, ſed ſunt ratio abſoluta communis omnibus tribus perſonis, identificata cum tribus perſonis: Si verò ſumantur notionaliter, nec iſti actus diſtinguuntur realiter, quia actus intelligendi vt modificatus per relationem Patris, quatenus vt ſic includit reſpectiuum, & vt ſic eſt notionalis, diſtinguitur realiter ab actu intelligendi, vt eſt notionalis in Filio, quatenus intelligere in Filio, eſt modificatum per relationem filiationis Et idem dicendum de volitione.

12. Reſpõſio ad quintum. Ad quintum reſpondetur etiam ex dictis, quòd intelligere, quamuis conueniat Filio, non conuenit Filio, vt eſt dictio, ſeu productio Verbi, quia vt ſic, dicit intelligere modificatum per paternitatem, & vt ſic eſt productiuum, ſeu productio; & idem dicendum de amore.

Vtrùm autem intellectio & volitio concurrant etiam vt actiones, examinabimus in ſequenti quæſtione.

QVÆSTIO

QVÆSTIO DVODECIMA

THEOLOGICA CIRCA DVODECIMVM COROLLARIVM,

Vtrùm ſententia duodecimi Corollarij ſit vera, quòd, ſcilicet, præter relationes, danda ſit in Deo actio originis, ſeu notionalis, quæ ſit ratio proxima fundandi illas tres relationes.

Pro explicatione huius quæſtionis pono quatuor dubitationes.

I. *Vtrùm in Deo detur actio originis, per quam communicetur eſſentia perſonis, vel producantur ipſæ perſonæ.*

II. *Quænam ſit iſta actio, ipſa ne intellectio, ſeu volitio, an aliqua alia actio præter iſtas.*

III. *Vtrùm hæc actio identificetur adæquatè cum perſona producta, vel cum perſona producente.*

IV. *Quæ habitudo principij ſignificetur in perſona producente, & in natura diuina, cùm dicitur Filius procedere de ſubſtantia Patris.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm in Deo detur actio originis, per quam communicetur eſſentia perſonis, vel producantur ipſæ perſonæ.

1. Prima dubitatio. QVANTVM ad primam dubitationem, ratio dubitandi pro parte negatiua, quòd videlicet non debeat dari actio originis, per quam communicetur eſſentia

2. Primum argumentum. perſonis, Prima eſt, quia ſequeretur, quòd perſona producta dependeret à producente, quod eſt abſurdum. Sequela probatur, quia agere nihil aliud eſt quàm alteri actiuè communicare entitatem actualem: hoc autem, vel eſt formaliter dependentia, vel ſaltem neceſſariò connotat dependentiam, quia nihil aliud eſt dependere ab altero, quàm ſupponere illud vt principium, à quo eſt, accipiendo actualem entitatem ab illo; ſed quælibet perſona producta accipit à producente ſuam actualem entitatem, ex S. Thoma 1. p. q. 27. a. 2. ergo, &c. Et confirmatur,

3. Cõfirmatio. quia ſaltem ipſa perſonalitas, ſeu relatio perſonæ productæ, habet ſuum eſſe ex vi eiuſdem productionis; ergo ipſa perſonalitas ſaltem ſumpta præcisè, dicit dependentiam à producente, quia actio in diuinis ſecundùm communem Scholaſticorum, eſt relatio producentis, tantùm diſtincta ab ipſa relatione, ſecundùm modum ſignificandi, vel ſaltem eſt ipſa intellectio, & volitio includens, ſeu connotans relationem producentis; ſed quomodocumque dicatur, non poteſt actio eſſe proxima ratio fundandi ipſam relationem originis, quia in priori ſigno neceſſariò debet includere ipſam relationem originis, quam debet fundare in ſecundo ſigno.

4. Secunda ratio dubitandi. Secunda ratio dubitandi eſt, quia ſequeretur, quòd etiam actio generandi eſſet in Filio, quod eſt abſurdum: Sequela Maioris probatur, quia vbi eſt actio, ibi eſt productio termini, ſicut vbi eſt calefacere, ibi eſt productio caloris: ſed actio altera eſt intellectio, altera eſt amor, & hi quidem actus cùm ſint eſſentiales, ſunt communes omnibus tribus perſonis.

Quòd ſi dicas, intelligere in Filio, & amare in Spiritu ſancto, eſſe rationes notionales, & conſequenter aliud intelligere eſt in Filio, & aliud in Patre; & aliud amare in Spiritu ſancto, & aliud amare in Patre & Filio; ac proinde intellectio Filij non poteſt eſſe actio generandi; nec amor Spiritus ſancti actio ſpirandi. Contra hoc eſt, quia actus notionalis, quantùm ad rationem abſolutam intelligendi, vel amandi, non diſtinguitur ab eſſentiali, quia alioquin ſequeretur, quòd eſſent duo intelligere, aliud in Filio, & aliud in Patre, quod eſt abſurdum, quia abſoluta ſunt communia.

5. Tertia ratio dubitandi. Tertia ratio dubitandi; actio in Diuinis, qua producitur perſona, dicit imperfectionem in Deo, ergo, &c. Antecedens probatur, nam ſequeretur, quòd Deus efficienter propria cauſalitate efficeretur à Deo, quod dicit imperfectionem.

6. Quarta ratio dubitandi. Quarta ratio dubitandi, ſequeretur, quòd perſonæ diuinæ non eſſent inter ſe æquales; imò vna eſſet perfectior altera, illa videlicet à qua eſſet actio ſeu proceſſio.

7. Quinta ratio dubitandi. Quinta, ſi daretur actio in perſona producente, ſequeretur, quòd daretur potentia paſſiua in perſona producta, quod dicit imperfectionem; Sequela probatur, quia hæc actio eſt immanens, non ſolùm quia eſt actus vitalis, ſed quia per eam producitur terminus immanens in eſſentia; ergo hæc actio cum ſuo termino recipitur in Deo; ergo in Deo eſt potentia paſſiua.

His tamen non obſtantibus, ſit

8. Vnica concluſio. VNICA concluſio. Tenendum eſt tanquam certum de fide, dari actionem in diuinis, qua producuntur

cuntur perſonæ realiter diſtinctæ. Probatur primò,
quia de fide dantur perſonæ productæ, vt eſt defi-
nitum in Niceno primo, & ex Toletano VI. & XI.
in confeſſione fidei, ergo datur productio: Nam
nihil aliud eſt productio, quàm eſſe ab alio; & ma-
gis directè probatur hæc actio, vt actio eſt, ex Scri-
Ioan. 5. pturis. Ioannis 5. dicitur Pater dediſſe vitam Filio;
Ioan. 7. & Filius de ſe ipſo dicit cap. 7. *Ab ipſo ſum.* Et Ioan-
Ioan. 15. nis 15. de Spiritu ſancto dicitur; *Qui à Patre proce-
dit*; Et eſt hoc definitum in Concilio Niceno, &
Epheſino, vbi dicitur diuina perſona procedens
Geneſ. 12. (Deus de Deo) & Geneſis 11. dicitur, *Dominus pluit
à Domino*; quem locum eſſe intelligendum de ſe-
cunda perſona in diuinis, determinat Concilium
Sen. & eſt communis ſententia Patrum, præſertim
antiquorum, Ignatij in Epiſtola ad Antiochenos,
Tertulliani lib. contra Prax. & aliorum Patrum
communiter.

Ad rationes dubitandi reſpondetur: Ad primam,
9. Reſpõſio ad primam rationem dubitandi. & ad confirmationem ipſius, ad hoc, vt dicatur ter-
minus productus habere dependentiam à produ-
cente, requiritur, vt omnia prædicata identificata
cum termino, accipiant eſſe ex vi productionis;
quamuis igitur perſonalitas accipiat eſſe ex vi pro-
ductionis; non tamen eſſentia diuina, quæ vel eſt
de conceptu perſonalitatis, vel ſaltem identificatur
cum perſonalitate, accipit eſſe ex vi productionis;
ante productionem enim præintelligitur eadem
10. numero in Patre; Adde quòd eſſentia eſt illa, quæ
ſola influit, quare non poteſt dici, quòd Filius de-
pendeat à Patre, quia eſſentia, à qua eſt influxus, eſt
eadem numero in Patre & Filio; quamuis enim
eſſentia non influeret, niſi eſſet modificata per pa-
ternitatem, non tamen paternitas eſt illa quæ in-
fluit, ſed eſſentia tantùm, vt oſtenſum eſt ſuprà
coroll. 11.

11. Inſtantia. Quòd ſi adhuc inſtes, ſi daretur actio in diuinis,
ſequeretur, quòd Pater poſſet dici agens, & Filius
Soluitur. res acta, contra communem modum loquendi Do-
ctorum; Reſpondetur, quòd huiuſmodi voces non
debent vſurpari, quia agens & actum non denomi-
nantur à quacumque actione, ſed ab ea tantùm, quæ
eſt propria cauſalitas, & quæ dicit dependentiam,
vt patet ex communi vſu loquendi Philoſopho-
rum, ac propterea perſona producta non poteſt dici
effectus, quia effectus ſecundùm communem acce-
ptionem Philoſophorum dicit dependentiam, non
autem actio: imò aliquando actio ſumitur gram-
maticaliter ſine vlla productione, ſicut ſolet dici
actio ſedendi, non tamen poteſt dici hæc actio cau-
ſalitas, ſed origo, quia, vt dictum eſt, per cauſam
non producitur totum id, quod identificatur cum
entitate producta.

12. Ad ſecundã rationẽ dubitandi. Ad ſecundam rationem dubitandi, reſponſio
fusè patebit ex ſequenti dubitatione, in qua oſten-
demus, duplicem eſſe actionem in Patre, ſeu in qua-
cumque alia perſona producente; Alteram, quæ eſt
verus, & realis influxus, & concedimus quòd hæc
actio non eſt in perſona producente, ſed identifica-
tur cum perſona producta, eſt enim ipſa perſonali-
tas, ſeu relatio filiationis in produci: ſed quia hæc
actio in perſona producta non eſt tamquam agens,
ſeu tamquam egrediens ab illa, ſed eſt vt via, per
quam ponitur in eſſe ipſa perſona producta; ideo
non ſequitur, quòd per illam debeat perſona pro-
ducta agere, ſicut non poteſt calor agere per illam
actionem, per quam ponitur in eſſe; Altera eſt actio
communicatiua ſecundùm rationem, per quam
communicatur eſſentia, & hæc non eſt verus & rea-
lis influxus, quia eſſentia Diuina non producitur;

A præſupponitur enim eadem numero in Patre, ſed
eſt actio ſecundùm rationem; & hæc eſt in perſona
producente; v. gr. in Patre, eſt ipſum intelligere
connotando relationem paternitatis, & contra hanc
actionem poteſt habere aliquam vim hæc ſecunda
ratio dubitandi. Reſpondetur tamen, quòd relatio
paternitatis integrat cum intelligere vnam actio-
nem, & vt ſic non eſt in Filio.

Sed dices, quomodo relatio poteſt integrare
actionem, ſi conſequitur actionem tamquam ſuam
rationem fundandi; Reſpondetur, quòd relatio Di-
uina, vt ſæpe dictum eſt, propter ſuam infinitatem, æ-
quiualet relationi tranſcendentali; & prædicamen-
tali: quatenus autem æquiualet relationi tráſcẽden-
B tali, habet rationem principij & viæ, ſeu actionis,
ita vt in primo ſigno paternitas concipiatur, vt con-
ſtituens vnum principium (quo) cum eſſentia: in
ſecundo ſigno vt integrans vnam actionem cum
intelligere, & in tertio ſigno concipitur ſecunda
perſona genita, vt genita: & in quarto ſigno intelli-
gitur eadem paternitas æquiualere relationi præ-
dicamentali, quatenus actualiter refertur ad Filium,
vt Filius eſt correlatiuè, relatio enim prædicamen-
talis vt ſic, eſſentialiter conſiſtit in actuali exercitio
referendi ad terminum correlatiuum, vt oſtendi-
mus in prædicamento Relationis.

Ad tertiam patet ex reſponſione ad primam ra- 13. Ad tertiam.
tionem dubitandi.

C Ad quartam & quintam patet reſolutio ex di- Ad quartã & quintam.
ctis ſuprà corolla. 11. dubit. prima ad tertium &
quartum argumentum.

SECVNDA DVBITATIO.

Quæ ſit iſta actio, an ſit ipſa intellectio, ſeu volitio, an aliqua alia actio præter iſtas.

HÆc dubitatio tractatur in 1. part. tum
quæſt. 27. tum præcipuè quæſt. 41. & in 2.
diſtinct. 2. & 27. Circa quam dubitatio-
nem eſt

D Prima ſententia aſſerentium, in diuinis actio- 1. Prima ſententia.
nem productiuam eſſe actum intelligendi, ſeu
amandi notionalem, hunc autem actum notiona-
lem dicit hæc opinio, eſſe eundem actum eſſentia-
lem intelligendi communem tribus, quatenus fit
proprius Patris, per modificationem ad paternita-
tem, & idem dicunt proportionaliter de actu aman-
di; Ita tenet Capr. in 2. diſtinct. 9. quæſt. 1. Hiſpalen. Capr. Hiſp.
diſtinct. 3. art. 3. Riccardus diſtinct. 27. art. 1. Magi- Riccard.
ſter in 1. diſt. 26. §. 2. Molina & alij Thomiſtæ tum Magiſt. Molina.
in 1. part. tum quæſt. 27. tum quæſt. 41. & 45. quibus
in locis S. Doctor videtur explicare origines per re- S. Thom.
lationes. Hanc etiam tenet Torres 1. part. quæſt. 27.
art. 5. parte 2. diſputationis.

E Probat, quia ex 1. part. habetur, Verbum produci
per intelligere; Ita Fulgentius lib. 5. ad Monimum 2. Argumentũ pro hac ſententia.
cap. 7. & Auguſtinus lib. 6. de Trinitate c. 1. & 2. non
autem iſti Doctores poſſunt intelligi, quòd intelli-
gere concurrat tamquam principium (quo), nam Fulg. Augu.
principium (quo) ſecundùm Auguſtinum lib. 11. de
Trin. cap. 7. & 10. non eſt intellectio, ſed memoria
fœcunda.

Sed hæc ſententia non probatur: impugnat au- 3.
tem illam Scotus in 1. diſtinct. 2. quæſt. 7. & diſt. 27. Impugnatur hæc ſententia primò.
quæſt. 1. & 2. Primò, quia intelligere commune eſt
tribus perſonis, & idem dicendum eſt de amore, Scotus.
ergo non poteſt eſſe actio propria Patris; cui enim
conuenit actio producendi, conuenit etiam produ-

Digitized by Google

ctio termini, ſicut cui conuenit actus calefactionis, A conuenit etiam producere calorem. Sed hoc argumentum ſolui poteſt ab auctoribus huius primæ ſententiæ, quòd actus intelligendi non eſt actio productiua, vt ſic præcisè ſumptus, ſed quatenus modificatur per paternitatem.

4. Secundò. Secundò igitur impugnatur hæc ſententia, & meliùs ex eodem Scoto; actio per quam producitur Verbum, ſeu præcisè perſonalitas Verbi, eſt verus, & realis influxus, emanans per realem emanationem à Patre, quia, vt probatum eſt, in ſuperiori dubitatione, ex vi productionis Paternæ ponitur in eſſe perſonalitas Verbi; vnde vlteriùs fit, quòd iſta actio ſit diſtincta à Patre, & identificata, adæquata identificatione cum Filio: at verò intellectio non B eſt in diuinis per realem emanationem, ſicut eſt in nobis, nec diſtinguitur à Patre, ergo non poteſt eſſe actio per quam Verbum producitur ſecundùm perſonalitatem.

5. Secunda ſententia. Torres. SECVNDA ſententia eſt aliquorum Thomiſtarum apud Torres 1. part. quæſt. 27. art. quinto, aſſerentium, actionem, qua producitur ſecunda, & tertia perſona, eſſe intelligere, & amare. Sed quia contra ipſos poſſet argui ex Scoto in 1. locis citatis, quòd intelligere, & amare eſt commune tribus perſonis; ergo etiam perſonis productis conueniret actus producendi, ergo & productio termini. Propterea hæc ſententia ad vitandum hoc abſurdum, diſtinguit in Deo duplex intelligere, & duplex amare, aliud eſſentiale, & hoc dicit eſſe commune tribus, C & hoc non eſſe actionem productiuam; Aliud notionale, & hoc dicit eſſe proprium perſonæ producentis, & habere rationem actionis. Ad hanc ſententiam videtur accedere Henricus in ſumma ar. 34. vbi poſt multa dicit tandem, hoc intelligere notionale, eſſe intelligere reflexum Patris: intelligere autem directum, eſſe eſſentiale, & commune tribus.

Sed hæc ſententia multò minùs probatur quàm prior, tum quia contra iſtam ſententiam militat ſecundum argumentum factum contra primam ſententiam; tum quia ponit vnum abſurdum, quod non ponit prima ſententia, duplex, ſcilicet, intelligere, aliud in Patre, & aliud in Filio, & duplex amare, aliud in Patre, & Filio, & aliud in Spiritu ſancto: Hoc autem eſſe abſurdum, probatur, quia omnia D quæ ſunt in Deo, præter relationes originis, ſunt communia; quòd verò dicit Henricus, intelligere reflexum eſſe notionale, falſum eſt, tum quia hoc intelligere reflexum, eſt abſolutum, & conſequenter communicatum Filio, tum quia ipſum intelligere eſſentiale, cùm ſit infinitè perfectum, habet rationem directi, & reflexi.

6. Tertia ſententia. Scot. Gabr. Eſt igitur TERTIA ſententia Scoti in 1. locis citatis, & Gabr. in 1. diſtinct. 7. quæſt. 2. actionem generatiuam in Patre, eſſe ipſum dicere Patris, quod quidem dicere, non eſt formaliter intelligere, ſed eſt actus quidam diſtinctus notionalis, & proprius Patris, diſtinctus ab actu intelligendi, qui eſt eſſentialis, & idem proportionaliter dicit de actu ſpi- E randi. quodlib. 14. Quòd ſi quæratur ab hac opinione, quomodo concurrat intelligere Patris ad generationem. Reſpondet, nullo modo concurrere cauſaliter, aut formaliter, ſed tantùm concomitanter, quatenus intellectus paternus perfectè conſtitutus per ſpeciem, reddit æquè primò in actū intelligendi, & in actum dicendi, ſeu generādi: dicitur autem prior eſſe actus intelligendi, quia quatenus eſt eſſentialis, præſupponitur ab actu dicendi, ſicut inquit in 1. d. 27. q. 3. ſi Sol illuminaret immediatione ſuppoſiti æquè omnes partes, tūc non quia pars propinquior eſſet immediatior Soli, ideo alia pars remotior diceretur mediatè illuminata. Præterea, inquit Scot. differūt iſti duo actus, quia prior, ſcilicet, actus intelligendi, non eſt realis influxus ſicut eſt in nobis; at verò actus dicendi in Deo, debet eſſe realis influxus, & adæquatè identificatur cum Filio tantùm.

Fundamentum huius ſententiæ patet ex dictis, quia intellectio cùm ſit eſſentialis, eſt communis omnibus tribus: at verò actus generandi debet eſſe notionalis, & proprius Patris, & propterea debet eſſe realis influxus à Patre, cuiuſmodi non eſt intellectio.

7. Impugnatur hæc tertia ſententia. Sed hæc ſententia quantùm ad eam partem, in qua ponit præter intelligere, actionem generandi in Patre, quæ non ſit formaliter intellectio, ſed productio, & realis influxus, verum dicit, vt infra etiam nos probabimus in noſtra ſententia. Quantùm verò ad illam aliam partem, quòd intelligere Patris nullo modo concurrat ad productionem Filij, falſam exiſtimo cum communi Scholaſticorum, & Patrum; nam Auguſtinus 15. de Trin. cap. 7. & 10. (August.) Verbum Dei dicit eſſe ſapientiam genitam, & 7. de Trin. cap. 2. & 16. & de cognitione veræ vitæ cap. 14. dicit, Deum ſe cogitando genuiſſe Verbum; & infrà dicit, Verbum eſſe cognitionem, vel artem, vel ſapientiam Patris; & Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, vocat Filium Sermonem, & Cyrillus lib. 1. in Ioannem cap. 5. vocat Sapientiam, & in ſcripturis dicitur *Verbum*, & *Imago*, quæ omnia demonſtrant Filium procedere, non ſolùm, vt dicit Scotus, ab intellectu paterno, ſed etiam ab ipſo intellectu, vt eſt in actu intelligendi; & hoc voluit dicere Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 7. & 10. ne videatur ſibi contrarius in aliis locis, cùm dixit, Verbum procedere ex memoria fœcunda; nam intellectus paternus tunc eſt perfectè conſtitutus in actu primo ad producendum, quando non ſolùm eſt conſtitutus per ſpeciem, ſed etiam per actum intelligendi, qui quamuis ſit actus ſecundus comparatus ad intellectum; eſt tamen actus primus comparatus ad actionem productiuam, quæ eſt realis influxus, quo producitur ſecunda perſona.

8. Quarta ſententia. Henric. Quare eſt QVARTA ſententia Henrici quodlib. 6. quæſtione 1. quam ſequuntur aliqui graues recentiores, iſti aſſerunt, actum intelligendi eſſe principium (quo) productiuum Filij, actionem verò, ſeu productionem, eſſe realem influxum, quo producitur Filius. Probatio huius ſententiæ patet ex confutatione aliarum opinionum.

Impugnatur. Sed hæc ſententia in vno deficit, quia ponit intelligere ſolùm vt principium (quo) & non vt actionem, cùm tamen præter illam actionem, quæ eſt realis influxus, quo producitur perſona Verbi, concipienda ſit alia actio, quæ non ſit realis influxus, ſed communicatio ipſius intelligere, vt mox dicemus, ipſum enim intelligere, vt concipitur in communicari, eſt actio communicatiua.

9. Verior ſententia. PRO reſolutione igitur quæſtionis dicendum eſt, duas actiones eſſe concipiendas in Patre, non quidem realiter diſtinctas, vt volebant aliqui apud Durandum in 1. diſt. 7. quæſt. 2. num. 18. neque ſecundùm rationem cum fundamento in re, ſicut diſtinguuntur ſapientia & bonitas in Deo; ſed tantùm diſtinguuntur ſecundùm noſtrum modum concipiendi. Eſt enim vna actio, ſeu vnus tantùm influxus realis in ipſa eſſentia, per quam producitur perſona Filij, de cuius conceptu eſt eſſentia Diuina, & ipſa relatio filiationis; ſed quia eſſentia communicatur Filio, & non poteſt dici, quòd producatur, quia præexiſte

Digitized by Google

exiſtebat; relatio verò filiationis de nouo quodammodo producitur, quia non præexiſtebat, ideo actionem illam, ſeu generationem, quæ eſt vna omnino ſimplex, diſtinguit intellectus noſter ob ſuum modum concipiendi imperfectum, in duas actiones, quarum vnam concipit vt actionem relatiuam, per quam producitur ſecunda perſona, quæ formaliter conſtituitur & diſtinguitur per relationem, ac proinde illa actio dicitur relatiua, quia terminus eius immediatus eſt relatio, & huiuſmodi actio eſt realis influxus, egrediens à Patre; nam ſecunda perſona realiter procedit à Patre, per realem productionem; ergo per realem influxum; principium autem (quo) huius actionis, eſt intelligere Patris, & quantùm ad hoc bene docebat quarta ſententia.

Altera verò actio eſt abſoluta, per quam communicatur ipſa intellectio, ſeu notitia formaliter ipſi Filio; dicitur autem abſoluta, quia terminus immediatus concipitur ab intellectu, eſſe, non ipſa relatio, ſed ipſum intelligere, & cum ipſo intelligere communicantur omnia alia, quæ non dicunt oppoſitionem cum Filio, ex S. Thom. quæſt. 72. ar. 2. & 5. ipſum autem intelligere, eſt quid abſolutum, ergo etiam actio, per quam concipitur communicari ipſum intelligere, eſt quid abſolutum, nam ipſum intelligere in communicari, eſt actio communicatiua, ſicut calor in fieri, eſt calefactio, intelligere autem in communicato eſſe, eſt notitia genita, quatenus eſt perceptio vitalis obiecti, & ideo C
Auguſt. ab Auguſt. 15. de Trinit. & 7. & 10. ſecunda perſona dicitur ſapientia; actio verò relatiua, non eſt formaliter intelligere, quia intelligere formaliter, eſt vitalis perceptio rei intellectæ, ſed potiùs actio illa relatiua eſt ratio, ſeu via per quam concipit intellectus noſter, ſecundùm ſuum modum concipiendi imperfectum, produci ipſam relationem filiationis, quæ quidem relatio non eſt formaliter intellectio, ſed identicè tantùm.

10. Prima obiectio. Quòd ſi obiicias primò, Verbum mentis in humanis producitur per ipſum intelligere, quatenus intelligere eſt quædam actio, ergo & in diuinis Verbum producitur per ipſum intelligere; fruſtra igitur datur alia actio.

Soluitur. Reſpondetur, ſi Verbum mentis ponitur diſtinctum realiter ab intelligere, exiſtimo probabiliùs dici, quòd producatur per actionem diſtinctam ab intelligere, identificatam cum ipſo Verbo; Sed quicquid ſit de hoc, eſt diſpar ratio in diuinis, ac in humanis, nam in humanis etiam ſi admittatur, Verbum produci per intelligere, tanquam actionem, adhuc concipitur verus & realis influxus, nam actio intelligendi in humanis, emanat ab intellectu per realem emanationem: at in diuinis intelligere, concipitur emanare ſecundùm rationem tantùm, nam reuera non emanat; Cùm igitur Verbum in diuinis realiter producatur, debet dari alia actio, quæ ſit verus & realis influxus, niſi dixeris, hanc realem actionem & influxum, eſſe intelligere notionale, quod eſt proprium Patris, emanans per realem emanationem à Patre, diſtinctum ab intelligere eſſentiali, quod eſt commune tribus perſonis; ſed hoc ſuprà confutatum eſt, non enim eſt aliud intelligere Patris, & aliud Filij, ſed eſt idem intelligere Patris, quod communicat Filio.

11. Secũda obiectio. Quòd ſi obiicias ſecundò; non datur actio ab intellectu, quæ non ſit intellectio, ſed hæc actio relatiua ſi eſt generatio, eſt ab intellectu, ergo eſt intellectio.

Soluitur. Reſpondetur, quòd non omnis actio ab intellectu eſt intellectio, quia probabilius eſt, quòd ſi

A Verbum in humanis realiter diſtinguatur ab intelligere, producatur ab intellectu per aliquam actionem diſtinctam ab intelligere, identificatam cum ipſo Verbo, & tamẽ Verbu non eſt intellectio, quare ſufficit, vt omnis actio, quæ eſt ab intellectu, vel ſit intellectio, vel præſupponat intellectionem, tanquam principium (quo), & idem dicendum eſt de actione voluntatis.

Et ex hac diſtinctione duplicis actionis, conciliari poſſunt opiniones Scholaſticorum; nam opinio, quæ dicit, quòd intelligere in Diuinis, ſit actio, & quòd intellectus modificatus per paternitatem, ſit principium (quo), verificari poteſt de actione abſoluta communicatiua; & de hac actione ſunt etiam 12. Conciliãtur opiniones.
B explicandi Patres citati in illa opinione, cùm dicunt, ſecundam perſonam eſſe ſapientiam genitam: principium autem (quo) eſſe memoriam fœcundam Patris, vt dicebat Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 7. Auguſt.
& 10. & Anſel. in monolog. cap. 46. & 49. & Anſel.
Theodoretus lib. 2. ad Græcos; Præterea opinio, Theodor.
quæ dicit, Filium procedere a Patre per realem influxum, egredientem à Patre, & hunc eſſe actum notionalem proprium ſolius Patris, verificatur de actione relatiua. Huius autem actionis principium (quo) immediatum, non eſt intellectus paternus, ſed intellectio; & de hac actione intellexit Auguſt. Auguſt.
cùm dixit, de cogn. veræ vitæ cap. 14. (Deum ſe cogitando genuiſſe Verbum.)

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm hæc actio identificetur adæquatè cum perſona producta, vel cum perſona producente.

PRIMA ſententia aſſerit, originem actiuam identificari adæquatè cum perſona producente; originem verò paſſiuam identificari adæquatè cum perſona producta; Ita tenet Magiſter in 1. diſt. 26. Gabriel, & Capreol. in eadem diſtinct. quæſt. 1. Durand. quæſt. 2. & diſtin. 27. quæſt. 1. Ferrarienſis 4. contra Gentes cap. 26. Caietanus, Mo- 1. Prima ſententia. Magiſter. Gabr. Capr. Durand. Ferrarienſ. Caier. Mol.
D lina, & alij recentiores 1. part. quæſt. 40. art. 1. Suar. 1. part. lib. 6. de originibus cap. 2. Suarius.

Probatur primò, quia in creaturis, ideo apud Thomiſtas actio non diſtinguitur à termino, quia eſt vna mutatio, in qua fundatur actio & paſſio, in Deo non eſt mutatio, ergo, &c. Primum argumentum.

Secundò probatur, quia per originem actiuam conſtituitur Pater principium reale Filij, ergo origo actiua debet eſſe in Patre, & non in Filio. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probatur, quia Pater non conſtituitur per rationem abſolutam; nec poteſt conſtitui primò per relationem, quia relatio ſupponit originem actiuam in qua fundetur Secundũ argumentum.
E ipſa relatio, ergo Pater conſtituitur per originem actiuam.

Tertiò, Pater formaliter generat per actum intelligendi, per quem intelligit, & ſpirat per actum amandi, per quem amat; ſed non intelligit aut amat per actum intelligendi aut amandi adæquatè identificatum cum Filio, aut Spiritu ſancto, nam intelligeret per actum à ſe realiter diuerſum; ergo actus per quem Pater generat, aut ſpirat, non identificatur adæquatè cum Filio producto, vel Spiritu ſancto, & cùm debeat adæquatè identificari cum perſona, ſequitur quòd identificari debet cum producente. Tertium argumentum.

Quartò, productio in Diuinis eſt realis emanatio, & realis influxus inter perſonam producen- Quartũ argumentum.

tem & productam; ſed in Diuinis hic realis influxus non eſt realiter diſtinctus à principio (quo,) quia principium (quo) eſt eſſentia, quæ neque diſtinguitur à parte rei ab actione, neque à termino, ergo ſolùm hic realis influxus debet diſtingui realiter à termino producto; & conſequenter identificatus adæquatè cum principio producente.

Quintũ argumentum. Quintò, in Diuinis inter principium, & terminum, non mediat actio, ſed eſt vnus, & idem actus intelligendi, & amandi; in producente, & producto, qui quatenus concipitur ex parte principij producentis, eſt ratio producendi, & vt ſic habet conceptum actionis ſeu originis actiuæ, & identificatur cum perſona producente; quatenus verò ſe tenet ex parte termini producti, eſt ratio quaſi recipiendi, & ſic habet conceptum originis paſſiuæ, & identificatur cum perſona producta.

2. *Secũda ſententia. Henric. Scot.* Secvnda ſententia aſſerit, originem actiuam & paſſiuam ſimul identificari, & vtramque adæquatè identificari cum perſona producta. Eſt Henrici quodlib. 6. quæſt. 1. & in ſumma artic. 54. quæſt. 10. Scoti in 1. diſtin. 2. quæſt. 1. & quodlib. 1. quæſt. 3.

Primum argumentum ſecũdæ ſententiæ. Probatur, quia in humanis actio identificatur cum paſſione, & termino producto, quia actio nihil aliud eſt quàm ipſe terminus in via & in fieri.

Secundũ argumentum ſecũdæ ſententiæ. Secundò probatur, quia origo actiua procedit à producente, ergo diſtinguitur ab illo.

3. *Primũ not. Quid ſit idẽtificatio.* Pro explicatione notandum eſt, quòd tunc dicitur aliquid identificari adæquatè cum aliqua re, quando identificatur cum illa re, & cum omnibus, quæ ſunt idem cum illa, & diſtinguitur ab omnibus, à quibus illa diſtinguitur; vnde ſequitur quòd paternitas non identificatur adæquatè cum eſſentia, ſed inadæquatè, quia non identificatur cum filiatione, quæ tamen identificatur cum eſſentia; identificatur autem paternitas cum Patre, & attributa identificantur adæquatè cum eſſentia; in hac autem dubitatione quæritur de adæquata identificatione actionis cum perſona producente vel producta.

Secundum notand. Secundò notandum, duas eſſe actiones in Diuinis, ſecundùm modum noſtrum imperfectum concipiendi; alteram relatiuam, alteram abſolutam, vt fusè explicatum eſt in ſuperiori dubitatione: relatiua autem eſt realis influxus, per quem producitur perſona; actio verò abſoluta eſt illa, per quam communicatur perſonæ, nempe Filio, ipſum intelligere, & conſequenter eſſentia, & alia attributa, quæ cum eſſentia identificantur.

4 *Conciliãtur ſẽtẽtiæ allatæ.* His poſitis conciliari poſſunt illę duæ ſententiæ, nam ſi ſermo eſt de actione abſoluta, ſit

Prima concluſio. Actio abſoluta, qua communicatur intelligere ipſi Filio, & conſequenter eſſentia, & alia attributa, identificatur adæquatè cum Patre, quia hæc actio nihil aliud eſt, quàm ipſum intelligere in communicari, prout eſt à Patre; eſt autem hoc intelligere idem numero in ipſo Patre, & in aliis perſonis, quod quidem vt intelligitur modificatum per paternitatem, habet conceptum actionis, & vt ſic identificatur cum Patre adæquatè; prout autem idem intelligere concipitur modificatum per filiationem, habet conceptum paſſionis, & vt ſic eſt identificatum cum Filio, & de hac actione abſolutè communicatiua, verificari poteſt prima ſententia Magiſtri, Gabrielis, & Capreoli, Durandi, & Ferrarienſ. Molinæ, & aliorum recentiorum locis citatis, cùm dicunt, originem actiuam identificari adæquatè cum perſona producente, & *Mag. Gabr. Capr. Dur. Ferr. Molina.* idem ſimiliter dicendum eſt de actione abſoluta, qua communicatur ipſum amare.

5. *Quæſitũ circa primam concluſionem.* Sed quæres, quomodo paternitas cùm ſit relatio, poteſt integrare vnam rationem actionis cum ipſo intelligere; & ratio dubitandi eſt, quia relatio originis conſequitur actionem.

Reſpondetur, paternitas, vt ſæpius dictum eſt, propter ſuam infinitatem, quatenus æquiualet relationi tranſcendentali, poteſt habere rationem principij, integrando vnum principium cum eſſentia, & poteſt habere rationem actionis; quatenus autem æquiualet relationi prædicamentali, habet ſolum munus referendi; Si verò ſermo eſt de actione relatiua, ſit

6. *Secũda concluſio. Scot. Henric.* Secvnda concluſio contra recentiores; actio relatiua adæquatè identificatur cum perſona producta, & iuxta hunc ſenſum eſt vera ſecunda ſententia Scoti in 1. diſtinct. 2. quæſt. 7. & quodlib. 1. quæſt. 3. Henrici quodlib. 6. quæſt. 1. & in ſumma art. 54. quæſt. 10. dum dicunt, ipſum dicere identificari cum Filio; per dicere enim, vt ſatis explicat Henricus, intelligunt hanc actionem relatiuam.

Ratio. Ratio fundamentalis eſt, quia, vt diximus, actio relatiua eſt verus & realis influxus, per quem producitur ipſa perſona, ſeu relatio perſonæ productæ; ergo etiam ipſa actio debet diſtingui à producente; quia emanat à producente, ergo non poteſt identificari cum producente; & hæc ratio peculiariter militat in Diuinis; nam in humanis probabiliter multi graues Doctores tenent, actionem eſſe in agente, quamuis ſit realis influxus realiter emanans ab agente; quia dicunt, actionem non eſſe identificatam cum agente, ſed eſſe modum à parte rei, diſtinctum ab agente, per quem agens conſtituitur actu agens; at verò in Deo non poteſt dari hæc actio, quæ ſit modus diſtinctus; tum quia daretur compoſitio in Deo; tum quia propter ſuam infinitatem, non indiget vt conſtituatur actu agens, per modum diſtinctum à ſe; tum tertiò, quia agens creatum producto effectu amittit iſtum modum, neceſſariò igitur ponitur hic modus diſtinctus ab agente, quia ſeparatio eſt euidens indicium diſtinctionis; at vero in Diuinis hæc actio eſt inſeparabilis à producente, non igitur debet poni diſtincta à producente.

7. *Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ quæ ſunt contra ſecundã concluſionem.* Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, illa nihil probare contra primam concluſionem, concedimus enim, actionem abſolutam identificari adæquatè cum perſona producente, militant igitur contra ſecundam concluſionem de actione relatiua.

Ad primum. Ad primum igitur reſpondetur, quòd in humanis, non ideo actio identificatur cum termino, quia eſt vna mutatio, nam in creatione non datur mutatio, & tamen etiam ſecundùm aduerſarios, actio creationis identificatur cum termino producto.

Inſtabis, quòd ſaltem in creatione eſt dependentia, vbi poteſt fundari ratio actionis. Reſpondetur, quòd quamuis in Diuinis non ſit propriè dependentia, eſt tamen via ab vno in aliud, vt dicunt aliqui Patres in Concilio Florentino, ſeſſ. 18. & S. Doctor 1. parte quæſtione 40. artic. 2. poteſt igitur in illa via concipi duplex reſpectus, à principio, & ad terminum, vt ibidem fatetur S. Doctor. *Conc. Flor. S. Doctor.*

Ad ſecundũ. Ad ſecundum, quod eſt fundamentum in hac materia, reſpondetur ex dictis, quòd paternitas, ſicut & aliæ relationes diuinæ, propter ſuam

Digitized by Google

ſuam perfectionem & ſimplicitatem, æquiualent relationibus tranſcendentalibus, includunt enim in vna ſimpliciſſima ratione ea, quæ in creaturis diſtinguuntur in plures rationes obiectiuas, diſtinctas à parte rei; quare in paternitate Diuina, quatenus æquiualet relationi tranſcendentali, poſſumus diſtinguere rationem ſubſiſtentiæ, per quam eſſentia ſubſiſtit; & rationem principij, ſeu actus primi, per quem eſſentia intrinſecè conſtituitur potentia ge-
8. neratiua & fœcunda in actu primo. Tertiò poſſumus concipere illammet paternitatem, vt eſt actio in actu ſecũdo & quarto, & concipitur vt æquiualet relationi prædicamentali, quatenus habet rationem referendi in actu exercito, perſonam producentem ad productam. Patet igitur, quòd Pater intelligitur conſtitutus in ratione principij ante ipſam actionem, poterit igitur eſſe principium reale generationis actiuæ: quatenus generatio actiua dicit productionem per realem influxum quo producitur perſona Verbi; & idem dicendum de productione Spiritus ſancti.

9. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur concedendo, quòd Pater intelligit per actum intelligendi ſibi identificatum, ſic etiam & amat; ſed negatur quòd iſte actus intelligendi ſit formaliter productio loquendo de reali productione relatiua, quæ eſt influxus realis, per quem producitur perſona, ſed actus intelligendi eſt formaliter illa actio abſoluta Patris, per quã, vt dictum eſt ſuprà dubitat. ſecunda, communicatur ipſum intelligere, & omnes aliæ rationes abſolutæ, ipſi Filio.

10. Ad quartũ. Ad quartum reſpondetur concedendo in Diuinis, realem emanationẽ & realẽ influxum, non eſſe ab eſſentia præciſè, eſſe tamen ab eſſentia, vt modificata per paternitatem, tanquam per complementum in ratione principij (quo), vt dictum eſt ſuprà, quare poteſt realis ille influxus identificari cum perſona producta, & diſtingui realiter à paternitate modificante eſſentiam in ratione principij.

Præterea, etiam ſi detur quòd hic realis influxus non ſit diſtinctus ab eſſentia, tanquam à principio (quo), non inde ſequitur, quòd debeat eſſe diſtinctus realiter à producto, nam ſufficit vt principium ipſum (quod), ſcilicet, Pater, ſit realiter diſtinctus à producto, ad hoc, vt ſaluetur relatio veri influxus.

11. Ad quintũ. Ad quintum reſpondetur, inter principium, & terminum in facto eſſe in Diuinis, mediare actionem relatiuam, quæ eſt realis influxus, per quam producitur perſona producta; Argumentum ſolùm probat de actione abſoluta, per quam communicatur perſonæ productæ, nempe Filio, ipſum intelligere, & conſequenter omnes aliæ rationes abſolutæ.

12. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ quæ ſunt contra primam cõcluſionem. A d argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur, illa probare ſecundam concluſionem noſtram de actione relatiua, videntur tamen militare contra primam concluſionem de actione abſoluta.

Ad primum. Ad primum ergo dicitur, negando, quòd actio in humanis identificatur cum termino: Sed eſto hoc ſit in humanis, eſt diuerſa ratio in diuinis, quia per hanc actionem communicatiuam abſolutam, communicatur à Patre ipſi Filio, ipſummet numero intelligere, quod eſt in Patre, poteſt igitur ipſummet intelligere, vt modificatum ad Patrem per paternitatem, habere rationem actionis, intellectio enim, vt eſt actio communicandi, nihil aliud eſt quàm ipſum intelligere in communicari; & idem numero intelligere, poteſt habere rationem quaſi paſſionis ſeu receptionis, quatenus in Filio eſt modificatum per filiationem; & idem dicendum eſt de ipſo amore in Spiritu ſancto.

13. Ad ſecundũ. Ad ſecundum negatur, quòd hæc actio abſoluta communicatiua, ſit vera & realis emanatio, eſt enim tantùm ſecundùm rationem, & imperfectum noſtrum modum concipiendi, quia non eſt vt ſic realis influxus, ſicut eſt productio relatiua, per quam producitur ipſa relatio ſeu perſona Verbi vel Spiritus ſancti, & ideo non opus eſt, vt hæc emanatio diſtinguatur à producente.

Quæres, quomodo ergo ipſum intelligere quod eſt in Patre, communicatur realiter Filio, ſi tantùm eſt emanatio ſecundùm rationem.

Reſpondetur, ſufficere verum realem influxum in Patre, per quem producatur ipſa relatio Verbi vel Spiritus ſancti, nam hæc ſibi primò per ſe identificat intelligere, ſeu amare, ratione cuius Pater intelligitur communicare intellectionem, ſeu amorem perſonis productis; nam illa via, ſeu influxus realis, per quem producitur filiatio, ſeu potiùs perſona Filij, quamuis terminetur ad relatiuum, tamen eſt, vt ita dixerim, via ad communicationem ipſius abſoluti, quod eſt intelligere ſeu amare; productio enim perſonæ eſt imminens in eſſentia, & quia perſona producta non habet oppoſitionem cum eſſentia, identificatur cum illa, & cum omnibus ſuis attributis.

DVBITATIO QVARTA.

Quæ habitudo principij ſignificetur in perſona producente, & in ipſa eſſentia diuina, cùm dicitur Filius procedere de ſubſtantia Patris.

1. Prima ſententia. Durand. Henric. PRIMA ſententia eſt Durandi in 1. diſt. 5. quæſt. 2. Henrici quodlib. 5. quæſt. 9. aſſerentium, ſubſtantiam Diuinam eſſe quaſi principium materiale perſonæ procedentis, & hanc habitudinem ſignificari, cùm dicitur (Filius eſt de ſubſtantia Patris.)

Ariſt. Probat ex Ariſt. 2. phyſic. & 5. met. vbi Ariſt. definit, principium materiale eſſe cauſam, ex qua inſita ſit aliquid; ſed perſona Filij procedit ex ſubſtantia Patris, inſita & incluſa in eodem Filio, ergo procedit ex illa ſubſtantia tanquam ex principio materiali.

Secundò, propria cauſalitas principij materialis, eſt ſuſtinere aliquid ad conſtitutionem tertij: ſed Diuina ſubſtantia præintelligitur eſſe in perſona producente, & quaſi ſubſiſtens, ſeu recipiens perſonalitatem procedentem, quia illam recipit, ſeu ſibi vnit identificando, & poſtea ex ipſa diuina ſubſtantia modificata per relationem conſtituitur quaſi vnum tertium, quod eſt Verbum, ergo diuina ſubſtantia eſt quaſi principium materiale.

Secũda ſententia. SECVNDA ſententia quorumdam recentiorum aſſerentium, diuinam eſſentiam concurrere quaſi principium vt (quo) actiuum, reſpectu perſonæ productæ, & hanc habitudinem dicit ſignificari, cùm dicitur, Filius eſt de ſubſtantia Patris, quia diuina ſubſtantia conſtituit perſonam producentem, aptam ad producendum; ergo ſe tenet circa productionem perſonæ productæ, quaſi principium actiuum (quo) ipſius perſonæ producentis, perſona autem producens eſt principium vt (quod).

PRO explicatione huius dubitationis pono quinque concluſiones, & primò incipiendo ab illis, quæ ſunt certa, ſit

2. Prima concluſio. PRIMA concluſio. Certum eſt, diuinas perſonas non produci ex nihilo, ſed procedere de ſubſtantia

ſtantia perſonæ producentis, quæ communicatur perſonæ productæ. Eſt concluſio de fide, definita in Conc. Niceno, vbi dicitur contra Arriũ, Filium eſſe vnigenitũ de Patre, & ibidem in epiſtola ad Eccleſias, damnatur error Atrianorum, Filium produci ex non exiſtentibus, id eſt, de nihilo, aut de aliena ſubſtantia. Eſt etiam definitum in Concil. Tolet. I. & XI. in confeſſ. fidei, vbi explicatur ille locus Pſal. 109. in quo Pater loquens Filio dicit, *Ex vtero ante Luciferum genuite*; per vterum autem intelligit hoc Concilium ſubſtantiam Patris generantis: Præterea Ioan. 8. dicit Filius, *Pater quod dedit mihi, maius his omnibus eſt*, quo loco vtitur Concil. Later. in cap. Damnamus. de ſumma Trinit. ad probandum hoc idem, & Concil. Flor. ſeſſ. 18. & 19. ad hoc idem propoſitum explicat illud Ioan. 16. vbi Chriſtus loquens de Spiritu ſancto dicit, *De meo accipiet*; & infrà, *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.*

(Prima ratio concluſionis ex conciliis. Conc. Nice. Conc. Tol. Ioan 8. Conc. Later. Florent. Ioan. 16.)

Probatur præterea ex Patribus, præſertim Auguſt. 18. de Trin. cap. 19.

(Secunda ratio ex Patribus. Auguſt.)

3\. Probatur ratione. Omnes perſonæ habent eandem numero naturam, ergo perſona procedens habet eandem naturam perſonæ producentis: ſed hæc quidem natura priùs intelligitur eſſe in perſona producente, ergo perſona procedens non eſt ex nihilo, ſed de ſubſtantia, quæ præintelligitur eſſe in perſona producente.

(Tertia ratio.)

Obiiciunt Arriani duo loca Scripturæ. Primus locus eſt Prouerb. 8. vbi dicitur, *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*; vbi Septuaginta & omnes antiquiores Patres legunt, *Dominus creauit me*, creatio autem eſt ex nihilo.

(Obiectio. Prouerb. 8.)

Secundus locus difficilior Eccleſ. 24. *Qui creauit me*, Et, *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*, &c.

(Eccleſ. 24.)

Ad priorem locum reſpondetur ſecundùm Baſilium lib. 2. contra Monimum, & ſecundùm Epiphanium hæreſi 69. & nonnullos alios Patres, legendum eſſe ibi ſecundùm vulgatã, *Dominus poſſedit me*; Verbum autem hoc (poſſidere) in ſcripturis accipitur pro (generare). Gen. 4. poſt genitũ Cain dicitur, *Poſſedi hominem per Deum*, id eſt, habui filium: Sed quia ſeptuaginta, & antiquiores Patres, legunt communiter, *Creauit me*, ideo reſpondendum eſt ſecundò, ibi eſſe ſermonem non de ſapientia increata, ſed de incarnata; additur enim ibi, *Creauit me in initio viarum ſuarum*; nam in genere cauſæ finalis, *viarum*, id eſt operum Dei, præſertim ſupernaturalium, ſapientia creata obiectiuè in prædeſtinatione Dei fuit initium, vt etiam docet Paulus, *Per Chriſtum primogenitum ex mortuis omnia eſſe facta*. Ita exponunt hunc locum Hilar. lib. 12. de Trin. Baſil. lib. 4. contra Monimum, Fulg. reſpon. 3. ad Arrianos, & colligitur ex Auguſt. 1. de Trin. cap. 12.

(Soluitur. Baſil. Epiphan. Geneſ. 4. Hil. Baſil. Fulg. Auguſt.)

4\. Ad ſecundum locum, quem ideo dixi eſſe difficiliorem, tum quia omnes legunt *Creauit*, & *creata ſum*, &c. tum quia dicitur, *Ab æterno creata*; at humanitas Chriſti non eſt ab æterno, nec poteſt intelligi in prædeſtinatione Dei, nam non additur aliquid ad hoc ſignificandum, ſicut àddebatur in priori loco, ſed tantùm dicitur ſimpliciter, *Creauit*; quod verbum ſignificat realem exiſtentiam. Reſpondeo tamen cum Hilar. lib. de ſynod. & S. Thom. q. 51. ar. 3. ad 4. & 4. cont. gent. cap. 8. quod etiam colligitur ex Auguſt. lib. de Symb. & fid. cap. 4. Baſil. epiſt. 141. & Euariſto Papa epiſt. 1. proceſſionem Filij Dei aliquando in ſcripturis dici generationem, aliquando creationem, ad ſignificandum perfectionem generationis, & perfectionem creationis, ſemotis imperfectionibus; nam generatio dicit perfectionem, quatenus eſt generatio, ſeu productio in ſimilitudinem naturæ; dicit tamen imperfectionem, quatenus dicit in humanis mutationem in re genita, & in generante, nam ex generante deciditur aliqua pars materiæ; creatio verò dicit quidem imperfectionem, quatenus dicit productionem in diuerſitate naturæ, dicit tamen perfectionem, quatenus in creante nullam dicit mutationem; ad ſignificandam igitur productionis perfectionem in ſimilitudinem naturæ, & ſine mutatione generantis, proceſſio Verbi modò dicitur generatio, modò creatio.

(Hilar. S. Thom. Auguſt. Baſil. Euariſ.)

Adde quòd in ſcripturis creatio non ſignificat idem quod apud Philoſophos, nam apud Philoſophos ſignificat productionem ex nihilo, cùm tamen in ſcripturis ſignificet aliquàndo productionem ex aliquo generante. Geneſis 1. *Creauit Deus cete grandia*; quæ tamen ſunt producta de aquis, & ibidem, *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam*; quem tamen produxit ex limo terræ; & quia Verbum eſt productum de ſubſtantia Patris, ideo benè illi adaptatur hæc vox (creari) ſecundùm modum loquendi ſcripturæ.

(Geneſ. 1.)

Secvnda concluſio. Certum eſt, productiones, per quas producuntur diuinæ perſonæ, eſſe immanentes, quod dupliciter poteſt intelligi, vel quia actio eſt in perſona producente. Quòd hoc ſit verum, dicemus infrà; vel quia eſt origo ad terminum manentem in producente, quia producitur in eſſentia, & hoc ſecundo modo hîc propriè accipitur; iuxta quem modum etiam productio, quatenus actio, per quam producitur perſona, dici poteſt aliquo modo immanens, etiam ſi dicatur eſſe in perſona producta, nã eſt origo ad perſoná productam, ſubſiſtentem in eadem ſubſtãtia, ſeu natura producentis, quæ quidem natura non diſtinguitur a parte rei, à perſona producente, & ideo etiam illa actio identificatur cum eſſentia; omnes igitur perſonæ, quæ producuntur, producuntur vt termini manentes in producente, quia producuntur ſubſiſtentes in eadem natura ipſius perſonæ producentis, identificata cum producente, & producto. Ita tenet S. Doctor hîc artic. 3. Damaſc. lib. 1. cap. 6. & hoc quidem eſt certum ſecundùm omnes Scholaſticos, qui cum Caiet. loco cit. hîc inſinuat eſſe de fide, quod colligitur ex modo loquendi ſcripturæ, nam Ioan. 14. dicitur Filius eſſe in Patre & Pater eſſe in Filio, *Non ne ego in Patre, & Pater in me eſt*: & Ioan. 1. dicitur, *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*; vnde diuinæ perſonæ dicuntur circuminſedere ad inuicem, quæ circuminſeſſio oritur tum ex identificatione vnius eſſentiæ cum omnibus perſonis, tum ex immenſitate, ratione cuius vna perſona eſt in alia. 5.

(Secunda concluſio. S. Thom. Damaſc. Ioan. 14.)

His igitur poſitis tanquam certis, controuerſia inter Scholaſticos eſt, cùm dicitur Filius procedere de ſubſtantia Patris, illud (de ſubſtantia) quam rationem principij ſignificet, an materialis, an formalis, an actiui, ſeu productiui.

Tertia concluſio. Certum eſt ex communi ſententia Scholaſticorum, quòd cùm dicitur Filius, aut Spiritus ſanctus procedere de ſubſtantia Patris, per illam particulam (de) ſignificari duo; Primùm ſignificari explicitè ordinem originis perſonæ productæ à producente, tanquam à principio actiuo; Secundò ſignificari ſaltem implicitè conſubſtantialitatem in natura Diuina. 6.

(Tertia concluſio.)

Probatur primum (quòd, ſcilicet, illa particula (de) ſignificet habitudinem originis à perſona producente, tanquam à principio actiuo,) quia falſa eſt illa loquutio, perſonas productas eſſe de natura Diuina, ſeu de ſubſtantia Dei, & quidem non propter

(Probatur primum.)

Digitized by Google

S.Thom. August.

pter aliam rationem eſt falſa, ex S. Thom. hîc, & Auguſt. 7. de Trinit. niſi quia particula (de) ſignificat habitudinem originis, quam habitudinem non habent perſonæ ad ſubſtantiam, ſeu naturam Diuinam; Et præterea falſa eſſet loquutio, ſi diceretur, quòd Pater eſt de ſubſtantia Dei, quia quamuis habeat conſubſtantialitatem cum natura diuina, non tamen dicit originem à natura; Et præterea falſa etiam eſſet locutio, ſi diceretur Filius eſſe de ſubſtantia Spiritus ſancti, quia quamuis ſit eadem ſubſtantia & natura in Spiritu ſancto, & Filio, & quantùm ad hoc, propoſitio eſſet vera, quia tamen particula (de) ſignificat originis habitudinem, quam non habet Filius ad Spiritum ſanctum, ideo non rectè dicitur, Filius eſt de ſubſtantia Spiritus ſancti, ſed potiùs, Spiritus ſanctus eſt de ſubſtantia Filij.

7. Probatur ſecundum. Auguſt.

Secundum probatur ex Auguſt. lib. de nat. boni, cap. 16. & 27. per particulam (de) ſignificari non ſolùm ordinem originis, ſed ſignificari, vel ſaltem connotari etiam conſubſtantialitatem in natura, & per hoc diſtinguitur à particula (ex) quæ ſolùm ſignificat cauſalitatem, quem modum loquendi, admittunt omnes Scholaſtici in 1. diſtin. 5. quamuis Driedo lib. 3. de regul. ſeu dogmat. Scripturæ, teneat oppoſitum; Et probat ex illo loco Matth. 1. vbi dicitur de Chriſto, (*Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*;) & tamen Chriſtus vt homo, non erat conſubſtantialis in natura Spiritui Sancto; Sed dici poſſet, quòd ibi ſignificatur conſubſtantialitas naturæ diuinæ, & origo quoad naturam humanam, & non quoad naturam Diuinam; Sed quicquid ſit, an hæc regula ſit vniuerſalis, certum eſt, modum loquendi Scripturæ ſecundùm ſubiectam materiam, cùm dicitur, Filium eſſe de Patre, vel de ſubſtantia Patris, per particulam (de,) quamuis explicitè ſignificetur ordo realis originis perſonæ productæ, à producente, ſemper tamen ſaltem implicitè connotatur conſubſtantialitas in natura perſonæ productæ, cum producente.

Driedo. Matth. 1.

His igitur poſitis, adhuc quæritur, quam rationem principij intelligatur habere ipſa natura diuina, quæ ſignificatur vel connotatur per particulam (de) cùm dicitur, Filius eſt de ſubſtantia Patris, vel Spiritus ſanctus eſt de ſubſtantia Patris & Filij; Ad quod reſpondetur, & ſit

8. Quarta cõcluſio cõtra ſecundã ſententiam ignorum.

QVARTA concluſio contra ſecundam ſententiam. Eſſentia Diuina non poteſt dici principium actiuum, quia per particulam (de), vt probatum eſt in præcedenti concluſione, ſignificatur origo; falſum eſt autem, perſonam originari ab eſſentia; quia ſi perſona haberet originem ab eſſentia, diſtingueretur ab eſſentia.

Quòd ſi dicas, ipſa eſſentia eſt ſaltem tamquam principium actiuum, quo Pater producit Filium. Reſpondetur, quòd non poteſt eſſe principium (quo) originis, niſi intelligatur modificata per relationem, vt fuſiùs diximus ſuprà in corollario 11. vbi egimus de potentia generatiua.

9. Quinta cõcluſio cõtra primã ſententiam Durandi. Aug.

QVINTA concluſio contra primam ſententiam Durandi. Diuina natura non eſt principium materiale, vel quaſi materiale, vt rectè notauit Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 6. vbi dicit Filium non produci ex nihilo, neque ex aliqua materia, quamuis producatur de ſubſtantia Patris; neque tres perſonas, inquit, eſſe vnam eſſentiam, quaſi ſubſiſtat in illa eſſentia, tamquam in communi materia.

Prima ratio.

Probant primò alij hanc concluſionem, quia principium materiale debet habere duas conditiones: Primam, quòd ſuſtineat, ſeu recipiat aliud comprincipium, ad conſtituendum aliquod tertium. Secunda conditio, vt comprincipium, quod ſuſtinetur, ſeu recipitur, non includatur in conceptu illius, in quo ſuſtinetur, quia non dicitur aliquid ſuſtinere aliud, in cuius conceptu includitur; Sed eſſentia diuina intimè includitur in conceptu relationis, ergo non poteſt habere rationem principij materialis, ſicut conceptus entis incluſus in inferioribus, non poteſt habere conceptum principij materialis: Sed hæc ratio non conuincit; quia falſum ſupponit, eſſentiam diuinam includi in conceptu relationis; multi enim Theologi hoc negant, quia quamuis relatio diuina ſit à ſe, nullam dicens dependentiam, hoc tamen tantùm probat, includere eſſe increatum, quod eſt quid tranſcendentale, non autem includere in ſuo conceptu eſſentiam diuinam, quæ eſt naturæ, & principium operatiuũ.

10. Secunda ratio efficax.

Quare ſecundò probatur hæc concluſio, quia eſſentia Diuina non habet rationem cauſæ materialis, ſed potiùs formæ, quia eſt principium operatiuum vt (quo), vt probatum eſt ſuprà in coroll. 11. & præterea ſe habet vt terminus formalis in generatione Verbi, & ſpiratione Spiritus ſancti, quia in productione formali, ille eſt terminus formalis, ſecundùm quem productum aſſimilatur producenti; producens enim intendit ſibi aſſimilare productum; Nec obſtat, quòd materia eſt illa, quæ præſupponitur in productione, & non forma, non, inquam, obſtat, quia anima rationalis præſupponitur in reſurrectione, non tamen propterea ſequitur, quòd non reuniatur materiæ, tamquam terminus formalis reunitionis, & tanquam principium operatiuum reſpectu operationis hominis.

11. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ Durandi. Ad primum.

Ad argumenta Durandi in oppoſitum reſpondetur; Ad primum, cùm dicitur materiam eſſe id, ex quo tamquam inſito, aliquid procedit, illud inſitum debet explicari, nam etiam aliquando aliquid fit ex forma præexiſtenti, vt dictum eſt, & tamen non propterea forma habet rationem materiæ, debet igitur intelligi, quòd tunc habet rationem materiæ, quando ſuſtinet & recipit aliud comprincipium, ad faciendum vnum tertium per receptionem tantùm; at verò quando aliud vnitur cum alio, ad faciendum vnum tertium, ita vt concurrat ad conſtitutionem tamquam principium operatiuum, tunc potiùs habet rationem formæ, quia igitur eſſentia diuina concurrit ad conſtitutionem perſonæ tamquam principium operatiuum, propterea eſſentia Diuina concurrit potiùs vt terminus formalis in generatione Filij, & ſpiratione Spiritus ſancti; Et per hæc patet ad ſecundum.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICVLARI.

Egimus hucuſque de perſonis Diuinis in communi, nunc agendum eſt breuiter de perſonis Diuinis in particulari, quæ tractatio colligitur ex dictis de perſonis in communi.

QVÆSTIO DECIMATERTIA THEOLOGICA CIRCA DECIMVM-TERTIVM COROLLARIVM,

De perſona Patris.

Sunt in hoc Corollario duæ dubitationes.

I. *Vtrùm innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum, ſeu improductum, ſit proprietas ſolius Patris.*

II. *Vtrùm innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum, fundetur in paternitate.*

De hac materia agit S.Thom.1.part.quæſt.33.

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum, ſeu improductum, ſit proprietas prima perſona, ſeu ratio notionalis dignoſcendi primam perſonam.

1\. Nota pro explicatione tituli. Ingenitum accipitur tripliciter.

NOTA quòd ingenitum tripliciter vſurpatur à Patribus: Primò, per ingenitum intelligendo, id quod infactum eſt, negando dependentiam ex nihilo, qualem dependentiam habent creaturæ à Deo; & hoc modo omnes perſonæ poſſunt dici ingenitæ, vt docet Damaſc. libr. 1. de fid.cap.9.

Damaſc.

Secundò vſurpatur, quatenus dicit negationem generationis propriè dictæ, ſeu natiuitatis, & hoc modo Spiritus ſanctus poteſt dici ingenitus, vt docet Athana. dialog. primo contra Anomos, & Naziazenus oratione de Epiphania; Contendunt tamen aliqui quòd iuxta hunc ſenſum, ingenitum ſit proprietas ſolius Patris, quatenus ingenitum ſeu innaſcibilitas, dicit negationem natiuitatis, nam Spiritus ſanctus, quamuis dici poſſit ingenitus, dicitur tamen priuatiuè, ſecundùm rationem genericam proceſſionis ab alio, ſicut talpa dicitur à Philoſophis cæca, ſeu priuata viſu, ſecundùm rationem ſuperiorem, & genericam, quia quatenus animal, debetur illi poſſe contrahi ad viſiuum; ita etiam Spiritus ſanctus dicitur ingenitus priuatiuè, ſecundùm rationem ſuperiorem proceſſionis ab alio, in qua conuenit cum Filio, quæ poteſt contrahi ad genitum. Spiritus ſanctus igitur dicitur ingenitus priuatiuè, quatenus procedens eſt ab alio, proceſſio enim ab alio, tanquam quædam ratio ſuperior, poteſt contrahi ad genitum; at verò Pater dicitur ingenitus negatiuè, quia nullo modo poteſt illi conuenire eſſe genitum, cùm à nullo procedat.

Athan. Nazian.

Sed contra hoc eſt, quia non poteſt dici aliquid propriè priuatum, ſecundùm rationem genericam; nam alioquin equus poſſet dici quòd nõ ſit riſibilis priuatiuè, quia non repugnat animali eſſe riſibile, quod tamen falſum eſt, quia ad priuationem requiritur vt non ſolùm non repugnet aliqua proprietas ſubiecto, ſed quòd illi debeatur; Nec obſtat exemplum de talpa, quia multi tenent, quòd talpa habeat potentiam viſiuam, ſed dicitur cæca, quia habet illam impeditam, ex indiſpoſitione organi. Dicendum eſt igitur, quòd ſi ingenitum accipiatur ſecundo modo, quatenus dicit negationem generationis propriè dictæ, ſeu natiuitatis, non eſt proprietas ſolius Patris, quia poteſt competere Spiritui ſancto, vt docent Nazianzenus, & Athanaſius locis citatis.

Tertio igitur modo ingenitum vſurpatur à Patribus, pro negatione omnis originis perſonalis, & hoc modo ponitur in hac dubitatione, cùm quæritur, Vtrùm ingenitum ſit proprietas primæ perſonæ. Sunt autem quinque rationes dubitandi pro parte negatiua.

2\. Prima ratio dubitãdi pro parte negatiua quòd ſcilicet eſſe ingenitum nõ ſit proprie-

Prima eſt, quia poſſet dici, quòd multiplicatio Diuinarum perſonarum eſt in infinitum, & ideo nũquam deuenitur ad primam improductam; quòd autem multiplicatio cauſarum in infinitum non repugnet, probatur, quia ſi qua eſſet implicantia, illa eſſet, quia infinitum non poteſt exhauriri; vnde ſi

effectus

tas ſolius Patris. effectus penderet ab infinita collectione cauſarum, nunquam produceretur, hæc,inquam, implicantia nulla eſt,quia tota collectio cauſarum ſimul ageret, & non vna poſt aliam, ſecundùm ſucceſſionem durationis.

3. Secunda ratio dubitandi. Secunda ratio dubitandi, etiamſi daretur prima perſona, vt ſupponitur ex Scripturis, adhuc poſſet dici, quòd illa prima producit ſe ipſam, quia ſicut actio eſt ratio, qua datur eſſe termino, & viciſſim tanquam modus pendet ab eodem termino, tanquam à re modificata, eodem etiam modo poſſet dici, quòd actio poteſt ſe habere ad cauſam à qua eſt,ita vt pendeat à cauſa,& ſit etiam ratio, qua datur eſſe cauſæ.

4. Tertia ratio dubitandi. Tertia ratio dubitandi, poſſet dici, quòd etiamſi prima perſona non produceret ſe ipſam, poſſent tamen perſonæ ſe inuicem producere, ita vt prima producat ſecundam, & ſecunda primam, ſicut forma dependet à materia; & materia à forma, & finis producit efficientem,& efficiens finem.

Quòd ſi dicas, hoc poſſe contingere in diuerſo genere cauſæ, vt patet in exemplis allatis, non autem in eodem genere cauſæ, præſertim efficientis,vt eſt in caſu noſtro;Contra hoc eſt, quia deberet aſſignari ratio, quare in diuerſo genere cauſandi, vna dependere poteſt ab alia, & non in eodem, videtur enim eſſe eadem ratio, nam ideo in eodem genere non poteſt eſſe dependentia vnius ab alio, quia id à quod dependet aliud, debet præſupponi ſecundùm eſſe,ſed idem poſſet dici in diuerſo genere cauſandi.

5. Quarta ratio dubitandi. Quarta ratio dubitandi, poſſet dici, quòd hic Deus, qui non eſt perſona, ſumendo hunc Deum pro indiuiduo naturæ Diuinæ, præciſa perſonalitate producat primam perſonam, non ergo eſt neceſſe, quòd prima perſona ſit improducta, ſeu ingenita.

6. Quinta ratio dubitandi. Quinta ratio dubitandi,& eſt argumentum Arrianorum, ſi ingenitum eſſet proprietas Patris, ſequeretur, quòd perſonæ differrent in natura; Probatur ſequela, quia natura in Patre exiſteret à ſe,& haberet exiſtentiam abſque omni origine, ergo vel eſt dicendum, quòd natura quæ eſt in Filio, eſt diuerſa à natura,quæ eſt in Patre, quia Filius non habet illam naturam exiſtentem à ſe, abſque omni origine;vel dicendum, quòd natura diuina in quocunque eſt,eſt abſque origine, ac proinde quælibet perſona eſſet ingenita.

His tamen non obſtantibus,ſit

7. Vnica concluſio. VNICA concluſio.Dicendum eſt,inter diuinas perſonas eſſe vnam improductam, ſeu ingenitam, quæ à nullo alio procedit, & quæ dicat negationem omnis originis.Hæc concluſio eſt de fide.

Prima ratio ex Conciliis & Patribus Côc.Tolet. Probatur ex Concil.Tolet. XI. in confeſſ.fid.vbi dicitur, perſonam Patris à nullo ducere originem, & ex Symbolo Athan.(Pater à nullo eſt factus, nec genitus;) & hoc modo etiam illum appellant Patres, Auguſt. lib. 5. de Trinit. & lib. 9. Baſil. lib. 1. contra Monim. quod quidem nomen ingenitum, vt docet Athan.epiſt.de ſynod. & Baſil. loco citato, ſignificat, aliunde non habere principium, hoc enim modo accipitur à prædictis Patribus, cùm dicunt Patrem ingenitum. (Auguſt. Baſil. Athanaſ.)

8. Secunda ratio fundamétalis Theologica. Secundò probatur, actiones productiuæ in Diuinis ſunt tantùm per intellectum & voluntatem; implicat autem, per has actiones primam perſonam Patris produci, non enim poteſt produci per intellectionem,quia id, quod producitur per intellectionem, producitur vt Verbum mentis, & eſt tantùm aſſimilatio, & imago ſui principij, ex ſuo igitur conceptu non eſt aſſimilatiuum alterius imaginis, ſed prima perſona quæ eſt Pater, eſt principium aſſimilatiuum, & exemplar, vt patet ad Coloſſenſes 1. & ad Hebr. 1. ergo prima perſona, quæ eſt Pater, non poteſt eſſe producta per intellectum.

Rurſus non poteſt Pater produci per voluntatem,quia quod producitur per voluntatem,neceſſariò eſt amor formaliter; at amor formaliter non poteſt eſſe prima perſona,nam prima perſona eſt,à qua procedunt aliæ perſonæ, vt ſupponitur; ſed amor formaliter non poteſt eſſe talis, quia amor formaliter ſupponit intellectionem & Verbum,ergo non poteſt eſſe prima perſona.

Tertiò probatur ratione fundamentali Philoſophica communiter recepta à Scholaſticis.In productione non poteſt eſſe proceſſus in infinitum, ergo deueniendum eſt ad aliquam primam, hæc autem non poteſt producere ſe ipſam, nec produci ab alia perſona producta, ergo datur vna perſona prima improducta. 9. Tertia ratio.

Sed contra hanc rationem philoſophicam fundamentalem, militant rationes dubitandi ſuperiùs allatæ initio quæſtionis.

Ad primam igitur rationem dubitandi reſpondetur, quòd in productione præſertim efficientis, repugnat,vt tenent Peripatetici cum Ariſt. 12. met. cap. 2. dari proceſſum in infinitum cauſarum efficientium;Ratio autem non eſt illa, quæ aſſignatur in ratione dubitandi,quia,ſcilicet,infinitum exhauriri non poteſt, nam ſupponimus cauſas efficientes per ſe ſubordinatas,non agere ſecundùm ſucceſſionem temporis, ſed ſimul;Sed ratio à priori eſt,quia tota collectio cauſarum efficientium,quæ in ſe ſunt determinatæ,Vel eſſet dependẽs in ſuo eſſe, & operari,ita vt in tota collectione nullũ ſit ens,quod non dependeat; Vel illa tota collectio eſſet independẽs, ita vt in tota collectione ſit aliquod indepẽdens. Si detur ſecundum, habetur intentum,quòd ſcilicet in tota collectione cauſarum etiam infinitarum, datur vna independens.Si primum,Contra,quia tota collectio eſt dependens,ergo iam ſupponit aliud à quo dependet; Vel ergo illud aliud eſt intra illam totam collectionem, vel extra; Si extrà, ergo non adæquatè accepta eſt tota collectio, quia non eſt accepta illa cauſa quæ eſt extrà; Si intrà, ergo falſum ſupponis, quòd tota collectio eſt dependens:& hæc quidem ratio videtur etiam aliquo modo militare in cauſis infinitis accidentaliter ſubordinatis,quamuis hoc negare videatur Ariſtoteles. 10. Reſponſio ad rationes dubitandi. Ad primam de proceſſu in infinitum in cauſis efficientibus. Ariſtot. Ariſt.

Quòd ſi dicas, non valet iſta forma argumentandi,quia in continuo nulla eſt pars, quæ non habeat minorem,& tamen non ſequitur, ergo omnes ſimul ſumptæ habent minorem, quia daretur aliqua omnium minima; ergo neque valet, quælibet cauſa eſt dependens in tota collectione infinita, ergo omnes ſunt dependentes. 11. Inſtantia.

Reſpondetur, eſſe diſparem rationem, quia in continuo datur confuſio, & non poteſt aſſignari vna determinata, quia quælibet habet partes infinitas, non autem eſſet hoc modo illa infinitudo cauſarum ſi daretur. Soluitur.

Sed quicquid ſit de iſta ratione philoſophica, cuius diſputatio non ſpectat ad hunc locum, dicimus adhuc peculiari ratione repugnare, quòd in proceſſione diuina procedatur in infinitum, quia cùm productio in Diuinis ſit per intellectum, & voluntatem, vt probatum eſt ſuprà, non poſſunt eſſe plures perſonæ productæ,quàm duæ, tanquam termini adæquati duarum productionum, quarum vna eſt per intellectum,altera per voluntatem.

Ad

Digitized by Google

12. Ad ſecundã rationem dubitandi. An aliquis poſſit producere, vel cõſeruare ſeipſum.

Ad ſecundam verò rationem dubitandi reſpondetur, non poſſe primam perſonam in diuinis producere ſeipſam. Probatur primò ratione philoſophica, quia hoc videtur repugnare in cauſis creatis, loquendo de vera, & reali productione; & ratio eſt, quia ad actionem præſupponitur eſſe, ergo non poteſt actio agentis eſſe cauſa ſui eſſe; & clariùs hoc patebit ex reſponſione ad tertiam rationem dubitandi.

13. Ad rationem verò in oppoſitum poſitam in ſecunda ratione dubitandi, reſpondetur eſſe diſparem rationem, quare actio poſſit eſſe ratio, à qua dependeat terminus productus, & terminum ipſum, vt rem modificatam, eſſe rationem, à qua dependet ipſa actio tanquam modus, & tamen non poſſit actio eſſe ratio, à qua dependeat ſua cauſa efficiens. Ratio inquam, diſparitatis eſt, quia actio dependet à cauſa ſua efficiente, vt ab aliquo præſuppoſito in eſſe, & ideo non poteſt cauſa efficiens, quæ ſimpliciter debet ſupponi ſecundùm eſſe ad actionem, fieri per ipſam actionem; at verò actio eſt ratio à qua pendet terminus, & quamuis pendeat etiam à termino, pendet tamen tanquam à conditione coëxigita, ſeu coniuncta ſimul cum ſuo eſſe, quia eſſe actionis habet ſuum eſſe ſimpliciter ex vi agentis; propter autem ſuam imperfectionem & limitationem exigit vt ſimul ſit cum ſuo effectu, ſeu termino, vnde fit, vt terminus non debeat ſecundùm ſuum eſſe, præſupponi in aliquo priori naturæ ad actionem, ſed potiùs ſit ſimul natura propter mutuam dependentiam: Vel potiùs dicendum, quòd quamuis actio dicatur prior natura, quàm terminus, non tamen terminus dicitur prior natura ipſa actione, quia actio dependet à termino tanquam à conditione coëxigita.

Sed quicquid ſit de iſta ratione naturali, de qua diſputare non eſt huius loci, dico tamen, ſpecialiter repugnare in diuinis, diuinam perſonam ſeipſam producere, quia implicat in Deo, Patrem producere ſeipſum, qui ſi produceret ſeipſum, deberet producere per actum immanentem intellectus, & voluntatis, non enim poteſt dari alia productio, ſeu emanatio in Diuinis, vt dictum eſt; ſed intellectio non poteſt ex ſua ratione formali habere alium terminum, quàm Verbum, nam intellectio nihil aliud eſt, quàm ſpecies expreſſa, quæ vt ſic, non poteſt habere pro termino, niſi Verbum, & volitio vt ſic, non poteſt alium habere terminum quàm amorem: ſed Pater, vt ſupponitur ex ſcripturis, neque eſt Verbum, neque amor; ergo Pater non poteſt producere ſeipſum.

14. Quæſitum.

Vnum hîc poſſet quæri, an cauſa creata poſſit conſeruare ſeipſam, & conſequenter Pater poſſit ſeipſum conſeruare. Aliqui graues recentiores tenent, quòd in cauſis creatis non implicat, cauſam ſeipſam conſeruare; Ego tamen exiſtimo implicare, in rebus creatis dari aliquod ens, quod ſeipſum conſeruet actione effectiua, quia vel in illa duratione, in qua conſeruatur à ſeipſo, ſupponitur etiam conſeruari ab alio, & hoc eſt impoſſibile, quia dependeret à duabus cauſis totalibus, quod implicat, quia actio effectiua in rebus creatis, vt effectiua, ex natura ſua eſt expletiua indigentiæ, quia quantùm eſt ex vi ipſius actionis, terminus de non eſſe tranſit ad eſſe, & conſeruatio, vt ſupponitur, non differt ab actione, niſi penes connotata, quatenus ſupponit rem actam, eſt tamen eiuſdem rationis, ita vt ſi non inueniret rem actam, ageret de nouo, cuius ſignum eſt, quòd amota cõſeruatione, res reducitur in nihilum; ſi ergo ex natura ſua eſt expletiua indigentiæ,

A non poteſt idem conſeruari à ſeipſo, & ab alio, duabus actionibus totalibus, quia iam per vnam actionem eſt expleta indigentia effectus; dicendum eſt igitur, quòd in illa duratione, in qua res conſeruat ſeipſam, à nullo alio conſeruatur, niſi à ſeipſa, & tunc redeunt eædem implicantiæ ſuprà allatæ, ac ſi res efficeret de nouo ſe ipſam, quia in illa duratione, qua res ſe ipsã cõſeruat, debet eſſe, & debet præſupponi, quatenus eſt conſeruans, in aliquo priori naturæ habere eſſe, quia actio ſupponit ſuum principium; ergo ſecundùm eandem entitatem realem, ſeu ſecundùm idem eſſe, eſſet prior, & poſterior, quod implicat; & præterea ſequerẽtur alia abſurda, quæ diximus ſuprà ſequi, ſi idem efficeret ſeipſum; B non poteſt igitur Pater in Diuinis conſeruare ſeipſum.

Sed quicquid ſit de hac ratione naturali, de qua eſt quæſtio inter Philoſophos, ſpecialiter probatur, quòd Pater in Diuinis non poteſt conſeruare ſeipſum, quia perfectio, & plenitudo exiſtentiæ, quæ præſupponitur in Patre, ante productionem aliarum perſonarum, debet intelligi, quòd ſit perfectiſſima, ita vt perfectior intelligi non poſſit: quod autem in Diuinis poteſt eſſe, neceſſariò eſt; ſed perfectior concipitur talis exiſtentia præſuppoſita in Patre, ſi ſit ſine vlla emanatione propria, & reali, ad ſe terminata, ex vi cuius ſit, ſeu conſeruetur, ergo hoc modo talis exiſtentia neceſſariò datur in Patre. 15.

16. Ad tertiam rationem dubitandi. An cauſa poſſit effici à ſuo effectu, ſaltem in diuerſo genere cauſæ. Scot.

Ad tertiam rationem dubitandi reſpondetur, eſſe C impoſſibile in cauſis efficientibus, cauſam efficienter effici à ſuo effectu, quia, vt dicit Scot. in 4. diſtinct. 49. quæſt. 2. & in theorem. 22. ſi cauſa efficiens dependeret efficienter à ſuo effectu, idem eſſet cauſa ſui ipſius, nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; ſed non poteſt idem dependere à ſeipſo, vt communiter admittitur, & ſuprà probatum eſt, ergo neque cauſa poteſt dependere à ſuo effectu efficienter.

Secundò probatur, quia alioquin ſequerẽtur tria abſurda; Primum, quòd idem ſimul, & ſub eadem ratione, & reſpectu eiuſdem, eſſet cauſa efficiens, & effectus: Secundum, quòd idem eſſet prius, & poſte- D rius, ſecundùm eandem omnino rationem realem, vnde ſequeretur, quòd eſſet, & non eſſet: Tertium abſurdum, quia ſequeretur, quòd cauſa priùs haberet eſſe virtuale, in quo contineret ſuum effectum, quàm ſuum eſſe formale.

Probantur hæc omnia tria abſurda. Primum, quia ſi cauſa penderet à ſuo effectu, penderet à ſua cauſalitate, ſaltem mediatè, quia effectus pendet à cauſalitate ſuæ cauſæ; ſicut igitur implicat, cauſam depẽdere à ſeipſa, vt ſuprà probatum eſt, quia ſua actio præſupponit exiſtẽtiam ſuæ cauſæ, ex eo enim quòd eſt prior actione, ſupponitur, quòd non ſit poſita in natura ex vi illius actionis; Eadem ratione implicat, quòd eſſe principij & cauſæ, pendeat à ſuo effe- E ctu, quia effectus debet etiam præſupponere eſſe ſuæ cauſæ totalis, quia ſi cauſalitas cauſæ, præſupponit exiſtentiam ſuæ cauſæ, ita pariter, & fortè multò magis, effectus præſupponit exiſtentiam ſuæ cauſæ, quia præſupponit ipſam cauſalitatem ſuæ cauſæ, tanquam rationem pendendi.

Probatur ſecundum abſurdum, quia cauſa totalis, & adæquata, debet præſupponi, & intelligi ante ſuum effectum, quæ præſuppoſitio in rebus creatis dicit prioritatem naturæ, in rebus verò increatis dicit prioritatem originis, & nihil aliud ſignificat hæc præſuppoſitio, quàm cauſam ſeu principium ſecundùm omnem eam entitatem, ſecundùm quam eſt principium, & cauſa à parte rei, eſſe tanquam

Digitized by Google

A
quam prius, à quo eſt aliud, tanquam quid poſterius, & ſuo modo dependens: ex quo ſequeretur quòd ſi cauſa totalis, & adæquata ſui effectus, dependeret à ſuo effectu, ſequeretur, inquam, quòd effectus eſſet quid poſterius, & cauſatus in entitate ſua ab illa ſua cauſa, & quòd ſecundùm eamdem rationem realem, quoad omnia ſcilicet intrinſeca, tanquam cauſa ſuæ cauſæ, præſupponeretur ſecundùm eſſe ad illam, & eſſet prior illa, & ſic eſſet prior, & poſterior reſpectu eiuſdem ſecundùm eamdem rationem realem, quoad omnia, ſcilicet, ſua intrinſeca, & eodem modo ſua cauſa ſecundùm eamdem rationem realem, eſſet cauſa, & cauſata, prior, & poſterior reſpectu eiuſdem, & rurſus ſequeretur, quòd cauſa eſſet, & non eſſet, quia vt cauſa, debet præſupponi ante exiſtentiam ſui effectus, & vt effectus ſui effectus, non haberet eſſe ante ſuum effectum, ſed poſt ſuum effectum, ergo ſecundùm eamdem omnino rationem realem eſſet, & non eſſet.

B
Probatur tertium abſurdum, quia vt cauſa, priùs deberet habere eſſe virtuale, in quo contineat ſuum effectum, quia effectus virtute continetur in cauſa, vnde ſequeretur, quòd eſſe virtuale haberet, ante ſuum eſſe formale; nam quatenus effectus, haberet eſſe formale à ſuo effectu, tanquam à cauſa. Et adhuc hoc idem magis probatur exemplo principiorum, & concluſionis; nam Ariſt. 1. poſt. cap. 3. habet pro abſurdo, & pro impoſſibili, dari circulum inter principia, & concluſiones, ita vt tota ratio aſſentiendi in principiis ſit claritas, & accidentia concluſionis, & tota ratio aſſentiendi concluſioni, ſit claritas, & accidentia principiorum; & reddit rationem, quia principia debent eſſe certò præcognita, ad hoc, vt ex vi illorum inferatur euidenter, & certò ipſa concluſio, non poteſt igitur cognitio euidens principiorum pendere ab euidentia concluſionis, tanquam à totali ratione aſſentiendi, quia ſimul eſſet principium præcognitum, & non præcognitum, antecedens & conſequens reſpectu eiuſdem, certius, & incertius ſeipſo, certius vt eſt antecedens, incertius vt eſt conſequens, quæ quidem implicant; pari igitur modo cauſa, & principium totale, & adæquatum alicuius rei in eſſendo, non poteſt pendere à ſuo effectu totali & adæquato, quia quatenus cauſa, debet præſupponi ante ſuum effectum, & quatenus eſt effectus ſui effectus, deberet eſſe poſterior ſuo effectu, & præterea ſequeretur, quòd cauſaret ſe ipſum, vt ſuprà oſtendimus.

Ariſtot.

C

17. Vtrùm cauſæ poſſint eſſe ſibi inuicem cauſæ in eodé genere cauſæ.

Et cùm inſtatur in hac tertia ratione dubitandi, quòd materia & forma ſe inuicem cauſant, &c. Reſpondent communiter Philoſophi, quòd non valet in diuerſo genere cauſandi illa propoſitio (cauſæ non poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ); Et hæc quidem reſponſio bona eſt, ſed non eſt adæquata, debet enim explicari, quare in eodem genere cauſæ non valeat illa propoſitio, valeat autem in diuerſo; Reſpondetur igitur, quòd illa propoſitio (cauſæ non poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ) generaliter, ſemper valet ſiue in eodem, ſiue in diuerſo genere cauſæ, quando cauſa habet eſſe præſuppoſitum in priori naturæ ad effectum, non poteſt enim tunc pendere à ſuo effectu, ita vt etiam effectus tanquam cauſa habeat eſſe præſuppoſitum ad eſſe ſuæ cauſæ, poteſt autem pendere à ſuo effectu, tanquam à conditione, & à poſteriori, quia tunc non debet habere ſuum eſſe præſuppoſitum ad eſſe ſuæ cauſæ, quare poteſt pendere forma à materia, tanquam à cauſa, quæ præſupponat ſuum eſſe ad eſſe formæ, & materia poteſt pendere à forma quoad eſſe, tanquam à conditione, & à poſteriori; Ita tenent recentiores Thomiſtæ; non autem tanquam à priori, ita vt materia exiſtat per eſſe formæ: ſic etiam finis eſt cauſa effectus, quia concurrit non ſecundùm eſſe præſuppoſitum reale, ſed ſecundùm eſſe apprehenſum, & dependet à ſuo effectu, ſecundùm eſſe reale; quia igitur in diuerſo genere cauſæ variatur cauſalitas, ideo dicitur, quòd in diuerſo genere cauſæ, poſſunt aliquando cauſæ eſſe ſibi inuicem cauſæ: at verò in genere cauſæ efficientis, ſi efficiens dependeret à ſuo effectu, cauſa efficiens haberet eſſe præſuppoſitum ad ſuum effectum, & effectus tanquam cauſa efficiens, deberet habere eſſe præſuppoſitum ad ſuam cauſam, quod implicat, vt probatum eſt.

D

E

Patet igitur ex reſponſione ad tertiam rationem dubitandi, quòd in diuinis implicat, eſſe mutuam productionem perſonarum, nam ſi vna perſona reciperet mutuò ſecundùm originem, ſuum eſſe ab alia, ſequerentur illa abſurda, quæ ſuprà poſuimus, quòd vna perſona cauſaret ſeipſam, ſaltem mediatè, & eſſet prior, & poſterior, ſecundùm eamdem rationem realem, & quòd vna tanquam principium, deberet habere ſuo modo eſſe virtuale, ante eſſe formale, non tamen implicat, ſi dicatur, quòd prima perſona producit ſecundã, & requirit illam tanquam terminum coëxigitum ſemotis imperfectionibus dependentiæ, quia tunc non reciperet eſſe à ſecunda perſona, ſed præſupponeret ſuum eſſe à ſe, & tantùm coëxigeret ſecundam perſonam, tanquam terminum ſimul natura; vnde non ſequerentur illa abſurda ſuprà poſita, quæ oriuntur ex totali dependentia; prima autem perſona coëxigeret eſſe ſimul cum ſecunda, non propter imperfectionem, ſed propter perfectionem, quia cùm conſtituatur per relationem originis, non poteſt eſſe ſine ſuo termino oppoſito; & præterea præter rationem allatam ex Philoſophia repugnat Theologicè, primam perſonam produci ab alia perſona, quia in diuinis productio non eſt niſi per intellectum, & voluntatem, ſed quod producitur per intellectum, eſt Verbum, & quod producitur per voluntatem, eſt amor, prima autem perſona, vt ſuprà probatum eſt, nec eſt Verbum, nec amor formaliter.

18. Ad quartam rationé dubitandi.

Ad quartam rationem dubitandi reſpondetur, quòd hic Deus, quatenus ſupponit pro indiuiduo Deitatis, non poteſt eſſe principium perſonæ; nam ſi eſſet principium perſonæ, diſtingueretur realiter à perſonis, nam vera productio realis dicit diſtinctionem realem: Ex hoc enim colligunt Theologi diſtinctionem realem inter perſonas.

Inſtantia.

Quòd ſi dicas, prima perſonalitas, quæ eſt paternitas, emanat ab eſſentia; ergo aliquo modo producitur ab eſſentia. Reſpondetur, quòd paternitas non emanat ab eſſentia, ita vt eſſentia verè producat paternitatem; ſed cùm dicitur à Theologis emanare, interpretandi ſunt per modum emanationis, ex eo, quòd ad eſſentiam neceſſariò conſequitur paternitas, tanquam prima perſonalitas, quatenus eſſentia diuina radicaliter fœcunda, petit paternitatem, tanquam primam perſonalitatem ſe concomitantem, à qua originentur aliæ perſonæ; ſicut à ſimili, vt dicemus infrà, intellectio concomitatur naturam diuinam in Deo, non autem verè, & realiter producitur à natura intellectiua, tanquam à principio elicitiuo, ſicut accidit in nobis.

Soluitur.

19. Ad quintam rationé dubitandi.

Ad quintã rationem dubitãdi reſpondetur, quòd naturæ diuinæ eſſentialiter conuenit, ſecundùm ſe exiſtere, abſque principio exiſtentiæ ſuæ, & cùm communicatur perſonis, non accipit exiſtentiam ſuam à perſona, à qua communicatur, ſed tantùm ab

Digitized by Google

ab illa habet vt conueniat perſonæ procedenti, ſeu vt ſubſiſtat in perſona procedente, ad quod ſatis eſt, vt ipſum eſſe perſonale ſit procedens, & quia prima perſona non habet hoc eſſe perſonale procedens, ideo dicitur prima perſona ingenita, ſeu carens omni origine perſonali, quod non poteſt competere aliis perſonis diuinis.

SECVNDA DVBITATIO.

An eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas, quæ eſt proprietas notionalis Patris, fundetur in relatione paternitatis.

1. NOTANDVM quòd hîc ſumitur ingenitum, prout dicit negationem omnis originis, ſicut accepimus in prima dubitat.

Prima ſententia. PRIMA ſententia tenet, radicem innaſcibilitatis non eſſe paternitatẽ. Pro hac ſẽtẽtia nullus citatur author, & ſi qui citantur, ſunt pro ſecunda ſẽtẽtia.

Primũ argumentũ pro prima ſentẽtia. Probatur primò, quia prima perſona priùs intelligitur eſſe, quàm generare, & conſequẽter priùs quã habere paternitatẽ; in illo igitur priori intelligitur prima perſona habere negationem omnis originis.

Secundũ argumentum. Secundò, innaſcibilitas, ſeu negatio originis, ex natura ſua non dicit fundari in paternitate, ſed potiùs in ratione abſoluta eſſentiæ, negatio enim omnis dependẽtiæ, fundatur ante paternitatẽ in eſſentia diuina, quæ eſt ratione diſtincta à paternitate; Et cõfirmatur, quia ſi daretur vna perſona in diuinis, illa eſſet ingenita, & tamen illa perſona non eſſet Pater.

Secũda ſententia. SECVNDA ſententia aſſerit, innaſcibilitatem fundari in perſonalitate primæ perſonæ; quatenus eſt fontale ſeu vniuerſale principium generationis, & ſpirationis. Hæc ſententia eſt Bonau. in 1. diſt. 28. q. 1. quem ſequuntur Dur. & Hiſpalenſis ibidem. (Bonauent. Dur Hiſpal.)

Probatur. Probatur, quia ex eo, quòd Pater eſt fontale & vniuerſale principium originis, bene infertur, quòd ſit innaſcibilis, & habeat negationem omnis originis perſonalis; ſi enim ab eo eſt omnis origo perſonalis, ergo ipſe carere debet omni origine perſonali.

2. Prima concluſio. PRIMA concluſio contra primam ſententiam. Eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas in prima perſona, non poteſt fundari, ſeu oriri ex aliqua proprietate abſoluta. Eſt communis Doctorum S. Thomæ 1. par. quæſt. 40. artic. 3. ad 3. vbi dicit, Patrem non conſtitui innaſcibilitate, ſed paternitate; quòd ſi innaſcibilitas eſſet aliqua ratio Diuina prior paternitate, per illam conſtitueretur: & in 1. diſt. 28. q. 1. ar. 1. & 2. dicit innaſcibilitatem fundari in ratione principij, & paternitatis; & hanc ſententiam tamquam Thomiſticam docet Capreol. ibidem artic. 2. (S. Thom. Capreol.)

Prima probatio. Probatur primò quia Pater non conſtituitur per rationem aliquam abſolutam, ergo non poteſt oriri ex aliqua ratione abſoluta. Antecedens probatur ex his quæ diximus in corollario 10. de conſtitutione perſonarum dubit. 2. quia ratio abſoluta non habet oppoſitionem originis, & conſequenter foret cõmunis omnibus aliis perſonis; tum quia peculiari ratione repugnat, primã perſonã cõſtitui per rationẽ abſolutã innaſcibilitatis, quia innaſcibilitas eſt negatio, debet ergo oriri ex aliqua ratione poſitiua.

3. Probatio ex Conciliis. Secundò probatur, quia in Concilio Florentino in literis vnionis dicitur, Patrem communicare Filio per generationem omnia quæ habet, præter eſſe Patrem; conſtat autem, non communicare eſſe ingenitum, ergo eſſe ingenitum non poteſt oriri ab aliqua ratione abſoluta.

Probatur tertiò, ex Concilio Toletano II. in confeſſione fidei, vbi habetur, perſonas habere vnitatem in omnibus vnionibus abſolutis, numerum

A enim, inquit, habent in eo, quod ad inuicem ſunt, non poteſt igitur innaſcibilitas oriri ex aliqua ratione, quæ eſt ad ſe, quia tunc eſſet communis omnibus perſonis, quod eſt falſum, & idem dicit Auguſtinus lib. 5. de Trinita. cap. 5. (Auguſt.)

SECVNDA concluſio contra ſecundam ſententiam. Innaſcibilitas non oritur ex relatione vniuerſalis & fontalis principij, quatenus, ſcilicet, Pater eſt principium generationis, & ſpirationis, ſed oritur præciſè ex paternitate. 4. Secunda cõcluſio.

Prima pars concluſionis probatur primò, quia prima perſona in illo priori, quando intellectus concipit Patrem, habet paternitatem, antequam concipiat habere ſpirationem actiuam, habet perfectionem exiſtendi à ſe, ergo in illo priori eſt innaſcibilis, ſeu habet negationem originis paſſiuæ. (Prima ratio.) B

Secundò probatur, quia relatio principij ſpirantis, non poteſt eſſe radix, neque integrare ſimul cum paternitate radicem innaſcibilitatis, quia poteſt ſtare ſimul cum oppoſito poſitiuo, cum origine, ſcilicet, paſſiua, reperitur enim relatio principij ſpirantis in Filio, qui quidem habet originem paſſiuam, radix autem negationis non poteſt ſtare ſimul cum poſitiuo oppoſito, vt patet inductione. 5. Secunda ratio.

Ex dictis patet ſecunda pars concluſionis, radicem innaſcibilitatis in prima perſona eſſe adæquatè ipſam paternitatem; ipſa enim paternitas quæ cõſtituit Patrem, à nullo eſt per originẽ, quare in ſe includit innaſcibilitatem, ſeu negationẽ omnis originis, tanquam rationem notionalem, ſeu rationẽ dignoſcendi ipſam primã perſonã à quacumque alia. 6. C

Ad argumenta primæ ſententiæ quæ ſunt contra primam concluſionem, reſpondetur ex dictis in decimo Coroll. de conſtitutione perſonarum, dubitatione ſecunda, vbi oſtendimus, primam perſonam non conſtitui per aliquam rationem abſolutam, ſed per paternitatem; & ad argumentum reſponſum eſt ibi, paternitatem in Diuinis, per ſuam infinitatem æquiualere relationi tranſcendentali, & prædicamentali, quatenus igitur æquiualet relationi tranſcendentali, conſtituit in primo ſigno primam perſonam, & facit illam fœcundam, & in ſecũdo ſigno, habet rationẽ originis actiuæ, & in tertio ſigno exercet munus relationis prędicamentalis, referendo Patrem ad Filium tanquam ad correlatiuũ. 7. Reſpõſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. D

Ad ſecundum reſpondetur concedendo, eſſe à ſe in eſſentia Diuina, fundari ante paternitatem, in ipſa ratione abſoluta eſſentiæ, negatur tamen hoc ſimiliter dicendum eſſe in prima perſona, quia prima perſona præter rationem abſolutam includit rationem relatiuam, & ſecundùm hanc prima perſona eſt innaſcibilis, & ingenita, ergo negatio originis perſonalis debet fundari in prima perſona in perſonalitate relatiua; hæc autem non poteſt eſſe ſpiratio actiua, tum quia paternitas eſt prior ſpiratione actiua, & in illo priori prima perſona eſt innaſcibilis; tum quia ſpiratio actiua, non pugnat cum poſitiuo oppoſito negationis omnis originis, vt dictum eſt; reperitur enim in Filio, in quo eſt ſimul origo paſſiua; fundari igitur debet in paternitate. 8. Ad ſecundũ. E

Ad confirmationem reſpondetur, quòd in illo caſu impoſſibili, innaſcibilitas oriretur ex perſonalitate abſoluta, quia dato vno impoſſibili, ſequitur conſequenter alterum; at verò ſuppoſito quòd prima perſona conſtituatur per relationem paternitatis, vt probatum eſt, dicendum eſt, innaſcibilitatem oriri in prima perſona ex paternitate. 9.

Alia quæ ſolent quæri de perſona Patris, non habent multam difficultatem, & paſſim habentur apud recentiores.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMA-QVARTA THEOLOGICA CIRCA DECIMVMQVARTVM COROLLARIVM,

De perſona Filij.

De materia huius Corollarij agit S.Thom. 1.part.quæſt.34. art.35.

Sunt in hoc Corollario tres dubitationes.

I. *Vtrùm Filius procedat per cognitionem omnium quæ ſunt in Deo.*
II. *Vtrùm eſſe genitum, ſit proprium Filij.*
III. *Vtrùm ratio imaginis, ſit propria Filij.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm Filius ſeu Verbum Diuinum, procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo.

1. IN Deo ſunt aliqua formaliter, aliqua A eminẽter: Formaliter ſũt attributa abſoluta, & proprietates perſonales, & actus liberi, quatenus actus liber dicit formaliter actũ illũ, quo Deus ſe vult, ſcit, ſe amat, cum terminatione tamen volẽdi ad extrinſecum obiectum; Eminenter verò in Deo ſunt creaturæ: Sunt autem ſecundùm triplicem ſtatum, vel ſecundùm eſſe poſſibile; vel ſecundùm eſſe conditionatum, quatenus Deus cognoſcendo, quòd ſi hæc vel illa conditio poneretur, illud, vel illud ſequeretur liberè à voluntate creat; avel tertiò ſecundùm eſſe actuale exiſtentiæ.

2. Prima ſententia. PRIMA ſententia eſt aliquorum recentiorum, aſſerentium Verbum procedere ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo ſiue formaliter, ſiue eminenter.

Fundamentum eſt, quia ſcientia diuina eſt ſimpliciſſima, & comprehenſiua omnium, ergo per illam procedit Filius.

Secundò, quia Verbum procedit vt repræſentatiuum; procedit autem etiam vt repræſentatiuum exiſtentium: Et hæc ratio videtur S. Thomæ in 1. part.quæſt.34.art.3.&.infrà quæſt.37.art.2.ad 3.

Anſel. Tertiò videtur ſententia Anſelmi in Monol. cap. 22. vbi dicit, Patrem eodem Verbo dicere ſe, & omnem creaturam, & videtur loqui de creaturis productis.

Secũda ſententia. SECVNDA ſententia aliorum recentiorum aſſerit, Verbum non procedere ex cognitione creaturarum exiſtentium, quia ſunt contingentes: Verbum autem procedit neceſſariò, procedere tamen inquit, ex cognitione omnium aliorum, quæ ſunt in Deo, ſiue formaliter, ſiue eminenter, etiam ex cognitione creaturarum, ſeu actuum liberorum conditionalium, quia ſcientia talium actuum eſt neceſſaria.

TERTIA ſententia tenet, Verbum non procedere, neque ex cognitione creaturarum actu exiſtentium, neque ex cognitione actuum contingentium conditionalium, quia huiuſmodi obiecta ſunt ſimpliciter contingentia, pendent enim à voluntate libera; procedere autem ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo formaliter, & omnium creaturarum poſſibilium. Tribuitur Ferrar.4. cont.gen. cap. 33.ad 1. Sed fortè Ferrar.eſt oppoſitæ opinionis. Eſt Gabr.in 1.diſtinct.2. quæſt.3. art.3. Caiet. quæſt.34. art. 3. & eſt communis Recentiorum. Citatur pro hac opinione S.Thomas hîc quæſt.34.art.3. vbi dicit, quòd Pater dicendo ſe, & omnia, producit Verbum. Tertia ſententia. Gabr. Caiet. S. Thom.

Fundamentum opinionis eſt, quia omnia hæc B ſunt obiecta neceſſaria, ergo Verbum non repugnat procedere ex cognitione horum obiectorum: quòd ſi non repugnat, de facto ita eſt in Diuinis, quia dicit perfectionem.

QVARTA ſententia aſſerit, Verbum non procedere ex cognitione creaturarum, nec etiam poſſibilium, ſed tantùm ex cognitione eorum, quæ ſunt formaliter in Deo, vt attributa & perſonæ. Ita Vaſques 1.part.ſuper quæſt.34. Quarta ſententia. Vaſq.

QVINTA ſententia eſt Scoti in 2.diſt. 1.& quodlib.14.vbi ait, Verbum non procedere ex cognitione alicuius creaturæ: & in 1.diſt.1.quæſt.1.ar.1.& 2. & quodlib. 14. ait Verbum procedere tantùm ex cognitione ſolius eſſentiæ, vbi videtur excludere, C non ſolùm cognitionem creaturarum, ſed etiam cognitionem attributorum, & perſonarum. Quinta ſententia. Scotus.

Fundamentum eſt, quia cognitio diuina terminatur priùs ad primarium obiectum, quod quidem eſt eſſentia diuina, vt dicit Scotus in 2.diſt. 1. loco citato; perſonæ autem non ſunt obiectum primarium, ſed ſecundarium, vt dicit Scotus in 1. diſt. 1. Præterea ſpecialiter probatur de perſonis, nam

Verbum, & Spiritus ſanctus, in illo priori ſigno; in quo concipimus produci ipſum Verbum, non exiſtant, ergo non poſſunt concurrere vt obiectum motiuum, ſeu tanquam ſpecies, ad productionem ipſius Verbi.

Reſolutio quæſtionis.

Pro deciſione huius quæſtionis notanda ſunt duo. Primum, quis ſit ſtatus controuerſiæ. Secundum, ponendum eſt vnum principium, ex quo reſoluitur tota quæſtio.

3. Notandum primò. Duplex ſenſus quæſtionis. Primus.

Quantùm ad primum, notandum eſt primò, ſtatum quæſtionis non eſſe, Vtrùm Verbum procedat ex cognitione omnium rerum quaſi materialiter, & identicè, id eſt per cognitionem in Patre, quæ ſit realiter cognitio omnium intelligibilium; certum eſt enim, quantùm ad hunc ſenſum quæſtionis, Verbum procedere ex cognitione reali Patris, quæ eſt ſimpliciſſima omnium rerum, etiam futurorum contingentium. Neque aliquis Theologorum huc-uſque de hoc dubitauit, quia cognitio Dei eſt ſimpliciſſima.

Secũdus ſenſus verior quæſtionis.

Secundus ſenſus quæſtionis eſt, Vtrùm Verbum procedat formaliter ex cognitione omnium rerum, vel earum ſolùm, quæ ſunt formaliter in Deo, ita vt ipſa obiecta cognita ſe habeant vt principium productionis: quando igitur dicitur Verbum procedere per cognitionem obiecti, particula (per) ſolùm ſignificat, cognitionem talis obiecti, eſſe originem & viam, per quam procedit Verbum: atque adeò quòd generatio Verbi intrinſecè, ac quidditatiuè ſit cognitio talis obiecti; & talem cognitionem dicimus eſſe viam & originem ad Verbum: & in hoc ſecundo ſenſu eſt ſtatus controuerſiæ.

4. Secundũ notabile. Fundamentum ex quo reſoluitur quæſtio.

Secundò notandum, quòd quantùm ad ſecundum, ſupponendum eſt hoc principium tanquam certum, & receptum ab omnibus Theologis, qui iuxta hunc ſecundum ſenſum examinant quæſtionem, vt examinanda eſt: Certum eſt, inquam, quòd tantam neceſſitatem debet habere hæc cognitio, quæ eſt via, & origo ad Verbum, quantam neceſſitatem habet ipſum Verbum productum; Et ratio eſt manifeſta, quia ipſa cognitio eſt via, & origo ad Verbum; tantam autem neceſſitatem habet perſona producta, quantam habet origo, & tantam habet origo, quantam habet cognitio, quia origo intrinſecè & quidditatiuè eſt ipſa cognitio obiecti. Et ex hoc principio oritur aliud, quòd cognitio comprehenſiua in Deo, per ſe & formaliter eſt illa, quæ eſt origo, & via ad Verbum; ſeu ad perſonam productam; cognitio verò aliarum rerum, quæ non ſunt origo, & via ad Verbum, quamuis identicè, & materialiter includatur in cognitione comprehenſiua, & quaſi accidentariè, non includitur tamen intrinſecè & per ſe.

His poſitis, ſit

5. Prima concluſio.

Prima concluſio. Certum eſt apud omnes Thelogos, Verbum procedere ex cognitione comprehenſiua omnium rerum, etiam futurorum contingentium, non quidem formaliter, ſed materialiter & identicè.

Patet ex primo notabili initiò: nec argumenta facta pro prima opinione probãt aliud. Quòd verò Verbum non procedat formaliter ex cognitione futurorum contingentium, probatur clarè ex principio poſito, quia cognitio rerum exiſtentium, non eſt tam neceſſaria, quàm productio Verbi: ſi enim Deus decreuiſſet nullam creaturam producere, adhuc Verbum eſſet productum adæquatè; ſicut modò eſt: non igitur Verbum procedit ex cognitione futurorum contingentium, tanquam ex cognitione formaliter, quæ ſit origo ad Verbum; neque ex cognitione comprehenſiua formaliter, & per ſe: neque authores primæ opinionis hoc negaſſent, ſi aduertiſſent ad ſecundum ſenſum quæſtionis, aduertêrunt autem tantùm ad primum.

Secunda concluſio. Verbum non procedit ex 6. Secunda cõcluſio.
cognitione actuum conditionalium contingentium contra ſecundam opinionem.

Probatur ex eodem principio poſito, quia cognitio horum actuum conditionalium, non eſt tam neceſſaria, quàm productio Verbi, non ergo poteſt eſſe quidditatiua origo ad Verbum. Conſequentia eſt manifeſta ex primo notabili circa finem. Antecedens probatur ex ſecundo notabili, quia huiuſmodi actus contingentes conditionales, poterant eſſe & non eſſe: quemadmodum enim Deus vidit per ſcientiam conditionatam, quòd ſi talis occaſio occurrat Petro, Petrus eſſet peccaturus, poterat videre Petrum non peccaturum, quia quòd Petrus peccaret, vel non peccaret, poſita occaſione, oriebatur ex libera voluntate Petri, ad quam ſubſequebatur ſcientia Dei; non enim quia Deus vidit, ideo Petrus eſt peccaturus: ſed quia eſt peccaturus vidit.

Tertia concluſio. Verbum non procedit ex 7. Tertia concluſio.
cognitione actuum liberorum, qui formaliter ſunt in Deo.

Probatur, talis cognitio non eſt origo ad Verbũ, ergo Verbũ non procedit formaliter ex tali cognitione; Conſequẽtia patet ex primo notabili circa finem; Antecedens probatur ex ſecundo notabili, quia cognitio actuum liberorũ duo includit, Primò includit ipſam entitatem actus, qua Deus vult ſe ipſum, & hæc eſt neceſſaria, & cognitio huius eſt origo ad Verbũ, vt dicemus. Secundò includitur, vt ſupponimus ex prima parte, terminatio illa extrinſeca ad res volitas, & hæc poterat non eſſe in Deo, non igitur eſt tam neceſſaria quàm origo Verbi, non ergo per talem cognitionem formaliter procedit Verbum, ſed materialiter tantùm & identicè.

Quarta concluſio contra tertiam ſententiam. Verbum non procedit ex cognitione rerum 8. Quarta cõcluſio.
poſſibilium vt poſſibilium.

Probatur ex eodẽ principio, quia creaturæ poſſibiles deberent habere eandem neceſſitatẽ, quam habet ipſum Verbum, quod producitur ex cognitione illarum, eſt enim talis cognitio, via & origo ad Verbum, vt dictum eſt in ſecũdo notabili. Sed huiuſmodi res poſſibiles non habent eandem neceſſitatem, quã habet Verbum, ergo, &c. Et hinc fit, vt cognitio harum rerum non includatur formaliter & per ſe in cognitione comprehenſiua Dei, ſed materialiter, & accidẽtariè, nam etiam ſi per impoſſibile non eſſent huiuſmodi creaturæ poſſibiles, adhuc ſcientia Dei, quã habet de ſeipſo, eſſet ita perfecta, ſicut modò eſt, quia intrinſecè haberet omnem perfectionẽ, tantùm enim extrinſecè terminatur ad creaturas poſſibiles, ſicut diximus extrinſecè etiã terminari ad creaturas vt futuras, quia alioqui ſequeretur, quòd Deus dependeret à creaturis; nam ſi intrinſecè terminaretur cognitio Dei ad creaturas poſſibiles, ſequeretur, quòd ſi per impoſſibile non eſſent creaturæ, non eſſet talis perfectio intrinſeca in Deo, diſtincta ratione à terminatione intrinſeca, quia terminatur ad Deum, dependeret igitur talis terminatio intrinſeca ad creaturas ab ipſis creaturis, quod quidem eſt impoſſibile, & magnã diceret in Deo imperfectionem: Quòd verò creaturæ poſſibiles non habeant tantam neceſſitatem quantam habet ipſe Deus, probatur, quia creaturæ poſſibiles dicunt dependentiam à Deo, ergo non poſſunt habere eandem neceſſitatem, quantam habet Deus. Eſt diſcurſus Ariſtotelis

Digitized by Google

ſtotelis 12.met. tex. 18. Probatur Antecedens, nam vel eſſentiæ creaturarum nullum habent eſſe actuale eſſentiæ reale, ſed tantùm habent eſſe in potentia cauſæ, vt tenent multi Scholaſtici cum Suario in Metaphyſ. & tunc ſecundùm hoc eſſe reale actuale eſſentiæ, dependent à Deo etiam, tamquam ab efficiente: vel eſſentiæ creaturarum habent eſſe actuale reale eſſentiæ ab æterno, vt tenent etiam multi Scholaſtici, & probabilem illam exiſtimat Capreolus, vt fusè oſtendimus in prædicamento Subſtantiæ in prima diſputatione quæſtione prima; & tunc eſſentiæ rerum ſaltem dependent à Deo in genere cauſæ exemplaris; ex quo ſequitur, quòd ſi per impoſſibile non eſſet Deus tamquam cauſa exemplaris, non eſſet hoc eſſe eſſentiæ actuale reale creaturarum, non tamen è conuerſo.

Quòd ſi dicas, quamuis creaturæ poſſibiles non habeant tantam neceſſitatem quantam habet Deus, habent tamen tantam, quantam habet Verbum, & hoc ſufficit, quia ſicut ſi per impoſſibile non eſſent creaturæ, adhuc eſſet Verbum, ita ſi non eſſet Verbum, adhuc eſſent creaturæ, quia creaturæ non ſunt à Verbo, vt Verbo, ſed à Deo, vt Deo. Et propter hoc argumentum aliqui graues recentiores tenent, eſſentias creaturarum vel dicere tantam neceſſitatem, quantam dicit Deus, vel ſaltem tantam, quantam dicit Verbum: Sed hoc nullo modo videtur dicendum, quia Verbum, ſeu perſonalitas Verbi formaliter ſumpta, vel quidditatiuè in ſuo conceptu includit Deitatem, vel ſaltem identificationem cum Deitate: & præterea perſonalitas Verbi ſecluſa Deitate, eſt perfectior intrinſeca relatiua Deitatis, quã ex infinitate requirit Deus; vnde ſi per impoſſibile careret hac perfectione intrinſeca; non eſſet Deus. Inde fit, quòd hæc conditionalis ſaltem mediatè ſit vera: Si Verbum non eſſet, eſſentiæ creaturarum non eſſent, quia non eſſet Deus: at verò hæc eſt falſa, Si eſſentiæ creaturarum non eſſent, non eſſet Verbum, quia nullo modo Verbum formaliter, quod eſt Deus, dependet à creaturis. Adde ad hominem, quòd maiorem neceſſitatem haberent creaturæ, quàm Verbum, quia ex opinione aduerſariorum ſequitur, quòd ſi non eſſent creaturæ, non eſſet Verbum, quia non eſſet cognitio creaturarum, quæ ſecundùm aduerſarios eſt intrinſeca via, & origo paſſiua ad verbum, ſed ſi non eſſet Verbum, eſſent adhuc ſecundùm aduerſarios creaturæ.

Anſelmus. Hæc concluſio eſt S. Anſelmi in monol. cap. 25. vbi ex profeſſo diſputat hanc quæſtionem, & tandem concludit cap. 33. & 34. Verbum non procedere ex creaturis, & loquitur expreſsè de creaturis poſſibilibus ſecundùm proprias rationes, non autem de creaturis futuris, quamquam alibi loquatur de creaturis vt futuris. Eſt etiam opinio S. Thomæ, quæſtione de veritate, art. 5. vbi docet, Verbum principaliter & quaſi per ſe referri ad Patrem, & ex conſequenti, & quaſi per accidens ad creaturas; & ad ſecundum dicit, Verbum non eſſe de creatura, id eſt, tamquam principio, ſed eſſe illius repræſentatiuum, tamquam obiecti. Et quamuis quæſt. 39. ar. 1. ad 3. & alibi, dicat S. Thomas, Verbum procedere ex cognitione omnium, intelligendus eſt de cognitione non formaliter, ſed materialiter, & identicè, nam etiam ibi S. Thomas includit cognitionem creaturarum futurarum, de qua eſt certum non concurrere formaliter ad productionem Verbi.

S.Thom.

9. CONTRA hanc quartam aſſertionem tenent graues Theologi ſuprà citati, ſupponunt autem ad probationem tria, quæ ſunt falſa.

Primũ ſup- Primùm ſupponunt tantam neceſſitatem habere creaturas poſſibiles ſecundùm eſſe poſſibile, quantam habet ipſe Deus, vel Verbum; nam, inquiunt, creaturæ poſſibiles important quandam perfectionem, & neceſſitatem conſiſtentem in quodam indiuiſibili, quòd ſcilicet non inuoluant contradictionem; nec poteſt aſſignari cauſa quare non inuoluant contradictionem; ſicut non poteſt aſſignari cauſa quare Chimæra inuoluat contradictionem: quare videtur par ratio eſſe & par neceſſitas, cur Deus ſit ens neceſſarium actu; & cur creaturæ ſunt neceſſariæ, quoad poſſibilitatem. Præterea, inquiunt; ſi ſumantur creaturæ poſſibiles ſecundùm denominationem extrinſecam ab omnipotentia Dei, tunc non erunt minùs neceſſariæ in ratione poſſibilitatis, quæ ſit ipſa potentia Dei in actu, quia ſi poſſibilitas creaturarum tolleretur, etiam tolleretur potentia à Deo. poſitum aduerſariorũ confutatur.

Sed hoc primum ſuppoſitum falſum eſt, nam quantùm ad primum de implicantia contradictionis, quamuis vtrumque, tam Deus ſecundùm actualem exiſtentiam, quàm creaturæ ſecundùm poſſibilitatem, non implicent contradictionem, tamen Deus perfectiori modo participat hanc rationem, quàm participet ens poſſibile; quia Deus habet quamdam rationem poſitiuam infinitè perfectionem, in qua fundatur iſta negatio, non implicantia ſcilicet contradictionis, quia ſi per impoſſibile non eſſet Deus, non eſſent creaturæ, vt dictum eſt ſuprà, non autem è conuerſo; & hoc modo Deus eſt prior natura, à quo non conuertitur ſubſiſtendi cõſequentia, per hypotheſim impoſſibilẽ; Ad illud verò, quod dicitur de poſſibilitate ſecundùm denominationem extrinſecam à potentia Dei, falſum ſupponit, quòd detur potentia Dei intrinſecè ordinata ad creaturas, ſed tantùm datur in Deo abſolutum, ſeu perfectio abſoluta extrinſecè terminata ad creaturas; eſt enim tantæ perfectionis Deus, vt ſi creaturæ dentur, poſſit illas producere, quam perfectionem ſemper habet, ſiue dentur creaturæ, ſiue per impoſſibile dari non poſſint, ſicut cognitio Dei eſt tantæ perfectionis, vt terminetur extrinſecè ad res futuras, ſi dentur; ſiue autem dentur, ſiue non dentur, ſemper ipſa habet eandem perfectionem.

Secundum ſupponit oppoſita opinio, quòd cognitio creaturarum poſſibilium in Deo, importat intrinſecam & realem perfectionem cognitionis, diſtinctam ratione à cognitione, qua Deus cognoſcit eſſentiam ſuam & perſonas. Ex quo ſuppoſito bene concludit, Verbum procedere ex cognitione talium poſſibilium, quia debet procedere ex cognitione illa, quæ in Deo importat intrinſecam, & realem perfectionem: ſed ſuppoſitum eſt falſum, quia vt dictum eſt, illa terminatio in cognitione Dei, quæ eſt ad creaturas poſſibiles, non eſt terminatio intrinſeca, ſed extrinſeca, ſicut eſt ad res futuras. 10. Secundum ſuppoſitum aduerſariorum confutatur.

Dices, per quam formam igitur Deus tendit ad cognoſcendas creaturas poſſibiles? Reſpondetur, per eandem, per quam tendit ad cognoſcendum ſe; ſicut per eamdem tendit ad cognoſcendum res futuras, & tamen nemo dicit, quòd terminatio ad res futuras, ſit intrinſeca in cognitione Dei, quia potuiſſet illa carere: nec mirum, quia cognitio Dei eſt infinita, ita vt nullo ſuperaddito intrinſeco, ſed tantùm poſito obiecto, ſeu termino, extrinſecè feratur ad illud: ſicut in doctrina Thomiſtica relatio paternitatis refertur ad ſecundum filium, nullo ſuperaddito intrinſecè.

Quòd ſi dicas, à quo determinatur intellectus Diuinus ad cognoſcendum creaturas, Reſpondetur, in

in cognitione poſſibilium determinatur ab ipſo termino, ſeu obiecto poſſibili, quia eſt neceſſarium; at verò in cognitione futurorum, determinatur ab ipſa Dei volitione efficaci, qua vult creare creaturas, qua ſuppoſita, neceſſariò fertur ad cognoſcendum futura.

11. Tertiũ ſuppoſitum adverſariorum confutatur. S. Thom. — Tertium ſupponit oppoſita opinio, cognitionem poſſibilium includi formaliter in cognitione comprehenſiua Dei, quia, inquit ex S. Thoma 1. contra gentes cap. 49. per cognitionem comprehenſiuam debent cognoſci omnia, quæ ſecundum naturam conueniunt Deo; ſed eſſe cauſam rerum, conuenit Deo ſecundùm naturam, ergo ad comprehenſionem ſui requiritur, vt cognoſcat omnia alia à ſe tanquam in cauſa. Ex quo ſuppoſito benè concludit, quòd Verbum procedat ex cognitione poſſibilium, quæ formaliter includitur in ſcientia comprehenſiua Dei.

Sed hoc ſuppoſitum eſt falſum, nam ad cognitionem comprehenſiuam Dei ſe habet non formaliter, ſed quaſi accidentariè cognitio poſſibilium; vt patet ex dictis: ſi enim per impoſſibile non eſſent hæc poſſibilia, adhuc cognitio Dei eſſet intrinſecè perfecta, vt modò eſt, quia nullam dicit intrinſecam dependentiam à creaturis; quia terminetur tantùm extrinſecè ad creaturas.

Et cùm inſtatur, cognoſcit ſe vt cauſam, quæ conuenit Deo vt Deo. Reſpondetur, cauſam reſpectiuam non eſſe in Deo, ſed tantùm perfectionem abſolutam, quæ eodem modo eſſet, etiam ſi per impoſſibile non darentur creaturæ poſſibiles; ſi igitur dantur creaturæ, eſt talis perfectio in Deo, vt illas cognoſcat, ſicut dicitur de creaturis futuris, ac propterea talis cognitio vt ſic extrinſecè terminata ad poſſibiles, non eſt perfectio ſimpliciter ſimplex intrinſeca in Deo, ſed ſupponit talem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, vt ſi dentur tales creaturæ, cognoſcantur; ſi verò per impoſſibile non dentur, nihil de intrinſeca perfectione amittatur in Deo, ſicut dicitur de cognitione creaturarum futurarum in ipſo Deo.

12. Quinta cõcluſio. — Qvinta concluſio. Verbum procedit ex cognitione Diuinæ eſſentiæ, & omnium attributorum. Hæc concluſio eſt certa apud illos Scholaſticos, qui tenent attributa eſſe de quidditate eſſentiæ diuinæ, quod eſt probabile, quia ratio exiſtendi à ſe in Deo, exigit omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices in ſui ratione conſtitutiua, cuiuſmodi ſunt attributa: quo poſito bene inferunt, Verbum debere procedere ex cognitione attributorum; nam cognitio ex qua procedit Verbum, eſt comprehenſiua, ergo & quidditatiua: Sed apud illos, qui tenent, attributa vel eſſe diſtincta ex natura rei ab eſſentia, vt Scotiſtæ, vel ſaltem non eſſe de quidditate naturæ diuinæ, vt tenent ſatis probabiliter aliqui Thomiſtæ, maiorem habent difficultatem in probanda concluſione.

13. Ratio à priori. — Probatur autem ſic à priori: In illo inſtanti, quando intelligitur natura diuina modificata per relationem paternitatis, intelligitur iam natura diuina affecta omnibus perfectionibus attributalibus, quia abſolutæ perfectiones præcedunt ſecundùm rationem perfectiones relatiuas, ergo in eo inſtanti, in quo Pater intelligit ſuam eſſentiam, iam habet præſentia omnia attributa, tanquam per ſe intelligibilia, vt exiſtentia obiecta, & quæ præterea tanquam ſpecies poſſunt mouere intellectum paternum ad cognitionem, etiam ſi teneatur, quòd eſſentia diuina moueat tanquam ſpecies ad ſui tantùm repræſentationem: ſed cognitio Patris neceſſariò debet eſſe fœcunda, cognitio igitur attributorum concurrit, tanquam via & origo ad productionem Verbi, & multò magis hoc eſt verum, ſi teneatur; quòd eſſentia Diuina ſit ſpecies ſui, & attributorum, quod quidem verius exiſtimo, vt mox oſtendemus.

Sexta concluſio. Verbum procedit per cognitionem primæ perſonæ, quæ eſt Pater. 14. Sexta concluſio. Ratio à priori.

Probatur à priori, propter tria: Primò, quia Verbum debet procedere per cognitionem comprehenſiuam: ſed cognitio primæ perſonæ includitur intrinſecè in cognitione comprehenſiua; nam in eo inſtanti, in quo Pater vt Pater, intelligit, ſupponitur exiſtentia Patris, & eſt obiectum per ſe intelligibile, ergo neceſſariò intelligitur, & poteſt mouere tanquam ſpecies intellectum paternum, etiamſi detur, quòd eſſentia diuina non ſufficeret tanquam ſpecies ad repræſentandum Patrem vt Patrem. Secundò, quia Filius eſt imago Patris, ſi ergo tantùm procederet per cognitionem eſſentiæ, & attributorum, tantùm illa per ſe primò repræſentarentur ex vi proceſſionis: non ergo repræſentaretur ex vi proceſſionis perſona Patris, ſed ex cõſequenti, quod tamen eſt abſurdum, quia non eſſet propriè & formaliter imago Patris, à quo procedit, vt dicitur ad Coloſſ. 1. & ad Hebr. 1. Tertiò, quia eſt realis perfectio in cognitione Patris, vt repræſentet ipſum Patrem, ergo.

Dubium ſolùm eſt, an procedat Verbum ex cognitione ſui, & ex cognitione Spiritus ſancti. Et ratio dubitandi, quia rationes, quas attulimus pro Patre, videntur militare in oppoſitum contra alias perſonas, non enim videtur, quòd in cognitione intuitiua Patris, includatur intrinſecè cognitio Filij, & Spiritus ſancti; nam in eo inſtanti ſeu ſigno originis, non ſupponitur Filius exiſtens, neque Spiritus ſanctus, non poteſt igitur cognitio paterna terminari ad alias perſonas intuitiuè, ſed potiùs abſtractiuè: neque poteſt Filius & Spiritus ſanctus in eo inſtanti ſeu ſigno originis, tanquam obiecta intelligibilia ſeu tanquam ſpecies, mouere intellectum paternum ad cognitionem ipſorum, quia non ſupponũtur exiſtere pro illo inſtanti: Præterea ceſſat alia ratio adducta pro Patre, quia Verbum non eſt propria imago ſui, vel Spiritus ſancti, ſed tantùm Patris, non ergo debet procedere per cognitionem aliarum perſonarum, quia ex vi proceſſionis non debet Verbum repræſentare illas, ſed tantùm ex conſequenti. 15. Dubium.

His tamen non obſtantibus, ſit

Septima concluſio. Dicendum eſt cum cõmuni Thomiſtarum, contra Scotum, Verbum procedere ex cognitione, tam ſui quàm Spiritus ſancti, ita vt talis cognitio ſit via & origo ad productionẽ Verbi. 16. Septima cõcluſio reſpõſiua ad dubium.

Probatur primò à priori. Verbum formaliter procedit per cognitionem paternam illorum obiectorum, quorum cognitio dicit perfectionem realem, & intrinſecam in cognitione Patris, vt dicitur in ſecundo notabili, quia alioqui non eſſet perfecta cognitio ex qua procedere debet Verbum: ſed cognitio aliarum perſonarum, eſt realis & intrinſeca cognitioni Patris, quia ſicut perſonalitates ſunt perfectiones reales & intrinſecæ in Deo, ita cognitio earumdem debet eſſe realis perfectio. Et confirmatur, quia non poteſt comprehenſiuè cognoſci Pater in ratione Patris, quin in eadem cognitione includatur cognitio Filij: non enim poteſt habitudo vnius relatiui perfectè cognoſci non cognito termino, ſeu correlatiuè; Ita etiam dicendum eſt de Spiritu ſancto, Prima ratio à priori.

ſancto, quia Pater non poteſt cognoſcere ſe ipſum perfectè, niſi ſe cognoſcat vt ſpirantem, quia de intrinſeca ratione talis paternitatis eſt, vt ſit ſpiratiua; debet ergo ad perfectam cognitionem paternitatis includentis ſpirationem, cognoſci terminus qui eſt Spiritus ſanctus.

17. Secunda ratio. Probatur ſecundò, quia Verbum procedit ex cognitione comprehenſiua diuinæ eſſentiæ; ſed diuina eſſentia non poteſt comprehendi, quin cognoſcatur vt communicabilis tribus ſuppoſitis, quia hoc eſt de quidditate eſſentiæ diuinæ, ergo, &c. præſertim cùm ſit de conceptu quidditatiuo eſſentiæ, habere ſibi identificatas perſonas, quamuis perſonæ ſint extra conceptum eſſentiæ.

18. Reſpōſio ad argumēta in oppoſitū cōtra hanc ſeprimam concluſionem. Ad primum. Neque rationes in oppoſitum adductæ, tum paulò ſuperiùs in hac eadem concluſione, tum in quinta ſententia, aliquid probant: Cùm enim dicitur, quòd perſonæ ſunt ſecundarium obiectum, non ergo includuntur in cognitione comprehenſiua primarij obiecti, quod eſt eſſentia diuina. Reſpondetur, quòd quando ſecundarium obiectum terminat habitudinem primarij obiecti, vt eſt in caſu noſtro, tunc cognitio ſecundarij obiecti includitur intrinſecè in cognitione comprehenſiua primarij.

19. Ad ſecundū. Cùm verò ſecundò arguitur, quòd Verbum & Spiritus ſanctus, non poſſunt cognoſci cognitione intuitiua, quia pro eodem inſtanti originis non ſunt. Reſpondetur, ad cognitionem intuitiuam ſufficere vt obiectum ſit in eodem inſtanti durationis, in quo cogonſcitur, quidquid ſit de prioritatibus ſignorum per intellectum.

20. Ad tertium. Cùm tertiò arguitur, Filius & Spiritus ſanctus non poſſunt in eo inſtanti, in quo concipitur Pater vt cognoſcens, mouere intellectum paternum tanquam ſpecies, quia non ſupponuntur in eo ſigno exiſtere. Reſpondetur, quòd ſufficit, vt eſſentia Diuina ſit principium motiuum ſui, & attributorum, & omnium perſonarum, quia eminenter continet omnia; hac enim ratione etiam dicimus eſſe ſpeciem creaturarum, vt omnes concedunt, quia eſſet imperfectio in Deo, mendicare ſpeciem à creaturis.

21. Ad quartū. Cùm arguitur quartò, quòd Verbum non eſt imago ſui, neque Spiritus ſancti, ſed ſi procederet per cognitionem ſui & Spiritus ſancti, tanquam viam & originem, eſſet propria imago ſui & Spiritus ſancti. Reſpondetur, quòd ad rationem imaginis requiritur, vt habeat originem ab illo cuius eſt imago, & ſit ad exemplar illius à quo exprimitur; ſed Verbum non procedit à ſe ipſo, neque à Spiritu ſancto, tanquam ab exemplari, ſed à Patre, vt dicetur infrà in Corollario 14. Et per hæc patet ad argumenta aliarum opinionum.

22. Ex dictis ſequitur, quòd neque Deus, vt Deus, habet relationem realem tranſcendentalem ad creaturas, quia dependeret aliquo modo à creaturis, neque Verbum, vt Verbum, habet rationem realem tranſcendentalem ad creaturas, quia non procedit ex cognitione illarum, tanquam per viam & originem, vt fusè diximus in primo Corollario. Qui verò tenent, procedere ex cognitione poſſibilium, tenent conſequenter, in Verbo eſſe realem reſpectum ad creaturas; aliqui verò negant, ſed non loquuntur conſequenter, vt Ferrarienſis, & alij, &c.

Ad argumenta aliarum opinionum patet reſponſio ex dictis in propriis concluſionibus.

***

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm eſſe genitum, ſit proprium ſolius Filij.

IN hac dubitatione, quæ celebris eſt inter Scholaſticos, ſunt duæ difficultates examinandæ. 1. Prima difficultas.

Prima, *Quæ conditiones requirantur ad veram & propriam generationem viuentis.*

Secunda, *An generatio competat ſoli Filio in Diuinis.*

Quatuor conditiones requiſitæ ad generationē propriā viuentis. Ariſt. QVANTVM ad primā difficultatem, nota, generationē apud philoſophos aliquando accipi cōmuniter, pro quacunque mutatione de non eſſe, ad eſſe, & iuxta hunc ſenſum accipitur ab Ariſt. 5. phyſ. Secundò accipitur propriè pro generatione viuentis, & hæc propriè dicitur natiuitas; hæc autem definitur à S. Thom. 1. part. quæſt. 27. artic. 2. quam definitionem ſumit ab Ariſt. partim 7. meta. cap. 8. part. 8. ethic. cap. 12. Generatio eſt proceſſio vel origo viuentis, à viuente, principio coniuncto, ſecundùm rationem ſimilitudinis, in ſimilitudinem naturæ; In qua definitione ſunt omnes conditiones requiſitæ ad generationem viuentis.

Prima conditio. Prima conditio eſt, vt ſit ab alio tanquam à principio actiuo.

Secunda cōditio. Secunda conditio, vt ſit viuentis à viuente, ad excludendum productionem omnium illarū rerum, quæ licèt ſint à viuente, non tamen ſunt viuentis, vt productio capillorum, & accidentiū, &c. Excluduntur etiam partes ipſius viuentis, quæ quamuis ſint viuentes, non tamen ſunt ſuppoſita viuentia.

2. Sed hic occurrit dubium, nam Verbum in humanis dicitur generari, & tamen Verbum neque eſt ſuppoſitum, neque viuens. Reſpondetur, propter hoc aliqui dicunt, nullo modo Verbum in humanis generari; alij verò concedunt, poſſe dici aliquo modo generari, quatenus fit ex vi ſimilitudinis intentionalis; ex imperfectione tamen producentis habet, quòd non producatur ſimile in natura, vnde in diuinis procedit ſimile in natura, & tanquam ſuppoſitum diſtinctum; quando autem hoc modo procedit res, quamuis non aſſimiletur in natura, propter impedimentum, poteſt dici aliquo modo generari, vt colligitur ex Ariſt. 7 m. cap. 8. hoc enim modo monſtra dicuntur generari, quia ex impedimento non producuntur ſimilia in natura, at verò productio capillorum, ex vi ſuæ productionis non habet, vt producantur ſimiles in natura. Ariſt.

3. Tertia conditio. Tertia conditio, vt ſit à principio coniuncto, quia generatio debet eſſe in ſubſtantia generantis, & de ſubſtantia ipſius; hoc autem modo producuntur viuentia à generante, præbente aliquid ſubſtantiæ ſuæ, incluſæ in ſubſtantia geniti, ex Ariſt. 8. ethic. cap. 12. per quam differentiam productio Euæ ex coſta Adæ, non dicitur generatio, quia quamuis facta ſit ex aliqua parte ſubſtantiæ Adæ, incluſa in ſubſtantia Euæ, non tamen Adam concurrit actiuè ſaltem ad præbendam materiam, & ideo non eſt facta Eua ex Adam, tanquam ex principio coniuncto. Dixi (ſaltem), quia quamuis dubium ſit inter philoſophos, an mater concurrat actiuè ad generationem filij, eſt tamen certum, quòd concurrat actiuè ad præbendam materiam.

4. Quarta & vltima conditio. Quarta & vltima conditio præcipua eſt, quòd hæc productio ſit ſecundùm rationem ſimilitudinis, quia generatio debet tendere ex vi ſuæ productionis, ſeu principij, in ſimilitudinem, ſaltem in ſpecie infima; quòd ſi tendat in ſimilitudinem etiam

indiuiduæ naturæ, eſt perfectiſſima generatio, per quam differentiam productio vermium, non poteſt dici generatio, quia quamuis fiant ex animali viuente, non tamen producuntur ſimiles in ſpecie infima, & hoc non eſt propter impedimentum, ſed eſt, quia ex vi productionis non producuntur ſimiles.

5. Primum dubium circa quartam conditionem. Canarienſis. Molina.

Dubitabis primò circa hanc vltimam conditionem, An ad perfectam generationem requiratur, vt ex vi ſua formali, & per ſe primò communicetur natura. Canarienſis hic & Molina artic. 2. & 3. diſp. 4. exiſtimãt, ſatis eſſe ad perfectam generationem, vt aliquam ſimilitudinem generatio communicet, ex vi ſua formali, dummodo eamdem naturam communicet ſaltem per identitatẽ, quamuis non cõmunicet ex vi ſua formali; V. gr. inquiunt, cùm intellectus in humanis producit verbum intelligendo ſe ipſum, ex vi productionis formalis, communicat ſimilitudinem ſui intentionaliter; Quòd ſi intellectus noſter haberet hanc vim, vt illud verbum identificet ſibi, tunc hoc verbum diceretur perfectè genitũ, quia ex vi generationis, quamuis formaliter, & per ſe primò non conferatur ſimilitudo in natura, ſed identicè tantùm, communicatur tamen ex vi formalis productionis aliqua ſimilitudo, ſcilicet, intentionalis, & ita dicunt contingere in Verbo perſonali in diuinis.

S. Thom. Simplicius. Themiſt. Auerr.

Sed dicendum eſt cum communi Philoſophorum, ad perfectam generationem requiri, vt ex vi formalis ipſius generationis communicetur natura. Probatur primò ex S. Thom. 7. Met. lect. 6. vbi dicit, quòd generatio naturalis eſt ad naturam, ſicut dealbatio ad albedinem, dealbatio autem formaliter tendit ad illam, ergo generatio formaliter debet tendere ad naturam. Probatur ſecundò auctoritate Simplicij 2. phyſ. com. 10. t. 15. & 18. Præterea ex Themiſtio 2. phyſ. & probat exemplo ſanationis ad ſanitatem, & calefactionis ad calorem, & Auerr. comm. 14. 2. phyſ. vbi affert rationem, ſicut calefactio, inquit, eſt caliditas diminuta, ita generatio eſt quaſi diminuta natura, quod eſt dicere, nihil aliud eſſe generationem niſi naturam in produci; ſed natura in produci tendit formaliter ad ipſam naturã in producto eſſe; ergo, &c. Probatur præterea ex Ariſtotele, & rationibus ipſius, 5. metaph. t. 5. & clariùs 2. phyſ. t. 14. vbi dicit, quòd generatio eſt via ad naturam, via autem primò, & formaliter, tendit in terminum, ergo generatio cùm ſit via formaliter, & per ſe, primò tendit ad naturam. Probatur præterea ex diſcrimine inter actionem, & paſſionem, nam actio principaliter eſt participatio ſui principij, quamuis non abſoluatur à termino, quia connotat illum; ſicut medicatio, inquit Ariſt. ibi, non ſumitur à ſanitate, quæ eſt terminus ad quem, ſed à medicina, ſignificatur enim ibi medicatio, vt exponit S. Thomas, per modum actionis, at verò generatio quæ ſignificatur per modum paſſionis, tanquam via ad terminum, formaliter ſpecificatur à termino, quia eſt tendentia ad terminum ad quem; eſt enim ipſemet terminus in fieri, terminus autem generationis viuentis, eſt ipſa natura, nam generatio viuentis dicitur propriè apud Græcos natiuitas, cui correſpondet Latinè genitura, vt dicit S. Thom. eſt autem genitura generatio naturæ. Probatur præterea, quia finis generantis media generatione eſt, producere ſibi ſimile ad conſeruationem naturæ, ergo generatio quantùm eſt ex ſe, formaliter tendit, ad producendum indiuiduum eiuſdem naturæ.

6. Dubium ſecundum.

Dubitabis ſecundò circa eandem vltimam concluſionem, An ſimilitudo in proprietatibus indiuidualibus pertineat ad perfectam generationem; Videtur autem pertinere ex Ariſt. lib. 4. de generatione animalium cap. 3. vbi dicit, non ſolùm hominem, ſed etiam talẽ hominem, vt Socratem, cõcurrere ad generationem; ergo ad generationem requiritur ſimilitudo, non ſolùm in natura, ſed etiam in tali natura; vnde Ariſt. dixit, filium qui non eſt, nec naſcitur ſimilis patri, eſſe aliquod monſtrum. Ad quam ſententiam videtur accedere, Philoſophus 4. de generatione animalium cap. 3. Albertus 18. de animalibus.

Ariſt. Ariſt. Albertus.

Sed dicendum eſt cum communi, non requiri neceſſariò ad generationem ſimpliciter iſtam ſimilitudinem indiuidualem & accidentalem, ſed tantùm ad conſummatam perfectionem generationis. Probatur primò, quia hæc ſimilitudo eſt accidentalis, & non per ſe primò, & formaliter intenta à generante, ergo ex vi generationis ſimpliciter ſumptę, non tenditur ad illam ſimilitudinem. Eſt communis omnium Scholaſticorum in 1. d. 4. & D. Thomę in hac quæſtione, & infrà quæſt. 33. art. 2. ad 4. & hoc modo interpretandi ſunt Philoſophus, & Albertus citati in oppoſitum. Et confirmatur, quia ſæpè filij non naſcuntur ſimiles parentibus, nemo tamen dicit illum non eſſe propriè filium; & de conſummata generatione intelligendus eſt Ariſt. citatus, vt patet ex eodem loco allegato.

D. Thom.

7. Tertium dubium.

Dubitabis tertiò circa eandem concluſionem, An ſaltem ad perfectam generationem requiratur perfecta ſimilitudo, ſaltem ſpecifica inter generans, & genitum. Aliqui tenent quòd ſic, & adeò firmiter hoc tenuerunt Platonici, vt dicerent mulum eſſe verè genitum, quia quamuis non producatur ſecundum ſimilitudinem ſpecificam equi generantis, generatur tamen ad ſimilitudinem muli, tanquam ſpeciei ſeparatæ, & exemplaris. Et probari poteſt, quia generare ſibi ſimile, eſt finis generantis, ergo etiam finis generationis. Secundò ex Ariſtotele qui 7. Meta. c. 28. aſſerit, quòd quando aliquis generatur, non in ſimilitudinem ſpecificam cum generante, eſſe generationem innaturalem.

Ariſt.

Dicendum tamen, non requiri ad generationem ſimpliciter, vt genitum producatur in ſimilitudinem eiuſdem naturæ ſpecificæ, ſed ſufficere, vt quãtùm eſt ex vi principij, à quo procedit, tendat ipſa generatio ad producendum terminum ſimilem, in ſpecie infima, ita vt verè produceretur terminus ſimilis, ex vi illius generationis, niſi occurreret aliqua cauſa præternaturalis, impediens ſimilitudinem, vnde natiuitas muli eſt propriè generatio, vt patet ex his quæ dicit Ariſt. 7. Met. loco cit. vbi dicit, genitum eſſe ſimilem generanti, niſi aliquid præter naturã contingat. Ex quibus verbis colligitur, quòd natiuitas muli, eſt vera generatio, quia quantùm eſt ex vi generationis, procederet mulus ſimilis equo generanti, niſi eſſet aliqua cauſa impeditiua; eſt autẽ cauſa impeditiua, quia coniunguntur duæ virtutes ſeminales diuerſæ, maris, & fœminæ, equæ ſcilicet, & aſini, & vtraque virtus conatur producere ſibi ſimile, & vtraque impeditur à concurſu alterius, atque adeò reſultat miſtum medium.

Ad Ariſt. citatum in oppoſitum, patet ex dictis, imò potiùs fauet huic opinioni communi. Ad rationem reſpondetur, quòd finis generantis eſt producere ſibi ſimile, quantùm ex vi generationis, & hoc per illam conatur, ſed impeditur, & ideò non tollitur ratio generationis ſimpliciter, quia hoc impedimentũ ſe habet accidentaliter ad vim generationis, quę formaliter tendit quantùm eſt ex ſe, ad ſimile.

Dubitabis

8\. Dubitabis quartò, An ad generationem requiratur, vt genitum producatur habens virtutem etiam productiuam; Riccardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 8. Maior in 1. diſt. 13. quæſt. 2. Alenſis 1. parte quæſt. 41. membro 2. & 3. exiſtimant requiri ad veram generationem, vt genitum producatur in virtute productiua, & hoc ſignificare illud, quod dicũt Philoſophi, genitum procedere in ſimilitudinem naturæ, ex quo deducunt, Spiritum ſanctum non eſſe genitum, quia nõ habet vim productiuam.

Quartũ dubium circa eamdẽ quartam conditionem. Riccard. Maior. Alenſ.

Sed dicendum eſt, quòd hoc ex vi generationis non requiritur, nam ſi requireretur, potiùs requireretur vt producatur cum eadem virtute generatiua, vnde, nec ſecunda perſona in diuinis, eſſet Filius ſeu genitum, quia non habet virtutem generatiuam; Quòd verò hoc potiùs eſſet dicendum, probatur, quia non alia ratione genitum debet produci cum virtute productiua, quia producitur in ſimilitudinem eiuſdem naturæ; ſed hinc ſequeretur, quòd debeat habere eandem virtutem generatiuam, ac generans, ſi deberet produci cum virtute productiua. Quòd verò hoc produci, ſcilicet cum eadem virtute, non pertineat ad virtutem intrinſecam generationis, probatur, quia ſi per impoſſibile non poſſent eſſe niſi quatuor homines, tertius verè generaret quartum, qui diceretur filius, & genitus, & tamen non generaret, nam videtur accidere generationi, quòd non poſſit generare, quia non datur vlteriùs generabile.

9\. Dubitabis quintò, An ad veram generationem requiratur, vt genitum procedat cum ratione imaginis. Canar. ſuprà citatus tenet quod ſic. Ratio poteſt eſſe, quia genitum debet præcedere in ſimilitudinem naturæ; ergo vt imago. Et confirmatur ex S. Thoma 4. contra gentes cap. 12. vbi dicit, Verbum eſſe Filium in diuinis, quia procedit in eadem natura, tamquam imago Patris. Et ſecundò confirmari poteſt, quia adeò eſt naturale, vt genitum præcedat vt imago generantis, vt Ariſt. 4. de Generatione animalium cap. 3. dixerit, qui ſuis parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodo eſt, cœpitque degenerare.

Quintũ dubium circa eamdẽ quartam conditionem. Canar.

Sed cum communi dicendum eſt, hoc non requiri ad veram generationem. Pro quo eſt notandum, eſſe differentiam inter ſimilitudinem, & imaginem, nam ſupra ſimilitudinem addit imago, quòd fiat per imitationem, ac conſequenter, quòd fiat per intellectum, ex vi enim ſuæ productionis ordinatur ad repræſentandum ſuum generans, ducendo in cognitionem ſui generantis; hoc autem non conuenit omnibus viuentibus, nam generatio plantarum, aut brutorum, non fit per intellectum, ad imitationem alterius, nec ordinatur in cognitionem principij producentis, ſed in conſeruationem ſpeciei; imò poteſt eſſe, vt dictum eſt ſuprà; vera generatio, etiam ſi non procedat cum ratione ſimilitudinis in natura, dummodo procedat ex vi ſimilitudinis, ſicut diximus de mulo.

Ad rationem Canarienſis quæ eſt in oppoſitum, patet reſponſio ex dictis. Ad confirmationem primam ex S. Thoma, reſpondetur non dixiſſe S. Thomam ibi, hanc conditionem requiri ad veram generationem, ſed potiùs dixit, Spiritum ſanctum non eſſe genitum, quia ex vi ſuæ generationis non procedit ſimilis. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, non requiri ad generationem eſſentialem, vt filius naſcatur ſimilis patri, repræſentando patrem; ſed requiritur tantùm ad accidentariam generationem.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An generatio, ſeu eſſe genitum, competat ſolì Filio in Diuinis?

1\. PRÆMISSIS conditionibus, quæ requiruntur ad propriam generationem viuentis, facilè patet aditus ad reſolutionem huius difficultatis.

PRIMA concluſio. Certum eſt de fide, ſecundam perſonam eſſe verè genitam, & verum Filium.

Probatur primò ex Scripturis. Primus locus eſt Pſalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; qui locus literaliter intelligitur de æterna generatione Verbi: Ita enim hunc locum exponit Paulus ad Hebræos: ita etiam eumdem locum interpretantur communiter Patres, Beda, Anſelmus, Theophylactus, in locum Pauli, Athanaſ. epiſt. de decreto Synodi, Auguſt. & alij in eumdem locum pſalmi. Nec obſtat, quòd Auguſt. & Theodoretus exponant hũc locum de incarnatione vel reſurrectione Chriſti, quia plures ſenſus literales poſſunt eſſe eiuſdem loci.

Prima probatio ex Scripturis. Primus locus. Pſal. 2. Beda Anſel. Theophyl. Athan. Auguſt. Theodor.

Secundus locus eſt Pſalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*; quem locum communiter Patres exponunt de æterna generatione Verbi. Hieron. in hunc locum, Athanaſ. lib. de vnitate ſanctiſſimæ Trinitatis, Irenæus lib. 2. cap. 48. & alij communiter. Notandum eſt illud Verbum, *ex vtero*; per vterum enim ſignificatur propria & vera generatio.

Secundus locus. Pſal. 109. Hieronym. Athanaſ. Irenæus.

Tertius locus eſt Iſaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quem locum de æterna generatione Verbi interpretatur Clemens Papa epiſtola 10. Iuſtinus Dialog. cum Tryph. Alexand. lib. 2. de Trinit. cap. 5. Chryſoſt. homil. 2. in Matth. & alij in eumdem locum Iſaiæ, quamuis eumdem locum alij interpretentur de temporali Chriſti generatione; ſed nihil obſtat quin ſint duo ſenſus literales.

Tertius locus. Iſai. 53. Clemẽs Papa. Iuſtin. Alexand. Chryſoſt.

Quartus locus eſt Pſalm. 71. *Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante Solem permanet nomen eius*; Hebraicè habetur, *ante Solem filiabitur nomen eius*, vt eſt videre apud Genebrardum.

Quartus locus. Pſal. 71. Genebrard.

Quintus locus clarior eſt Ioan. 1. vbi habetur quòd ſit *Filius*, & quòd ſit *Vnigenitus*.

Quintus locus. Ioan. 1.

2\. Probatur ſecundò præterea ex Conciliis Niceno I. Conſtantinopolitano I. Epheſino I. Toletano I. & VI. in confeſſionibus fidei, & in ſymbolo Athanaſij.

Secũda probatio ex cõciliis. Nice. Cõſtãtinop. Tole.

Probatur tertiò ex Patribus, præſertim Athanaſio epiſt. 2. de Spiritu ſancto ad Serapionem Epiſcopum. Baſilio lib. 3. contra Eunomium. Damaſceno lib. 1. de fide cap. 5.

Tertia probatio ex Patribus. Athã. Baſil. Damaſc.

3\. Quartò probatur, quia generatio Verbi, habet omnes conditiones requiſitas ad veram generationem viuentis, poſitas in prima difficultate, eſt enim primò proceſſio ſuppoſiti viuentis à viuẽte, Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam à ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam ex ſemetipſo*; quem locum de æterna generatione exponit Auguſt. tractat. 22. in Ioannem, & Chryſoſt. hom. 38. Præterea ſecundò generatio Verbi eſt à Patre, tamquam à principio coniuncto; Tertiò habet eamdem numero naturam, ad Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet*; vbi *forma* accipitur pro eſſentia & natura Diuina communiter à Patribus; Ita Auguſtinus 2. contra Maximinum cap. 5. Ambroſ. epiſtol. 47. Hieron. in caput 1. ad Titum. Hilar. in Pſal. 138. & alij. Probatur etiam ex illo loco Pſalmi, *Ex vtero ante luciferum*, &c. ibi per vterum ſignificatur,

Quarta probatio ex cõditionibus requiſitis ad veram generationẽ. Matth. 16. Ioan. 5. Auguſt. Chryſoſt. Philip. 2. Aug. Ambr. Hier. Hilar.

quòd Filius procedat ex ſubſtantia Patris, & ex eo tamquam ex principio productiuo. Præterea quartò procedit ex vi proceſſionis, ſecundùm ſimilitudinem naturæ, quia procedit vt *Verbum*, Ioan. 1. (Ioan. 1.) Verbum autem eſt repræſentatio intentionalis; & Sap. 7. (Sap. 7.) *Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula claritatis Dei, & imago bonitatis illius*; ſicut enim in ſpeculo homo ſeipſum intuetur per reflexionem ſpecierum; ita Pater videt ſeipſum in Verbo, tamquam in termino producto, & ideo dicit Chriſtus, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*; Præterea hæc ſimilitudo non ſolùm eſt intentionalis, ſed eſt in natura, vt patet ex locis ſuprà citatis, præſertim ad Philipp. 2. quod meliùs explicabitur in ſecunda concluſione.

4. Secunda cōcluſio. SECVNDA concluſio. Certum eſt de fide, Spiritum ſanctum, qui procedit per voluntatem, non eſſe genitum.

Ioan 1. & 3. Probatur Ioan. 1. & 3. vbi dicitur *Filius vnigenitus*; & in ſymbolo Apoſtolorum dicitur (Filius vnicus,) & in ſymbolo Athanaſij (Athanaſ.) dicitur quòd (Spiritus ſanctus non eſt genitus.) & ita etiam communiter dicunt Patres, præſertim Baſilius cōtra Eunomium.

5. Punctus difficultatis. Cur Spiritus ſanctus non dicitur genitus, ſed ſolus Filius, ratio dubitandi ex Macedonio hęretico. S. Thom. Quod autem controuertitur inter Scholaſticos, eſt, quare Filius dicatur genitus, & non Spiritus ſanctus; Et ratio dubitandi eſt illa Macedonij, quam proponit S. Thomas 1. part. quæſt. 27. artic. 4. in primo argumento, quia proceſſio Spiritus ſancti habet omnes conditiones requiſitas, quas ſuprà attulimus in prima difficultate, ad veram generationem viuentis; eſt enim origo viuentis à viuente, à principio coniuncto, ſecundùm rationem ſimilitudinis; Et confirmatur, quia, ſicut intellectus Diuinus ex eo, quia diuinus eſt, & increatus, tendit in ſimilitudinem in natura: ita etiam diuina voluntas tendit in ſimilitudinem naturæ, quatenus diuina & increata eſt, ergo eius actio non minùs eſt generatio, quàm actio intellectus.

6. Primus modus reſpondendi. Mag. Marſi. Arimi. Aug. Primus modus reſpondendi eſt Magiſtri, Marſilij, & Ariminenſis in 1. diſtin. 13. aſſerentium, non poſſe huius rei in hac vita reddi rationem, ſed captiuandum eſſe intellectum in obſequium fidei, vt circa hanc materiam docet Auguſt. lib. 3. contra Maximinum. Et hic quidem modus reſpondendi eſt laudabilis, in abditiſſimis myſteriis noſtræ fidei; conandum tamen eſt, cùm fieri poteſt, adinuenire contra hæreticos rationem, vnde ipſemet Auguſtinus (Auguſt.), qui contra Maximinum dixerat, non poſſe huius rei reddi rationem, conatur tamen lib. 9. de Trinita. cap. vltimo, & libro 15. cap. 26. reddere huius rei rationem.

7. Secundus modus reſpondendi. Scotus. Secundus modus reſpondendi eſt Scoti, in 1. diſt. 13. quæſt. 1. §. ad quæſtionem. aſſerentis, quòd in diuinis vna proceſſio ſit generatio, altera ſpiratio, proueniēs ex diuerſitate proceſſionum, quæ ſe ipſis ſunt diuerſæ in ratione formali proceſſionis; Idem dixit Ægid. (Ægid.) ibidem artic. 2. proceſſio enim, inquit, ſecundæ perſonæ eſt generatio, quia tendit ad terminum, qui eſt Filius, ad quem non tendit proceſſio Spiritus ſancti.

Sed iſte modus reſpondendi cōfutatur, quia aliquo modo videtur petere principium, nam deberet aſſignari ratio, quare proceſſus Spiritus ſancti, cùm ſit viuentis à viuente, & à principio coniuncto in ſimilitudinem ſeu identitatem naturæ, non ſit generatio, ſicut proceſſio ſecundæ perſonæ.

8. Tertius modus reſpondendi. Canar. Tertius modus reſpondēdi eſt Canarienſis 1. par. quæſt. 27. artic. 2. part. 4. aſſerentis, Filium dici genitum, & non Spiritum ſanctum, quia Filius procedit vt imago Patris & Filij; Spiritus autem ſanctus procedit vt nexus Patris & Filij. Quòd autem Filius procedat vt imago, & non Spiritus ſanctus, probatur ex Patribus, præſertim Auguſtino lib. 83. quæſtionum quæſt. 4. & ex S. Tho. quæſt. 35. artic. 1. quia imago debet procedere vt repræſentatiua; & per imitationem, vt docet Ariſt. 6. topic. cap. 1. & Auguſt. lib. 83. quæſtionum q. 74. huiuſmodi autem proceſſio non poteſt eſſe niſi per intellectionem, per quam repræſentetur exemplar, ad cuius imitationem fiat productum repræſentatiuum ſui exemplaris; at Spiritus ſanctus non procedit per intellectum, ergo non poteſt procedere vt imago.

Sed hic modus reſpondendi confutatur, quia ex dictis ſuprà in prima difficultate, circa quartam conditionem, ad veram & propriam generationem non requiritur, vt genitum procedat vt imago, nam generatio plantarum & brutorum, eſt vera generatio, & tamen non eſt per intellectum, neque ordinatur ad repræſentandum generantem, ſed potiùs ad conſeruandam ſpeciem.

Quartus modus reſpondendi eſt aſſerentium, proceſſionem tertiæ perſonæ non eſſe generationem, quia eſt à duobus quaſi diſtinctis ſpecie, à Patre, ſcilicet, & Filio, cùm tamen generatio debeat eſſe ab vno; eſt enim origo viuentis à viuente. 9. Quartus modus reſpondendi.

Sed hic modus confutatur, quia mulus procedit à duobus principiis diuerſis ſpecie, & tamen eſt verè genitus, vt ſuprà oſtenſum eſt in prima difficultate, tum quia Spiritus eſt à duobus ſuppoſitis, tanquam ab vno principio, per vnam virtutem, & vnum actum ſpirandi.

Quintus modus eſt Riccardi de ſancto Victore lib. 6. de Trinita. cap. 8. & Maioris in 1. diſtinct. 13. quæſt. 1. aſſerentium, Spiritum ſanctum non dici genitum, quia non procedit cum potentia producendi aliam perſonam, ac propterea non procedit vt ſimilis ſui producenti, habenti illam potentiam. 10. Quintus modus reſpondendi. Riccard. Maior. Sed neque hic modus placet, non enim requiritur hæc conditio, vt oſtenſum eſt ſuprà, in prima difficultate; ſi enim hæc conditio requireretur, potiùs requireretur, vt genitum producatur cum virtute generandi idem ſimile, ad hoc, vt ſit ſimile ſuo producenti, quod neque competit Filio in Diuinis, non enim generat Spiritum ſanctum, ſed ſpirat.

Sextus modus eſt Caietani, quia idem, inquit, ſunt eſſe Patris, & eſſe Verbi, ex vi proceſſionis, non autem idem ſunt ex vi proceſſionis formaliter, eſſe Patris, & eſſe Spiritus ſancti, ergo ex vi proceſſionis, rectè ſecunda perſona dicitur genita, & non tertia. 11. Sextus modus reſpondendi. Caiet. Conſequentia eſt manifeſta; Antecedens probat ex S. Thom. 4. contra gentes cap. 11. vbi docet, (S. Thom.) quòd intelligere, & intelligi, ſunt idem eſſe; ſed eſſe Patris eſt intelligere, eſſe Verbi eſt intelligi, ergo eſſe Patris, & eſſe Filij, ſunt idem eſſe. Quòd verò ſint idem eſſe formaliter, ex vi proceſſionis, probat, quia intelligi denominatur formaliter per intellectionem, quæ quidem intellectio, quamuis nihil ponat in obiecto extrinſeco, denominatur enim intelligi per intellectionem, quæ eſt in intelligente, in re tamen intrinſeca intellecta, quæ eſt Verbum, ponit aliquid intrinſecum, exiſtimat enim Caiet. quòd in humanis per idem eſſe intellectionis, exiſtat intellectio, & ipſum Verbum, quamuis realiter inter ſe diſtinguantur, ſicut per idem eſſe, inquit, exiſtunt materia, & forma, & compoſitum.

Sed hic modus reſpondendi ſupponit duo falſa: Primum, quòd in humanis per idem eſſe exiſtat intellectio, & Verbum, quod quidem falſum eſt, nam ſi diſtinguuntur realiter, non poſſunt exiſtere per idem

idem eſſe; & eadem facilitate negatur exemplum, quod adducitur de materia & forma, & compoſito, non enim eſt verú, quòd per vnum & idem ſimplex eſſe, exiſtat materia & forma, vt ſupponimus ex philoſophia. Secundò, quod magis facit ad rem, falſum eſt, quod ſupponit, quòd intelligere in Diuinis, denominet ipſum intelligi formaliter intrinſecè, ex vi proceſſionis, denominat enim tantùm identicè, quod ex eo probatur, quia ſi in humanis Deus conſeruaret entitatem Verbi, non conſeruata intellectione, quod quidē poſſe fieri admittere debent aduerſarij, quia ponunt eſſe realitates diſtinctas, tunc erit Verbum imago obiecti, ſine vllo intelligi formaliter inhærente, ergo ſignum eſt, quòd Verbum non eſt intelligi formaliter, per intellectionem ſibi intrinſecè incluſam, ex vi ſuæ rationis.

12. Septimus modus reſpondendi. Caiet. Septimus modus eſt eiuſdem Caietani 1. part. quæſt. 35. artic. 1. aſſerentis actionem per intellectum diuinum eſſe generationem, non autem actionem per voluntatem diuinam, quia intellectio, vt intellectio, eſt aſſimilatio; at verò actio voluntatis eſt inclinatio, intellectio autem Diuina, non ſolùm eſt infinita in genere entis, ſed quatenus intellectio eſt, ita vt infinitudo intellectionis ſit intra latitudinem intellectionis, ac propterea non eſt mirum, ſi ex vi intellectionis infinitæ, producatur formaliter ſimile in natura, ſecus autem eſt in actione voluntatis, quamuis enim, quia Diuina eſt & infinita, producat terminum ſimilem in natura, non autem hoc habet formaliter ex vi inclinationis infinitæ, quia inclinatio non eſt aſſimilatio, ſed habet identicè, quatenus immanenter operatur in eſſentia Diuina, quæ omnia ſibi identificat propter infinitatem.

Sed neque hic modus placet, tum quia intellectus diuinus producit ſimile in natura, quatenus eſt infinitus per eſſentiam, & non quatenus eſt infinitus tantùm in genere potentiæ intellectiuæ; tum quia eſſe increatum, eſt differentia eſſentialis tam intellectus Diuini, quàm voluntatis Diuinæ; ſi ergo potentia in Diuinis producit, vt diuina & increata eſt, producit ex ſua ratione formali, vnde ſi diuina voluntas produceret terminum ſibi ſimilem, quatenus increata eſt, produceret ex ſua ratione formali, & conſequenter eius actio eſſet generatio; ſed non producit ſolùm quia in ſe increata eſt, ſed quia quaſi in eſſentia Diuina immanenter operatur, quæ omnia ſibi identificat, tum quia idem poſſet dici de actione voluntatis, quæ eſt inclinatio ſeu amor, nam amor ex vi ſua formali eſt vnitiuus, ergo ſi eſt infinitus in genere amoris, eſt infinitè vnitiuus, ergo faceret idem ex ratione ſua formali; aliunde igitur probandum eſt, quare actio intellectus Diuini ſit generatio, & non actio voluntatis diuinæ.

13. Octauus modus reſpondendi. Canarienſis. Octauus igitur modus eſt Canarienſis loco citato, aſſerentis ad veram generationem ſufficere, ſi producatur aliquid ſimile in natura per identitatem, dummodo per generationem aliqua ſimilitudo ex vi ſua formali communicetur, ac proinde, inquit, quia Verbum procedit ex vi proceſſionis formaliter, ſecundùm aliquam ſimilitudinem, quia procedit per intellectionem, quæ ex natura ſua eſt ſimilitudo intentionalis repræſentatiua, ideo ſufficit ad hoc, vt dicatur genitum, ſi procedat ſimile in natura per identitatem, quatenus producitur immanenter in eſſentia, quæ propter infinitatem omnia ſibi identificat, quæ ratiò ceſſat in Spiritu ſancto, qui producitur quidem ſimilis in natura, quatenus eius productio eſt immanenter in eſſentia; ſicut eſt productio Filij: tamen non producitur ex vi ſuæ formalis productionis per aliquam ſimilitudinem; producitur enim per amorem, qui non eſt aſſimilatio, ſed inclinatio.

Sed hic modus facilè confutatur ex his, quæ dicta ſunt ſuprà in prima difficultate, nam generatio in Diuinis, ex S. Thom. ſuprà citato quæſt. 27. art. 4. debet ſumi ex analogia à generatione in humanis; ſed generatio viuentis in humanis, quæ dicitur natiuitas, ſeu genitura, tendit tanquam via primò, & per ſe formaliter ad naturam, ex Ariſt. 5. metaph. tex. 5. & 2. phyſic. tex. 14. vbi dicit, quòd generatio eſt via ad naturam, & Auerroës affert hic exemplum, quòd ſicut calefactio eſt caliditas diminuta, ita generatio eſt quaſi diminuta natura, & ideò dicitur, vt notat S. Thom. genitura, hoc eſt generatio naturæ; ſi igitur proceſſio Filij, vt eſt à parte rei, non procedit formaliter ad communicandam à parte rei naturam ſimilem generanti, non poteſt dici propriè generatio.

14. Nonus modus reſpondendi ſupponit duo. Nonus modus reſpondendi eſt aliquorum grauium recentiorum; ſupponunt autem duo; Primum, quòd quamuis eſſentia Diuina ſit quædam ratio ſimpliciſſima, poſſunt tamen in illa diſtingui per intellectum cum fundamento in re, aliquæ perfectiones ſecundùm rationem formalem ipſarum, quarum aliquæ ſunt perfectiones primariò conſtituentes naturam; aliquæ verò perfectiones ſecundariæ conſequentes naturam, vt patet tum ex communi Scholaſticorum in 1. diſtinct. 2. & Alenſis 1. part. quæſt. 53. membr. 1. Henrici in ſumma artic. 32. quæſt. 4. & 37. quæſt. 1. & 33. quæſt. 2. & S. Thom. 1. part. quæſt. 11. art. 7. tum ex Patribus Damaſc. lib. 1. de fide cap. 12. vbi dicit attributa comitari ſubſtantiam, & Athan. in epiſt. de decret. ſynod. dicit, in Deo aliquam eſſe ſubſtantiam Dei: aliqua eſſe circa ipſam ſubſtantiam; & Iuſtinus lib. qq. ad Græcos, quæſt. 3. & Nazianz. oration. de natiuitate Chriſti.

Primum ſuppoſitum, aliquæ proceſſiones in Diuinis ſunt primariò cōſtituentes eſſentiam Diuinam, aliquæ concomitantes.

Alenſ. Hēri. S. Thom. Damaſc. Athanaſius. Iuſtinus. Nazianz.

Secundum ſuppoſitū Intellectio in actu ſecūdo eſt ratio conſtitutiua Deitatis.

Supponit ſecundò, iſte nonus modus, intellectionem in actu ſecundo eſſe in Deo perfectionem primariam conſtitutiuam naturæ diuinæ, amorem autem eſſe perfectionem ſecundariam, conſequentem ipſam naturam: Quòd verò intellectio in actu ſecundo, & nō in actu primo, ſeu principium intellectiuū, ſit perfectio primò & formaliter conſtitutiua naturæ Diuinæ, probat, quia maior ſimplicitas eſſet in Deo, ſi ipſum intelligere non ſit conceptus reſolubilis in actum primū, & in actū ſecundum, ſed ſit actus ſecundus tantùm, ſicut eſt intellectio in humanis, ergo hæc maior ſimplicitas nō debet denegari à Deo; Confirmatur primò, quia potentia, & perfectibilitas opponuntur actui puro; quòd ſi Deus conſtitueretur per intelligere in actu primo, eſſet in potentia, & eſſet perfectibilis per actum ſecundum. Confirmatur ſecundò, quia ſequeretur, quòd Deitas in illo priori ſigno, in quo conſtitueretur per intelligere in actu primo, non eſſet in ſtatu beatitudinis, hæc enim cōſiſtit in intelligendo Deum in actu ſecundo. Confirmatur tertiò, quia in Deo dicit imperfectionem, vt effectiuè eliciat ſuum actum, ſicut elicit creatura, quia tunc ſequeretur, quòd ille actus eſſentialis elicitus, diſtingueretur realiter à Deo, ſicut producens à producto. Multa alia argumenta vide apud Aureol. in 1. diſtinct. 35. artic. 3. vbi ex profeſſo probat hanc opinionem tanquam veriorem. Aureol.

15. His poſitis dicit iſte nonus modus, Verbum dici genitum, non autem Spiritum ſanctum, quia Verbum procedit ex vi proceſſionis in ſimilitudinem naturæ, non autem Spiritus ſanctus, nam Verbum procedit per intelligere, quod primò communicatur

Digitized by Google

nicatur Verbo ex vi proceſſionis; intelligere autem eſt perfectio primò, & formaliter conſtitutiua naturæ diuinæ; at verò Spiritus ſanctus procedit per amorem, qui quidem eſt perfectio conſequens & concomitans naturam diuinam, ſecundùm noſtrũ modum concipiendi; vt patet ex ſecundo ſuppoſito.

16. *Confutatur iſte nonus modus negando ſecundum ſuppoſitum. Natura diuinà non cõſtituitur primò & formaliter per intellectionem in actu ſecundo, ſed per intellectionem in actu primo. Caiet. Ferr. S.Th. Capr.*

Sed iſte nonus modus reſpondendi ſatis quidem eſſet efficax, ſi id quod ſupponit, eſſet verum, naturam ſcilicet diuinam conſtitui primò & formaliter per intelligere in actu ſecundo; ſed hoc non eſt ita certum, nam Caietanus 1. part. quæſt. 1. artic. 1. ex mente S. Thomæ, ſapientiam numerat inter attributa, & proprietates conſequentes ipſam naturam diuinam; & quæſt. 14. art. 4. exponit S. Thomam dicentem, intelligere Dei eſſe eius eſſentiam, exponit, inquam, in ſenſu identico, & non formali, & idem docet Ferrarienſ. 1. contra gentes c. 15. Et confirmari poteſt ex eodem S. Thoma quæſt. 19. artic. 2. vbi non ſolùm intelligere, ſed etiam velle, dicit eſſe ipſum eſſe Dei; & Capreolus in 1. distinct. 35. art. 2. confutat opinionem Aureoli tanquam contrariam doctrinæ S. Thomæ.

17. *Ariſt.*

Probatur præterea ratione, quam affert Ariſt. 12. meta. tex. 36. Intellectio, inquit, in actu ſecundo, eſt eſſentialiter ſimilitudo expreſſa obiecti, ergo debet præſupponere obiectum tanquam ſpeciem impreſſam; ſed eſſentia diuina eſt loco ſpeciei ipſi Deo, ad intelligendum ſe ipſum, ergo debet præſupponi ante intellectionem in actu ſecundo, ergo in illo priori, eſſentia non poteſt conſtitui per intellectionem in actu ſecundo, ſed per intellectionem in actu primo, ſeu per principium intelligendi. Quòd verò intellectio in actu ſecundo preſupponere debeat obiectum tanquam ſpeciem impreſſam, probat Ariſt. ibi exemplo volitionis; Sicut enim, inquit, volitio ex natura ſua præſupponit intellectionem, tanquam principium volendi, eſt enim eſſentialiter inclinatio ad obiectum cognitum, ita intellectio ex natura ſua præſupponit obiectum intelligibile, tanquam principium motiuum intellectionis, quia intellectio eſt expreſſio ipſius obiecti intelligibilis.

Inſtantia.

Quòd ſi dicas, cognitio in Deo repræſentat ſe ipſam, & tamen non præſupponit ſe ipſam, ergo, &c.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd cognitio non eſt ſimilitudo impreſſa ſui ipſius, ſed eſt ipſa eſſentia diuina, quæ eſt repræſentatiua ſui ipſius, & ſuæ cognitionis, & omnium attributorum eius, quæ in illo priori ſigno cõtinentur virtute in ipſa eſſentia. Alij verò reſpondent, quòd cognitio, qua cognoſcitur ipſa cognitio, eſt in Deo virtualiter reflexa, ac proinde poteſt eſſe ſpecies impreſſa reſpectu cognitionis diuinæ, qua cognoſcuntur reliqua.

18. Probatur ſecundò, quia nõ ſolùm obiectũ motiuum, ſed etiam obiectum terminatiuum debet præcedere ipſam cognitionem, eſſentia igitur diuina, cùm ſit obiectum terminatiuum primarium ſuæ cognitionis, debet præcedere ſuam cognitionem, in illo igitur priori ſigno ante intellectionem in actu ſecundo, concipitur eſſentia diuina iam conſtituta; Quòd autem obiectum terminatiuum debeat præcedere cognitionem, probatur, quia obiectum eatenus cognoſcitur, quatenus habet cognitionem veri, ſeu intelligibilis, habet autem rationem veri, ſeu intelligibilis, quatenus habet rationem entis, ergo in primo ſigno obiectum habet rationem entis, & in ſecundo habet rationem veri, ſeu intelligibilis, & in tertio habet rationem intellecti.

19. *Inſtantia.*

Quòd ſi dicas, ſi hæc ratio valeret, ſequeretur, quòd intellectio deberet præcedere ſe ipſam tanquã obiectum terminatiuum, quia præſertim in Diuinis, ipſa intellectio intelligitur per eandem intellectionem, qua intelliguntur reliqua.

Soluitur.

Reſpondetur, quòd cognitio, qua cognoſcitur ipſa cognitio, per quam cognoſcũtur reliqua, eſt virtualiter ſaltẽ ſecundùm noſtrũ modũ concipiendi reflexa, & vt ſic, ſupponit ſecundùm noſtrum modum concipiendi, cognitionem directam, qua cognoſcuntur reliqua, & præterea, ſiſtendo in ipſa cognitione directa, qua cognoſcitur eſſentia Diuina, præcedit aliquo modo ipſam cognitionem, quatenus terminatur ad ſe ipſam, nam cognitio Diuina primariò terminatur ad ipſam eſſentiam, quaſi verò ſecundariò ſecundùm noſtrum modum concipiendi terminatur ad attributa, inter quæ numeratur ipſamet cognitio, quare in illo priori ſigno, in quo concipitur cognitio Diuina terminari ad eſſentiam, concipitur iam conſtituta, antequam terminetur ad alia attributa, & ad ſe ipſam.

20. *Chryſoſt. Damaſc. Auguſt.*

Tertiò probatur ex Patribus, ex Chryſoſt. homil. 1. de incom. Dei naturæ, vbi inquit, quòd in diuinis non eſt à ſapientia ſubſtantia, ſed à ſubſtantia ſapientia; ex Damaſceno 1. de fide cap. 4. vbi inquit, ſiue bonum, ſiue iuſtum, ſiue eſſe ſapientem, non ſunt natura, ſed inſunt naturæ; & Auguſtinus lib. 5. de Trin. cap. 5. & lib. 5. contra Eunomium, docet nùllo modo eſſe dicendum prouidentiam & præſcientiam, &c. eſſe ipſam eſſentiam Dei.

Argumenta autem facta in oppoſitum, & alia quæ facit Aureolus loco citato, quicquid ſit, an probent maiorem perfectionem in Deo, ſi conſtitueretur per intellectionem in actu ſecundo, nullius tamen ſunt roboris, quia non probant, hanc perfectionem eſſe poſſibilem. Rationes autem quas nos attulimus in oppoſitum, probant non eſſe poſſibilem. Illud autem quod ſupponit Aureolus, quòd ſi eſſentia Diuina conſtituatur per principium intellectiuum, tunc ſequi quòd intellectio eſſentialis ſit actus effectiuè elicitus à Deo, ſicut à nobis, falſum eſt, nam intellectio conſequitur eſſentiam Diuinam, ſicut conſequuntur cætera attributa; eſſentia enim Diuina non eſt principium intellectionis, quaſi elicitiuum ipſius, ſed eſt principium, ſeu radix intellectionis, quaſi ratio exigitiua intellectionis, ſicut à pari ſuppoſito quòd potentiæ ſint identificatæ cum anima, verum eſt dicere, quòd anima in aliquo priori eſt principium, ſeu radix exigitiua ſuarum potentiarum.

Quòd ſi dicas, eſſe diſparem rationem, nam intellectio eſt actus vitalis, non item potentia; actus autem vitalis ex natura ſua requirit, vt ſit motio ad obiectum, quare requiritur, vt ſit actus elicitus à principio vitali elicitiuo. Contra hoc eſt, quia non eſt de eſſentia intellectionis, vt ſit tanquam motio actiua à principio vitali elicitiuo, ſed vt ſit motio tanquam paſſiua, ſeu tendentia formalis principij vitalis ad obiectum, vnde ſi Deus produceret intellectionem in intellectu meo, tunc intellectus per illã intellectionem receptam in ſe, intelligeret Deum; Et confirmatur, quia ſecundùm aduerſarios intellectio Diuina non eſt motio actiua, quia non elicitur à principio vitali, eſt enim ſecundùm ipſos ratio primariò conſtitutiua naturæ Diuinæ, ergo de conceptu intellectionis vt ſic, non eſt motio actiua, ergo neque de eſſentia intellectionis eſt, vt ſit à principio actiuo vitali, tãquam ab eliciente, ſed ſatis eſt, vt ſit ad exigentiam principij vitalis tanquam rationis, ſeu radicis exigentis talem intellectionem in ſe, per quam vitaliter attingat obiectum. Patet igitur falſum eſſe quod ſupponit iſte nonus modus, intellectionem ſcilicet in actu ſecundo eſſe primò conſtitutiuam

ſtitutiuam eſſentiæ Diuinæ, ac proinde non bene reſpondet, quare Filius dicatur genitus, & non Spiritus ſanctus.

21. **Decimus modus reſpōdēdi verior, quare Spiritus ſanctus non dicatur genitus ſed ſolus Filius.**

His igitur modis confutatis; Decimus modus reſpondendi eſt efficax, quare Verbum dicatur genitum, non autem Spiritus ſanctus, ille eſt, quia Verbum procedit per intellectionem, tamquam per viam, per quam, vt dictum eſt ſuprà, communicatur primò & formaliter, ipſum principium intellectiuum, quod eſt conſtitutiuum naturæ Diuinæ, vt ſupponimus ex dictis; at verò per velle ſeu amare, communicatur primo tamquam per viam Spiritui ſancto, ipſum principium volitiuū, quod quidem non conſtituit naturam Diuinam, vt probatum eſt ſupra, ſed eſt concomitans, & conſequens naturam Diuinam, vt expreſsè docet Iuſtinus lib. quæſtionum ad Græcos, quæſt. 3. ac propterea Spiritus ſanctus non procedit ex vi proceſſionis in ſimilitudinem naturæ, ita vt natura Diuina ſit terminus formalis, & primarius proceſſionis; ſed potiùs eſt identicus, & quaſi ſecundarius; ad generationem autem, vt in prima difficultate probatum eſt, requiritur, vt natura ſit terminus primarius & formalis ipſius generationis.

Iuſtinus.

22. **Inſtantia.**

Quòd ſi dicas, quod primò communicatur Verbo, eſt ipſum intelligere, & per ipſum intelligere communicatur principium intellectiuum, per quod conſtituitur natura Diuina, ergo natura Diuina non communicatur tamquam terminus formalis & primarius, ſed potiùs quaſi terminus ſecundarius & identicus, quatenus, ſcilicet, identificatur cum ipſo intelligere. Reſpondetur, quòd intelligere non eſt terminus formalis, qui communicatur, ſed potiùs concipitur vt via, per quam communicatur terminus formalis, qui eſt ipſa natura, vnde quamuis ordine executionis, vt ita dicam, ſit prior, ordine tamen intentionis eſt poſterior, ſicut in humanis diſpoſitio & actio præcedunt ipſam naturam, quæ generatur, non tamen propterea natura genita, non dicitur eſſe terminus formalis & primarius generationis vi (quod), & tamquam primò intentus.

Soluitur.

23. **Vndecimus modus reſpondendi etiam verus & efficax.**

Huc accedit Vndecimus modus Zumel, & aliquorum recentiorum, aſſerentium generationem Verbi ex vi ſui proximi principij, formaliter tendere ad ſimile in natura; ſecus autem proceſſionem Spiritus ſancti, quia, inquiunt, proximum principium generationis Verbi, eſt intellectus Diuinus, vt informatus eſſentia Diuina, tamquam obiecto, ſecundùm rationem ſpeciei impreſſæ & intelligibilis, cum quo facit vnum principium integrum & completum, iſtud autem principium vt ſic, completum, præhabet, & continet in ſe aliquo modo productum, ſicut in naturalibus dicitur effectus vniuocus contineri in agente, ratione formæ, per quam agens conſtituitur in actu primo, hoc igitur principium proximum, per quod Pater conſtituitur proximè in actu primo, ad producendum ſecundam perſonam, producit illam aſſimilando ſibi, ipſi, ſcilicet, intellectui Diuino, informato eſſentia Diuina, tamquam ſpecie, ac proinde Verbum ex vi proceſſionis procedit, ſimile principio operatiuo; at verò proceſſio Spiritus ſancti, non eſt hoc modo; voluntas enim non conſtituitur proximè operatiua per aliquam ſimilitudinem obiecti.

24. **Prima obiectio contra vndecimum modum reſpondendi.**

Quòd ſi obiicias primò, quòd etiam voluntas Diuina ſit proximum & integrum principium producendi amorem, ex eo, quia informatur obiecto cognito, & vt ſic producit amorem, ſeu inclinationem, tamquam ſimilem obiecto cognito, quatenus producit illum vt proportionatum obiecto cogni-

A to. Reſpondetur, quòd obiectum cognitum non concurrit effectiuè, ſed finaliter, at verò ſpecies intelligibilis, ſimul cum intellectu concurrunt effectiue, cuius rei ſignum eſt, quòd in humanis obiectum cognitum non eſt realiter vnitum cum voluntate, ſicut ſpecies intelligibilis eſt realiter vnita cum intellectu; ad hoc autem, vt res producta dicatur propriè genita, requiritur vt aſſimiletur generanti: Adde quòd amor non dicitur propriè ſimilis obiecto cognito, quia non eſt repræſentatiuus, ſed dicitur ſimilis per quamdam metaphoram, quatenus eſt proportionatus obiecto.

Solutio.

25. **Secūda obiectio cōtra eundē modum.**

Quòd ſi obiicias ſecundò, intellectus informatus ſpecie tendit in ſimilitudinem purè intentionalem; at verò generatio requirit ſimilitudinem in natura. Reſpondetur, in humanis ita eſſe, ac propterea in humanis verbum non dicitur propriè genitum, vt dictum eſt in prima difficultate; at verò intellectus Diuinus paternus informatus eſſentia Diuina, tamquam ſpecie, tendit propter ſuam infinitatem ad realem productionem Verbi, tamquam ſimilis in natura, aſſimilando illud intellectui informato eſſentia Diuina, tamquam ſpecie, ac propterea Verbum Diuinum ex vi proceſſionis formaliter procedit ſimile, hoc eſt, idem in natura, non autem Spiritus ſanctus.

Solutio.

26. **Quæſitum.**

Quærunt autem hic vnum Summiſtæ, an ſicut hæc propoſitio negatiua in ſenſu formali (Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis formaliter non procedit ſimilis in natura) eſt vera, ſit etiam alia vera affirmatiua in ſenſu formali de prædicato infinitato, ſcilicet (Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis formaliter procedit vt non ſimilis in natura): Et ratio dubitandi eſt, quia à propoſitione negatiua in ſenſu formali, ad affirmatiuā de prædicato infinitato, non valet conſequentia ſecūdùm Summiſtas, cùm enim dicitur (paries ſecundùm ſe formaliter non eſt albus) eſt vera; non autem valet conſequentia, ergo (paries ſecundùm ſe formaliter eſt non albus:) præterea hæc eſt vera, vt notant Scotiſtæ (natura ſecundùm ſe non dicit hæcceitates,) hæc autem falſa, (natura ſecundùm ſe dicit non hæcceitates.)

Reſponſio.

Reſpondetur, quòd quando prædicatum eſt contingens, tunc non licet inferre ex propoſitione negatiua in ſenſu formali, propoſitionem affirmatiuam de prædicato infinitato, vt patet in exemplis allatis; hæc enim, vt dicebatur, eſt vera (paries ſecundùm ſe formaliter non eſt albus); hæc autem falſa, (paries ſecundùm ſe formaliter eſt non albus): quia prior propoſitio negatiua facit hunc ſenſum, parieti ex propriis principiis non repugnat coniungi cum albedine, quod quidem eſt verum; poſterior verò propoſitio de prædicato infinitato, facit hunc ſenſum, parieti ex ſuis principiis repugnat coniungi cum albedine, quod eſt falſum: & idem dicendum eſt de illo alio exemplo de natura reſpectu hæcceitatum; quando verò prædicatum non eſt contingens, ſed eſſentiale, ſeu neceſſarium, tunc valet conſequentia à propoſitione negatiua in ſenſu formali; ad propoſitionem affirmatiuam de prædicato infinitato: v.gr. hæc eſt vera propoſitio, (homo ſecundùm ſe non eſt irrationalis,) & hæc alia affirmatiua de prædicato infinitato etiam eſt vera; (homo ſecundùm ſe eſt non irrationalis,) quia facit ſenſum, quòd homini ex propriis principiis repugnet irrationalitas, quod eſt verum.

Quarè cùm ex dictis conſtet, repugnare, Spiritum ſanctum procedere ex vi proceſſionis formaliter, vt ſimilem in natura, ſit vt tam propoſitio negatiua in formali, quàm propoſitio affirmatiua de prædicato

prædicato infinitato, in ſenſu formali, ſi explicetur iuxta ſenſum dictum, ſit vera.

TERTIA DVBITATIO.

Vtrùm imago ſit proprietas, ſeu ratio notionalis ſolius Filij.

1\. Primũ quæſitum, vtrùm Filius ſit imago Patris.

IN hac dubitatione quæruntur quatuor; Primò quæritur, Vtrùm Filius ſit propriè imago Patris.

Reſponſio.

Reſpondetur affirmatiuè, & probatur ex Scripturis ad Coloſſ. 1. & ad Hebræos 1.

Probatur primò ex Scripturis. Ad Coloſſ. 1. Ad Hebr. 1. Probatur ſecũdò ex Patribus. Aug. Baſil. Tertiò ex ſcholaſticis. S. Thom.

Probatur ſecundò ex Patribus, Chryſoſtomo homil. 3. in epiſtolam ad Coloſſen. & in hom. 2. in epiſtolam ad Hebræos, Auguſtino lib. retract. c. 17. Baſil. lib. 2. contra Eunomium, & ex aliis.

Probatur tertiò ex communi ſententia Scholaſticorum in 1. diſtinct. 31. & 27. & aliorum, cum D. Thom. 1. part. quæſt. 35. artic. 1. ad 2. Probatur ratione, quia Filius habet omnes conditiones requiſitas ad rationem imaginis, quas ponit S. Thom. 1. part. quæſt. 35. artic. 1. & Auguſt. lib. quæſtionum in Deuteronom. quæſt. 4. & lib. 83. quæſtionum quæſt. 4. procedit enim à Patre tamquam à principio actiuo, in ſimilitudinem naturæ, ex defectu cuius conditionis vnum ouum quamuis ſit ſimile alteri ouo, non dicitur imago illius, quia neutrum ab altero eſt expreſſum, & præterea Filius per ſuam originem producitur per imitationem, & conſequenter vt repræſentatiuus, quia intellectus paternus producit Filium intelligendo ſe ipſum tamquam exemplar, quod imitetur in producendo, defectu cuius conditionis planta procedens ab alia planta, non dicitur imago, ex Ariſt. 6. topic. cap. 2.

2\. Secundum quæſitum, vtrùm ſolus Filius in Diuinis ſit imago.

Quæritur ſecundò, Vtrùm ſolus Filius in Diuinis dicatur imago, & conſequenter ſit proprietas notionalis ſolius Filij.

Reſponſio affirmatiua. Durand.

Reſpondetur affirmatiuè cum communi Scholaſticorum, præter Durand. in 1. diſtinct. 28. quæſt. 3.

Probatur ex Scripturis. Secundò ex Patribus. Athanaſ. Aug. Baſil. Damaſc.

Probatur primò, quia in Scripturis ſolus Filius dicitur *imago*, ſignum eſt igitur, quòd Spiritus ſanctus non ſit imago.

Probatur ſecundò ex ſanctis Patribus, qui dicunt ſolum Filium eſſe imaginem Patris; ita expreſsè dicit Athanaſ. in decretis Nicenæ Synodi, & expreſsè etiam Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 2. & Baſil. homil. 29. ex variis, vbi docet in Diuinis eſſe vnam tantùm imaginem & exemplar. Nec obſtat Damaſc. lib. 1. de fide, vbi vocat Filium imaginem Patris, & Spiritum ſanctum, imaginem Filij, non, inquam, obſtat, quia impropriè loquitur, vel quia vox Græca ſignificat non ſolùm ſimilitudinem, ſed etiam imaginem; interpretes autem verterunt imaginem.

Tertiò ratione. Capr.

Probatur tertiò ratione; Capreolus in 1. diſt. 33. quæſt. 2. & Caiet. 1. par. quæſt. 35. artic. 2. cam reddunt rationem, quia Spiritus ſanctus ex vi proceſſionis, non procedit ſimilis in natura, ſicut procedit Filius; Hanc rationem impugnant moderni, quia ſatis eſt, inquiunt, quòd Spiritus ſanctus ſaltem identicè producatur ſimilis in natura. Sed hæc impugnatio nulla eſt, nam imago debet procedere per imitationem, vt mox dicetur, ergo ex vi proceſſionis debet procedere ſeu exprimi ſimilis exemplari, ad cuius imitationem producitur. Probatur igitur ſecundò à priori, quia inter alias conditiones imaginis, illa eſt præcipua, quam ponit Ariſt. 6. topic. cap. 2. quòd ſit per imitationem; Imago, inquit Ariſt. eſt id, cuius generatio eſt per imitationem; Ita etiam docent Auguſt. & S. Thom. locis citatis, quare cùm Filius ſolùm producatur in Diuinis per imitationem, producitur enim ab intellectu Diuino paterno, intelligente ſeipſum tamquam exemplar, quod imitetur in productione, ideo ſolum Verbum Diuinum dicitur imago; at verò in productione Spiritus ſancti, quamuis voluntati Diuinæ proponatur ab intellectu bonitas diuina, non tamen proponitur vt exemplar ad imitandum, ſed vt finis amandus; ac propterea Spiritus ſanctus non dicitur propriè imago.

3\. Tertiũ quæſitũ, vtrùm Filius ſit imago ſolius Patris.

Quæritur tertiò, Vtrùm Filius dicatur imago ſolius Patris, vel Spiritus ſancti, & aliorum obiectorum?

Reſponſio affirmatiua.

Reſpondetur, dici imaginem ſolius Patris.

Probatur ex Scripturis.

Probatur primò ex Scripturis ſuprà citatis, quæ Filium numquam vocant, niſi imaginem Dei, vel Patris, ſignum eſt igitur, quòd non ſit imago aliarum rerum; ita habetur ad Hebræos 1. & ad Coloſſ. 1. & Sapient. 7. vbi Filius dicitur *emanatio claritatis omnipotentiæ Dei.* quod clariùs explicuit Paulus ad Hebræos 1. *Splendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius.*

Probatur ſecũdò ex Patribus. Auguſt.

Secundò probatur ex Patribus, præſertim Aug. 7. de Trinit. cap. vltimo, vbi expreſsè docet, Filium eſſe imaginem ſolius Patris.

Tertiò probatur ratione.

Tertiò probatur ratione, quia Filius ſit ad imitationẽ ſoli Patris, ergo eſt imago ſolius Patris; Cõſequẽtia eſt manifeſta, quia, vt patet ex dictis, ad rationẽ imaginis requiritur, vt producatur ad imitationem exẽplaris. Anteccdẽs probatur, quia ſolus Pater producẽdo Filiũ, intendit illum aſſimilare ſibi; producitur enim per generationem, generatio autem, vt ſuprà in ſecunda dubitatione oſtenſum eſt, ſit per viam aſſimilatiuam ſuo principio actiuo.

4\. Quartũ quæſitum, vtrùm ratio Filij, Verbi, & imaginis ſint omnes de quidditate ſecũdæ perſonæ.

Quæritur quartò, Vtrùm ratio Filij, Verbi, & Imaginis, ſint omnes de quidditate vnius perſonalitatis ſeu ſecundæ perſonæ.

Ratio dubitandi pro parte negatiua.

Ratio dubitandi pro parte negatiua eſt, quia nomen Filij ponitur in forma Baptiſmi, non autem nomen Imaginis, aut Verbi; ergo ſignum eſt, quòd ſola filiatio ſit de quidditate perſonalitatis ſecundæ perſonæ; cæteræ verò rationes Verbi, & Imaginis ſint conſequentes.

Reſpõſio affirmatiua.

Reſpondetur tamen affirmatiuè, & ratio eſt, quia ex vi adæquatæ proceſſionis per intellectum, formaliter procedit ſecunda perſona, vt Filius, vt Verbum, & vt Imago, nam quatenus procedit per viam aſſimilatiuam, procedit vt Filius in ſimilitudine naturæ, quatenus verò procedit vt repræſentatiuum, procedit vt Verbum, quatenus verò procedit per imitationem exemplaris paterni, procedit vt Imago; omnes igitur iſtæ rationes includuntur formaliter in vna adæquata proceſſione per intellectum, ergo omnes ſunt de quidditate vnius perſonalitatis ſecundæ perſonæ, procedentis per intellectum, inadæquatè autem concipiuntur ſecundùm diuerſas habitudines; hinc ſit vt omnes iſtæ partiales rationes Filij, Verbi, & Imaginis, dicant vnam totalem relationem realem, & vnam adæquatam rationem notionalem ſecundæ perſonæ.

5\. Soluitur ratio dubitãdi.

Ad rationem verò dubitandi reſpondetur, quòd nomen Filij ex vi nominis ſignificat ſubſtantiam ſubſiſtentem per ſe, vt patet in humanis, Verbum autem, & Imago, non item, & ideo in forma Baptiſmi exprimitur præcipuè nomen Filij.

Alia quæ quæri poſſunt de Filio, habentur ex dictis.

QVÆSTIO

Digitized by Google

QVÆSTIO DECIMA-QVINTA THEOLOGICA CIRCA DECIMVMQVINTVM COROLLARIVM,

De perſona Spiritus ſancti.

De hac materia agit S. Thom. in 1. part. quæſt. 36.

Sunt in hoc Corollario duæ dubitationes.

I. *Vtrùm Spiritus ſanctus procedat à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio per ſe.*

II. *Vtrùm ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio.*

PRIMA DVBITATIO.

Vtrùm Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam ab vno principio per ſe.

1. Prima ſententia. PRIMA ſententia ſeu error eſt aliquorum, putantium Spiritum ſanctũ procedere ſolùm à Patre, & nullo modo à Filio. Hic error fuit antiquus Græcorum circa annum Domini 430. vt colligitur ex Concil. Epheſino tomo 2. cap. 39. In hoc etiam errore fuit Theophylactus in caput 3. Ioannis, circa annum Domini 860. & occaſione huius erroris factum eſt ſchiſma Græcorum circa annum Domini 1050. tempore Leonis noni; Hunc etiam errorem ſequuntur noſtris temporibus aliqui in Græcia, & in Armenia, & ex Lutheranis in Muſcouia.

Primum argumentum. Ioan. 15. Probatur primò Ioan. 15. vbi Chriſtus docet, Spiritum ſanctum à Patre procedere; quòd ſi etiam procederet à Filio, ibi Chriſtus non tacuiſſet.

Secundũ argumentum. Probatur ſecundò ex Synodo Nicena, & ex Synodo Conſtantinopolitana, vbi dicitur, Spiritum ſanctum à Patre procedere; Et confirmatur, quia in Synodo III. & IV. facta eſt prohibitio, ne aliquid immutetur de fide contenta in Symbolo antiquo, vbi non erat hæc particula (Filióque procedit.)

Tertium argumentum. Tertiò probatur ratione, quia in primo inſtanti originis, antequam Filius producatur, iam Pater habet virtutem ſufficientem ad ſpirandum, ergo actus ſpirandi priùs origine eſt in Patre, quàm in Filio, ergo Spiritus ſanctus in illo priori intelligitur procedere tantùm à Patre.

Quartum argumentum. Quartò probatur, ſi Spiritus ſanctus procederet à Patre, & Filio, ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus procederet per duas origines, & à duobus principiis, quod quidem eſt abſurdum, & impoſſibile. Sequela Maioris probatur, quia Pater & Filius ſunt duo ſuppoſita diſtincta, ergo duo principia, ergo duæ origines. Minor probatur, quia Spiritus ſanctus procedit tantùm per amorem, ergo non poteſt procedere niſi per vnam originem.

Quintum argumentum. Quintò probatur, quia ſi Spiritus ſanctus procederet à Patre & Filio, ſequeretur, quòd Pater & Filius eſſent ſimiliores inter ſe, quàm cum Spiritu ſancto, quod eſt abſurdum. Sequela probatur, quia Pater & Filius eſſent ſimiles in producendo in virtute producendi, quam virtutem non haberet Spiritus ſanctus.

2. Secũda ſententia. SECVNDA ſententia aſſerit, quòd quamuis Spiritus ſanctus non procederet à duobus principiis, per duas virtutes, & per duas origines, hoc enim aſſerere eſt contra fidem, vt eſt definitum in Concilio Lugdunenſi, dicit tamen hæc ſententia, quòd quantùm ad modũ loquendi in proprietate ſermonis, non poteſt dici, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, nec Patrem & Filium eſſe vnum principium, quamuis dici poſſit, quòd in Patre & Filio, ſit vnicum principium. Eſt Durandi in 1. diſtinct. 29. quæſt. 2. & Ariminenſis diſtinct. 12. quæſt. 1. Durandus. Ariminenſ.

Fundamentum ſecũdæ ſententiæ. Fundamentũ eſt, quia cùm dicitur, Patrem & Filium eſſe vnum principiũ; vel principiũ ſumitur vt (quo); vel vt (quod); ſi vt (quo), falſum eſt, quia principium vt (quo) eſt ratio operãdi, ſed Pater & Filius nõ poſſunt eſſe ratio operãdi, quia ſunt integra ſuppoſita; vel principium ſumitur vt (quod), & tunc eſt ipſum ſuppoſitum, quod exercet actum ſpirandi; quia igitur Pater & Filius, ſunt duo ſuppoſita, ideo dicendum eſt, quòd ſint duo principia; poteſt autem, inquiunt, dici, quòd in Patre & Filio, ſit vnum principium, quia ex modò loquendi claré patet, quòd principium hîc ſumitur pro ratione & virtute operandi, quæ quidem vna & eadem eſt in Patre & Filio.

3. Tertia ſententia. TERTIA ſententia aſſerit quidem, Patrem & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, ſed dicit hanc vocem, principium, immediatè ſupponere, non præſuppoſito Patris & Filij, ſed pro quodam indiuiduo ſufficienter completo, ad exercendum actum ſpirandi; quod quidem indiuiduum non includit formaliter paternitatem, & filiationem, ſed conſtituitur præciſè ex virtute ſpiratiua, & ex habente

bente illam virtutem; quod quidem conſtitutum non eſt formaliter ſuppoſitum, quia non eſt incommunicabile, communicatur enim Patri & Filio, mediatè autem, inquiunt, vox illa (principium) ſupponit pro Patre & Filio. Hæc ſententia eſt Ocham, & Gabriel. in 1. diſt. 12. quæſt. 1. & illam ſequuntur aliqui recentiores.

Ocham. Gabriel.

4. Quarta ſententia. QVARTA ſententia eſt Scoti in 1. diſtinct. 12. quæſt. 1. aſſerentis, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio; addit tamen, per accidens eſſe Spiritui ſancto, quòd procedat à duobus ſuppoſitis; Et hanc ſententiam affirmat probabilem Caiet. 1. part. quæſt. 36.

Probat, quia virtus ſpiratiua eſt perfecta, & ſufficiens in Patre; imò à Patre communicatur Filio, B ergo etiam ſi eſſet in ſolo Patre, haberet eumdem terminum, ſcilicet, Spiritum ſanctum, ergo per accidens eſt Spiritui ſancto, quòd procedat a duobus, ſicut à ſimili per accidens eſt creaturis, quòd procedant à tribus ſuppoſitis, quia virtus creatiua integra & completa, eſſet in vno ſuppoſito, ſi vnum tantùm daretur per impoſſibile, ac modò eſt in tribus, quare per accidens eſt ipſis creaturis, vt procedant à tribus ſuppoſitis.

Quinta ſententia. QVINTA & vltima ſententia communior eſt, Spiritum ſanctum procedere per ſe, à Patre & Filio immediatè, tanquam ab vno principio. Pro cuius ſententiæ explicatio pono quatuor concluſiones.

5. Prima concluſio. PRIMA concluſio contra primam ſententiam C Græcorum. Certum eſt de fide, Spiritum ſanctum non ſolùm procedere à Patre, ſed à Filio.

Prima ratio ex conciliis. Conc. Ephe. Eſt definita in Conc. Epheſ. t. 1. c. 14. ante ſchiſma Græcorum, vbi habetur, quòd Spiritus ſanctus ſicut à Patre procedit, ita ſimiliter procedit, ſeu, vt alij legunt, emittitur à Filio; Ita etiam habetur in IV. Synodo, actione 5. & in V. Synodo, actione vltima, & in VI. Synodo, actione 16. & tandem in Concil. Flor. in quo hæc concluſio definita eſt conſenſu Græcorum & Latinorum.

IV. Synod. V. Synod. VI. Synod. Conc. Flor.

6. Secunda ratio ex Scripturis. Ioan. 16. Auguſt. Secundò probatur ex Scripturis; Primus & præcipuus locus eſt Ioan. c. 16. vbi Chriſtus dicit, *Ipſe de meo accipiet, & annunciabit vobis*; & reddit rationem, *Quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ita argumentatur etiam Auguſtinus D tract. 100. in Ioannem, Si, inquit, virtus ſpirandi eſt in Patre, eſt etiam in Filio, quia omnia, quæ ſunt Patris, ſunt etiam Filij.

Secundus locus eſt ibidem, vbi dicitur Spiritus ſanctus mitti à Filio, nam perſona Diuina non mittitur ab alia niſi procedendo, non enim mittitur per imperium, aut per conſilium, vt bene argumentatur Auguſt. lib. 4. cap. 20.

Gal. 4. Tertius locus eſt ad Gal. 4. vbi Spiritus ſanctus dicitur *Spiritus Filij.*

7. Tertia ratio ex Patribus. Auguſt. Tertiò probatur ex Patribus, & quidem omnes Patres Latini conueniunt, præſertim Auguſtinus locis citatis, & S. Gregorius in ſuis dialogis, ex quibus Græci conuertentes Græcè illos dialogos, deleuerunt illa verba Symboli (Filióque procedit) vt E refert Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij, lib. 4. cap. 75. Ex Græcis verò Baſil. lib. 10. contra Eunomium circa finem; & probat, quia opera Patris & Filij, ſunt communia, & alibi; & Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioann. & probat ex illo loco Ioannis 20. vbi Chriſtus inſufflauit, *Accipite Spiritum ſanctum*; nam per illam inſufflationem, inquit, voluit ſignificare, Spiritum ſanctum ab ipſo procedere inſtar illius ſpiritus; Item Athan. ſæpe, præſertim in ſymbolo apertè dicit, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio; quòd autem illud ſit ſymbolum Athanaſij, probatur ex Patribus & Conciliis, quæ vtuntur illo tanquam teſtimonio Athanaſij.

Ioan. Diaco. Baſil. Cyril. Alex. Athanaſ.

Solent autem in oppoſitum afferri Theodoretus & Damaſc. lib. 1. de fide cap. 11. vbi docet, non eſſe dicendum, Spiritum ſanctum eſſe ex Filio; Aliqui excuſant iſtos Doctores cum S. Thom. quæſtione de potentia artic. 4. quòd tunc hæc veritas non erat definita in Eccleſia Græca; Sed quicquid ſit de Theodoreto, qui aliquando ſequutus ſit ſectam Neſtorianam aſſerentem, Spiritum ſanctum non procedere à Filio, de Damaſceno tamen dicendum Damaſ. eſt, non fuiſſe illius opinionis; ſatis enim hæc veritas ante ipſum erat expreſſa in Symbolo Athanaſij. Athana. Quòd autem Damaſcenus non negauerit hanc veritatem, patet, quia in eodem capite docet expreſsè, Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Filij, non autem poteſt eſſe Spiritus Filij, niſi per originem; quando igitur in eodem capite dicit, Spiritum ſanctum non eſſe ex Filio, intelligendus eſt, quòd Filius non producat Spiritum ſanctum per virtutem, quam habet à ſe, vt primum principium, hoc enim ſignificat illa particula (ex). Hinc eſt quòd Patres Græci frequenter vſurpant, non quidem illum modum dicendi, Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ſed potiùs hunc, Pater producit Spiritum ſanctum per Filium, ad ſignificandum quòd Pater communicat Filio virtutem ſpirandi.

Probatur quartò ratione, ſi Spiritus ſanctus non 8. procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio, quia Quarta ratio. in diuinis, vbi non eſt oppoſitio originis, omnia ſunt vnum; propter infinitatem enim perſona identificat ſibi omnia, quæ illi non opponuntur relatiuè per originem, vnde ſpiratio actiua etiam ſecundùm Græcos, non facit diſtinctum ſuppoſitum à Patre, ſed identificatur cum Patre, quia non habet oppoſitionem originis cum Patre.

Quintò probatur, quia ea, quæ ſunt Patris, ſunt 9. etiam Filij, præter relationem originis, ſi ergo Pater Quinta ratio. ſpirat Spiritum ſanctum, ſpirat etiam Filius. Hæc ratio deſumitur ex verbis Chriſti Ioannis 16. vbi Ioan. 16. hac ratione probat Spiritum ſanctum procedere ab ipſo; Et hanc rationem affert Concil. Florent. ſeſſ. Conc. Flor. vlt. dum dicit, quòd niſi Spiritus ſanctus procederet à Filio, ſequeretur partitio diuinæ ſubſtantiæ, quia Filius non accepiſſet à Patre totam ſubſtantiam, & virtutem Patris, quia non accepiſſet virtutem ſpirandi. Nec obſtat, quòd virtus ſpiratiua non communicetur Spiritui ſancto, non, inquam, obſtat, quia hinc non ſequeretur hoc abſurdum, repugnat enim talis communicatio proprietati perſonali ipſius Spiritus ſancti, ac propterea non dicitur diuina ſubſtantia diuidi, ſi non communicatur Spiritui ſancto, quia non poteſt eſſe communis Spiritui ſancto; at verò ſi non communicaretur Filio, diceretur diuidi diuina ſubſtantia, quia virtus ſpiratiua ex ſua ratione habet, vt ſit communis Filio, & indiuiſa & indiſtincta ab illo; De veritate huius concluſionis vide multa apud Cardin. Bellar. tomo 1. controuerſia 2. lib. 2. cap. 20. & ſequentibus.

SECVNDA concluſio. Certum eſt, Spiritum ſan- 10. ctum, quantùm pertinet ad rem, non procedere à Secunda concluſio. Patre & Filio, tanquam à duobus principiis, habentibus diuerſas virtutes, & diuerſas origines, neque quantùm ad modum loquendi, poteſt dici, Spiritum ſanctum procedere à duobus principiis. Hæc ſecunda pars concluſionis, quantùm ad modum loquendi, eſt contra Durandum & Ariminenſem, citatos in tertia ſententia. Durand. Arimin.

PRIMA pars concluſionis, quæ eſt de re, quòd, 11. ſcilicet, Spiritus ſanctus non procedat à Patre & Prima pars Filio,

Digitized by Google

conclusionis probatur, & primò ex Conciliis. Conc. Lugd. Conc. Flor.

Filio, tamquam à duobus principiis per diuerſas virtutes, & per diuerſas origines, eſt de fide, definita in Concilio Lugdunenſi, quod habetur in cap. fideli. de ſumm. Trinit. in 6. & in Concil. Florent. ſeſſ. vltima, in literis vnionis, in quibus definitur, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, per vnicam ſpirationem, & ibidem dicitur, Græcos conceſſiſſe in illo Concilio, Spiritum ſanctum procedere, à Patre & Filio, neque vnquam negaſſe, Spiritum ſanctum non procedere à Filio, ſed tantum negaſſe, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis, & per duas ſpirationes.

Secundò ratione.

Secundò probatur ratione, quia virtus & actus producendi eſt vnus in Patre & Filio; ergo Pater & Filius non poſſunt eſſe formaliter duo principia, contra aduerſarios. Antecedens eſt manifeſtum, quia Spiritus ſanctus procedit per voluntatem, & amorem; voluntas autem eſt eadem in Patre & Filio, & ita ſimiliter amor.

Hic quæri poteſt vtrùm relatio ſpirationis, ſit vna realis in Patre & Filio; ſed de hac quæſtione ſuprà diſputatum eſt in ſexto corollario.

12. Probatur ſecunda pars cõcluſionis. Probatur primò.

Secunda pars concluſionis, quantùm ad modum loquendi, quæ eſt contra Durandum & Ariminenſem, probatur, quia virtus ſpiratiua eſt vna in Patre & Filio, ergo Pater & Filius non poſſunt dici duo principia, ſed vnum. Antecedens eſt manifeſtum, & conceditur ab aduerſariis; Conſequentia probatur, quia quando ſignificatum formale vocis eſt vnum, & vox profertur ſubſtantiuè, non poteſt proferri pluraliter, v. gr. & eſt exemplum allatum ad hoc propoſitum ab Auguſtino, lib. 5. de Trinit. cap. 14. & Anſelmo, libro de proceſſione Spiritus ſancti cap. 11. Tres perſonæ diuinæ non poſſunt dici tria principia mundi; & ratio eſt, quia operantur per eamdem potentiam, quæ quidem potentia eſt formale ſignificatum principij; neque poteſt dici, tres diuinas perſonas eſſe tres Deos, quamuis explicetur in illis tantùm eſſe vnam deitatem, ergo neque poteſt dici in proprietate ſermonis, Patrem & Filium eſſe duo principia Spiritus ſancti, quamuis concedant aduerſariis eſſe tantùm vnam virtutem ſpiratiuam in Patre & Filio, quia vox illa (principium) ſtat ſubſtantiuè; & conſequenter ſi ſtaret pluraliter, ex vi ſermonis ſignificaretur eſſe duas virtutes ſpiratiuas, quia ſubſtantiuè ſumpta illa vox, vt dictum eſt, ſemper appellat principale ſignificatum, quod eſt virtus ſpiratiua, ad ſignificandum, ergo eſſe vnam virtutem ſpiratiuam, debet proferri ſingulariter.

Auguſt. Anſelm.

13. Probatur ſecundò.

Secundò probatur, quia hic modus loquendi videtur damnatus in Concil. Lugdunenſi, vbi damnantur omnes, qui præſumpſerint auſu temerario aſſerere Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex vno, ac propterea hæc ſententia Durandi cenſetur à Molina 1. par. quæſt. 36. art. 4. temeraria, & errori proxima.

Quòd ſi quæras, pro quo ſupponitur illa vox (principium) cùm dicitur, Patrem & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti; Et ratio dubitandi eſt, quam affert Durandus, quia non videtur poſſe ſupponi pro principio (quo), quod eſt virtus ſpiratiua, quia Pater & Filius non ſunt virtus, ſed ſuppoſita; quòd ſi dicas ſupponi pro ſuppoſitis, iam ſunt duo & non vnum.

Reſpondetur ex dictis, ſupponi immediatè pro conſtituto ex virtute ſpiratiua, & pro habente illam virtutem vagè & in communi; de formali autem ſupponere pro virtute ſpiratiua tamquam formali ſignificato, connotando Patrem aut Filium, ac proinde quia vox illa (principium) ſtat ſubſtantiuè, non poteſt poni pluraliter, quia ſignificaretur formale ſignificatum, quod eſt virtus ſpiratiua, non eſſe vnam ſed duas.

Tertia concluſio contra tertiam ſententiam. 14.
Conſtitutum ex virtute ſpiratiua, & habente illam, non ſupponit immediatè pro quodam indiuiduo ſpiratiuo cõmuni Patri & Filio, vt dicebat Ocham, ſed immediatè ſupponit pro conſtituto ex virtute ſpiratiua, in hoc vel illo ſuppoſito vagè, hoc eſt, principium ſpiratiuum in Patre ſupponit immediatè pro conſtituto ex virtute ſpiratiua & ipſo Patre, & in Filio ſupponit immediatè ex conſtituto ex eadem virtute ſpiratiua, & perſona Filij, non autem ſupponit immediatè pro aliquo indiuiduo ſpiratiuo communi Patri & Filio, & mediatè pro Patre & Filio, vt dicebant Ocham & Ariminenſis citati in tertia ſententia.

Ocham. Ariminenſ.

Probatur, quia ex illa tertia ſententia ſequeretur primò, quòd ad productionem Spiritus ſancti, non concurreret immediatè ſuppoſitum Patris & ſuppoſitum Filij, ſed immediatè concurreret illud indiuiduum ſpiratiuum, mediatè verò Pater & Filius, quod quidem eſt abſurdum, quia tunc ſequeretur quòd Pater & Filius concurrerent in productione Spiritus ſancti, ſicut concurrunt in productione creaturarum, quod quidem eſt abſurdum, quia, vt patet ex Scripturis ſuprà citatis, Pater eſt ille, qui vt (quod) concurrit ad productionem Spiritus ſancti, & Filius eſt ille, qui vt (quod) concurrit ad productionem eiuſdem; hoc enim ſignificant illa verba Chriſti loquentis de Spiritu ſancto, *Qui à Patre procedit*; & illa alia, *Ipſe de meo accipiet*. Et præterea, ſi Pater & Filius non concurrerent vt (quod), non diſtinguerentur à Spiritu ſancto; in Diuinis enim vt communiter dicitur, vbi non eſt oppoſitio originis, eſt identitas. Probatur ſequela Maioris, quia ſicut in productione creaturarum, proximum principium eſt hic Deus, quod eſt indiuiduum Deitatis, perſonæ verò dicuntur concurrere, quia Deus ſunt: ita etiam quod immediatè concurreret in productione Spiritus ſancti, eſſet hoc indiuiduum ſpiratiuum, Pater autem & Filius concurrerent, quatenus ſunt hoc indiuiduum conſtitutum ex eadem virtute ſpiratiua & ipſo.

Secundò probatur, quia ſequeretur aliud abſurdum, quòd Pater & Filius nullo modo concurrerent ad productionem Spiritus ſancti, quia ſi daretur hoc indiuiduum ſpiratiuum, quod immediatè produceret Spiritum ſanctum, tunc Pater & Filius non concurrerent niſi identicè ad productionem Spiritus ſancti, quatenus identificantur cum hoc indiuiduo ſpiratiuo, hæc autem identitas non eſt ſatis, vt poſſit dici, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, ſicut non bene diceretur, quòd Filius producitur à principio ſpiratiuo, quòd identificatur cum Patre. 15.

Tertiò probatur, quia ſequeretur, quòd Spiritusſanctus non haberet oppoſitionem cum Patre & Filio, ſed tantùm cum hoc indiuiduo ſpiratiuo.

Quarta concluſio contra quartam ſententiam. Spiritus ſanctus non procedit per accidens à Patre & Filio, ſed per ſe: ita vt ex natura ſua poſtulet, quatenus talis perſona eſt, procedere à duobus ſuppoſitis, in quibus exiſtat virtus ſpiratiua. Eſt ſententia expreſſa S. Thomæ in 1. diſt. 11. art. 2. & art. 4. & hîc Capr. q. 1. & Argentinæ ibidem, & S. Thom. 16.

S. Thom. Capr. Argẽt.

Caietan. Gregor. Riccard. Durand. 1.part.quæſt. 34. artic. 3. & Caietani & communiter expoſitorum hîc: Hanc etiam tenent Gregor. & Riccard. in 1. diſtinct. 11. & Durand. in 1. diſtin.29.quæſtione 3.

Prima ratio. S.Thom. Et ratio fundamentalis eſt, quia Spiritus ſanctus, vt docet S.Thom in 1.diſt.11. loco citato, non procedit à duobus ſuppoſitis eo modo, quo procedunt creaturæ à tribus perſonis, quia creaturæ ita procedunt à tribus perſonis, vt eodem modo procederent, etiam ſi Deus eſſet vna perſona; at verò Spiritus ſanctus non item, quia Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, vt amor vnitiuus Patris & Filij, & vt nexus & vinculum vtriuſque, vt communiter loquuntur Doctores; Et ratio eſt, quia ad amorem perfectum requiritur vt ſit mutuus, vt docet Riccard. de ſancto Victore 3. de Trinit. cap. 3. 7. & 11. Cùm ergo Spiritus ſanctus procedat vt amor perfectus, quia omnis perfectio non repugnans, neceſſariò debet dari Spiritui ſancto, tamquam infinitæ, & Diuinæ perſonæ; ideo neceſſariò eſt dicendum, quòd Spiritus ſanctus procedat ex mutuo amore Patris & Filij, qui quidem amor non ſolùm non repugnat, ſed videtur fuiſſe neceſſarius, antequam producatur Spiritus ſanctus, nam in priori ſigno intelligitur genitus Filius, antequam producatur Spiritus ſanctus, ergo neceſſe eſt dicere, quòd Pater & Filius ſimul exierunt in actum amoris mutuum, non enim poterant non amare ſe ipſos inuicem, ergo dicendum eſt, quòd ex hoc amore mutuo proceſſit Spiritus ſanctus.

17. Secunda ratio. Secundò probatur, quia ſi Spiritus ſanctus per accidens procederet à Filio, non diſtingueretur niſi per accidens ab illo, quia, vt in ſequenti dubitatione oſtendetur, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio; in diuinis enim omnia ſunt communia, vbi non obſtat oppoſitio originis. Quòd ſi dicas, Spiritum ſanctum poſtulare ex natura ſua procedere à Filio, non quidem vt accipiat entitatem ab illo, ſed vt diſtinguatur ab illo: Sed contra hoc eſt, quia ſi non poſtularet ex natura ſua vt acciperet entitatem, neque poſtularet vt acciperet diſtinctionem, quia diſtinctio eſt negatio conſequens neceſſariò entitatem rei, qualis igitur eſt entitas, talis eſt diſtinctio; ſi igitur entitas eſt talis naturæ, vt non poſtulet procedere à Filio, neque illa proceſſio requireretur propter diſtinctionem.

18. Reſpōſio ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum. Ad argumenta primæ ſententiæ Græcorum reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd Chriſtus in illo loco non tacuit Spiritum ſanctum procedere à ſe, dicit enim ſe miſſurum Spiritum veritatis; vna autem perſona in Diuinis non mittitur ab alia, niſi quia procedit ab illa, non enim mittitur per imperium, aut per concilium, addit autem, *qui à Patre procedit*, ad ſignificandum, vt docet Auguſtinus (August.) lib. 3. contra Maximinum, quòd virtutem ſpirandi Pater habet à ſe, Filius autem habet à Patre communicatam.

19. Ad ſecundū. Ad ſecundum reſpondetur, quòd in Synodo Nicena nulla fit mentio proceſſionis Spiritus ſancti, neque à Patre, neque à Filio, quia tunc nondum erat orta quæſtio de Diuinitate Spiritus ſancti, vt refert Nazianzenus (Nazian.) epiſt. 2. ad Lelidom. in Synodo verò Conſtantinopolitana addita eſt particula (qui à Patre procedit,) non facta autem eſt mentio de Filio, quia nondum exorta fuerat aliqua quæſtio de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, ſed ſolùm dubitabatur, an Spiritus ſanctus ſit creatura, vel Deus, dicebant enim hæretici illius temporis, vt refert Baſilius (Baſil. Atha.) lib. 2. contra Eunom. & Athanaſ. in epiſtola ad Serapionem, quòd Spiritus ſanctus erat creatura ſolius Filij, & ideo in illa Synodo definitum eſt contra hæreticos, Spiritum ſanctum eſſe Deum, & procedere à Patre. Et ad confirmationem reſpondetur, additionem illius particulæ (Filioque procedit,) non eſſe contra prohibitionem Synodi tertiæ & quartæ, quia hæc particula non fuit addita priuata aliqua authoritate, ſed authoritate totius Eccleſiæ & ſummi Pontificis, quando autem fuerit addita, non conſtat; conſtat autem fuiſſe additam ante ſchiſma Græcorum, nam ante annum 790. in VII. Synodo generali actione 7. habetur illa particula, in qua Synodo maior pars fuit Græcorum.

20. Ad tertium. Ad tertium reſpondetur concedendo, virtutem ſpiratiuam priùs origine eſſe in Patre, quàm in Filio, in hoc ſenſu, quatenus Pater habet illam à ſe; Filius autem habet communicatam à Patre, ſicut eadem ratione Deitas dicitur eſſe priùs origine in Patre, quàm in Filio; negatur tamen vltima conſequentia, quòd ſcilicet Spiritus ſanctus in illo priori intelligitur procedere tantùm à Patre, nam in Patre in priori ſigno concipiendus eſt actus generandi, & communicandi illam virtutem ſpiratiuam, & in ſequenti ſigno concipiendus eſt in Patre & Filio actus ſpirandi Spiritum ſanctum, nam actus ſpirandi eſt per amorem, qui ſubſequitur actum generandi, qui eſt per intellectionem, nam actus voluntatis ex natura ſua ſupponit actum intellectus.

21. Ad quartū. Ad quartum reſpondetur, negando ſequelam Maioris, quòd, ſcilicet, ſi Spiritus ſanctus procederet à Patre & Filio, procederet ab illis tanquam à duobus principiis, per duas origines; Et ad probationem reſpondetur, quòd quamuis Pater & Filius ſint duo ſuppoſita, non tamen ſunt duo principia, ſed vnum principium, propter vnicam virtutem ſpiratiuam, quæ eſt in vtroque; vox enim hæc (principium) cum ſtet ſubſtantiuè, non poteſt poni pluraliter, niſi multiplicetur virtus ſpirandi, quia vox ſubſtantiua appellat formale ſignificatum, quod in caſu noſtro eſt virtus ſpiratiua, vt patet ex his quæ diximus in ſecunda & tertia concluſione.

22. Ad quintū. Ad quintum reſpondetur, diſtinguendo ſequelam Maioris, quòd, ſcilicet, ſi Spiritus ſanctus procederet à Patre, & Filio, ſequeretur, quòd Pater & Filius eſſent ſimiliores inter ſe, quàm cum Spiritu ſancto, nam ſimilitudo in Diuinis accipitur dupliciter, primò pro ſimilitudine in natura; ſecundò pro ſimilitudine in aliqua ratione ſeu proprietate notionali; Si primo modo accipiatur, tunc neganda eſt ſequela, quia natura Diuina eſt vna, & eadem in omnibus ſuppoſitis; Si verò accipiatur ſecundo modo, concedenda eſt ſequela, quia Pater & Filius habent aliquam virtutem productiuam, quam non habet Spiritus ſanctus; ſimpliciter tamen neganda eſt ſequela, quia ſimilitudo in Diuinis ſimpliciter dicta, accipitur pro ſimilitudine in natura.

23. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ. Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur ex dictis in ſecunda & tertia concluſione, concedendo quòd cùm dicitur Patrem & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti, ly (principiū) non ſumitur vt (quo) ſed vt (quod), quia Pater & Filius non ſunt ratio operandi, ſed potiùs exercent actum operandi; negatur tamen conſequentia, quòd, quia ſunt duo ſuppoſita, ideo debent dici duo principia, nam principium ſubſtantiuè ſumptum

ſumptum appellat formale ſignificatum, quod eſt virtus ſpiratiua, quæ quidem vna & eadem eſt in Patre & Filio; vt igitur vox illa (principium) ponatur pluraliter, deberent eſſe duæ virtutes ſpirandi; altera in Patre, & altera in Filio; quod quidem eſt falſum.

14. *Ad fundamētum tertię & quartæ ſententiæ.* Ad fundamentum tertiæ ſententiæ patet ex dictis in tertia concluſione.

Ad fundamentum quartæ ſententiæ reſpondetur, negando eſſe per accidens Spiritui ſancto, vt procedat à duobus ſuppoſitis; procedit enim vt nexus, & vt amor vnitiuus, vt dictum eſt in quarta concluſione; ac proinde non eſt par ratio de creaturis.

SECVNDA DVBITATIO.

Vtrùm ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo.

1. *Duplex ſenſus dubitationis. Primus ſenſus.* Notandvm quòd hîc non quæritur an ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio vt nunc eſt; certum eſt enim, hoc modo non diſtingui, quia Filius vt nunc eſt, includit intrinſecè ſpirationem actiuam, quare ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Filius non includeret hanc ſpirationem, non eſſet igitur eadem filiatio formaliter, vel numericè vt modò eſt; non igitur diſtingueretur à Filio vt nunc eſt; Et iuxta hunc ſenſum intelligit quæſtionem *Marſil.* Marſilius in 1. quæſt. 15. ad tertiam rationem, cùm dicit, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio.

2. Iuxta autem hunc ſenſum quæſtio non habet difficultatem, neque quæritur de Spiritu ſancto vt nunc eſt, certum eſt enim, quòd Spiritus ſanctus vt nunc eſt, poſtulet ex *S. Thom.* natura ſua dualitatem ſuppoſitorum, ex D. Thom. in 1. diſtinct. 11. artic. 2. & 4. quia, vt ibidem dicitur, Spiritus ſanctus procedit vt amor vnitiuus Patris & Filij, & vt nexus & vinculum, vt loquuntur ſancti; quare ſi Spiritus ſanctus non procederet à Patre & Filio, non eſſet eadem formaliter ſpiratio ſicut modò eſt; non enim productio Spiritus ſancti eſt ſicut productio creaturarum, ſicut exiſtimauit *Scotus. S. Thom.* Scotus contra D. Thomam; creaturæ enim ita procedunt à tribus ſuppoſitis, vt ſi potentia creatiua eſſet in vno & eodem ſuppoſito, eo modo producerentur creaturæ, non ſic autem eſt productio Spiritus ſancti, vt dictum eſt in ſuperiori dubitatione, quia procedit vt nexus & vinculum, ac proinde ex natura ſua talis productio, vt talis eſt, poſtu*Henricus.*lat dualitatem ſuppoſitorum, & ideo, quamuis Henricus tenuerit quodlib. 5. quæſt. 9. quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, adhuc ab illo diſtingueretur, non tamen propterea dicit contradictoria, vt immeritò putauit Scotus, dum dicit idem Henricus in ſumma artic. 54. quòd Spiritus ſanctus per ſe & ex natura ſua poſtulat, vt procedat à duobus ſuppoſitis, non enim loquitur de Spiritu ſancto vt nunc eſt, cum hac proprietate characteriſtica, quòd ſit nexus duorum, ſed loquitur de Spiritu ſancto, vt eſt tertia perſona, procedens per voluntatem.

3. *Secundus & verior ſenſus dubitationis.* Secundus & proprius ſenſus huius dubitationis eſt, vtrùm ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio, intelligendo per Filium, perſonam genitam per intellectionem, quæcunque illa ſit, & per Spiritum ſanctum, perſonam ſpiratam per voluntatem, quæcumque illa ſit.

4. Prima ſententia eſt Goffredi quodlib. 7. quæſt.

A 4. & Gabrielis in 1. quæſt. 2. aſſerentium hanc quæſtionem eſſe inutilem, quia ex impoſſibili ſequitur quodlibet, id eſt, vtraque pars contradictionis; quod probant dupliciter, vt dictum eſt in primo tomo in tertio principio philoſophico, in quarta dubitatione, Primò, quia ſuſtinens poſſet redargui, quod eſt vltimum inconueniens in diſputatione, ad quod poteſt reduci ſuſtinens. Probatur exemplo, ſi quis poneret hanc hypotheſim impoſſibilem, quòd homo non eſt animal, tunc redargui poſſet ſuſtinens, tanquam tenens duo contradictoria, quòd ſcilicet homo eſſet, & non eſſet, quòd eſſet, quia per ſuſtinentem ponitur eſſe, quòd non eſſet, quæ eſt altera pars contradictionis, quia deſtructo animali, quod B eſt de eſſentia hominis, deſtruitur homo. Secundò ex hac hypotheſi impoſſibili, quòd (homo non eſt animal) ſuſtinens deberet ſuſtinere, & ſequens ex ſua poſitione, & repugnans ſuæ poſitioni, quod eſt contra regulam diſputationis: nam ex ea poſitione, quòd homo non eſt animal, ſequitur, quòd homo ſit, & ſequitur repugnans poſitioni, quòd non ſit, quoniam homo non eſſet deſtructo animali. *Prima ſententia. Goffr. Gabr.*

5. Sed hæc ſententia non placet, quia ex ſuppoſitione impoſſibili conditionali, quæ fit ad inquirendam aliquam veritatem, poteſt ſequi neceſſarium, vt docet Scotus in 1. quæſt. 2. & Ariminenſ. ibid. quæſt. 1. art. 2. Pro cuius explicatione notandum eſt, quòd ſuppoſitio impoſſibilis conditionalis dupliciC ter, quantùm facit ad propoſitum, poteſt ſe habere; *Confutatur hæc prima ſententia.*

Primò, vt oſtenſum eſt in primo tomo loco citato, vt ſit tanquam ratio cognoſcendi aliquod primum, ex quo formaliter inferatur prædicatum, quod inquiritur, v. g. ſi quæratur, an homo diſtinguatur ab equo per rationale, vel per animal, ſit hęc ſuppoſitio impoſſibilis (ſi homo nō eſſet animal, & eſſet rationalis, adhuc diſtingueretur ab equo) ex hoc impoſſibili ſequitur, ergo ratio præciſa diſtinctiua hominis ab equo, eſt rationale, & hanc illationem formalem, ſolent alij vocare, illationem per locum intrinſecum.

Secundò, poteſt impoſſibile ſe habere, vt ex quo infertur aliud, non quidem formaliter, ſed materialiter, ſeu, vt aliqui dicunt, per locum extrinſecum, D & tunc verum eſt, quod dicit prima ſententia, ſequi vtramque partem contradictionis, ac proinde eſſe inutilem modum arguendi, v. g. cùm ſit illa ſuppoſitio impoſſibilis, ſi homo non eſſet animal, & eſſet rationalis, diſtingueretur ab equo, ſi ſpectetur materialis tantùm illatio, ſequitur vtraque pars contradictionis, ſequitur enim quòd ſublato animali, homo ſit tantùm rationalis per ſe, & conſequenter diſtinctus ab equo, qui non eſt rationalis; & ruſus per materialem illationem ſequitur, quòd homo non eſſet rationalis, nam deſtructo animali, deſtruitur rationale, per neceſſariam connexionem quam habet rationale cum animali, & conſequenter deſtrueretur ratio diſtinctiua poſitiua hominis E ab equo, non enim remaneret aliqua diſtinctio poſitiua inter hominem & equum, nam ad diſtinctionem poſitiuam, de qua loquimur, requiritur vt vtrumque diſtinctorum ſit ens reale, nam idem & diſtinctum ſunt paſſiones entis, 2. metaph. at verò ſi homo non eſſet animal rationale, non eſſet ens reale; non igitur diſtingueretur ab equo, tanquam ens ab ente.

His poſitis patet, non eſſe inutilem quæſtionem, dum ad inquirendam rationem diſtinctiuam Spiritus ſancti à Filio, ponitur illa hypotheſis conditionalis impoſſibilis; Vtrùm, ſcilicet, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à

Filio, quia illud impoſſibile aſſumitur tantùm formaliter, ſeu, vt alij dicunt, per locum intrinſecum, quatenus eſt ratio, ſeu medium cognoſcendi rationem propriam diſtinctiuam Filij à Spiritu ſancto.

6. *Secũda ſententia. Scotus. Henric.*

SECVNDA ſententia eſt Scoti in 1. diſtinct. 11. quæſt. 21. Henrici quodlib. 5. quæſt. 9. aſſerentium, poſita illa hypotheſi impoſſibili, Spiritum ſanctum diſtingui à tali perſona.

Fundamentum.

Fundamentum eſt, quia conſtitutiuum talis perſonæ eſſet filiatio, ergo per illam diſtingueretur. Conſequentia patet, quia per quod conſtituitur res, per illud diſtinguitur, nam neceſſariò ad rationem entis conſequitur vnum, quod dicit indiuiſionem à ſe, & diuiſionem à quocunque alio; ſi igitur filiatio conſtituit ſecundam perſonam in ratione talis entis, facit illam indiuiſam à ſe, & diuiſam à quacunque alia re, vel adæquatè vel inadæquatè, ſicut homo quia conſtituitur per rationale, per illud tantùm diſtinguitur adæquatè à bruto, quia in gradibus ſuperioribus conuenit cum bruto, & inadæquatè diſtinguitur à lapide, quia etiam à lapide diſtinguitur per gradum ſuperiorem viuentis. *Cõfirmatio.* Et confirmatur, quia proceſſio Filij ex intrinſeca ratione eſt generatio, quia eſt per intellectum, proceſſio Spiritus ſancti non eſt generatio, ſed ſpiratio, quia eſt per voluntatem, ergo ex intrinſecis ſuis rationibus diſparatis, iſtæ proceſſiones poſtulant diſtinctos terminos. Sumitur hæc confirmatio ex Anſelmo lib. de proceſſione Spiritus ſancti cap. 2.

7. *Tertia ſententia verior & tenenda. S. Thom. Caiet. Capr. Ferrarien. Bonauent. Ægid. Durandus.*

TERTIA ſententia communior & tenenda, eſt S. Thomæ hîc quæſt. 36. artic. 2. & Caiet. hîc, Capreoli in 1. diſtinct. 11. quæſt. 1. Ferrarienſ. 4. contra gentes cap. 24. Bonauent. in 1. diſtinct. 11. quæſt. 2. Ægid. quæſt. 3. Durandi quæſt. 2. aſſerentium, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio, ſed in tali caſu eſſet vna ſecũda perſona, quę ſimul adęquatè eſſet genita, & ſpirata; fauétque hæc opinio multùm fidei contra Græcos, aſſerentes Spiritum ſanctum de facto non procedere à Filio: atque adeò poſt Concil. Florentinum *(Conc. Flor.)* omnes ſcholaſtici iuniores tenent hanc ſecundam ſententiam, tanquam certam; oppoſitam autem tenent periculoſam in fide, ex Concil. Florent. ſeſſ. vlt. Sed Vaſques 1. part. diſput. 147. cap. 3. aſſerit non rectè hoc inferri contra Scotum, nam ex illo loco Concilij ſolùm habetur, inquit, contra Græcos, quòd ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ſequeretur partitio Diuinæ ſubſtantiæ, nam virtus ſpiratiua, quæ eſt de ſubſtantia Patris, & non repugnat Filio, ſicut repugnat Spiritui ſancto, non eſſet coniuncta cum Filio; at verò Scotus & Henric. *(Scot. Henr.)* tenent, Spiritum ſanctum de facto procedere etiam à Filio, & ſolùm loquuntur ex hypotheſi impoſſibili.

8. Eſt tamen certum, quòd hæc ſecunda ſententia S. Thomæ, ſit multò probabilior; In aſſignanda autem ratione eſt diuerſitas inter Thomiſtas.

Prima ratio.

Primò aliqui aſſignant rationem, quia ex Patribus & Conciliis ſuprà allatis, perſonæ diſtinguuntur per relationes originis; Sed hęc ratio non cõcludit, nam poſſunt explicari Patres & Concilia, quòd perſonæ diſtinguantur per relationes originis, etiam ſi tertia perſona non procedat à ſecunda, ſufficit enim vt habeat relationem originis, quatenus procedit à prima, & ſic verum eſt, quòd omnes perſonæ diſtinguuntur per relationes originis.

9. *Secunda ratio. Caietanus.*

Secunda ratio, & eſt confirmatio præcedentis, eſt Caietani, Perſonæ, inquit, non diſtinguuntur per abſoluta, vt ſuprà oſtendimus Corollario decimo dubitatione ſecunda, ergo per relationes; ſed ratio propria relationis, eſt ordo ad terminum correlatiuum, ergo Filius non poteſt diſtingui à Spiritu ſancto, niſi per relationem ſpirationis, quia hæc eſt ordo ad ſpiratũ, tanquam ad terminum correlatiuum, non autem per filiationem, cuius terminus non eſt ſpiratum; Sed neque hæc ratio eſt efficax, nam vna relatio, non ſolùm diſtinguitur ab oppoſita correlatione, ſed etiam à quacunque alia relatione diſparata: ſicut paternitas in humanis non ſolùm diſtinguitur à filiatione, tanquam ab oppoſita correlatione, ſed etiam à ſimilitudine, & à quacunque alia re, nam quodcunque ens per id quod conſtituitur, eſt vnum, & indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocunque alio, vnde, vt arguit Scotus, per filiationem in Diuinis, ſatis ſufficienter Filius poteſt diſtingui à Patre, & Spiritu ſancto, etiam ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, & quidem Filius, diſtingueretur à Patre, tanquam ab oppoſito correlatiuo formaliter, ſed à Spiritu ſancto, ſeu à ſpiratione paſſiua, per quam conſtituitur Spiritus ſanctus, diſtingueretur in illo caſu tanquam à relatione diſparata.

Tertia igitur ratio à priori, & fundamentalis huius ſententiæ hæc eſt, quòd propter infinitatem in Diuinis, quæcunque non habent oppoſitionem, ex natura ſua, & ex proprio conceptu, identificantur, vnde diximus ſuprà, paternitatem ſibi identificare ſpirationem actiuam, quia paternitas eſt infinita in ſuo genere, & identificat ſibi quicquid illi non opponitur: vnde emanauit illud axioma ex Patribus & Conciliis, quòd in Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obſtat relationis oppoſitio. 10. *Tertia ratio efficax.*

Quæres, quæ ſunt illa quæ non opponuntur ex natura ſua, & ex proprio conceptu? 11. *Quæſitum.*

Reſpondetur eſſe illa, quæ ſumpta in communi, abſtracta à creaturis & à Deo, non inuoluunt in propria natura, & ſecundùm proprium conceptum contradictionem actualem, neque diſtinctionem; ita vt poſſint inueniri identificata ſine deſtructione propriæ naturæ; illa verò dicuntur ex natura ſua opponi, quæ abſtracta à Deo & à creaturis, in propria quidditate includunt oppoſitionem; huiuſmodi autem ſunt illa, quorum vnum procedit ex alio, quia neceſſariò debent eſſe cum oppoſitione & diſtinctione; non enim idem poteſt procedere à ſe ipſo, vt probatum eſt ſuprà, ſi igitur Spiritus ſanctus non procederet à ſecunda perſona, producta per generationem, quæcumque illa ſit, non haberet huiuſmodi oppoſitionem ex natura ſua, cum generatione ſecundæ perſonæ, quia non procederet ab illa; ergo adhuc remanente proprio conceptu relationis ſpirati à Patre, poſſet talis relatio identificari cum filiatione, ergo de facto in Diuinis idẽtificaretur propter infinitatem, eſſet igitur eadem perſona ſecunda genita, & ſpirata ſimul: ita vt adæquatè conſtituatur per generationem & ſpirationem paſſiuam, ſicut modò adæquatè conſtituitur per generationem paſſiuam cum aptitudine ad ſpirandum actiuè, & ſicut ſpiratio actiua identificatur modò cum generatione paſſiua, quia non habet oppoſitionem: ita in illo caſu generatio paſſiua identificaretur cum ſpiratione paſſiua, quia cum illa non haberet oppoſitionem originis. *Reſponſio.*

Dices, ſequeretur quòd ſpiratio paſſiua deberet identificari cum paternitate, nam relatiuè non opponitur paternitati, ſed ſpirationi actiuæ. 12. *Inſtantia.*

Reſpondetur, quòd natura originis non opponitur tantùm rationi agendi, quæ eſſet in hoc caſu origo ſecundùm ſpirationem actiuam, ſed etiam opponitur ſuppoſito producenti; Et ratio eſt, quia ſicut *Solutio.*

Digitized by Google

ſicut inuoluit contradictionem, aliquid procedere A à ſe, tamquam à ratione agendi, ita etiam inuoluit contradictionem, aliquid procedere à ſe, tamquam à ſuppoſito producente (vt quod), vt fusè oſtendimus ſuprà coroll.13.dubitatione prima.

13. Reſpõſio ad argumentũ ſecũdæ ſententiæ.

Et per hæc patet ad fundamentum ſecundæ ſententiæ,& reſpondendo in forma, concedo Antecedens,quòd,ſcilicet, id per quod conſtituitur in Diuinis,per id diſtinguitur,atque adeò concedendum eſt, Filium conſtitui per filiationem, & per illam diſtingui à Spiritu ſancto; cùm verò infertur, ergo ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo per filiationem, quia, vt dicebatur in confirmatione argumenti, proceſſio Filij,& proceſſio Spiritus ſancti ex intrinſeca ratione ſunt diuerſæ,quia vna eſt generatio;altera proceſſio. B Reſpondetur,quòd cùm dicitur in Minori,Filium conſtitui per filiationem,vel ſermo eſt de Filio vt nunc eſt, & tunc dicimus Filium non conſtitui per filiationem, vt ſic præcisè, ſed per filiationem ſpiratiuam; ſi enim non eſſet ſpiratiua, non eſſet eadem ſpecie vel ſaltem numero relatio; ſi verò ſermo eſt de Filio,vt eſt ſecunda perſona producta per generationem,quæcumque illa ſit,& hic eſt ſenſus quæſtionis, vt dictum eſt, tunc neganda eſt etiam illa Minor; non enim conſtitueretur illa perſona in ratione perſonæ adæquatè per filiationem,ſeu per generationem paſſiuam, ſed adæquatè conſtitueretur per generationem paſſiuam, & ſpirationem paſſiuam, ſeu per relationem filiationis & ſpirationis paſſiuæ, quia tunc filiatio identificaret ſibi ſpirationem paſſiuam,quare eſſet vna perſona cum duabus rationibus,quæ inter ſe diſtinguerentur tantùm per rationem, quia vna ratio non eſſet alia, vna enim proceſſio eſſet per intellectum, & eſſet filiatio: alia per voluntatem, & eſſet ſpiratio; ſed iſtæ duæ rationes conſtituerent adæquatè ſecundam perſonam in ratione incommunicabilitatis; ſicut à ſimili filiatio & ſpiratio actiua identificantur cum vna perſona, quia non habent oppoſitionem originis, ac proinde negandum eſt Scoto, illas duas emanationes, alteram per intellectum, alteram per voluntatem, in illo caſu eſſe diſtinctas realiter, quia non eſſent ad duos terminos diſtinctos realiter;& per hæc patet etiam ad confirmationem.

Alia quæruntur de perſona Spiritus ſancti, quæ non habent tantam difficultatem, & paſſim repeٗriuntur apud recentiores.

FINIS.

rr 4 INDEX

INDEX
QVATVOR PRINCIPIORVM
PHILOSOPHICORVM INCOMPLEXORVM, ET COROLLARIORVM

Theologicorum, iuxta eumdem ordinem, quò diſputantur in hoc ſecundo tomo per ſingulas quæſtiones.

PRIMVM PRINCIPIVM

Philoſophicum incomplexum, eſt

Prædicamentum Subſtantiæ.

Circa hoc principium ſunt Diſputationes quatuor.

PRIMA DISPVTATIO DE ENTE
eſſentiæ, diuiſa in decem quæſtiones.

1. *Vtrùm eſſentia creaturæ ab æterno, ante exiſtentiam ſit ſecundùm eſſe eſſentiæ aliquod poſitiuum reale actuale.*
2. *Vtrùm creatura dependeat à Deo quoad eſſe quidditatiuum, tamquam à cauſa exemplari.*
3. *Vtrùm creatura ab æterno ſit in potentia obiectiua.*
4. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis, vt eſt analogum attributionis, ſit vnus communis per intellectum ad omnia analogata.*
5. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis completi, ſit vnus & præciſus ſecundùm rationem ab inferioribus entibus completis.*
6. *Vtrùm conceptus entis latiſſimè ſumpti, vt abſtrahit à completo & incompleto, vt eſt analogus proportionis, ſit conceptus obiectiuus diſtinctè ſeu perfectè præciſus ſecundùm rationem.*
7. *Vtrùm conceptus entis ſit vniuocus ad inferiora.*
8. *Vtrùm conceptus obiectiuus entis ſit à parte rei diſtinctus à rationibus inferioribus.*
9. *Vtrùm formalis conceptus entis ſit vnus & præciſus.*
10. *De diſtinctione graduum infra ens.*

Hæc quæſtio continet tres dubitationes.

Prima eſt, *Vtrùm vnitas formalis diſtinguatur à parte rei, ab vnitate numerica*, ſeu, *Vtrùm eſſentia ſpecifica diſtinguatur ab hæcceitate, ſeu à differentia indiuiduali.*

Secunda, *Vtrùm gradus genericus exiſtens in indiuiduo, diſtinguatur à parte rei à gradu ſpecifico, v. g. animalitas exiſtens in Petro, à rationalitate.*

Tertia, *In qua ex præcedenti doctrina huius quæſtionis, breuiter colliguntur reſolutiones aliquarum quæſtionum de vniuerſali, & de principio indiuiduationis.*

SECVNDA DISPVTATIO DE ENTE
exiſtentiæ, diuiſa in ſex quæſtiones.

1. *Vtrùm exiſtentia diſtinguatur à parte rei ab eſſentia.*
2. *Vtrùm inter eſſentiam & exiſtentiam ſit compoſitio à parte rei.*
3. *Vtrùm totum entitatiuum ſiue exiſtentiale, diſtinguatur tamquam tertia entitas à partibus ſimul vnitis, quæ ſunt eſſentia, & exiſtentia.*
4. *Vtrùm exiſtentia componatur ex gradibus metaphyſicis, ſicut eſſentia.*

5. *Vtrùm*

Digitized by Google

5. *Vtrùm eſſentia poſſit exiſtere per diuinam potentiam exiſtentia alterius.*
6. *Vtrùm exiſtentia ſit accidens eſſentiæ.*

TERTIA DISPVTATIO DE ENTE SVBSTANTIALI ſeu ſuppoſito, diuiſa in vndecim quæſtiones.

1. *Vtrùm ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum ſupra naturam addat ſolùm negationẽ, vel rationẽ poſitiuam realem.*
2. *Quæ ſit ratio formalis ſubſiſtentiæ, & quis eius effectus formalis.*
3. *Vtrùm natura poſſit conſeruari per diuinam potentiam ſine aliqua ſubſiſtentia, ſiue propria, ſiue aliena.*
4. *An ſubſiſtentia afficiat naturam iam exiſtentem, vel ſit prior in aliquo ſigno, quàm ipſa exiſtentia.*
5. *Vtrùm natura ſuppoſitata aliena ſubſiſtentia habeat appetitum ad propriam.*
6. *Vtrùm in compoſito ſit vna ſimplex ſubſiſtentia, vel vna compoſita ex duabus partialibus ſubſiſtentiis.*
7. *Vtrùm ſuppoſitum ſeu ſubſiſtentia diſtinguatur à natura, & quomodo.*
8. *Vtrùm ſubſiſtentia intrinſecè conſtituat ſuppoſitum.*
9. *Vtrùm ſubſiſtentia verè componat cum natura.*
10. *Vtrùm exiſtentia fluat a natura. Vbi agitur, An actiones ſint ſuppoſitorum.*
11. *An ſubſtantia bene diuidatur ab Ariſtotele in primam & ſecundam.*

QVARTA DISPVTATIO DE VNIONE SVBSTANTIALI partium compoſiti ſubſtantialis, diuiſa in nouem quæſtiones.

1. *Quid ſit vnio in compoſito ſubſtantiali naturali.*
2. *An poſſit cadere vnio in omni compoſito ſubſtantiali.*
3. *Vtrùm vnio diſtinguatur à parte rei ab extremis vnitis.*
4. *Vtrùm in compoſito eſſentiali vnio ſit vna, vel multiplex; & ſi eſt vna, an afficiat intrinſecè vtrumque extremum, vel vnum tantùm.*
5. *Si intrinſecè afficit vnum extremum tantùm, in quo extremo ſit hæc vnica vnio partium eſſentialium ad inuicem, an in materia, an in forma.*
6. *An in compoſito ſubſtantiali ex natura & ſubſiſtentia, ſit vnica vnio.*
7. *Vtrùm repugnet vnionem eſſe indiuiſibilem in compoſito ſiue eſſentiali, ſiue ſubſtantiali.*
8. *Vtrùm repugnet vnionem extenſam ſubiectari in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis & indiuiſibilis.*
9. *Vtrùm de facto vnio in compoſito eſſentiali ſeu ſubſtantiali, præſertim in homine, ſit diuiſibilis vel indiuiſibilis.*

COROLLARIA THEOLOGICA

DEDVCTA EX PRIMO PRINCIPIO PHILOSOPHICO incomplexo, Prædicamento ſcilicet Subſtantiæ, circa materiam de Incarnatione.

PRIMVM COROLLARIVM.

De poſſibilitate Incarnationis.

Incarnatio Verbi non repugnat nec ex parte perſonæ, nec ex parte vnionis, nec ex parte humanitatis.

Hoc Corollarium habet tres dubitationes.

1. *Vtrùm Incarnatio Verbi repugnet ex parte perſonæ diuinæ aſſumentis.*
2. *Vtrùm repugnet ex parte vnionis hypoſtaticæ.*
3. *Vtrùm repugnet ex parte humanitatis aſſumptæ.*

SECVNDVM COROLLARIVM.

De cognoſcibilitate Incarnationis.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm exiſtentia Incarnationis poſſit naturaliter euidenter cognoſci.*
2. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci euidenter naturaliter.*
3. *Vtrùm poſſibilitas Incarnationis poſſit cognoſci naturaliter probabiliter.*
4. *Vtrùm ſuppoſita poſſibilitate Incarnationis cognita ſaltem probabiliter, poſſit lumine naturali probabiliter cognoſci ipſa exiſtentia Incarnationis.*

TERTIVM

Digitized by Google

TERTIVM COROLLARIVM.

De modo compoſitionis hypoſtaticæ in Chriſto.

Ex natura diuina, & humana, non conſtituitur vna tertia natura in Chriſto, ſed vna perſona verè & propriè compoſita, tum ex perſonalitate Verbi, & humanitate, tum ex duabus naturis, humana ſcilicet, & diuina.

Habet quinque dubitationes.

1. *Vtrùm ex natura diuina, & humana, conſtituatur vna tertia natura in Chriſto.*
2. *Vtrùm perſona Chriſti poſt Incarnationem ſit ſimplex, vel propriè compoſita ex perſona Verbi, & humanitate.*
3. *Vtrùm perſona Chriſti verè & propriè ſit compoſita ex duabus naturis.*
4. *Vtrùm perſona Chriſti ſit ſubſtantialiter compoſita.*
5. *Vtrùm compoſitio, ſeu vnio humanitatis cum Verbo, ſit ſubſtantialis.*

QVARTVM COROLLARIVM.

De termino Incarnationis.

Per Incarnationem, quamuis producatur humanitas, vt ſtat ſub vnione, tanquam terminus formalis; per vnitionem tamen tanquam per actionem, producitur vnio tanquam terminus immediatus, quæ quidem eſt diſtincta à parte rei ab humanitate, & Verbo.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm vnio ſit terminus vt (quo,) immediatè productus per Incarnationem.*
2. *Vtrùm hæc vnio tanquam terminus immediatus vt (quo,) ſit quid diſtinctum ab humanitate, & Verbo.*
3. *Vtrùm terminus vltimatus & formalis Incarnationis vt (quod,) ſit humanitas, vel perſonalitas Verbi.*
4. *Quis ſit terminus (à quo) Incarnationis.*

QVINTVM COROLLARIVM.

De ſubiecto vnionis hypoſtaticæ.

Vnio hypoſtatica, afficit tantùm intrinſecè extremum humanitatis, & hæc quidem in ratione nexus eſt maxima vnionum.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm vnio hypoſtatica ſit tantùm intrinſecè in humanitate, an intrinſecè etiam in Verbo.*
2. *Vtrùm vnio hypoſtatica ſit maxima vnionum.*

Hæc ſecunda dubitatio habet tres difficulates.

Prima. *Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione entis, ſeu perfectione eſſendi, ſit maxima.*

Secunda. *Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione vnionis, quatenus coniungit mediatè naturam diuinam, & humanam, in vno ſuppoſito Verbi, ſit maxima vnionum.*

Tertia. *Vtrùm vnio hypoſtatica in ratione vnionis, quatenus proximè & immediatè coniungit naturam humanam cum perſonalitate Verbi, ſit omnium vnionum maxima.*

SEXTVM COROLLARIVM.

De perſona increata aſſumente.

Plures diuinæ perſonæ poſſunt aſſumere eandem numero humanitatem, non tamen hoc eſt neceſſarium, nec propterea dicerentur plures homines, ſed vnus homo.

Habet tres dubitationes.

1. *Vtrùm plures diuinæ perſonæ poſſint aſſumere eandem numero humanitatem.*
2. *Vtrùm aſſumente vna perſona diuina humanitatem, ſit neceſſarium reliquas perſonas eãdem aſſumere.*
3. *Vtrùm ſi plures diuinæ perſonæ aſſumerent eandem numero humanitatem, poſſint dici vnus homo, vel è conuerſo, ſi vna perſona aſſumeret plures humanitates, poſſet dici vnus homo.*

SEPTIMVM COROLLARIVM.

De vnione ex parte perſonæ creatæ aſſumentis.

Perſona creata poteſt hypoſtaticè per diuinam potentiam terminare alienam naturam.

Habet

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſcilicet ſit verum, quòd perſona creata poßit terminare alienam naturam per diuinam potentiam.

OCTAVVM COROLLARIVM.

De modo vnionis ex parte naturæ aſſumptæ.

Natura ſubſiſtens in propria perſonalitate, non poteſt aſſumi reduplicatiuè à Verbo: poteſt autem ſpecificatiuè: Accidens autem, nec vt inhærens in ſubiecto, nec vt ſeparatum à ſubiecto, poteſt aſſumi hypoſtaticè.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm natura ſubſiſtens in propria perſonalitate, nec reduplicatiuè nec ſpecificatiuè aſſumi poßit à Verbo.*
2. *Vtrùm accidens poßit aſſumi hypoſtaticè à perſona diuina.*

NONVM COROLLARIVM.

De modo vnionis quo partes humanæ naturæ fuerunt aſſumptæ.

Anima, & corpus naturæ humanæ in Chriſto, fuerunt aſſumpta per diuerſas partiales vniones: Præter autem hanc aſſumptionem partium, fuit adhuc aſſumptio totius humanitatis.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſcilicet ſit verum, quòd fuerint in humanitate Chriſti duæ vniones partiales, altera in anima, & altera in corpore, quæ per aliam tertiam vnionẽ indiuiſibilem totius naturæ humanæ vniebantur, &c.

DECIMVM COROLLARIVM.

De exiſtentia humanitatis.

Per vnicam exiſtentiam abſolutam eſſentiæ diuinæ, potuiſſet exiſtere natura humana in Chriſto, quamuis non exiſtat de facto niſi per propriam creatam.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia noni Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet humanitas Chriſti intrinſecè exiſtat per exiſtentiam propriam creatam, & non potuerit exiſtere per exiſtentiam increatam Verbi.

VNDECIMVM COROLLARIVM.

De ſubſiſtentia Verbi, vt eſt terminus humanitatis.

Non datur ſubſiſtentia abſoluta in Deo, ſed ſi daretur, potuiſſet natura humana per illam terminari.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm in Deo detur aliqua ſubſiſtentia abſoluta communis tribus perſonis.*
2. *Vtrùm humanitas potuerit terminari ſubſiſtentia abſoluta, ſi daretur in Deo.*

DVODECIMVM COROLLARIVM.

De ſatisfactione Chriſti.

Habet quinque dubitationes.

1. *Vtrùm offenſa facta Deo, ſit ſimpliciter finita.*
2. *Vtrùm valor ſatisfactionis Chriſti, non ſolùm adæquauerit, ſed exceſſerit offenſam.*
3. *Vtrùm ſatisfactio Chriſti fuerit de toto rigore iuſtitiæ.*
4. *Vtrùm valor moralis actuum Chriſti fuerit infinitus ſimpliciter in genere valoris.*
5. *Vtrùm contritio pura creatura ſit formaliter ſanctificatio, vel remiſſio peccati.*

DECIMVMTERTIVM COROLLARIVM.

De impeccabilitate Chriſti, & quomodo concilietur cum libertate.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm Chriſto potuerit imponi præceptum à Patre.*
2. *Vtrùm Chriſtus potuerit peccare.*
3. *Quomodo in Chriſto conciliaretur libertas cum impeccabilitate ſeu potentia phyſica ad peccandum, ſi Chriſtus non fuiſſet beatus, ſed tantùm fuiſſet viator.*

4. *Quomodo de facto concilietur in Chriſto libertas cum impeccabilitate, quatenus Chriſtus de facto eſt beatus.*

DECIMVMQVARTVM COROLLARIVM.

De Incarnatione Verbi.

Si Adam non peccaſſet, Verbum non fuiſſet incarnatum, ex vi primi decreti, ſaltem in carne paſſibili.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm Incarnatio Verbi fuerit poſſibilis.*
2. *Vtrùm ſi Adam non peccaſſet, Verbum fuiſſet incarnatum ex vi primi decreti.*

SECVNDVM PRINCIPIVM

Philoſophicum incomplexum eſt

Prædicamentum Quantitatis.

Circa hoc Principium ſunt Diſputationes quatuor.

PRIMA DISPVTATIO DE ESSENTIA ACCIDENTIS in communi, ſeu de inhærentia, diuiſa in quatuor quæſtiones.

1. *Vtrùm de eſſentia accidentis vt ſic, ſit actualis dependentia à ſubiecto.*
2. *Vtrùm actualis inhærentia diſtinguatur à parte rei ab accidenti realiter diſtincto.*
3. *An ſeparatio quantitatis à ſubiecto, ſeu alterius accidentis realiter diſtincti fiat per nouam actionem Dei, & , An in quantitate ſeparata detur præter hanc actionem alius modus formalis per ſe.*
4. *An accidens, vt accidens, dicat eſſentialiter inhærentiam ſaltem aptitudinalem in ſubiecto.*

SECVNDA DISPVTATIO DE QVANTITATE circa literam Ariſtotelis, in qua diſputatur de quantitate ſub ratione menſuræ, diuiſa in quatuor quæſtiones.

1. *Vtrùm quantitas in Prædicamento Quantitatis conſideretur ab Ariſtotele ſecundùm rationem extenſionis, vel ſecundùm rationem menſuræ.*
2. *De diuiſionibus Quantitatis, & qualis ſit huiuſmodi diuiſio.*
3. *An rectè numerentur ab Ariſtotele in hoc Prædicamento ſeptem ſpecies Quantitatis.*
4. *De paſſionibus Quantitatis.*

TERTIA DISPVTATIO DE ESSENTIA QVANTITATIS ſub ratione extenſionis, diuiſa in ſeptem quæſtiones.

1. *Vtrùm extenſio in ordine ad ſe, ſit alia ab extenſione in ordine ad locum.*
2. *Vtrùm quantitas ſit accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia.*
3. *Vtrùm extenſio partium in ordine ad ſe ſit propria quantitatis.*
4. *Vtrùm ſubſtantia materialis totam ſuam entitatem partium ſubſtantialium habeat ex ſe actu independenter à quantitate.*
5. *Vtrùm quantitas componatur ex indiuiſibilibus.*

Hæc quinta quæſtio habet duas dubitationes.

Prima, *An quantitas conſtet ex partibus indiuiſibilibus finitis.*
Secunda, *Vtrùm continuum conſtet ex partibus indiuiſibilibus infinitis.*

6. *Vtrùm in continuo ſint partes actu diſtincta à parte rei.*
7. *An in continuo dentur indiuiſibilia.*

QVARTA DISPVTATIO DE INFINITO quantitatiuo, diuiſa in octo quæſtiones.

1. *Quid ſit infinitum, & quæ proprietates ipſius.*

Hæc quæſtio habet duas dubitationes.

Prima dubitatio, *Quæ ſit definitio infiniti.*
Secunda, *Quæ ſint proprietates infiniti.* In qua ſex proprietates infiniti conſiderantur.

2. In

Digitized by Google

2. *In quo differat infinitum cathegorematicum ab infinito ſyncathegorematico.*
3. *Vtrùm detur,ſeu naturaliter dari poſſit infinitum,præſertim corporale.*
4. *Vtrùm per potentiam Dei abſolutam dari poſſit magnitudo , vel multitudo rerum corporearum infinita.*
5. *Vtrùm de potentia abſoluta Dei fieri poſſit multitudo cathegorematicè infinita rerum ſpiritualium.*
6. *An poſſit dari qualitas infinitè intenſa.*

In hac quæſtione ſunt quindecim difficultates.

Prima difficultas, *Vtrùm qualitati repugnet intenſio infinita ex conceptu partium intenſionis infinitæ, ſicut repugnat quantitati extenſio infinita.*

Secunda, *An poſſit in qualitate dari intenſio infinita adæquata ſpeciei, ita vt habeat omnes gradus poſſibiles, ſeu totam intenſionem poſſibilem, cum multitudine indiuiduorum ſub illa ſpecie. Verbi gratia, An poſſint dari duæ vel tres albedines infinitè intenſæ,ita vt quælibet albedo habeat totam intenſionem poſſibilem ſub illa ſpecie albedinis.*

Tertia, *An repugnet alicui qualitati, quatenus talis eſt, intenſio infinita.* Et quæritur primò, circa primam ſpeciem qualitatis, *An repugnet humiditatem eſſe infinitè intenſam.*

Quarta difficultas circa eandem primam ſpeciem, *An repugnet ſiccitatem eſſe infinitè intenſam.*

Quinta circa eandem, *An repugnet habitum ſcientiæ,& reliquas virtutes,eſſe infinitè intenſas,& præſertim, An repugnet gratiam, & lumen gloriæ eſſe infinitè intenſa.*

Sexta difficultas circa ſecundam ſpeciem qualitatis, *An repugnet potentiam viſiuam,& intellectiuam,eſſe infinitè intenſas.*

Septima circa eandem, *An repugnet grauitatem, ſiue aliam potentiam motiuam naturalem eſſe infinitè intenſam.*

Octaua circa eandem, *An repugnet mobile moueri motu ſucceſſiuo infinitè veloci.*

Nona circa eandem, *An repugnet mobile moueri motu infinitè tardo.*

Decima difficultas circa tertiam ſpeciem qualitatis, *An repugnet albedinem, quatenus eſt obiectum potentiæ viſiuæ, dari infinitè intenſam.*

Vndecima circa eandem, *An repugnet colorem medium, vt eſt rubeus,eſſe infinitè intenſum.*

Duodecima difficultas circa quartam ſpeciem qualitatis, *An poſſit dari figura infinitè rotunda.*

Decimatertia circa eandem, *An poſſit dari rectitudo infinita,& curuitas infinita.*

Decimaquarta circa eandem, *An poſſit dari raritas infinita.*

Decimaquinta circa eandem, *An poſſit dari denſitas infinita.*

7. *An poſſit dari ſubſtantia creata infinita.*
8. *Vtrùm Deus videat omnia poſſibilia, & omnes cogitationes damnatorum, quæ futura ſunt per totam æternitatem.*

TERTIVM PRINCIPIVM

Philoſophicum incomplexum ponimus

Prædicamentum Vbi.

Circa hoc Principium eſt vnica Diſputatio, diuiſa in nouem quæſtiones.

1. *Quid ſit locus,&, An ſit idem quod Vbi.*
2. *An extra cælum, ſeu vniuerſum detur ſpatium imaginarium.*
3. *Vtrùm intra vniuerſum de facto detur, vel dari poſſit naturaliter ſpatium, ſeu interuallum priuatum omni corpore, quod dici ſolet Vacuum.*
4. *A quo moueantur elementa ad replendum vacuum.*
5. *Vtrùm Vbi ſit forma intrinſeca rei vbicatæ, vel potiùs denominatio extrinſeca à loco ambiente.*
6. *Vtrùm accidentia habeant diſtinctum Vbi à ſubiecto cui inhærent,&, An idem dicendum de omnibus aliis quæ mouentur per accidens, per connexionem cum alio, quod per ſe primariò mouetur.*
7. *Vtrùm Vbi definitiuum, per quod ponitur res locata tota in toto, & tota in qualibet parte, ſit reale intrinſecum in re locata, vel tantùm ſit negatio extenſionis localis.*
8. *Quotuplex ſit hoc Vbi reale intrinſecum, per quod res locata conſtituitur tota in toto, & tota in qualibet parte.*
9. *An diuiſio Vbi, in Vbi immenſum, circumſcriptiuum, & definitiuum, ſit bona & ſufficiens.*

Digitized by Google

COROLLARIA THEOLOGICA

DEDVCTA EX SECVNDO ET TERTIO PRINCIpio Philoſophico incomplexo, Prædicamento ſcilicet Quantitatis, & Vbi, circa varias materias de Deo, Chriſto, & Angelis.

PRIMVM COROLLARIVM.

De reali & indiuiſibili præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus.

Hoc Corollarium habet quatuordecim dubitationes.

1. *Vtrùm Corpus Chriſti ſit realiter & ſubſtantialiter in Sacramento.*
2. *Vtrùm Corpus Chriſti in Sacramento ſit quantum & extenſum in ordine ad ſe.*
3. *Vtrùm Corpus Chriſti ſit intimè præſens ſub ſpeciebus Sacramentalibus, & cuilibet earum parti, ſeu totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte.*
4. *Vtrùm in partibus diſcontinuis ſit totum Corpus Chriſti.*
5. *Vtrùm in punctis, & aliis indiuiſibilibus ſit totum Corpus Chriſti.*
6. *Quæ ſit ratio conſtituendi Corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ.*
7. *Vtrùm hic modus, per quem Corpus Chriſti eſt totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ, ſit indiuiſibilis, vel corporalis & extenſus.*
8. *An hæc præſentia Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, ſit Vbi locale, vel vnio ſimilis vnioni, quam habet ſubiectum cum accidentibus.*
9. *Vtrùm hæc vnio ſit in accidentibus, vel in Corpore Chriſti.*
10. *Quæ denominationes ratione ſpecierum Sacramentalium Corpori Chriſti tribui debeant.*
11. *An hæc præſentia Sacramentalis, quæ fit per vnionem Corporis Chriſti cum accidentibus, ſit reductiuè ſaltem in prædicamento Vbi.*
12. *An per hanc præſentiam Sacramentalem conſtituatur Chriſtus definitiuè in hoſtia, ſicut Angelus in loco.*
13. *An præter hanc vnionem Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, detur Vbi locale intrinſecum in Corpore Chriſti.*
14. *Vtrùm præſentia Sacramentalis Corporis Chriſti, dependeat à naturali eiuſdem in cælo.*

SECVNDVM COROLLARIVM.

De vera & reali replicatione Corporis Chriſti in cœlo, & in hoſtiis.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm implicet Corpus Chriſti eſſe in cælo circumſcriptiuè, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus incircumſcriptiuè, & in duabus hoſtiis incircumſcriptiuè.*
2. *Vtrùm repugnet corpus eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, & an de facto hoc aliquando contigerit in Corpore Chriſti.*
3. *Vtrùm prædicata, quæ conueniunt corpori exiſtenti in vno loco, conuenire poſſint eidem corpori exiſtenti in alio loco; & quid dicendum de Corpore Chriſti exiſtenti in cælo, & in hoſtia.*
4. *In qua reſoluuntur aliquot dubia ſeu quæſita quæ colliguntur ex dictis.*

TERTIVM COROLLARIVM.

De tranſubſtantiatione, ſeu conuerſione ſubſtantiali totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam Corporis Chriſti, quæ dicitur tranſubſtantiatio.

Habet octo dubitationes.

1. *Quæ requirantur ad conuerſionem ſubſtantialem.*
2. *An conuerſio panis in Corpus Chriſti, ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, per ſolam actionem adductiuam.*
3. *An per tranſubſtantiationem, Corpus Chriſti noua actione producatur aut conſeruetur ſecundùm eſſe ſubſtantiale, ſub ſpeciebus Sacramentalibus.*
4. *Vtrùm ex ſola deſitione ſubſtantiæ panis, conuerſio panis in Corpus Chriſti ſit ſubſtantialis, & propriè dici poſſit tranſubſtantiatio.*
5. *An noua ratio ſubſtantialis, quæ ex vi verborum aduenit Corpori Chriſti, ſit aliqua realitas panis, quæ remaneat ſimul cum Corpore Chriſti, & faciat vnum cum illo.*

6. In

Digitized by Google

6. *In qua confutatis iam in præcedentibus dubitationibus, aliis opinionibus, oſtenditur, quòd tranſubſtantiatio ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti ex vi verborum vniatur cum accidentibus loco ſubſtantiæ panis, ſuſtentando efficienter ipſa accidentia, quæ priùs ſuſtentabantur à pane in genere cauſæ materialis.*
7. *An deſitio panis ſit annihilatio.*
8. *Quæ conſtituantur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini.*

Hæc dubitatio habet ſex difficultates.

Prima difficultas, *An Corpus Chriſti, quod venit ex vi verborum ſub accidentibus panis, ſit materia ſubſtantiæ Chriſti, an aliquod compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali.*
Secunda difficultas, *Quæ ſit illa forma, ex qua componitur Corpus, quod venit ex vi verborum.*
Tertia difficultas, *Vtrùm ex vi verborum conſtituatur ſub Sacramento Corpus Chriſti organicum.*
Quarta difficultas, *Vtrùm materia panis conuertatur in materiam Corporis Chriſti, & forma panis in Animam Chriſti, vt eſt forma Corporis, & vt dat eſſe corporeum.*
Quinta difficultas, *Vtrùm ratio ſuppoſiti ſubſtantialis ſaltem ſecundùm rationem ſuppoſiti communem analogicè creato & increato, ſit ex vi verborum in hoc Sacramento.*
Sexta difficultas, *Vtrùm ea quæ ſunt in hoc Sacramento Euchariſtiæ, fiant præſentia per eandem indiuiſibilem actionem phyſicam.*

QVARTVM COROLLARIVM.

Quomodo Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento, nec agere nec pati poteſt.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm Corpus Chriſti prout eſt in hoc Sacramento, poſſit moueri localiter.*
2. *Vtrùm Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, poſſit agere & pati actione & paſſione tranſeunti.*
3. *Vtrùm Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, poſſit audire, vel videre ſeipſum, & circumſtantes.*
4. *Vtrùm Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, poſſit videri ab oculo corporeo.*

QVINTVM COROLLARIVM.

De reali præſentia Angelorum in loco.

Habet octo dubitationes.

1. *An Angeli ſint in loco.*
2. *Vtrùm Angeli ſint definitiuè in loco.*
3. *Quæ ſit ratio formalis exiſtentiæ, ſeu præſentiæ localis in Angelo.*
4. *An detur Vbi intrinſecum in Angelo.*
5. *Vtrùm hoc Vbi Angelicum ſit indiuiſibile, vel diuiſibile, ſeu extenſum.*
6. *Vtrùm Angelus poſſit eſſe in loco minori diuiſibili, quàm ſit adæquatus, & maximus.*
7. *Vtrùm Angelus poſſit ſe conſtituere in puncto tanquam in loco totali.*
8. *Vtrùm poſſit contingere, quòd Angelus ſit in loco maiori, quàm ſit locus adæquatus.*

SEXTVM COROLLARIVM.

Quomodo infinitas Dei intenſiua cognoſci poſſit lumine naturali.

Habet ſeptem dubitationes.

1. *Vtrùm ex infinitate motus rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.*
2. *Vtrùm ex infinitate mobilis rectè inferatur infinitas intenſiua Dei.*
3. *Vtrùm ex velocitate motus infinita, colligi poſſit virtus infinita cathegorematica in Deo.*
4. *An ex perpetuitate motus tanquam ex effectu, primò & per ſe, probetur infinitudo intenſiua in Deo.*
5. *Vtrùm ex creatione præcisè, ſeu ex modo producendi ex nihilo, argui poſſit infinitudo in Deo.*
6. *In qua confutatis iam aliis opinionibus, oſtenditur ex creatione omnium poſſibilium, tanquam à poſteriori, concludi infinitatem intenſiuam cathegorematicam in Deo.*
7. *In qua oſtenditur, bene concludi à priori, Deum eſſe infinitum cathegorematicè, quia eſt ſuum eſſe per eſſentiam.*

Digitized by Google

SEPTIMVM COROLLARIVM.

Quomodo immenſitas, ſeu præſentia Dei in omnibus rebus demonſtrari poſſit lumine naturali.

Circa huius Corollarij demonſtrationem poſt probationes ex Scripturis, Patribus, Philoſophis, conſiderantur variæ viæ dicendi ſeu demonſtrandi.

QVARTVM PRINCIPIVM

Philoſophicum incomplexum eſt

Prædicamentum Relationis, ſeu, Ad aliquid.

Circa hoc Principium eſt vnica Diſputatio, diuiſa in decem & octo quæſtiones.

1. *Quid nomine Relationis realis prædicamentalis intelligatur; & an ſit realis.*
2. *Vtrùm Relatio prædicamentalis ſit realis ſecundùm eſſe Ad.*
3. *Vtrùm Relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe Ad, dicat perfectionem realem.*
4. *Vtrùm Relatio realis prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud.*
5. *In quibus differat Relatio tranſcendentalis à prædicamentali.*
6. *Vtrùm Relatio prædicamentalis diſtinguatur à parte rei à ſuo fundamento.*
7. *An relatio poſſit per diuinam potentiam poni in alieno fundamento.*
8. *Vtrùm relationes mutuæ terminentur ad abſolutum, vel ad correlatiuum.*
9. *Vtrùm in relationibus non mutuis, relatiuum terminetur ad correlatiuum formaliter.*
10. *Vtrùm eadem numero relatio poſſit terminari ad plures terminos numero, vel multiplicari debeat numero ad numericam multitudinem terminorum.*
11. *Vtrùm Relatio ſuſcipiat magis & minus.*
12. *Quæ diſtinctio requiratur inter relationem, & terminum relationis.*

Hæc quæſtio habet duas dubitationes.

Prima dubitatio eſt *De variis modis diſtinctionum.*

Secunda, *Qui modi diſtinctionum inter fundamentum & terminum, fundent relationem realem.*

13. *De fundamentis relationum, & primò quid, & quotuplex ſit.*
14. *Vtrùm relatio fundet relationem, ſicut fundant cætera prædicamenta abſoluta.*
15. *Vtrùm vnitas, & numerus Mathematicus, fundent relationem realem.*
16. *Vtrùm vnitas, & numerus Metaphyſicus, fundent relationem realem.*
17. *Vtrùm actio, & paſſio, quæ eſt ſecunda ratio fundandi, fundent relationem realem.*
18. *Vtrùm menſura, & menſurabile, quod eſt tertium genus rationis fundandi, fundent relationem mutuam.*

COROLLARIA THEOLOGICA

DEDVCTA EX QVARTO PRINCIPIO PHILOSOphico incomplexo, Prædicamento ſcilicet Relationis, ſeu, Ad aliquid, circa materiam de diuinis relationibus.

PRIMVM COROLLARIVM.

In Deo non datur relatio prædicamentalis ad creaturas.

Hoc Corollarium habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia primi Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo non detur relatio prædicamentalis ad creaturas.

SECVNDVM COROLLARIVM.

In Deo non datur aliqua relatio tranſcendentalis ab æterno ſiue potentiæ, ſiue ſcientiæ, ad creaturas poſſibiles.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia ſecundi Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo non ſit aliqua relatio tranſcendentalis ab æterno, ſiue potentiæ, ſiue ſcientiæ, &c. ad creaturas poſſibiles.

Digitized by Google

TERTIVM COROLLARIVM.

Verbum Diuinum, vt Verbum, non dicit relationem realem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, tanquam ad obiecta dicta à Patre in Verbo.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia tertij Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet Verbum Diuinum, non dicat relationem realem tranſcendentalem ad creaturas poſſibiles, tanquam ad obiecta dicta.

QVARTVM COROLLARIVM.

Dantur in Deo relationes reales perſonales originis, ſcilicet, paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia quarti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet in Deo ſint relationes reales originis, paternitas, & ſpiratio paſſiua.

QVINTVM COROLLARIVM.

Huiuſmodi relationes originis non ſolùm ſunt reales, ſed etiam dicunt perfectionem realem, non ſolùm abſolutam, ſed etiam relatiuam.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia quinti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes originis in Diuinis dicant perfectionem realem.

SEXTVM COROLLARIVM.

Præter illas tres relationes perſonales originis ſuprà dictas, datur etiã in Deo relatio realis ſpirationis actiua.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia ſexti Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet ſpiratio actiua ſit relatio realis in Deo.

SEPTIMVM COROLLARIVM.

Præter has quatuor relationes reales originis, quæ ſunt paternitas, filiatio, ſpiratio paſſiua, & ſpiratio actiua, non ſunt ponendæ aliæ relationes reales in Deo.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia ſeptimi Corollarij ſit vera, quòd præter quatuor relationes originis, non ſit ponendæ aliæ relationes reales in Deo.

OCTAVVM COROLLARIVM.

Relationes originis perſonales in Diuinis diſtinguuntur inter ſe à parte rei realiter.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia octaui Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes originis in Diuinis diſtinguantur inter ſe realiter.

NONVM COROLLARIVM.

Relationes diuinæ non habent proprias exiſtentias relatiuas, ſed exiſtunt exiſtentia abſoluta.

Habet vnicam quæſtionem.

Vtrùm ſententia noni Corollarij ſit vera, quòd ſcilicet relationes diuinæ non habeant proprias exiſtentias relatiuas, ſed exiſtant exiſtentia abſoluta eſſentia diuina.

DECIMVM COROLLARIVM.

De conſtitutione relatiua perſonarum diuinarum.

Perſonæ conſtituuntur in eſſe hypoſtaſis, ſeu perſonæ, per proprietates relatiuas, vt relatiuas.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm perſona diuina verè & propriè conſtituatur ex eſſentia & proprietate perſonali.*
2. *Vtrùm perſona diuina conſtituatur per relatiuum, vel per abſolutum.*

VNDECIMVM COROLLARIVM.

De fundamento relationum originis, quod eſt potentia productiua in perſona producente.

Præter relationes originis, danda eſt in Deo potentia notionalis productiua, quæ ſit fundamentum harum relationum.

Digitized by Google

Habet tres dubitationes.

1. *Vtrùm detur in Deo principium (quo,) ſeu potentia productiua, quæ ſit fundamentum relationis originis.*
2. *Quænam ſit iſta potentia productiua in Deo, vtrùm ſola eſſentia, vel relatio producentis, vel vtrũque.*
3. *Vtrùm eſſentia diuina ſit potentia productiua vt natura eſt, vel vt eſt intellectus, & voluntas.*

DVODECIMVM COROLLARIVM.

Præter relationes originis, & potentiam productiuam, danda eſt in Deo origo, ſeu actio notionalis, qua producuntur perſonæ tanquam ratio fundandi, ſeu fundamentum proximum.

Habet quatuor dubitationes.

1. *Vtrùm in Deo detur actio originis, per quam communicetur eſſentia perſonis, vel producantur ipſæ perſonæ.*
2. *Quænam ſit iſta actio, an ſit ipſa intellectio, ſeu volitio, an aliqua alia actio præter iſtas.*
3. *Vtrùm hæc actio identificetur adæquatè cum perſona producta, vel cum perſona producente.*
4. *Quæ habitudo principij ſignificetur in perſona producente, & in ipſa eſſentia, ſeu natura, diuina, cùm dicitur Filius procedere de ſubſtantia Patris.*

DECIMVMTERTIVM COROLLARIVM.

De perſonis diuinis in particulari, & primò de perſona Patris.

Pater ſolus in Diuinis eſt innaſcibilis ſeu ingenitus; hæc autem proprietas notionalis fundatur in relatione paternitatis.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm innaſcibilitas, ſeu eſſe ingenitum, ſeu improductum, ſit proprietas primæ perſonæ, ſolius ſcilicet Patris, ſeu ratio notionalis dignoſcendi primam perſonam, ſolum ſcilicet Patrem.*
2. *Vtrùm eſſe ingenitum, ſeu innaſcibilitas, quæ eſt proprietas notionalis Patris, fundetur in relatione paternitatis.*

DECIMVMQVARTVM COROLLARIVM.

De perſona Filij.

Filius procedit ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo formaliter, non autem ex cognitione creaturarum, quæ ſunt in Deo eminenter, procedit autem ex cognitione, tanquam ex via generatiua, & hinc fit vt ratio geniti, & ratio imaginis, ſint rationes ſeu proprietates notionales ſolius Filij.

Habet tres dubitationes.

1. *Vtrùm Filius, ſeu Verbum Diuinum, procedat ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo.*
2. *Vtrùm eſſe genitum, ſit proprium ſolius Filij.*

Hæc ſecunda dubitatio habet duas difficultates.

Prima, *Quæ conditiones requirantur ad veram & propriam generationem viuentis.*
Secunda, *An generatio, ſeu eſſe genitum, competat ſoli Filio in Diuinis.*

3. *Vtrùm imago ſit proprietas, ſeu ratio notionalis ſolius Filij.*

Hæc tertia dubitatio habet quatuor quæſita.

Primum, *Vtrùm Filius ſit propriè imago Patris.*
Secundum, *Vtrùm ſolus Filius in Diuinis dicatur imago, & conſequenter ſit proprietas notionalis ſolius Filij.*
Tertium, *Vtrùm Filius dicatur imago ſolius Patris, vel Spiritus ſancti, & aliorum obiectorum.*
Quartum, *Vtrùm ratio Filij, Verbi, & Imaginis, ſint omnes de quidditate vnius perſonalitatis, ſeu ſecundæ perſonæ.*

DECIMVMQVINTVM COROLLARIVM.

De perſona Spiritus ſancti.

Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, tanquam ab vno principio, poſtulat tamen ex natura ſua pluralitatem ſuppoſitorum, quia procedit vt nexus Patris & Filij; quòd ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur à Filio.

Habet duas dubitationes.

1. *Vtrùm Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam ab vno principio per ſe.*
2. *Vtrùm ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab illo.*

INDEX PHILOSOPHICVS

MATERIERVM PHILOSOPHICARVM, QVÆ SVNT IN hoc ſecundo tomo.

A.

Accidens.

ACCIDENTIA modalia dicunt actualem dependentiam à re modificata. in prædicamento Quantitatis diſp. 1. quæſt. 1. num. 3.

Accidentia actualiter diſtincta non dicunt eſſentialiter actualem dependentiam à ſubſtantia, tamquam à termino. ibid. num. 4. neque a ſubiecto. ibidem num. 5.

Accidens realiter diſtinctum non dicit eſſentialiter actualem dependentiam à quantitate. ibid. n. 11.

Quomodo poſſit Deus ſeparare à quantitate albedinem intenſam vt duo in qualibet parte ſubiecti. ibid. num. 13.

Accidentia propria ſeu paſſiones alicuius ſubiecti, ſi ſint diſtincta realiter, non habent eſſentialiter actualem dependentiam à ſubiecto, de potentiis vero animæ eſt dubium. ibidem n. 15. & 16.

Poteſt Deus conſeruare concurſu efficientis, per quem concurſum ſuppletur concurſus materiæ. ibidem num. 18.

Accidentia ſiue ſint diſtincta realiter à ſubiecto, ſiue modaliter, habent exiſtentiam propriam. ibidem num. 7.

Quando aliquod accidens realiter diſtinctum vt quantitas conſeruatur à Deo ſeparatum à ſubiecto, non ſatis eſt ad conſeruationem negatio dependentiæ illius accidentis à ſubiecto, ſed requiritur nouus & maior influxus Dei. ibidem quæſt. 3. num. 4.

Hic nouus & maior influxus diſtinguitur eſſentialiter ab illo influxu ſeu actione Dei, per quam quantitas conſeruabatur in ſubiecto. ibid. n. 5.

Influxus tamen Dei quo accidens conſeruatur ſeparatum à ſubſtantia, ſed non ſeparatum à quantitate tamquam à ſubiecto, non differt eſſentialiter ab illo influxu, quo conſeruabatur accidens in ſubſtantia tamquam in ſubiecto, requiritur tamen maior influxus. ibidem num. 6.

Quando Accidens conſeruatur à Deo ſine vllo ſubiecto vt quantitas in Sacramento, præter illum nouum maiorem influxum Dei non requiritur alius modus poſitiuus per ſe exiſtendi in ipſa quantitate. ibidem num. 7.

Modus exiſtendi per ſe ad modum ſuppoſiti repugnat quantitati & aliis accidentibus. ibid. n. 9.

Accidens vt accidens, non dicit aptitudinalem dependentiam ab alio tamquam à ſubiecto. ibidem quæſt. 4. num. 4.

Accidens illud quod dicit aptitudinalem inhærentiam ad ſubiectum, reſpicit ſemper ſubiectum tamquam ſibi proportionatum, quoad receptionem, non autem opus eſt vt illud ſubiectum ſit connaturaliter exigitiuum illius accidentis. ib. n. 11.

Accidentia non dependent eſſentialiter à quantitate. ibidem quæſt. 7. num. 10.

Accidens completum eſt vniuocum ad alia accidentia. ibidem num. 1.

Accidentia ſunt diſtincta in nouem prædicamenta, potiùs ob commoditatem quàm ex natura rei. ibidem.

Actualis inhærentia accidentis.

Actualis inhærentia diſtinguitur à parte rei ab ipſo accidenti, vt à quantitate, & poteſt exiſtere ſine illa. ibidem diſput. 1. quæſt. 2. n. 2. & 4.

Hæc diſtinctio actualis inhærentiæ à quantitate ſeu ab alio accidenti, non eſt extrinſeca penes tantùm connotatum extrinſecum, ſed eſt diſtinctio actualis & intrinſeca. ibid. n. 3.

Actio qua quantitas conſeruatur ſine ſubiecto, dependet quidem à quantitate eſſentialiter, non tamen tamquam à ſubiecto. ibid. n. 6.

Quid ſit aptitudinalis inhærentia, & quot modis accipiatur. ibid. n. 9.

Ad aliquid.

Prædicamentum Ad aliquid non conſtituitur per eſſe, Ad, commune reali & rationis. Vide in prædicamento Relationis diſput. vnica q. 2. n. 2. & 4.

Ad, vt abſtrahit ab ente reali & rationis, dicit aliquod commune, & non tantùm eſt conuenientia in voce. ibid. quæſt. 2. num. 6. & 7.

Ad reale, non propriè contrahit, ſed imbibitur in illo. ibid. num. 7.

Ad non reale, alio modo apprehenditur ab intellectu, quàm apprehenditur ſubſtantia quæ non eſt realis; quia intellectus non ſolùm apprehendit ſed etiam refert. ibid. quæſt. 2. n. 6.

Ad Aliquid. *Vide plura verbo Relatio.*

Agens poteſt agere in locum diſtantem. ex prædicamento Vbi coroll. 6. n. 8.

Analogum attributionis & proportionis quomodo differant, & an dicant conceptum communem ſaltem ſecundùm rationem. *Vide fuſe in verbo Ens.*

Appetitus quotuplex eſt. Vide in prædicamento ſubſtantiæ, diſput. 3. quæſt. 1. num. 16. & quæſt. 5. num. 1.

ſſ 4 A commutata

C

A Commutata proportione, quando tenet argumentum. in prædicamento ſubſtantiæ diſput.1.quæſt.1.num.17.
Chimæra non habet eſſe potentiale in cauſa. in prædicam.ſubſt.diſp.1.à n.18.
Ad Creationem ſufficit vt creatura ſit facta ex puro nihilo in genere exiſtentialium, non autem in genere eſſentialium. ibid.quæſt.1.n.41.
In Compoſito eſſentiali vel ſubſtantiali an ſit vnio afficiens vtrumque extremum; vel vna in vno extremo tantùm, vel plures. *Vide in verbo Vnio.*
Conceptus formalis in ratione rei poteſt eſſe vnus, in ratione verò imaginis multiplex. in præd. ſubſt.diſput.1.quæſt.9.à num.5. vſque ad num.8.

Continuum.

Omni parti continui datur aliqua pars minor, & omni parti continui non datur aliqua pars minor, quomodo ambæ veræ ſint. in prædicam. quantitatis diſp.3.quæſt.5.num.34. *Vide plura in verbo Quantitas continua.*
In cauſis efficientibus repugnat dari proceſſum in infinitum. ex prædicamento Ad aliquid. coroll.13.dubit.1.num.10.
Cauſa non poteſt producere ſeu conſeruare ſeipſam. ibid.num.12.
Cauſæ non poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ etiam in diuerſo genere cauſæ. ibid.n.16.& 17.

D

DEVM cognoſcere res prout in ipſo ſunt, quomodo intelligatur. in prædicamento ſubſt. diſput.1.quæſt.1.n.46.
Quomodo Deus eſt cauſa exemplaris. ibid. q. 2. num.2.
Deus tamquam cauſa exemplaris non dependet à creaturis poſſibilibus. ibid.num.8.
Denominationes extrinſecæ non ſunt reales. in prædicam.Relationis quæſt. vnica diſp.1.n.17.
Denominatio (ſimilis) vel alterius relatiui non poteſt fieri ab intellectu, niſi vel ſupponatur à parte rei habitudo media relatiua inter duo extrema, vel quòd fiat ab intellectu. ibid.num.23.
Denominationes extrinſecæ (cogniti ſeu viſi) non dicunt formam intrinſecam à qua ſit denominatio. ibid.num.21.
Non ſunt relationes formaliter. ibid.num.32.
Dependere per ſuſtentationem quid ſit. in prædicam.ſubſt.diſput.3.quæſt.2.num.17.

Diſtinctio.

Diſtinctio ex natura rei alia modalis alia formalis. in prædicam.ſubſt.diſp.2.quæſt.1.num.41.
Diſtinctio rationis, altera rationis ratiocinantis: altera ratiocinatæ. ibid.n.3.
Diſtinctio à parte rei, alia modalis, alia formalis, alia ex natura rei, alia realis, alia ſe totis ſubiectiuè, alia ſe totis obiectiuè, & quomodo differant. Vide in prædicamento Relationis q. 12. dubit.1.à num.3.vſque ad num.13.
Diſtinctio graduum an ſit à parte rei. *Vide in verbo Gradus.*
Diſtinctionis formalis tres ſunt gradus. in prædicamento ſubſt.diſput.2.quæſt.1.num.43.
Diſtinctionis realis ſignum eſt quãdo vtrumque extremum poteſt per Diuinam potentiam ſeparatim exiſtere. ibid.num.37.
Diſtinctionis duo ſunt genera, alterum rationis: alterum à parte rei. ex prædicamento Relationis quæſt.12.dubit.1.num.1.
Differentia indiuidualis an diſtinguatur à natura ſpecifica. *Vide in verbo Gradus.*
Differentia indiuidualis vnde ſumatur, an à materia vel à forma. ex prædicam. ſubſt. diſput. 1. quæſt.10.dubit.4.num.3.
Quid ſit diuidi contrariè, & quid ſit diuidi priuatiuè. Vide in prædicamento Quantitatis diſp. 3.quæſt.3.num.24.

E

Eſſe eſſentia.

ENs abſtractum dicit perſeitatem & inhærentiam negatiuè, contractum poſitiuè. in prædicamento ſubſt.diſput.1.num.15.
Ens aliquando ſumitur pro eſſe eſſentiæ, aliquando pro eſſe exiſtentiæ. ibid quæſt.4.num.1.
Ens eſt priùs Deo ſecundùm prædicationem, non autem natura. ibid.num.29.
Ens & vnum ſignificare eamdem naturam, quomodo intelligitur ab Ariſtotele. ibid num.16.
Ens completum quid ſit. ibid.quæſt.5.num.1.
Ens completum non includitur in rationibus inferioribus. ibid.num.13.
Ens completum non eſt vniuocum. ibid.q.7.n.9.
Ens latiſſimè ſumptum vt abſtrahit à completo & incompleto, habet quatenus eſt analogum proportionis vnum conceptum communem, non ſolùm confuſum, ſed etiam diſtinctum. in prædicamento ſubſt.diſp.1.quæſt.6. à num.4. vſque ad num.12.
Ens latiſſimè ſumptum vt eſt analogum attributionis, non dicit immediatè vnum conceptum communem neque confuſum. ibid.num.8.
Ens non habet conceptum vniuocum ad inferiora. ibid.quæſt.7.num.4.& ſequent.
Ens non præſcindit à parte rei ab inferioribus. ibid. quæſt. 8.num.3.& ſequent.
Ens ratum quid ſit. ibid.diſp.1.num.2.
Ens reale quotupliciter accipitur. ibid.num.1.
Ens vt eſt analogum attributionis, nullum dicit conceptum obiectiuum, neque diſtinctum, neque confuſum. ibid.quæſt.4.num.3.
Entis differentiæ quamuis non præſcindant ab ente, limitant tamen ens. ibid quæſt.6.n.15.
Entis ratio vt eſt analogũ attributionis, eſt extrinſeca in ente. ex prædicam.ſubſt.diſp.1.quæſt.4.n.3.
Inter ens & nihil non eſt diſtantia infinita. ex prædicam.Quantitatis coroll.6.dub.5.num.4.
Inter minùs principalia analogata poteſt dari vnus conceptus communis. ibid.n.7.
Entis ratio ſuperior non eſt abſoluta, nec reſpectiua poſitiuè, ſed negatiuè. ibid.quæſt.6.num.27.
Conceptus præciſus entis alter obiectiuus; alter formalis. ibid quæſt.4.n.1.
Conceptus obiectiuus entis completi eſt præciſus ab inferioribus ſecundùm rationem. ibid.q.5. num.9.
Conceptus formalis entis tam in ratione rei quàm in ratione imaginis eſt vnus. ibid.quæſt.9.n.8.
Eſſe triplex eſt, eſſentiæ, exiſtentiæ, & obiectiuum. ex prædicam.ſubſt.diſput.1.quæſt.1.num.12.
Eſſe exiſtentiæ non habet eſſe actuale ab æterno, ſicut eſſe eſſentiæ. ibid.num.43.
Eſſe vnum de eſſentia alterius in rebus abſolutis cognoſci poteſt, quando non poteſt intelligi ſecundùm ſuam eſſentiam ſine alio, hæc autem regula

Digitized by Google

gula non valet in relatiuis. in prædicamento ſubſt.diſput.3.quæſt.8.num.3.

Eſſe irreceptum in alio non arguit infinitatem. in præd.ſubſt.diſp.2.quæſt.1.n.3.& 31.

Eſſentiæ creaturarum non ſunt omnino nihil. ibid. diſp.1.num.12.

Habent eſſe intrinſecum actuale ab æterno. ibid.

Eſſentiæ rerum non accipiunt aliquod eſſe neque diminutum ab intellectu Diuino. ibid.à n.28. vſque ad 36.

Eſſentiæ rerum dependent à Deo in genere cauſæ exemplaris. ibid.num.42.

Eſſentiæ rerum dependent ſecundùm ſuum eſſe quidditatiuum aliquo modo à Deo tamquam à cauſa efficienti. ibid.quæſt.2.num.7.

Totum eſſentiale quomodo diſtinguatur à ſuis partibus. ibid.diſp.2.quæſt.3.num.4.

Ly, ex, aliquando importat habitudinem ſubiecti, aliquando habitudinem durationis prioris ad poſterius. ibid.num.15.

Exemplar in Deo quid ſit. in præd.ſubſt. diſput.1. quæſt.1.num.2.&ſeq.

Exemplar in Deo non dependet à creaturis poſſibilibus. ibid.quæſt.2.num.8.

Eſſe exiſtentia.

Exiſtentia diſtinguitur actualiter à parte rei ab eſſentia. in prædic.ſubſt.diſput.2.quæſt.1.n.29. & ſequent.

Exiſtentia etiamſi identificaretur cum eſſentia, adhuc eſſet finita. ibid.num.30.& 31.

Quomodo intelligatur illud S. Thomæ, quòd exiſtentia ſi non eſſet actus receptus in eſſentia eſſet infinitus. ibid.num.31.& 35.

Exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſed ex natura rei. ibid.num.37 & ſequent.

Exiſtentia non diſtinguitur modaliter ſed formaliter ab eſſentia. ibid.num.41.

In quo gradu formalis diſtinctionis collocetur diſtinctio exiſtentiæ ab eſſentia. ibidem num.43. & 47.

Quomodo intelligatur illud Ariſtotelis, idem ſunt homo,& ens homo. ibid.num.49.

Ens diuiſum in actu & potentia,eſt ens exiſtentiale, & non ens abſtrahens ab eſſentiali & exiſtentiali. ibid.num 61.

Inter exiſtentiam & eſſentiam eſt vera & realis compoſitio. ibid.diſput.2.quæſt.2.num.4.& ſequent.

Exiſtentia non componitur ex gradibus metaphyſicis, ſicut componitur eſſentia. ibid.quæſt.4. num.2.

Exiſtentia ſecundùm ſpeciem eſt eadem in omnibus rebus creatis conſequens res creatas vt creatæ ſunt. ibid.num.5.&9.

Eſſentia poteſt exiſtere per diuinam potentiam exiſtentia alterius. ibid.quæſt.5.num.8.

Exiſtentia non eſt accidens prædicamentale, ſed reducitur ad prædicamentum eſſentiæ. ibidem quæſt.6.num.4.& 5.

Exiſtentia eſt accidens quinti prædicabilis. ibid. num.3.

Totum exiſtentiale quomodo diſtinguatur à ſuis partibus, & an diſtinguatur ſicut totum eſſentiale. ibid.quæſt.3.per totum.

Extenſio. *Vide plura in verbo Quantitas.*

Extenſio in ordine ad ſe eſt alia ab extenſione in ordine ad locum. in prædicamento Quantitatis diſput.3.quæſt.1.num.4.

In extenſione in ordine ad ſe,eſt diſtantia partium ſecundùm longitudinem & alias dimenſiones. ibid num.8.

In partibus in ordine ad ſe non poteſt fieri motus. ibid.

Extenſum in ordine ad ſe poteſt eſſe figuratum. ibid.num.9.

Quare extenſio diſtinguatur realiter à re extenſa, non autem intenſio. ibid.quæſt.2.num.14.

Extenſio partium in ordine ad ſe eſt propria quantitas: ita vt per illam extendatur ſubſtantia & accidens. in prædicam. Quantitatis diſput.3. quæſt.3 num.10.

Extenſio in ordine ad ſe ex natura ſua eſt impenetrabilis. ibid.num.14.

Si à ſubſtantia remoueatur quantitas, partes ſubſtantiales redigerentur ad indiuiſibile ſubſtantiæ. ibid. quæſt.3.num.20.

Subſtantia habet partes ſubſtantiales extenſas in ordine ad ſe, diſtinctas à partibus accidentalibus quantitatis. ibid.num.18.

F

FORMA eſt imperfectior materia in modo exiſtendi, quamuis ſit perfectior ſecundùm gradum rei. in prædicam. ſubſt. diſput. 3.quæſt.6. num.17.

Forma non habet eſſe, in, inhæſiuè,ſicut accidens. ibid.num.18.

Figura eſt qualitas quædam abſoluta quæ poteſt eſſe ſine actuali commenſuratione ad locum, eſt tamen talis diſpoſitio partium, vt illi debeatur talis commenſuratio cum loco. in prædicamento Quantitatis diſput.3.quæſt.1.num.9.

G

AD generationem viuentis, quæ requirantur. Vide in prædicamento Relationis, coroll. 14.dubit.2.in prima difficultate per totam.

Ad generationem ſubſtantialem etiam non viuentis, ſeu ad conuerſionem ſubſtantialem quæ requirantur. Vide in prædicam. Quantitatis & Vbi,coroll.3.dubit.1.

Gradus.

Gradus genericus exiſtens in indiuiduo non diſtinguitur de facto à gradu ſpecifico. in prædic. ſubſt.diſp.1.quæſt.10.dubit.2.num.12.

Gradus genericus exiſtens in indiuiduo, eſt determinatus ad differentiam ſpecificam illius indiuidui. ibid num.7 & ſequent.

Gradus indiuidualis addit ſupra naturam ſpecificam, aliquam entitatem poſitiuam & realem, ſed indiſtinctam. ibid.quæſt.10.dub.1.n.20.

Gradus indiuidualis diſtinguitur ratione ratiocinata à natura ſpecifica. ibid num.14.

Gradus indiuidualis non eſt determinatus ad hæcceitatem per exigentiam intrinſecam, ſed omnino eſt identificatus cum hæcceitate.ibid num.10. 14.& 19.

Gradus metaphyſicus indiuidualis non diſtinguitur à parte rei à natura ſpecifica. ibid. dubit. 1. num.4.& ſequent.

Non repugnat gradum genericum diſtingui à ſpecifico. ibid.dubit.2.num.5.

Si gradus genericus diſtingueretur à parte rei à ſpecifico, non diſtingueretur realiter. ibidem num.21.

Neque diſtingueretur modaliter, ſed tantùm formaliter. ibid.num.3.

Digitized by Google

H

HÆcceitas quomodo diſtinguatur à natura. *Vide verb. Gradus indiuidualis.*

I

IDentificatio in quantitate continua eſt diſtincta ab identificatione, qua duo indiuiſibiliter & intrinſecè identificantur, ſed eſt per identificationem extrinſecam, per negationem ſcilicet vlterioris termini ſeu extenſionis. ibid. num.35.

Quando duæ entitates in quantitate continua afficiuntur diuerſis accidentibus, non propterea diſtinguuntur à parte rei in ratione quantitatis, ſed identificantur. ibid.num.29.

Indiuiſibile Quantitatis.

Indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, quomodo probetur. in prædicamento Quantitatis diſput.3.quæſt.5.dubit.2.num.6.

Quare anima ſpiritualis & indiuiſibilis quaſi vnitur ſibi ipſi, & coëxiſtit magnitudini extenſæ, & tamen indiuiſibile additum indiuiſibili non poteſt facere extenſum. ibid.num.6.

Quotuplex ſit indiuiſibile quantitatis. ibidem quæſt.7.num.1.

Indiuiſibilia in quantitate non dantur poſitiuè à parte rei neque terminatiua, neque continuatiua. ibid.num.4.

Indiuiſibilia continuatiua non dantur neque ſecundùm negationem. ibid.num.14.

Indiuiſibile puncti vel lineæ non poteſt dari terminatiuum neque ſecundùm negationem. ibid. num.30.

Indiuiſibile terminatiuum puncti vel lineæ, non poteſt eſſe purè terminatiuum quin etiam ſit continuatiuum. ibid.

Superficies vt eſt terminus indiuiſibilis purè terminatiuus, poteſt eſſe negatiuè. ibid.num.32.

Quomodo corpus coloratum videatur ſecundùm ſuperficiem ſi ſuperficies non eſt realis. ibid.n.57.

Corpus perfectè planum cadens ſuper vitrum perfectè planum, non frangit omnes partes vſque ad indiuiſibilia. ibid.diſput.4.num.27.

Indiuiſibilia non poſſunt componere magnitudinem. ex prædic.Subſt.diſp.3.q.5.dubit.1.& 2.

Quare ſi continuum diuidatur in omnem ſui partem, remanerent indiuiſibilia, & tamen omnes partes vt cognitæ à Deo ſunt diuiſibiles. ibid. num.26.

Quare intenſio non diſtinguitur realiter à re intenſa, diſtinguitur tamen extenſio. in prædic. Quantitatis diſp.3.quæſt.2.num.14.

Infinitum.

Infinitum eſt cuius ſemper eſt aliquid extrà accipere, non autem cuius nihil eſt extrà accipere. in prædicam.Quantitatis diſput.4.quæſt.1.dubit.1. num.1.& ſequent.

Nullum infinitum redditur finitum per detractionem finitam. ibid.dub.2.num.1.

Infinitum continet infinitates infinities infinitas. ibid.num.2.

Infinitum habet infinitas partes æquales vni certæ. ibid.num.3.

Infinitum non poteſt claudi duobus terminis ſiue intrinſecis ſiue extrinſecis. ibid.num.4.

Quare poſt infinitas partes proportionales, poteſt ſequi punctum, & non poſt infinitas partes æquales. ibid.num.5.

Infinito ex ea parte, qua eſt infinitum, non poteſt fieri additio, ſiue immediatè vniatur omnibus, vt in intenſione, ſiue mediatè vt in extenſione. ibid. num.6.& 8.

Dantes infinitum debent concedere vnum eſſe maius altero. ibid.num.6.

Numerus infinitus cathegorematicus quamuis contineat infinities infinitos numeros binarios, ternarios, &c. quoad ſpeciem, non tamen omnes poſſibiles, quoad indiuidua, quia non continet alias vnitates, quas continet alius numerus infinitus. ibid.num.10.

Infinitum ſyncathegorematicum eſt illud, in quo, quod acceptum eſt, ſemper finitum eſt, reſtat ſemper tamen alterum & alterum accipiendum. in prædicam. Quantitatis diſput. 4. de infinito. quæſt.2.num.3.

De ſingulis cogitationibus damnatorum infinitis in infinitum poteſt affirmari, quòd ſingulæ extiterunt, non autem quòd tota collectio ſit elapſa. ibid.num.5.

Potentia, per quam conſtituitur infinitum ſyncathegorematicum, numquam poteſt eſſe actu. ibid.num.7.

Si omnes partes infiniti ſyncathegorematici ponerentur per impoſſibile actu, adhuc non pertingerent infinitatem cathegorematicam. ibid.n.13.

Infinitum ſyncathegorematicum obiectiuè in mente Diuina, non ſit infinitum cathegorematicum ſecundùm eſſe reale intrinſecum, ſed tantùm ſecundùm denominationem extrinſecam. ibid.num.14.15.& 16.

Infinitum actu ſecundùm partes æquales vni certæ, neque datur, neque dari poteſt. in prædicam. Quantitatis diſput.4.quæſt.3.num.1.

Corpus cæleſte non eſt infinitum. ibid.num.2.

Partes lineæ giratiuæ non componunt lineam giratiuam actu infinitam ſecundùm partes æquales, quia vna non diſtat ab alia per diſtantiam determinatam. ibid.num.4.

Deus ſi euolueret omnes partes lineæ giratiuæ, non occuparent ſpatium infinitum. ibid num.5.

Deus non poteſt producere in hoc inſtanti omnes homines, quos poteſt producere ſucceſſiuè. ibid. num.30.

Quomodo verificetur illa propoſitio, faciat Deus quicquid poteſt facere. ibid.num.31.

Deus cognoſcit omnia poſſibilia quæ ſunt finita in infinitum. in prædicam. Quantitatis diſp. 4. quæſt.8.num.2.

Deus non cognoſcit poſſe poni actu ſimul omnia poſſibilia, ſed ſucceſſiuè. ibid.num.7.

Deus cognoſcit tot poſſe poni actu, quot ipſe determinauerit. ibid.num 8.& 9.

Dari poteſt proceſſus in infinitum in creaturis ſubſtantialibus perfectioribus & perfectioribus. ex prædicam.Quantitatis diſp.4.quæſt.7.nu. 15.

Non repugnat dari infinitam diſtantiam vacui ſuper extimam ſuperficiem cœli. in prædicam. Quantitatis diſput.4 quæſt.3.num.6.

Non repugnat dari infinitas eſſentias poſſibiles. ibid.num.7.

Non repugnat dari infinitas negationes. ibid.nu.8.

Apud Ariſtotelem non datur infinitudo animarum rationalium. ibid.num.10.

Repugnat dari magnitudinem ſeu multitudinem rerum corporearum, quæ actu occuper ſpatium infinitum. in prædicam. Quantitatis diſput. 4. quæſt.4.

Multæ

Digitized by Google

Multæ implicantiæ afferuntur ad probandum non dari huiuſmodi magnitudinem ſeu multitudinem infinitam, ſed nulla eſt efficax præter eam quòd tali infinito poſſit fieri additio vel detractio. ibid quæſt.4.à num.4.vſque ad 12.

Repugnat dari magnitudinem, aut multitudinem rerum corporearum infinitam, etiam ſi actu non occupet ſpatium infinitum, cuiuſmodi eſſet magnitudo infinita extenſa tantùm in ordine ad ſe. ibid.

Si dari poſſet infinitum, adhuc implicaret illud produci per partes proportionales horæ. ibid. num.9.

Implicat continuum diuidi in omnem ſui partem, etiam ſi dari poſſit infinitum. ibid.num.23.

Sufficit ad infinitatem potentiæ infinitæ Dei vt poſſit producere infinitum intenſiuè. ibid.n.32.

Quare potentia intellectiua Dei poſſit omnia ſimul cognoſcere; potentia autem creatiua, non poſſit ſimul omnia facere. ibid num.33.

Implicat dari actu multitudinem infinitam rerum ſpiritualium. in prædicam.Quantitatis diſput.4. quæſt.5.num.3.

Afferuntur multæ implicantiæ ad probandum non poſſe dari multitudinem infinitam rerum ſpiritualium, ſed non ſunt efficaces. ibid.à num. 4. vſque ad num.17.excluſiuè.

Potiſſima implicantia eſt quia tali multitudini poſſet fieri additio & detractio, quod repugnat. ibid.num.17.

Rationes S.Thomæ ad probandum non poſſe dari infinitam multitudinem rerum ſpiritualium, examinantur & defenduntur. ibid.

Non repugnat dari qualitatem infinitè intenſam ex præciſo conceptu intenſionis infinitæ. in prædicam.Quantitatis diſput.4.quæſt.6.num.2.

Poteſt dari in qualitate intenſio infinita adæquata ſpeciei cum multitudine indiuiduorum, v. gr. duæ albedines infinitè intenſæ ſecundùm totam intenſionem poſſibilem ita vt quælibet habeat intenſionem poſſibilem. ibid.quæſt.6.num.5.

Humiditati repugnet ſi conſideretur ſub ea ratione quatenus terminatur termino alieno, repugnat peculiari ratione habere intenſionem infinitam. ibid.quæſt.6.num.6.

Repugnet ſiccitati ſi conſideretur vt difficilè terminabilis termino alieno, repugnat peculiari ratione intenſio infinita. ibid.quæſt.6.num.8.

Non repugnat dari habitum infinitè intenſum, nec repugnat dari gratiam & lumen gloriæ infinitum. ibid.quæſt.6.num.9.vſque ad 15.

Repugnat peculiari ratione dari potentiam viſiuam & intellectiuam infinitam. ibid.quæſt.6. num.15.&18

Non repugnat dari grauitatem infinitam cathegorematicè quatenus dicit reſiſtentiam infinitam vt remoueatur à ſuo loco. ibid.quæſt.6.num.21.

Non repugnat dari potentiam infinitam rei grauis. ibid quæſt.6 num.23.

Repugnat mobili moueri motu ſucceſſiuo infinitè veloci. ibid.num.24.

Repugnat mobili moueri motu infinitè tardo. ibid. num.25.

Albedo ſecundùm eſſe abſolutum non repugnat albedini ſecundùm ſuum eſſe abſolutum eſſe infinitè intenſam. ibid.num 26.

Repugnat albedini vt eſt paſſibilis qualitas eſſe infinitam. ibid.

Repugnat dari potentiam viſiuam quæ videat albedinem in quacumque diſtantia. ibid.num.27.

Non repugnat dari colorem medium vt rubeum infinitè intenſum. ibid.num.28.

Repugnat dari figuram infinitè rotundam. ib.n.30.

Repugnat dari rectitudinem infinitam ſeu curuitatem infinitam. ibid num.31.& 32.

Repugnat dari raritatem infinitam, ſiue in actu primo ſiue in actu ſecundo. ibid.num.33.

Repugnat dari denſitatem infinitam, ſiue in actu primo ſiue in actu ſecundo. ibid.num.34.

Repugnat dari ſubſtantiam creatam quæ habeat partibilitatem infinitam. in prædic.Quantitatis diſput.4.quæſt.7.num.1.

Repugnat dari ſubſtantiam infinitam indiuiduam quæ infinitè participet ſuam ſpeciem ſeu indiuiduum infinitæ perfectionis ſecundùm rationem indiuiduam. ibid.num.2.

Repugnat dari ſubſtantiam creatam infinitam ſecundùm ſuam rationem formalem & ſpecificam. ibid.num.5.

Intellectus.

Quare potentia intellectiua Dei poſſit omnia ſimul cognoſcere, potentia autem creatiua non poſſit omnia ſimul facere. ex prædicam. Quantitatis diſput.4 quæſt.4.num.32.

Intellectio Diuina non deſtrueretur etiam ſi ipſæ eſſentiæ rerum cognitæ deſtruerentur. in prædicam.Subſt.diſp.1.quæſt.1.num.45.

Intellectio diuina qua cognoſcuntur poſſibilia tantùm non eſt intuitiua. ibid.num.48.& ſequent.

Intellectus humanus poteſt concipere multa per modum vnius. ibid.quæſt.9.num.5.

L

Locus.

VIDE *verb.Vbi.*

M

MATERIA immediatè vnitur formæ etiamſi mediet vnio. ibid.diſput.4.quæſt.1.num.24.

In modis intrinſecis ſi vnus modus auferatur, conſurgit oppoſitus, non autem in modis extrinſecis. in prædic.ſubſt.diſput.3.quæſt.3.num.5.

Motus inſtantaneus non repugnat. ex prædicam. Quantitatis coroll.6.dubit.3.num.12.

Mutatio ſemper intercedit quando extrema abſoluta incipiunt inter ſe diuerſimodè comparari. ex prædicam.Vbi coroll.5.dubit.4.num.4.

N

NEGATIO in rebus quæ exiſtunt non poteſt de nouo incipere ſine corruptione alicuius rei poſitiuæ. ex prædic.Vbi coroll.5.dub.4 n.11.

Negatio quando fundatur in poſitiuo & quando non. in prædic.ſubſt.diſp.3.quæſt.1.num.17.

Natura aliquando accipitur pro quidditate rei, aliquando pro forma totius. in prædicam.ſubſt. diſp.3.quæſt.1.num.30.

Natura poteſt conſeruari à Deo efficienter, ſine vlla ſubſiſtentia. ibid.quæſt.3.num.7.

Natura conſeruata efficienter à Deo dicitur ſubſiſtere negatiuè,non poſitiuè. ibid.num.3.& 13.

Natura quomodo dicatur habere appetitum ad propriam ſubſiſtentiam. *Vide in verbo Subſiſtentia.*

An in compoſito ex natura & ſubſiſtentia vnio ſit in natura,& quot vniones ſint.*Vide in verbo Vnio.*

An in natura compoſita eſſentialiter ex materia & forma vnio ſit vna afficiens vtrumque extremum.

Digitized by Google

tnum, vel vna in vno extremo tantùm vel plures. *Vide in verbo Vnio.*

P

PERFECTIO in ente alia abſoluta, alia reſpectiua. in prædicam. Relationis diſp. vnica quæſt. 3. num.2.& 3.

Potentia obiectiua quid ſit in creatura. in prædic. ſubſt.diſput.1.quæſt.3.num.2.

Potentia obiectiua manet in re ſecundum illud reale quod dicit in recto, non tamen ſecundùm negationem exiſtentiæ quod connotat in obliquo. ibid.num.5.

Potentia obiectiua in creatura dicit rationem intrinſecam & abſolutam connotando negationem exiſtentiæ & relationem ad agens. ibid.n.6.

A commutata proportione quando tenet modus arguendi. in prædicam. ſubſt. diſput. 1.quæſt.1. num.17.

Propoſitio æternæ veritatis quomodo eſt explicanda. ibid.in diſp.1.quæſt.1.à num. 23. vſque ad num.27.

Punctum componit cum linea ſi conſideretur vt pars, non autem ſi conſideretur vt terminus. in prædicam.ſubſt.diſp.3.quæſt.9.num.7.

Principium indiuiduationis quid ſit. vide in prædic. ſubſt.diſput.1.quæſt.10.dub.4.num.3.& ſequent.

Propoſitio affirmatiua de prædicato infinitato quando æquiualet propoſitioni negatiuæ.ex prædicam.Relationis coroll.15.dub.2.num.27.

Q

Quantitas conſiderata ſub ratione menſuræ.

§. 1.

QVANTITAS. *Vide nonnulla in verbo Accidens.*

Quantitas conſiderata ſub ratione menſuræ habet ſeptem ſpecies, quinque ſub quantitate continua, lineam, ſuperficiem, corpus, locum, & tempus, duas autem ſub quantitate diſcreta, numerum & orationem. ex præd.Quant. diſput. 2. quæſt.3.num.1.

Quantitas in prædicamento Quantitatis conſideratur ab Ariſt.ſub ratione menſuræ. vide in prædi.Quant.diſput.2.quæſt.1.num.2.

Quatuor tantùm ſpecies Quantitatis habent poſitionem in continuo, linea, ſuperficies, corpus, & locus. ibid.num.7.

Quantitatis prima diuiſio eſt in continuam & diſcretam: alia diuiſio eſt in quantitatem quæ conſtat ex partibus habentibus poſitionem inter ſe, & quantitatem quæ conſtat ex partibus non habentibus poſitionem. ibid.quæſt.2.num.1.

Quæ ſit quantitas continua & quæ diſcreta. ibid. num.2.

Hæc diuiſio quantitatis in continuam & diſcretam eſt vniuocè vniuocata. ibid.

Vt aliqua quantitas dicatur habere poſitionem partium inter ſe, quatuor requiruntur. ibid.num.5.

Species quantitatis ſub ratione menſuræ.

Locus in ratione menſuræ eſt diſtincta ſpecies à ſuperficie. ibid.diſput.2.quæſt.3.num.5.6.& 7.

Locus phyſicus & locus mathematicus diſtinguuntur. ibid.num.8.

Motus meritò non numeratur inter ſpecies quantitatis. ibid.num.2.

Oratio eſt diſtincta ſpecies à numero, quatenus eſt quædam extenſio ſeu dilatatio vocis vnde oritur conſonantia. ibid.num.9.& 13.

Punctus habet poſitionem in continuo, non autem vnitas. ibid.quæſt.1.num.8.

Quomodo linea faciat diſtinctam ſpeciem à ſuperficie, quamuis contineatur in ipſa ſuperficie. ibid.diſput.2.quæſt.3.num.3.

Species orationis ſunt ſpecies carminum, hexametrum, pentametrum, &c. ibid.num.13.

Tempus in quatuor phyſicorum conſideratur ab Ariſtot. vt menſura intrinſeca, in prædicamento verò quantitatis vt menſura extrinſeca, cuiuſmodi eſt duratio motus primi mobilis. ibid.n.3.

Tempus, numerus, & oratio, non conſtat ex partibus habentibus poſitionem.ibid.quæſt.2.num.7.

Quomodo lineæ infinitæ non repugnat ratio menſuræ. ex prædicam. Quantitatis diſput.2. quæſt. 4.num.9.

Ratio menſuræ poteſt conuenire impropriè omnibus cauſis formalibus. ibid.num.14.

Quantitas in ratione extenſionis.

§.2.

Æqualitas, vel inæqualitas non eſt paſſio quantitatis, quatenus eſt relatio prædicamentalis, ſed quatenus eſt aptitudo ad fundandam relationem prædicamentalem. ex prædicam.Quantitatis diſput.2.num.12.

In quantitate præter extenſionem in ordine ad locum, datur extenſio in ordine ad ſe. ibid.diſp.3. quæſt.1.num.4.

Per quantitatem realiter diſtinctam extenditur in ordine ad ſe ſubſtantia & accidens. ex prædic. ſubſt.diſput.3.quæſt.3.num.10.

Partes quantitatis recipiuntur in partibus ſubſtantiæ extenſis tamquam in ſubiecto. ibid.num.19.

Quantitas eſt realiter diſtincta à ſubſtantia & accidentibus. in prædicam.ſubſt.diſput.3. quæſt.2. num.23.

Quantitas extenſa in ordine ad ſe habet diſtantiam partium, & per eam non poteſt fieri motus. ex prædicam. Quantitatis diſp. 3.quæſt.1.num.8.

Quantitas extenſa in ordine ad ſe, eſt figurata. ibid. num.9.

Quantitas non dat partibilitatem entitatiuam ipſius ſubſtantiæ. ex prædicam.ſubſt.diſput.3.quæſt.4. num.5.11.& 14.

Quare extenſio diſtinguitur realiter à re extenſa, non autem intenſio. ex prædicam.ſubſt.diſp.3. quæſt.2.num.14.

Quatuor ſunt paſſiones quantitatis ſecundùm rationem formalem extenſionis, prima diuiſibilitas, ſecunda hoc diſiunctum finitum, vel infinitum, tertia æqualitas vel inæqualitas, quarta menſura; quid autem ſint ſingulæ, vide in prædicam.Quantitatis diſput.2 quæſt.4.

Quomodo infinitum poſſit eſſe paſſio quantitatis cùm repugnet. ibid.num.6.

Subſtantia & accidens non habent quantitatem ſui propriam, ſed extenduntur à quantitate realiter diſtincta. ex prædicam.ſubſt.diſp.3.quæſt.2. num.6.

Subſtantia & accidens non habent quantitatem ſui propriam, ſed extenduntur à quantitate realiter diſtincta. ex prædicam.ſubſt.diſp.3.quæſt.2. num.6.

Si à ſubſtantia remoueatur quantitas, partes ſubſtantiales redigerentur ad indiuiſibile ſubſtantiæ. ibid.quæſt.3.num.20.

Quantitas

Digitized by Google

Quantitas continua ex quibus componatur.

§. 3.

Demonſtrationes mathematicæ ad probandum quantitatem non componi ex indiuiſibilibus finitis. in præd.ſubſt.diſp.3.quæſt.5.dub.1.num.9.
Indiuiſibilia infinita non poſſunt facere magnitudinem infinitam, quia indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius. in prædicamento quantitatis diſput. 3.quæſt. 5. in 2.dubit.n.6.
In quantitate continua non dantur partes actu diſtinctæ à parte rei. ibidem quæſt.6.num.20.
Non datur aliquod indiuiſibile in quo ſphæricum tangat planum. in prædicamento ſubſt. diſput. 3. quæſt. 5. dubit. prima num. 33.
Partes in continuo non poſſunt eſſe finitæ neque infinitę, ſiue cathegorematicè ſiue ſyncathegorematicè. in prædicamento quantitatis diſp. 3. quæſt. 6.num. 37.
Quantitas continua non componitur ex indiuiſibilibus finitis. in prædicamento ſubſt. diſp.3. quæſt. 5.dubit. 1. num. 9.
Quantitas continua non conſtat ex indiuiſibilibus infinitis. in prædicamento quantitatis diſput. 3. quæſt. 5. dubit. 2. num.5.
Quantitas continua non poteſt habere vnitatem numericam per negationem intrinſecam per quam terminetur in ſuo eſſe, quia quælibet includit infinitas partes proportionales. ibidem numer. 21.
Quantitas continua non poteſt habere aliam vnionem numericam quàm per extenſionem termini, ſeu vlterioris extenſionis. ibidem.
Quid ſenſerit Ariſtoteles de diſtinctione partium. ibidem numer.30.
Quomodo in quantitate continua palmari duæ entitates ſemipalmares identificentur realiter ad inuicem, & tamen poſſunt ſeparari, & vnitæ poſſunt habere diuerſa prædicata.ibidem num.35.& ſequent.

R

Relationis natura.

§. 1.

ACtio & vnio ſunt Relationes tranſcendentales,& non ſunt relationes intrinſecùs aduenientes. ex prædicamento Relationis diſp. vnica quæſt. 17.num.5.& 6.
Actio fundat Relationem realem prædicamentalem. ibidem n.7.
(Ad)prædicamenti realis non poteſt præſcindere ab eſſe(In.) ibid.diſp.vnica quæſt.1.n.4.
Ad fundadam relationem realem ſufficit diſtinctio realis, etiam ſi extrema ſe habeant vt includens, & incluſum. ex prædicamento Relationis quæſt. 12. dubit.2. n.9.
Diſconuenientia fundat relationem realem ſimilitudinis. ibid.quæſt. 16. n.9.& ſequent.
Diſtinctio ſe totis obiectiuè non poteſt fundare relationem realem, quia vnus terminus non eſt exiſtens. ibid. n. 12.
Diſtinctio rationis inter terminum & fundamentum non ſufficit ad fundandam relationem realem. ibid.quæſt.12. dubit.2.n.3.
Generare habet duplicem relationem ad ſuum effectum : alteram tranſcendentalem:alteram eſſentialem & tranſcendentalem, quatenus eſt potens generare:alteram accidentalem & prædicamentalem, vt eſt actu generans ad effectum actu exiſtentem. ibid.quæſt.8.n.12.
In Deo non ſunt relationes prædicamentales. ex prædicamento relationis diſp. vnica quæſt.1.n.9.
In relatione qualitatis & ſimilitudinis non datur magis & minus, nec formaliter nec fundamentaliter. ibid. quæſt. 11. n. 4. & 5.
In relatione, ſubiectum & fundamentum ſunt vna & eadem res. ibid.quæſt.13.n.2.
Menſura vt eſt cauſa formalis extrinſeca, non fundat relationem realem. ibid. quæſt. 18. n. 3.
Nomen relationis formaliter ſumptæ importat habitudinem mediam inter extrema ſimul coëxiſtentia. ex prædicamento Relationis diſp. vnica quæſt. 1. num. 29. & ſequent.
Omnis relatio per quam res vt concipitur talis, concipi debet vt connotans aliquod extrinſecum; connotat etiam à parte rei illud extrinſecum, ac propterea ſcientia & volitio creaturarum, ideo connotat creaturas,non tamen propterea dependet à creaturis. ibid.n.26.
Pater & mater fundant relationem realem partialiter. ex prædicamento Relationis quæſt.14.n.5.
Perfectio reſpectiua relationis realis quatenus comparatur ad fundamentum ſeu ſubiectum, non dicit perfectionem realem; nihil enim accreſcit fundamento ex aduentu relationis, ſecus autem de relationibus diuinis. ex prædicamento relationis diſp.vnica quæſt.3.n.5.& 6.
Perfectio reſpectiua in humanis non fundat relationem realem conuenientiæ. ibid.n.8.
Præcipua differentia inter relationes prædicamentales, & tranſcendentales ea eſt, quòd relatio prædicamentalis totum ſuum eſſe habeat ad aliud, non item tranſcendentalis. ibidem quæſt. 5. n. 1.
Præciſa relatione reali tanquam habitudine media, ſaluatur conceptus relationis inter extrema fundamentaliter tantùm. ex prædicamento relationis diſp.vnica quæſt.1.num.29.
Præter fundamentum datur ratio fundandi, quæ quidem non eſt ratio formalis nec mera conditio, ſed eſt ratio intrinſecè complens rationem formalem. ibid.quæſt.13.n.5.
Quare actio vt referat, non debet eſſe in agente, relatio verò debet eſſe in eo, quod refert. ibid. quæſt.13.num.4.
Quomodo ad relationem non ſit motus. ibidem quæſt.6.num.23.
Quomodo intelligatur rationem tranſcendentalem eſſe de eſſentia rei, quam conſtituit. ibidem num.5.6.& 7.
Quotupliciter accipitur menſura. vide in prædicamento relationis, quæſt.18.n.1.
Ratio philoſophica à priori ad probandum relationem realem. ibid. diſp. vnica quæſt. 1. n.27.
Relatio definitur ab Ariſtotele in prædicamento ad aliquid. duplici definitione, & quæ ſit differentia inter illas. ibid.quæſt.4.n.11.& 12.
Relatio in Diuinis æquiualet relationi tranſcendentali & prædicamentali.ibid.quæſt.4.n.20.& 21.& quæſt.5.n.13.& 16.
Relatio increata quatenus æquiualet prædicamentali vt ſic, concepta per intellectum noſtrum, exercet tantùm munus referendi patrem ad filium. ibid. quæſt. 4.n. 20.
Relatio non poteſt per Diuinam potentiam poni ſubiectiuè in alieno fundamento, quia actualiter deberet illud referre ad terminum, quod eſt impoſſibile. ibid. diſp. vnica quæſt.6. n. 2.
Relatio non poteſt per Diuinam potentiam conſeruari

Digitized by Google

uari ſine fundamento, quia conſiſtit in actuali exercitio referendi. ibid.n.3.

Relatio non poteſt per Diuinam potentiam poni ſubiectiuè in alieno fundamento. ibid. quæſt. 7. n. 2.

Relatio non poteſt per Diuinam potentiam conſeruari ſine ſuo fundamento. ibid.n.3.

Relatio non fundat relationem ſicut fundant cætera prædicamenta abſoluta, quia eſt minimæ entitatis, & quia daretur proceſſus in infinitum. ex prædicamento relationis quæſt. 14. per totam.

Relatio non mutua non terminatur formaliter ad correlatiuum, ſed ad correlatiuum ſecundùm conuenientiam, hoc eſt, ad terminum abſolutum non quomodolibet ſumptum, ſed vt ſibi conuenit correlatio. ibid.quæſt.9.n.6.

Relatio verò mutua præter hanc terminationem quam habet relatio non mutua, habet aliam formalem ad correlatiuum, quam non habet relatio non mutua. ibidem n.7.

Relatio prædicamentalis eſt aliquid aliud præter fundamentum & terminum. in prædicamento relationis quæſt. 1. num.9.

Relatio prædicamentalis eſt habitudo realis inter extrema. ibidem n.22.

Relatio prædicamentalis non ſolùm ſecundùm eſſe (In) ſed ſecudùm eſſe (Ad) eſt realis. ibidem quæſt. 2. num. 2.

Relatio prædicamentalis ſecundùm eſſe (ad) dicit perfectionem realem abſolutam, quæ nihil aliud eſt quàm integritas eſſentialis ipſius relationis. ibid.diſp. vnica quæſt. 3. n. 4.

Relatio prædicamentalis, quatenus prædicamentalis, vt abſtrahit à creata & increata, conſiſtit in actuali exercitio referendi. ibidem quæſt.4. n.21.

Relatio prædicamentalis in multis differt à relatione tranſcendentali. ibid.quæſt.5. per totam.

Relatio prædicamentalis diſtinguitur intrinſecè à parte rei ab ipſo fundamento. ibid.quæſt. 6.n.8.

Relatio prædicamentalis creaturæ ad Creatorem quamuis ſit inſeparabilis à creatura, adhuc diſtinguitur à parte rei à creatura. ibid. quæſt.6. n.11.

Relatio prædicamentalis non diſtinguitur à ſuo fundamento realiter ſicut res à re. ibidem quæſt. 6. n. 12.

Relatio prædicamentalis diſtinguitur à fundamento potiùs diſtinctione formali quàm modali, & quæ ſit differentia inter iſtas diſtinctiones. vide ibidem quæſt. 6. n. 14. 15.& 16.

Secundùm S. Thomam relatio diſtinguitur formaliter à ſuo fundamento. ibid. quæſt. 6. n.17. 18. & 19.

Relatio prædicamentalis ſi ſumatur vt eſt aliquis effectus, tunc dicit tranſcendentaliter ordinem ad ſuas cauſas, inter quas eſt eſſe genitum. ibidem quæſt.8.n.9.

Relatio prædicamentalis quatenus eſt relatio referens fundamentum ad ſuum terminum, refert illud ad terminum abſolutum; paternitas enim refert generantem vt generantem ad eſſe genitum, tanquam ad ſuum effectum. ibid. n. 11.

Relatio prædicamentalis quatenus refert patrem vt patrem formaliter, refert illum ad terminum correlatiuum, nempe filium vt filium, ſi relatio eſt mutua. ibid.n.14.

Relatio prædicamentalis totum ſuum eſſe habet ad aliud. ibid.diſp.vnica quæſt.4.n.8.

Relatio prædicamentalis totum ſuum eſſe tam ſecundùm eſſe(in), quàm ſecundum eſſe (ad) habet ad aliud. ibid. n.4.

Relatio prædicamentalis conſiſtit eſſentialiter in actuali exercitio referédi fundamentum ſeu ſubiectum ad terminum, ita vt non poſſit exiſtere relatio quin afficiat ſubiectum referendo illud ad terminum. ibid.n.9.

Relatio prędicamentalis quatenus prędicamentalis, vt abſtrahit à creata & increata, totum ſuum eſſe habet ad aliud, & reſpicit terminum ſub pura ratione termini. ibid.n.19.

Relatio intrinſecè, & formaliter non ſuſcipit magis & minus, ſed tantùm extrinſecè & fundamentaliter, per mutationem factam in fundamento vel termino. ex prædicamento relationis quæſt.11. n.3.& 4.

Relatio æqualitatis eſt partialiter in palmo, ità vt in qualibet parte palmi ſit relatio partialis æqualitatis ad aliam partem alterius palmi, quæ omnes ſimul faciunt vnam completam æqualitatem ad alium palmum, vel in qualibet parte palmi eſt diuiſibilis ſubiectiuè & indiuiſibilis obiectiuè. ibidem à n.6.vſque ad 9.

Relatio realis non eſt ſenſu perceptibilis. ex prædicamento relationis diſp.vnica quæſt.1. n.33.

Relatio realis in creaturis bene colligitur ex relationibus diuinis. ibid.n.35.

Relatio realis non eſt denominatio intrinſeca nec extrinſeca. ibid.n. 23.

Relatiuum & terminus debent eſſe idem natura. ibid.num.17.

Relatiuum & correlatiuum non faciunt duo ſumma genera. ibid n.22.

Sententia negans relationes reales in creaturis cenſetur periculoſa. ibid.n.26.

Fundamenta Relationis.

§. 2.

Tria ſunt genera rationum fundandi ſecundùm Ariſt. Primum vnitas & numerus, ſeu conuenientia & diſconuenientia: Secundum actio & paſſio: Tertium menſura & menſurabile. ibidem quæſt.13.n.5.

Quæ ſit ratio ponendi hæc tria genera rationum fundandi. ibid.n.8.

Vna numero relatio terminatur ad plures terminos numero. ex prædicamento relationis quæſt.10. num.8.

Hæc vna numero relatio non componitur ex pluribus partibus quaſi extrinſecis, nec ex aduentu ſecundi termini corrumpitur prior relatio, & fit alia perfectior, ſed remanet eadem ſimplex relatio quæ erat in priori termino, & tantùm aduenit extenſio extrinſeca per aduentum noui termini. ibidem à n.9.vſque ad n.16.

Vnitas & numerus mathematicus non fundant relationem realem. in prædicam. relationis quæſt. 15.n.3.

Vnitas numerica non fundat relationem realem, quia non habet extrema diſtincta, quare albedo poſita per diuinam potentiam in tribus ſubiectis, non refertur ad ſe ipſam realiter. ibidem quæſt. 16.numer.2.

Vnitas analogica non fundat relationem realem. ibidem num. 3.

Vnitas generica fundat relationem realem. ibidem num. 7.

Vnio probabiliùs non fundat relationem realem. ibidem quæſt.17. num. 9.

Replicatio corporis in pluribus locis. *Vide in Indice Theologico verb. Corpus Chriſti §. Replicatio corporis.*

Digitized by Google

S

ACtiones eſſe Suppoſitorum quomodo intelligatur. in prædicamento Subſt.diſput.3. quæſt.10 num.4.& ſequent.

Vide plura in verbo Subſtantia,& in verbo Subſiſtentia.

Subſtantia.

An in compoſito ſubſtantiali ex natura & ſubſiſtentia, vnio ſit in natura vel ſubſiſtentia, & an in natura ſint plures vniones. *Vide in verbo Vnio.*

Subſtantia habet partes ſubſtantiales extenſas diſtinctas à partibus accidentalibus quantitatis. in prædicam. Quantitatis diſput.3.quæſt.3.n.18. & quæſt.4.num.5.

Subſtantia diuiditur in primam & ſecundam, & quomodo intelligatur. Vide in prædicam.Subſt. diſput.3.quæſt.11.per totam,præſertim num.7.

Subſtantia materialis habet à ſe entitatem partium ſubſtantialium. ibid.num.11.

In ſubſtantia ſi ab ea auferatur quantitas, remanet quidem ſubſtantia indiuiſibilis quantitatiuè,non autem impartibilis ſubſtantialiter, ſed eſt compoſita ex pluribus entitatibus partialibus entitatiuis ſubſtantialibus. ibid.num.14.

Repugnat dari ſubſtantiam infinitam indiuiduam quæ infinitè participet ſuam ſpeciem, ſeu repugnat dari indiuiduum infinitè perfectum ſecundùm rationem indiuiduam. ex prædic.Quantitatis diſp.4.quæſt.7.num.2.

Repugnat dari ſubſtantiam increatam quæ habeat partibilitatem infinitam. ibid.num.1.

Repugnat dari ſubſtantiam increatam infinitam ſecundùm ſuam rationem formalem & ſpecificam. ibid.num.5.

De ſubſtantia vide plura verbo Subſiſtentia.

Subſiſtentia.

Effectus formalis ſubſiſtentiæ non eſt ſubſtare accidentibus. ex prædic.Subſt.diſp.3.quæſt.2.n.1.

Effectus formalis ſubſiſtentiæ non eſt reddere naturam capacem exiſtentiæ. ibid.num.2.

Effectus formalis ſubſiſtentiæ non eſt independentia à ſubiecto. ibid.num.4.

Effectus formalis & primarius ſubſiſtentiæ eſt reddere naturam incommunicabilem alieno ſuppoſito,non ſolùm reduplicatiuè, ſed etiam ſpecificatiuè. ibid.num.7.& ſequent.

Effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ non poteſt ſuppleri à Deo. ibid.quæſt.3.num.9.

Effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ eſt ſuſtentare naturam creatam. ex prædic.Subſt.diſp.3.quæſt.2. num.15.

Implicat formam materialem habere complementum ſubſiſtentiæ. ibid.diſp.3.quæſt.6.num.9.

In compoſito ex materia & forma materiali, eſt vna ſubſiſtentia primò & immediatè afficiens materiam,& mediatè formam. ibid.num.11.& ſequent.

In homine eſt vna ſubſiſtentia immediatè afficiens totam naturam. ibid.quæſt.3.num.24.

Natura habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam, & quando dicitur violentari cùm ſubſiſtit ſubſiſtentia aliena,& quando non. in prædicam. Subſt.diſput.3.quæſt.1. à num. 26. vſque ad n.29. & quæſt.5.num.2.& ſequent.

Natura conſeruata à Deo efficienter, non dicitur eſſe per ſe poſitiuè, ſed negatiuè. in prædicam. Subſt.diſp.3.quæſt.2.num.10.& 13.

Quare incommunicabilitas non poteſt ſeparari à re ſingulari, poteſt autem negatio dependentiæ, ſeu communicationis ſeparari à ſuppoſito. ibid. num.18.

Quòd natura completa non poſſit eſſe pars eſſentialis,non habet ex eo quia eſt ens ſubſiſtens, ſed quia eſt ens integrum,quod eſt in priori quodam naturæ quàm ſit ſubſiſtens. ibid.num.6.

Quomodo dependeat natura in ſuſtentando à ſubſiſtentia. ibid.num.16 & ſequent.

Subſiſtentia addit rationem poſitiuam realem ſupra naturam. in prædic.ſubſt. diſput. 3. quæſt. 1. num.13.

Subſiſtentia ſiue propria ſiue aliena, non eſt ita neceſſaria ad conſeruationem naturæ, vt non poſſit ſine illa conſeruari à Deo efficienter. ibid. quæſt.3.num.3.

Subſiſtentia eſt vna tantùm ſimplex in compoſito ſubſtantiali, nec poſſunt eſſe plures ſubſiſtentiæ partiales. in prædic.Subſt.diſp.3.quæſt.6.num.5.

Subſiſtentia ſupponit exiſtentiam. ibid. quæſt.4. num.2.& ſequent.

Subſiſtentia in homine eſt materialis, non tamen extenſa. ibid.quæſt.3.num.18.& 29.

Subſiſtentia non diſtinguitur tantùm à natura ſecundùm diuerſum modum ſignificandi. in præd. Subſt.diſput.3.quæſt.7.num.1.& ſequent.

Nec diſtinguitur ratione ratiocinata. ibid. num. 5. & ſequent.

Nec diſtinguitur penes connotatum extrinſecum quod eſt negatio dependentiæ. ibid.num.10.& ſequent.

Nec diſtinguitur tantùm formaliter, ſeu modaliter à parte rei,ſed realiter. ibid.n.13.& ſequent.

Subſiſtentia non poteſt vt (quo) inniti naturæ, & vt (quod) ſuſtentare naturam. ibid.num.19.

Suppoſitum diſtinguitur à natura tanquam includens & incluſum. ibid.num.17.

Subſiſtentia terminando naturam intrinſecè conſtituit ſuppoſitum. in prædicam.ſubſtantiæ diſput. 3.quæſt.8.num.3.

Suppoſitum vt apprehenſum conſtituitur per ſubſiſtentiam apprehenſam. ibid.num.5.

Subſiſtentia componit cum natura quatenus conſideratur vt pars faciens vnum tertium cum ea terminata,ſi verò conſideretur præciſè vt terminus, non componit,ſed dicit in obliquo naturam. in præd.ſubſtantiæ ibid.quæſt.9.num.3.

Subſiſtentia non fluit à natura, ſed efficitur à generante,ſeu à Deo. in prædicamento Subſtantiæ diſput.3.num.3.

Subſiſtentiæ repugnat vnio non eſſentialis ſed ſubſtantialis. ibid.quæſt.3.num.6.& 10.

Subſiſtens completum dicitur ipſum compoſitum, non autem ipſa materia, quamuis ſubſiſtentia ſit vna tantùm in materia. ibid.num.15.16.& 19.

Suſtentare quid ſit. ex prædicam.Subſt. diſput.3. quæſt.2.num.16.

V

Vbi,Locus,& Vacuum.

ACcidens, & alia quæ mouentur per accidens ad motum alterius, non ſubiectant motum, nec Vbi intrinſecum, ſed dicuntur moueri & vbicari per denominationem extrinſecam à

motu & Vbi alterius. in prædicam. Vbi diſput. vnica quæſt.6.per totam.
Afferuntur multæ experientiæ quibus ſolet probari dari vacuum. ibid quæſt.3.num.3.& 4.
Afferuntur experientiæ quibus ſolet probari dari vacuum,& ſoluuntur. ibid.num.11.
Anima informans corpus neque mouetur neque vbicatur intrinſecè,ſed mouetur & vbicatur ad motum corporis. ibid.quæſt.6.num.17.
Contiguitas corporum non poteſt tolli per aliquam potentiam naturalem, quia alioquin naturaliter poſſet dari vacuum. ibid.quæſt.3.num.6.
Hæc contiguitas non eſt per inhærentiam, ſed per influxum Dei conſeruatiuum. ibid.num.6.
Datur extra cœlum ſpatium imaginarium. in prædicam.Vbi diſput.vnica quæſt.2 per totam.
Diuiſio Vbi in immenſum, circumſcriptiuum & definitiuum,eſt bona & ſufficiens.in prædicam.Vbi diſput.vnica quæſt.9.per totam.
Elementum vt aqua, non mouetur ſurſum ad replendum vacuum ab ipſa grauitate. in prædicam. Vbi diſput.vnica quæſt.4.num.1.
Neque mouetur à forma ſubſtantiali aquæ. ibid. num.6.
Neque mouetur à qualitate indita naturæ. ibid. num.7.
Neque mouetur à Deo,aut ab Angelo. ibid.num.9.
Sed mouetur ab illo agente,qui mouet illud corpus in cuius locum debet alterum corpus ſuccedere, ne detur vacuum. ibid.num.12.
Ex hoc Vbi intrinſeco reſultat circumſcriptio paſſiua rei locatæ quæ non eſt realis. ibid.num.12.
Intra vniuerſum non datur nec poteſt dari vacuum. in prædicam.Vbi diſput.vnica quæſt.3.num.1.
Locus non eſt interuallum reale trinè dimenſum contra antiquos. ibid.quæſt.1.num.7.
Locus non eſt aliquod interuallum imaginarium trinè dimenſum. ibid.num.13.
Locus propriè dictus eſt ſuperficies vltima corporis continentis immobiliter. ibid.num.14.
Motus localis debet eſſe aliqua actio realis. ibid. quæſt.5.num.6.
Negatio diſtantiæ eſt poſterior hoc Vbi. ibid. num.20.
Proprietas loci. ibid.
Punctum ſpheriei ſi trahatur,ſubiectat Vbi intrinſecum. ibid.quæſt.6.num.11.
Quot modis poteſt fieri vt res locata conſtituatur tota in toto,& tota in qualibet parte.in præd.Vbi diſput.vnica quæſt.8.per totam.
Subiectum ad cuius motum & Vbi mouetur & vbicatur accidens, non eſt ſubſtantia ſed quantitas. ibid.num.8.
Variata ſuperficie ambiente non variatur Vbi. ex prædicam.Vbi diſput.vnica quæſt.5.num.13.
Vbi definitiuum per quod ponitur res locata tota in toto,& tota in qualibet parte,eſt reale.ibid.quæſt. 7.num.2.
Vbi per quam res conſtituitur in loco, eſt reale & intrinſecum. ibid.quæſt.5.num.9.
Vbi punctuale eſt reale. ibid.quæſt.7.num.3.
Vtrùm Vbi angelicum punctuale ſit indiuiſibile. ibid.num.5.

Vnio.

Ad hoc vt vnio ſit ſubſtantialis, non eſt neceſſe vt per ſe ſtet. ex prædicam.Subſt. diſput. 4. quæſt. 1. num.23.
An de facto vnio ſit diuiſibilis vel indiuiſibilis. ex prædicam.Subſt.diſput 3 quæſt.9.per totam.
Illæ duæ vniones quæ ſunt in natura, in materia ſcilicet & forma, in ordine ad ſubſiſtentiam vniuntur ſe ipſis. ibid.quæſt.6.num.6.
In compoſito ſubſtantiali ex natura & ſubſiſtentia, vnio non eſt in ſubſiſtentia ſed in natura. ibid. quæſt.6.num.2.
Non datur qualitas media inter extrema vnita. ibid.diſput 4.num.3.
Non repugnat dari vnionem afficientem intrinſecè materiam & formam de facto, de facto autem non datur. ibid.quæſt.4.num.1.& 17.
Non repugnat in homine vnionem receptam in anima eſſe indiuiſibilem. ibid diſput.3.quæſt.7. num.2.
Non repugnat vnionem extenſam ſubiectari in anima rationali. ibid.quæſt.8.num.4.& 5.
Probabile eſt etiam duas vniones vniri per tertiam vnionem. ibid.quæſt.6.n. 7.
Si datur vnio indiuiſibilis in anima, tunc ſi abſcinditur manus,vel tota vnio corrumpitur & fit alia de nouo, vel probabiliùs prior vnio deſinit informare illas partes, ita vt reſpectu illarum,ſit tantùm potentialis nexus & non actualis. ibid. num.4.5.& 7.
Stante hac vnione tamquam nexu, adhuc dicuntur extrema vniri immediatè vt quod. ibid.diſp.4. quæſt.1.num.24.
Vnio eſt eſſentialiter actualis nexus. ibid.num. 2.
Vnio eſt nexus inter extrema, per quam tanquam per rationem formalem extrema vniuntur. ibid. quæſt.1.num.18.
Vnio in compoſito ſubſtantiali eſt ſubſtantialis. ibid.num.22.
Vnio in compoſito ſubſtantiali eſt vna in vno extremo tantùm. ibidem diſputatione 4. quæſt. 4. num.5.
Vnio in compoſito eſſentiali eſt in materia tantùm. ibid.quæſt.5.num.2.
Vnio in natura eſt duplex:altera in materia,& altera in forma, in ordine ad faciendum vnum cum ſubſiſtentia. ibid. quæſt. 6.num.3.& 4.
Vnio inter extrema realiter diſtincta diſtinguitur à parte rei,non quidem realiter, nec ſolùm extrinſecè penes connotatum extrinſecum, ſed intrinſecè modaliter, non autem formaliter. ibidem diſputatione 4.quæſtione 2. à num.7. vſque ad num.12.
Vnio inter extrema quorum alterum eſt res, & alterum modus, non diſtinguitur à parte rei ab extremis, ſed identificatur cum extremo quod eſt modus. ibidem diſputatione 4.quæſt.2. num.13.
Vnio non eſt formaliter dependentia. ibidem diſput.4.quæſt.1.num.18.
Vnio non eſt formaliter intima præſentia localis vnitorum. ibid.num.10.
Vnionem aliquando eſſe potentialem non implicat ex defectu termini, dummodo ſit in actuali exercitio aliquarum partium, vt contingit in nutritione,ſi detur vnio indiuiſibilis in anima rationali. ibid.num.21.
Vnio non eſt pars compoſiti, ſed modus partium. ibid.num.23.
Vnio non eſt res abſoluta, nec relatio prædicamentalis. ibid.num.16.
Vnio non eſt ſola proportio extremorum. ibid. num.6.

Digitized by Google

Vnio non poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti ſeu compoſiti corruptionem. ibidem numero 23.

Vnio non poteſt intrinſecè recipi in ſubſiſtentia. ibidem diſputatione 4.quæſtione 2.numero 3.4. & 7.

Vnio quæ vnitur exiſtentia cum natura, diſtinguitur realiter à natura. ibid.num.16.

Vniuerſale exiſtens in indiuiduo, non datur à parte rei. ex prædicam. ſubſt.quæſt.10. dubit.1.num. 11.& dubit.4.num.1.

Vniuerſale extra indiuidua in ſtatu præciſionis ſeu eſſentiæ, non datur à parte rei. ex prædicamento ſubſtant.dubitat.1.numero 32.& dubit.4. num.2.

Vniuocatio.

Accidens eſt vniuocum ad inferiora. *Vide in verbo Accidens.*

Ad vniuocationem non diſtinguitur diſtinctio graduum à parte rei. in prædicam. ſubſt.diſp.1. quæſt.7.num.5.

Ad vniuocationem non requiritur vt inferiores rationes præſcindant à ſuperiori.ibid.num. 7.& 8.

Ad vniuocationem perfectam requiritur vt ratio ſuperior non connotet dependentiam in inferioribus. ibid.num.9.

Ens non eſt vniuocum ad inferiora. *Vide in verbo Eſſe eſſentia.*

Vera vniuocatio reperitur in genere. ibid.num.6.

Digitized by Google

INDEX THEOLOGICVS MATERIERVM THEOLOGICARVM, QVÆ SVNT IN hoc ſecundo tomo.

A

Accidens.

ACCIDENS non poteſt aſſumi hypoſtaticè à natura Diuina. ex prædicamento Subſtantiæ Coroll. 7 dub. 2. num. 2. & ſequent.

Accidens, vt albedo intenſa vt octo, inhærens in partibus proportionalibus ſubiecti quanti, poteſt ſeparari per Diuinam potentiam à ſubiecto. ibidem num. 4.

Actio.

Actio Corporis Chriſti prout eſt in Sacramento. *Vide verb. Corpus Chriſti. §. Actio.*

Actio originis in Deo.

Actio abſoluta communicatiua non eſt vera & realis emanatio. ex prædicam. ad Aliquid Coroll. 12. dubit. 3. numer. 15.

Actio abſoluta identificatur adæquatè cum Patre, & nihil aliud eſt quàm ipſum intelligere in communicari prout eſt à Patre. ibid. num. 3.

Actio in Diuinis non dicit dependentiam. ibidem dubit. 1. num. 8.

Actio in Diuinis non eſt ex nihilo, producitur enim perſona de ſubſtantia producentis. ibid. dubit. 4. num. 4.

Actio, per quam producitur perſona Diuina eſt imminens, quatenus per eam producitur perſona vt terminus manens in eadem eſſentia. ibidem dubit. 4. num. 5.

Non tamen ex eo quòd actio ſit immanens, ſequitur quòd eſſentia Diuina ſit principium materiale. ibid. num. 9.

Actio relatiua adæquatè identificatur cum perſona producta. ibidem dub. 3. num. 6.

Cùm dicitur Filius procedere de ſubſtantia Patris, particula (de) ſignificat explicitè ordinem originis perſonæ productæ à producente, tanquam à principio actiuo; implicitè autem ſignificat conſubſtantialitatem in natura Diuina. ibidem dubit. 4. numer. 6.

Datur actio originis in Deo, per quam communicatur eſſentia perſonis. ibidem dubit. 1. numero 8.

Duæ actiones poſſunt concipi in Diuinis vt in Patre, altera abſoluta, per quam communicatur ipſum intelligere, & omnia alia abſoluta ipſi Verbo: altera relatiua, quæ eſt verus, & realis influxus, per quem producitur ipſa perſona ſecundùm perſonalitatem relatiuam. ibidem dubit. 2. numer. 9.

In Diuinis inter principium, & terminum mediat actio relatiua, quæ eſt realis influxus. ibidem dubit. 3. num. 11.

Angelus.

Exiſtentia Angeli in loco, ſeu Vbi.

§. 1.

Angelus eſt in loco corporeo. ex prædicamento Vbi coroll. 5. dubit. 1. num. 4.

Angelus eſt in loco non circumſcriptiuè ſed definitiuè. ibidem dub. 2. à num. 3. vſque ad numer. 7.

Angelus non poteſt eſſe nullibi. ibidem dubit. 1. numer. 9. & 11.

Quando Angelus eſt in loco inadæquato, non dicitur ibi eſſe definitiuè. ibid. dubit. 2. num. 8.

Si Angelus crearetur in illo interuallo inani ſupra cœlum, eſſet ibi tanquam in loco; quòd ſi non detur illud interuallum inane, nullibi eſſet. ibidem dubit. 1. numer. 15.

Ratio formalis in Angelo exiſtendi in loco.

§. 2.

Ad hoc vt Angelus dicatur eſſe propriè in loco per contactum correſpondentem contactui quantitatiuo, debet tangere locum ſeu corpus per operationem tranſeuntem extenſam. ibidem dubit. 3. num. 33.

Hic contactus poſitiuus non requiritur ad hoc, vt Angelus ſit ſimpliciter in loco, ſed ſatis eſt contactus negatiuus per indiſtantiam. ibidem.

Duplex eſt ratio formalis exiſtendi in loco, altera (per quam) & eſt, Vbi; altera ex qua, & hæc in corporibus eſt quantitas; in angelo autem non eſt operatio neque applicatio virtutis, ſed potentia ad operationem, quam poteſt exercere ſimultaneè in loco. ibid. dubit. 3. per totam, præſertim num. 1. 12. & 33.

Per operationem non intelligit S. Thomas tantùm motionem localem, ſed quamcumque operationem tranſeuntem, quæ exercetur circa corpus, cuiuſmodi eſt illuminatio hominis ibid. num. 35.

Angelus ex non præſenti fit præſens loco per mutationem intrinſecam in ipſo Angelo, quæ mutatio dicitur motus localis. ibid. dubit. 4. num. 3.

Angelus non poteſt eſſe in duobus locis diſcontinuis, quamuis inadæquatis, interiecto illo ſpatio quod poteſt eſſe locus adæquatus Angeli, quamuis in illo ſpatio actu Angelus non conſtituatur. ibid. dubit. 8. num. 3.

Angelus non poteſt eſſe continuè in loco anguſtiſſimo ducto à cœlo in terram, quamuis poſſit eſſe in toto quadrato, vnde ducitur ille locus anguſtiſſimus. ibid num. 5.

Angelus

Digitized by Google

Angelus non poteſt eſſe in minori loco quàm ſit ſuus locus adæquatus. ibid.dubit.6.num.3.
Angelus poteſt eſſe in puncto tamquam in loco totali. ibid.dubit.7.num.3.
Angelus poteſt ſe colloeare in punctis continuatiuis loci diuiſibilis per Vbi indiuiſibile. ibid.
Datur Vbi Angelicum intrinſecum in Angelo, quod acquiritur per motum localem. ibid. dubit. 4. num.9.
Hoc Vbi intrinſecum in Angelo eſt diſtinctum à parte rei ab ipſa ſubſtantia Angeli. ibidem num.15.
Vbi angelicum eſt indiuiſibile, non ſolùm quando Angelus conſtituitur in puncto, ſed etiam quando conſtituitur in ſpatio extenſo. ibid.dubit.5. num.3.& 4.
Vbi angelicum indiuiduatur ab interuallo illo ſeu capacitate immobili ad recipiendum corpus. ibid.dubit.4.num.17.
Vbi angelicum per quod Angelus conſtituitur in loco extenſo, eſt formaliter indiuiſibile, & virtualiter diuiſibile. ibid.dubit.5.num.4.
Hoc Vbi indiuiſibile habet ſuam durationem formaliter indiuiſibilem & virtualiter diuiſibilem, ita vt duret per aliquod tempus indeterminatum, & in inſtanti illius temporis corrumpatur. ibid.num.7.

Cognitio Angeli.

§. 3.

Angelus non poteſt cognoſcere euidenter negationem propriæ ſubſtantiæ in humanitate Chriſti. ex prædicam.ſubſt. coroll. 2. dub. 1. num. 4. & dubit.2.num.7.
Angelus non poteſt cognoſcere modum exiſtendi accidentium in ſacramento. ibid.num.8.
Angelus poteſt cognoſcere probabiliter poſſibilitatem incarnationis. ibid.coroll.1.
Angelus poteſt naturaliter cognoſcere reſurrectionem. ibid.coroll.2.dubit.2.num.8.
Totam materiam de cognitione Angelorum vide in primo tomo.

Aſſumptio.

Aſſumi poteſt eadem numero natura à pluribus perſonis quoad determinari. ex prædicam.ſubſt. coroll.5.dubit.1.num.8.
Non poteſt eadem numero aſſumi à pluribus perſonis quoad ſuſtentari. ibid.num.12.
Aſſumente vna perſona Diuina humanitatem, non eſt neceſſe vt reliquæ perſonæ eamdem aſſumant. ibid.dubit.2.num.1.& ſequent.
Aſſumente vna perſona plures humanitates, poteſt dici vnus homo. ibid.num.1.
Aſſumentibus pluribus perſonis Diuinis eamdem numero humanitatem, poſſunt dici vnus homo. ibid.num.1.
Aſſumptio, *Vide plura in verbo Perſona, & in verbo Natura.*

C

CALVINISTARVM Dux eſt Iudas. ex prædic. Vbi coroll.1.dubit.1.num.9.
Compoſitio huius ad hoc, & huius ex his quæ ſit. in prædicam.ſubſt.coroll.3.dubit.2.num.12.
Compoſitio humanitatis cum Verbo eſt ſubſtantialis. in prædic.ſubſt.coroll.3.dubit.5.num.7.
Inter contradictoria datur diſtantia. ex prædicam. Quantitatis coroll.6.dubit.5.num.8.

Corpus Chriſti in Sacramento.

Quantitas Corporis Chriſti in Sacramento.

§. 1.

Corpus Chriſti in Sacramento eſt affectum formaliter quantitate. ex prædic Quantitatis coroll.1. dubit.2.num.7.
Corpus Chriſti in Sacramento eſt figuratum, quatenus dicit talem diſpoſitionem partium in actu primo, vt debeatur illi talis commenſuratio ad locum. ibid.num.25.
De facto Corpus Chriſti eſt extenſum in ordine ad ſe. ibid.num.16.
Extenſio in ordine ad locum poteſt ſeparari per Diuinam potentiam ab extenſione in ordine ad ſe contra Paludanum. ibid.num.27.
Non repugnat corpus Chriſti eſſe extenſum in ordine ad ſe contra Nominales, quamuis ſit inextenſum in ordine ad locum. ibid.num.12.
Partes corporis Chriſti in Sacramento ſunt diſtantes ſecundùm diſtantiam intrinſecam & quantitatiuam, ſeu extenſionem in ordine ad ſe, ſunt autem indiſtantes & ſimul in ordine ad diſtantiam extrinſecam & localem. ibid.num.28.
Quantitas non poteſt eſſe identificata cum corpore Chriſti in Sacramento, ſi non eſt identificata cum corpore Chriſti in cœlo. ibid.num.20.
Si corpus Chriſti non eſſet quantum in Sacramento, eſſet tamquam monſtrum ſine figura & qualitatibus. ibid.num.9.

Vbi ſacramentale ſeu præſentia Corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus.

§. 2.

Corpus Chriſti de facto eſt ſubſtantialiter præſens ſpeciebus ſacramentalibus. ex prædicam. Vbi coroll.1.dubit.1.num.4.
Corpus Chriſti eſt intimè præſens omnibus partibus ſpecierum hoſtiæ ante ſeparationem. ibid. dubit. 3.num. 2.
Corpus Chriſti eſt in qualibet parte hoſtiæ non ſolùm minima, ſed etiam minori minima. ib n.10.
Corpus Chriſti eſt in partibus diſcontinuis & diuiſis hoſtiæ. ibid.dubit.4 num.2.
Corpus Chriſti quamuis ſit in ſingulis partibus proportionalibus hoſtiæ, non tamen dicitur eſſe infinities in hoſtia, ſed ſemel quia eſt vnica numero præſentia corporis Chriſti deſumpta ab vnitate ſacramenti. ibid dubit.3.num 16.
In parte inſenſibili ſeparata panis eſt corpus Chriſti. ibid.dubit.4.num.7.
In parte ſeparata minori minima non eſt corpus Chriſti, etiam ſi pars illa conſeruetur à Deo per miraculum, ſecus autem quando illa pars eſt coniuncta, quia tunc in illa naturaliter eſt ſubſtantia panis. ibid num.9.& 10.
Non poteſt ſacerdos ſeparando ſecundùm intentionem conſecrare infinitas medietates infinitis mediis non conſecratis. ibid.num.12.
Non poteſt ſacerdos cõſecrare infinitas partes hoſtiæ impares non conſecratis paribus. ibid. n. 13.
Non repugnat corpus Chriſti eſſe realiter & ſubſtãtialiter præſẽs in Sacramẽto. ib.corol.1.dub.1.n.1.
Si vinum non conſecratũ miſceatur vino conſecrato, tunc illa ſuperficies quæ de nouo fit, eſt corpus Chriſti, & nullo modo eſt ſubſtantia ſeu indiuiſibile ſubſtãtiæ vini nõ cõſecrati. ib.du.5.n.10 & 11.
Totum corpus Chriſti eſt in quolibet puncto ſeu indiuiſibili tam terminatiuo, quàm continuatiuo

Digitized by Google

hoſtiæ, quia alioquin præſentia Chriſti eſſet infinities interrupta. ibid.num.6.& 7.

Ratio formalis conſtituendi corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte.

§. 3.

Corpus Chriſti non conſtituitur in hoſtia totum in toto, & totum in qualibet parte per ſolam negationem extenſionis, vel per contactum indiuiſibilem, vel per penetrationem, ſed per aliquem modum poſitiuum ſupernaturalem. ex prædic. Vbi coroll.1.dubit.6.per totam.

Quatuor poſſunt eſſe modi per quos corpus Chriſti poteſt conſtitui totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ. ibid.dubit.7.per totam.

De facto corpus Chriſti conſtituitur totum in toto, & totum in qualibet parte hoſtiæ per Vbi indiuiſibile in ordine ad ſe, & in ordine ad locum. ibid.dubit.7.num.4.

Hic modus per quem conſtituitur corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus ſacramentalibus, non eſt Vbi locale, ſed vnio antecedens ipſum Vbi locale, ſimilis vnioni, quam habet ſubiectum cum accidentibus. ibid.dubit.8.num.6.7.& 9.

Hæc vnio non eſt effectiua trahendo ad ſe accidentia, ſicut magnes trahit ferrum, ſed eſt formalis. ibid.num.15.& num.18.

Conſiſtit hæc vnio formalis vt fiat vnum locatum ex corpore Chriſti, & accidentibus in ordine ad vnum locum. ibid.num.19.

Hæc vnio formalis eſt intrinſecè in corpore Chriſti. ibid.dubit.9.num.2.& 6.

Hæc vnio in conſecratione hoſtiæ eſt immediatè in corpore, & mediatè in ſanguine, in conſecratione autem vini eſt immediatè in ſanguine, & mediatè in hoſtia. ibid.num.20.

Per hanc vnionem corporis Chriſti cum accidentibus ſumit corpus Chriſti ab accidentibus omnem denominationem in ordine ad locum, non autem alias denominationes. ibid. dubitat.10. num.1.& num.2.

Corpus Chriſti non ſumit omnes denominationes ab accidentibus, quæ videntur in ordine ad locum; non enim dicitur diuidi aut frangi quando accidentia diuiduntur aut franguntur, quia nulla eſt ſeparatio partium in corpore Chriſti; at verò quando accidentia mouentur, verè corpus Chriſti mutat locum, & ideo denominatur moueri ad motum accidentium. ibid.num.4.& 6.

Hæc vnio corporis Chriſti cum accidentibus reductiuè eſt in prædicamento Vbi. ibid.dubitat. 11.num.1.

Per hanc præſentiam Sacramentalem, corpus Chriſti neque circumſcriptiuè neque definitiuè conſtituitur in hoſtia. ibid.dubit.12.num.3.

Ad conſtitutionem definitiuam requiritur vt non poſſit per eamdem formam, & per eamdem virtutem conſtitui in alio loco. ibid.num.4.

Præter vnionem Sacramentalem, quam corpus Chriſti habet intrinſecè cum ſpeciebus, non habet aliud nouum Vbi locale ſibi intrinſecum, quando mouentur ipſæ ſpecies, ſed denominatur extrinſecè moueri & vbicari à motu & Vbi ipſius hoſtiæ. ibid.dubit.13.per totam.

Vbi ſacramentale, ſeu præſentia ſacramentalis corporis Chriſti dependet à naturali eiuſdem præſentia in cœlo ſecundùm eſſe ſubſtantiale & è contra, nam annihilato corpore Chriſti in vno loco, annihilatur in alio. ibidem dubitat. 14. num.4.& 5.

Præſentia corporis Chriſti in ſacramento dependet de facto ex vi inſtitutionis huius ſacramenti à præſentia corporis Chriſti extra ſacramentum, poterat autem inſtitui vt non dependeat. ibid. num.9.& 12.

Replicatio Corporis Chriſti in pluribus locis.

§. 4.

Annihilata vna re in vno loco, annihilatur in alio. ex prædicamento Quantitatis & Vbi, corol.2.dubit.3.num.12.

Augmentum animalis in vno loco non eſt in alio. ibid.coroll.2.num.4.

Chriſtus de facto fuit aliquando circumſcriptiuè in cœlo & in terra, vt quando apparuit Paulo. ibid. coroll.2.dubit.2.num.15.

Chriſtus viſionem quam habet in cœlo, habet in hoſtia. ibid.dubit.3.num.25.

Corpus Chriſti conſtitutum in duobus locis eſt diuiſum diuiſione locali, non autem entitatiua. ibid.coroll.2.dubit.2.num.5.

Corpus conſtitutum in duobus locis, poteſt plus quàm in vno, ſi in eodem loco poteſt vincere totam illam reſiſtentiam quæ eſt in duobus locis, vnde ignis poteſt calefacere in vno loco & calefacere in alio, quia ſi combuſtibilia eſſent approximata in vno loco, poſſet etiam illa comburere, non poteſt autem homo eleuare pondus in vno loco, & aliud in alio, quia non poteſt illa duo eleuare in vno loco. ibid.num.13.

Corpus conſtitutum in duobus locis, non poteſt in vno ſummè calefieri, & in alio ſummè frigefieri, ſed ſequetur illa actio quæ ſequeretur ſi illa duo agentia applicarentur corpori in vno loco. ibid.

Corpus Chriſti quando mouetur in hoſtia, non mouetur in cœlo. ibid.dubit.3.num.4.

Corpus replicatum in duobus locis, poteſt moueri ſimul in vtroque loco, & quamuis corpus naturaliter non ſit receptiuum duorum Vbi, connaturaliter tamen peteret maiorem concurſum Dei ad conſeruandum illa plura Vbi. ibid.dub. 3.num.18.

Homo replicatus in duobus locis, habet eam ſenſationem in vno loco, quam habet in alio. ibid. dubit.3.num.21.

Homo replicatus in duobus locis, non poteſt in vno diligere Deum, & in alio odio habere, ſed eliceret illum actum, quem eliciturus eſſet ſi motiua quæ repræſentantur in duobus locis, repræſentarentur in vno. ibid.num.27.

Non ex eo quòd corpus replicatur in duobus locis, ideo fit maius ſecundùm ſe, ſed tantùm ponitur exceſſus ſecundùm exiſtentiam localem. ibid. dubit.2.num.8.& 10.

Non implicat corpus Chriſti eſſe vel incircumſcriptiuè in duobus locis, ſicut eſt in duabus hoſtiis, neque circumſcriptiuè in vno loco & incircumſcriptiuè in alio: ſicut eſt in cœlo & in hoſtia, quia non repugnat eſſe duo Vbi in ordine ad diuerſa loca. ibid.dubit.2.num. 2.

Non poteſt homo replicatus in duobus locis eſſe in gratia & in peccato. ibid.dub.3.num.29.

Non poteſt homo in vno loco eſſe miſer, & in alio beatus, ſi beatitudo dicit aggregationem omnium bonorum. ibid.num.30.

Non poteſt homo replicatus in duobus locis, in vno

Digitized by Google

vno viuere, & in alio mori, deſtructa vnione ſeu aliqua parte eſſentiali in vno loco, ſecus autem ſi vnio ſeparetur in vno loco & non in alio, quia tunc non implicat hominem replicatum viuere in vno loco, & non in alio. ibid.à num.7.vſque ad 11.

Quando partes corporis Chriſti diſcontinuabantur à clauis in cruce, non diſcontinuabantur à ſacramento, ſi alicubi fuiſſet tunc ſacramentum, quia diſcontinuatio dicit ordinem ad locum. ibid.num.4.

Corpus tamen Chriſti paſſum fuiſſet illum dolorem in ſacramento quem patiebatur in cruce, quia dolor eſt accidens abſolutum. ibid.num.5.

Replicato corpore in vno loco non replicatur Vbi. ibid.dubit.1.num.7.

Replicato corpore replicantur accidentia quæ ſunt in illo corpore, niſi ſint localia, quia non habent aliud Vbi quàm Vbi corporis. ibid.dubit.3. per totam, præſertim num.10.

Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti.
§. 5.

Ad tranſubſtantiationem ſeu conuerſionem ſubſtantialem quæ requiruntur, vide ex prædicam. Quantitatis & Vbi Coroll.3. dubit.1. per totam.

Ad huiuſmodi tranſubſtantiationem concurrunt omnia requiſita ad veram conuerſionem. ibid. dubit.6.à num.8.vſque ad num.18.

Conuerſio ſeu tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti non eſt accidentalis per actionem adductiuam. ibid.dubit.2.per totam.

Non manet in Eucharistia materia panis ſeu vini informata Corpori Chriſti. ibid.dubit.5.num.7.

Non manet in Euchariſtia exiſtentia panis. ibid. num.9.

Non poteſt dici quòd panis tranſubſtantietur in corpus Chriſti per ſolam deſitionem ſubſtantiæ panis. ibid.dubit.4.per totam.

Per tranſubſtantiationem non producitur de nouo Corpus Chriſti, aut conſeruatur de nouo ſecundùm eſſe ſubſtantiale. ibid.dubit.3.per totam.

Realitas panis non remanet in Sacramento Euchariſtiæ facta vnum cum Corpore Chriſti. ibid. dubit.5.num.4.

Repugnat Corpus Chriſti fieri ſubſtantialiter in Sacramento ex duobus capitibus. ibid.dub.3. à num.13.vſque ad num.20.

Si ponatur nonus gradus caloris in materia, deſinet primus gradus, & non dicetur annihilari, quia quamuis non habet formaliter oppoſitionem nono, habet tamen oppoſitionem ratione ſubiecti, quod non poteſt ſuſtentare niſi octo gradus. ibid.dubit.7.num.12.

Si reproducatur panis, reproduci debet per creationem, quia producitur ex nihilo. ibidem num.11.

Subſtantia panis deſinit ex aduentu Corporis Chriſti ſuſtentantis accidentia. ibid.dubit.6.num.8.

Subſtantia panis non poteſt ſuſtentare accidentia, ſi ſuſtentētur à Corpore Chriſti efficienter, quia idem effectus non poteſt pendere à duabus cauſis totalibus. ibid. num. 9.

Subſtantia panis non ſuſtentando accidentia, non informatur ab accidentibus, & conſequenter deſtruitur ipſa ſubſtantia panis, quæ pendebat in conſeruari ab ipſis accidentibus. ibid. num. 10.

Tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti conſiſtit in eo, quòd Corpus Chriſti ex vi verborum vnitur cum accidentibus loco ſubſtantiæ panis, ſuſtentando accidentia in genere cauſæ efficientis. ibid.dubit.6.num.1.

Tripliciter intelligitur Corpus Chriſti fieri ſecundùm eſſe ſubſtantiale, & nullo ex illis modis poteſt dici Corpus Chriſti fieri. ibidem dubit.3. num.7.

Vnus tantùm modus datur producendi ex nihilo; at verò quòd res deſinat in nihilum fit duobus modis, vel per ſolam ſubtractionem concurſus Dei, & tunc illa deſitio eſt annihilatio, vel per incompoſſibilitatem termini ad quem cum termino à quo, & tunc non eſt propriè annihilatio. ibid.dubit.7.num.11.

Quòd tranſubſtantietur præciſè ex vi verborum.
§. 6.

Corpus Chriſti venit ex vi verborum in conſecratione panis, ſanguis autem in conſecratione vini; anima verò Chriſti, & perſonalitas diuina & ipſa Diuinitas, veniunt per concomitantiam. ex corollario 3.dubit. 8.num.1.

Corpus quod venit ex vi verborum, eſt pars hominis. ibid. num. 7.

Corpus Chriſti quod venit ex vi verborum, non eſt materia ſola, ſed compoſitum ex materia & forma. ibid.num.2.

Dicitur idem corpus numero poſt mortem, quamuis ſit informatum forma cadaueris. ibid.num.17.

Ex vi verborum conſtituitur ſub accidentibus Corpus Chriſti organicum, prout complectitur carnem, neruos, oſſa, &c. ibid.num.18.

Forma ex qua componitur Corpus quod venit ex vi verborum, non eſt forma corporeitatis, neque organizationis, neque formæ partiales, ſed eſt anima, non quatenus anima, ſed vt eſt forma corporis, quatenus dat eſſe corporeum. ibidem à num.10.vſque ad num.17.

Illa veniunt per concomitantiam, quæ veniunt ratione coniunctionis cum eo quod ſignificatur eſt vi verborum. ibid.num.1.

Illud venit ex vi verborum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quod per verba conſecrationis ita ſignificatur, vt præſentia illius omnino neceſſaria ſit ad verificanda verba. ibid.num.1.

Materia panis non conuertitur in materiam Corporis Chriſti, & forma panis in formam eiuſdem Corporis, ſed tota ſubſtantia panis conſtans ex materia & forma, conuertitur ex vi verborum in totum Corpus Chriſti. ibid.num.23.

Partes heterogeneæ, vt caro, oſſa, &c. quamuis veniant ex vi verborum, non tamen veniunt per eamdem actionem inuiſibilem. ibid.num.34.

Quæ veniunt in Euchariſtia per concomitantiam, ſi habeant neceſſariam connexionem cum Corpore Chriſti, veniunt per vnicam indiuiſibilem actionem ſimul cum Corpore Chriſti. ibidem num.26.

Ratio ſuppoſiti ſubſtantialis neque ſecundùm rationem communem, neque ſecundùm rationem propriam Verbi, neque ſecundùm rationem ſuppoſiti communem creato & increato venit ex vi verborum. ibid.num.26.

Si in triduo mortis fuiſſet conſecratum, veniſſet forma cadaueris non vt forma cadaueris, ſed vt forma Corporis quatenus dat eſſe corporeum. ibid.num.16.

Digitized by Google

Actio & paſſio Corporis Chriſti prout eſt in Sacramento. §. 7.

Corpus Chriſti mouetur per accidens ad motum ſpecierum. ex prædicam. Quantitatis & Vbi, Coroll. 4.dubit. 1.num.2.

Iſta motio fit naturaliter à ſacerdote mouente hoſtiam. ibidem num. 3.

Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento indiuiſibiliter,non poteſt agere actione tranſeunti in aliud corpus, nec pars Corporis Chriſti in aliam partem ſui Corporis. ibidem dubit. 2. num.2.

Corpus Chriſti prout eſt in Sacramento,non poteſt pati. ibidem num.3.

Corpus Chriſti prout eſt indiuiſibiliter in Sacramento,non poteſt videri ab oculo corporeo, nec per potentiam abſolutam Dei. ibid. dubit. 4. numer.2.

Poteſt tamen videri ſub aliquo modo apparenti. ibidem numer.4.

Oculus Chriſti corporeus in Sacramento videt ſe ipſum in Sacramento per concomitantiam, quia habet eamdem viſionem in Sacramento, quam habet in cœlo. ibidem dubitat.3.num. 2.

Oculus Chriſti per potentiam Dei abſolutam poteſt videre & audire circumſtantes, & de facto videt, quia pertinet ad dignitatem Chriſti,& propter conſolationem fidelium. ibid. num.3.& 4.

Poteſt Corpus Chriſti prout eſt indiuiſibiliter in Sacramento,per abſolutam potentiam Dei moueri per ſe. ibidem num. 6.

Conuerſio ſubſtantialis. *Vide ſuprà verb. Corpus Chriſti.* §. 5.

D

DEſitio panis in Euchariſtia, quomodo fiat,& an ſit annihilatio; ex prædicamento Quantitatis & Vbi, Coroll.3.dubit.7.num.3.

Deus.
Infinitas Dei.
§. 1.

Quæ ſit infinitas intenſiua Dei ex prædicamento quantitatis Coroll. 6. numer. 1.

Ex infinitate motus non rectè infertur infinitas intenſiua Dei. ibidem dubit.1.num.2.

Ex infinitate mobilis non rectè infertur infinitas intenſiua Dei. ibid. dubit. 2.num.2.

Ex creatione præcisè non poteſt argui infinitudo in Deo. ibid.dub.5. num.4.

Ex perpetuitate motus qua cauſatur à Deo, vel eſt cauſabilis in motu cœli, non poteſt colligi virtus infinita intenſiua. ibid. dub.4.num.2.

Ex velocitate infinita motus in infinitum,non poteſt colligi virtus infinita in Deo. ibid.dub.3. num.5.

Ex velocitate motus infinita ſeu inſtantanea non rectè colligitur infinitas intenſiua in Deo.ibid.n.8.

Infinitudo Dei bene concluditur à priori,ex eo quia Deus eſt ſuum eſſe per eſſentiam.ibidem dubit.7. numer.8.

Ex creatione omnium poſſibilium rectè concluditur tanquam à poſteriori infinitudo Dei intenſiua. ex prædicam. quantitatis Corollario 6. dubitatione 6.

Immenſitas Dei.
§. 2.

Deus exiſtit in omnibus rebus. ex prædicamento Vbi Coroll. 7.num.1.

Immenſitas Dei non poteſt demonſtrari ex operatione, ex eo quia præſentia Dei eſt conditio neceſſaria prærequiſita ad operationem.ibid.num.6.

Immenſitas Dei demonſtratur ex operatione tanquam ex ratione formali, ſeu potiùs ex potentia ad operandum:ita vt operatio ſumatur in obliquo tanquam effectus & terminus potẽtiæ. ibid. num.15.

Poteſt immenſitas Dei ſeu præſentia in omnibus rebus alia via demonſtrari quàm ex infinitate eſſentiæ, & de facto demonſtratur in ſcripturis ex operatione. ibidem num. 5.

E

EVCHARISTIA. *Vide verb. Corpus Chriſti.*

F

FILIVS in Diuinis eſt tantùm genitus. ex prædicamento Relationis coroll.14. dubit. 2.

Filius in Diuinis producitur ex cognitione omnium quæ ſunt formaliter in Deo,non autem quæ ſunt eminenter. ibid.dub. 1.

Solus Filius in Diuinis eſt propria imago,& quæ requirantur ad imaginem. ibid. dubit.3.

Ratio Filij, Verbi, & Imaginis, ſunt adæquatè de quidditate ſecundæ perſonæ Diuinæ. ibid.dubit. 3, in fine in quæſito 4.

H

HVMANITAS in Chriſto exiſtebat exiſtentia propria, ex prædicamento Subſt. coroll. 9. num.8.

Humanitas non violentatur cùm perſonatur à Verbo. in prædicamento ſubſtant. coroll. 1. dub. 3. numer.4.

Non repugnat humanitatem exiſtere exiſtentia Verbi. ibid.coroll. 9. num.3.

I

Incarnationis poſſibilitas.

ACTVS ſeu inclinatio Dei ad communicandum ſe per incarnationem, quamuis ſit actus proprius Dei, eſt tamen liber. ex prædicamento ſubſt. Coroll. 1. dub.4.num.6.

Incarnatio non implicat nec ex parte perſonæ Diuinæ, nec ex parte vnionis creatæ, nec ex parte naturæ aſſumptæ. vide in prædicamento Subſt. Coroll. 1. per totum.

Incarnatio poteſt cognoſci probabiliter ab Angelo, per ſimilitudinem animæ rationalis cum corpore. ibid.Coroll.1.dub.3.num.3.

Incarnatio ſecundùm exiſtentiam non eſt cognoſcibilis naturaliter euidenter ab Angelo.ibid.Coroll.2.dubit.1.num.2.

Incarnationis exiſtentia non poteſt cognoſci probabiliter ab Angelo. ibid. Coroll. 1. dubit.4.n.2.

Incarnationis in fieri terminus immediatus vt(quo) non eſt humanitas in Verbo. ibid. Coroll. 1. num.2.& 3.

Nec eſt dependentia humanitatis à Verbo. ibidem num.14.

Nec eſt relatio prædicamentalis. ibid. num.22.

Nec eſt qualitas ſupernaturalis. ibidem num.22.

Sed

Digitized by Google

Sed eſt vnio ſeu nexus actualis. ibid.num.31.
Incarnationis in facto eſſe terminus partialis vltimatus & formalis non eſt perſonalitas Verbi, ſed humanitas,vt vnita Verbo.in prædicamento Subſt.coroll.4.dub.3.num 3.& 4.
Incarnationis in fieri terminus vltimatus & formalis vt (quod) eſt etiam humanitas vt vnita Verbo. ibid.num.5.
Incarnationis terminus totalis vt (quod)eſt Chriſtus. ibid.num.1.
In incarnatione terminus à quo partialis & vltimatus formalis non eſt negatio propriæ ſubſiſtentiæ. ibid.coroll.4.dubit.4.num.4.
Neque eſt negatio perſonalitatis Diuinæ. ibid. num.8.
Sed eſt negatio humanitatis in Verbo, quatenus Verbum ex non habente humanitatem tranſit ad habens humanitatem. ibid.num.11.
In incarnatione terminus à quo totalis eſt non Chriſtus. ibid.num.11.
Differentia inter incarnationem, vnionem, & aſſumptionem. ibidem coroll. 4. dubitat. 1. num.1.
Danda eſt aliqua actio ſeu incarnatio in fieri quæ fit à tota Trinitate. ibid.num.2.& 3.
Per incarnationem Verbum non mutatur. ex prædicamento Subſt.coroll.1.dubit.1.à num.2.& præſertim num.5.
Vide circa hoc plura verbo Vnio, & verbo Mutatio.
Poſſibilitas incarnationis non poteſt cognoſci euidenter naturaliter ab Angelo. ibid. coroll.2. dubit.2.num.3.
Poſſibilitas incarnationis poteſt cognoſci probabiliter ab Angelo. ibid. coroll. 1.dubitat.3. num.2.
Eſſe ingenitum eſt proprietas Filij in Diuinis. ex prædicam.Relationis coroll.14.dubit.2.

M

MVTATIO non cadit in Verbo aſſumente humanitatem, ſed in ipſa humanitate aſſumpta. in prædicam.Subſt.coroll.1.dubit.1. num.5.
Non repugnat dari motum inſtantaneum. ex prædicamento Quantitatis coroll.6. dubitatione 3. num.12.
Semper eſt mutatio, quando eſt nouus tranſitus à contradictorio in contradictorium, & quomodo intelligatur. in prædicamento Subſtantiæ coroll.4. dubitat.2. num. 8. & ſequent. vſque ad num.14.
Verbum cùm vnitur humanitati, non ex eo præciſè dicitur non mutari, quia non recipit intrinſecè vnionem. ibid.coroll.1.dub.1.num.4.
Verbum non dicitur mutari, quia non ordinatur ad humanitatem eſſentialiter tamquam pars. ibid.num.4.
Verbum non propterea non dicitur non mutari cùm vnitur humanitati, quia præhabet eminenter humanitatem. ibid.num.2.

N

NATVRA ſubſiſtens propria perſonalitate, nec reduplicatiuè nec ſpecificatiuè poteſt aſſumi à Verbo. ex prædicamento Subſtantiæ coroll.7.in 1.dubitatione num. 3. & ſequent. & num 9.
Notio ſeu proprietas notionalis diuinarum perſonarum. *Vide verb. Actio.*

O

ORIGO. *Vide verb. Actio.*

P

PRÆSENTIA Corporis Chriſti. *Vide verb. Corpus Chriſti.*
Pater in Diuinis eſt improductus,& ingenitus, hoc autem eſſe ingenitum fundatur in relatione Paternitatis. ex prædicamento Relationis, dubit. 1.& 2.
Eſſentia Diuina vt eſt principium operationum,nõ imbibitur eſſentialiter in qualibet perſonalitate, quamuis identificetur cum illa; ens autem increatum imbibitur in perſonalitate Diuina, ſicut ens creatum in qualibet differentia. ex prædicamento Relationis coroll. 10. dubitat. 1. num.3.& 4.
Hæc conſtitutio ex perſonalitate & eſſentia in Diuinis, non eſt fundamentalis tantùm, ſed formalis. ibid.num.5.
Perſona creata non poteſt efficienter propria virtute naturali producere vnionem cum aliena natura. ex prædicamento Subſtantiæ coroll. 6. num.3.
Non repugnat perſonam creatam terminare alienam naturam per ſe & incommunicabiliter. ibid num.7.
Perſona creata ſuppoſita vnione quæ efficienter fit ſupranaturaliter per Diuinam potentiam, tunc virtute propria tribuit naturæ alienæ terminationem communicando ſe ipſam. ex prædicam.Subſt.coroll.6.num.17.
Non repugnat perſonam creatam præter terminationem ſuſtentare etiam alienam naturam, non propria virtute, ſed Diuina. ibidem coroll.6. num.18.
Perſona Diuina verè & propriè conſtituitur ex eſſentia & proprietate perſonali. ex prædicamento Relationis corollar. 10. dubitatione 1. num.1.
Perſona diuina differt ab alia non per ſe totam, ſed per proprietatem. ibid.num 3.
Perſona diuina nullo modo dici poteſt compoſita nec formaliter nec fundamentaliter ex eſſentia & perſonalitate. ibid.num.6.
Perſona Diuina non conſtituitur per proprietatem abſolutam,ſed per relatiuam. ibid. dubit. 2. num.3.
Perſona Diuina non conſtituitur per relationem materialiter ſumptam, quatenus eſt præciſa forma hypoſtatica,ſed conſtituitur per relationem formaliter. ibid.num.8.
Vide plura verbo Relatio.
Plures perſonæ Diuinæ poſſunt aſſumere eamdem naturam, in terminando,non in ſuſtentando. ex prædicamento Subſtantiæ coroll. 5. dubit. 1. num.8.& 12.
Si ſubſiſtentia eſt modus, non poteſt terminare alienam naturam. ibidem coroll.6.num.15. & 16.
Si plures perſonæ diuinæ aſſumant eamdem numero humanitatem, poſſunt dici vnus homo.

ex

Digitized by Google

ex prædicamento Subſtantiæ coroll. 5. dubit. 3. num. 1. & ſequent.
Si vna perſona aſſumat plures humanitates, poteſt diei vnus homo. ibid.
Vna perſona Diuina terminante humanitatem, non eſt neceſſe vt reliquæ perſonæ eamdem terminent. ex prædicamento ſubſt. coroll. 5. dub. 2. num. 1.
Vna tamen perſona non poteſt videri ſine alia. ibid. num. 5.
Proprietates perſonæ Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Vide verb. Pater, Filius, Spiritus ſanctus.*

Potentia productiua ad intra.

Eſſentia Diuina non concurrit ad productionem vt natura eſt, ſed vt intellectus & voluntas eſt. ex prædicamento Relationis coroll. 11. dubit. 3. num. 3.
Vide plura in verb. Actio ſeu Productio.
Datur in Deo præter principium productiuum vt (quod) potentia productiua quæ eſt principium vt (quo). ex prædicamento Relationis coroll. 11. dubit. 1. num. 2.
Non datur potentia paſſiua ſicut datur productiua. ibid. num. 7.
Potentia productiua non dicit maiorem perfectionem in producente. ibid. num. 6.
Potentia productiua dicit in Deo eſſentiam & relationem, ita vt ex eſſentia & relatione integretur & compleatur vnum principium (quo). ibid. coroll. 11. dubit. 2. num. 6.
Potentia productiua in Deo principaliùs dicit eſſentiam quàm relationem, quia productio fit per aſſimilationem, ad quod confert eſſentia & non relatio. ibid. num. 10.
Productio in Diuinis. *Vide verb. Actio.*
Relatio Patris non influit in perſonam Filij, ſed ipſa eſſentia tantùm influit vt ſtat ſub relatione, requiritur autem relatio, quia confert ad diſtinctionem realem à termino producto. ibid. num. 7. & 11.

R

Replicatio Corporis. *Vide verb. Corpus Chriſti replicatum.*

Relatio Diuina.

Relatio Dei ad creaturas.
§. 1.

Non datur in Deo intrinſecè relatio prædicamentalis de nouo adueniens. ex prædicamento Relationis coroll. 1. num. 3.
Non datur in Deo relatio prædicamentalis Creatoris ad creaturam identificata ab æterno cum ipſo Deo. ibid. num. 5.
Non poteſt dari in Deo entitas fundamenti ſeu potentia creandi, quæ ex ſola poſitione termini ſine vlla ſui mutatione habeat relationem rationis, ſeu reſpectus Creatoris ad creaturam, quia Deus ordinaretur ad creaturam. ibid. n. 8. & præcipuè num. 10.
Non datur in Deo relatio tranſcendentalis ab æterno ſiue potentiæ ſiue ſcientiæ ad creaturas poſſibiles. ex prædicamento Relationis coroll. 2. num. 2.
Si daretur talis relatio in Deo, ſequeretur quòd tantam neceſſitatem haberet Deus quantam creaturæ, quod eſt abſurdum. ibid. num. 3.
Si per impoſſibile nulla creatura poſſet eſſe, adhuc Deus eſſet eiuſdem virtutis & omnipotentiæ abſolutæ. ibid. num. 5. & 6.
Verbum Diuinum non dicit relationem tranſcendentalem ad obiecta tamquam dicta à Patre, quia non procedit formaliter ex cognitione creaturarum. ex prædicamento Ad aliquid coroll. 3. num. 7.
Verbum Diuinum non dicit relationem realem ad creaturas tamquam ad obiecta repræſentata. ibid. num. 5.

Relatio inter perſonas Diuinas & ad eſſentiam.

In Deo ſunt relationes originis ſeu perſonales reales ſecundùm eſſe, in, & ſecundùm eſſe, ad. ex prædicamento Ad aliquid corollar. 4. num. 2. & 4.
Non poſſunt eſſe in Deo relationes fundatę in vnitate eſſentiæ vel vnitate perſonarum. ibid. coroll. 5. quæſt. 7. num. 4.
Non ſunt in Deo relationes reales fundatæ in quantitate virtutis, vnde nullo modo poteſt eſſe relatio æqualitatis, neque fundata in perſonalitate relatiua, neque in eſſentia. ibid num. 3.
Præter relationes originis non ſunt ponendæ aliæ relationes in Deo fundatæ in menſura & menſurabili, quia Deus non eſt menſurabilis. ex prædicamento Relationis quæſt. 7. num. 2.
Quomodo non obſtet ſyllogiſmus expoſitorius identitati perſonarum cum vna eſſentia & diſtinctione reali inter ſe. ex prædicamento Relationis coroll. 8. num. 8.
Quomodo poteſt ſtare quòd relationes originis identificentur cum eſſentia, & ſint diſtinctæ inter ſe realiter. ibid. num. 5.
Quomodo per relationes originis conſtituantur perſonæ Diuinæ. *Vide verb. Perſona.*
Relationes originis dicunt perfectionem realem abſolutam & relatiuam, non ſolùm comparatiuè ad perſonam quam conſtituunt, ſed etiam comparatiuè ad eſſentiam, nam per relationem paternitatis habet eſſentia vt ſit fœcunda. ex prædicamento Ad aliquid, coroll. 5. num. 6. & ſequent.
Relationes originis diſtinguuntur inter ſe realiter. ex prædicamento Relationis coroll. 8. num. 1. & ſequent.
Relationes Diuinæ non exiſtunt exiſtentiis relatiuis, ſed vna & eadem exiſtentia abſoluta qua exiſtit eſſentia. ex prædicamento Relationis coroll. 9. num. 3. & ſequent.
Relatio in Diuinis propter infinitatem æquiualet relationi tranſcendentali. ibid. coroll. 9. dub. 2. num. 11.
Spiratio actiua eſt relatio realis in Deo. ex præd. Ad aliquid coroll. 6. num. 6.

Fundamentum Relationis Diuinæ.
§. 2.

Vide verb. Potentia, & verb. Actio, ſeu Productio.
Relationis ſpirationis non eſt per reſultantiam. ex prædicam. Ad aliquid, coroll. 6. num. 7.
Relatio ſpirationis actiuæ non diſtinguitur realiliter à paternitate & filiatione. ibid. num. 8.
Relationes

Relationes inui ſunt quatuor, Paternitas, Filiatio, Spio iua, & Spiratio paſſiua, quia ſpiratio aa amuis ſit idem intrinſecè cum paternitat; ktione, tamen extrinſecè connotat Spirandum tanquam terminum, quem norntat paternitas & filiatio. ibid. Coroll. 6. n. & ſequent.

Ad multiplidi relationes non ſufficit tantùm diſtinctiois, ſicut ſufficit ad multiplicandum attri ibidem Coroll. 6. numero 3. & ſequent.

S

Sanguis C *Vide verb. Corpus Chriſti.*

Subiecton poteſt realiter tranſire de vno extremo dictorio in aliud contradictorium, ſinea mutatione reali à parte rei. ex prædicamubi Corollar. 5. dubitatione 4. num. 3.

Subſiſtentia h, ſi eſſet tantùm diſtincta ratione ratiocinatura, fuiſſet neceſſariò aſſumpta à Verbœdicamento Subſt. Coroll. 1. dubit. 3. num. 8.

Suſtentare quisus ſit ſubſiſtentiæ. ex prædicamento Subroll. 1. dubit. prima num. 3. & ſequent.

Suppoſitum. *Vid. Perſona.*

Spiritus ſanctus oteſ dici propriè genitus. ex prædicamentoioris Coroll. 14. dubitatione 2.

Non poteſt dici p imago. ibid. dub. 3.

Spiritus ſanctus ſità Patre & Filio tanquam ab vno princip prædicamento Relationis Coroll. 15. dub. n 9.

Spiritus ſanctus | & ex natura ſua poſtulat procedere à duoppoſitis. ibid. num. 16.

T

Terminari polem natura à pluribus Diuinis perſontrædicamento Subſt. Coroll. 5. dubit. 1. nu

Terminante vna h Diuina humanitatem, non eſt neceſſe reperſonas eamdem terminare. ibid. in 2. dubit. num. 1.

Tranſubſtantiatio qu*Vide verb. Corpus Chriſti.* §. 3.

V.

Verbum contirnanitatem eminenter, quamuis non ſatisfacere ſine humanitate. ex prædicambſt. Coroll. 1. dubit. 1. numer. 3.

Verbum non dicitur per incarnationem. *Vide verb. Vnio.*

Verbum poteſt ſuppler ſubſiſtentiæ creatæ. in prædicamento Suboll. 1. dubitatione 1. num. 6.

Vincentius Belluacenſis accepiſſe à S. Thoma eiuſdem Belluacenſis onio comprobatur. ex prædicamento Vbi ll. 4. de loco Angelorum, dub. 3.

Quando datur virtus altdinis quàm ſit effectus, poteſt illa virtus finita producere effectum infinitum, vel in infinitum. ex prædicamento Quantitatis Coroll. 6. dubit. 2. num. 2. & dubit. 5. num. 10. 11. & 13.

Vnio.

Vnio eſt ratio formalis per quam humanitas terminatur à Verbo ſecundùm hypoſtaſim. ex prædic. Subſt. Coroll. 3. dub. 1. num. 8.

Vnio hypoſtatica eſt ſupernaturalis ſecundùm eſſentiam, & quare. ibidem Coroll. 2. dubitatione 1. num. 5.

Vnio hypoſtatica eſt maxima vnionum, tum in ratione eſſendi, tum in ratione vnionis. ibid. Coroll. 4 dub. 3. num. 2. 5. & 9.

Vnio hypoſtatica recipitur in humanitate ſecundùm potentiam obedientialem ſupernaturalem. in prædicamento Subſt. Coroll. 1. dubitatione 3. num. 5.

Vnio humanitatis ad Verbum proximè & immediatè non fit naturæ Diuinæ, ſed perſonalitati, ac proinde non fit enti completo. ibid. Coroll. 3. dub. 5. num. 12.

Vnio humanitatis cum Verbo eſt ſubſtantialis. ibid. num. 7.

Vnio humanitatis cum Verbo eſt diſtincta à parte rei ab humanitate & Verbo. ex prædicamento Subſt. Coroll. 4. dub. 2. num. 3.

Hæc diſtinctio non eſt penes connotatum extrinſecum, ſed eſt intrinſeca. ibid num. 4.

Vide plura in verbo Incarnatio.

Vnio in compoſito ex humanitate & Verbo eſt conditio. ibid. Coroll. 4. dub. 3. num. 6.

Vnio inter naturam Diuinam & humanam non eſt immediata ſed mediata, non tamen propterea poteſt dici natura Diuina compoſita. ibidem Coroll. 3. dubit. 1. num. 7. & 8.

Vnio non fit per qualitatem naturalem ſuperadditam humanitati. ibid. Coroll. 3. dubitatione 5. num. 9.

Vnio non poteſt abeſſe præter humanitatis corruptionem quæ eſt ſubiectum vnionis. ibidem Coroll. 3. dubit. 5. num. 7.

Vniri cum humanitate non dicit perfectionem in ipſo Verbo, ſed tantùm in humanitate. ibid. Coroll. 1. dub. 1. num. 5.

Maioritas in vnione præcipuè ſumitur ex maiori virtute vniendi, & quæ ſunt magis diſtantia. ibid Coroll. 5. dubit. 1. num. 12.

Non implicat in Chriſto dari vnam vnionem afficientem animam & corpus ſimul. ibid. Coroll. 8. num. 8. & 9.

Per vnionem hypoſtaticam humanitas non violentatur. ex prædicamento Subſt. Coroll. 1. dubit. 3. numero 4.

Per vnionem natura humana non conuertitur in Verbum. ibid. num. 6.

Per vnionem non vnitur perſonalitas humana cum Verbo, ſed tantùm natura. ibid. num. 9.

Præter vnionem creatam quæ eſt in humanitate, non datur vnio increata in Verbo. ibid. Coroll. 5. dubit. 1. num. 4.

Vnitas formalis non diſtinguitur à numerica. *Vide verb. Gradus.*

Vnitas formalis generis non diſtinguitur ab vnitate formali ſpecifica, non repugnat autem diſtingui. *Vide verb. Gradus.*

Digitized by Google

Vnitas ſubſtantiui ſumitur vel ex vnitate naturæ, vel ex vnitate ſuppoſiti, ſeu potiùs ex vnitate habentis: ita vt vnitas habentis dicatur vnus homo, ſiue humanitas aſſumatur à pluribus perſonis, ſiue vna perſona aſſumat plures humanitates. ex prædicamento Subſt. Coroll. 5. dub. 3. nu. 5. & 6.

Non poteſt Verbum per vnitatem, per quam identificatur cum natura Diuina, vniri cum humanitate. ibid. Coroll. 5. dub. 1. num. 12.

Si perſonalitas non diſtinguere[illegible]e ratiocinata ab humanitate, non p[illegible]ſſumi humanitas à Verbo, quin aſſum[illegible]t perſonalis. ibid. Coroll. 1. dubit. 3. nu[illegible].

Tres vniones fuerunt in Chriſt[illegible]n corpore: altera in anima, tanquam in [illegible]temo adæquato: & tertia vnio vniens [illegible] vniones in ordine ad perſonalitatem Ver[illegible]dicamento Subſt. Coroll. 8. num. 7. &[illegible]

FINIS.

ERRATA.

Pag. 164. quæ in titulo tranſpoſita ſunt, ſic ordini ſuo reſtituantur. Prima linea, De hac materia, [illegible]iatur in finem, poſt verba, Vide ne eadem repetantur. Altera, Et de hac materia, &c. ſubiiciatur primæ quæſtioni, ſic.

I. *Vtrùm Incarnatio Verbi fuerit poſſibilis.* Et de hac materia, &c. ſiue ſeorſim, ſiue coniunſtim.

Pag. 250. in numero quæſtionum, pro octo, pone nouem, & octauam quæ omiſſa eſt, ſic ex contextu reſtit[illegible]

VIII. *Quotuplex ſit hoc Vbi reale intrinſecum, per quod res locata conſtituitur tota in toto, & tota in quali[illegible].*

IX. *An diuiſio Vbi, &c.*

Pag. 270. in 3. Coroll pro ſub tranſ. lege, ſeu tr. P. 301. col. 2. lin. 4. à fine, lege *Apoſtolis*, & pro *Patrib[illegible]* *fratribus*. P. 447. col. 2. in primo argum. in Deo non eſt mutatio, manuſcriptum habet, mutuatio. Aduerte paulò antè, [illegible]ponſione ad hoc ipſum argumentum. Cætera quæ ſunt, partim tanti non ſunt quæ huc congerantur, partim non niſi Authoris recognitioni commendari poſſunt.

Digitized by Google